



CORPUS JURIS CANONICI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,

USUQUE TEMPERATAS, EX EODEM JURE, ET CONCILIIS, PATRIBUS, ATQUE ALIUNDE DESUMPTAS, EXPOSITI.

OPUS, TUM IN REBUS OBSCURIS CLARITATE, TUM DISPERSIS Collectione ac delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque INDICIBUS ac PRÆFATIONIBUS, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum.

AUTHORE

JOANNE PETRO GIBERT,

DOCTORE THEOLOGO, ET CANONISTA.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS

QUÆ AD FIDEM CATHOLICAM PERTINENT, ILLIUSQUE Prima Principia, ac quicquid spectat ad Ecclesiam in se sumptam, in Generalem, ac Particularem divisam, illarumque Ministros, tùm *Primi Ordinis*, PAPAM, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ac illorum omnium VICARIOS, CARDINALES, LEGATOS, NUNCIOS, aliosque similes; tùm *Secundi Ordinis*, seu Sæculares, seu Regulares, PAROCHOS, CANONICOS, ARCHIPRESBYTEROS, ARCHIDIACONOS, DECANOS, PRÆPOSITOS, cæterasque Dignitates; tùm *infimi gradûs* simplici Clericorum nomine comprehensos; singulorum, tàm majorum quàm minorum Officia communia & peculiaria; Personarum Immunitates, necnon & locorum, quorum prætereà Constructio, Dotatio, Consecratio, Pollutio, Reconciliatio ac Juridica Profanatio seorsim explicantur.





COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET, & SOCIORUM.

MDCCXXXV.

CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONIBUS.







PRÆMONITIONES

Circà distributionem Materiarum ex quibus constant Tomi II. & III. Operis, cui Titulus, *Corpus Juris Canonici per Regulas expositi.*



Bsoluta expositione eorum quæ ad Jus Canonicum in se ac universim consideratum pertinent, nunc explicanda suscipiuntur ea, quæ illud speciatim contingunt, sive singulæ rerum species de quibus agit. Istæ autem, etsi propemodùm infinitæ, ad unam reduci possunt, nempè Ecclesiam, omnium fidelium Matrem, Magistram, Ducem, Corpus, quocunque modo quo inspici potest spectatam, 1°. in se ipsâ, 2°. in filiis & membris, 3°. in Prælatis seu Ministris, 4°. in Ministeriis suis; 5°. suis in Bonis Spiritualibus & Temporalibus; 6°. in Judiciis Civilibus & Criminalibus. Hinc Jus Canonicum vocatur Ecclesiasticum, non solùm quia ab Ecclesiâ conditur, sed multò magis quia quidquid continet, docet, statuit, Ecclesiam quodam ex dictis modis respicit: idcircò quæcumque dicenda sunt, uno in Tractatu *de Ecclesiâ*, in plures Partes distributo, comprehendi potuissent: sed congruentior visa illorum distributio, in Quinque Tractatus præcipuos, ob causas suis locis deducendas, quorum Primus *de Ecclesiâ*, Secundus *de Beneficiis*, Tertius *de Contractibus*, Quartus *de Sacramentis*, Quintus *de Judiciis*.

Cùm ordo sit lumen rerum, nonnihil deliberatum circà illum qui assignandus erat Secundo, Tertio & Quarto Tractatui.

De Primo nulla Disputatio, quin primum locum habere debeat, cùm de illo agat quod in Jure Canonico præcipuum, cuique cætera subsunt, nempè de Fide Catholicâ, de Ecclesiâ Universali, de Papa, de Cardinalibus, Legatis, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Episcopis, cæterisque Ecclesiæ post hos præstantioribus Prælatis. Nec etiam de Quinto ullum dubium, quin postremus locus ipsi assignandus sit, cùm Judicia supponant tractationem de Personis, & de Rebus circà quas versantur, utpotè judicialibus controversiis subjectas.

Secundus locus qui datus est Beneficiis, debitus videbatur Sacramentis, cùm præstantiora sint Beneficiis, ob Spiritualia Bona quæ conferunt; cùm multò plurimis personis conveniant, nempè omnibus fidelibus, tàm Laïcis, quàm

aliis quibuscumque; Beneficia verò solis Clericis competant; cùmque præterea Tractatus de Ecclesiâ primam Sedem habuerit ob argumenti sui nobilitatem. Sed his omnibus prævaluit ratio, desumpta ex eo quod Beneficia sint Ministeria Sacra, & actum sit in Primo de Ministris, ideòque congruum esset ut de Beneficiis tractaretur priùs quàm de Sacramentis: præterea administratio Sacramentorum, illorumque confectio, sunt Beneficiatorum munia, proindèque tractatio de Sacramentis præsupponit tractationem de Beneficiis, in quâ de his muniis differitur.

Postrema hæc causa exigere videbatur ut Tractatus de Sacramentis præcederet Tractatum de Contractibus, cùm Officium Beneficiatorum circà Sacramenta longè sit nobilius, quàm Officium illorum circà Bona Temporalia, circà quæ Contractus versantur, cùm per Contractus acquirantur hæc bona, ad alios transmittantur, amissa recuperentur. Sed validior fuit causa petita ex eo quod singuli Beneficiati munus conficiendi, vel administrandi Sacramenta non habent; cùm iis solis id competat, qui obtinent Beneficia quibus animarum cura annexa est, quorum numerus multò minor quàm cæterorum; omnes autem Beneficiati munere potiuntur administrandi Bona Temporalia, vel saltem jure illa possidendi, cùm Beneficium sit quid mixtum, constans Officio Spirituali quod est velut ipsius anima, & possessione temporali quæ est velut Corpus ipsius.

Hactenus dicta de distributione rerum in hac Secundâ Parte tractatarum, ordineque in illa servato, fusiùs explicabuntur in Præfatione cuique prædictorum Tractatuum quinque præfixa.

Dicendum quid superest de nonnullis minoribus Tractatibus, qui quibusdam ex majoribus inserti sunt, potiùs quàm aliis ejusdem generis, cùm & istis adjungi potuissent. Ejusmodi sunt 1°. Tractatus de Restitutione in integrum, 2°. Tractatus de Transactionibus, 3°. Tractatus de Præscriptionibus, qui positi sunt in Tractatu de Contractibus, & rectè collocari potuissent in Tractatu de Judiciis; cùm prædicta Restitutio cadat in actus judiciales, sicuti in actus extrajudiciales; Transactiones habeant vim rei judicatæ, lites præveniant, & finiant, eâque de causâ in LIBRO I. *Decretalium* ponantur inter illa quæ judicia antecedunt, postremò sint una ex Exceptionibus, quæ lites perimunt, quæque ideò peremptoriæ dictæ sunt; Præscriptio sit etiam inter Exceptiones peremptorias quibus controversiæ judicialiter terminantur. Sed potior visa est deprompta ratio ex eo quod Restitutio in integrum frequentior sit circà Contractus; Transactio sit propriè conventio, quemadmodùm sunt Contractus singuli; Præscriptio sit modus acquirendi perdendique Bona Temporalia, veluti & ipsi Contractus quibus id maximè proprium est.

Sunt alii Tractatus minores qui in variis ex majoribus collocari potuissent. Ejus generis est Tractatus de Simoniâ, qui locum suum habere potuisset in Tractatu de Ecclesiâ, ubi 1°. de Religiosis, proindeque de ingressu in Religionem, circà quem frequentissimè committitur Simonia. 2°. De Sepulturis, ob inspectam Ecclesiam prout est locus Divino Cultui dicatus, in quibus Sepulturis non infrequens Simonia; itidem in Tractatu de Sacramentis, ubi non rara est Simonia circà illorum administrationem, præsertim circà Ordinis Sacramentum. Collocatus autem est in Tractatu de Beneficiis, quia in illis frequentissima esse solet Simonia; ibique, occasione datâ, actum est de quavis aliâ Simoniâ, tàm Sacramenta & potissimùm Ordinem, quàm Sepulturam ac ingressum in Religionem contingente.

Dum de Judiciis actum est, tractari potuisset de Usuris, quia Usuræ inter crimina

crimina collocantur, circà quæ versantur Judicia Criminalia, & etiam de iis agitur Lib. V. *Decretalium*; sed satius visum est de illis agere dùm de Contractibus, quia usura est lucrum vi mutui perceptum, & mutuum est Contractus qui sine usurâ sæpissimè initur; undè huic Contractui usura merè quid accidens; ideòque Tractatio de Usurâ non incongruè accessit Tractationi de Mutuo.

Quod de Minoribus Tractatibus dictum est, dicendum quoque de Collectionibus Canonum circà Munia seu Functiones Ecclesiasticas: sunt enim nonnullæ quæ variis in locis ejusdem Tractatûs collocari potuissent; hujus generis est illa Collectio quæ prædicandi munus respicit, pertinens ad Episcopos, ad Parochos, ad Canonicos Theologos, aliosque quoscumque Presbyteros ex commissione, quæque idcircò locum habere potuit dùm de Episcopis, vel Parochis, vel prædictis Theologis; hæc autem sedem suam sortita est inter obligationes seu officia Clericis omnibus, vel plerisque, vel plurimis, communia: quâ in re ab illis non parùm differunt similes Canonum Collectiones, quæ ex naturâ suâ sedes suas proprias habebant, & extra illas vagari non debebant: Hujus generis sunt quæ circà Sanctos, vel Apostolos, vel Martyres, vel Confessores, vel Pontifices versantur; quæque propereà dùm de Festis vel Canonisatione Sanctorum collocandæ erant. Idem sentiendum de Collectionibus circà usus quibus insumendi sunt Beneficiorum proventus, nec non & illis quæ simultaneam plurium Beneficiorum possessionem; quasque parem ob causam determinatas sedes in Tractatu de Beneficiis occupare oportebat.

Porrò hujusmodi Collectionibus usi non sumus nisi in rebus gravis momenti, ubi necessè fuit ostendere Ecclesiæ Disciplinam non variasse, ideòque non negligendam. Methodus hæc accessit huic Secundæ Parti. In Primâ, seu Prolegomenis, Jus Canonicum expositum tantùm est per Regulas & per Juris Decisiones propriis verbis ex illo desumptas, idque non in totâ sed in posteriori Parte, seu quoad illa quæ ex Corpore Juris deprompta sunt, non tamen semper, sed in aliquibus duntaxat, prout rerum qualitas exposcere videbatur: Peculiare ergò huic Secundæ Parti totius Operis est, ut triplici methodo seu tractandi modo exponatur; nempè 1°. per Collectiones Canonum quibus Historia texitur factorum Disciplinam vel Doctrinam contingentium; 2°. per Juris Decisiones pro rerum naturâ ordinatas, quibus mediis habes totum Juris Textum propriis ipsius verbis expressum de quavis rerum specie quoad dispositionem; 3°. Per Regulas, quæ sunt velut principia ex Canonibus pluribus circà eamdem rem coacervatis deducta, cum exceptis casibus, Objectisque quibuscumque resolutis.

Hæc præmonenda habui de Distributione Juris Canonici in specie considerari, hac in Parte Secundâ exponendi, sive de rebus singulis in eo tractandis, de ordine Tractatuum tàm minorum quàm majorum, de illius causâ, atque de variis tractandi modis, sive methodis, pro rerum exigentiâ, vel datâ occasione, hìc illicve adhibitis.

Præmissis Monitis unum alterumve adjiciendum circà Collectionem Juris Decisionum, propriis ipsius verbis conceptarum, nostro Operi insertarum, à D. Dalo incœptam, ac imperfectam relictam, ac peculiaria quædam ab Amicis & Collegis accepta de illius Patria, moribus, muniis, ac morte. Quoad prius, 1°. Nosse oportet nullam Præfationem in amplissimo Manuscripto repertam esse, ex quâ conjici potuisset Distributio Generalis ipsius Collectionis; ac ex variatione circà divisiones & subdivisiones in Titulos, Sectiones, Paragraphos, Articulos, inferre licere illam apud se ipsum nondùm

benè ſtatutam fuiſſe; undè non pauca menda circà utraſque irrepſiſſe neceſſe fuit, tùm ex illius oblivione, tùm ex meâ negligentiâ; quæ cùm ſint levioris momenti, Lector etiam non rogatus facilè excuſabit. 2°. Non ignorandum circà eamdem Collectionem, non paucos in illâ Textus ſuppoſititios, deſumptos ex falſis Decretalibus, referre, nullâ præhabitâ monitione illorum ſuppoſitionis; ſed id non fieri niſi in locis ubi adducuntur Canones majoris momenti, nec allegari ad præſtandam autoritatem iis quæ docentur, ſed ob rationes, ſimilitudines, aliaque notanda quæ in illis habentur: Hos autem Textus facillimè dignoſci poſſe per ea quæ in TOMO I. ſeu *Prolegomenis* dicta ſunt circà Decretales permultis Pontificibus Summis falsò attributas. 3°. Non omittendum ejuſdem Collectionis Authorem nonnunquàm Canones adduxiſſe, apud Gallos non receptos, ejuſque rei non monuiſſe; quod quotieſcunque advertimus, illius vicem ſupplevimus.

4°. De Additionibus à nobis factis eidem Collectioni nonnihil dicendum; ſed duntaxat in genere, cùm hìc agatur de Secundâ Parte totâ generatim conſideratâ, ac in Duos Tomos diſtributâ: circà quod unum monuiſſe ſat erit, quidquid Notarum in illa eſt noſtrum eſſe, ſive affixæ ſint quibuſdam Textibus, ſive ad calcem Sectionum appoſitæ fuerint: Item Sectiones ſingulas ex ſolis Obſervationibus coaleſcentes, quæ adjectæ ſunt vel ad explicandos Canones in Titulo collectos, quia elucidatione aliquâ indigebant, vel ad commonſtrandum quos ex illis fructus elicere fas eſſet: Itidem Sectiones nonnullas ad imitationem Autoris compoſitas, in quibus Textus collegimus, ad explanationem rerum ab illo omiſſarum, quæ Tractatûs integritati neceſſariæ videbantur: Poſtremò Conſilia ex noſtris plura ſub nomine Sectionis poſita, continuato numero Sectionum ab Autore datarum, quæ Conſilia ut plurimùm in Quæſtiones dividuntur, eodemque modo ab iiſdem Sectionibus diſtinguuntur, ſicuti & tractandi methodo.

Quoad poſterius, ſive ea quæ Authoris perſonam ſpectant, poſt plures inquiſitiones non aliud diſcere potui, quàm ipſum Rhotomagi natum fuiſſe, ex honeſtiſſimâ familiâ, ex quâ extant adhuc Nepotes in Supremâ hujuſce Civitatis Curiâ Senatores; Literarum amantiſſimum, maximè Sacrarum, quibus aſſiduè vacabat; juxtà Canones Sacerdotalem vitam duxiſſe, quæque in illis legerat de Clericorum Officiis in ſeipſo expreſſiſſe; pietate ac ſobrietate, præſertim diebus Quadrageſimalibus, præcelluiſſe; Academica Exercitia præſentiâ ſuâ cohoneſtare ſolitum fuiſſe; atque, ut Scholares ad piè vivendum excitaret, illorum confeſſiones excepiſſe; Monialibus præfectum fuiſſe, ac ex celebratione Majoris Miſſæ apud illas in pleuritidem incidiſſe, ex quâ obiit anno 1698. poſt decennalem Syndicatum Collegii Mazarinæi, ad quem promotus erat ab ipſâ illius inauguratione.

Quantùm autem ex ipſa Collectione colligi poteſt, pateſcere videtur, illius Autorem, optimum Theologum & Canoniſtam fuiſſe, ſobriè ſapientem, nulli addictum patti, ſed ſolius veritatis notæ famulum obſequentiſſimum.

PRÆFATIO

PRÆFATIO
TRACTATUS DE ECCLESIA,

In quâ congruo ordine paucis explicantur quæ Scriptura, Patres, Canones, multis dicunt de Ecclesia quovis modo sumptâ.



ÆC vox, ECCLESIA, multa significat: Designat modò Cœtum Fidelium, modò Concilium Prælatorum à quibus reguntur Fideles, nunc locum in quo Fideles congregantur ad exercitia Religionis. Illæ omnes significationes sunt aptæ. Reverâ Ecclesia est certè Corpus Fidelium: In omnibus autem Corporibus sunt membra quæ imperant, alia verò quæ gubernantur. Suum est Prælatis, suum Inferioribus Caput, cui præcipua Regiminis cura demandata est: quòd quidem modò solum, modò cum aliis regit; quod non potest, aut non vult per se ipsum agere, per Ministros facit, aut per illos quos ad id committit. Idem est de illis qui ipsi consociantur in Gubernatione; habent etiam cum quibus onus suum partiantur: sunt qui imperent, alii qui exequantur. Utrique habent loca destinata suis Synodis, sive Generalibus, sive Particularibus, ut qualitas rerum postulat.

Quas ob causas Ecclesia comparatur nunc Regno, nunc exercitui rectè ordinato; modò familiæ, modò gregi, modò navi, modò ædificio, modò urbi sitæ in loco sublimiori. Inde oriuntur varia nomina quæ dantur illis qui præponuntur à Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam; appellantur videlicet Architecti, Nautæ, Pastores, Patres, Duces, Principes: quæ omnes comparationes colliguntur è Scripturâ, à quâ sæpè Ecclesia vocatur Regnum Cœlorum; quæ dicit de eâdem, similem illam esse Regi paranti convivium ad nuptias filii; aut Patri-familias qui vadit conducturus Operarios qui laborent in vineam suam: quæ dicit adhuc de eadem, illam ædificatam esse suprà petram, Christianos esse ædificium constructum super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: JESUM CHRISTUM prædicasse super naviculam, & sedentem in eadem sedasse tempestatem, & per istam naviculam vulgò Ecclesiam intellexerunt.

Denique quod dicitur, vitam hominis militiam esse super terram, perfectè convenit Christiano, qui debet indesinenter debellare suas cupiditates, Idem prorsùs est de verbis Cantici Canticorum, *Castrorum acies bene ordinata*: vulgò applicatur Ecclesiæ; undè nominatur Ecclesia militans.

Ex quibus variis comparationibus cognosci potest Ecclesiam diversimodè considerari posse, & ideò varias pati divisiones, quæ quidem cuique Ecclesiæ privatæ congruunt, ut & Ecclesiæ Universali ex omnibus aliis Ecclesiis simul junctis compositæ. Per has etiam intelligitur, easdem Ecclesias, alias aliis esse subordinatas, quemadmodùm partes exercitûs, familiæ, Regni: Pastores magni gregis, lapides ædificii, Ductores navis, aliique ipsis ministrantes, sibi invicem subjiciuntur, partique præcipuæ parent, cohærent, respondent; hinc quoque colligitur, istam subordinationem necessariam esse in Ecclesiâ ad ejus conservationem, quemadmodùm & in aliis rebus quibus illa comparatur, quia non est unio sine subordinatione.

Eædem comparationes concurrunt adhuc ad ostendendum Ecclesiam debere esse unam in suo Capite, quod sit centrum unionis, juxtà hæc verba, *unum ovile, unus Pastor*; in suâ Doctrina, suis in Sacramentis, secundùm verba, *Unus Dominus, unum Baptisma, una Fides*. Par esse quoque illam esse visibilem, ut id omne cui assimilatur.

Si iisdem comparationibus jungantur promissiones factæ in ejus favorem, tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento, videre est illam debere esse Catholicam, aut tàm extensam quàm totus terrarum orbis diffunditur; infallibilem, indefectibilem; nam promissum fuit omnes Nationes benedicendas fore in JESU CHRISTO, quod intelligitur de vocatione illarum ad fidem; portas Inferi contrà ipsam non esse prævalituras; JESUM CHRISTUM cum illâ futurum esse usque ad consummationem Sæculorum, & eumdem ipsi missurum esse Spiritum Sanctum qui ipsam edocturus sit omnem veritatem.

Hæc promissa sunt Prærogativæ Ecclesiæ Universalis; Privatæ Ecclesiæ non possunt istorum participes esse, nisi pro earum cum illâ unione.

Sunt ergò differentiæ gravissimi momenti, inter totam Ecclesiam, ejusdemque partes; quæ quidem discrimina causa sunt variarum Ecclesiæ Divisionum. Itaque ut explicetur methodicè id omne, quod concernit Ecclesiam, considerabitur 1°. in suâ Totalitate, quatenùs sumpta potest appellari *Ecclesia Totalis*; & in hunc modum accepta complectitur omnes Fideles, tùm Prælatos, tùm Inferiores.

Deindè in suis partibus inspicietur, & sub hoc respectu spectata appellabitur *Partialis*, quia comprehendit unam tantùm partem eorum utriusque modi seu generis Fidelium, quorum alii reguntur & non regunt, & vocantur simplices Fideles; alii gubernant & etiam gubernantur, cùm sint Fideles simul & Pastores.

Hæc Divisio desumpta est ex Divisione quarumdam Censurarum, quarum aliæ sunt totales, aliæ partiales. Per Totalem intelligitur illa quæ habet omnes ejus effectus; per Partialem verò ea, quæ quosdam tantùm ejusdem habet effectus.

Ecclesia Totalis ea est, quæ complectitur omnes suos alumnos, omnia sua membra, tàm Populi quàm Cleri.

Partialis ea est, quæ unam tantùm partem continet, scilicet Clerum sine Populo; aut utrumque, sed alicujus solùm loci.

Ecclesia potest esse Universalis, nec esse totalis; & hoc accidit quoties usurpatur hic terminus ad significandum tantùm omnes Pastores aut Prælatos: verbi gratiâ, cùm dicitur Ecclesiam Universalem facere definitiones fidei, Generales Disciplinæ Constitutiones condere; nam tunc una tantùm pars Ecclesiæ spectata in totalitate agit. Illa autem omninò est totalis, quoties dicitur illam credere quosdam Articulos universaliter creditos; aut illam observare quædam Statuta generaliter usu recepta.

Ecclesia re verâ totalis semper est plenè universalis, tùm pro locis, tùm pro personis quæ sunt ex ejus corpore: Ecclesia verò Universalis aliquando est partialis quoad personas. Talis illa semper est in Conciliis Generalibus, quia soli Prælati jus habent illis assistendi tanquam Judices, eoque nomine suam in eis vocem aut suffragium dare.

Quapropter hæc denominatio, *Ecclesia Totalis*, & ista, *Ecclesia Universalis*, non sunt semper Synonimæ; cùm aliquandò ultima, minùs quàm altera, significet, juxtà exempla suprà allegata.

E contrà Ecclesia Particularis est semper Partialis; quia pars una est Ecclesiæ Totalis, cùm sit limitata ad unam Parochiam, ad unam Diœcesim, aut ad unam Provinciam, aut ad unam Primatiam, ad unum Patriarchatum. Est etiam aliquandò Partialis alio modo; quod accidit, quoties per Ecclesiam Particularem, intelliguntur Populus aut Clerus alicujus Districtûs, aut solus ejusdem Clerus.

Juxtà hanc distinctionem dici potest in primo sensu, Ecclesiam talis Provinciæ talem usum habere, quemadmodùm Ecclesia *Mediolanensis* usum habet Quadragesimale inchoandi Jejunium primâ Dominicâ hujus Sanctæ Quadragesimæ.

Dicere fas est in secundo sensu, Ecclesiam talis loci Privilegium habere gestandi vestem violaceam, aut togam rubram; & in secundo sensu, Ecclesiam talis Provinciæ talem resolvisse quæstionem, talem tulisse Constitutionem.

Itaque Divisio Ecclesiæ in Totalem & Partialem non est inutilis, quamvis non sit usitata: nam inservit ad explicanda vocabula quæ sunt in usu, ut jam vidimus.

De Ecclesiâ Totali debent intelligi non solùm promissa suprà relata, verùm etiam expressiones Scripturæ, *Illam nempè esse Corpus* Jesu Christi *quem habet pro Capite, ejus esse Sponsam, ipsam ex ejus latere manasse, eandem acquisitam fuisse ejus Sanguine, eam ab ipso dilectam & mundatam, semetipsum pro ea tradidisse.*

Explanatis illis quæ spectant ad Ecclesiam in se ipsâ, & quæ pertinent particulariter ad Ecclesiam Universalem, transitus fit ad Ecclesias Particulares Cathedrales; & considerando illas 1o. quoad earumdem originem, deindè quoad locum quem habent inter se, mentio fit de Ecclesiis Apostolicis & de earum prærogativis. Et ut Ecclesia Romana prima est inter istas Ecclesias, & multas alias præcellentias habet quæ ex suo Primatu oriuntur, expendetur id quod Jus Canonicum hac de re docet, & propriis terminis referetur, addendo Observationes necessarias quæ suppleant id quod deest.

In iis Sermo habebitur de Papa, de Juribus ejus certis vel incertis; quorum priora sunt verè jura, posteriora habenda pro prætentionibus; item de præcipuis ejus Officiariis, Cardinalibus, Legatis, Pœnitentiario Majore; ac in iis tractandis quæ sint eorum potestates & privilegia maximè notabitur.

Loquendo de prærogativis Sanctæ Sedis, tractabitur fusiùs de Causis Majoribus quæ ipsi reservantur, & examinabitur undè oriatur hæc reservatio Ecclesiarum Apostolicarum: & finitis rebus spectantibus Ecclesiam Romanam, quæ eas præcipuè antecellit, transibitur ad alias Ecclesias, de quarum Constitutione generaliter spectatâ cùm mentio facta fuerit, tractabitur latè de Episcopis, & explanabitur 1o. eorum Promotio, non omissis eorum Electione, Confirmatione, & Consecratione. 2o. Quibus donari debeant dotibus. 3o. Quæ sint eorum obligationes. 4o. Quæ Jura, sive Temporalia, sive Spiritualia. 5o. Quæ sit eorum Jurisdictio, tùm voluntaria, tùm contentiosa.

Per hæc dignoscetur illud quod Papa, Patriarchæ, Primates, Metropolitani habent commune cum simplicibus Episcopis; ut inspectum est quod particulare est Papæ, in eo quod jam de illo dictum erit, & ut deindè videbitur id quod est proprium tribus aliis Dignitatibus superioribus Dignitati Episcopali, in iis quæ dicentur posteà de unaquaque particulariter.

Absolventur ea quæ dicenda erunt de Ecclesiis Particularibus per Ecclesiæ Gallicanæ præconia, & Regum Franciæ, & alias particularitates de quibus fit expressa mentio in Corpore Juris, & in aliis Canonibus qui sunt alibi; quibus jungetur id quod Jus docet de Officiis Ecclesiæ ergà Principes, & istorum ergà Ecclesiam; quæ sunt eorum jura reciproca, & quæ sunt Subditorum obligationes ergà Principes & alios Superiores.

Quibus jungentur adhuc Observationes necessariæ ad explicationem Juris Decisionum ipsius verbis expressarum, Ecclesiam spectantium. Quoad Concilia quæ pertinent ad eamdem materiam, quia sunt Cœtus Episcoporum, & aliorum Superiorum Prælatorum, monere satis erit Tractatus in Prolegomenis datos ea docere, quæ scire oportet de quâvis illorum specie.

Cùm sint Canonici ergà Episcopos, id quod Cardinales sunt ergà Papam, nempè eorum Consiliarii, Assessores, Collaterales, eorum Fratres, saltem à duodecimo sæculo, ubi incipit Jus Decretalium, (sic vocatum quia desumitur ex Literis Paparum, continentibus Decisiones, Sanctiones, aut Judicia, quibus impositum Decretorum nomen à primis Sæculis; sic enim qualificantur in *Codice* Dionisii Exigui.) nobis visum est de Canonicis loquendum esse, immediatè postquàm tractatum est de iis quæ pertinent ad simplices Episcopos istisque Superiores, quemadmodùm sermo habitus est de Cardinalibus statim atque de Summo Pontifice mentio facta fuit. Ea verò quæ ad illos spectant incipiunt à nominibus, à Jure ipsis traditis. Deindè sermo habetur de Dignitatibus Capitulorum in genere spectatorum; posteà de obligationibus Canonicis omnibus communibus, aut quibusdam eorum particularibus:

laribus: Quæ spectat ad promotionem ad Ordines annexos eorum Præbendis, postremi generis existit. Residendi onus, est primi generis; isti sunt jura & pœnæ adjunctæ, prout impletur vel non; suæ sunt eidem dispensationes aut excusationes. Circà hæc omnia refertur id quod Jus expressè de illis dicit. Obligationes assistendi Officio & Capitulo sunt adhuc è numero obligationum communium; suas etiam mercedes habent & pœnas, dispensationes & excusationes.

Idem est de illis quæ spectant ad Præbendas, aut Possessorum earum mores, aut conservationem numeri constituti illarum. Sua sunt etiam Canonicis Jura: præcipuum est jus providendi Beneficiis, aut per Electionem, aut per Collationem, aut per Præsentationem, aut per Institutionem. De his mentio fiet in Tractatu *de Beneficiis*, qui suus est locus naturalis, quique primus est TOMI III. Sunt obligationes & jura quæ spectant ad Canonicos conjunctim spectatos, seu ad Capitulum; tales sunt obligatio & jus correctionis, exercendi Jurisdictionem Episcopi Sede vacante, & nominandi Officiarios ad hoc exercitium. Titulus *de Canonicis* finitur per Dignitates Capitulares in particulari spectatas; seu Decanatum, Theologalem, Pœnitentiariam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum.

Quod dictum est de Canonicis convenit tàm Ecclesiarum Collegialium Canonicis, quàm Ecclesiarum Cathedralium; reservatis prærogativis istorum, ratione conjunctionis suæ particularis cum Episcopo, undè recipiunt jus participandi Regimini Diœcesano, sive dum Sedes repletur, sive dum vacat. Has ob prærogativas præcedunt Parochos, qui pro curâ animarum, quæ illis immediatè demandata est post Episcopos, digni essent qui præessent Canonicis.

Loquendo de Parochis, incipitur per varia nomina quæ Jus illis tribuit: Indè transeundo ad dotes quæ requiruntur in eis, mentio fit de ætate & Sacerdotio quibus opus habent. Veniendo ad eorum obligationes, sermo habetur de prædicandi & residendi obligationibus, & attendendi bono Parochiarum suarum ordini. Extenditur quoque ad Vicarios Perpetuos quod dictum est de Parochis.

Postquàm actum est de Autoritate Episcopi in Parochos, & de Jure tribuendi illis deservientes, quando sunt indigni aut inepti ad munia sua implenda; Finimus Titulum de Parochis, referendo ea quæ Jus expressè dicit de Vicariis Temporalibus aut Adjutoribus Parochorum, quemadmodùm collectum est terminis propriis quod docet de Capitibus præcedentibus circà Parochos: Sed cùm id quod dicitur de illis, non sufficiat ad explicanda omnia quæ pertinent ad Parochos, suppletur id quod deficit per Textus qui possunt illis applicari aut per Canones aliundè desumptos.

Idem fit ergà Canonicos, cum eadem ratio ad id impellat.

Ut evitentur repetitiones, loquendo de Episcopis, ac de Prælatis qui ipsos præcedunt, deindè de Canonicis & Parochis; nihil dictum est de eorum Officiis quoad mores, quia sunt eis communia cum omnibus aliis Clericis, & ideò visum est convenientius remittere hanc materiam, ad locum in quo tractandum erat de Clericis generaliter spectatis. Cùm igitur hùc perventum fuerit, colligentur omnes Canones qui pertinent ad has obligationes, postquàm ostensum erit hoc nomine Clericorum intelligi non solùm Tonsurâ donatos, in minoribus constitutos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros; sed etiam Episcopos & eorum Superiores, ne excepto quidem Papâ, præsertim cum de moribus agitur.

Ratio hujusce rei est, quod Superiores sint exempla Inferiorum, & hanc ob rem magis teneantur quàm alii ad agendum quod imperatur Clericis, & ad evitandum quod ipsis prohibetur. Quæ duo sunt summa Capita ad quæ omnes obligationes communes reducuntur, juxtà hæc verba, *fac bonum & declina à malo*.

Propter eandem rationem omne quod jubetur aut prohibetur Laïcis circà mores, imperatur quoque aut vetatur Clericis qui sunt eorum exempla. Obligationes personarum eò sunt plus aut minùs magnæ, quò eorum status est magis aut minùs perfectus: Et ideò Superiores habent obligationes Inferiorum; sunt enim homines & Christiani sicut Inferiores: Itaque debent easdem habere & majores obligationes: Quod plus est continet quod est minus: Pars continetur in toto, *Reg.* 36. & 80. *In* 6. undè Justitia Christiani major esse debet quàm Judæi, & omnium aliorum Infidelium; exigitur plus ab eo qui plus accepit.

Ut quædam sunt quæ Laïcis, non Clericis, permittuntur; sunt & quæ Clericis Inferioribus, non Superioribus Clericis sunt licita.

Hoc posito fundamento, obligationes istorum sunt majores quàm aliorum, & ob eam rem quædam sunt obligationes particulares annexæ statui Clericorum, quæ Laïcorum statui non adhærent; & obligationes propriæ Clericis Superioribus, quibus Clerici Inferiores non sunt subjecti; de utrisque expressa mentio fit in Canonibus collectis in Corpore Juris.

Omnes accuratè colligentur propriis terminis; inspicietur quoque id quod jubent aut prohibent generaliter Clericis, sive Inferioribus, sive Superioribus; & quod præscribunt aut vetant particulariter Clericis Superioribus, qui profectò sunt illi qui constituuntur in Sacris Ordinibus, aut ad Dignitates Ecclesiasticas promoventur.

Non operæ pretium est minutatim explicare Officia omnibus communia, & ea quæ sunt propria Superioribus; satis erit annotare tria præcipua hujus postremi generis; nempè Matrimonio non conjungi, recitare Officium saltem in particulari, manere in Statu Ecclesiastico.

Prima & secunda obligatio cadunt in Clericos Beneficiarios, qui non sunt in Sacris Ordinibus constituti, quamdiù retinent sua Beneficia; illorum onere levantur resignando aut derelinquendo eadem.

Prima ex his obligationibus includit necessitatem perfectæ castitatis; nam cum quibusdam illud pro-

prohibetur, quod aliis personis permittitur, tenentur consequenter ad id quod vetatur omnibus; quapropter innumeri Canones, supponentes hanc virtutem imprimis esse necessariam Clericis, vetaverunt ne omninò communicarent cum mulieribus extrà casus in quibus opus habent eorum Ministeriis, aut cùm absolutè necessarium est istis eorum servitium; qui quidem collecti sigillatim sunt servato Sæculorum ordine, ut juxtà illorum mentem abhorrerent ab impudicitiâ, tùm illi quibus Matrimonium permittitur, tùm illi quibus illud prohibetur. Jungetur hæc Collectio sub finem eorum quæ Jus docet de obligationibus Clericorum.

Cùm, nomine Ecclesiæ, Religiosi comprehendantur, sive quia consecramur Cultui Domini, ut Clerici, sive quia multi eorum sunt Clerici, bonus ordo expostulat, ut quod ad illos spectat, inferatur in Tractatu de Ecclesiâ; quam ob rem colligetur id quod Jus docet de Religiosis, hoc servato ordine, 1°. Mentio fiet de eorum probatione antequàm induantur vestibus. 2°. De habitûs susceptione. 3°. De eorum Noviciatu. 4°. De eorum Professione. 5°. De Regimine illorum. 6°. De Superioribus quibuscumque ad quos pertinent aliqua ex juribus utrorumque, tàm Laïcorum quàm Clericorum, vel singula cujusque generis.

Non omittetur in eodem Tractatu quod pertinet ad Moniales, quia quemadmodùm Monachi, ita & illæ Domino consecrantur, & expendentur eadem de illis, ac de ipsis Religiosis: Refertur 1°. propriis terminis, id quod Jus expresse docet de Monialibus, quemadmodùm hoc modo collectum est istud quod de Religiosis idem Jus docet, & præcipuè immorabimur iis quæ singulis propria sunt.

Alia ratio communis Laïcis & personis de quibus sermo habitus est anteà, scilicet Clericis, Superioribus aut Inferioribus, Religiosis aut Monialibus, obligat ad tractandum posteà de Laïcis, quia nempè sunt membra & alumni Ecclesiæ, ut personæ suprà citatæ, & quatenùs tales pertinent ad Ecclesiam. Itaque æquum est ut colligatur id quod Jus dicit de Laïcis aut Inferioribus aut Superioribus ejusdem statûs, nempè Principibus, Magistratibus, & eorum Subditis, Dominis, & eorum Vasallis Sæcularibus, quibus debet adjungi illud quod spectat Matricularios, Notarios, Scribas sive Amanuenses, & alios Sæculares in Ecclesiis Officia habentes, unicè inhærendo iis quæ propria sunt & peculiaria singulis, prout Laïci sunt & Officiarii Ecclesiæ.

Personæ ad Ecclesiam pertinentes cùm soleant congregari ad Religionis exercitia in quibusdam locis ad hoc destinatis, quæ ideò vocantur Ecclesiæ, propter eandem rationem ob quam vocantur Capitula, loci in quibus Capitula convocantur; idcircò Tractatus, cujus consilium jam plenè expositum est, absolvetur per ea quæ dicenda supersunt de Locis Sacris; quibus annumerantur Hospitalia ob rationes suo loco deducendas, quarum præcipua est quod Capellas annexas habeant in quibus omnia peraguntur, quæ in Ecclesiis peragi solent; his autem de locis colligetur debito ordine quidquid Jus expresse hac de re docet, quibus adjicientur quæ deficiunt, tùm per Textus qui possunt ad illos applicari, tùm per Canones aliundè desumptos: Hæc omnia rediguntur, 1°. Ad constructionem illorum locorum. 2°. Ad illorum dotationem. 3°. Benedictionem aut Consecrationem, & reverentiam eisdem debitam. 4°. Ad Cæremonias Sacras, Officia Divina, Servitia, Exercitia Pietatis, quæ alibi fieri non possunt. 5°. Ad illorum Pollutionem, & Reconciliationem. 6°. Ad eorum Profanationem per eorum destinationem ad usus profanos, aut permissionem expressam illos convertendi ad eosdem usus. 7°. Ad eorumdem Immunitatem aut Privilegium. 8°. Ad obligationem Clericorum ut utrumque conservent, & Officium Principum ut illa protegant. 9°. Ad Cæmeteria quibus extenditur id quod concernit Benedictionem, Pollutionem, Reconciliationem, & Immunitates: Quæ singula, prout cuique convenit, explicantur per Regulas, vel Quæstiones, vel Observationes.

Quantùm ad Hospitalia, colligetur propriis terminis quod Jus de singulis illorum speciebus dicit; in quo videbitur 1°. Quæ sint inter illas differentiæ, sive quoad opera quibus destinantur, sive nomina hinc emanantia: 2°. Quænam sit obligatio applicandi eorum reditus ad usus à fundatione latos. 3°. Quæ sint pœnæ contra prævaricantes circà illa, præscriptæ. 4°. Quæ sit super illa autoritas Episcopi; quantùm debeat attendere ad illa, ut benè administrentur, tùm quoad Temporales, tùm quoad Spirituale; 5°. Quænam Regulæ observandæ sint in eorum administratione: 6°. Quidnam sit peculiare illis quæ reguntur ab Ordinibus Militaribus, aut ab Ordinibus Religiosis, nempè quod debeant vulgò administrari à Laïcis quoad Temporale, & ab Ecclesiasticis quoad Spirituale.

En tota materia Tractatûs de Ecclesiâ, qui complectitur id quod pertinet ad Ecclesiam in genere & in specie consideratam, Ecclesiam Universalem, & Ecclesias Particulares, quæ sunt ejus Partes; nempè Ecclesiam Pontificalem aut Romanam, Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Episcopales, Parochiales, Collegiales cujusvis generis, illarumque omnium Rectores vel Vicarios, necnon & locos in quibus personæ congregantur ad Cultum Divinum celebrandum unà cum Laïcis Religiosisque cujuscumque speciei.

Post Præfationem completam animadvertimus Errata duo, præ aliis notanda, in Tractatu irrepsisse; quo pacto nescimus. Primum est *pag.* 1. obi post hæc verba, *Tractatûs de Ecclesiâ*, ista adjiciuntur *complectens varios Titulos circà illam versantes*, quæ ut superflua, ac saltem contra mentem nostram posita, pro non additis haberi volumus.

Alterum Erratum est in *pag.* 169. ubi hæc leguntur: *Expositio Juris Canonici in specie considerati . . . . Pars I. De Ecclesia, Tractatus de Canonicis aliisque Ecclesiarum Ministris*: Circà quod hæc declaranda duximus; 1°. in animum nunquam venisse nostrum, ut Tractatum hunc de Ecclesiâ, Tractatus in duos divideremus; sed si ea mens nostra fuisset in duas Partes divisissemus, & in Priori comprehendissemus quidquid Ecclesiam spectat in se ac in genere consideratam, necnon in specie, ac in Prælatis, ac per illa quæ pertinent ad Causas Majores finiissemus; Posteriorem Partem incepissemus à Canonicis, de quibus agere ordimur Tit. VIII. *pag.* 151. nec Pars Prior de istis fuisset à Posterioribus sejuncta per relatam Inscriptionem. Verùm cùm hæc Errata nihil officiant substantiæ distributionique Operis, non ægrè condonabuntur.

INDEX

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM,
PARAGRAPHORUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM.

Quæ in TOMO SECUNDO continentur.

TRACTATUS DE ECCLESIA.

TITULUS UNICUS.

DE iis quæ pertinent ad Fidem Catholicam. *pag.* 1

Sectio I. *Quæ de Deo credenda sint?* 2
Sectio II. *Quæ de CHRISTO præcipuè sint credenda?* ibid.
Sectio III. *Quæ sint de Creatione Angeli & Hominis, cæterorumque, præcipuè credenda?* 3

TITULUS I.

De Ecclesia generatim sumpta, necnon de Ecclesia Universali; ubi paucis, multa de ista, atque etiam præcipua. 4

Sectio I. *Quid sit Ecclesia & quibus modis dignosci possit?* ibid.
Sectio II. *Quibus fundamentis innitatur Ecclesiæ autoritas.* 5
Sectio III. *Quæ, & qualis Ecclesiæ Jurisdictio, & quousque se extendat?* ibid.
Sectio IV. *An sit in Ecclesia Hierarchia? in quo posita sit? & ejus ratio?* ibid.
Sectio V. *Esse in Ecclesia Episcopatum ad unitatem, quæ sint illius munia propria, & quomodo in varios titulos distinguatur?* 6
Sectio VI. *Episcopos institui tantùm debere in primariis ac præcipuis Civitatibus, nec duos in eadem Civitate.* ibid.
Sectio VII. *De Regimine Ecclesiæ An sit Monarchicum, an Aristocraticum, & quale esse debeat, id est an jure, an autoritate, Canone, motu proprio gubernandum?* 7
Sectio VIII. *Quid ex forma regiminis supra probata consequatur?* ibid.

TITULUS II.

De Ecclesia speciatim sumpta & 1°. de Ecclesia Romana seu Sede Apostolica. 8

Sectio I. *Ecclesiam Romanam fundatam esse ab Apostolis Petro & Paulo, illamque esse omnium Ecclesiarum Matrem et Caput ex institutione CHRISTI.* ibid.
Sectio II. *Episcopum Ecclesiæ Romanæ, sive Summum Pontificem ac Papam, Petri Successorem esse, & Vicarium Dei, B. Petri Principis Apostolorum vice, & quibus insigniis utatur.* 9
Sectio III. *Quis agnosci debeat in Universâ Ecclesiâ pro Summo Pontifice?* ibid.
Sectio IV. *Omnium Ecclesiarum sollicitudinem pertinere ad Romanum Pontificem, eamque fuisse illi à CHRISTO injunctam.* 10
Sectio V. *Romanum Pontificem non habere Jurisdictionem in temporalia, nisi in Patrimonio B. Petri, maximè respectu Regis Francorum.* 11
Sectio VI. *Quâ ratione Summus Pontifex Jurisdictionem suam in Universâ Ecclesiâ exercere possit?* ibid.
Sectio VII. *Majores & difficiliores causas soli Romano Pontifici reservandas esse.* 12
Sectio VIII. *Quæ causæ majorum nomine potissimùm intelligantur, quæ Summo Pontifici sint reservatæ?* ibid.
Sectio IX. *Ea quæ Summo Pontifici à Jure reservantur, vel ipse sibi reservat, non posse per alios fine speciali mandato fieri.* 13
Sectio X. *Quid possit Papa in Ordine ad Concessiones vel Dispensationes?* 14
Sectio XI. *Summum Pontificem non velle, nec posse quidquam decernere contra Sanctorum Statuta Canonum.* ibid.
Sectio XII. *Quæ Sedes Apostolica statuit, & ordinat circa fidem, & generalem Ecclesiæ Disciplinam, debere ab omnibus Ecclesiis observari, postquàm sunt salubriter promulgata & acceptata?* 15
Sectio XIII. *Sedem Apostolicam, sive Summum Pontificem; debere semper singulis Ecclesiis sua jura, privilegia, ac libertates conservare.* 16
Sectio XIV. *An & quandò possit sententia Romani Pontificis mutari?* 17
Sectio XV. *Quid possit Summus Pontifex in ordine ad Successores suos?* ibid.
Sectio XVI. *Quid possit Summus Pontifex circa Jus Generale, & Publicum quod spectat ad Regimen Ecclesiasticum?* ibid.

TITULUS III.

De Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ. 18

Sectio I. *Quid sint Cardinales, quo nomine à Romano Pontifice appellentur, & quomodo in Bullis designentur, quove jure gaudeant in suis Ecclesiis?* ibid.
Sectio II. *Qui assumi debeant in Cardinales, quales esse, & quid præstare debeant?* 19
Sectio III. *Quæ sint prærogativæ Cardinalium in Galliâ?* 20
Sectio IV. 1. *Per promotionem ad Cardinalatum vacant omnia Beneficia.* 2. *Concessâ intelligitur retentio Ecclesiarum Cathedralium, & Commendarum.* 3. *Cætera inferiora Beneficia omnia vacant.* ibid.
Sectio V. *Ubi judicandæ sint causæ quodammodo ad Cardinales spectantes?* ibid.

TITULUS IV.

De Legatis Sedis Apostolicæ, seu Summi Pontificis, ac de Majore Pœnitentiario? 20

Sectio I. *Quot sint hujusmodi Legatorum genera, & quandonam desinat eorum Officium?* ibid.
Sectio II. *Quæ sit potestas hujusmodi Legatorum, & ad quæ se extendat?* 21
Sectio III. *Quæ sit potestas Legatorum quoad Collationem Beneficiorum?* ibid.
Sectio IV. *Quæ sit potestas Legatorum quantum ad Jurisdictionem voluntariam?* 22

Sectio V.

Sectio V. *Quæ pertineant ad majorem Pœnitentiarium? 1. Habet potestatem ordinariam. 2. Ejus literis habenda fides. 3. Potest committere. 4. Valet in foro conscientiæ. 5. Limitatur à Papa prout accessarium judicat.* ibid.

TITULUS V.

De Ecclesiis Particularibus. 23

Sectio I. *Quomodo fundatæ sint Ecclesiæ particulares, tàm in Galliâ, quàm alibi, cur distinctæ fuerint, & quomodo designantur?* ibid.
Sectio II. *Singulis Ecclesiis sua jura servari debere, illasque morem Ecclesiarum sequi debere à quibus sunt institutæ.* 24
Sectio III. *Quandonam erigendæ sint Ecclesiæ Episcopales, & quibus in locis, & quomodo?* ibid.
Sectio IV. *A quo possint Ecclesiæ in Cathedralis vel Metropolit. Quæ loca possint in Cathedrales Ecclesias erigi? Quando, Privilegium confirmationis iis deferri & quomodò sine ullius præjudicio debeant eximi,* ibid.
Sectio V. *Quæ sint in favorem Ecclesiarum?* 25
Sectio VI. *Encomia Ecclesiæ Gallicanæ ex Textibus Juris Canonici, aliisve Canonibus desumpta, quædamque alia huic peculiaria?* ibid.
Sectio VII. *De Conciliis.* 26

TITULUS VI.

De Episcopis in genere. *ibid.*

Sectio I. *De variis nominibus, Appellationibusque Episcoporum.* ibid.
Sectio II. *Quales esse debeant qui ad Episcopale munus assumuntur?* 27
Sectio III. *Ex quo Statu Laïcali an Ecclesiastico, sive Regulari, sive Sæculari, & ex quibus Ordinibus eligi possint in Episcopos?* 28
Sectio IV. *Quomodo consecrandi sint Episcopi & à quo?* ibid.
Sectio V. *Quales esse debeant qui consecrati sunt Episcopi vel consecrandi?* 29
Sectio VI. *Quid faciat Diœcesim? Quam stabilis esse debeat? Et quomodo figendi illius limites?* ibid.
Sectio VII. *An, & quot modis Episcopi contrahant vinculum seu Conjugium cum suis Ecclesiis?* 30
Sectio VIII. *Episcopos electos, confirmatos, non consecratos, posse exercere ea quæ sunt Jurisdictionis, non ea quæ sunt Ordinis sive Consecrationis.* ibid.
Sectio IX. *Non posse Episcopos alia Jura exigere ab Ecclesiis quàm consueta.* 31
Sectio X. *Quæ sunt præcipua Jura Episcopalia?* ibid.
Sectio XI. *Episcopos esse Presbyteris, & Clericis, & Laicis omnibus Superiores, non tamen iis dominari debere.* 32
Sectio XII. *Episcoporum Jurisdictionem contineri intra eorum Diœcesim, ipsosque nihil efficere debere extra illam, & quam pœnam incurrant, si Pontificalia exerceant in aliena Diœcesi?* ibid.
Sectio XIII. *Quænam sint præcipua Episcoporum Officia?* 33
Sectio XIV. *Qua ratione Episcopi teneantur, & possint Prædicationis Officium adimplere?* 34
Sectio XV. *Decreta notabiliora circa Prædicationis Officium & curam Episcopis commissam.* 35
Sectio XVI. *Posse Episcopos statuere vel revocare sub pœnis, quæ prudenter expedire judicaverint, tàm erga Clericos, quàm alios subditos ad morum correctionem.* ibid.
Sectio XVII. *Episcopos teneri subditorum suorum, sed maximè Clericorum vitia corrigere.* 36
Sectio XVIII. *Quâ ratione Episcopi debeant Clericorum, & aliorum subditorum vitia corrigere?* ibid.
Sectio XIX. *An, & quâ ratione Episcopi debeant visitare Ecclesias suæ Diœcesis?* ibid.
Sectio XX. *An, & quomodo Episcopi Procurationem recipere possint, cùm Ecclesias suas visitant?* 37
Sectio XXI. *Episcopos posse visitare Hospitalia & Fabricarum curam habere.* 38
Sectio XXII. *Quid possint Episcopi in foro Conscientiæ circa Dispensationes & Absolutiones, & in iis quæ pertinent ad Jurisdictionem voluntariam?* ibid.
Sectio XXIII. *Quid possit Episcopus in sua Diœcesi quantùm ad Jurisdictionem contentiosam Ecclesiasticam?* ibid.
Sectio XXIV. *An, & quomodò Episcopus possit instituere Officialem, & quale sit istius Auditorium, sive Tribunal?* ibid.
Sectio XXV. *Quomodo Episcopus cum Capitulo suo agere debeat?* 39
Sectio XXVI. *Episcopos quoscumque teneri, Lege Naturali, Divina & Ecclesiastica, ad residendum in suis Ecclesiis.* ibid.
Sectio XXVII. *Quibus maximè temporibus Episcopi residere debeant? Et quanto tempore abesse possint ab Ecclesiis sine culpa? Et propter quas causas à Residentia excusentur? Quibusve pœnis, si absint extra hos casus, sint obnoxii?* 40
Sectio XXVIII. *Quæ sint Privilegia Episcoporum in Corpore Juris contenta?* ibid.
Sectio XXIX. *Non esse facilè admittendam accusationem adversus Episcopos, nec de levi illi credendum.* 41
Sectio XXX. *Quid agendum si Episcopi tàm adversa valetudine, seu corporis, seu mentis utantur, ut officium implere nequeant?* ibid.
Sectio XXXI. *An, & quomodò Episcopus possit ad alium Episcopatum transire?* 42
Sectio XXXII. *Episcopos non posse renunciare suæ Ecclesiæ, sine autoritate Summi Pontificis, nec debere levi de causa illi cedere, obtenta verò licentia, ad cedendum compelli.* 43
Sectio. XXXIII. *Romanum Episcopum ob justas causas facilè dare licentiam cedendi, & quæ sint illæ communiores causæ?* ibid.
Sectio XXXIV. *Quomodo Episcopi se gerere debeant, si contingat eos à plebe ejici de sua Ecclesia?* 44
Sectio XXXV. *Quot modis Episcopi renunciare possint suo Episcopatui? Et an expediat eos fieri Monachos? Et quandonam possint post electam vitam Monasticam ad Episcopatum denuò assumi?* 45
Sectio XXXVI. *Nullam recipi posse accusationem contra Episcopos de suâ Sede dejectos, & rebus ac possessionibus suis per vim spoliatos, nisi omnia fuerint eis restituta.* ibid.
Sectio XXXVII. *Episcopos qui Diœcesim non habent, vel qui habentes extra illam morantur, non posse quicquàm agere sine licentiâ Diœcesani.* 46
Sectio XXXVIII. *An liceat Episcopis sua munia demandare, quibus & quænam illa sint?* ibid.
Sectio XXXIX. *Quantus honor Episcopis deferri debeat ab omnibus, & quomodo debeant omnes præcedere in suis Diœcesibus, & quibus insignibus utantur?* 47
Sectio XL. *De Ornamentis Episcoporum,* ibid.

TITULUS VII.

De Prælatis ipsis Episcopis Superioribus? 48

Sectio I. *Qui sint illi Prælati, quæ Privilegia habeant, & quid agendum cùm litigatur super Jure Primatiæ?* ibid.
Sectio II. *Non posse se appellare Archiepiscopum, qui Pallium non habet. Quid sit Pallium illud, quomodo tradatur, & quàm deserviat ad Ecclesiæ Privilegium?* 49
Sectio III. *Quando postulari Pallium? Quibus, & qua conditione dari debeat?* ibid.
Sectio IV. *An Archiepiscopi possint aliquandò non uti Pallio? Et quibus diebus uti possint?* 50
Sectio V. *Archiepiscopum Pallio non posse uti, nisi in* *Ecclesia*

Ecclesia sua, hoc est, nisi in aliqua ex Ecclesiis suæ Provinciæ, atque solummodò inter Missarum solemnia. ibid.

Sectio VI. *Pallium esse proprium unicuique personæ, pro certa dumtaxat Ecclesia. Quæ munia de Jure obire possint Archiepiscopi sine Pallio, quæ non possint?* ibid.

Sectio VII. *Archiepiscopos, vel Primates, seu Patriarchas, nullam potestatem habere in Diœcesibus Suffraganeis, neque erga istarum subditos, nisi in quantùm iis jure permissum est.* 51

Sectio VIII. *Quid possint, vel non possint Archiepiscopi erga Suffraganeos suos, vel eorum subditos?* ibid.

Sectio IX. *Qua ratione possint Suffraganeorum subditi ad Archiepiscopum recurrere?* 52

Sectio X. *Quid possint Archiepiscopi in Capitula, Cathedrali Sede Vacante?* ibid.

Sectio XI. *Quo in loco, quando, quâ ratione Archiepiscopi vel eorum Officiales exercere Jurisdictionem suam in Suffraganeos & eorum subditos valeant?* ibid.

Sectio XII. *An, & quid possint Archiepiscopi erga Suffraganeos, & istorum subditos, quoad Censuras?* 53

Sectio XIII. *An possit Archiepiscopus visitare Diœceses suorum Suffraganeorum, & qua ratione id præstare debeat?* ibid.

Sectio XIV. *Quomodo Archiepiscopus in decursu Visitationis suam Jurisdictionem exercere debeat?* 54

Sectio XV. *Archiepiscopos, dum visitant Provinciam suam, posse jus Visitationis suæ Procurationes exigere, & an jus illud Procurationis præscribi possit, & quomodo?* ibid.

Sectio XVI. *Quem ordinem inter se servare debeant Metropolitanus & Suffraganei, & quomodo intelligendum sit, cùm eis mandatur aliquid pro Ecclesiis suis?* 55

Sectio XVII. *Observationes in Sectiones præcedentes, tùm ut suppleantur quæ desunt, tùm ut ponantur in Ordinem, lucémve debitam, quæ alterutro vel utroque carent.* ibid.

Sect. XVIII. *De usu, & autoritate Pallii, Ornamenti prædictis Prælatis communis, ac aliorum ergò sibi peculiaris, Regulæ è Corpore Juris desumptæ.* 56

Sectio XIX. I. *An occurrant casus, in quibus Metropolitanus possit dare Magnos, seu Generales Vicarios suis Suffraganeis?* II. *An, cùm Metropolitanus non potest, Concilium Provinciæ illud ac possit?* III. *Posito quod Concilium potestatem illam haberet, quibus in circumstantiis, & quomodo valeret?* 60

Sectio XX. *Quid cogitandum sit de usu Galliæ circa independentiam Episcoporum in iis, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, aut administrationis? Estne generatim verus, patiturne aliquas exceptiones, & quænam illæ sint? An independentia quibusdam in functionibus odiosam Episcopi autoritatem efficeret.* 63

Sectio XXI. De Visitatione. *Regula ex Corpore Juris Canonici Concilioque Tridentino, desumpta circà Visitationem?* 65

Sectio XXII. I. *Quandò, & quomodò Episcopus possit visitare Ecclesiam suam Cathedralem?* II. *Quid possit, & quid debeat facere in hac Visitatione?* III. *An duratio illius determinata sit?* IV. *An debeatur illi hanc ob causam aliquod jus Procurationis?* 70

Sectio XXIII. I. *An Prælatus Delegatus à Papa ad visitandam Ecclesiam Collegiatam, Sæcularem, aut Regularem, cum plena potestate reformandi omnes abusus, & faciendi Ordinationes, & Statuta nova, qualia judicabit necessaria, teneatur facere has Constitutiones per Visitationem, aut an ipsi liceat solùm mandare faciendas per se ipsum, aut per eum quem committet?* 74

Sectio XXIV. *Continens amplissimam explicationem eorum, quæ dicta sunt de Jurisdictione Ecclesiæ, Papæ, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, & Episcoporum: seu Regula de Vicario Generali, prout sub se Officialem comprehendit, è Corpore Juris Canonici, necnon ex Concilio* TRIDENTINO *excerpta, quibus præmittuntur, & explicantur quæcumque ad Jurisdictionem exteriorem, tàm in genere, quàm in specie consideratam pertinent.* 75

PARS PRIMA,

Regulæ circa Jurisdictionem in genere, 76

Caput I. *Quid sit Jurisdictio?* ibid.

Caput II. *Quotuplex Jurisdictio?* ibid.

Caput III. *Quibus viis acquiratur vel amittatur Jurisdictio?* 77

Caput IV. *Quibus competat Jurisdictio?* 78

Caput V. *In quos, & in qua Jurisdictio competat?* 81

Caput VI. *Qui sint Jurisdictionis effectus?* ibid.

Caput VII. *Quæ sint Jurisdictionis Proprietates?* ibid.

Caput VIII. *Qui abusus vitandi circa Jurisdictionem?* 82

PARS SECUNDA,

Sectio XXIV. Regulæ de Jurisdictione in specie, 83

Caput I. *De Jurisdictione Episcopi generatim sumptâ.* ibid.

Caput II. *De Episcopi Jurisdictione speciatim spectatâ.* 88

Caput III. *De Episcopi Jurisdictione circa res.* ibid.

Caput IV. *De Jurisdictione Episcopi circa res Civiles.* 91

Caput V. *De Episcopi Jurisdictione in Personas.* 92

Caput VI. *Quæ sit Episcopi in Res Ecclesiæ Jurisdictio?* 96

Caput VII. *De Episcopi Jurisdictione in loca.* 97

Caput VIII. *An Papa concurrat cum Episcopo, in iis omnibus, quæ dicta sunt ad istius Jurisdictionem pertinere?* 100

Appendix circa Episcopi Jurisdictionem speciatim sumptam.

§. Unicus. *De Episcopi Jurisdictione circa Dispensationes?* 102

PARS QUARTA,

Caput I. *De Archiepiscopi Jurisdictione.* 108

Caput Unicum. *De mutationibus circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam?* 110

PARS QUINTA,

De Vicario & Officiali, 111.

Caput I. *Quid sit Vicarius & Officialis, quibus aliis nominibus in Jure insigniantur?* ibid.

Caput II. *In quo Canon Vicarium ab Officiali distinguat?* ibid.

Caput III. *A quo tempore prædicta distinctio exprimatur in Canone, an ex quo cœpit, in eo semper duraverit?* ibid.

Caput IV. *Quis possit Vicarius vel Officialis constitui?* 112

Caput V. *A quo possit Vicarius & Officialis constitui? Quibus in casibus constituendus sit, & quomodo?* ibid.

Caput VI. *Quæ, & qualis Vicarii & Officialis Jurisdictio?* 113

Caput VII. *Quamdiù duret Vicarii & Officialis Jurisdictio?* ibid.

Caput VIII. *Quis honor Vicario & Officiali debeatur?* 114

Caput IX. *Quid Officialem & Vicarium posse, aut non posse exprimat Canon?* ibid.

Caput X. *An Vicarium Constituenti Vicarii constituti culpa imputetur?* 115

Caput XI. *An eaqua suprà dicta sunt de Vicario Generali, locum habeant in Vicariis Papæ?* 116

Sectio XXV. *Ubi fusè exponitur Jurisdictio Papæ peculiaris, seu Regulæ de Majoribus Causis è Corpore Juris depromptæ.* Pag. 117

PARS PRIMA.

De Causis Majoribus in genere. 118

PARS SECUNDA,

De Causis Majoribus in specie. ibid.

§. I. *De Judice graviorum Fidei controversiarum.* ibid.
§. II. *Regula de Postulatione ad Dignitates Ecclesiasticas è Corpore Juris Canonici deprompta.* 120
§. IV. *Regulæ ex Corpore Juris Canonici desumptæ circa Episcopatûs abdicationem.* 124
§. V. *De Episcoporum Translatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliоque* Tridentino *desumptæ.* 127
§. VI. *Regulæ de erigendis Episcopis è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *depromptæ.* 133
§. VII. *De Translatione Sedium Episcopalium.* 136
§. VIII. *Regula circa Episcopatuum Uniones & Divisiones, è Corpore Juris Canonici, & ex Concilio* TRIDENTINO *desumpta.* ibid.
§. IX. *De Episcoporum Depositione Regulæ, prout inter causas Majores recensetur, è Corpore Juris Canonici desumptæ.* 138
§. X. *De Coadjutoribus, præsertim Episcopalibus, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumpta.* 143
§. XI. *Expositio Dispensationum Summo Pontifici reservatarum, per Regulas è Corpore Juris Canonici & ex Concil.* TRIDENT. *desumptas.* 147

TITULUS VIII.

De Canonicis, ubi quæcumque illos spectant explicantur: I. Per Decisiones Juris propriis ipsius verbis relatas. II. Per Regulas indè desumptas. III. Per Canones aliundè quàm ex Corpore Juris depromptos. 151

Sectio I. *Quomodo, & qua ætate admittantur.* ibid.
Sectio II. *De Dignitatibus, ut vocant, Ecclesiarum Cathedralium, ad quid instituta sint, cujus ætatis, & quales esse debeant, qui ad illas assumuntur?* ibid.
Sectio III. *Quoscumque qui ad Canonicatum, seu Dignitatem, admittuntur, teneri professionem fidei emittere, ac solita præstare juramenta, aliasque honestas duntaxat consuetudines servare.* 152
Sectio IV. *Canonicatus & Dignitates exigere certos Ordines Sacros, quos statuto tempore semper suscipere tenentur, qui illa obtinent, & quid requirant, ut Canonici vocem habeant in Capitulo.* 152
Sectio V. *Teneri eos, qui Canonicatus, seu Dignitates obtinent, per se implere Officia illis annexa, atque bono ubique exemplo esse.* 153
Sectio VI. *Capitula Cathedralium, seu Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad persolvendum, ac celebrandum Divinum Officium, & qua ratione id præstari debeat?* ibid.
Sectio VII. *Canonicos omnes teneri interesse Divino Officio, & quomodo, & an cantare illud teneantur?* 154
Sectio VIII. *Canonicis, qui intersunt Officio, dandas esse distributiones peculiares, aut aliquid quod illas suppleat, & quo tempore interesse debeant, ut illas lucrentur?* 155
Sectio IX. *Distributiones non solùm negandas esse iis, qui non resident in suis Ecclesiis, sed etiam qui licet resideant, Divino Officio non intersunt.* ibid.
Sectio X. *Quinam percipere possint Distributiones etiamsi Officio non intersint, & quomodo procedi possit contra eos, qui sine causa non intersunt?* ibid.
Sectio XI. *Teneri Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum ad residendum in Ecclesiis suis, ut per se Ministeria Ecclesiastica exerceant, & quanto tempore impunè abesse possint?* 156
Sectio XII. *Quomodo procedi possit contra Canonicos non residentes, & quæ pœnæ in eos decerni debeant?* ibid.
Sectio XIII. *Canonicos, qui absunt propter utilitatem suæ Ecclesiæ, posse percipere fructus Præbendæ suæ, & quot modis sic abesse possint?* 157
Sectio XIV. *Canonicos, qui docent Theologiam, vel illi student in celebri aliqua studiorum Universitate censeri residentes, ac percipere posse fructus Præbendæ suæ.* ibid.
Sectio XV. *Canonicos ægrotantes censeri residentes, ac posse percipere fructus Præbendæ suæ, quacumque ex causa oriatur mala seu mentis, seu corporis, habitudo.* 158
Sectio XVI. *An & quomodo Indulgentiæ ad non residendum concessæ valere possint?* ibid.
Sectio XVII. *Quomodo sufficiendus sit vel minuendus antiquus Canonicorum numerus, cùm Ecclesiæ non suppetunt facultates?* ibid.
Sectio XVIII. *An & quomodo augeri possit Canonicorum numerus in aliqua Ecclesia?* 159
Sectio XIX. *Non posse Canonicos pro lubitu decernere de Præbendarum proventibus.* ibid.
Sectio XX. *Quandonam Canonicis prohibitum sit Capitula celebrare, & quando valeant Constitutiones ab illis factæ?* ibid.
Sectio XXI. *Quomodo Canonici Jure Ordinario corrigi possint ac debeant?* 160
Sectio XXII. *Quomodo Capitulum Ecclesiæ Cathedralis succedat Episcopo in Jurisdictione, & in quibus ejus vices supplere possit, ubi Sedes Episcopalis vacaverit?* ibid.
Sectio XXIII. *An & quomodo Capitulum, Sede vacante, conferre possit Beneficia?* ibid.
Sectio XXIV. *Regulæ de jure optandi, ex Corpore Juris Canonici desumpta.* 161
Sectio XXV. *Quæstiones circa Jus optandi.* 164
Quæstio I. *Quæritur an Præbendæ quæ vacant tempore quo Regalia aperta est, optioni subsint?* ibid.
Quæstio II. *Quæritur II. An Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ minor annis 14. posset petere restitutionem in integrum, si intra tempus præfinitum optare negligeret?* ibid.
Quæstio III. *Quæritur III. An optio locum habeat contra devolutarios, qui Beneficium obtinuerunt, ut vacans, ob incapacitatem Possessoris, quæ antecessit istius provisionem, vel ex nullitate tituli provenientis ex defectu formæ.* ibid.
Quæstio IV. *Quæritur IV. An Præbendæ Theologi vel Præceptoris, vel Pœnitentiarii juri optandi obnoxiæ sint: ipse verò Theologus, Præceptor, Pœnitentiarius, vicissim gaudeant illo jure erga alias Præbendas?* ibid.
Quæstio V. *Quæritur V. An liceat Legato, vel etiam Summo Pontifici derogare Statuto vel Consuetudini optionis jus concedenti.* 165
Quæstio VI. *Quæritur VI. Num referat ad praxim scire si extent Ecclesiæ, in quibus optantes mutent Canonicatum cum Præbenda.* ibid.
Quæstio VII. *Quæritur VII. An optio secum invehat quædam incommoda.* ibid.
Quæstio VIII. *Quæritur VIII. An tempus 20. dierum præfinitum ad optionem* in Cap. 4. De Consuetud. In 6. *respiciat omnes optionis casus?* ibid.
Quæstio IX. *An jus optandi vim habeat contra Graduatos.* ibid.

TITU-

TITULUS IX.

De Dignitatibus Ecclesiarum in particulari. 165

Sectio I. *De Decano.* ibid.
Sectio II. *De Theologo.* 166
Sectio III. *De Pœnitentiario & de Cancellario.* ibid.
Sectio IV. *Quid sit Archidiaconus, & qualis assumi debeat, & quale generatim sit ejus officium?* 167
Sectio V. *An & quomodo Archidiaconus visitare possit Parochias sibi subjectas.* ibid.
Sectio VI. *An & qualis Jurisdictio Archidiaconis competat?* 168
Sectio VII. *An Archidiaconi habeant Jurisdictionem Contentiosam, & quomodo illam aliquando exerceant?* ibid.
Sectio VIII. *De Custodia Ecclesiarum vacantium, quæ aliquando pertinet ad Archidiaconos, & de Investitura eorum, qui iisdem Ecclesiis præficiuntur.* ibid.
Sectio IX. *De Archipresbyteris.* ibid.

Finis Prioris Tractatûs de Ecclesia.

PARS PRIMA, DE ECCLESIA.

Tractatus Posterior, De Canonicis, aliisque Ecclesiam componentibus personis. 169

Regulæ *circà Capitula deprompta è Jure Canonico quemadmodùm observatur in Gallia.* ibid.

TITULUS I.

Undè impositum sit nomen Capituli Corpori Canonicorum, & ipsorum Synodis, & à quo tempore illud factum sit? 170

TITULUS II.

Quænam alia nomina à Jure imponantur Corpori Canonicorum? *ibid.*

TITULUS III.

Quid requiratur ad faciendum Capitulum? Quis possit illud constituere? *ibid.*

TITULUS IV.

De Diversis Capitulorum speciebus, de quibus in Jure mentio fit. 171

TITULUS V.

In quo Capitula Cathedralium conveniant & differant cum aliis Capitulis. *ibid.*

TITULUS VI.

De Juribus Capitulorum. 171

PARS PRIMA,

De Juribus Capitulorum, in qua mentio fit de Juribus Communibus Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, & Ecclesiarum non Cathedralium. *ibid.*

PARS SECUNDA,

De Juribus Capitulorum, in qua mentio fit de Juribus peculiaribus Capitulis Cathedralium. 173

§. I. *Continens Regulas Generales quoad Jura Capitulorum Cathedralium.* ibid.
§. II. *Continens Regulas particulares quoad Jura propria Capitulis Cathedralium.* 174
§. III. *Continens Exceptiones Regulæ quoad Jura propria Capitulorum Cathedralium.* 176
§. IV. *Continens Jura certa Capitulorum Cathedralium dum Sedes vacat.* ibid.
§. V. *Continens necessaria ad intelligentiam eorum, quæ Jura dubia Capitulorum Cathedralium, Sede Vacante, reddunt.* 177
§. VI. *Jura Episcopalia à quibus Capitula expressè excluduntur, Sede Vacante.* 179

PARS TERTIA,

Versans circa Jura membrorum Capitulorum in particulari spectatorum. *ibid.*

§. I. *Quænam sunt membra Capitulorum.* ibid.
§. II. *Continens enumerationem Jurium membrorum Capitulorum.* ibid.
§. III. *Continens conditiones necessarias, ut Canonici, sola Capitulorum membra, fruantur suis Juribus.* 180

TITULUS VII.

De Obligationibus Capitulorum. *ibid.*

§. I. *Obligationes communes omnibus Capitulis.* ibid.
§. II. *Obligationes propriæ Capitulis Cathedralium.* 182
Annotationes *quoad Præceptorem de quo suprà facta est mentio §. I. n. 5. deprompta è Corpore Juris Canonici, & è Concilio* TRIDENTINO. 183
Consequentia colligenda ex his Annotationibus *cum aliquibus Considerationibus hac eadem de re.* ibid.

TITULUS VIII.

Quæ requirantur ad validitatem Actuum Capitularium? 184

Exceptiones Regulæ de iis quæ requiruntur ad validitatem Actuum Capitularium. ibid.

TITULUS IX.

Jura & Obligationes Episcoporum, contenta in Corpore Juris & in Concilio Tridentino, quoad Capitula, de quibus hactenùs actum est. *ibid.*

Appendix ad VIII. & IX. Titulos.

Ubi colliguntur selecti Canones circa Canonicos & Dignitates, aliundè quàm ex Corpore Juris deprompti, quibus supplentur ea, quæ in illo desiderantur. 186

Sectio I. *Nomen, eoque nomine significata peculiaris obligatio.* 187
Sectio II. *Canonicorum Dignitas.* ibid.
Sectio III. *Dignitatibus peculiaria.* 188
Sectio IV. *Quæ sunt requisita in Canonico? scilicet, Ætas, Mores, Scientia, Ordo Sacer, quæ omnia Jure Communi ex Dignitate petuntur.* ibid.
Sectio V. *Quomodo recipiendus?* 190
Sectio VI. *Ad quæ teneatur receptus? eaque sunt* 1. *Facere Fidei Professionem.* 2. *Promoveri ad Ordines.* 3. *Residere.* 4. *Assistere Divinis Officiis.* 5. *Canere.* 6. *Missam celebrare, sive in ea ministrare, aliave munia per hebdomadam obire.* 7. *Capitulis adesse.* 191
Sectio VII. *Præcipui Canones circa Sessionis ordinem inter Canonicos ejusdem vel diversarum Ecclesiarum.* 197
Sectio VIII. *Quæ Episcopi Autoritas in Canonicos quoad illorum capitula convocanda, quoad illos visitandos, illorum Statuta examinanda, approbanda, reformanda duosque assumendos, ut illum in nonnullis negotiis gravis momenti adjuvent.* 198

§. I. *Quoad Capitula convocanda.* 198
§. II. *Quoad visitationem.* ibid.
§. III. *Quoad assumendos duos Canonicos, quibus in negotiis Ecclesiasticis utatur prout iis opus habet, aliosque eligendos, quibusdam casibus à Jure expressis, pro instantibus negotiis, in quibus Capituli consensus vel consilium requiritur.* ibid.
§. IV. *Quoad statuta examinanda, approbanda, reformanda, aliave cum iis quodammodo connexa: Ad rem faciunt* n. 7. 8. & 11. §. *præcedentis.* Hujus autem jus hic est. 199
Sectio IX. *Quæ observantia Canonicorum erga Episcopum?* 200
Sectio X. *Quæ peculiaria sint Canonicis Regularibus tàm quoad animarum curam, quàm quoad alia.* 201

TITULUS X.

De Parochis, sive Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, ubi quidquid ad illos attinet exponitur, tùm per Decisiones Juris, propriis ipsius verbis expressas, tùm per Canones aliundè, quàm ex Corpore Juris desumptos. *ibid.*

Sectio I. *Quid sint Parochi, & quibus nominibus in Jure appellentur, & quale sit generatim illorum Officium?* ibid.
Sectio II. *Quales institui debeant in Ecclesiis Parochialibus, quæ ætas ad id requiratur?* ibid.
Sectio III. *Intra annum teneri Ecclesiarum Parochialium Rectores ad Sacerdotium promoveri, & quomodo annus computetur, & quæ pœnæ decretæ sint, tàm in eos, qui statuto tempore non promoventur, quàm in eos, qui intendunt non promoveri?* 202
Sectio IV. *An & quomodo Parochialium Ecclesiarum Rectores prædicare teneantur, & quæ debeant Plebes sibi commissas docere?* 203
Sectio V. *Teneri Parochos Lege Naturali, Divinâ & Ecclesiasticâ, ad residendum in suis Ecclesiis, & quomodo abesse ab iis possint?* ibid.
Sectio VI. *Quæ pœnæ decretæ sint in Parochos, qui nec prædicant, nec resident in Ecclesiis suis?* ibid.
Sectio VII. *Ob quas causas Parochi legitimè excusentur à residendo in suis Ecclesiis?* 204
Sectio VIII. *Quomodo regenda unaquæque Parochia & quomodo figendi illius limites?* ibid.
Sectio IX. *Rectores debere singulis annis Chrisma petere à suis Episcopis & illud custodire.* ibid.
Sectio X. *Parochialium Ecclesiarum Rectoribus deberi jura Parochialia, & cur debeantur, & quæ illa sint?* 205
Sectio XI. *An & quomodo fiant Parochiani alicujus Ecclesiæ, & an debeant in Parochiis suis Divina audire?* ibid.
Sectio XII. *Quomodo Episcopi providere possint Parochiis, si earum Parochi inepti, vel indigni sint, vel vitam finiant?* ibid.
Sectio XIII. *Quomodo Episcopi providere possint Parochialium Ecclesiarum instaurationi, administrationi, vel dotationi, ac novarum erectioni?* ibid.
Sectio XIV. *Vicarios perpetuos censeri habere Beneficium Ecclesiasticum, & iisdem Legibus teneri ac Parochos.* 206
Sectio XV. *Quid sint Archipresbyteri seu Decani Rurales, & quæ eorum cura esse debeat?* 207
Sectio XVI. *Quæ sit Vicariorum Temporalium Jurisdictio?* ibid.
Sectio XVII. *Quæstiones & Regulæ de Parocho, è Corpore Juris Canonici Concilioque* Tridentino *desumpta.* ibid.
Quæstio I. *An ex Corpore Juris colligi queat, per quatuor priora Ecclesiæ sæcula Parochos extitisse?* 208
Quæstio II. *An iisdem primis sæculis extiterint Parochi, quibus alii subessent, quique olim Plebani, nunc verò Archipresbyteri, vel Decani vocitantur?* 209
Quæstio III. *Quæ peculiaria Plebanis extent in Corpore Juris?* ibid.
Quæstio IV. *An Plebanus sit ex iis, qui delegari possunt à Sede Apostolica?* ibid.
Quæstio V. *An determinatus sit à Jure Incolarum numerus ad constituendam Parochiam?* ibid.
Quæstio VI. *Quæ in Parochiæ erectione servanda sunt?* ibid.
Quæstio VII. *Quæ animi corporisve dotes in Parocho requisita?* 210
Quæstio VIII. *Quæ Parochi Officia sive Obligationes?* ibid.
Quæstio IX. *Quæ Parochi Jura spiritualia & temporalia?* 218
Sect. XVII. *Hodiernum Jus Gallicanum circà Parochos aliosque simile Beneficium habentes.* 221
§. I *Quæ peculiaria Juri Gallicano circà Parochos, Vicariosque simul consideratos?* ibid.
§. II. *Præcepta Juris Communis circa Parochum Ordinationibus Regiis ac Senatus-Consultis confirmata.* 222
Sectio XVIII. *Circa Parochiarum Vicarios, Regulæ è Corpore Juris Canonici, atque ex Concilio* Tridentino *desumpta.* 223
Sectio XIX. *Gallicanum Jus Hodiernum circa Vicarios Parochiarum.* 226
Sectio XX. *Testimonia de Registris Parochialibus circà Baptismum & Matrimonium, Concilio* Tridentino *anteriora.* 227
Sectio XXI. *Kalendæ aliique Curatorum Conventus explicati per Canones juxtà temporis collectos, in quibus illorum antiquitas, autoritas, convocatio, quæ in illis vitanda vel facienda, varius locorum usus, aliave scitu necessaria exponuntur.* 228
Sectio XXII. Quæstio I. *An Parochi Jure præsint Canonicis in propria eorum Ecclesia, sive per Officium, sive extrà Officium?* 230
Quæstio II. *An Parochis, an Canonicis Jus Præsidentiæ attribuitur extrà Ecclesiam?* ibid.
Quæstio III. *Quemnam locum in Choro debent habere Curatus Cathedralium?* 231
Sectio XXIII. *An Monasterium Sæculare factum, & erectum in Ecclesiam Collegiatam Sæcularem, debeat præcedere Ecclesias Parochiales, quæ anteibant illi antequàm Sæculare factum fuerit?* 231
Sectio XXIV. *De Sessionis Ordine in Cœtibus Ecclesiasticis, tùm Sacris, tùm Profanis, Regulæ ex Corpore Juris, Concilioque* Tridentino *desumptæ.* 232

Appendix ad Regulas de Sessionis Ordine, in qua nonnullæ, circa eumdem Ordinem Quæstiones discutiuntur. 235

Quæstio I. *Undè orta sint contraria circa Sessionis Ordinem Consuetudines, & qua ratione utraque approbari possint?* v. gr. *sunt loca, sunt tempora, in quibus Officii, Ordinisve sui qualitate inspectâ inferior Superioris in utroque, vel in alterutro locum tenens, sedem, quam iste haberet, occupat; sunt etiam loca, sunt tempora, in quibus Ordine Officiove inferior numquam præcedit in utroque vel alterutro Superiores, etsi istorum Superiorum vices gerat; uterque autem usus ab Ecclesia probatur: Quomodo ergo fieri potest ut vituperanda non sit Ecclesia, usus contrarios, vel simul, vel successivè probans?* ibid.
Quæstio II. *An ex eo quòd in Superioribus quarumdam Regionum Tribunalibus Episcopi post Præsides sedeant, ostendi possit, illos pari modo in Capitularibus Cœtibus post Præsides Capitulorum sedere debere, si in illis tamquam Canonici adsint?* 236

Quæstio

Quæstio III. *Quæritur an tolerandus sit usus quarumdam Ecclesiarum, quæ, nullâ habitâ cujusque Canonici Ordinis ratione, pro illius receptione prior vel posterior sedet: undè fit quandoque, ut Presbyteros, nedum Diaconi, vel Subdiaconi, vel Accoliti, sed simplices Clerici præcedant?* 236

Quæstio IV. *An posito, quod plures, qui Dignitate in titulum possessâ, alii aliis Superiores sunt in eodem Cœtu, ratione Officii sibi commissi occurrant, alios tunc præcedere debeant, qui Dignitate Superiores sunt?* Verbi gratia, *si sint tres Vicarii Generales, quorum primus sit Præpositus Capituli, alter Archidiaconus, tertius Cantor: Præpositus præcedetne alios Vicarios in Cœtu, cui adsunt omnes Vicarii, & in eodem Cœtu Archidiaconus præcedetne Cantorem?* ibid.

Quæstio V. *An Vicarius Generalis, Ecclesiæ Cathedralis Præpositus, Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ Vicarium Generalem, & in alia Diœcesi Abbatem, præcedere debeat?* 237

Quæstio VI. *An Archidiaconus præcedere debeat Vicarium Generalem?* ibid.

Quæstio VII. *An Abbas Episcopo subjectus Vicarium Generalem præcedere debeat?* ibid.

Quæstio VIII. *An certum sit Jure Divino primam Sedem digniori, ea ratione qua dignior est considerato, deberi in Cœtibus Ecclesiasticis?* 237

Quæstio IX. *Quæritur an Consuetudine introduci possit, ut Senatores quoad majorem partem Laïci in Ecclesiæ ipsius Choro præcedant plerosque illius Canonicos, eaque sit Canonica?* 238

APPENDIX ad Titulum de Parochis è Corpore Juris desumptum, qua desiderati in eo Canones aliundè deprompti exhibentur. *ibid.*

Caput I. *De Nomine.* ibid.

Caput II. *A quo teneat animarum Curam?* ibid.

§. I. *Canones XI. Priorum Sæculorum.* ibid.

§. II. *Continuatio Canonum circa fontem è quo fluit potestas Curatorum quoad animas ab XI. Sæculo ad XVII.* 239

Caput III. *Requisita in Parocho, nempè, Ætas, Scientia, Mores, Ordo Sacerdotalis.* 241

§. I. *De his omnibus permixtim.* ibid.

§. II. *Præcipui Canones circa ætatem ad Parochiales Ecclesias requisitam, quibus patet quantùm Ecclesiæ menti adversetur Collatio illarum minori 25 annis.* 242

Caput IV. *Parochi in Clericos Parochiæ potestas. Ad quæ erga illos teneatur?* 243

Caput V. *Officia Juraque Parochi.* 244

§. I. *Promotio ad Ordinem requisitum.* 245

§. II. *Residentia.* ibid.

§. III. *Missa Parochialis.* 246

§. IV. *Prædicatio, aliave Instructio.* 247

§. V. *Sacramentorum Administratio.* 249

Artic. I. *Peculiares Canones circa Baptismum.* 251

Artic. II. *Canones peculiares circà Confirmationis Sacramentum.* 253

Artic. III. *Canones peculiares circà Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ.* ibid.

Artic. IV. *Canones notabiliores circa Sacramentum Extremæ-Unctionis.* 255

Caput V. *Rei temporariæ ad Parochiam quoquomodo pertinentis usus & administratio.* 256

Caput VI. *Promiscua Jura & Officia, necnon prætermissa circa Argumenta Capitis IV.* 258

TITULUS XI.

De aliis Ecclesiæ Ministris, sive de Clericis. 260

Sectio I. *Undè dicti, & quid sint Clerici, & quid nomine Clericorum in Jure intelligatur?* 260

Continuatio Sectionis I. *Quæ personæ in Jure designentur per voces Clerici, Sacerdotis, Prælati? Quid per Tonsuram conferatur, & quibus conferenda?* ibid.

Sectio II. *Qualis esse debeat Clericorum vita, quis habitus, quæ forma exterior?* 261

Sectio III. *Quæ potissimùm fugere ac vitare Clerici debeant?* 262

Sectio IV. *Quæ pœnæ decreta sint in Clericos, qui, seu vestem congruentem non deferunt, seu aliquid eorum agunt, quæ superiori Sectione Clericis vetita esse relatum est?* ibid.

Sectio V. *An & sub quibus pœnis vetitum sit Clericis usuras & turpia lucra sectari?* 263

Sectio VI. *An & quæ sæcularia negotia vetitum sit Clericis exercere, & sub quibus pœnis?* 264

Sectio VII. *An & quomodo vetitum sit Clericis arma ferre, & sub quibus pœnis?* ibid.

Sectio VIII. *Quæ Officia, quas Artes, exercere Clericis vetitum sit?* 265

Sectio IX. *Quas negotiationes, & quas Artes licitum sit Clericis exercere?* ibid.

Sectio X. *Quæ Privilegia Jure Publico, Communi, Canonico Clericis concessa sint, & quomodo illis conveniant personaliter, an illorum statui?* 266

Sectio XI. *Quid requiratur ut Clerici Privilegiis sui statûs gaudeant?* ibid.

Sectio XII. *A quo corrigi possint ac debeant delinquentes Clerici?* 267

Sectio XIII. *An Clerici, qui Tonsuram, vel Minores Ordines assumpserunt, statum mutare possint, & cogendi sint, statu mutato, deferre Tonsuram & habitum Clericalem?* ibid.

Sectio XIV. *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, hoc est Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, non posse contrahere Matrimonium.* ibid.

Sectio XV. *Quis Canon antiquior, qui diremerit Matrimonium subsequens Ordinem Sacrum, aliique præcipui inter posteriores?* 268

Sectio XVI. *Quas pœnas incurrant Subdiaconi, Diaconi, vel Sacerdotes, qui uxores accipere tentant, & an possint posteà vel ministrare in susceptis Ordinibus, vel ad majores ascendere?* ibid.

Sectio XVII. *Quàm grave crimen sit Clericos concubinas habere? Qui dicendi publici concubinarii? Quis contra eos agere debeat, & quomodo, quæve pœnæ sint in eos decreta?* 269

Sectio XVIII. *Quæ pœnæ decreta sint in Superiores, qui negligunt punire publicos Concubinarios, in concubinas & filios, & quæ pœnæ decreta sint in Clericos Concubinarios Beneficia non obtinentes?* 270

Sectio XIX. *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos continenter & castè vivere debere: & quibus pœnis puniantur ii, qui incidunt in aliquod luxuriæ peccatum?* ibid.

Sectio XX. *Quomodo agendum erga Clericos, qui sive antè, sive post Ordinationem, deprehenduntur in alia quoque gravia crimina prolapsi: & an vitari tum debeant, aut aliquando possit cum iis dispensari, & à quo?* 271

Sectio XXI. *Cum quibus fœminis liceat Clericis habitare, aut quomodo cum eis colloqui, ac conversari debeant?* 272

Sectio XXII. *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos teneri ad recitandas privatim Horas Canonicas, & quomodo?* ibid.

Sectio XXIII. *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, maximè Sacerdotes, non debere sine licentia sui Episcopi, in aliis Ecclesiis ministrare, & nisi certò constet de illorum Ordinatione.* 273

LITERÆ DIMISSORIÆ.

Pars Prima,

Sectio XXIV. *De Dimissoriis ad Ordinum susceptionem.* 274

Pars Secunda,

Sectio XXV. *De Literis Dimissoriis* Exeat *nuncupatis.* 279

Sectio XXVI. *Canones circa Ordinationum praxim extra Corpus Juris vagantes, quibus explicantur ac confirmantur, qui in illo extant, supplenturque ea quæ in illo desunt.* 283

§. I. *Notabiliores Canones Ordinationis tempus proximè spectantes à* CHRISTO *ad nos juxtà antiquitatis Ordinem digesti.* ibid.

§. II. *Ordinandorum Examen ad quos pertinet? Non committendum, nisi in necessitate, & quibus hoc casu, qua diligentia faciendum tàm à Commissario quàm à Committente? Circa quæ versetur idem ante Dimissorias, ac ante Ordines? In illo novi & veteres Canones ferè conveniunt circa dispositiones & obices ad Ordines.* 284

§. III. *Requisita in ordinandis quibuscumque, vel semper vel extra necessitatem. Quæ in necessitate sufficiant? Perpetua & constans Disciplina ferè in omnibus, in paucis varia.* 286

§. IV. *Requisita peculiariter in promovendis ab Ordinibus Minoribus ad Majores. Hujus peculiaritatis causa patebit ex Canonibus colligendis, ostensuris Majores Majora requirere.* 288

§. V. *Canones Ordinationum formam, vel modum proximè præcedentem, vel comitantem, vel subsequentem, respicientes.* 290

§. Ultimus. *Quæ ex collectis Canonibus circa Titulum Clericalem inferenda?* 296

Sectio XXVII. *Peculiares Canones circa Requisita in Episcopo, tàm consecrando quàm consecrato.* 297

TITULUS XII.

De aliis præcipuis Obligationibus Clericorum, tùm omnibus communibus, tùm plerisque, tùm plurimis. *ibid.*

Sectio I. *De Vocatione Divina ad Clericatum, & quibus modis dignosci possit?* ibid.

§. I. *Necessitas Vocationis Divinæ.* ibid.

§. II. *Vocationis indicia. 1. Morum innocentia seu probitas. 2. Recta intentio. 3. Apta in istâ re media.* 298

Sectio II. *Canones circà primam Tonsuram, Clericaturam vulgò vocitatam, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti.* 300

Sectio III. *Præcipui cujusque sæculi Canones circa Tonsuram Clericalem.* 302

Sectio IV. *Notabiliores Canones circà habitum Clericalem à* CHRISTO *ad nos juxtà ordinem temporum collecti, cum Generalibus indè deductis Regulis.* 304

Sectio V. *Notabiliores Canones de Interdicto Clericis cum Mulieribus Consortio, ex purioribus Juris fontibus deprompti, servatoque temporis Ordine à* CHRISTO *ad nos digesti, ac notis necessariis illustrati.* 308

Sectio VI. *Canones congruo ordine digesti circà Concionatores.* 313

§. I. *Quæ in Concionatore requirantur?* ibid.

§. II. *Quis prædicare teneatur?* 314

§. III. *Quis ad prædicandum alios mittere vel committere possit, quique eâ commissione indigeant, qua ratione mittendi?* ibid.

§. IV. *Quæ prædicanda sunt?* 315

§. V. *Quomodo & qua mente prædicandum est?* 316

Sectio VII. *De Divinis Officiis Regula ex Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO, *deprompta.* 317

Sectio VIII. *Regula circà Cantum Ecclesiasticum, è Corpore Juris Canonici deprompta.* 329

Sectio IX. *De Clericorum Residentia Regula è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumpta.* 331

Sectio X. *De Controversiis circa Residentiam.* 342

Quæstio I. *An extra casus sibi nominatim permissos à residendo dispensare valeant Episcopi?* ibid.

Quæstio II. *An Capitulum propria autoritate aliquod ex membris suis à residendo dispensare valeat?* 343

Quæstio III. *An Collegiatæ Ecclesiæ Canonici in Episcopi Comitatu commorantes Præbendarum suarum fructus percipiant?* ibid.

Quæstio IV. *An Sede vacante à residendo valeat dispensare Capitulum Ecclesiæ Cathedralis?* ibid.

Quæstio V. *An non residendi licentia idem sit, ac à residendo Dispensatio?* ibid.

Quæstio VI. *An Consuetudo, quâ Parochi per Vicarios Parochias suas regunt, probanda sit?* ibid.

Quæstio VII. *An Jure* Decretalium *non Residentiæ rei omnibus Beneficiorum suorum fructibus priventur?* 344

Quæstio VIII. *An fructuum privatio qua plectitur non Residentiæ reus, ipso facto incurratur?* ibid.

Quæstio IX. *An ut,* verbi gratiâ, *Canonicus propter Ecclesiæ utilitatem absens, quotidianas distributiones percipere possit, utilior esse debeat quàm ut Præbendæ suæ fructus lucretur?* 345

Quæstio X. *An indultum de non residendo per quinquennium studiorum causâ à Jure concessum solos Canonicos respiciat?* ibid.

Quæstio XI. *An Capellanus ad Residentiam ex fundatione obligatus, ex causa à Jure probata à residendo eximi possit, Patrono Laico inconsulto?* ibid.

Quæstio XII. *An per trimestrem absentiam sibi concessam Canonici distributiones lucrentur?* 346

Quæstio XIII. *An,* verbi gratiâ, *qui anno abesset Canonicus, prædicti trimestris fructus lucraretur?* ibid.

Quæstio XIV. *An Canonicus, qui ratione Officii sui per quatuor menses à Beneficii sui servitio eximitur, præter istos, alios tres, de quibus suprà, alio Jure sibi concessos, habere debeat?* ibid.

Quæstio XV. *An statuto vel Consuetudine introduci possit, ut qui per triginta, vel quadraginta, vel quinquaginta annos Canonici munus obierunt, reliquo vitæ tempore à servitio exempti distributiones lucrentur, etsi Divinis non adsint, atque, ut dici solet, Jubilati fiant? Uno verbo, an Canonicorum qui* Jubilati *dicuntur, Privilegium statuto vel Consuetudine introductum licitum sit?* 347

Sectio XI. *De distributionibus quotidianis Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *deprompta.* 348

Quæstio I. *Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium* TRIDENTINUM *definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini?* 353

Quæstio II. *An æquale sit, seu indifferens, Decreta Conciliorum concipi eorum nomine, vel nomine Præsidentis, expressam mentionem faciendo consensûs Episcoporum, qui cum Præsidente congregati sunt?* 354

Quæstio III. *An post Concilium* TRIDENTINUM *reperiantur Concilia Particularia, quorum Decreta confecta sint sub Archiepiscopi nomine, cum Suffraganeorum consilio, & consensu: & quænam illa sint?* 355

Quæstio IV. *Quamnam utilitatem Gallia respectivè ad Curiam Romanam traxit, nolendo publicare Concilium* TRIDENTINUM? ibid.

Quæstio V. *Momenta precum frequentium Pontificum, ut Concilium* TRIDENTINUM *in Gallia publicaretur.* ibid.

Quæstio VI. *An Principes aliquam partem habuerint in*

in Conciliis Provincialibus post TRIDENTINUM *habitis ad procurandam executionem Decretorum ipsius : & posito quod aliquam habuerint, an indè elici possit aliquid illi Concilio favorabile ?* 356
Sectio XII. *De Festis, Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumptæ. Festa considerabuntur:* I. *in Genere.* II. *in Specie.* 358
De Festis in Genere. ibid.
De Festis in specie. 365
Continuatio Sectionis XII. *De Festis cui adduntur nonnulla cum illis maximè affinia de Sanctorum Canonisatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici Concilioque* TRIDENTINO *deprompta.* 370
Peculiaria *circa Cultum SS. Martyrum ex Canonibus Extravagantibus desumpta.* 372
In festo Martyrum legendi Canones, Collectio Prima, *pro commemoratione Sanctorum Martyrum.* 373
Collectio Secunda, *pro Commemoratione Confessorum Pontificum.* 374
Canones extra Corpus Juris desumpti continentes peculiaria circa Primam. 375
Sectio XIII. *Regulæ de Vigiliis ex Corpore Juris Canonici desumptæ.* ibid.
Sectio XIV. *De Jejuniis Quatuor Temporum, Regulæ ex Corpore Juris Canonici desumpta.* 377
Sectio XV. *Regulæ de Quadragesima è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumpta.* 382
Sectio XVI. *Regulæ circa Jejunia è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumpta.* 390
Sectio XVII. *De Statis cujusvis hebdomadæ Jejuniis, semijejuniisve, Regulæ è Corpore Juris Canonici desumptæ.* 396
De aliis Semijejuniis per annum servatis. 400
Sectio XVIII. *Obligatio Clericorum ad lenitatem, aliæve similes, ubi nonnihil de stabilitate in Diœcesi sua, necnon in statu suo.* ibid.
§. I. *An & quomodo Clericus incurrat Irregularitatem Jus suum coram Judice Sæculari in Malefactores persequendo ?* ibid.
§. II. *An & quomodo Clericus incurrat Irregularitatem exercendo Officium Chirurgorum, vel Medicorum ?* ibid.
§. III. *An & quando incurratur Irregularitas, quando dubium est utrùm homicidium perpetratum sit, & quomodo id judicandum ?* 401
§. IV. *Clericos in Sacris constitutos, qui abjiciunt habitum Clericalem, fieri Apostatas, & quomodo puniendi sint ?* ibid.
Sectio XIX. *Obligationes Clericorum circà Ecclesias, sivè Templa ac Basilicas, & ea quæ ad illas pertinent.* 402

TITULUS XIII.

Tractatus de Religiosis, prout Ecclesiæ Ministris, vel Prælatis, in *Tres Partes* mox explicandas divisus.

PARS PRIMA.

Continens Decisiones Juris propriis ipsius verbis conceptas & methodicè digestas.

De Statu Religiosorum, *quos vulgò appellant* Regulares. 403
Caput I. *De Voto.* ibid.
Sectio I. *Votum non consistere in solo proposito, sed in promissione : quid sit votum simplex, quid solemne ?* ibid.
Sectio II. *An, & quomodo Votum obliget ?* ibid.
Sectio III. *An Virginitas, aut perpetua castitas voveri possint, & quale peccatum sit posteà velle nubere ?* 404
Sectio IV. *Quæ Regula observari debeant ad judicandum de firmitate Voti, illiusque obligatione ?* 404
Sectio V. *Quid agendum cùm Votum adimpleri non potest ?* 405
Sectio VI. *Quibus modis tolli possit Voti obligatio ? Ex colligendis patebit hanc obligationem cessare, Irritatione, Redemptione, Commutatione, Dispensatione.* ibid.
Sectio VII. *Quorum Votorum commutatio, seu Dispensatio, sit soli Sanctæ Sedi Apostolicæ reservata, & quæ pœnæ decreta sint contra aliter agentes.* 406
Sectio VIII. *Quomodo soleat Sedes Apostolica commutare vota sibi reservata, seu super illis dispensare.* 407
Sectio IX. *Quæ sint causæ magis ordinariæ propter quas Sedes Apostolica votorum commutationem injungat.* ibid.
Sectio X. *Episcopos posse commutare alia omnia vota: ac quomodo ?* 408
Sectio XI. *Quomodo Vota antiqua solvi debeant à fidelibus, & quæ ratione à Clericis exigi ?* ibid.
Sectio XII. *Ad quid teneantur qui Religionis Votum emiserant, seu, qui Votum simplex emiserunt suscipiendi habitum Religionis ?* ibid.
Caput II. *De Ingressu in Religionem, ac Professione Religiosa, ipsoque Religionis statu.* 409
Sectio I. *An, & cur necessaria sit probatio, quam vulgò dicunt Novitiatum ad Professionem Religiosam, & quanto tempore fieri debeat ad Professionis validitatem ?* ibid.
Sectio II. *Neminem censeri posse Religiosum sine professione expressâ : quâ ætate fieri debeat, & quomodo ?* 410
Sectio III. *Quandonam Novitii admitti debeant ad Professionem ? Quis illam acceptare possit ?* ibid.
Sectio IV. *Simoniacum est pecuniam exigere, vel ex pacto & conventione propriè dictis, vel pro ipso ingressu in Religionem, recipere, vel sub prætextu simulatæ paupertatis : & quæ pœnæ in Simoniacos hujusmodi sint decreta ?* 411
Sectio V. *Posse Ingredientes Religionem liberè se & sua offerre, & Recipientes quæ spontè oblata sunt liberè recipere, & quo tempore illa donari possint ?* 412
Sectio VI. *An libera ac planè spontanea fieri debeat Professio, & quid si fiat per dolum ?* 412
Sectio VII. *Nullam esse omninò ac planè irritam Professionem Religiosam quæ per vim & metum cadentem in constantes fuit emissa.* ibid.
Sectio VIII. *Quod sit juris remedium cùm Religiosi prætendunt se non fuisse professos : & quandonam audiri debeant ?* 413
Sectio IX. *Quomodo probari debeat Professio à Religioso facta, & ad quid obliget ?* ibid.
Sectio X. *Quid non possint Religiosi per se facere sine licentia Superioris, Canone vel Regula ipsis vetante ?* 444
Sectio XI. *Quam sanctè Regulares in Monasteriis vivere debeant, & à quibus actibus illorum Professio eos arceat ?* ibid.
Sectio XII. *An Regulares possint habere aliquid proprium, & quæ pœnæ decreta sint in eos qui proprium aliquid possident ?* 415
Caput III. *De iis quæ pertinent ad Disciplinam Monasteriorum.* 416
Sectio I. *Qui eligi debeant in Abbates, seu Superiores : & quomodò fieri debeat talis electio ?* ibid.
Sectio II. *Quales esse debeant Superiores, & ad quid se extendat eorum autoritas ?* ibid.
Continuatio Argumenti Sectionis II. *Ecclesiam optare quàm maximè, ut Monasteria nisi Regularibus commit-*

tantur, non verò Sacularibus commendentur, & quas Monasteria commendari nequeant, quæ illorum insignia, vel Ornamenta? ibid.

Sectio III. *Qui debeant in Officiis Monasterii constitui, & quomodo procurentur Monasterii negotia?* 417

Sectio IV. *An, & quomodo provisum sit Monasteriis, ne totius Conventûs bona per aliquos ex Religiosis, aut dentur, aut alienentur?* 418

Sectio V. *In quo potissimùm sita sit Disciplina Religiosorum?* ibid.

Sectio VI. *Quàm severè Disciplina Regularis conservari debeat, & quâ ratione id præstandum sit in Monasteriis quæ Capitulis Generalibus subsunt?* 419

Sectio VII. *Ad Superiores primò pertinere correctionem Monachorum delinquentium: & quâ ratione illa fieri debeat, atque à Monachis sustineri?* ibid.

Sectio VIII. *Quâ ratione providendum sit ut Disciplina Monastica observetur in Monasteriis, quæ nec Generalibus Capitulis, nec Episcopis subsunt?* 420

Sectio IX. *Quomodò Episcopi invigilare debeant Disciplinæ Monasteriorum, quæ illorum Jurisdictioni subsunt, tàm intrà, quàm extra visitationem?* ibid.

Sectio X. *Non licet Religiosis à correctione appellare, nisi Superiores excedant in modo correctionis.* ibid.

Sectio XI. *Quid agendum si vel Religiosi contumaces fuerint, vel si Superiores delinquentium correctionem neglexerint? An incorrigibiles ejici possint?* 421

Sectio XII. *Non licet Religiosis Monasterium suum deserere. Quam pœnam incurrant qui habitum Religionis deserunt, & ad quid cogendi?* ibid.

Sectio XIII. *Quomodo, & quibus in casibus Religiosi licitè possint è suis Monasteriis egredi, ac præcipuè propter studia literarum?* 422

Sectio XIV. *An, & quomodo liceat Religiosis, in una Religione professis, transire ad aliam Religionem? Et maximè, si ex illa Religione in qua indultum ne quis transeat invitis Superioribus, ad arctiorem transeat?* 423

Sectio XV. *Quid agendum, si Religiosus ad aliam Religionem jam transierit, & an translati gaudeant aliquibus Juribus, tàm in Monasteriis è quibus translati sunt, quàm in iis ad quæ transierunt?* 424

Sectio XVI. *Non posse Religiosos unius Ordinis obtinere Administrationes seu Prioratus Monasteriorum alterius Ordinis sine Autoritate Sedis Apostolicæ.* ibid.

Sectio XVII. *Quomodò, & quando Ecclesia Regulares mutari possint in Saculares, & vicissim Sæculares in Regulares?* ibid.

Sectio XVIII. *An & quomodò possint Religiosi ad Ordines promoveri?* 425

Continuatio Argumenti Section. XVII. & XVIII. *Vice versâ Clericos posse Religionis statum amplecti.* ibid.

Sectio XIX. *Quomodo provideri debeat ut Religiosi ad bonas artes ac studia litterarum instituantur: & quas scientias ediscere in publicis studiis ipsis vetitum sit, & sub quibus pœnis? Nonnulla quoque de Monasteriis erigendis.* ibid.

Sectio XX. *Monachos posse Ecclesiasticis Ministeriis deputari: sed non posse illa exercere sine consensu Episcopi, & Abbatis sui.* 427

Sectio XXI. *Quid sit Ordo Religiosus, & quæ Religiones approbatæ, & quomodo Canonici Regulares à cæteris Religiosis differant?* ibid.

Sectio XXII. *An & quomodò possint novæ Religiones institui?* 428

Sectio XXIII. *Quomodo novæ Domus, seu nova Monasteria erigi debeant?* ibid.

Sectio XXIV. *Monasteria semel instituta non posse in alios usus deputari: sed tantùm ex consilio Episcoporum transferri in alium locum.* ibid.

Sectio XXV. *Novitios & Conversos gaudere privilegio Canonis, sicut & alios Religiosos.* 429

Sectio XXVI. *Quid cautum sit circa Beneficia Regularia à Religiosis obtinenda?* ibid.

Sectio XXVII. *An, & quomodò Religiosi ex Beneficiis habere possint peculium, & quâ ratione illo uti?* 430

Sectio XXVIII. *Religiosos qui ad Episcopale fastigium promoventur, non omninò eximi à legibus, quas per votum sibi imposuerunt, licèt ab aliis absolvantur.* ibid.

Sectio XXIX. *An possint Episcopi, etiam in Monasteriis quæ sunt Ordinum Capita, suprà dicto Visitationis Jure uti?* ibid.

Sectio XXX. *Non posse Regulares sine approbatione Episcoporum audire Confessiones Sacularium, nec sine eorumdem Episcoporum jussu absolvere à casibus reservatis autoritate Apostolicâ.* 431

Sectio XXXI. *An, & quæ Monasteria possint possidere bona immobilia? Et quomodo debeant illa administrari?* 432

Sectio XXXII. *Quæ speciatim pertineant ad Abbates?* ibid.

Sectio XXXIII. *Quæ sint Privilegia Abbatum? Et Conciliorum loca, ubi de celebrioribus expressa mentio fit, permixtim citata vel relata, cum nonnullis Decisionibus ex Corpore Juris depromptis.* 433

Caput IV. *De Exemptione tàm Sacularium, quàm Regularium seu Ecclesiarum, seu Personarum.* 435

Sectio I. *Quid sit Exemptio, qui varii illius modi, qui effectus?* ibid.

Sectio II. *Omnes Ecclesias, tùm Sæculares quàm Regulares, Jurisdictioni illius Episcopi esse subjectas in cujus Diœcesi sunt sitæ, nisi probentur exemptæ.* 436

Sectio III. *Quibus in rebus Jus Canonicum concedat vulgò Religiosis Privilegium Exemptionis à Jurisdictione Episcoporum?* 437

Sectio IV. *Ecclesiam tàm Sacularem quàm Regularem per Privilegium & per illud solùm Romani Pontificis probari exemptam.* 437

Sectio V. *Quandonam ex tenore Privilegii judicetur, vel non concedi Exemptionem, vel duntaxat Partialem quoad aliqua?* 438

Continuatio Argumenti Sect. V. *Regula Concilii* Constantiensis *circa Exemptiones à tempore* Gregorii XI. *concessas & in posterum concedendas.* ibid.

Sectio VI. *Qualis esse ut plurimùm debeat tenor Privilegii, ut Ecclesia censeatur exempta?* 439

Sectio VII. *Ad quos extendatur exemptio quæ Ecclesiæ seu Personis conceditur?* ibid.

Sectio VIII. *Quomodò institui debeat processus, cùm Quæstio vertitur inter Ecclesiam, Episcopum & Monasterium super illius exemptionem?* 440

Sectio IX. *Quomodo judicari debeat, tàm in possessorio, quàm in petitorio, in controversia, quæ instituta est inter Episcopum & Monasterium super exemptione?* ibid.

Sectio X. *Quomodo idem judicari debeat quoad Capellas, seu Ecclesias à Monasteriis dependentes?* 441

Sectio XI. *Episcopos & exemptos pacificè in omnibus agere debere, suisque terminis esse contentos?* 442

Sectio

Sectio XII. *Ecclesias per solam præscriptionem non posse probare exemptionem quoad obedientiam, sed tamen quoad aliqua Jura.* 442

Continuatio Argumenti Section. XII. *An, & quomodo ex solutione census judicetur Ecclesiam esse exemptam, & qua sint signa subjectionis Diœcesano Episcopo?* 443

Sectio XIII. *Privilegium exemptionis eo ipso censeri irritum & simoniacum, quòd sub aliqua pensione, seu potius censu fuerit concessum.* ibid.

Sectio XIV. *An, & quæ Jura Episcopalia possint Episcopi à Monasteriis exemptis exigere, vel iisdem de novo imponere?* 444

Sectio XV. *Quibus in casibus generatim à Jure permittatur Episcopis Jurisdictionem exercere in exemptos, tàm Sæculares, quàm Regulares, non obstante sua exemptione?* ibid.

Sectio XVI. *Quamdonam Episcopis Jure concessum sit Jurisdictionem exercere in Religiosos & in Monasteria exempta, puniendo vel visitando?* 445

Sectio XVII. *An, & quomodo licitum sit Religiosis prædicare Verbum Dei?* ibid.

Sectio XVIII. *Quid Episcopis & Archiepiscopis Jure Ordinario concessum sit in locis exemptis? Quomodo illa visitare teneantur, & quid in locis nullius Diœcesis?* 446

Sectio XIX. *Quomodo prædicare possint Regulares in suis vel alienis Ecclesiis?* ibid.

Sectio XX. *Circa licentiam Regularium audiendi Sæcularium Confessiones.* 447

Sectio XXI. *Quid possint Regulares circà reliqua Sacramenta? & de aliis quæ sunt ipsis prohibita.* 448

Sectio XXII. *Ubi primum exemptionis Privilegium non valet, nec illius confirmationis valere posse Privilegia.* ibid.

Sectio XXIII. *Superiores Monasteriorum non posse renunciare Privilegiis Exemptionis, sed Ecclesiam velle illa restringi cùm Ecclesiis nimiùm nocent.* ibid.

Sectio XXIV. *Exemptiones singularibus, seu privatis personis concessas, odiosas esse ac propè sublatas: & quomodò valeant si quæ sint concessa?* 449

Sectio XXV. *Observationes gravis momenti circa exemptiones tàm Regulares, quàm Sæculares.* ibid.

Caput V. *De Monasteriis, quibus animarum cura vel Ecclesiarum Parochalium administratio est annexa.* 450

Sectio I. *Quibus in rebus Episcoporum Jurisdictioni subsint Monasteria, & Regulares quibus incumbit animarum cura? Et quæ Monasteria excipiantur?* ibid.

Sectio II. *Monasteria regulariter non debere Monachos Plebium curæ præficere, sed Clericos debere Episcopis præsentare, eosque debere esse perpetuos.* 451

Sectio III. *Parochis per Religiosos præsentatis debere provideri de congrua eorum sustentatione, illorum reditus non debere imminui, nec eorum Ecclesias novis pensionibus onerari.* ibid.

Sectio IV. *Quomodo Episcopi possint Religiosorum excessus in constituendis Parochiis corrigere, & an possint novas Ecclesias acquirere sine assensu Episcopi?* 452

Sectio Ultima. *Observationes circa hunc Titulum Quintum, in quibus, quæ desunt supplentur, & comparantur Parochi Regulares cum aliis: usùsque Gallicè paucis explicantur.* ibid.

Caput VI. *De iis quæ pertinent speciatim, tàm ad Professionem, quàm ad Disciplinam Monialium.* 453

Sectio I. *Quæ Decreta sint circa Professionem Monialium, & potissimùm ne coactæ, vel invitæ illam emittant?* ibid.

Sectio II. *Quàm immane crimen committatur à Monialibus, quæ post emissam Professionem, Sacrum propositum abjiciunt?* ibid.

Sectio III. *Quæ ad Disciplinam Regularem Monialium pertineant, ac præcipuè circa earum Confessionem.* 454

Sectio IV. *Moniales omnes debere perpetuam servare clausuram, & Episcopos jus habere visitandi ac statuendi quoad illam in quibuscumque Monasteriis: quibus remediis ad id uti possint?* 455

Sectio V. *Nemini licere ingredi intra septa seu clausuram Monialium, nisi ex causa rationabili, ac de Superiorum licentia; & quibus illi hanc licentiam dare possint: & quam pœnam incurrant qui aliter ingrediuntur?* 456

Sectio VI. *An & quando liceat Monialibus egredi extra septa Monasterii, & quas pœnas incurrant quæ legitimè non egrediuntur?* ibid.

Sectio VII. *Quomodò & à quibus visitari debeant Moniales?* 457

Sectio VIII. *Quomodò Præposita, seu Abbatissa, aut Priorissa, & quales eligi debeant in Monasteriis in quibus viget Jus electionis? In quo conveniunt vel differunt Canonicæ Sæculares cum Monialibus Religiosis.* ibid.

Sectio IX. *Quomodò confirmari debeant Monialium Præposita, seu Abbatissæ, & qualis sit illarum potestas?* 458

Sectio X. *Observationes in hunc Titulum, quibus Moniales comparantur cum Monachis, ac discernuntur quæ utrisque communia sunt, ab iis quæ singulis peculiaria, eoque modo suppletur quod huic deesse videtur, aut potiùs nihil deesse ostenditur, præter dicenda circa Conversitas.* ibid.

PARS SECUNDA,

Tractatus de RELIGIOSIS, per Regulas explicandi. 459

Sectio I. *Continens Regulas de Votis in genere consideratis, & primum ad quos pertineat potestas faciendi Leges spectantes ad Vota.* ibid.

Sectio II. *Regula ex Corpore Juris Canonici Concilioque* TRIDENTINO *deprompta.* 460

Sectio III. *De Modis, quibus Voti obligatio cessat, in genere consideratis, & in specie.* 461

Sectio IV. *De his, quæ omnibus & singulis Regularibus communia sunt, vel quibusdam peculiaria.* 464

Sectio V. *Conditiones necessariæ ut quis fiat Religiosus.* 465

Sectio VI. *De remediis præscriptis, aut autoratis à Jure contra Professiones defectuosas: De Ratificatione, Reclamatione, Dispensatione, Pœnitentia.* 470

Sectio VII. *Quando, & quomodo Dispensatio locum habeat in impedimentis spectantibus ad Professionem Religiosam.* 473

Sectio VIII. *Doctrina Canonum concernens Translationes Religiosorum ab una Religione ad aliam, ut sint istius Religiosi.* 474

Sectio IX. *Quæstio incidens ad intelligentiam eorum, quæ dicta sunt in Corollario Textuum collectorum in Sectione præcedenti.* 479

Sectio X. *Translatio coacta Religiosorum in Ordinem austeriorem, ut in eo agant Pœnitentiam. Translatio quoad Prælaturas sive perpetuas, sivè temporales.* ibid.

Sectio XI. *Doctrina Canonum pertinens ad expulsionem Religiosorum incorrigibilium extra Monasteria Ordinis.* 481

Sectio XII. *Quidnam Jus doceat quoad Religiosos, sive fugitivos, sive Apostatas.* 482

Sectio XIII. *Regulæ spectantes ad Superiores Regulares, illorum differentias, promotionem, Jura, nec non & Depositionem.* 484
Sectio XIV. *Promotio ad Superioritates Regulares.* 485
Sectio XV. *Jura Superiorum Regularium in suos inferiores.* 486
Sectio XVI. *Depositio Superiorum Regularium.* ibid.
Sectio XVII. *Particularitates desumptæ è Jure Communi spectantes ad appellationes Religiosorum à Sententiis suorum Judicum Regularium.* 488
Sectio XVIII. *An, in processibus criminalibus contra Superiores Regulares, factis ante Provincialem, aut Generalem, unus aut alter habeant tantùm vocem Decisivam.* 489
Sectio XIX. *Observationes Historicæ quoad Vota deprompta è Corpore Juris.* 490
Observatio I.
Observatio II. *Spectans ad mutationes factas circà Noviciatum.* 491
§. I. *Circa Necessitatem Noviciatûs.* ibid.
§. II. *Circa Habitum.* 492
§. III. *Circa Durationem.* ibid.
§. IV. *Circa Professionem.* 493
§. V. *Circa Materiam Professionis.* ibid.
§. VI. *Circa Formam Professionis.* ibid.
§. VII. *Circa Jus autorandi Professionem.* 494
§. VIII. *Circa Locum.* ibid.
§. IX. *Circa Ætatem.* 495
§. X. *Circa Dispensationem.* ibid.
§. XI. *Circa Reservationem.* ibid.
§. XII. *Circa Reclamationem.* ibid.

PARS TERTIA,

Sectio I. *Regulæ de Abbatum & Abbatissarum Benedictione, ex Corpore Juris Canonici Concilioque Tridentino desumpta.* 496
Sectio II. *De Commendis Perpetuis, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino desumpta.* 499
Quæstio I. *An Beneficium Regulare Clerico Sæculari Commendatum per 40. annos Sæculare fiat?* 502
Quæstio II. *An Abbatia quæ commendari consuevit, comparari queat cum Beneficio Curato in simplex converso, cum erectione Vicariæ perpetuæ.* ibid.
Quæstio III. *An collatio in Commendam postulationi admissæ similis sit.* 503
Quæstio IV. *An Commenda genus sit Concessio Beneficii unius Ordinis, vel Monasterii, facta Religioso alterius Ordinis, vel Monasterii?* ibid.
Quæstio V. *An Beneficium Patronatum commendari possit?* ibid.
Quæstio VI. *An, ex eo quod Prælatorum sibi inferiorum Postulationem admittere posset Episcopus, Cap. 13. de Elect. Cap. 5.* CAUS. *XVIII.* QUÆST *II. inferre liceat similium Prælaturarum Commendas concedere nunc posse.* ibid.
Sectio III. *An Abbates peregrini possint gerere Mitram & Baculum in Ecclesia Immuni sine permissione Ordinarii & jussu.* 508

TITULUS XIV.

De Laicis prout Ecclesiæ Membris vel filiis, ubi non pauca de Ecclesiis in quibus munia nonnulla obeunt. 509

Sectio I. *Regulæ circa Principes è Corpore Juris Canonici desumpta.* ibid.
Sectio II. *De Potestate Principum circà Electiones ad Beneficia, Regulæ sive Observationes ex Corpore Juris desumpta.* 514
Sectio III. *Regulæ de Potestate Parentum in offerendis Filiis impuberibus in vitam vel Clericalem, vel Regularem, è Corpore Juris desumpta.* 516
Sectio IV. *Circa Parentum in vovendis filiis Potestatem dubia nonnulla proponuntur.* 519

TITULUS XV.

Sive Tractatus de Locis Sacris, ubi res Sacræ peraguntur, & potissimùm de Ecclesiis; quarum Immunitas, Constructio, Dotatio, Consecratio, Pollutio, Reconciliatio, Reparatio, Profanatio Juridica explicantur, partim per Collectionem Decisionum Juris, ipsis illius verbis conceptarum, partim per Regulas, Quæstiones & Observationes. 520

PARS PRIOR,

Decisiones Juris verbatim descriptas comprehendens. *ibid.*

Sectio I. *De Immunitate Ecclesiastica libertatis, & exemptione tàm Ecclesiarum, quàm Personarum Ecclesiasticarum ab oneribus Communibus quæ Laicis imponi solent.* ibid.
§. I. *Quo jure Immunitas Ecclesiasticæ libertatis Ecclesiæ competat? In quo consistat? Quàm ægrè ferat Ecclesia Laïcos illam violare, & sub quibus pœnis id vetet?* 521
§. II. *Quo jure, & quæ onera, & sub quibus pœnis vetitum sit Laicis, ab Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis exigere?* ibid.
§. III. *Quibus in casibus licitum sit Episcopis, & Clero, Ecclesiis, & Ecclesiasticis Personis, onera aliqua imponere, & quomodo?* 522
§. IV. *Quandonam Reges Franciæ possint à Clero subsidium petere, etiam inconsulto Romano Pontifice?* ibid.
§. V. *Clericos teneri libertates suas defendere, nullamque vim habere quod fit contra illas.* 523
§. VI. *Quæ sint partes Principum Temporalium ad conservandas, tùm reverentiam Clericis debitam, tùm Ecclesiæ & Clericorum libertates?* ibid.
§. VII. *Non licere in Ecclesiis aut Cœmeteriis judicia, negotia, nundinas, spectacula, ludos exercere; Episcopos, ac Superiores hæc impedire debere; & sub quibus pœnis hæc sint vetita?* ibid.
§. VIII. *Nec licere in Ecclesiis, seu Cœmeteriis colloqui, deambulare, aut quidquam profani miscere, aut reponere, & Episcopos illarum honestati debere invigilare.* 524
§. IX. *Ad Ecclesias conveniri non debere, nisi ad orandum: quomodo id fieri debeat? & an Mulieres, ab earum ingressu aliquando arceri debeant?* ibid.
§. X. *An, & quomodò polluantur Ecclesiæ? quis sit pollutionis illius effectus? & quâ ratione, & à quo debeant ac possint reconciliari?* 525
§. XI. *Quomodò polluatur Cœmeterium junctum Ecclesiæ, vel ab eadem distans, & quomodo reconcilie tur?* ibid.
§. XII. *An, & quandò Ecclesia vel Altaria iterùm consecrari debeant?* 526
§. XIII. *Observationes in totum Titulum de Immunitate Ecclesiastica.* ibid.
Sectio II. *De Ecclesiarum Consecratione.* ibid.
§. I. *Quomodo consecrari debeant Ecclesiæ, & quid agendum, si de illarum Consecratione dubitetur?* ibid.
§. II. *Eos qui Ecclesiam, seu Templum ædificant, teneri ad illam dotandam.* 527

§. III. *A quo, & quando consecrari debeant Ecclesiæ recens constructæ, & à quo gubernari.* ibid.
§. IV. *Quomodo, & à quo Altaria erigi & consecrari debeant, & quis possit tractare Vasa Sacra, & an Ecclesia non consecrata amittat aliquod ex suis Privilegiis.* 528
§. V. *Quàm cautè custodiri debeant quæ sunt in Ecclesia, quàm nitida & munda esse omnia?* ibid.
§. VI. *Eos, qui in Theatris spectacula exhibent, à Communione Ecclesiæ separatos esse; similiter puniendos esse qui spectacula vel jocos Theatrales in Ecclesia faciunt.* 529
§. VII. *Observationes circà Ecclesiarum Consecrationem, de qua agitur in* DIST. I. *de Consecrat. in* TIT. *de Consecratione Ecclesiæ IV.* LIB. III. DECR. *& in Pontificali Romano, Part. 2.* ibid.

PARS POSTERIOR.

Continens Regulas, Quæstiones, Observationes, desumptas ex Jure communiter usitato circà illa quæ pertinent ad Ecclesias, cum applicatione earum plurimis casibus particularibus & quotidianis. 530

Sectio I. *Continens Regulas.* ibid.
§. I. *Constructio.* ibid.
§. II. *Dotatio.* 531
§. III. *Quæ origo, qui ritus, à quo, quo fine, quo tempore fiat, & quid operetur Consecratio Ecclesiarum, quomodo amittatur, & recuperetur, quæ Disciplinæ mutationes circà illam.* ibid.
§. IV. *Reparationes Ecclesiarum.* 533
§. V. *Pollutio & Reconciliatio Ecclesiarum.* 534
§. VI. *Immunitas Ecclesiarum.* 535
Sectio II. *Quæstiones Practicæ & Quotidianæ circa Benedictionem, Consecrationem, Pollutionem, & Reconciliationem Ecclesiarum, resolutæ præsertim à Sacris Canonibus, indèque desumptis suprà Regulis.* 535
Quæstio I. *An Sacri Canones aliquod discrimen ponant inter actionem benedicendi, consecrandi, & dedicandi Ecclesias? An sit in usu aliquod statuere?* 536
Quæstio II. *Quænam sint præcipuæ differentiæ inter Benedictionem, & Dedicationem seu Consecrationem Ecclesiarum?* ibid.
Quæstio III. *An loca Benedicta & Consecrata suam possint amittere Benedictionem aut Consecrationem? An in hoc idem sit de Altaribus ac de Ecclesiis?* ibid.
Quæstio IV. *Estne aliqua Lex edicens aut prohibens Consecrationem Oratoriorum Publicorum?* 537
Quæstio V. *An polluere Ecclesias idem sit ac easdem profanare?* 538
Quæstio VI. *Quod nomen imponatur medio quod adhibetur, ut remedium afferatur Ecclesiarum pollutioni? Quænam sit origo & ratio hujus nominis?* ibid.
Quæstio VII. *An usus Aquæ* GREGORIANÆ *in Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum sit antiquus? A quonam* GREGORIO *nomen duxerit? & an alia effundi aqua nequeat in ejusmodi Ceremonia?* ibid.
Quæstio VIII. *An in Reconciliatione Ecclesiarum eadem Aqua, quæ in earumdem Consecratione, adhibeatur.* 539
Quæstio IX. *An aqua cum qua reconciliantur Ecclesiæ benedictæ, eadem sit, ac illa cum qua Ecclesiæ consecratæ reconciliantur.* ibid.
Quæstio X. *An reconciliare Ecclesias idem sit ac eas iterùm consecrare.* ibid.
Quæstio XI. *An Sacerdotes Missam celebrantes in Ecclesia Polluta, fiant Irregulares.* 540
Quæstio XII. *An Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ possit simplici Presbytero committi.* ibid.
Quæstio XIII. *An Sacerdos deputatus ad reconciliandam Ecclesiam, possit Aquam ad hoc necessariam benedicere.* 541
Quæstio XIV. *An sint sumptus faciendi ad Reconciliationem Locorum pollutorum? quinam debeant illos ferre?* ibid.
Quæstio XV. *Certumne est, ut Profanatio Ecclesiarum actionibus criminosis polluat easdem Ecclesias? notoriam illam esse oportere.* ibid.
Quæstio XVI. *An sufficiat scire Locum esse pollutum, ut quis teneatur Sacerdos abstinere à faciendis in eo Functionibus Sacris?* ibid.
Quæstio XVII. *Cùm Ecclesia polluta reconciliata fuit, estne adhuc necessarium ut illius Consecratio fiat?* 542
Quæstio XVIII. *Si quis celebret in Ecclesia polluta, estne hoc reconciliata modo?* ibid.
Quæstio XIX. *Cùm duæ Ecclesiæ ita junguntur, ut ab una intretur in alteram, transitne pollutio ab una in alteram?* 543
Quæstio XX. *An, in genere Pollutionis & Reconciliationis, sit aliqua differentia gravis momenti Cæmeteria inter & Ecclesias?* ibid.
Quæstio XXI. *Undè fit ut Ecclesia statuerit, Ecclesias habendas esse pollutas, cùm in eisdem quædam admittuntur facinora? sunt ne Leges illæ aptæ & convenientes.* ibid.
Quæstio XXII. *An Pollutio Ecclesiæ per effusionem sanguinis humani sit antiqua? an ad hoc necesse sit ut sanguis in terram effundatur?* 544
Quæstio XXIII. *Cùm insanus aliquem in Ecclesia vulnerat, estne ex hoc polluta?* ibid.
Quæstio XXIV. *An Ecclesiæ, in quibus Catholici Christiani occiduntur Religionis causâ, ex hoc profanentur?* ibid.
Quæstio XXV. *Si quis in Ecclesia stranguletur usque ad deliquium, jacturam rationis, & ad periculum mortis, polluiturne Ecclesia?* 545
Quæstio XXVI. *Debetne reconciliari aliqua Ecclesia cùm plaga in eadem inflicta sanguinem effudit, postquàm vulneratus ab ea egressus est, & reus non est in locis, neque circum eadem?* ibid.
Quæstio XXVII. *An, in genere Pollutionis Ecclesiæ ercata violentia criminosa, distinctio Pollutionis in magnam & parvam fundetur in Canonibus?* 546
Quæstio XXVIII. *An, si fortè* BIDELLUS *aut* HELVETIUS *alicujus Ecclesiæ, volens Populum amovere ut Parochus aut Prædicator, aut aliquis alius similis homo transire possit, percutiat fuste aut hasta sua bipenni caput alicujus, & illum vulneret, ita ut magna sanguinis copia fluat, Ecclesia sit polluta?* ibid.
Quæstio XXIX. *Cùm Rector alicujus Ecclesiæ putans per errorem, illam esse coinquinatam aliqua culpa animi impotentis, in eadem commissa, amovit ab ea Sacrosanctam Eucharistiam, & transmisit in alium locum, quomodo potest honorem suum resarcire, postquàm ab errore revocatus est?* ibid.
Quæstio XXX. *An, posito quòd in Regionibus in quibus Ecclesiæ non potiuntur ampliùs jure azili, ut in Gallia, Rei qui in illis se receperunt, occidantur aut vulnerentur, resistentes Ministris Justitiæ, volentibus eos apprehendere, Ecclesiæ coinquinatæ efficiuntur.* 547
Quæstio XXXI. *Si Sponsus & Sponsa Matrimonio utantur in Loco Benedicto, fitne pollutus?* ibid.
Quæstio XXXII. *An peccatum mollitiæ sit ex illis quibus Ecclesia polluitur?* 548
Quæstio XXXIII. *Canones qui statuunt, ut polluta habeantur Cæmeteria & Ecclesiæ, in quibus corpora Excommunicatorum inhumata fuerint, de quibusnam Excommunicatis debent intelligi?* ibid.
Quæstio XXXIV. *Cùm Ecclesia coinquinatur inhumatione in ea facta Excommunicati delati, aut Infidelis, potestne reconciliari quin priùs ab ea tollatur corpus, quod sic in ea inhumatum est?* 549

Quæstio XXXV. *Si sepeliatur in Terra Sancta peccator publicus, in peccato suo mortuus, aut omnis alter sepulturâ interdictus, polluunturne Ecclesia aut Cæmeterium?* ibid.

Quæstio XXXVI. *Cùm Ecclesia polluitur demolitione alicujus ex hujus muris, post readificationem ejusdem parietis, sufficitne ut illa reconcilietur, an verò benedicenda, aut de novo consecranda?* ibid.

Quæstio XXXVII. *Potestne coinquinari Altare, impollutâ Ecclesiâ?* 550

Quæstio XXXVIII. *Potestne evenire ut Ecclesia polluatur, impolluto Altari?* ibid.

Quæstio XXXIX. *An Altare amittat suam Consecrationem, cùm amovetur à loco in quo fuit consecratum, & posito quod illam perdat, jacturamne facit Ecclesia ejusdem?* ibid.

Quæstio XL. *An Ecclesia cujus tectum mutatum est, & muri tali modo inducti, ut indicia Consecrationis non ampliùs appareant, & quæ prolata productaque est toto Choro, amittat suam Consecrationem? &, posito quod illam perdat, licebitne continuare anniversarium hujus Dedicationis, donec denuò consecretur?* 551

Quæstio XLI. *Si Episcopus declaratus Excommmunicatus Ecclesiam benedicat, aut Cæmeterium, fiuntne ambo polluta hac Benedictione?* 552

Quæstio XLII. *An Prælati Regulares exempti possint ipsi reconciliare, aut aliis Religiosis facultatem dare reconciliandi Ecclesias Regulares sui Ordinis, cùm pollutæ fiunt, postquàm benedictæ solùm fuerint à simplicibus Sacerdotibus?* ibid.

Sectio III. *Quæstiones quoad Profanationem Juridicam Ecclesiarum.* ibid.

Quæstio I. *Quænam rationes exigant, ut Ecclesiæ quædam profanentur?* ibid.

Quæstio II. *Cujus Autoritate fieri debeat Profanatio Juridica Ecclesiarum?* 553

Quæstio III. *Debetne Episcopus per se ipsum facere Profanationem? Potestne illam simplici Sacerdoti committere?* ibid.

Quæstio IV. *Quomodo Ecclesiarum Profanatio facienda sit? Quæstio hæc in duas partes seorsim explicandas dividetur.* ibid.

§. I. *Quid sit agendum ante Profanationem Ecclesiarum?* ibid.

§. II. *Quid sit agendum per Profanationem?* ibid.

Quæstio V. *Quid faciendum sit post Ecclesiarum Profanationem?* 554

Quæstio VI. *Suntne aliqui casus in quibus profanandum sit aliquod Altare sine Ecclesia Profanatione, &, posito quod nonnulli sint, quomodo fiat his in occasionibus Altaris Profanatio?* ibid.

Quæstio VII. *An Ecclesiæ in quibus nulla unquam fuit mortuorum Sepultura, sufficienter polluantur, profanenturque amovendo lapidem Altaris è suo loco?* ibid.

Quæstio VIII. *Profanenturne Altaria portatilia eodem modo quo alia Altaria?* ibid.

TITULUS XVI.

De Xenodochiis & Hospitalibus.

Sectio I. *Xenodochia & Hospitalia omnia ei duntaxat usui esse applicanda ad quem sunt ex sua fundatione instituta, & ad pauperum vel infirmorum utilitatem?* 555

Sectio II. *Clericos non debere ordinariè præfici administrationi Hospitalium, sed Laicos; nullâ mutatione factâ erga Hospitalaria Religiosorum aut Militarium Ordinum.* ibid.

Sectio III. *Hospitalia conservare debere sua Privilegia, ut habeant Altaria, Cæmeteria, Presbyteros, imò & Parochos, si tenere consueverint.* 556

Sectio IV. *Episcopos debere Hospitalium gubernationi invigilare, & ut ad eum usum ad quem sunt instituta, bona eorum applicentur.* ibid.

Sectio V. *Episcopos invigilare debere, ut bona Hospitalium ad pauperum usum applicentur; & quibus pœnis obnoxii sint Administratores, qui bona illa aliter impendunt?* 556

Sect. VI. *Observationes in relatos in hoc Titulo Canones.* ibid.

TITULUS XVII. & Ultim.

De Jure Sepulturæ in Locis Sacris & Religiosis. 557

Sectio I. *Licet Sepultura præcisè nec obsit, nec prosit, Christianos tamen sepeliri oportet, cum Psalmis, & quidem in Locis Sacris, tùm ut Martyrum patrocinio, tum ut Fidelium vivorum Orationibus juventur.* ibid.

Sectio II. *Hæreticis & excommunicatis, qui Ecclesiæ reconciliati ante mortem non fuerint, atque iis qui seipsos voluntariè interfecerint, deneganda est Ecclesiastica sepultura, & si fuisset concessa, exhumanda sunt, si fieri potest, eorum corpora.* 558

Sectio III. *Excommunicati & publici peccatores qui fuerunt reconciliati, & qui casu, non sponte sese interfecerunt, aut qui interfecti reperiuntur, Ecclesiasticâ sepulturâ donari debent.* ibid.

Sectio IV. *Vendere non licet sepulturam, neque aliquid tanquam pretium pro ea exigere; sed ea licet accipere quæ Ecclesia juxta loci cujusque consuetudinem ordinavit.* ibid.

Sect. V. *Liberum esse cuique adulto eligere sibi Sepulturam in quocumque loco, etiam minùs Religioso, modò nihil decernat contra rationabilem consuetudinem.* 559

Sect. VI. *Districtè vetitum est Clericis & Religiosis, ne quos Voto aut Juramento adstringant ad eligendam apud ipsos sepulturam, idque sub pœna Excommunicationis, & si pactum fecerint de aliquibus non sepeliendis, tenere illud debent, & corpora aliaque restituere, si per vim illa rapiant.* 560

Sect. VII. *Si electa non fuerit sepultura, corpora sepeliri debent vel in sepulchris Majorum, vel in Ecclesia Parochiali; si secùs factum fuerit, restituenda, si petantur, corpora & jura funeralia.* ibid.

Sectio VIII. *Etiamsi electa de jure fuerit sepultura, semper tamen Ecclesiæ Parochiali sua jura consueta solvenda sunt, juxta consuetudinem locorum, vel pacta inita.* 561

Sectio IX. *An ex collectis Textibus inferri possit, quod Parochia recens erecta debeatur Quarta Funeraria, in locis ubi Antiquæ eâ non potiuntur?* 562

Sectio X. *An ex eisdem Textibus colligi valeat, quod Episcopus statuere possit, ut Quarta Funeraria solvatur, ubicumque non solvitur?* ibid.

Sect. XI. I. *An sint pœna Ecclesiastica contra violatores sepulchrorum?* II. *In quo consistat tumulorum Violatio?* III. *An illi qui eos aperiunt, ut videant in quo statu sit corpus quorumdam hominum mortuorum in odore sanctitatis, hujus criminis sint rei?* 563



EXPOSITIO JURIS CANONICI, IN SPECIE CONSIDERATI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS, EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PARS PRIMA,

DE ECCLESIA.

TRACTATUS PRIOR,

Complectens varios TITULOS circa illam versantes.

TITULUS UNICUS,

De iis quæ pertinent ad Fidem Catholicam.

PROOEMIUM

E CONCILIO TRIDENTINO desumptum.



ANTE omnia statuit & decernit, præmittendam esse Confessionem Fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes Hæreses in principio actionum suarum apponere consuevere: quo solo aliquando & Infideles ad Fidem traxerunt, Hæreticos expugnarunt, & Fideles confirmarunt. Quare Symbolum Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui Fidem CHRISTI profitentur, necessariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi numquam prævalebunt, exprimendum esse censuit. *Synod.* TRIDENT. SESS. III. DECRET. *De Symbolo.* Quo nos quoque Procemio, similem ob causam, utimur.

SECTIO I.

Quæ de Deo credenda sint.

I. Fides universalis & omnium communis est; non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laïcos, & ad omnes omninò pertinet Christianos. *C.* 4. DIST. XCVI. NICOLAUS I. undè concludit Imperatores adesse posse Conciliis Universalibus in quibus de eâ tractari solet.

II. Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum. *Cap.* 11. DIST. XII. S. AUGUST.

III. Una omnium fides, sicut unus Dominus, unum Baptisma. *Cap.* 1. *De Sum. Trinit.* Unam fidem firmiter & simpliciter confitetur. CLEM. I. *De Sent. Excom.*

IV. Christianæ Religionis est Fides Catholica, credere in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. *Concil.* PARIS. *Tom. VII.* CONC. *p.* 1599.

V. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus Deus, æternus, immensus, incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis; Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omninò. *De Summâ Trinitate. Cap. Firmiter.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 1. *De Scripturis Canonicis.* DIST. IX. *Cap.* 3. *Noli. Cap.* 5. *Ego solis. Cap.* 7. 8. DIST. XIX. *Cap.* 6. *In Canonicis.* DIST. XXXVII. *Cap.* 14. *Relatum.*

VI. Dogmata alia ex Scripturis; alia ex Traditione. DIST. XI. *Cap.* 5.

VII. Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque, absque initio, semper, ac sine fine; Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens; consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni; unum universorum principium; Creator omnium visibilium & invisibilium, Spiritualium & Corporalium. *De Summâ Trinitate.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

VIII. Inseparabilia sunt opera Trinitatis. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 9. *§.* 1.

IX. Hæc Sancta Trinitas, secundùm communem essentiam individua, & secundùm personales proprietates discreta. *De Summâ Trinit.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

X. Credimus & confitemur, quòd una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem: & ideò in Deo solummodò Trinitas est, non Quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura Divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. *De Summâ Trin. Cap. Damnamus. §.* 1. *Nos autem. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 2.

XI. Illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis & unitas in naturâ. *Ibid.*

XII. Licèt alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, sed id quod est Pater est Filius & Spiritus Sanctus; idem omninò, ut secundùm Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. *Ibid.*

XIII. Pater ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxtà quod ipse testatur, *Pater quod dedit mihi majus omnibus est.* Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit, cùm substantia Patris indivisibilis sit, utpotè simplex omninò: sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit illam Filio, quòd non retinuerit ipsam sibi; alioquin desiisset esse substantia: patetque quod sine ulla diminutione, Filius nascendo substantiam Patris accepit, & sic eadem res est Pater & Filius, necnon Spiritus Sanctus ab utroque procedens. *Ibid.*

XIV. Omnes, qui scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, Divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate Divinam insinuent unitatem, ideò quod non sint tres Dii, sed unus Deus; Quamvis Pater Filium genuerit, & ideò Filius non sit qui Pater est; Filiusque à Patre sit genitus, & ideò non sit Pater, qui Filius est; Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantùm Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem. *De Consecrat.* DIST. III. *Cap.* 30. *& ult. Omnes. init.*

XV. Ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur. *Ibid.* S. AUG. *Lib. De Trinit.* Cap. 4. *circ. ann.* 400.

XVI. Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum, pariter & Græcorum, incommutabilis & vera Sententia. *In* 6. *De Summâ Trinit. Cap. unico. init.* LIB. I *Tit.* 1.

XVII. Quamvis in suâ sit substantiâ Spiritus Filii, & intelligatur in persona proprietas, juxtà id quod Spiritus est, & non Filius; attamen ab illo alienus non est: nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas CHRISTUS est; undè & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit. *De Consecrat.* DIST. V. *Cap.* 39. *seu penult. De Spiritu. med. Ex Epistola* CYRILLI *&* ALEXANDRINÆ *Synodi. ann.* 431.

XVIII. Salvator, qui & veritas, ait; *Non enim loquetur à semetipso*: hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio: quia inseparabilis à meâ & Patris est voluntate: Quia non ex se est, sed ex Patre & me est: Hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, à Patre & me ille est. Siquidem Spiritus veritatis est. Spiritus, qui est Spiritus veritatis, & Spiritus sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit; cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est procedens à veritate, Consolator manans de Consolatore, Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens. *De Consecrat.* DIST. V. Cap. 40. *Seu ult.* Salvator. DIDYMUS in LIB. II. *De Spiritu Sancto ann.* 372. *Inter Opera* SANCTI HIERONYMI. Legendus integer, clarior fortiorque apparebit.

SECTIO II.

Quæ de CHRISTO *præcipuè sint credenda.*

I. Unigenitus Dei Filius JESUS CHRISTUS à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritûs Sancti cooperatione conceptus; verus homo factus, ex anima rationali & humanâ carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstravit. *De Summâ Trinit.* Cap. *Firmiter. §.* 2. LIB. I. DECRET. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

II. Non eadem Trinitas nata de Maria Virgine & sub Pontio Pilato crucifixa, & sepulta, tertio die resurrexit, & in Cœlum ascendit, sed tantummodò Filius. *De Consecr.* DIST. III. *Cap.* 30. *& ult. med. Omnes.*

III. Qui, cùm secundùm Divinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est passibilis & mortalis; qui etiam pro salute

lute humani generis in ligno crucis passus & mortuus, descendit ad Inferos, resurrexit è mortuis, & ascendit in Cœlum: sed descendit in animâ, & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque, venturus in fine sæculi judicaturus vivos & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis quàm electis. *De summâ Trinitate, cap. firmiter.* LIB. I. DECR. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 2.

IV. Cùm CHRISTUS perfectus Deus & perfectus sit homo, sub anathemate interdictum est, ne quis audeat dicere Christum non esse aliquid secundum quod homo; quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. *De hæreticis. Cap. cùm Christus.* LIB. V. DECRET. *tit.* 7. *cap.* 7.

V. Fidei Catholicæ fundamento, præter quod (teste Apostolo) nemo potest aliud ponere, firmiter inhærentes, apertè cum Sancta Matre Ecclesiâ confitemur, unigenitum Dei filium in his omnibus, in quibus Deus Pater existit, unâ cum Patre æternaliter subsistentem, partes nostræ naturæ simul unitas (ex quibus ipse in se verus Deus existens fieret verus homo) humanum videlicet corpus passibile, & animam intellectivam seu rationalem ipsum corpus verè per se, & essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suæ hypostasis & personæ. CLEMENTINA *de summâ Trinit.* LIB. I. CLEMENT. *tit.* 1. *cap. unico. init.*

VI. JOANNES Apostolus in Epistola suâ loquitur dicens: „tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, „ Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum „ sunt; „ per hoc intendens ostendere, quod Christus sit verus Deus, &c. *De celebrat. Missarum. cap. in quadam.* §. 2. LIB. III. DECRET. *tit.* 41. *cap.* 8.

VII. In hac assumpta natura ipsum Dei verbum pro omnium operandâ salute, non solùm affigi cruci, & in eâ mori voluit: sed etiam emisso jam Spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ & sanguinis, formaretur unica & immaculata, ac virgo sancta, mater Ecclesia, conjux Christi: sicut de latere primi hominis soporati, Eva sibi in conjugium est formata, ut sic certæ figuræ primi & veteris Adami, qui secundùm Apostolum est forma futuri, in nostro novissimo Adamo, id est Christo, veritas respondere. *De summâ Trinitate, cap. fidei.* LIB. I. CLEMENT. *cap. unico.*

SECTIO III.

Quæ sint de Creatione Angeli & Hominis Cæterorumque præcipuè credenda.

I. Deus summâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex Spiritu & Corpore constitutam. *De summâ Trinit. cap. firmiter.* LIB. I. DECR. *tit.* 1. *cap.* 1. Vide *Concilium* BRACARENSE II. *ann.* 562. *Can.* 5. 6. 7. *&c. de anima humana &c.* TOM. V. CONCIL. *pag.* 838.

II. Diabolus & alii Dæmones à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali, homo verò Diaboli suggestione peccavit. *ibid.*

III. Definitum est ut cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac precludatur universis erroribus aditus, ne subintrent; quod quisquis asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus. CLEMENTINA *unica de summâ Trinit.* §. 2. LIB. I. CLEMENT. *tit.* 1. *cap. unico.*

IV. Doctrina omnis, seu positio temerè asserens, aut vertens in dubium quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ, verè ac per se humani corporis non sit forma, veluti erronea, ac veritati Catholicæ inimica fidei reprobatur. *ibid.* §. 2. *init.*

V. Tam reprobi quàm electi omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundùm opera sua, sive bona fuerint, sive mala; illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. *De summâ Trinit. cap. firmiter.* §. 2. *fin.* LIB. I. DECRET. *tit.* 1. *cap.* 1.

VI. Animalia de suis factis nullam rationem reddituræ sunt, quia rationabilia non sunt; numquid enim *de bobus cura est Deo?* homines verò quia rationales facti sunt, & de se & de omnibus rebus, quas in usum vitæ præsentis accipiunt, rationem reddituri sunt Deo, & pro suorum actuum qualitate recipient, aut pœnam aut gloriam. CAUS. XV. QUÆST. I. *cap.* 3. *fin.* S. FULGENTIUS II. LIB. *de fide ad* PETRUM DIACONUM, *ann.* 510.

VII. Ecclesia nulli claudit gremium redeunti; ideò si qui post abjurationem erroris deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse, etiamsi sine ullâ penitùs audientiâ relinquendi sint judicio seculari, si tamen postmodum pœniteant & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta; nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta pœnitentiæ ac Eucharistiæ deneganda. *In 6. de hæreticis. cap. super eo.* LIB. V. *tit.* 2. *cap.* 4.

VIII. Saluberrimum & spiritualis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, aut cujuslibet Ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad Catholicam fidem, quam amiserant, rursùm reverti ambiunt; priùs errores suos & ipsos Auctores errorum damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut se istibus pravis etiam peremptis, nulla sperandi supersit occasio, ne ullum membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare. CAUS. I. QUÆST. VII. *cap.* 21. *saluberrimum.* Cæterùm huic Titulo inseri possunt Canones incipientes *firmissimè tene* & *nullatenus*, qui habentur. *Can.* 55. CAUS. I. *Q.* 1. *Can.* 3. CAUS. XV. *Q.* 1. *Can.* 3. *De Consecrat.* DIST. IV. *utpote continentes, quæ tamquam certa fide tenenda sunt.*

Idem de Canonibus, qui de Symbolis loquuntur, quia in istis collectæ sunt quæcumque credenda. *Can.* 1. DIST. XV. Meminit Symboli NICÆNI & Symboli CONSTANTINOPOLITANI, quorum priùs contra ARIUM, negantem Filium Patri Consubstantialem; posteriùs contra MACEDONIUM, asserentem quod Spiritus Sanctus non est Consubstantialis Patri & Filio.

FAGNAN. *in cap.* 1. *de summâ Trinitate fusè agit de Symbolis, docetque hoc nomine donari posse quamlibet fidei confessionem, vel professionem, ex eo quod in ea contineantur fidei articuli.* Definitiones fidei conditæ à Conciliis Generalibus accuratè collectæ sunt in observationibus circa illa Concilia. *Tom.* 1. *part.* 1. *hujus expositionis.*

Hic quoque describendum est ratiocinium JOAN. XXII. quo docet quid pertineat ad fidem & quid non, volens enim ad fidem non pertinere CHRISTUM & Apostolos non habuisse, in iis quæ habuerint nisi simplicem usum facti, sic discurrit: " profectò dir
„ rectè hoc ad fidem non pertinet, cùm de hoc arti-
„ culus fidei non sit aliquis, nec sub quo valeat com-
„ prehendi, ut patet in Symbolis in quibus articuli
„ fidei continentur: nec etiam reductè, ac quasi hoc
„ Scriptura Sacra contineat, quo negato, tota
„ Scriptura Sacra redditur dubia, & per consequens
„ articuli fidei, qui habent per Scripturam Sacram
„ probari, redduntur dubii & incerti: „ hoc enim in Scriptura Sacra non poterit, sed contrarium, reperi-

viri. EXTRAVAG. *ultima de verb. signif.* JOAN. XXII. Pro certo habebat Summus Pontifex, pro tempore suo summè doctus quod perquam certissimum est, fide tenendum non esse, cujus contrarium exrat, in sacrâ scripturâ, quod producendum utique est ad traditionem sacram cujus par autoritas, cum sit verbum divinum non scriptum, per manus à Christo ad nos transmissum, & in perpetuum duraturum, quemadmodum facta scriptura est verbum divinum scriptum ab Autoribus à Deo ad hoc specialiter deputatis de qua ne capex, nec iota prætcribit.

TRACTATUS DE ECCLESIA,

TITULUS PRIMUS.

De Ecclesia generatim sumpta, necnon de Ecclesia universali, ubi paucis, multa de ista, atque etiam pracipua.

SECTIO I.

Quid sit Ecclesia ex quibus modis dignosci possit?

I. EEcclesia est Catholicorum Collectio. *De consecr.* DISTINCT. I. *cap.* 8. *Ecclesia. Init.*

II. Est à CHRISTO una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa. CAUS. VII. QUÆST. I. *cap.* 6. NOVATIANUS. *Init.*

III. Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur. *De summa Trinit. cap. firmiter. §. una. Init.* LIB. I. DECRET. *tit.* 1. *cap.* 1.

IV. Una est Regularium & secularium Prælatorum & subditorum exemptorum, & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides, & unum Baptisma. CLEMENTINA, *frequens. de excessibus Prælatorum.* LIB. V. *tit.* 6. *cap. unico. §. verùm. Init.*

V. Sancta Dei Ecclesia, cui, disponente Domino, præsidet Summus Pontifex, unica est, & unum Deum prædicat atque colit, unam fidem firmiter & simpliciter confitetur. CLEMENTINA, *ex frequentib. de sent. excom. Clementinarum* LIB. V. *tit.* 10. *cap.* 1. *§.* 1. *nos igitur. Init.*

VI. Ecclesia Dei corpus Christi est. CAUS. I. QUÆST. I. *cap.* 86. *In Ecclesia. Init.*

VII. Ecclesia CHRISTI uxor & sponsa debet esse, non scorsum. CAUS. II. QUÆST. II. *cap.* 4. *sicut. fin.*

VIII. Super Cathedram Petri fundata est Ecclesia. DIST. XCIII. *cap.* 3. *qui Cathedram.*

IX. Ita Dominus noster J. Christus humani generis salvator instituit, ut veritas quæ anteà legis & Prophetarum præconio continebatur per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sed hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum Officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret: hunc in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari: ut æterni ædificatio Templi mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret, hâc Ecclesiam suam firmitate corroborante, ut illam nec temeritas posset appetere, nec portæ contra illam Inferi prævalerent. DIST. XIX. *cap.* 7. *ita Dominus.*

X. Episcopi omnes Apostolorum successores sunt. DIST. XCIII. *cap.* 24. *Legimus. §.* 1. *S. HIER. Epist.* 85. *ad* EVAGR. *circ. ann.* 388.

XI. Fundamenta militantis Ecclesiæ in montibus Sanctis Propheta rememorans, per montes Apostolos & Prædicatores patenter insinuat, quibus tota hujusmodi ædificii fabrica confidenter innititur; qui firmæ bases Ecclesiæ super fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Jesus, veluti summo angulari lapide solidantur: ut veritas quæ anteà legis & Prophetarum præconio vehebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: „ In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum „. *In 6. de electione. cap. fundamenta. Init.* LIB. I. *tit.* 6. *cap.* 17.

XII. Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum voluit officium pertinere, ut in B. Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus & super hanc petram, &c.* ut æterni Templi structura Deo ædificante constructa, mirabili munere Dei in Petri consisteret firmitate: cui Salvatoris nostri miranda provisio Beatum Paulum in Apostolatu gentium per dexteras societatis adjunxit. *Ibid. in 6. de electione. cap. fundamenta. post Init.* LIB. I. *tit.* 6. *cap.* 17.

XIII. Cùm Ecclesia una sit, cui in Canticis Canticorum dicitur. *Una est columba mea*, nullam aliam esse constat, nisi quæ in Apostolicâ est radice fundata: à quibus ipsam fidem in universo propagatam orbe non potest dubitari. Quod licet notissimum omninò sit Beati tamen AUGUSTINI testimonio comprobatur, in quodam opere suo Præclarissimus Doctor Ecclesiæ ait: „ Si nullo modo rectè dici potest Ecclesia in quâ schisma est, restat ut quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit quam in sedis Apostolicæ per successiones Episcoporum radice constitutam? Nullorum hominum malitia ullomodo valeat extinguere „. CAUS. XXIV. QUÆST. I. *cap.* 33. *pudenda. fin.* PELAGIUS *Papa. ann. circ.* 557.

XIV. Templum Dei, ex lapidibus vivis constructum, est Ecclesia Christi, sunt autem multi in ea, non sicut decet, viventes spiritualiter, sed secundùm carnem militantes, qui & domum orationis de lapidibus vivis constructam faciunt speluncam esse latronum, actibus suis non Ecclesia Dei dignis, sed spelunca latronum. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *cap.* 9. *& hoc dicimus. §.* 2. *nunc autem.*

XV. Fideles Christi hoc modo sunt unum, id est una Ecclesia, propter Catholicæ fidei unitatem, & unum Regnum propter unionem indissolubilis charitatis. *De summâ Trinit. cap. damnamus, ante §.* 1. LIB. I. DECRET. *tit.* 1. *cap.* 2.

XVI. Quod universalis Sanctum Dei Ecclesia unum corpus manifestè esse credatur, ejúsque Caput Christus Apostolicis oraculis approbamus. CONC. VI. PARISIENSE *ann.* 829. *cap.* 2 TOM. VII. CONC. *p.* 1599.

XVII. Corpus Christi Ecclesia est. CAUS. XXIV. QUÆST. I. *cap.* 23.

XVIII. Qui Ecclesiam Contemnunt & Etnici & publicari habentur. CAUS. I. QUÆST. I. *cap.* 70. *med.*

Alla-

Allatam 1. Canone Ecclesiæ definitionem, aliis omnibus præfert, idqne jure fieri ostendit Lannoius. *Epist.* 13. *L.* 8. *ad* Nicol. Gatinæum, ubi hoc argumentum ex proposito examinat.

SECTIO II.

Quibus fundamentis innitatur Ecclesia autoritas.

I. Quidquid in Ecclesia Carholica tenetur, ant autoritas est scripturarum, aut tradirio universalis, aut certè propria & patticularis institutio. Dist. XI. *cap.* 8. *Catholica.*

II. Autorirate tota Ecclesia constringitur; universalis traditione majorum, nihilominus tota. *Ibid.*

III. Privatis Constitutionibus & propriis informationibus unaquæque Ecclesia pro locorum varierate, prout cuique visum est, subsistit & regitur. *Ibid.* Dist. XI. *cap.* 8. *Catholica. fin.*

IV. Palàm est quòd in re dubia ad fidem valeat autoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie & hoc populorum consensione firmatur. *Ibid.* Distinct. XI. *cap* 9. *palàm.*

V. Si quis omnem traditionem Ecclesiasticam scriptam, vel non scriptam violat, anathema sit. Caus. I. Quæst. VII. *cap.* 2. *si quis. Init.*

VI. Dogmatum & institurorum, quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina quæ literis consignata est, alia ex Apostolorum traditione ad nos transmissâ in mysterio recepimus; quæ utraque eamdem vim ad pietatem habent: atque his nemo sanè contradixerit, qui vel exiguâ legum Ecclesiasticarum peritiâ sit præditus. Dist. XI. *cap.* 5. *ex Sancto* Basilio.

VII. Ecclesiasticam juxta versionem novam Doctrinis variis & extrancis, nolite abduci. En instituta Apostolorum & Apostolicorum virorum Canonésque habetis, ut his freti, circumdari, delectati, armari contra cuncta inimicorum jacula persistere valearis. *Ibid.* Dist. XI. *cap.* 3. *nolite errare. Init.*

VIII. Quis nesciat, aut noo advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut autoriratem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum. *Ibid.* Dist. XI. *cap.* 11. *quis nesciat. Inic.* Innoc. I.

Omnis Catholicus securus eam partem detestatur qui Ecclesiam universalem Apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. Caus. XXIV. Quæst. I. *cap.* 34. *schisma.* §. 1. *fin.* Pelagius *Papa. circ. ann.* 557.

IX. Unam quæ Christi corpus est constat esse Ecclesiam, &c. Caus. XXIV. Quæst. I. *cap.* 34.

X. Primitiva Ecclesia in angulari petra à Salvatore nostro in Christo fundata, Apostolorum præconiis elata, Martyrúmque sangoine consecrata & aucta in concordati. Tit. I. *Bullæ* Leon. X. *Init.*

Quid iniquiùs est, quàm impia sapere & sapientioribus doctiotibúsque non credere; sed in hanc insipientiam caduot, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, noo ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas autorirates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideò magistri erroris existunt, quia discipuli veritatis non fuerunt. Caus. XXIV. Quæst. III. *cap.* 30. *quid autem.*

XI. Fundamentum Christianæ Religionis fides est Catholica, hoc est credere in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, &c. *Conc.* VI. Paris. *ann.* 829. *cap.* 1. Tom. VII. Conc. *p.* 1599.

SECTIO III.

Quæ & qualis Ecclesiæ Jurisdictio & quo usque se extendat.

Huc attinet Canones omnes infrà colligendi circà autoritatem Papæ, qui ostendunt illam ad spiritualia restringi, atque solùm respicere quæ directè ad animarum salutem pertinent, cùm Papa sit Caput Ecclesiæ, ejúsque primus Minister; alii Prælati seorsim sumpti nibil possunt quod Papa oon possit.

I. In his casibus, in quibus de Ecclesiis, decimis, & rebus spiritualibus tantùm agitur, tales causæ non ex legum districtioue, sed ex Canonum æquitare finem debitum sortiuntur. *De Juramento calumnia. cap. literas. Init.* Lib. II. Decret. *tit.* 7. *cap.* 2.

II. Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem; non occidit, sed vivificat. Caus. XXXIII. Quæst. II. *cap.* 6. *inter hæc. fin.*

III. Si aliquis pœnas Ecclesiæ contempserit, Regis judicio ad tequisitionem Ecclesiæ puniatur. *De Clerico excom. cap. si quis Presbyter.* §. *fin.* Lib. V. Decret. *tit.* 27. *cap.* 2.

Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. *Conciliam* Tridentinum. Sess. XIV. *cap.* 2. *post. Inic.*

Ecclesia non judicat de occulris, de simoniâ. *Cap. sicut.* §. *ult. illos. fin.* Lib. V. Decret. *tit.* 3. *cap.* 33. *& Conc.* Trid. Sess. XXIV. *de reform. matrim. cap.* 1. *post. Inic.*

SECTIO IV.

An sit in Ecclesia Hierarchia, in quo posita sit? & ejus ratio.

I. Omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. Caus. VII. Quæst. I. *cap.* 41. *in apibus. fin.*

II. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non Hierchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyreris, & Ministris, anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *Canone.* 6.

III. Quamvis singularum Ecclesiarum, quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cùm una sit & unica sponso suo, sicut ipse in Canticis Canticorum dixit, *una est columba mea*, & per Psalmistam *erue de manu Canis unicam meam*: Pastor, & Episcopus, ac Ponrifex, Dominus noster, J. Christus, qui hanc creavit & redemit, extat, ita ille veraciter ac principaliter ista sit omnia, juxta quod fidelibus per primum Apostolum dicitur: „Conversi estis nunc ad „Pastorem & Episcopum animarum vestrarum„: & juxta quod egregius Prædicaror de eo loquens: „Ta„lis, *inquit*, decebat nobis ut esset Pontifex, subi„turus tamen ad Cœlos, hanc Apostolis commenda„vir, ac per eos tanquam hæreditario jure successori„bus eorum quos Pastores & Episcopos, ac Pontifices „super ipsam constituit„. Nicol. I. *Epistola ad Episcopos* Galliæ: *In Concil.* Rom. VII. anni 865. Tom. *VIII.* Concil. *pag.* 797.

IV. Quod si quis omnes Christianos promiscuè Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quàm Ecclesiasticam Hierarchiam confundere; perinde ac si contra Beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *Init. cap.* 4.

V. Præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopi ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinent. *Ibid.*

VI. Ecclesiastica Hierarchia est, ut castrorum acies ordinata. *Ibid.* Primo Capitulo dictum est, cui Ecclesiasticus Ordo pertineat? Quòd Episcopis, & Clericis ordinatis pertinere non dubium est. LEO IV. *Epistola* 2. *cap.* 1 TOM. VIII. CONC. *p.* 31.

VII. JOANNES VIII. *Epistola* 95. TOM. IX. CONC. *p.* 79. ad Episcopos Galliæ de Hierarchia loquens ait: *neque enim universitas, alia potest ratione subsistere, nisi hujusmodi, magnus eam differentia Ordo servarat.*

VIII. Beati Petri Apostoli, disponente Domino, Papa est successor, & ipsius Redemptoris locum in terris tenet. *In* 6. *De homicidio. Cap. pro humani, post init.* LIB. V. *Tit.* 4. *cap.* 1.

IX. Episcopi autoritate Romani Pontificis assumuntur. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *Canone.* 8.

X. Episcopi positi, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei.

XI. Presbyteris Superiores sunt, ac Ministros Ecclesiæ ordinant. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *init. cap* 4.

XII. Si quis dixerit eos, qui nec ab Ecclesiasticâ, & Canonicâ potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliundè veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum Ministros, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *Canone* 7. *fin.*

XIII. In ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, & Magistratus consensus sive vocatio, sive autoritas ita requiritur, ut sine illa irrita sit ordinatio. *Conc.* TRID. SESS. XXIII *init. c.* 4. *post med.*

XIV. Quin potius ii qui tantummodò à populo aut sæculari potestate ac Magistratu vocati, & instituti ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt: omnes non Ecclesiæ Ministri, sed fures & latrones per ostium non ingressi habendi sunt. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *Ibid. cap.* 4. *fin.*

XV. Ad hoc dispensationis Divinæ provisio, gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum: neque enim universitas aliâ poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. DIST. LXXXIX. *cap.* 7. *ad hoc.* BONIFACIUS II. *ad* EULALIUM *circ. ann.* 530. CONC. TOM. IV. *p.* 1684. & GREGOR. I. *Epist.* 52. LIB. IV. *ann.* 595. CONC. TOM. V. *p.* 1206. JOAN. VIII. *Loc. suprà cit. ubique eadem verba.*

SECTIO V.

Esse in Ecclesia Episcopatum ad unitatem, quæ sint illius munia propria, & quomodo in varios titulos distinguatur?

I. Est in Ecclesia Episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. CAUS. VII. QUÆST. I. *cap.* 6. NOVATIANUS. *post init.*

II. Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem. CAUS. VII. QUÆST. I. *cap.* 6. NOVATIANUS §. *ult. fin.*

III Scire debet Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse: & frustrà tibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latentes apud quosdam communicare se credunt; quando Ecclesia Catholica, quæ una est, scissa non sit, neque divisa. *Ibid.* CAUS. VII. QUÆST. I *cap.* 7. *Scire.*

IV. Ad Episcopum pertinet Basilicarum consecratio, unctio Altaris, & confectio Chrismatis. DIST. XXV. *cap.* 1. §. *ad Episcopum.*

V. Episcopi Sacramentum Confirmationis conferunt, Ministros Ecclesiæ ordinant; atque alia pleraque peragere ipsi possunt, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *init cap.* 4. *med.*

VI. Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *Canone* 7.

VII. Ubi primum Ecclesia, juvante Domino, per orbem terrarum lacertos movere cœpit, providè attendens quantùm oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere cogeretur, divino quodam consilio, Parrochias instituit, Diœceses distinxit, Episcopos creavit, & Metropolitanos præfecit, ut tanquam membra capiti obsequentia cuncta, secundùm ejus voluntatem salubriter in Domino gubernarent, & tamquam rivuli perenni fonte Romanâ videlicet Ecclesiâ derivantes, ne Angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitteret. *Concordatorum Bullâ* LEONIS X. *init.*

VIII. Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis. DIST. XXI. *cap.* 1. *Cleros.* §. 1. *ordo. init.*

IX Omnes designati Ordines, uno, eodémque vocabulo Episcopi nominantur; sed ideo privato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum quam singulariter acceperunt. *Ibid.* §. 5.

X. Post Romanam Ecclesiam (quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum) Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtinent. *De privilegiis. Cap. antiqua. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. *cap.* 23.

XI. Episcopi universique Sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorúmque operum actionem constituuntur. *Conc.* EUGENII II. *ann.* 526. *cap.* 19. TOM. VIII. CONC. *p.* 109. INNOCENTIUS II. *Epistola* 6. 8. TOM. X. CONC. *p.* 949. &c. subditi Prælatos suos honorare debent, aliàs unitulis status omninò nutabit, ad quem Eclesiastica doctrina ob majorem firmitatem, diligenti consideratione, omnia in se ordinando reduxit. Archiepiscopi nunc dicuntur Patriarchæ, vel Primates. Metropolitani dicuntur etiam nunc Archiepiscopi.

SECTIO VI.

Episcopos institui tantùm debere in primariis ac præcipuis civitatibus, nec duos in eadem civitate,

I. Episcopi non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui. DIST. LXXX. *Cap.* 3. *Episcopi.* ANACLETUS *Epist.* 1. *cap.* 2.

II. Episcopus non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen Episcopi, sed ad honorabilem urbem titulandus, & nominandus est. *Ibid.* vide *Tit.* 5. *sect.* 3.

III. Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur, cùm ubi minores sunt plebes minoresque Conventus, Presbyterorum cura sufficiat. DISTINCT. LXXXI. *Cap.* 4. *illud. in init.* vide cætera *ibid.* & *Commentarium* GONZALIS. ubi dicit *se illum textum descripsisse* ex LEONE I. *in Epistola aliàs* 87. *quæ nunc* 1. CONC. LAODIC. *cap.* 17. *primus illius fons esse videtur, hæc enim habet.* „ Quod non oporteat in villu„lis vel agris Episcopos constitui „.

IV. Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter, quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen, & autoritas Episcopi, non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerint, aut si qua talis, aut tam populosa est civitas, quæ mereatur habere Episcopum. *Concil.* SARDIC. *Can.* 6. *vers. diem.*

Vide

Vide CONCIL. TOLET. XII. *ann.* 681. *cap.* 4. TOM. VI. CONC. *p.* 1228. *ubi colliguntur Canones hanc institu-ionem vetantes, quorum nonnulli supra omissi sunt.*

Vide etiam *epitomem veteris Juris Canonici L.* 4. *Tit.* 22 *ubi quoque alii hac de re referuntur Canones quàm qui hîc collecti sunt.*

Tit. sequenti 23. idem Autor colligit septem Canooes, qui docent noum tantùm in una civitate Episcopum esse debere: 1. est *Can.* 8. *Concil. I.* NICÆNI, qui providet ne in eadem civitate duo essent Episcopi Catholici; 2. est *cap.* 14. *de Off. Jud. Ord.* io quo *Conc. IV.* LATERAN. oe sint duo Episcopi in locis ubi suot Græci & Latini cum licentia suos ritus sequendi præcipit, ut ab Episcopo illorum præficiantur Vicarii in pontificalibus, pro diversarum gentium necessitate; 3. eruitur est falso CLEM. *Epist.* ad JACOBUM Apost. 4. & 5. ex HILARIO; 6. ex Decretis PASCH. II. qui id prohiberi dicit, ne fiat schisma. 7. desumitur ex *Concil.* CABILLON. *ann.* 650. *Can.* 4. TOM. VI. CONC. *pag.* 389. *ut duo in una civitate penitùs uno tempore nec ordinentur, nec habeantur Episcopi, ne res Ecclesiæ sæva divisione debeant partiri.*

SECTIO VII.

De regimine Ecclesiæ: an sit Monarchicum, an Aristocraticum, & quale esse debeat. id est, an jure an aut autoritate Canone motu proprio gubernandum?

De formâ vel genere regiminis Ecclesiastici dictum est in TOM. I. *parte* 1. *pag.* 111. 112. *ac in Differt. de Synod.* DIOECES. *nec non in notis circa Concilia generalia V.* LAUNOIUM TOM. V. *ubi fusè de hac re*, ac inter alia *Epist.* 5. *c.* 2. ubi luculentis testimoniis à Christo ad Concilium Tridentinum, probat Ecclesiam esse potestatis Ecclesiasticæ subjectam immediatam, idque ad confirmationem articuli cujusdam Facultatis PARISIENSIS id expressè docentis, de usu potestatis regendi dictum infrà *tit.* 6. SESS. II. Vide LAUNOIUM TOM. V. *part.* 2. *pag.* 538. 663. *aliis locis ubi de industria hoc argumentum discutit. Epist.* 3. *L.* 5. *ad* RULLANDUM, ubi laudat refértque LXII. testimonia Pontificum, qui docent Ecclesiam ab ipsis regendam Canone, non voluntate: his adde quæ TOM. I. *prima parte dicta sunt de potestate Papæ circa Canones, dum discuterentur objecta contra* TRIDENTINA *Decreta, præsertim ult.* SESS. XXV. ubi ostensum nihil posse in illos, nisi vel urgens Ecclesiæ necessitas, vel evidens illius utilitas exposcat, ut vel mutentur vel relaxentur: adductúmque in probationem, *cap.* 18. *ejusdem* SESSIONIS, ubi posito hoc eximio effato: sicut publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat, sic frequentiùs legem solvere, exemplóque potiùs quàm certo personarum rerúmque delectu, petentibus indulgere; nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, *subdit concluditque:* quapropter sciant universi sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens, justáque, & major, quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinet, erit præstandum, alitérque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Verba generalia: *ab omnibus, indistinctè, à quibuscumque*, maximè notanda, non enim sinunt quemquam à majoribus Prælatis ab hoc decreto excipere, eóque magis quòd ad mores pertinere videntur, io quibus, aliis exemplo esse debeant.

Idem Decretum favet decisioni prioris partis hujus sectionis; nam si quilibet Prælatus, quantuscumque sit, Ecclesiæ Canonibus subsit, illiúsque autoritatem in his agnoscere debeat, consequens esse videtur ut illam, juxta Decreta *Conciliorum* CONSTANTIENSIS & BASILEENSIS, sibi superiorem existimet indicétque.

SECTIO VIII.

Quid ex forma regiminis suprà probata consequatur.

Hic revocandum in memoriam quæ dicta sunt in observationibus circa *Concilium* CONSTANTIENSE & BASILEENSE: nempe 1. illa declarasse regimen Ecclesiæ esse Aristocraticum, decernendo, definiendóque Summum Pontificem subesse Conciliis Generalibus Ecclesiam repræsentantibus, tenerique illis obedire, decretáque eorum circa fidem, schisma, & reformationem generalem in capite & in membris servare: 2. has definitiones approbatas à MARTINO V. & ab EUGENIO VI. eóque modo pronunciasse ritè factas Legisque vim habere quoad omnes in illis comprehensos: hujusmodi observationes habes in Prologomenis priori parte.

Hinc paret quod ex forma regiminis suprà probata consequatur, Ecclesiam universalem esse supremum tribunal, ipsique factas promissiones inerrantiæ & indefectibilitatis, Pontificem Summum errori obnoxium esse; ab isto ad Concilium bujusmodi Ecclesiam repræsentans appellari posse; has consequentias elici ex Scripturâ Sacrâ atque ex traditione, quæ sunt fundamenta, quibus illa innititur, ut ostensum est sectione II. hujus rituli, alioquin prædictas definitiones certas non esse, etsi à prædictis Summis Pontificibus approbatæ fuerint, quod nulli Catholico asserere licitum est.

His non obstant textus docentes quòd Ecclesia Romana sit Mater & Magistra omnium Ecclesiarum; intelligendi enim sunt de Ecclesiis seorsim sumptis, non de iisdem conjunctim consideratis, quæ sunt Ecclesia universalis ex omnibus coalescens; cùm Ecclesia Romana istius Ecclesiæ Mater & Magistra esse nequeat, cùm utpote sit tantùm illius pars præcipua. Textus laudatos collectos lege *Tit.* 2. *Sect.* 1. Nec etiam obstant textus asserentes quod pro hæreticis habendi sint quicumque aliter sentiunt, & prædicant, quam Ecclesia Romana doceat & prædicet. Hujus generis est cap. 9. *de haret,* siquidem loquuntur de Ecclesia Catholica, cujus Ecclesia Romana est caput; ideóque ut à cæteris societatibus Christianis distinguatur, Romana nuncupari solet, hi ergo textus interpretandi per alios, qui dum sermonem faciunt de Ecclesia, quæ est verè Magistra aliarum, illam vocant simpliciter Catholicam vel Universalem, *cap.* 1. *de summâ Trinit. & fide Catholicâ*. cujus hæc sunt verba: " una est „ fidelium Universalis Ecclesia, extra quam nullus omnò salvatur „: Vel Matrem Ecclesiam, ut *Concilium* TRIDENT. *in Decreto de editione & usu sacrorum librorum*, ubi docet non interpretandam Scripturam Sacram contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, SESS. IV. vel absolutè Ecclesiam, idem *Concilium* in procemio de peccato originali, ubi hæc habet: " ipsius Ecclesiæ judicium & „ consensum secuta hæc de peccato originali statuit, „ fatetur & declarat „. Similia exempla habes in eod. Concilio, ubicumque loquitur de doctrinâ quam sequitur in definitionibus suis; declarat enim se illam sectari quam Ecclesiæ Catholicæ traditio universalis docuit & docet, denique si quando Ecclesiam Romanam ab aliis Ecclesiis distinguit quoad decreta sua, hoc nunquam præstat, nisi quoad ea quæ disciplinam spectant, insinuans in aliis nullam dari exceptionem quoad illarum observationem. Qui plura volet hac de re, adeat LAUNOIUM laudatis locis *in Sect.* VII. nec non *Epist.* 1. 2. 678. L. 5. ubi illam fusimè & solidè admodum tractat.

TITULUS II.

De Ecclesia speciatim sumpta & I. de Ecclesia Romana seu Sede Apostolica.

SECTIO I.

Ecclesiam Romanam fundatam esse ab Apostolis Petro & Paulo, illámque esse omnium Ecclesiarum Matrem ac Caput ex institutione Christi.

I. PRo humani redemptione generis, de summis Cœlorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Jesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem, absque Pastore desereret ipsius curam Beato Petro Apostolo commisit. *In 6. de homicidio. cap. pro humani.* LIB. V. *tit. 4. cap. 1. init.*

II. Per gloriosos Principes Petrum & Paulum Evangelium Christi Romæ resplenduit, & per eos Ecclesia Religionis sumpsit exordium, qui facti Christiani populi per Evangelium genitores, gregis Dominici Pastores, fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ, præ cæteris Apostolis peculiari quâdam prærogativâ in ipso Salvatore fidei virtute præcellunr, quorum uni, scilicet Apostolorum Principi, sicut bono Dispensatori, claves Regni Cœlorum commisit; alteri tanquam idoneo Doctori, Magisterium Ecclesiasticæ cruditionis injunxit. EXTRAVAG. *unigenitus. De pœnitentiis.* EXTRAVAG. *communium.* LIB. V. *tit. 9. de pœnitentiis. Cap. 2.* post *init.*

III. Isti sunt Petrus & Paulus per quos Evangelium Romæ resplenduit: isti sunt ejus Patres, verique Pastores: isti sunt qui unâ die pro merito, uno loco pro gloria, urbem ipsam glorioso cruore Martyrii Christo Domino consecrarunt: isti sunt qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & regia, per sacram Beati Petri sedem caput totius orbis effecta. *In 6. de electione. cap. fundamenta. ante* §. 1. LIB. I. *tit. 6. cap. 17.*

IV. Apud Sedem Apostolicam Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. *De consecratione* DIST. I. *cap. 6. Basilicas. §. cum enim. fin.*

Sicut Beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc sancta Romana Ecclesia suo nomine consecrata (Domino instituente) prima & caput est cæterarum. CAUS. III. QUÆST. VI. *cap. 9. dudum. med.* JULIUS I. *Epist. ad Orient. quæ ex his esse videtur quæ sunt supposititiæ. prænot. Can.* LIB. II. *cap. 27. n. 2.*

V. Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum caput est. CAUS. II. QUÆST. I. *cap. 7. Imprimis. §. 6. contro* S. GREG.

VI. Romana Ecclesia, disponente Domino, cunctorum fidelium Mater est & Magistra. *De summâ Trinit, cap. damnamus.* §. *penult. fin.* LIB. I. DECR. *tit, 1. cap. 1.*

VII. Capitula HADRIANI *ann. 789. cap. 3.* TOM. VI. CONC. *pag. 1831.* loquitur de primatu Papæ ejúsque prærogativis, sumptus videtur ex falsis Decretal. notæ ANT. AUG. circa illud insinuant.

VIII. CONCIL. PONTIGON. *ann. 876. cap. 1.* TOM. IX. CONCIL. *pag. 585.* hæc habet: „ ut Sancta „ Romana Ecclesia sicut est Caput omnium Ecclesia„ rum, ita ab omnibus honoretur, pro universali Ec„ clesia exhibere curam, atque sacris precibus omni„ um pro omnibus interpellare auctorem „.

IX. DISTINCT. XXI. *cap. 3.* S. GELAS. Sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis est prælata, sed Evangelica voce obtinuit primatum: *Tu es Petrus, &c.*

X. Non duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum tanquam capita tenerent æqualia, sed unum constituit, ut Verticem, ac Ducem & Pastorem universi gregis Simonem Petrum, dicens: *Tu es* PETRUS, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlo; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlo: & pasce oves meas*, quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur nisi Petro, ut in Petro unitas & summa contineretur auctoritas: nec alius à petra dictus est Petrus, nisi Simon, intelligeremus. Unicum esse veræ & solidæ petræ, id est Christi, ut Paulus exponit locum tenentem Simonem Petrum. PIUS II. *Bulla 10.* §. *3. in minoribus. §. 3. ann. 1463. Bullarii* TOM. I. *p. 377. Edit. ann. 1727.*

XI. Apostolica Sedes, Deo Autore, cunctis Prælata constat Ecclesiis; tanto inter multiplices curas, & illa nos valdè solicitat, ubi ad consecrandum Antistitem nostrum exspectatur arbitrium. DIST. LXIII. *cap. 10. quantò. init.* S. GREG. loquitur de Ecclesia MEDIOLANENSI speciali nomine sedi suæ subjecta, attamen vult Episcopum consecrari ab Episcopis Provinciæ, quia talis erat mos.

XII. Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem: dum illi quicquid fidelium est ubique, submittitur, dum totius corporis caput esse designatur. CAUS. IX. QUÆST. III. *cap. 14. aliorum. fin.* SYMMACHUS *Papa ann. 503. in* LIB. ENNODII.

XIII. Romanæ Ecclesiæ primatus Christi munere in B. Petro est collocatus. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap. 30. fin.* Correct. Rom. mouent Epistolam ex qua hoc caput laudatur non extare, sed aliquid simile reperiri in 1. *Epist.* NICOLAI ad MICHAELEM *Imperat.*

XIV. Romana Ecclesia usitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur. *De elect. cap. scriptum. in init.* LIB. I. DECR. *tit. 6. cap. 40.*

XV. Romana Ecclesia, quæ Magistra est omnium Ecclesiarum. DIST. XXI. *cap. 6 denique. med.* NICOLAUS I. *Epistola ad* MICHAELEM *Imperatorem. an. 865.*

XVI. Non quælibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est Cœlum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam, illius certè privilegio fungitur, illius autoritate fulcitur. DIST. XXII. *Cap. 1. omnes.* NICOL. II.

XVII. Romana Mater Ecclesia, disponente Domino, Ecclesiarum, & Monasteriorum Caput fore dignoscitur & Magistra. EXTRAVAG. CLEMENTIS V. *ex superna. inter communes. §. 1. fin. de præbendis.* LIB. III. EXTRAVAG. *communium tit. 2. cap. 2.*

XVIII. Sedes Apostolica Caput omnium Ecclesiarum & Rom. Pontifex Judex ordinarius singulorum existit. *De Elect. cap. cum nobis in int. post med.* LIB. I. DECR. *tit. 6. cap. 19.*

Sedes Apostolica Caput est omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpsere originem, primatum enim non Synodalib. &c.

XIX. Ecclesia Romana inter alias, Domino disponente, meruit obtinere principatum. *De Officio & potestate Jud. deleg. cap. consultationibus. juxta collationem* GONZALIS. *init.* LIB. I. DECR. *tit. 29. cap. 10.*

Est Romana Ecclesia Caput & Magistra omnium Ecclesiarum, disponente Domino, constituta. *De appell. cap. cum sit Romana. in int. init.* LIB. II. DECRET. *tit. 28. cap. 5.*

XX. Ecclesia Romana aliarum omnium Mater est, & Magistra. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De institutione Sacramenti Extremæ Unctionis. Cap. 3. fin.*

Romana Ecclesia, disponente Domino, Mater est universorum Christi fidelium & Magistra. *De Privilegiis. cap. antiqua. init.* LIB. V. DECR. *tit. 33. cap. 23.*

XXI. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum disponente Domino Caput est & Magistra. *In 6. de pœnis, cap. felicis recordationis. §. ult. si quis verò. post init* LIB. V. *tit. 9. cap 5.*

XXII. Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum Mater est ead. & Magistra. *De foro competenti. cap. ult. licet. §. quia.* LIB. II. DECRET. *tit. 2. cap. 20.*

XXIII.

XXIII. Quis nescit illum Apostolatûs principatum, cuilibet Episcopatui præferendum? Caus. II. Quæst. VII. cap. 35. puto quod. med. S. Augus. Distat Cathedrarum gratia. Ibid. fin.

XXIV. Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super se Metropolitanum habere non potest. Dist. XXIII. cap. 1. *In nomine Domini.* §. 3. med. Nicol. II.

XXV. Nulli dubium est, quòd Apostolica Ecclesia, Mater est omnium Ecclesiarum. Dist. XII. cap. 1. *non decet. init. pseudo* Callixt. I.

XXVI. Romana Ecclesia, inter alias, Domino disponente, meruit habere principatum. *De off. jud. deleg. Cap. consultationibus. in int. Init.* Lib. I. Decret. *Tit.* 29. *cap.* 10.

XXVII. Apostolicæ Sedis Dominus, in B. Petro universarum Ecclesiarum, & cunctorum Christi Fidelium Magisterium contulit, & primatum. *De conceff. preb. Cap. quia diversitatem. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. *cap.* 5. Cujus ratio ne plenitudo Ecclesiasticæ jurisdictionis, in plures dispensata vilesceret, sed in uno potius collata vigeret. *Ibid.*

XXVIII. *Epistola* 2. Vigilii. *ann.* 538. *cap.* 7. Tom. V. Conc. *p.* 313. ubi plura de primatu & de prærogativis Ecclesiæ Romanæ, sunt quædam in illo quæ subdolent manum pseudo Isidori, ut pluries data ocasione notatum est, sed privatui non officiunt.

XXIX. Vicario B. Petri Apostolico dedit Deus primatum in omni orbe terrarum.

XXX. *Conc.* Paris. *ann.* 849. *dictum antea* Turonense IV. *in Epistola ad* Nomenoium, *Britannicæ gentis Ducem.* Tom. VIII. Conc. *p.* 59. ubi arguens illum devarus dixit ei: „Ad cumulum malorum, omnem læ„ fisti Christianorum dum Vicarium B. Petri Apos„ toli eum, cui dedit Deus primatum in omni orbe „ terrarum, sprevisti „.

XXXI. Privilegia Romanæ Ecclesiæ totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ Catholicæ, Petri arma contra omnes impetus pravitatum, & munimenta atque documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorsus, qui in sublimitate consistunt &c. Nicol. I. *Epistola* 39. Tom. VIII. Conc. *p.* 411.

XXXII. *L. D. Epistola* 52. *Ibid. pag.* 417. ubi contra spernentes Papæ judicium, ait quod Ecclesia Romana, Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum Principum agone, Domino consecrata est.

XXXIII. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegia, quæ in firma Petri stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus angustantur, nullis Regnorum partitionibus præjudicantur. Caus. XVI. Quæst. III. *cap.* 17. *nemo.* vide Distinct. XL. *cap.* 1. ubi Simmacus loquens de Petro ait: *ille perennem meritorum dotem cum successionis hereditate. misit ad posteros.*

XXXIV. Sacrosancta Romana Ecclesia, cujus Caput est Christus, Redemptor noster, ac Romanus Pontifex ejusdem redemptionis Vicarius. Clementina I. *De jurejurando. init.* Lib. II. Clement. *Tit.* 9. *cap.* 1. Vide *Epistolam* Lotharii *Imperat. ad* Leonem IV. *init.* Tom. VIII. Conc. *p.* 32.

Collecti Canones spectant Ecclesiam Romanam comparatam cum singulis aliis seorsim sumptis, & plerique ab illa conditi, iisdemque fere verbis de priori actum, dum de Conciliis *Generalibus* in I. Tom. posterius fusè tractatur ab iis, qui Controversistæ vocari solent.

SECTIO II.

Episcopum Ecclesiæ Romanæ, sive summum Pontificem ac Papam, Petri successorem esse, & Vicarium Dei, B. Petri Principis Apostolorum vice, & quibus insignis utatur.

I. Beati Petri Principis Apostolorum vice Ecclesiæ Romanæ Papa præsidet. Caus. XVIII. Quæst. II. *cap.* 5. *quam sit.* §. 1. *interdicimus. init.*

II. Super Cathedram præeminentiæ pastoralis, divinâ disponente clementiâ, constitutus est Romanus Pontifex. Clementina *dudum de sepulturis ex decretali* Bonifacii VIII. *hic relata. init.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 7. *cap.* 2.

III. Papa illius, qui veritas noscitur vicem tenet in terris. *Extravaganti* Joan. XXII. *ad conditorem.* §. *nos itaque. Extravag.* Joan. XXII. *Tit.* 14. *de verborum signific. cap.* 3.

IV. Romanum Pontificem constat esse Vicarium Jesu Christi. *De translatione Episcopl. Cap. inter corporalia. med.* Lib. I. Decret. *Tit.* 7. *cap.* 2.

Romanus Pontifex non puri hominis; sed veri Dei vicem gerit in terris. *Ibid. de Translatione. Cap. quantò* §. 2. *non attendens. fin.* Lib I. Decret. *Tit.* 7. *cap.* 3.

V. Romanus Pontifex successor est Petri & Vicarius Jesu Christi. *Ibid. cap. licet.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. *cap* 4.

VI. Papa locum Dei tenet in terris, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferat. *Cap. ut nostrum.* §. 2. *porrò. post init.* Lib III. Decr. *Tit* 12. *cap. unico.*

VII. Solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis pallio semper utitur, & ubique de autoritate, & usu pallii. *Cap. ad honorem.* Lib. I. Decr. *Tit.* 8. *cap.* 4.

VIII. Romanus Pontifex non utitur baculo pastorali tùm propter historiam, tùm propter misticam rationem de sacrâ unctione. *Cap. unico.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. *cap. unico.*

IX. Romanus Pontifex veritatem tenetur colere velut ille, qui illius, qui veritas noscitur, vicem teneat in terris. *Extravag.* Joan. XXII. *ad Conditorem.* §. *nos itaque. De verb. signif. Tit.* 14. *cap.* 3.

Dum Pontifices summi dicunt se esse Vicarios Christi, non excludunt à Vicariatu simili ipsos Episcopos aliorum Apostolorum successores, ut illi sunt Petri successores, sed illorum mens est docere se in hoc Vicariatu parem cum Petro partem habere: nempe, primi Principis, capitis cæterorum; extant non paucæ similes locutiones in præcedenti sectione, quæ similiter explicandæ sunt.

SECTIO III.

Quis agnosci debeat in universa Ecclesiâ pro summo Pontifice?

I. Nullus unquam Laicorum, neque ex alio Ordine præsumat, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter, Cardinalis, factus fuerit, ad sacri Pontificatûs honorem promoveri. Dist. LXXIX. *c.* 4. *nullus. ex Concilio* Romano *sub* Stephano *Papa III.* seu ut alii. IV. *ann.* 769. Tom VI. Conc *p.* 1724.

II. Oportet ut in Apostolatûs culmen unus de Cardinalibus, Presbyteris, aut Diaconis consecratur. *Ibid. cap.* 3. *oportet.*

III. Inspectore Deo est statutum, ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium sit, ita ut si quis Apostolicæ sedis sine præmissâ concordi, & Canonicâ electione eorum inthronizatur, non Papa, vel Apostolicus. Sed apostaticus habeatur. *Ibid.* Dist. LXXIX. *cap.* 1. *si quis, junctâ correctione Romanâ.*

IV. Si fortè, inimico homine super seminante Zisaniam, inter Cardinales, de substituendo summo Pontifice, non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit notare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus. *De electione. Cap. licet.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. *cap.* 6.

Si à paucioribus quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit, ad Apostolatûs officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur. *Ibid. fin.*

V. Si quis de tertiæ partis nominatione confisus sibi nomen Episcopi usurpaverit, tàm ipse, quàm ii, qui eum receperint, excommunicationi subjaceant; & totius Sacri Ordinis privatione mulctentur. *Ibid. de Electione cap. licet,* §. 1. Lib. I. Decret. *Tit.* 6. *cap.* 6. VI.

VI. Loco Petri & gradu Cathedræ Sacerdotalis occupato, de Dei voluntate, quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem: quisquis ille fuerit, alienus est, foris est, CAUS. VII. QUÆST. I. *cap. 5. factus est. med.*

VII. Cùm post primùm, secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est. *Ibid.* CAUS. VII. QUÆST. I. *cap. 5. factus est. fin.*

VIII. Quicumque Romanæ secundùm Canonicas sanctiones præficitur Ecclesiæ, quam primum electus est in Sacro Collegio, supremam à Deo potestatem, sine medio consequatur. Bullà 10. PII II. *in minoribus* §. 3. *fin. ann.* 1463.

IX. Statutum est, & consecratum, quòd electio & consecratio futuri Romani Pontificis, non nisi justè & canonicè fieri debeat. DIST. LXIII. *c.* 31. *Inter nos.*

X. Nullo modo fieri potest, ut, si is qui locum B. Petri tenet, exhonoratur, sine crimine dumtaxat, Cathedra ejus honorata permaneat. *Epistola* GREGORII IV. *ad Episcopos* FRANCIÆ. TOM. VII. CONC. *App. p.* 1871. *Concil.* ROMANUM. *ann.* 1059. *Can.* I. TOM. IX. CONC. *p.* 1099.

XI. Romanus Pontifex ante hymnum Angelicum consecratur, & postmodum ipse Missarum solemnia incipit & perficit consecratus. *De elect. cap. quod sicut.* §. *super. post init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. *cap.* 28.

XII. Quia Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideò super se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant. DIST. XXIII. *cap.* 1. *in nomine* §. 3. NICOL. II. *in* CONC. FABER. *ann.* 1059.

XIII. Planè postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est, in Apostolica sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen, sicut vetus Papa, obstineat autoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius: quod beatum GREGORIUM ante suam consecrationem fuisse cognovimus. *Ibid.* §. 6.

SECTIO IV.

Omnium Ecclesiarum sollicitudinem pertinere ad Romanum Pontificem, eamque fuisse illi à Christo injunctam.

I. Sedes Apostolica curam habet Ecclesiarum omnium, & tutelam. *In 6. De immunitate Ecclesiarum. Cap. quia nonnulli. init.* LIB. III. *Tit.* 23. *cap.* 1.

II. Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est pleniùs consulendum. *In* SEXTO. *De Elect. Cap. ubi periculum. init.* LIB. I. *Tit.* 6. *cap.* 3.

Hinc Sedem Apostolicam evidens evocat ratio, ut dum reformandis, etiam minoribus ejus solerter vacat intentio ea quæ periculosiora nequaquam absque remedio reformationis accommodæ relinquat. *In 6. De Elect. Cap. ubi periculum.* LIB. I. *Tit.* 6. *cap.* 3.

III. Romani Pontificis interest communibus utilitatibus providere. *De Immunitate Eccles. Cap. adversus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. *cap.* 7. *ante* §. *quia verò.*

IV. Sedis Apostolicæ interest Ecclesiarum providere necessitatibus. *In 6. de supplendâ. cap. si Episcopus. fin.* LIB. I. *Tit.* 8. *cap.* 1.

V. A provisione pastoralis sollicitudinis circa omnes Ecclesias Romanus Pontifex numquam omninò cessat. *De censib. cap. cum instantia* §. 1. *fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 39. *cap.* 17.

VI. Romanus Pontifex ad regimen Ecclesiæ generalis supernâ dispositione vocatus. EXTRAVAG. *communi. ad regimen.* LIB. III. EXTRAVAG. *communium Tit.* 2. *cap,* 13. *init.*

VII. Romanus Pontifex supremam in Ecclesiâ obtinet potestatem. *De regularib. cap. licet.* §. 1. *latis. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 31. *cap.* 18.

VIII. Romanus Pontifex assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis. *De autoritate & usu pallii. cap. ad honorem.* §. *sane. fin.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 8. *cap.* 4.

IX. Romanus Pontifex plenitudinem obtinet potestatis de pœnitentiis. *Cap. cum ex eo.* §. *ult. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 38. *cap.* 14.

X. Pontificibus Maximis suprema potestas in Ecclesia universa tradita est. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *cap.* 7. *de Casuum reservatione.*

XI. Beatissimus Romanus Pontifex sollicitudinem universæ Ecclesiæ, ex muneris sui officio, debet. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II *De reform. cap.* 1. *fin.*

XII. Pastoralis cura sollicitudinis Romano Pontifici divinitùs super cunctas Christiani populi nationes injuncta est. CLEMENTINA. *Pastoralis. de Sententiâ &c. Init.* CLEMENTINARUM LIB. II. *Tit.* 11. *cap.* 2.

XIII Plenitudinem potestatis Christus Rex Regum & Dominus Dominantium Romano Pontifici in persona B. Petri concessit. *Ibid.* §. *ultim. ut igitur. med.*

XIV. Romanus Pontifex est ad Regimen universalis Ecclesiæ supernâ dispositione vocatus. *De Judiciis. Cap. novit. post init.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 1. *c.* 13.

XV. Non humanæ Constitutioni, sed divinæ potiùs innititur Romanus Episcopus, quia potestas ejus non est ex homine, sed ex Deo. *De Judiciis. Cap. novit.* §. *cùm enim. init.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 1. *cap.* 13.

Dominus noster Jesus Christus ovium suarum curam Petro commisit. *De Elect. cap. significasti.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. *cap.* 4.

XVI. Cunctarum Ecclesiarum injuncta Romanum Pontificem sollicitudinis cura constringit. CAUS. VII. QUÆST. I *cap.* 13. *qualiter, med.*

XVII. Monente Dominicæ vocis imperio, oves pascendi &c. CAUS. XXV. QUÆST. I. *cap.* 2. *med.* nullam negligere potest inoffenso Christo imperante.

XVIII. Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem sedis Apostolicæ factam toto orbe venerabilem, dum illi, quicquid fidelium est ubique, submittitur, dum totius Corporis caput esse designatur. CAUS. IX. QUÆST. III. *cap.* 14. *aliorum. fin.*

XIX. Universorum fidelium, ab ipso Domino Jesu Christo, pastoralis est Romano Pontifici cura commissa. *De rerum permut. cap. cum universorum. in Init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 19. *cap.* 8.

XX. Episcopis subtrahitur quod Romano Pontifici plusquam ratio exigit præbetur. DIST. XCIX. *cap.* 5. *ecce. post init.*

XXI. LEO IX. *Epistola* 10. *anno circ.* 1054. TOM. IX. CONC. *p.* 986. ubi ait. *autore Deo sit unius Ecclesiæ nobis cura specialiter commissa, ut per dignitatem Apostolicæ Sedis etiam cæterarum Ecclesiarum generalis provisio sit delegata.*

XXII. LEO VII. *Epistola* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 597. *ad* GALLOS & GERMANOS. Pro universis Ecclesiis sollicitudinem gerimus, & veluti in specula positi, quid per totius orbis Provincias agatur vigilanti curâ insistimus.

XXIII. Instantia nostra quotidiana est debitum Apostolicæ servitutis, omnium Ecclesiarum sollicitudo continua. *De censib. cap. cùm instantia, in init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 39. *cap.* 17.

XXIV. Sacrosanctam Romanam Ecclesiam imperscrutabilis divinæ Providentiæ altitudo, universa dispositione incommutabili prætulit Ecclesiis & totius orbis præcipuum obtinere voluit magistratum. *In 6. in proœmio init.*

XXV. Romanum Pontificem diligens cura sollicitat, ut circa fidelium statum salubriter dirigendum sit efficacibus studiis, & promptis operibus intendat, quod per suæ cooperationis ministerium erga S. Matrem Eccle-

Ecclesiam, devotio filiorum concrescat, ipsorum cessent gravamina, & tranquillitatis ei proveniat incrementum. Extrav. Comm. Clamentis V. *Ex Superna. init. De Preb.* Lib. III. Extrav. Comm. *Tit.* 2. Cap. 2.

XXVI. Persona Romani Pontificis Christi Vicarii Pater est omnium. *In 6. De Verb. signif.* Cap. *Exiit.* *§. Ad hac. med.* Lib. V. *Tit.* 12. Cap. 3.

Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universam Ecclesiam, à Domino J. Christo plenam potestatem traditam esse, qoemadmodom etiam in gestis *Occumenicorum* Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. *Bullâ* 17. Eugenii IV. *Lætentur Cali. §.* 8. *Bullarii* Tom. *p.* 354.

SECTIO V.

Romanum Pontificem non habere Jurisdictionem in temporalia, nisi in Patrimonio B. Petri, maximè respectu Regis Francorum.

I. Pontifex in Spiritualibus antecellit. *De Majorit.* Cap. *Solita. §.* 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 6.

II. Nos, qui secundùm Apostolicæ servitutis Officium, sumus singulis in Jostitia debitores, ficut justitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic jus Principum nobis nolumus vendicare. *De Elect.* Cap. *Venerabilem. in int. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 34.

III. Circumspecta prudentia Sedis Apostolicæ actibus intenta salubribus, & operibus exposita pietatis, libenter & solerter exequitur quæ sunt Dei. *In 6. De Reliquiis.* Cap. unic. *§. Ideoque.* Lib. III. *Tit.* 22. Cap. unic.

IV. Pontifex attendens, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de possessionibus judicare, ne videatur juri Regis detrahere, vult Regi possessionum judicium relinqui. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Causam. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 7.

V. Papa non intendit juri alicujus detrahere. *Glossa. Ibid.*

VI. Pontifex Romanus alieno juri præjudicare non vult, nec protestatem sibi indebitam usurpare, cùm non ignoret Christum in Evangelio respondisse; *Reddite qua sunt* Cæsaris, Cæsari; *& qua sunt Dei, Deo.* Qui filii sint legitimi. *Cap.* Per venerabilem. *§. rationib.* juxta *Collectionem* Gonzalis. Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13.

VII. Apostolica Sedes in Patrimonio B. Petri & Summi Pontificis autoritatem exercet, & Summi Principis exequitur potestatem. *Ibid. Qui filii. &c.* Cap. *Per venerabilem. ante §.* 1. Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13.

VIII. Pontifex Romanus super Ecclesiæ Patrimonio plenam in temporalibus gerit potestarem. *Ibid. §. Rationibus. init.*

IX. Summus Pontifex in Ecclesiis ab ipsius Jurisdictione temporali pendentibus potest vice Regiâ assentiri electionibus, & eas autoritate Apostolicâ confirmare. *De Electione.* Cap. *Cùm inter. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 19.

X. Non putet aliquis qood Episcopus Romanus, Jurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendat. *De Judiciis.* Cap. *Novit. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 13.

XI. Papa non babet utrumque gladium. *Glossa*, verbo, *Jurisdictionem.*

XII. Non intendit Summus Pontifex judicare de feudo Regis Franciæ, cujus ad ipsum spectat judicium. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 13. §. *Non putet. fin.*

XIII. In Patrimonio B. Petri liberè potest Apostolica Sedes quoscumque legitimos efficere. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per venerabilem.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13. Agnoscit ibidem Innocentius III. Regem Franciæ posse, ut Principem, filios suos legitimare.

XIV. Si à civili Judice ante judicium, vel post, ad Sedis Apostolicæ audientiam fuerit appellatum; hujusmodi appellatio tenet quidem in his, qui sunt Romani Pontificis subjecti; in aliis verò secundùm juris rigorem non tenet. *De Appellationibus.* Cap. *Si duobus. §. Denique.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 7.

XV. Jurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam; nec de eâ debet se intromittere in præjudicium Judicis Sæcularis. *Glossa*, verbo, *Credimus.* Relevat Papa infamiæ notam Laicis, qui subsunt Jurisdictioni ejus temporali. *De Sententiâ &c.* Cap. *Cùm J. & A. Canonici.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 12.

Collecti Textus mirè confirmantur per collectos in I. Tom. dum actum est de distinctione utriusque Potestatis, quorum numerus longè major est.

SECTIO VI.

Quâ ratione Summus Pontifex Jurisdictionem suam in universâ Ecclesiâ exercere possit?

I. Inter cunctas sollicitudines, quibus Romanum Pontificem pastorale premit Officium, & debitum Apostolicæ servitutis adstringit; illa debet esse præcipua, ut gregi Dominico sibi supernâ dispositinne commisso animarum curæ non desit, ne illum lupus rapax, antiquus serpens, humani generis inimicus, invadat, ejusque sanguis de ejus manibus requiratur. Extrav. Comm. *Inter cunctas. De Privilegiis.* Extrav. Communium. Lib. V. *De Privilegiis.* Cap. 1. *init.*

II. Romanus Episcopus circà gregis Dominici custodiam, & animarum saluti jugis attentione cogitationis intendere, summovendo noxia, & agendo profutura, debet; ut animas Deo lucrifacere, suâ sibi cooperante gratiâ, valeat. *In 6. De Homicidio.* Cap. *Pro humani. post init.* Lib. V. *Tit.* 4. Cap. 1.

III. Necessariâ rerum dispensatione constringitur Romanus Pontifex, & Apostolicæ Sedis moderamine convenitur, sic Canonum paternorum Decreta librare, & retrò Præsulum Decessorumque suorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum in restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ diligenti consideratione (quantùm potest fieri) temperet. Caus. I. Quæst. VI. *Cap.* 6. *Necessaria.*

IV. Sedes Apostolica circà id ferventibus votis intendit, vacat instantiùs, ac operosæ studium sollicitudinis impertitur, ut ad Divini nominis gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum, inter Ecclesiarum Antistites, ad curam & regimen gregis Dominici deputatos, cæterasque personas, quas Ordo Clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, fervor charitatis exæstuet, invalescat concordiæ unitas, animorum identitas perseveret. Clementina, *Dudum. De Sepulturis. post init.* Clementinarum. Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 1.

V. Cùm piæ desiderium voluntatis, & laudandæ devotionis intentio Sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum, Religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Caus. XXV. Quæst. II. *Cap.* 9. *Cùm piæ.*

VI. Romanus Pontifex vult emendare præterita; &, quantùm potest, adversùm futura cavere. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Quia per ambitiosam. §. ult.* Lib. I. *Tit* 3. Cap. 15. *& ult.*

VII. In Sancta Dei Ecclesia, cui, disponente Domino, præsidet Romanus Pontifex, uniformitatem, quantùm commodè potest, conservare vult. Clementina. *Ex frequentib. De Sent. Excom. §.* 1. *Nos igitur. init.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

VIII.

VIII. Cùm & plantare Sacram Religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeat Rom. Pontifex, nusquam hoc meliùs exequitur, quàm si nutrire ea quæ recta sunt, & corrigere quæ profectum virtutis impediunt, commissâsibi autoritate curet. *Cap.* 3. *De Privil.*

IX. Dignum est ut adulterinas plantationes, quas non Pater Cœlestis, sed humanæ temeritatis audacia plantat, Apostolici culminis censura divellat, nec patiatur in agro Dominico perversæ congregationis *Vepres* excrescere, cui proprium est, Divinâ opitulante gratiâ, virtutes serere, ac vitia radicitùs extirpare. *Extravaganti* JOAN. XXII. *Sancta Romana. fin. De Religiosis domibus. Extravagantium* JOAN. XXII. *Tit.* 7. *Cap. unico.*

X. Pastoralis cura sollicitudinis Romanum Pontificem invigilare remediis subjectorum, eorumdem periculis obviare, & scandala removere, compellit. CLEMENT. II. *de Sent. init.* LIB. II. *Tit* 11. *Cap.* 2.

XI. Illa vult Sedes Apostolica in Sanctâ Dei Ecclesiâ, quæ non verbo obtinent tantùm, sed quæ re potiùs, observati. *Extravagantiam* JOAN. XXII. *Ad Conditorem, De verb. sign. Tit.* 14. *Cap.* 3. *p.* 141.

XII. Si quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) Romanus Pontifex niteretur, non Sententiam dare, sed magis errare convinceretur. CAUS. XXV. QUÆST. I. *Cap.* 6. *Sunt quidam. fin.*

XIII. Contra Statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec Apostolicæ quidem Sedis potest autoritas. Apud illam enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam. *Ibid.* CAUS. XXV. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Contra.*

XIV. Romanus Pontifex, non tàm ex plenitudine potestatis, quàm ex officii debito, potest & debet de Subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem. *Ut Ecclesiastica Beneficia. Cap. unico. §. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

XV. Ea, quæ honestatis decorem deformant, & Canonum probantur Sanctionibus obviare, penitùs sunt evellenda, & falce Apostolici moderaminis resecanda. *Appendice Concil.* LATER. *Parte* 15. *Cap.* 11. *init.*

Romanus Pontifex promptus est inobedientiam omnem ulcisci. *De postul. Cap.* 1. *med.* §. *penult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 1.

Licet in B. Petro Apostolorum Principe ligandi &c. *De accusat. Cap. Licet. in initio.* LIB. V. DECR. *Cap.* 14.

Quidquid docent collecti Canones circà sollicitudinem, diligentiam, prudentiam, intentionem, publici boni desiderium, quæ in Summo Pontifice requiruntur, aliis Prælatis accommodari possunt & debeut, pro gregis cujusque exigentia.

SECTIO VII.

Majores & difficiliores causas soli Romano Pontifici reservandas esse.

I. Si quæ certamina, aut de Religione fidei, aut de quolibet negotio, quod ibi in sui magnitudinem terminari non possit, evenerit, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate. *Epistolâ* 2. VIGILII. *Cap.* 7. *ann.* 538 *&* 7. *ann.* 546. TOM. V. CONCIL. p. 320.

II. Majora negotia & difficiliores causarum exitus Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, jubent sub Apostolicæ Sententiæ expectatione suspendi, & Romani Pontificis moderamine finiri. DIST. XLV. *Cap.* 4. *Licet med.* GREG. ad Episcopos per Gallias & Germaniam constitutos.

III. Majores & difficiliores quæstiones (ut Sancta SYNODUS statuit, & beata consuetudo exigit) ad Sedem Apostolicam semper referantur. DIST. XVII. *Cap.* 5. *Multis. fin.*

IV. Ad Sanctam Romanam Ecclesiam, quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ recurrant, & juxtà ejus Sententiam terminum sumant; nec extra Romanum quidquam ex his debeat decerni Pontificem. *Ibid.* CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap.* 9. *Dudum. fin. Pseudo Julius. I.*

V. Ex illo generali privilegio quòd B. PETRO, & per eum Ecclesiæ Romanæ, Dominus Noster indulsit, Canonica postmodùm manaverunt instituta, continentia majores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam perferendas. *De transl. Episcopi. Cap. Cùm ex illo. init.* LIB. I. DECRET. *Cap.* 1. *Tit.* 7.

VI. Dudum à Sanctis Apostolis Successoribusque eorum in antiquis decretum fuerat Statutis, quæ hactenus Sancta & Universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter Sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari. CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap.* 9. *Dudum. init.*

VII. Illa quæ sibi Sedes Apostolica reservavit ab aliis non debent attentari. *Glossa.* Ad Sedem Apostolicam, tanquam Matrem & Caput omnium Ecclesiarum, majores & difficiliores quæstiones ab antiquis Patribus constitutum est, & moribus utentium rectè approbatum, usquequaque conferri debere. *De verb. signif. Cap. In iis. in Init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 15.

VIII. Vide *Epistolam Episcoporum Africanorum* TOM. VI. CONC. *pag.* 128. *ad* THEODORUM *Papam.* A tribus *Conciliis*, antiquis Regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis ageretur, non priùs tractandum vel recipiendum sit, nisi deductum fuisset ad notitiam Sedis vestræ.

IX. Aliqua sunt, quæ in signum privilegii singularis, sunt tantùm Summo Pontifici reservata. *De officio Legati. Cap. Quod translationem. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 30. *Cap.* 4.

X. Apostolicæ Sedis, inter alia Privilegia quæ manu tenere & defendere potest, hoc etiam est, ut quibuscumque ambiguis quæstionibus, quæ in Dei Ecclesiâ accidunt, valeat judicare & suâ autoritate finem imponere. *Bulla* 15. EUGENII IV. *Non mediocri.* §. 2. *fin. ann.* 1439. *Bullarii.* TOM. I. *p.* 351.

XI. Inhæret Episcopus Romanus vestigiis Prædecessorum suorum, dicentium graviores quæstiones per Summum Pontificem terminari. *De juramento calumniæ. Cap. Inhærentes.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 7. *Cap.* 1.

XII. Ideò Sanctæ Sedi hæc privilegia specialiter jure sunt concessa, de summis Ecclesiarum negotiis, ut ab eâ omnes oppressi auxilium, & injustè damnati restitutionem sumant, & talia ab improbis ne præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque damnatione. CAUS. II. QUÆST. IV. *Cap.* 10. *Ideò. Falsus* JULIUS.

Quæcumque respiciunt præfatam reservationem fusè explicata sunt de industria in TOMO II. TIT. VII. SECT. XXV. dum de Causis Majoribus seorsim actum est.

SECTIO VIII.

Quæ causæ Majorum nomine potissimùm intelligantur, quæ Summo Pontifici sint reservatæ?

I. Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cùm quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus. *De Baptismo.* Cap. *Majores. init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 42. *Cap.* 3.

II. Quoties fidei ratio ventilatur, omnes Fratres & Coepiscopi nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris autorem referre debent, quòd per totum mundum

mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Caus. XXIV. Quæst. I. *cap.* 12. *quoties*. exempla falso tributa Innocentio I.

III. Per hoc generale privilegium, quod Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit translationes Episcoporum, & sedium mutationes ad summum Apostolicæ sedis Antistitem de jure pertinent; nec super his quicquam præter ejus assensum deber immutari. *De translatione Episcopi. cap. cùm ex illo. post Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 1.

IV. Translatio, depositio, aut cessio Episcopi, non tam constitutioue canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata. *De translatione Episcopi. cap. inter corporalia. post. Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 2.

Sicut Episcoporum translatio depositio, & cessio, sic & electorum post electionem confirmatio, spiritualis ratione conjugii, soli est Romano Pontifici reservata. *Ibid. ante* §. 1. Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 8.

V I. Coadjutorum Episcoporum & superiorum Prelatorum datio intelligenda est de causis majoribus, & referenda ad sedem Apostolicam ac ab ea tantummodò postulanda. *In 6. de Clerico ægrotante. &c. cap. unico. Pastoralis.* Lib. III. *tit.* 5. *cap. unico. Init.*

VII. Sunt tantùm summo Pontifici reservata: unam Episcopalem Ecclesiam subjicere alteri, & illam præficere isti; concesso sibi privilegio Primatiæ: atque duos Episcopatus unire, vel unum dividere. *De officio legati. cap. quod translationem.* Lib. I Decret. *tit.* 30. *cap.* 4.

VIII. De his quæ sedes Apostolica sibi reservavit specialiter translationes Episcoporum, non tam constitutio Canonica, quam divina, ejus tantùm potestati commisit. Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 4.

IX. Vide *Epistolam* Gregorii IV. *ann. circ.* 828. Tom. VII. Concil. *p.* 1571. reservat Papæ definitionem causarum criminalium Episcoporum, quarum solam auditionem Episcopis Provinciæ dimittere videtur.

X. Negotium meritò inter majora connumeratur de personâ se judicare cujus in Ecclesia cæteris ordo major est. Nicol. I. *Epistola ad* Hincmarum. *in Conc.* Rom. VII. *ann.* 865. Tom. VIII. Conc. *p.* 795.

XI. Causæ electionum Episcopalium, seu super electionibus Episcoporum exortæ, non immeritò majoribus causis annumerantur. *In 6. de elect. cap. quamvis. Init.* Lib. I. *tit.* 6. *cap.* 10.

XII. Judicia Episcoporum meritò inter majora numerantur negotia. Nicol. I. *in Conc.* Rom. VII. *an.* 865. *Epistolâ ad Episcopos Galliæ.* Tom. VIII. Conc. *p.* 798.

Vide inter Capitula Adriani I. *cap.* 3. *ann.* 785. Tom. VI. Conc. *p.* 1830.

XIII. Multa sunt quæ præter specialem autoritatem Apostolicæ sedis de jure non possunt, nec debent, impunè ab aliquibus attentari, utpotè cessiones & translationes Episcoporum, & alia quæ nota sunt vobis. *De major. & obed. cap. illud. in int. Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 33. *cap.* 5. *& de Clerico excom. cap. illum. in int. Init.* Lib. V. Decret. *tit.* 25. *cap.* 5.

XIV. Omnium appellantium Apostolicam sedem Episcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia causarum sanctæ sedi reservata esse liquet. Caus. II. Quæst. VI. *cap.* 12. *qui se scit. med.*

XV. Si ideò contentiosè creditur agendum quid sit, Metropolitanus apud aliquos, ad Romanum Apostolatum destinetur, quatenùs illius libramine, quæ fuerit apud eos antiquitùs Archiepiscopalis Ecclesia, luce clariùs innotescat, & deinceps omni ambiguitate recisâ, quam sequi Episcopi debeant incunctanter agnoscant. Caus. III. Quæst. VI. *cap.* 10. *hæc quippe. sub. fin.*

XVI. Si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super Espiscopi examinatione, vel Episcopatûs abrenunciatione oborta fuerit contentio, ex more ad Apostolicam sedem referri convenit, & ejus in omnibus debent cuncti Decreta penitùs expectare. Caus. VI. Quæst. III. *cap.* 3. *denique med.*

XVII. Unire Episcopatus atque potestati subjicere alienæ, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur. *De excessib. Prælatorum, cap. sicut unire. Init.* Lib. V. Decret. *tit.* 31. *cap.* 8.

XVIII. Etiamsi per aliquem miracula fierent, non liceret ipsum pro Sancto, absque autoritate Ecclesiæ Romanæ, venerari. *De reliquiis. cap audivimus. fin.* Lib. III. Decret. *tit.* 45. *cap.* 1.

XIX. Cùm super privilegiis sedis Apostolicæ causæ vertitur; de ipsis per alios non judicatur. *De Judiciis. cap. cùm venissent.* Lib. II. Decret. *tit* 1. *cap.* 12. Vide Gonzalez in illud, ubi laudat Canones alios legésque de hac interpretatione loquentes, & de eo à quo danda est.

XX. Solus Papa cognoscit de dubiis privilegiorum sedis Apostolicæ summæ. *Cap.* 10. *quippe. med fin.*

Ex notatis loco citato mutationibus circà numerum & qualitem causarum sedi Apostolicæ reservatarum, colligitur hanc reservationem multum ex usu pendere, cùm pateat, non ubique, nec semper eamdem fuisse.

SECTIO IX.

Ea qua summo Pontifici à Jure reserventur, vel ipse sibi reservat, non posse per alios sine speciali mandato fieri.

I. Inferiores Judices procedant salvis Constitutionibus de majoribus causis ad sedem Apostolicam referendis. *De appellationibus. cap. ut debitus. fin.* Lib. II. Decret. *tit.* 28. *cap.* 59.

II. Licet ab Apostolica sede in aliquo Regno generalis sit alicui commissa legatio; ad ea tamen, sine speciali ejus mandato, non debet manus extendere, quæ in signum privilegii singularis sunt tantùm summo Pontifici reservata. *De officio Legati. cap. quod translationem. Init.* Lib. 1. Decret. *tit.* 30. *cap.* 4.

III. Non existimandum, quia vices suas summus Pontifex alicui tanquam legato commisit exequendas, quod Cathedralem Ecclesiam possit subjicere alteri, vel duos Episcopatus unire, vel unum dividere, sine licentiâ speciali. *Ibid. fin.* Lib. 1. Decret. *tit.* 30. *cap.* 4.

IV Soli sanctæ sedi concessa nullus usurpate sine ejus consultu præsumat, qui non vult honore Ecclesiastico indignus, ut contemptor, judicari. Dist. XVII. *cap.* 3. *huic soli.*

V. Amputato totius usurpationis excessu, nullus debet præsumere, quæ sibi non videtur esse concessa. Caus. XXV. Quæst. II. *cap.* 21. *amputato. Init.*

VI. Si pœnam excommunicationis Romanus Pontifex, sine speciali mandato suo, à quoquam non vult relaxari, nec etiamsi præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habet firmitatis. *De crimine falsi. cap. dura. §. adjicientes. fin.* Lib. V. Decret. *tit.* 20. *cap.* 4.

VII. Apostolica sedes quædam sibi quodammodo specialiter & singulariter ita reservavit, ut præter specialem autoritatem ipsius, nec jure agi debeant, nec attentari valeant cum effectu. *De transl. Episcop. cap. licet. in int. Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 4.

VIII. Ex quo Papa sibi aliquid specialiter reservat, aliis denegat facultatem disponendi aliquid super illo. *Glos. v. relaxari.*

IX. Quæ huic sanctæ sedi in origine sunt concessa nullus usurpare sine ejus consultu præsumat, qui non vult honore Ecclesiastico indignus, ut contemptor, judicari. Distinct. XVII. *cap.* 3. *huic soli.* Tribuitur Damaso I. ad Stephanum *Episc.* 3. *circ. ann.* 400. *cap* 9.

Super his quæ ad summum Apostolicæ sedis Antistitem de Jure pertinent, nihil præter ejus assensum debet immutari. *De translat. Episcopi. cap. cùm ex illo. post Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 7. *cap.* 1.

Illa quæ sibi sedes Apostolica reservavit ab aliis non debent attentari. *Glossa.*

A collectis locis excipiendi casus, in quibus reservatio, vel non fuit acceptata, vel cessavit sive usu,

five alio modo: Cujus ratio est quod reservationes quæ fiunt lege, acceptatione egent ficut leges, & quemadmodum istæ abrogari possunt, vel in toto, vel in parte, usu contrario, ita & reservationes hujusmodi plura exempla illntum casuum adducta sunt in Consultationibus Canonicis *de pænitentia* & in tractatu gallico *de Censuris*. Petuntur ex reservationibus circà hæresim & excommunicationem Can. *Si quis suadente.*

SECTIO X.

Quid possit Papa in Ordine ad concessiones vel dispensationes.

I. Sedes Apostolica tria præcipuè ducit in negotiis attendenda, quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, & quid expediat secundùm utilitatem. *De voto. cap magna devotionis.* §. 3. *& quidem. Init.* Lib. III. Decret. *tit.* 34. *cap.* 7.

II. In causis quæ summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris & vigor æquitatis est subtiliter observandus; nisi fortè cùm aliquid (causâ necessitatis & utilitaris inspectâ) dispensativè duxerit statuendum. *De sententiâ. cap. in causis.* Lib. II. Decret. *tit.* 27. *cap.* 19.

III. Sedes Apostolica consuevit exhibere se petentibus liberalem. *De rescriptis. cap. sedes. init.* Lib. I. Decret. *tit.* 3. *cap.* 15.

IV. Ecclesiæ pariter & personæ providere vult. *De electione. cap. cùm nobis. §. Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 6. *cap.* 19. prius Ecclesiæ quam personæ.

V. De occultis non potest divinare, ut Ecclesiastica Beneficia, &c. *cap. unico.* §. 3. *Porrò. post Init.* Lib. III. Decret. *tit.* 12. *cap. unico.*

VI. Sedes Apostolica supplet de plenitudine potestatis, si quis in aliquâ re fuerit defectus. *De electione. cap. illa.* Lib. I. Decret. *tit.* 6. *cap.* 39. *med.*

VII. Secundùm plenitudinem de jure potest suprà jus dispensare. *De concessione prabendæ. cap. proposuit. §. ult.* Lib. III. Decret. *tit.* 8. *cap.* 4.

VIII. Si quid fortè incuriâ vel imperitiâ minùs firmitatis pactis insertum est, vires plenissimæ notionis ex Apostolica autoritate suscipiunt. *De transactionibus. cap. sicut grave. fin.* Lib. I. Decret. *tit.* 36. *cap.* 1. Gonzalez legit munitionis pro notionis quod melius. Gl. in v. *Notionis* ait factæ cum causæ cognitione, quod necessarium ad hujusmodi confirmationem.

IX. Pati non vult ut Ecclesiarum & Clericorum jura præsumptione qualibet minuantur. *De decimis. cap. tua nobis. §. ult.* Lib. III. Decret. *tit.* 30. *cap.* 26.

X. Sicut vult superiorum jura observari, ita inferiores non vult injurias sustinere. *De statu Monachorum. cap. in singulis Regnis. §. porrò. fin.* Lib. III. Decret. *tit.* 35. *cap.* 7.

XI. Sit alicujus loci ordinationem disponit, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servet. *De religiosis domibus. cap. quia Monasterium. §. ult.* Lib. III. Decret. *tit.* 36. *cap.* 2.

II. Sedes Apostolica in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans, illam sibi semper in suis ordinationibus reservare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum quod aliis non immineat detrimentum. *Extravaganti* Joan. XXII. *sedes Apostolica. Init. Extravagantium* Joan. XXII. *tit.* 4. *de concessione. prab. cap.* 1.

XIII. Non est intentionis Romani Pontificis cuiquam præjudicium generare. *De officio Jud. deleg. cap. super eo. §. hoc tuam.* Lib. I. Decret. *tit.* 29. *cap.* 15.

XIV. Ea quæ juxta Ecclesiasticum morem justè & rationabiliter fuerint definita, Apostolica quoque sententia roborentur, si postulatum fuit ea roborari. *De Sent. cap.* 4. *junctâ Glossâ.* Lib. II. Decret. *tit.* 27. *cap.* 4. Joannes VIII. *Epistolâ.* 260. Tom. IX. Conc. *p.* 187.

XV. Non curat Romanus Pontifex quòd os loquentium iniqua loquatur, dùm tamen non recedat à tramite veritatis: de illius autoritate securus qui respondit „ sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum„. *De voto. cap. magna. §. penult.* Lib. III. Decret. *tit.* 34. *cap.* 7.

XVI. Ea quæ sunt infirma, vel minus valida, per confirmationem Papæ recipiunt firmitatem. *Glossa.*

XVII. Non vult Romanus Pontifex quòd occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus licentia concedatur. *De conceff. prab. cap. constitutus. fin.* Lib. III. Decret. *tit.* 8. *cap.* 11.

XVIII. Apostolica sedes petitiones libentiùs promovere disponit, quibus non repugnat honestas, nec aliis præjudicium generatur. *De majorit. cap. Inter quatuor. in int.* Lib. I. Decret. *tit.* 33. *cap.* 8.

XIX. Miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis. Caus. XI. Quæst. III. *cap.* 109. *De illis. post Init.*

XX. Joannes VIII. Clero & Ordini Salonitano. *ann. cir.* 880.

XXI. Necessaria verum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum Decreta libtate, & retrò Præsulum prædecessorùmque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum in restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita diligenti consideratione (quantùm potest fieri) temperemus. Caus. I. Quæst. VII. *cap.* 6. *necessaria.* Gelas. 1. *Episcopis per Lucaniam. Epist.* 1. *cap.* 5. *ann.* 494. Vide. *cap.* 16. *c.* 18. *Ibid.* uterque Canon loquitur de causâ dispensationis ut & relatus. Conc. Tom. IV. *p.* 1186. circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ hinc censura justitiæ, ut credamus quædam delicta.

SECTIO XI.

Summum Pontificem non velle, nec posse quidquam decernere contra Sanctorum statuta Canonum.

I. Papa vult tam rationes quàm Canones observare. *De elect. cap. cum nobis.* §. *ult. Init.* Lib. I. Decret. *tit.* 6. *cap.* 19.

II. Vide *Epistolam* 9. Gelasii, *ann.* 494. *cap.* 9. Tom. IV. Conc. *p.* 1190. ubi ait „contra Salutarium „ reverentiam regulatum cupimus, nobis temerè ni- „ hil licere „.

III. Vide *Epistolam* 6. Agapeti, *ann.* 535. Tom. IV. Conc. *p.* 1798. revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus prohibemur, prædia jure Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre.

IV. Sedes Apostolica decreta venerabilium sanctionum magnoperè custodire nititur. *De consecr.* Dist. I. *cap.* 6. *Basilicas. §. eùm enim. fin.* Sibi contra salutarium reverentiam regularum cupit temerè, nihil licere. *Ibid.*

V. Sedes Apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio, devotóque studet tenere proposito. *Ibid. de consecr.* Dist. I. *cap.* 6. *Basilicas. §. cum enim. post Init.*

VI. Nullus veraciter Christianus ignorat uniuscujusque *Synodi* constitutum, quòd universalis Ecclesiæ probavit assensus. Nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam. Caus. XXV. Quæst. I. *cap.* 1. *Confidimus.*

VII. Ecclesiasticæ moderationi est omninò conveniens, ut quæ ordinata fuerint, vel decisa, nullâ in posterum debeant refragatione turbari. Caus. XXV. Quæst. II. *cap.* 12. *Ecclesiastica.*

VIII. Dif-

VIII. Dispensatio Sanctæ Sedis Pontifici credita est, & ad illum tendit reatum, si paternarum Regulæ Sanctionum, quæ ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, illo, quod absit, connivente, violentur, & major sit apud illum unius fratris voluntas, quam universæ Domus Domini communis utilitas. Caus. XXV. Quæst. II. *cap. 2. privilegia. juxta correct. Romanam.*

IX. Ideò, permittente Domino, Pastores hominum effecti sunt Romani Pontifices, ut quod Patres nostri, sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixêre legibus, excedere minime debeant. Caus. XXV, Quæst. I. *cap. 16. ideò.*

X. Contra eorum quippe saluberrima agunt instituta, si quod ipsi Divino statuerunt consulto intactum non conservarent. *Ibid.*

XI. Romanus Pontifex Juris, id est, Canonum gubernacula custodit. Dist. LXI. *cap. 7. quid proderit. med.*

XII. Sine dispendio Decretorum venerabilium Sanctionum Sedes Apostolica etiam illa, quæ pro alicujus utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credit. *De consecr.* Dist. I. *cap. 6. Basilicas. §. cùm enim. post init.*

XIII. In his quæ contra Canonicas Sanctiones attentari noscuntur, alicui deferre nec vult, nec debet, Romanus Pontifex. *De præb. cap. dilectus. in init. med.* Lib. III. Decret. *Tit. 5. cap. 19.*

XIV. Aiunt in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint; cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas. *De elect. Cap. significasti.* Lib. I. Decr. *Tit. 6. cap. 4.*

Confer hunc Textum cum præcedentibus, ut de illo sane judices: videtur desumptus à *Can.* VI. Dist. XVII. cujus nulla aut modica est autoritas ex parte Autoris.

XV. Sedes Apostolica ad hæc est in sede justitiæ, disponente Domino, constituta, ut quæ contra Justitiam attentantur, ejus sollicitudine ad rectitudinis tramitem revocentur. *De rescriptis. Cap. ad hæc. in init.* Lib. I. Decret. *Tit. 3. cap. 10.*

XVI. Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris, vel falsò insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitùs à Patribus nostris suscepimus pro libitu semper errantium infringi patiamur. Dist. XII. *Cap. 5. ridiculum est.* Nicol. I. *Epistola.* 70. Tom. VIII. Conc. *p.* 471.

XVII. Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: *omne Regnum in se ipso divisum non stabit*; & omnis scientia, & lex adversum se divisa destruetur. Caus. XXV. Quæst. II. *cap. 4.*

XVIII. Summus Pontifex speculum, & norma omnis sanctitatis esse debet. Pragmatica Sanctio. *Tit. 2. de elect.* §. 19.

XIX. Cùm id obviet Lateranansi *Concilio*, de quo nulla mentio est, &c. hujusmodi tenoris non credimus à Sede Apostolica emanasse, quòd si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto. *De Capellis Monach. Cap. ex parte.* Lib. III. Decret. *Tit. 37. cap. 3.*

SECTIO XII.

Quæ Sedes Apostolica statuit, & ordinat circa fidem, & generalem Ecclesiæ disciplinam, debere ab omnibus Ecclesiis observari, postquam sunt salubriter promulgata & acceptata.

I. In memoriam B. Petri Apostoli honoranda est Sancta Romana, & Apostolica Sedes, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Dist. XIX. *Cap. 3. in memoriam. init. Cap. 30. Conc.* Triaur. *ann.* 895. Conc. Tom. IX. *p.* 456. *Vide* Van-Espen *Comment in gratiam* ubi refert Baluzii notam egregiam.

II. Omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis, ab omnibus custodiri debent. Dist. XIX. *Cap. 1. si Romanorum. §. si ideò. med.*

III. Extorrem se mysterii intelligat esse divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Dist. XIX. *cap. 7. ita Dominus. med.*

IV. Satis indignum est, quemquam vel Pontificum, vel subsequentium Ordinum, hanc Regulam refutare, quam B. Petri Sedem & sequi videat, & docere; multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ inde autoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius Ecclesiæ posuit principatum. Dist. XI. *cap. 3. nolite. §. satis.*

V. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholicæ fidei disciplinâ, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit. Caus. XXV. Quæst. II. *cap. 18. si quis dogmata. ex Concil.* Rom. III. *sub* Nicol. I. *ann.* 863. *cap.* 5. Tom. VIII. Conc. *p.* 769.

VI. Quis nesciat, aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari? Nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut autoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum. Dist. XI. *Cap. 11. quis nesciat?* Innocentius I. *Epist.* 1. ad Decentium. *ann* 416.

VII. Ut honor Domino, & Spirituali Patri nostro Summo Pontifici, & Venerabili Universali Papæ, ab omnibus conservetur; & quæ secundum sacrum Ministerium suum, autoritate Apostolicâ, decreverit, cum summâ veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur. *Conc.* Pontigonense *ann.* 876. *cap.* 2. Tom. IX. Conc. *p.* 286. Obedientia, de qua hic sermo, illa est, quæ est juxta Canones, ut patet ex Actis hujus Conc. *ibid.* 281. ubi Patres respondent Carol. Calvo se obedituros Pontifici juxta Sacros Canones, & Decreta Pontificum, ex eisdem Canonibus promulgata.

VIII. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ derogatur honori, si ipsam oporteat nunc in foro Ecclesiastico, nunc in Sæculari, interdum quoque coram pedaneis Judicibus, & plerumque pro rebus parvis, & vilibus continuò litigare. *Extravag.* Joan. XXII. *ad Conditorem. §. rursus. de verbor. significat. Tit.* 14. *c.* 3. Sententia, hoc num. collecta, ut sequens, continet duo aut tria incommoda, nascentia ex eo quod tribueretur Ecclesiæ Romanæ dominium bonorum ad Franciscanos pertinentium, & illius dignitati detrahentia.

IX. Numquid non grave Ecclesiarum Prælatis, & Rectoribus potest existere, quod ipsos oporteat se opponere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsorum Caput noscitur & Magistra, ac cum eâ agendo, vel defendendo litigare assiduè, vel recedere juri suo. *Ibid. p.* 14.

X. Desiderii nostri est ad concordiam redigere discordes, & unitos esse in gratiâ eos quos divisos ab alterutrâ dilectione voluntatis fecit esse diversitas. *De collusione detegenda. Cap.* 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 22.

XI. Scimus, quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit *in his quæ Sanctorum Patrum statuta sequentes dixerimus*, veluti, si ab ore ipsius Apostoli accipisset, nostra monita servare non spernit. Restrictio subintelligenda in omnibus Mandatis Pontificum. Greg. VII. *Epistola* 10. Lib. III. Tom. I. Conc. *p.* 138.

XII. Romanum Pontificem errare posse in fide. GLOSSA *ad cap.* I. CAUS. XXIV. QUÆST. *verbo in hæresim. Cap.* 6. *si Papa.* DIST. XL. *cum nota* PITH. ubi INNOCENTIUS III. id agnoscit.

Glos. in 6. *ad cap. unic. de reliquiis.* LIB. III. *Tit.* 22. *V. Sedis Apostolicæ.* fusè loquitur de canonisatione Sanctorum, & miraculis ad illam necessariis.

XIII. Sicut omne quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia, ita ea quæ contra Scita Canonum inita sunt, secundùm æquitatis & justitiæ destruere nititur rationem. CALIXTUS II. *Epistola.* 29. TOM. X. CONC. *p.* 851.

XIV. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. CAUS. XXIV. QUÆST. I. *Cap.* 5. Vide VAN-ESPEN in illum. Mire quadrat hic *Can.* cum dicto GREG. VII. *num.* 11.

SECTIO XIII.

Sedem Apostolicam, sive Summum Pontificem, debere semper singulis Ecclesiis sua jura, privilegia, ac libertates conservare.

I. A Sede Apostolica injuriarum actio non debet exoriri à qua jura tanquam à fonte ad cæteros derivantur. *De majorit. Cap. inter. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. *cap.* 8.

II. Sicut justitias nostras à Fratribus nostris, & Coëpiscopis, volumus reservari, ita eorum nos convenit illibata custodire LIB. V. DECRET. *Tit.* 33. *de Privil. cap.* 8. *in init. fin. apud* GONZAL.

III. Ecclesiarum servatâ consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retinet, & à se concessa aliis sua jura non minuit. DIST. LXIII. *cap.* 10. *quanto. fin.*

IV. Ex ore Romani Pontificis rectissima debet exire sententia, quæ contra justitiam nulli parcit, sed reddat unicuique quod suum est. *De Privilegiis. Cap. ex ore. init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 33. *cap.* 17.

V. De Ecclesiasticis privilegiis, Sedes Apostolica sicut sua defendit, ita singulis quibusque Ecclesiis sua Jura servat, nec cuilibet, favente gratiâ, ultrà quam meretur impertitur, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante derogat. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 8. *De Ecclesiasticis.*

VI. Institutionis nostræ Decreta, quæ pro Decessorum sunt privilegiis & ordinatione disposita, perpetua stabilitate, sine aliqua constituimus refragatione servari. *Cap.* 7. *Ibid.*

VII. Privilegia Ecclesiarum, Sanctorum Patrum autoritate instituta, nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est Sanctæ Sedis Pontifices perseverantem exhibere famulatum. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 2. *privilegia.*

VIII. Cùm ab antiquis Prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare autoritate perceptâ minime debemus. *c.* 3. *ibid.*

IX. Prætermitti non potest hoc, quod antiqua Patrum institutio invenit. *Ibid. cap.* 3. *in Galliarum. med.*

X. Absit à Pontifice Romano, ut statuta Majorum Consacerdotibus suis in qualibet Ecclesia infringat: quia sibi injuriam facit, si Fratrum suorum jura perturbat. *Ibid.* CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 10. *quod verò. med.*

XI. Postcaquam Ecclesiæ Jura, documentorum quoque intercedentium fuerint autoritate firmata, nullatenùs ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittatur habere licentiam. *Ibid.* CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 21. *postcaquam.*

XII. Episcopum aliquem privare autoritate perceptâ minime debet Sedes Apostolicâ. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 3. *in Galliarum. init.*

XIII. Non vult Romanus Pontifex, ut status Ecclesiæ debitus & antiquus, per insolentiam alicujus subvertatur. *De supplendâ neglig. Prælatorum. Cap. sicut.* §. *nolentes. init.* LIB. I. DECRAT. *Tit.* 10. *cap.* 2.

XIV. Sedes Apostolica petitiones libenter promovere disponit, quibus non repugnat honestas, nec aliis præjudicium generatur, cum ab eâ injuriarum actio non debeat exoriri, à quâ jura, tanquam à fonte, ad cæteros derivantur. *De majorit. & obed. Cap. inter quatuor. juxta collectionem.* GONZALIS. LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. *cap.* 8. *med.*

XV. Sollicitudini Romani Pontificis dignoscitur expedire, ut sic debeat quoslibet in suis rationibus confovere, quod aliorum jura, in conspectu Ecclesiæ, dispendium non sustineant, sed firmitatem. LIB. III. DECR. *Tit.* 19. *cap.* 7.

XVI. Romanus Pontifex non verbis quærit prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputat, in quo Fratres suos honorem suum perdere cognoscit: illius námque honor est, honor Universalis Ecclesiæ: illius honor est, Fratrum suorum solidus vigor. Tunc verò honorandus est, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. DIST. XCIX. *cap.* 5. *Ecce.*

XVII. Privilegia Ecclesiarum & Sacerdotum intemerata, & inviolata cunctis decernimus manere temporibus. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 1.

XVIII. Commissum nobis à Deo dispensationis officium admonet, & exhortatur multipliciter, ut universis Christi fidelibus, integra sua jura conservare debeamus. *De decimis. Cap. Commissum. in int. init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 4.

XIX. Romanus Pontifex omnibus, quòd justum legitimúmque fuerit, paratus est, Deo juvante, per omnia custodire. *De procuratoribus. Cap. alia quidem. in int. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. *cap.* 1.

XX. Pati nolumus, nec debemus, ut Ecclesiarum, & Clericorum jura præscriptione qualibet minuantur. *De decimis. Cap. tua nobis. in int. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 25.

XXI. Romanus Pontifex non vult alicujus Ecclesiæ privilegium infringere. CAUS. IX. QUÆST. III. *cap.* 2. *nunc verò. init.*

XXII. Sumus in Sede Justitiæ constituti, inde sua jura servare tenemur singulis illibata. LIB. V. DECR. *Tit.* 32. *cap.* 2. *in int. fin.*

XXIII. Sedes Apostolica sic cujuslibet loci ordinatione disponit, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servet. *De religiosis domib. cap. quia.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 36. *cap.* 2.

XXIV. Si cunctarum jura Ecclesiarum integra non debeant, & illibata servari, locum B. Petri Apostolorum Principis inutiliter, & juxta commissæ dispensationis officium negligenter agere videtur Romanus Pontifex, sic enim Ecclesiæ Dei recto cursu dirigatur, dum unicuique studet jus suum servare. *Appendix Conc.* LATER. III. *parte* 13. *cap.* 10.

XXV. Secundùm Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, jus traditæ sibi antiquitùs Dignitatis intemeratum habere decrevimus: ita ut à regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ aut præsumptione discedant. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 5.

XXVI. Non est nostræ intentionis, ut jura Fratrum nostrorum indebitè minuantur. LIB. V. DECR. *Tit.* 40. *cap.* 22. *in int.*

SEC-

SECTIO XIV.

An & quandò possit sententia Romani Pontificis mutari?

I. Sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu gravium necessitatum dispensativè quicquam ordinare decrevit. *De in integrum restitutione. Cap. tum ex literis. §. 1. nos igitur.* Lib. I. Decret. *Tit.* 41. *cap.* 5. & Caus. XXXV. Quæst. IX. *c.* 6. *sententiam.*

II. Præsumptio contra sententiam Romani Pontificis quando ex datâ illius perspicitur, quod non plenè de meritis ipsius causæ videbatur instructus. *Ibid. de in integrum restit. Cap. tum ex literis.* Lib. I. Decret. *Tit* 41. *cap.* 5. §. 1.

III. Sedes Apostolica inhæret vestigiis Prædecessorum suorum, dicentium, sententiam Romanæ Sedis, cùm aliquid fuerit subreptum, posse in melius commutari. *De sententiâ. Cap. cùm olim. §. 1. nos igigitur.* Lib. II. Decret. *Tit.* 27. *cap.* 12.

IV. Apostolicæ Sedis sententia, tantâ semper consilii moderatione concipitur, tantâ patientiæ maturitate decoquitur, tantáque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium, ducat, nisi fortè sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutanda secundùm præmissæ tenorem conditionis existat. Caus. XXXV. Quæst. IX. *cap.* 4. *Apostolicæ. ex* Nicol I. *Epistola* 56. 58. Tom. VIII Conc. *p.* 445. & 453.

V. Quod quis commisit illicitè, aut à Prædecessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit. *Ibid.* Caus. XXXV. Quæst. IX. *cap.* 3. *quod quis.*

VI. Aliter à quibusdam Prædecessoribus est aliquando judicatum. *De sponsa duorum. Cap. licet. fin.* Lib. IV. Decret. *Tit.* 4. *cap.* 3.

VII. Quidam Prædecessor noster sensisse aliter videtur. *De divortiis. Cap. quantò. §. 1. sanè. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *cap.* 7.

VIII. Absonum videtur, ut Romanus Pontifex subitò Prædecessoris sui evacuet in aliqua parte statutum, cùm ei, quantùm cum Deo potest, deferre velit, sicut & vult, quòd quantùm cum Deo potuerint sui sibi deferant Successores. *Ne Sede vacante. Cap. novit. in integra* Lib. III. Decret. *Tit.* 9. *cap.* 1.

IX. Romanum Pontificem potest aliquando fallere oblivio. Dist. XXIII. *cap.* 12. *præterea. med. colligitur.*

X. Nicolaus Papa I. Rodulpho Archiepiscopo Bituriensi, *ann.* 864. *decimâ tertia Parte Appendicis* quam rogo validitatem poterunt habere vestra judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet. Conc. Tom. VIII. *p.* 498.

XI. Dicimus quòd hoc dixerit non ut Papa, sed ut Frater. Petrus de Tarantasia. *Extravag.* Joan. XXII. *quia quorumdam p.* 166. *de verb. signifi. Tit.* 14. *cap.* 5. Agitur de Cælest. V. quem dixisse fertur altissimam paupertatem nihil habere, nec in communi nec in proprio.

XII. Si nobis non licuit contra Constitutionem Nicolai IV. Prædecessoris nostri, aliquid statuere commune, nec sibi licuit contra statuta Gregorii, Innocentii, & Alexandri, statuere, aut aliquid declarare, quod tamen ipsum fecisse secundùm eorum assertionem noscitur evidenter. *Extravag.* Joan. XXII. *quia quorumdam. de verb. signif. p* 170. *Tit.* 14. *cap.* 5.

XIII. Romana Ecclesia instar speculi & exemplaris, reliquiis Ecclesiis constituitur, & quodcunque definierit in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre debet. Stephanus V. *Epistola* 2. Tom. IX. Conc. *p.* 373. Episcopi Orientales ab illo quæsierant, quid agendum de ordinatis à Photio, suspendit definitionem, ulteriorem informationem petens, hinc meritò præsumendum, quod si quis Pontifex dixisse videatur judicia Sedis suæ irreformabilia esse, mens ejus fuerit, quod tanta maturitate illa essent proferenda ut reformari nequeant.

De argumento hujus sectionis actum est in 1. Tom. dum de Conciliis *Generalibus*: ubi decantatum illud (Prima Sedes à nemine judicatur) explicatum est.

XIV. Illud vulgatum in suppositititiis priorum Pontificum Epistolis (Sedes Apostolica à nemine judicatur) habetur in purgatione Canonica Leonis III. *ann.* 800. Dictum ab Episcopis Francorum Tom. VII. Conc. *p.* 1156. nihilominus se ipsum purgavit, Prædecessorum suorum vestigia sequens.

Ejusdem dicti prima mentio est in *Concilio* Sinuessano, cujus confectio longè antiquior est quàm suppositio dictarum literarum.

SECTIO XV.

Quid possit Summus Pontifex in ordine ad Successores suos?

I. Romanus Pontifex Successoribus suis nullum potest præjudicium generare, pari post eum (imò eadem) potestate functuris, cùm non habeat Imperium par in parem. *De electione. Cap. innotuit. §. 2. quamvis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6 *cap.* 12.

II. Vide *Epistolas* Symmachi *primam. & secundam ann.* 501. Tom IV. Concil. *p.* 1291. In prima dicit, quod ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites Sacerdotium, quemadmodum Priorum Statuta à sequentibus convenit violari? In secunda, Nec à nobis aliquid novi poterit ordinari, nisi quæ à nostris Prædecessoribus, hac de causa, Statuta claruerint.

III. Per Canonem à Prædecessore editum Successoribus adempta non fuit dispensandi facultas, cùm ea non fuerit prohibentis intentio. *De elect. Cap. innotuit. §. 1. quamvis* Lib. I. Decret. *Tit.* 6. *cap.* 20.

IV. Quod sibi Romanus Pontifex licere non patitur, suis Successoribus indicare potest. *In* 6. *de rescriptis. c. quia per ambitiosam. §. ult. fin.* Lib. I. *Tit.* 3. *cap.* 15.

V. Per sententiam Romani Pontificis nullum Apostolicæ Sedi præjudicium generatur, quominus, si voluerit, suam justitiam prosequatur. *De sententia. Cap. suborta §. 1. med.* Lib II. Decr *Tit.* 27. *cap.* 21.

VI. Taciturnitas, atque patientia Romani Pontificis, futuris post ipsum Pontificibus in rebus pauperum præjudicium non est factura. *De præscriptionibus. Cap. nihil prodest.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. *cap.* 2. §. 2.

SECTIO XVI.

Quid possit Summus Pontifex circa Jus Generale, & Publicum quod spectat ad Regimen Ecclesiasticum.

I. Romani Pontificis providentia circumspecta nonnumquam gesta & ordinata per eum, ne lites & scandala pariant, dilucidat, & declarat, prout locorum & temporum qualitate pensatâ, in Domino conspicit expedire. *Bulla* Martini V. *anni* 1423. 12. *Kal. Sept. Pontificatûs anno* 9. *init. Preuves des libertés. chap.* 26. *part.* 2. *p.* 779.

II. Apostolicæ Sedis æqua & circumspecta provisio, quorumlibet jura, & tranquillitatem confoveri satagens, cùm verisimiliter timetur ne cupiditas improba, se à vetitis abstinere nesciens, Statutis & Ordinationibus à se hujusmodi prodeuntibus, laxato fræno rationis abutatur, nec per provisionis debitæ remedium, nunc verò per opportunæ declarationis officium nititur obviare. *Bulla ejusdem* Martini V. *anni* 1428. *Kal. Maii. Preuves de libertés. chap.* 26. *art.* 3. *p.* 780. *Pontificatûs ann.* 12.

III. Sedes Apostolica in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans, libenter evitat nodosæ ambiguitatis involucrum, illámque sibi semper in suis Ordinatio-

nationibus reservare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum quòd aliis non immineat detrimentum *Extravaganti* JOAN. XXII. *Sedes Apostolica de conceff. prabend.* Ita. III. *Extravag.* JOAN. XXII. *Tit.* 4. *cap.* 1. *Init.*

IV. In causis Ecclesiasticis cum aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad judicium est Sedis Apostolicæ recurrendum. *Qui filii sint legitimi. cap. per venerabilem. §. penult.* LIB. IV. DECRET. *Tit.* 17. *cap.* 13.

V. Adeò scripta sua Sedes Apostolica moderatur, ut ex certâ scientiâ, nihil in eis faciat apponi quod de jure debeat reprehendi. *De rescriptis. cap. cùm adeò. in integrâ. Init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 3. *cap.* 17.

VI. Cavet Romanus Pontifex, ne quid, quod ad cautelam pertinet, omittat. DIST. LXIII. *cap.* 10. *quantò. med.*

VII. Dispendia litium, æquitatis compendio, vult Apostolica Sedes, quâ potest industriâ, coarctare. *In 6. de rescriptis. cap. dispendia.* LIB. I. *Tit.* 3. *cap.* 3. *Init.*

VIII. Suscepti Regiminis Romanum Pontificem cura sollicitat, ut utilitatibus subjectorum, in illis præcipuè per quas animarum saluti consulitur, nunc novorum [illegible] jurium, nunc antiquorum innovatione, [illegible]tè providere curet. *In 6. de prab. cap. suscepti.* LIB. III. *Tit.* 4. *cap.* 1.

IX. Romanus Pontifex curis sollicitatur continuis, & assiduâ meditatione urgetur, ut juxta creditæ sibi dispensationis officium, subditorum commodis, jugi, quantùm ipsi ex alto concessum fuerit, sollicitudinis studio intendat, & quas humana natura lites quotidie invenire conatur, nunc antiquorum declaratione, nunc verò novorum editione jurium, prout ipsi possibile est, reprimat. *In 6. in proœmio.*

X Sopitæ judicio Sedis Apostolicæ quæstiones scripto ad memoriam perpetuò commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari. *De Censibus. cap. Sopitæ in int. Init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 39. *cap.* 14.

XI Lex Divinæ Constitutionis Apostolicam Cathedram totius posuit orbis terrarum Magistram, ut quidquid ubique locorum dubitatur, ab ea ratio ejusdem requiratur CAUS. XXVII. QUÆST. II *cap.* 18.

XII. Tenetur Romanus Pontifex consultationibus singulorum, quantùm Dominus ministraverit, respondere. *De appell. cap. cùm teneamur. in int.* LIB. II. DECRET. *tit.* 28. *cap.* 17.

XIII. Sic debet Romanus Pontifex quoslibet in suis rationibus confovere, quòd aliorum jura in conspectu Ecclesiæ dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. *De rerum permutatione. cap. cum universorum init. in integ.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 19. *cap.* 8.

XIV. Consultationibus singulorum ex ministerio susceptæ servitutis cogimur respondere, ut si quid dubietatis, vel quæstionis in mente alicujus emerserit, ab Ecclesia Romana solvatur. *De off. jud. deleg. cap. consultationibus. in int. Init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 29. *cap.* 10.

XV. Lex Divinæ institutionis Apostolicam Sedem totius posuit orbis terrarum Magistram, ut quicquid dubitatur ab aliquo, ab eâ tandem ejus ratio requiratur. *De off. Jud. ordin. cap. quod sedem. init. int.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 31. *cap.* 10.

XVI In causis quæ Summi Pontificis judicio decidunter, & ordo juris & vigor æquitatis est subtiliter observandus. *De Sent. cap. in causis. Init.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 27. *cap.* 19.

XVII. Apostolica Sedes, ex susceptæ autoritatis officio singularis, tanquam singulorum Mater, justa petentibus, justitiam nec potest nec debet denegare, cum justitia & judicium sit præparatio sedis ejus. *De conceff. preb. cap. quia diversitatem. post init. in int.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 8. *cap.* 5.

VIII. Cùm Apostolica Sedes Universis per orbem Ecclesiis, non humana, sed Divina sit institutione prolata, justum est & conveniens ut ad eam tanquam ad Magistram & Matrem super diversis juris articulis referantur dubiæ quæstiones, & quæ jura constituit, eamdem quoque jura distinguat, ne, quæ diversa cernuntur, videantur adversa. *De his qua fiunt &c. cum Apostolica. in integ. init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 10. *cap.* 7.

Ex collectis in hac Sect. Textibus, necnon ex argumento Sect. patet quòd illustrat præcedentes, & ab illis illustratur, nam Pontifex est potestatis ejusdem circà jus publicum, cujus est circà res de quibus aliæ Sectiones, tunc sicut non est Dominus circà alias res, ita nec circà illud imò ei subest, etsi possit ab illo dispensare, illud interpretari, aliquid in illo immutare; sed istæ mutationes non ligant extra specialem districtum sine acceptatione Prælatorum aliarum regionum, ut ostensum est *Sect.* 12.

TITULUS III.

De Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ.

SECTIO I.

Quid sint Cardinales, quo nomine à Romano Pontifice appellentur, & quomodo in Bullis designentur, quóve jure gaudeant in suis Ecclesiis?

I. SAnctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, pars Corporis Romani Pontificis esse censentur. *Concilium* BASIL. SESS. XXIII *n.* 3. *fin.*

II. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Romano Pontifici in executione officii Sacerdotalis Coadjutores assistunt. *In 6. de electione. cap. fundamenta. §.* 2. *decet. Init.* LIB. I. *Tit.* 6. *cap.* 17.

III. Summo Pontifici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in regenda Christiana Republica collaterales assistunt. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 8. *de numero & qualitate Cardinalium.*

IV. Romanus Pontifex Fratres suos appellat Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. *In 6. de electione. cap. fundamenta. §.* 2. *decet. Init.* LIB. I. *Tit.* 6. *cap.* 17. *& de officio Legati. cap. officii. in 6.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 15. *cap.* 1.

V. Gradus filiorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, id est Presbyterorum, Cardinalium, & Diaconorum. DIST. LXXIX. *cap.* 5. *si quis ex Episcopis. post Init.*

VI. Venerabilis frater noster Episcopus HOSTIENSIS & L. Sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis *De consuet. cap. cùm venerabilis. Init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 4. *cap.* 7.

VII. In literis Domini Papæ nunquam ponitur Presbyter Cardinalis, quin addatur Titulus; nec Diaconus, nec Episcopus cum Titulo: & si literam Bullatam in quâ hoc non servetur inveneris, ipsam judica falsam. *Hostiensis in Summâ.* LIB. I. *de officio Archipresbyteri. n.* 2.

VIII. Capellarum Presbyteri, & Clerici, Cardinali, qui nunc est in ipsa Ecclesia, & qui fuerint per tempora, manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem exhibeant. *De majorit. cap. his quæ. post Init.* LIB I. DECRET. *Tit.* 33. *cap.* 11.

IX Correctionem ipsius Cardinalis recipiant humiliter, & excommunicationis interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos & Ecclesias eorum lem, inviolabiliter observent. *Ibid. de Majorit. cap. his quæ. med* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. *cap.* 11.

X. Ipsos Cardinales pro honoris & dignitatis eminentia, partem sui Corporis Summi Pontifices appellant.

lant. Ex quo fine olla dubitatione oftenditur poft Caput Ecclefiæ, quod eft Papa, contigua fui corporis membra, qui funt fratres ejus Cardinales, præ cæteris Ecclefiæ membris ac partibus honorari debere. *Bulla* 15. EUGENII IV. *non mediocri.* §. 6. *init. ann.* 1439. *Bullarii* TOM. I. *pag.* 351.

XI. In ejusmodi Prælationibus officium ac dignitas fivè jurisdictio præponderat Ordini. *Ibid.* §. 13. *init p* 352. *Bullarii* TOM. I.

XII. Cardinales de Romanæ Sedis Collegio, membra capitis, à membris corporis cenferi non debent aliena. *De poftul. cap. bonæ. in integr.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. *cap.* 3.

XIII. Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclefiæ, circa Romanum Pontificem Univerfali Ecclefiæ ferviendo, fingularum Ecclefiarum commoditatibus ferviendo fe impendunt. *Extravagant.* JOAN. XXII. *execrabilis. de Preb.* §. 1. *nos itaque.* LIB. III. DECRET. *Extravag.* JOAN. XXII. *Tit* 3. *cap unico.*

XIV. Ecclefia quæ fpectat ad titulum Cardinalis, illi in fpiritualibus eft fubjecta pleno jure. *De elect. cap. quarelam.* §. & 2, *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *cap.* 14.

XV Decuit, cùm Summus Pontifex Chrifti repræfentet perfonam, ut quemadmodum Chrifto converfanti in terris affiftebant Apoftoli, ita etiam Cardinalium Cœtus Apoftolicum repræfentans, coram Papa affifteret; reliqui verò Epifcopi, ubique diffufi, Apoftolos repræfentant ad prædicandum per orbem miffos. *Bulla* 15. EUGENII IV. *ann.* 1479. §. 5. *fin.*

XVI. Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalium Confilio apud Summum Romanum Pontificem Univerfalis Ecclefiæ adminiftratio nititur. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXV. DECR. II. *de reform. cap.* 1. *fin.*

XVII. Cardinalis perfona utilior eft non folùm Romanæ, fed etiam Ecclefiæ Generali, tam apud Apoftolicam Sedem, quàm apud particularem Ecclefiam. *De poftul. cap. Bonæ.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 5. *cap.* 3.

XVII. Non fine Myfterio triplex Ordo in Fratrum noftrorum Collegio à Sanctis noftris Prædecefforibus inftitutus eft. Nam cùm Summus Pontifex vices Dei gerat in terris, quemadmodum Moyfi præceptum fuit, ut omnia ad exemplum faceret, ficut ei oftenfum erat in monte, quod ad inftar illius Cœleftis Hierarchiæ in hac noftra Ecclefia tres conftituerentur Ordines affiftentes Papæ, qui purgantium, illuminantium, & perficientium fungerentur officio, veluti funt Diaconi, Presbyteri, & Epifcopi Cardinales. *Bulla* 15. EUGENII IV. *non mediocri.* §. 5. *med. ann.* 1439.

SECTIO II.

Qui affumi debeant in Cardinales, quales effe, & quid praftare debeant?

I. Nihil magis Ecclefiæ Dei eft neceffarium quàm ut Beatiffimus Romanus Pontifex follicitudinem fuam potiffimum impendat, ut lectiffimos tantùm fibi Cardinales adfcifcat. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *de reform. cap.* 1. *fin.*

II. Neceffe eft, ut tales inftituantur, qui ficut nomine, ita re ipfa cardines fint, fuper quos oftia Univerfalis Ecclefiæ verfentur & fuftententur. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit* 8. *de numero & qualitate Cardinalium.*

III. De omnibus Chriftianitatis partibus, quantùm fieri commodè poterit, affumantur, ut notitia rerum in Ecclefia emergentium facilliùs haberi, & fuper his maturiùs deliberari poffit. *Ibid.* PRAGM. SANCTIO. *Tit.* 8.

IV. Ea omnia & fingula, quæ de Epifcoporum præficiendorum ætate decreta, & cæteris qualitatibus in TRID. *Synodo* conftituta funt, decernit eadem etiam in creatione Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalium, etiamfi Diaconi fint exigenda, quos Sanctiffimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriftianitatis Nationibus, quantùm commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, affumet. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXIV. DECRET. II. *de reform. cap.* 1. *fin.*

V. Nefas videri poteft Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinales non iis etiam virtutum infignibus ac vivendi difciplinâ fulgere, quæ meritò omnium in fe oculos convertant. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXV. DECR. II. *de reform. cap.* 1. *fin.*

VI. Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalium Confilio apud Sanctiffimum Romanum Pontificem Univerfalis Ecclefiæ adminiftratio nititur. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXV. DECRET. II. *de reform. cap.* 1 *fin.*

VII. Admodum expediens eft, ut juxta vetuftum morem, gravia & ardua negotia de Cardinalium confilio, directione, caufa quoque maturè cognita, fiant, præfertim caufarum fidei decifiones, Sanctorum canonifationes, erectiones, feu fuppreffiones, divifiones, fubjectiones, uniones Ecclefiarum Cathedralium & Monafteriorum, promotiones Cardinalium, confirmationes, ac provifiones de Ecclefiis Cathedralibus & Monafteriis, privationéfque & translationes Abbatum, Epifcoporum & Superiorum, Leges, feu Conftitutiones, Legationes de latere, feu Vicariorum ac Nunciorum auctoritate Legatorum de latere fungentium commiffiones; novæ Religionis inftitutio, exemptiones novæ Ecclefiis, Monafteriis, feu Capellis, aut ipfarum jam factarum revocationes. *Concil.* BASIL. SESS. XXIII. *n.* 3. *fin.*

VIII. Non affumantur Cardinales, nifi in ætate faltem 25. annorum conftituti, ac viri bonæ vitæ, converfationis, & famæ ac literarum fcientia & bonis moribus præditi. *Bulla* PAULI IV. *ann.* 1555. 4. *Kal. Junii, feu* 28. *Maji. actorum Cleri Gallic.* TOM. II *tit.* 22 *p.* 605.

IX. Servetur Decretum JULII III. in Sacro Confiftorio editum, de duobus fratribus Germanis ad Cardinalatus honorem non affumendis; quod extendatur & extenfum effe cenfeatur etiam ad patruum & nepotem, ut eodem tempore nullo modo in eodem Collegio effe poffint. *Ibid. Bulla* PAULI IV. *decet Romanum.*

X. Cardinalium officio nomen ipfum confonat optimè; nam ficut fuper cardinem volvitur oftium domûs, ità fuper hoc Sedes Apoftolica, totius Ecclefiæ oftium, quiefcit, & fuftentatur. *Bulla* 15. EUGENII IV. *Non mediocri.* §. 14. *fin. ann.* 1439. *Bullarii* TOM. I. *pag.* 352.

XI Quis non videat Cardinalatûs dignitatem Archiepifcopali effe majorem dignitate, quia cum illa privatæ unius patriæ præfit utilitati, ifta publicæ totius populi Chriftiani. Illa unam duntaxat regit Ecclefiam; ifta cùm Sede Apoftolica univerfas, etiam fuperiorum Prælatorum: & cùm à nemine, nifi à folo Papa judicentur Cardinales, ipfi & Patriarchas, & Archiepifcopos & reliquos Ecclefiæ gradus, cùm Summo Pontifice, judicant. *Ibid.* §. 14.

XII. Si Romanæ Ecclefiæ Camerarium, aut Majorem, vel aliquos alios ex Pœnitentiariis per mortem vel aliàs deficere quovis modo contingat: valeat Cœtus Cardinalium, eadem vacante Ecclefia, ad tempus vocationis hujusmodi pro numero deficientium, vel ampliori etiam quantum ad Pœnitentiarios, fi hoc eidem Cœtui concorditer expedire videbitur, alios fubrogare. CLEMENTINA *ne Romani. de elect.* §. 5. CLEMENTINARUM. LIB. I. *Tit.* 3. *cap.* 2.

XIII. Majoris Pœnitentiarii & aliorum Pœnitentiariorum officium per obitum Romani Pontificis non expirat. CLEMENTINA *ne Romani.* §. 1. *Init. de electione.* CLEMENTINARUM LIB. I. *Tit.* 3. *cap.* 2.

Collecta loca circa Cardinales in memoriam revocant, quæ fuprà dicta funt de Caufis Majoribus aliifque Summo Pontifici refervatis, quæ tot & tanta funt ut Vicariis, Adjutoribúfque egeat.

SECTIO III.

Quæ sint prærogativæ Cardinalium in Gallia?

Has continet Compactum in Conclavi PAULI IV. inter Cardinales initum, de quo dicendum erit post relatos exindè sequentes articulos

I. Ipsi Cardinales erunt exempti à decimis, ac quibúsque aliis impositionibus & oneribus ordinariis & extraordinariis, quacumque de causa impositis & imponendis. *Bulla* PAULI IV. *ann.* 1555. 4. *Kal. Junii, Pontificatûs ejus anno primo, registrata in Tabulario* MAGNI CONSILII *nona Julii* 1556. Gabellis de quibus agitur sunt Romanæ non Gallicæ, à quibus Papa eximere non valet.

II. In Diœcesi, in quâ erunt Ordinarii Collatores, quæcumque Beneficia Ecclesiastica ad eorum collationem, tam conjunctim, quàm divisim pertinentia, qualitercumque reservata, liberè conferre poterunt, *Ibid.* Romanus Pontifex regulæ de infirmis resignantibus tam citrà quàm ultra montes, in præjudicium indultorum eorundem Cardinalium, & indultis ipsis ad instantiam Regum, & Principum, etiam virtute quorumcumque mandatorum, ac gratiarum non derogabit. *Ibid.* Hic est præcipuus quoad praxim Compacti articulus, de quo fusè in actis Clerici Gallicani, *Edit nova.* TOM. X. *pag.* 958. *ad* 1106. *hujus Collectionis.* Autor notat conventiones in quarum executionem PAULUS IV. concessit Cardinalibus indultum, è quo collecti articuli desumpti sunt, non extare seorsim ab illo, illud tamen Compacti nomen habere ex his conventionibus, quæ haud dubiè eædem sunt, ac illæ quæ in illo referuntur. Necessarias fecerat usus vel abusus Prædecessorum PAULI IV. præveniendi Cardinales in collationibus illorum, non habita ratione indulti jam veteris, quo à præventione hujusmodi eximebantur. Compactum integrum habes in Specimine Juris Gallici, *part.* 2. *pag.* 128 necnon Inventario Indultorum. *p.* 1260.

III. Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter sublimitatem eorum sunt potioris prærogativa gratiæ attollendi. *Extravaganti* JOAN. XXII. *Execrabilis. de præb.* §. 1. *nos itaque. Tit.* 3. *Extravag.* JOAN. XXII. *Tit.* 3. *Cap. unico.*

SECTIO IV.

1. *Per promotionem ad Cardinalatum vacant omnia Beneficia.* 2. *Concessa intelligitur retentio Ecclesiarum Cathedralium, & Commendarum.* 3. *Cætera inferiora Beneficia omnia vacant.*

I. Sanctissimus D. N. SIXTUS Papa V. decrevit, quòd per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Ecclesiæ, & omnia Beneficia cujuscumque nominis & tituli sint, nisi fuerit data retentio. *Bulla* 79. SIXTI V. *Sanctissimus. ann.* 1588. *init. Bullarii* TOM. II. *p.* 632.

II. Retentio concessa intelligitur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, ad Monasteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia alia Beneficia, quæ videntur convenire Dignitati Cardinalatùs *Ibid.* Hæc gratia restringenda est juxtà *Concil.* TRIDENTIN. ad unam ex illis Dignitatibus, quam possidere etiam Cardinalibus prohibuit. *Cap.* 17. SESS. XXIV. *de reform.*

III. Ad alia verò, quæ videntur repugnare Dignitati & gradui Cardinalatùs, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & similia Beneficia non extendatur, cùm obtinentes hujusmodi Beneficia teneantur residere in Choro, & habere debeant locum post Episcopum, Cardinalis Dignitati non convenientem. *Bulla* 79. SIXTI V. *Sanctissimus, ann.* 1588. §. 1. *ad alia.* In hoc promotio ad Cardinalatum convenit cum promotione ad Episcopatum, cujus assecutio post consecrationem facit vacare hujusmodi Beneficia, secùs de Articulo II. nam promotio ad Episcopatum, per consecrationem consummata, inducit vacationem omnium Dignitatum antea possessarum, promotio verò Episcopi ad Cardinalatum non inducit hujusmodi vacationem, nisi quoad Regem, qui conferre potest Beneficia vacantia inter hanc promotionem & novum fidelitatis Sacramentum sibi præstitutum à promoto.

SECTIO V.

Ubi judicandæ sunt causæ quodammodo ad Cardinales spectantes?

I. Sanctæ Romanæ Cardinales, qui pro Universali Ecclesia continuè laborant - - - sub præsenti Decreto non intendimus comprehendi. *Concordat Tit. de causis* §. 2. *in fine.* Excipiuntur hic Cardinales à Decreto jubente, ut causæ eorum, qui immediatè subsunt Sedi Apostolicæ committantur in partibus, nisi ob defectum denegatæ justitiæ, vel ob justum metum, quibus casibus vult committi in partibus convicinis. REBUFFUS in hunc locum notat intelligendum de Cardinalibus Romæ residentibus; quæ nota firmari potest ex eo quod exceptio subsequens restringitur ad Officiales Curiæ Romanæ, qui actu exercent officia.

II. Contra eorumdem Cardinalium personas ex quacumque causa, nisi in casibus hæresis vel schismatis, vel Læsæ Majestatis, *in* 1. *Capite & præcedenti* causæ cognitione & processu, coram Cardinalibus, ad id de duarum partium aliorum Cardinalium, tunc præsentium consensu, per modum Secretum præstito deputandis, non procedemus nec procedi faciemus.

TITULUS IV.

De Legatis Sedis Apostolicæ, seu Summi Pontificis, ac de Majore Pœnitentiario.

SECTIO I.

Quot sint hujusmodi Legatorum genera, & quandonam desinat eorum officium?

I. CONtingit aliquandò Sedem Apostolicam Legatum ad partes aliquas de latere suo destinare. *De Officio Legati. cap. volentes med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *cap* 8. *Legatus à latere.*

II. Legati Cardinales a latere Romani Pontificis destinantur. *De sent. excom Cap. ad eminentiam. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *c.* 20.

III. Legati à latere nunquam, nisi Cardinales, sunt Ecclesiæ Romanæ Legati, qui de ipsius latere non mittuntur. *De Officio Legati. Cap. excommunicatis. init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *c.* 9.

IV. Legatus missus. *Glossa in Cap. dudum. De præbendis In* 6. LIB. III. *Tit.* 4. *c.* 14. Appellamus Nuncium Apostolicum.

V. Sunt Ecclesiæ Romanæ Legati qui Ecclesiarum suarum prætextu Legationis sibi vendicant Dignitatem. *De Officio Legati. cap. excommunicatis. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 30. *c.* 9.

VI.

VI. Legatus natus. *Glossa. ibid.*

VII. Rhemensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus. *De Filiis Presbyter. c. dilectus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. *cap.* 17. *& de sententia & re judic. cap. cum* Bertholous. *post init.* Lib. II. Decret. *Tit.* 27. *c.* 18.

VIII. Archiepiscopus, qui non solùm Metropolitico, sed etiam Legationis jure præest in Provincia sua vices Romani Pontificis gerere comprobatur. *De Officio Legati. cap. cùm non ignoretis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. *c.* 1.

IX. Qui in Regno Francorum injunctam sibi à Sede Apostolica Legationis sollicitudinem suscepit, ubi fines Regni Francorum exiit, censetur fuisse terminos suæ Legationis egressus, ejúsque officium expirasse, *Ibid. de Officio Legati. cap. novit. fin. colligitur* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. *c.* 7.

X. Episcopus cui Legationis Officium in Provincia sua Sedes Apostolica duxerit committendum; si Legatum ad partes illas de latere suo contigerit destinari: executionem Officii (quamdiù Legatus ipse ibi fuerit) pro Sedis Apostolicæ reverentia omninò dimittat. *De Officio Legati. cap. volentes.* Lib. I. Decr. *Tit.*30. *c.* 8.

XI. Quoties Ecclesiarum negotiis, &c. *De censib. cap. cum instantia. init. in int.* Lib. III. Decrat. *Tit.* 39. *c.* 17.

XII. Cùm Legatus de latere Domini Papæ sit major, eo præsente non exerceat minor Officium suum, sed deferat illi tanquam majori. *Glos. v. de latere nostro. Præsente Legato à latere, Officium Legati missi, seu nati, cessat.*

XIII. A latere Apostolico mitti Cardinalibus solis, & non aliis appropriatur Legatis. *Bulla* 15. Eugenii IV. *non mediocri.* §. 7. *fin. ann.* 1439. *Bullarii,* Tom. I. *pag.* 352.

XIV. Sunt in signum præeminentiæ ipsis fratribus nostris. cùm Legati de nostro latere destinantur præ aliis Legatis multa, ac magna per Canones attributa privilegia. *Ibid.* §. 7. *init.*

XV. Non creditur se asserenti Legatum, nisi hoc scriptis probaverit. Nunquam enim Apostolicæ Sedis moris fuit, absque signatis apicibus, undecumque Legationem suscipere. Extravaganti. *de Elect. inter communes injuncta.* §. 1. Lib. I. *Extravag. commun. Tit.* 3. *cap.* 1.

XVI. Quantò Legatus de benignitate Sedis Apostolicæ locum obtinet celsiorem, tantò ipsi est sollicitiùs procurandum, ut se talem exhibeat in agendis, non declinans vel ad dextram, vel ad sinistram, quod non minùs re quàm nomine vices Apostolicas gerere videatur. *De consuet. cap. quantò. in int. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. *c.* 4.

XVII. Commissum à Prædecessore Legationis officium, nequaquam per ipsius obitum expirat. *In* 6. *de Offic. Legati. cap. Legatos. fin.* Lib. I. *Tit.* 15. *c.* 2.

SECTIO II.

Qua sit potestas hujusmodi Legatorum, & ad qua se extendat?

I. Licet in aliquo Regno generalis sit Legato de latere commissa legatio, ad ea tamen, sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, non debet manus extendere, quæ in signum privilegii singularis sunt tamen Summo Pontifici reservata. *De Officiu Legati. cap. quod translationem. init.* Lib. I. Decret. *Tit.*30. *c.* 4.

II. Servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quæ ad Canones pertinent, sive ea quæ à nobis nuper sunt mandata, serventur, sive ea quæ de Ecclesiasticis causis suæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuæ, ut talem te in his, quæ injunguntur, exhibeas, ut fidem, integritatémque ejus, cujus curam suscipis, imiteris. Caus. XXV. Quæst. II. *cap.* 6.

III. Etsi Romanus Pontifex vices suas alicui tamquam Legato de latere commiserit exequendas, Cathedralem Ecclesiam non potest alteri subjicere, ut illam præficist isti, concesso sibi privilegio Primatiæ; nec illi licet duos Episcopatus unire, vel unum dividere sine licentia speciali. *De Offic. Jud. cap. quod translationem.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. *c.* 4.

IV. Gravissimè excederet Legatus de latere, qui spretis Canonicis Sanctionibus & consuetudine generali, motu proprio præsumeret Episcopum de una Ecclesia ad aliam de facto transferre. *Ibid. cap. nisi.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. *c.* 3.

V. Legati etiam de latere, Nuncii, aut alii quarumcumque facultatum vigore, Episcopos in causis impedire, aut aliquomodo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare, non præsumant. *Concil.* Trident. Sess. XXIV. *Decreto II. de refor. cap.* 20. *med.*

VI. Non habent jurisdictionem contentiosam instar Proconsulum. *Glossa ad caput excommunicatis. de Officio Legati.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. *cap.* 9. *verbo mittuntur. fin. & in* 6. *de Officio Legati. cap. Legatos.* Lib. I. *Tit.*16. *cap.* 2.

VII. Nec etiam contra Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas procedant; aliàs eorum processus ordinationésve nullius momenti sint, absque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. *Concil.* Trid. *ibid.* Sess. XXIV. *Decret. II. de reform. cap.* 20.

VIII. Legatus commissionem alii factam specialiter impedire non potest. *De Officio Legati. cap. studuisti.* §. *respondemus.* Lib. I. Decr. *Tit.*30. *cap.* 2.

IX. Si Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, post vocem appellationis ad Sedem Apostolicam emissam, aliquid statuit, judiciarium ordinem non servat. *De accusationibus. cap. ad petitionem.* Lib. V. Decr. *Tit.*1. *cap.* 22. §. *cùm igitur.*

X. Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus procedere non valet in causa, quæ aliis Judicibus priùs fuit autoritate Apostolicâ commissa. *Ibid. de accusationibus. cap. ad petitionem.* §. 1. *verùm. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *c.* 22.

XI. Apostolicæ Sedis Legatus de latere majus omnibus post Romanum Pontificem in Provincia sibi decreta Imperium censetur habere. *In* 6. *de electione. cap. si Abbatem.* §. *hujusmodi.* Lib. I. *Tit.* 6. *cap.* 36.

SECTIO III.

Qua sit potestas Legatorum quoad Collationem Beneficiorum?

I. Ecclesiæ Romanæ Legati quantumcumque plenam Legationem obtineant, sive à Sede Apostolica missi fuerint, sivè prætextu Ecclesiarum Legationis sibi vendicent dignitatem, ex ipsius Legationis munere conferendi Beneficia nullam habent potestatem, nisi hoc alicui specialiter Romanus Pontifex duxerit indulgendum. *In* 6. *de Officio Legati. cap. officii.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 15. *cap.* 1.

II. Legati missi non habent potestatem conferendi Beneficia.

III. Ecclesiarum concessiones factæ ab Apostolicæ Sedis Legato nato, in irritum revocari debent. *De appellationibus. cap. dilecti.* §. *super. fin.* Lib. II. Decrat. *Tit.* 28. *cap.* 1. *Neque Legati nati.*

IV.

IV. Apoſtolicæ Sedis Legatus prætextu ſuæ Eccleſiæ diſpenſare non poteſt cum aliquo, ut Eccleſiam, curam animarum habentem, quam nullo medio habuit, patet. ejus obtineat. *De Filiis Presbyter. Cap. dilectus.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 17. *cap.* 17.

V. Legati à Latere, ſeu Cardinales poſteſtatem habent conferendi Beneficia.

VI. In Cardinalibus Legatione fungentibus non obſervatur, ut conferendi Beneficia nullam habeant poteſtatem, quia ſicut honoris prærogativâ lætantur, ſic autoritate funguntur ampliori. *In 6. de officio Legati Cap. officii. fin.* LIB. I. *Tit.* 15. *cap.* 1.

VII. Inhibitum eſt, ne quis Apoſtolicæ Sedis Legatus quantumcumque Legationem obtinere plenariam dignoſcatur; Cathedrales, vel Regulares, aut Collegiales Eccleſias, ſeu ipſarum Eccleſiarum Cathedralium Dignitates, ad quas hi, qui præficiuntur eiſdem, majores in earum Capitulis poſt Epiſcopos exiſtentes, habent per viam electionis aſſumi. *In 6. de officio Legati. Cap. deliberatione. med.* LIB. I. *Tit.* 15. *cap.* 4.

VIII. Nec ſuæ ordinationi, collocationi, proviſioni, electioni, aut diſpoſitioni, quomodocumque reſervet: nec de ipſis ordinandis, conferendis, vel diſponendis, ſe aliquatenus intromittat. *Ibid. In 6. de officio. Legati. cap.* 4.

IX. Non tamen quicumque Legati poſſunt conferre Cathedrales, vel Regulares, vel Collegiatas Eccleſias. *Summa.*

X. Idem in Dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium, quæ ſunt majores poſt Epiſcopos, ſi ipſarum Prælati debent per electionem aſſumi. *Summa.*

XI. Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, Eccleſiam, ad reſignationem proprii Paſtoris in manu ejus factam liberaliter confert. *De off. Legati. Cap. dilectus. init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *c.* 6. *vid.* GONZAL. *Ibid.*

XII. Quidquid contra hoc actum extiterit, eo ipſo ſit irritum, & inane. *In 6. de off. Legati. Cap. deliberatione.* LIB. I. *Tit.* 15. *cap.* 4.

XIII. Prohibitum eſt inſuper ne Legatus ipſe in genere, aut in ſpecie, cuicumque concedat, ut ab his qui, Beneficia intra Legationem ejuſdem habentes, ea in illius manibus voluerint liberè reſignare, ipſorum reſignatione recepta, illa valeat idoneis conferre perſonis. *Ibid. in 6. de off. Legati. Cap. Deliberatione. §. probibemus. init.* LIB. I. *Tit.* 15. *cap.* 4.

XIV. Conceſſio quam contra hoc contigerit attentati, & quicquid ex eâ vel ob eam ſecutum fuerit, nullam protſus habeat roboris firmitatem. *Ibid. fin.*

XV. Eum, qui ad mandatum Legati, vel alterius autoritate Apoſtolicâ ſibi ſpecialiter in hac parte conceſſa fungentis, in aliqua Eccleſia recipitur, autoritate Apoſtolicâ receptum eſſe dubium non exiſtit. *In 6. de prabendis. Cap. hi qui. §. eum quoque.* LIB. III. *Tit.* 4. *cap.* 12.

XVI. Collatio Beneficii per Legatum ſedis Apoſtolicæ alicui facta, nullius momenti exiſtit, ſi in ea non fuerit habita mentio de alio Beneficio, quod primitùs obtinebat. *In 6. de officio Legati. Cap. collatio.* LIB. I. *Tit.* 15. *cap.* 5.

XVII. Ab Apoſtolicæ Sedis Legato de Beneficio facta Collatio, Beneficium aliud obtinenti non valet, niſi de illo, quod obtinet, facta fuerit mentio ſpecialis. CLEMENTINA *Etſi. de Off. Judicis Ordinarii.* CLEMENTINARUM LIB. I. *Tit.* 9. *cap.* 2. *init.*

XVIII. Non præjudicatur Prælato, ſi quando per Apoſtolicæ Sedis Legatum, eo inconſulto, Eccleſia concedatur. *De officio Legati. Cap. dilectus. §.* 1. *med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 6.

XIX. Apoſtolicæ Sedis Legatus Eccleſiam alicui ad reſignationem proprii Paſtoris in manibus ejus factam liberaliter conferre poteſt. *Ibidem init. in integra.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 6.

XX. Apoſtolicæ Sedis Legatus Præbendam, quæ in aliqua Eccleſia tamdiu vacavit, quod donatio ejus fuerit ad ſedem Apoſtolicam devoluta, Clerico conferre poteſt, dum in illis partibus Legationis officio fungitur. *De preb. Cap. venerabilis. init.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 5. *cap.* 37.

SECTIO IV.

Quæ ſit poteſtas Legatorum quantum ad Juriſdictionem voluntariam?

I. Quædam ex his, quæ de ſpeciali conceſſione ſæpè fuere Legatis indulta, videntur ex ipſo Legationis officio jam licere Legatis. *De officio Legati. Cap. Quod tranſlationem. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 4.

II. Illorum abſolutio, qui propter ſacrilegas manuum injectiones in Clericos, incidunt in Canonem promulgatæ ſententiæ, videtur ex ipſo Legationis officio jam licere Legatis de latere. *Ibid.*

III. Qui pro injectione manuum in Clericos, vel alias Religioſas perſonas; excommunicationem incurrerunt, & à Legatis Cardinalibus, qui à Latere Romani Pontificis deſtinantur, pro tempore abſolvuntur, cum iidem Legati mandatum ſuper hoc expreſſum non oſtendant; haberi debent abſque omni hæſitationis ſcrupulo abſoluti quos conſtiterit à talibus Beneficium abſolutionis adeptos. *De ſententia excommun. Cap. ad eminentiam.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 39. *cap.* 20.

IV. Excommunicatis pro injectione manuum violenta, Eccleſiæ Romanæ Legati, qui de ipſius latere non mittuntur, extrà Provinciam ſibi commiſſam, vel ibidem, ſi hujuſmodi manuum injectores illuc contingat aliunde accedere: & qui Eccleſiarum ſuarum pretextu Legationis ſibi vendicant Dignitatem etiam ſubditis, quamvis in Provincia ſua exiſtentes Beneficium abſolutionis impertiri non poſſunt, niſi de ſpeciali gratia illis & iſtis ampliùs à Sede Apoſtolica concedatur. *De officio Legati. Cap. Excommunicatis.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 30. *cap.* 9.

SECTIO V.

Quæ pertineant ad majorem Pœnitentiarium?

1. *Habet poteſtatem ordinariam.*
2. *Ejus literis habenda fides.*
3. *Poteſt committere.*
4. *Valet in foro conſcientia.*
5. *Limitatur à Papa prout neceſſarium judicat.*

I. Major Pœnitentiarius ordinaria juriſdictione, & autoritate fungitur, & propterea in ſuis literis (ſicut alii Ordinarii) ſui officii autoritates inſerere non tenetur. *Bulla* 23. SIXTI IV. *Quoniam nonnulli. §.* 1. *ann.* 1484. *Bullarii* TOM. I. *p.* 441.

II. Mandatum eſt omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus, quacumque Dignitate, & autoritate fungentibus, quatenus literis Pœnitentiariæ, ſecundùm dicti officii ſtylum expeditis, & quas pro tempore in perpetuum expediri contingeret, credant & obediant, ac pareant in omnibus, & per omnia, ac ſi in illis majoris Pœnitentiarii pro tempore exiſtentis facultas & poteſtas, ſibi à Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus conceſſa, inſerta foret. *Ibid. §.* 3.

III. Decretum, & declaratum eſt pro tempore exiſtentem majorem Pœnitentiarium, non ſolùm per ſe ipſum in caſibus juxta facultates ſibi à prædictâ Sede conceſſas diſpenſare & abſolvere; ſed abſolutiones & diſpenſationes Chriſti fidelibus impendendas hujuſmodi in diverſis mundi partibus per ſuas lite-

literas aliis committere liberè & licitè potuisse & posse. *Ibid. §. 5.*

IV. Quodque literæ quæcumque per officium pœnitentiariæ expeditæ, & quas in posterum expediri continget juxta antiquum stylum dicti officii expeditæ intelligantur, nec ad hoc aliud probationes adminiculum requiratur & in foro pœnitentiæ omnimodam fidem faciant & valeant. *Ibid. §. 6.*

V. Officium sacræ pœnitentiariæ, sede Apostolicâ vacante, ea tantùm pro animarum salute expedire valeat, quæ forum conscientiæ respiciunt. *Bullâ 53.* Pii IV. *in sublimi. §. 25. ann.* 1562. *Bullarii* Tom. II. *p.* 70.

Quæ clausæ & Confessoribus directæ in foro conscientiæ tantùm. *Bullâ* 1. Julii III. *rationi congruit. §. 4.*

VI. Omnibus nostris Pœnitentiariis districtè inhibentes, ne absque licentia nostra speciali, cum taliter ordinatis (nempe sine dimissoriis) dispensent, vel suas eis tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari. *Cap.* 1. *de tempor. ordinat. in.* 6.

Clem. IV. Coactus fuit ita restringere potestatem Pœnitentiarii, etiam majoris, gravissimo abusu tunc vigente: quod Episcopi Italiæ conferebant Ordines Clericis ultramontanis, ab Episcopo suo non dimissis, non certiores facti istos ab omni censura vel irregularitate liberos; idcircò summus Pontifex, videns pessima hinc nascentia incommoda, prohibuit hujusmodi ordinationes fieri sine sua licentia necnon & ita ordinatos dispensari, aut absolvi, absque simili licentia.

Cætera quæ ad majoris Pœnitentiarii potestatem, habes apud Fagnanum. *In c.* 46. *de Simonia*, ubi finsè probat istum posse revalidare Titulos beneficiales illorum, qui invalidè provisi sunt, etiam Parrochiales, in concursu, obtentos etiam sine clausula satisfaciendi læso, si nullitas provisionis non proveniat, nisi ex censura incursa, vel ex illius violatione, secùs si aliundè invaliditas exoriatur.

TITULUS V.

De Ecclesiis Particularibus.

SECTIO I.

Quomodo fundatæ sint Ecclesiæ particulares, tàm in Galliâ, quàm alibi, cur distinctæ fuerint, & quomodo designantur?

I. Est manifestum in Gallias nullum instituisse Ecclesias, nisi quos eos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerunt Sacerdotes. Dist. XI. *cap.* 11. *quis nesciat. post Init. Concilium* Troileianum, *ann.* 909. *cap.* 15. Tom. IX. Conc. *pag.* 561.

II. In Galliis alius Apostolorum nusquam invenitur, aut legitur, docuisse. *Ibid.*

III. Jampridem per omnes Provincias, & per urbes singulas, ordinati sunt Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressurâ probati, in persecutione proscripti. Caus. VII. Quæst. I. *cap.* 6. Novatianus. *med. ex Epist.* S. Cypriani, *Episcopi & Mart. ad* Antonianum.

IV. Ipsa Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Caus. II. Quæst. VI. *cap.* 12. *qui se scit. Init.* hoc effatum expositum est *in* 1. *parte Prolegomen. in observationibus circà Canones supposititios.*

V. Jure optimo distinctæ fuerunt Diœcises & Parrochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi Pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant. *Concil.* Trident. Sess. XIV. *de refor. cap.* 9. *Init.*

VI. Per matricem Ecclesiam Cathedralis intelligitur, non Romana. *De verb. signif. cap. venerabili. §. ideòque. fin.* Lib. V. Decret. *tit.* 40. *cap.* 12.

VII. Per Ecclesiæ Pariensis vocabulum aliásve similes non debet intelligi totius Diœcesis Clerus, etsi Capitulum intelligatur Ecclesiæ Cathedralis. *Ibid. de verborum signif. cap. cum Clerici. post med.* Lib. V. Decret. *tit.* 40. *cap.* 19.

VIII. Nomine Ecclesiarum Provinciæ, & Metropolitana, & cæteræ Cathedrales Ecclesiæ includuntur. *In* 6. *de prœbendis. cap. quamvis. §. quamquam. fin.* Lib. III. *tit.* 4. *cap.* 4.

IX. Sub nomine Ecclesiarum Civitatis comprehenditur plerumque Ecclesia Cathedralis. *Ibid. in* 6. *de præbendis. cap. quamvis. §. quamquam.* Lib. III. *tit.* 4. *cap.* 4.

X. In odiosis, nomine Ecclesiarum civitatis, vel Diœcesis, Cathedralis Ecclesia propter ipsius honorem sub hac generalitate non includitur. *Ibid.*

XI. Placet secundùm divinæ legis & Sancti Evangelii auctoritatem, ut nemo nostrum alienos limites transgrediatur. *Concil.* Carthag. II. *an.* 390. *Can.* 11. *fin.* Tom. II. Concil. *p.* 1162.

XII. Inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum, collegam suum, aut usurpet alterius plebes, sine ejus petitu, quia inde cætera mala omnia generantur. *Concil.* Carthag. I. *ann.* 342. *Can.* 10. Tom. II. *Conc. p.* 717.

XIII. Optantius pactum mecum habuit & divisimus plebes manuscripsiones nostræ tenentur & pittacia, contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, factum hoc dolendum est ut in se illiciat populorum imperitorum animos contra disciplinam, contra Evangelicam traditionem, contra pacis placita; unde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (Optantius) si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam. *Conc.* Carthag. I. *ann.* 348. *Can.* 12. Tom. II. Conc. *p.* 717. Per Ecclesiam Matricem designatur Ecclesia Cathedralis.

XIV. Nomine Ecclesiæ Parisiensis. *v. g.* vulgò intelligitur Capitulum Ecclesiæ Cathedralis.

XV. Sicut Beatus Papa Innocentius docet, oportet nos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit à qua principium sacræ institutionis nos accepisse dubium non est. *Epistola data Clero & plebi Ecclesiæ* Laudunensis *ab ordinatoribus* Hedenulfi *ejus Episcopi append.* Tom. VIII. Concil. *pag.* 1887.

Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tamquam lucerna super candelabrum posita lucet aliis per exemplum. *De celeb. Miss. cap. cùm Creatura. med. in int.* Lib. III. Decret. *tit.* 41. *cap.* 11.

Encomia hujus Ecclesiæ, quæ in jure occurrunt, infrà simul colligentur sub Titulo hoc *Ecclesia Gallicana. Concil.* Tribur. *ann.* 895. *Can.* 30. Tom. IX. Conc. *p.* 456. Descriptus est hic locus dum de Ecclesia Romana.

Ecclesia Romana vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. Caus. II. Quæst. VI. *cap.* 11. Decret. *fin.* Gregor. IV. Quid de hoc effato sciendum est non semel notatum est.

SEC-

SECTIO II.

Singulis Ecclesiis sua jura servari debere, illásque morem Ecclesiarum sequi debere à quibus sunt instituta.

I. Secundùm NICÆNAS regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel Rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare. *De Officio Judicis. ordin. cap. duo simul. med.* LIB. I. DECRET. *tit.* 31. *cap.* 9. *&* CAUS. IX. QUÆST. III. *cap.* 8. *conquestus est. fin.* Exceptionis non meminit *Concil.* NICÆNUM I. oec II.

II. Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fore stipendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter nostræ sollicitudinis studium adhibemus. EXTRAVAG. *unicâ* JOAN. XXII. *si fratrum. ne sede vacante. init. tit.* 5.

III. Secundùm Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitani singularum Provinciarum Episcopi, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habeant; ita ut à regulis præstitutis, nullâ aut negligentiâ, aut præsumptione discedant. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 5. *igitur.*

IV. Quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum dettahit injustitiam facit. DIST. XXII. *cap.* 1. *med. omnes.* NICOL. II. *Mediolanensibus. ann.* 1060.

V. Honor suus unicuique servetur Ecclesiæ. DIST. LXV. *cap.* 6. *mos antiquus.* §. 1. *fin.*

VI. Servatis privilegiis Metropolitanorum vices suas Apostolica Sedes delegat. CAUS. XXV. QUÆST. II. *cap.* 6. *servatis. init.*

Absurdum videtur omninò ut ad singulas patronorum, secundùm humanam conditionem mutationes Ecclesiarum, ordinationes mutentur, & vicissitudines Ecclesiarum præsumantur. *De jure patronatûs. cap. querimoniam.* LIB. III. DECRET. *tit.* 38. *cap.* 9.

Propter mutabilitatem rerum mundanarum mutari non debet dispositio Ecclesiarum. *Glossa.*

VII. Ecclesias Dei per discordias Regum, divisionis aliqua pati damna necesse non est; cum (quantùm ex se est) pacem, quam prædicant, servare studeant invicem, & in omnes. CAUS. III. QUÆST. VI. *cap.* 10. *hac quippe. fin.*

VIII. Justum est ut inde unusquisque sumat regulas Magisterii, unde honoris consecrationem accipit; ut juxta Majorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis dignitatis est Mater, sit Ecclesiasticæ Magistra rationis. DIST. XII. *cap.* 13. *de iis. med.*

IX. Ne turpis sit pars quæ suo non congruit universo: Ecclesia tenere debeat humiliter, & servare, quod Beati Petri Sedem & suam Metropolim sequi viderit & docere. *De Sponsa duorum. cap. tuas dudum.* §. 2. *ne verò. init.* LIB. IV. DECRET. *tit.* 4. *cap.* 5.

X. In memoriam Beati Petri Apostoli honoranda sancta Romana est Apostolica Sedes; ut quæ nobis sacerdotalis Mater & dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. DIST. XIX. *cap.* 3. *in memoriam. init.* Similes textus restringendi ad casus, in quibus circumstantiæ temporum, personarum, locorum, ipsorúmque usuum, non postulant ut alia fit disciplina Ecclesiarum inferiorum quam superiorum: hinc LEO IX. hujusmodi diversitatem probat. *C.* 3. DIST. XII. Vide *Notam correct. Roman. qua istum Canonem restituit.*

SECTIO III.

Quandonam erigenda sint Ecclesiæ Episcopales, & quibus in locis, & quomodo?

I. Juxta sacrorum Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ Sedis debent ordinari Episcopi; piâ tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatûs. CAUS. XVI. QUÆST. I. *cap.* 53. *præcipimus.* GREGOR. III. *ann. circ.* 731. *Epist.* 1. *ad* BONIFACIUM. TOM. VI. CONC. *pag.* 1468.

II. Episcopalia gubernacula non nisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præsidere: ne quod Sanctorum Patrum divinitùs inspirata decreta vetuerunt, viculis & possessionibus, vel obscuris & solitariis Municipiis tribuatur sacerdotale fastigium. DIST. LXXX. *cap.* 4. *illud sane. med.*

III. Quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia Canonum statuta serventur, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & ubi ante non fuerunt Episcopi, consecrentur. *Ibid.* DIST. LXXX. *cap.* 4. *illud sane. init.*

IV. Non debere in vicis & villis Episcopos ordinari. *Ibid. cap.* 5. *non debere. init.*

V. Episcopalia gubernacula non nisi majoribus singulis & frequentioribus civitatibus præsidere oportet; ne honor cui debent excellentiora committi, sui numerositate vilescat. *De privilegiis. cap. Episcopalia.* LIB. V. DECRET. *tit.* 33. *cap.* 1.

VI. Ubi minores sunt plebes, minorésque conventus, Presbyterorum cura sufficiat. DIST. LXXX. *cap.* 4. *illud sane. med.*

Hac de re fusè, dùm de causis majoribus inter quas meritò recensetur erectio Episcopatuum.

SECTIO IV.

A quo possint Ecclesiæ in Cathedralis vel Metropolit. quæ loca possint in Cathedrales Ecclesias erigi? Quando privilegium confirmationis iis deferri & quomodò sine ullius præjudicio debeant eximi?

I. Monasterium potest in Ecclesiam Cathedralem erigi. *De majorit. cap. cùm inferior. med.* LIB. I. DECR. *tit.* 33. *cap.* 16.

II. Diœceses, quæ nunquam Episcopos habuerunt, non habeant; & illa Diœcesis, quæ aliquando habuit, habeat proprium; etsi accidente tempore, crescente fide Dei, populus multiplicatus desideraverit proprium habere Rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Diœcesis constituta habeat Episcopum. CAUS. XVI. QUÆST. I. *cap.* 50. FELIX *Episcopus cùm additione corr. Rom. ex Concil.* CARTAG. II. *cap.* 5. *ann.* 390. *&* in TOLET. XII. *cap.* 4.

III. Quod non oporteat in villis nec in vicis Episcopos ordinari. *Concil.* FRANCOFORD. *ann.* 794. *Can.* 22. TOM. VII. CONCIL. *pag.* 1061.

IV. Ita Episcopi ordinentur, ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minimè dejungantur, quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicujus Episcopi convenire non possint. DIST. LXXX. *cap.* 6. *fraternitatem.* Vide EXTRAVAGANTEM *Salvator, inter* EXTRAVAGANTES *Comm. de præbendis, quæ est Bulla erectionis Episcopatûs* TOLOSANI *in Archiepiscopatum à* JOANN. XXII. *ann.* 1316. *&* EXTRAVAGANTEM *nuper. Ibid. quæ est Bulla erectionis Abbatiæ* CLEZUMBANIS *Ordinis Sancti* AUGUSTINI *in Episcopatum.*

V. In commune tractatum est, ut plures Episcopi crescente numero fidelium augerentur. *Concil.* HERUDFORDENSE. *ann.* 673. *Can.* 9. TOM. VI. CONC. *pag.* 538.

VI.

VI. In Sacris Canonibus præcipimur observare ut minimè in Villulas, vel in modicas Civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. *Epistola.* 1. ZACHARIÆ. Cap. 1. TOM. VI. CONCIL. *p.* 1498.

VII. Sive in Romana, sive in Gallicorum, sive in qualibet Ecclesia aliquid inveniatur, quod plùs Omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligatur; & in Ecclesiâ quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligi poterunt, infundantur. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. DIST. XII. Cap. 10. *Novit.*

VIII. Ex singulis quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, eligantur, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud novas mentes in consuetudinem deponantur. *Ibid.* DIST. XII. Cap. 10. *Novit. fin.*

SECTIO IV.

A quo possint Ecclesiæ in Cathedrales, vel Metropolitanas? Quæ loca possint in Cathedrales Ecclesias, quandò erigi? Privilegium confirmationis iis deferri? Et quomodò sine ullius præjudicio debeant eximi?

I. Monasterium potest in Ecclesiam Cathedralem erigi. *De Majorit.* Cap. *Cùm inferior. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 16.

II. Ecclesiæ Confirmationis Privilegium non potest de jure deferri, cùm nulli Canonici adhuc ibidem existunt, quibus Privilegium concedatur. *De Ecclesiis ædific.* Cap. *Ad audientiam. §. finali.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 48. Cap. 5.

III. Si Ecclesia constituta in Archidiaconatu, in Ecclesiam erigatur Cathedralem, ab Archidiaconi Jurisdictione Episcopus est exemptus; satis enim absonum videtur, ut filius potestatem habeat in parentem. *Ibid. De Majorit.* Cap. *Cùm inferior. §. Mandamus.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 16.

IV. Romanus Pontifex Ecclesiam erigit Cathedralem. *Ne Sede Vacante.* Cap. 1. LIB. III. DECRET. *Tit.* 9. Cap. 1. *Init.*

V. Licet Romanus Pontifex alicui tamquam Legato vices suas commiserit exequendas, non propterea valet Episcopalem erigere in Metropolitanam, nec istam in Primatialem, Cap. 3. 4. *De Off. Legat.* quia hæc in signum singularis Privilegii sunt Romano Pontifici reservata; idem infertur ex Cap. 1. 2. *De Translat.*

VI. Si ex hoc Archidiaconi jura læduntur, absque alieni juris præjudicio recompensatio illi debet fieri congruens. *De Majoritate.* Cap. *Cùm inferior. §. ult.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 16.

Multa hîc desunt ex his, quæ spectant erectionem Sedis Episcopalis, ac etiam Superiorum, quæ reperies in Tractatu citato *de Causis Majoribus.*

SECTIO V.

Quæ sint in favorem Ecclesiarum?

I. Non debet una, eadémque Ecclesia diverso jure censeri. *De Decimis.* Cap. *Cùm in tua. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 30. Cap. 30.

II. Delictum Personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm venerabilis. §. 2. Med.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 25. Cap. 6.

III. Frustrà Ecclesiæ implorat auxilium, qui committit in ipsam. *De Sent. excom.* Cap. *In audientiâ. §. Ad hæc.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 39. Cap. 25.

IV. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *In 6. De Reg. Juris. Regula 76.* LIB. V. *Tit. ult. Reg. 76.*

V. Delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum. *Can.* 16. QUÆST. VI. Cap. 3. *Episcopatus. med.*

VI. Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere. *De Donat.* Cap. *Per tuas. §. Nos igitur.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 24. Cap. 5. Huc faciunt quicumque Textus, loquentes de Privilegiis Ecclesiæ, illiusque immunitatibus. Hi autem colligentur suo loco.

SECTIO VI.

Encomia Ecclesiæ Gallicanæ ex Textibus Juris Canonici, aliisve Canonibus desumpta, quædámque alia huic peculiaria.

I. Ecclesia Gallicana, per Dei gratiam, tanquam lucerna super Candelabrum posita, lucet aliis per exemplum, qui videntes opera ejus bona, glorificant Patrem Cœlestem. *De Celebrat. Miss.* Cap. *Cùm creatura. juxta Collectionem* GONZALIS. LIB. III. DECRET. *Tit.* 41. Cap. 11.

HONORIUS III. scribens Archiepiscopis, Episcopis, & universis aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis, per Franciam constitutis.

II. Ne, quod absit, negligentiæ tenebris obumbretur, & alias consequenter obumbret. *Ibid.* Agebatur de insigni abusu illius Ecclesiæ, nempe omittendi Missam Conventualem dici, quoties alia Conventualis anniversaria celebraretur.

III. Quantò Gallicana Ecclesia majorum Personarum scientiâ, honestate præfulget, & eò cautiùs nititur cavere, quæ confundere videantur Ecclesiasticam honestatem. *De Magistris.* Cap. *Quantò. juxtà Collectionem* GONZALIS. *Init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 5. Cap. 3. ubi notat hanc ALEX. III. Epist. scriptam esse contra Cancellarium PARISIENSEM, qui à quolibet publicè docente Marcham unam argenteam exigebat.

IV. Intentionis non est Sedis Apostolicæ, jura, libertates, Franchisias, seu consuetudines, quæ Regi & Regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & quibusvis aliis temporalibus Dominis, competere noscuntur, tollere, diminuere, vel quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, seu novas servitutes vel submissiones imponere: sed jura, libertates, Franchisias & consuetudines suprà dicta Regi & aliis prælibatis, illæsa & integra conservare. *Bullâ* BONIFACII VIII. *Etsi de statu. fin. ann.* 1297. 11. *Kal. Augusti. Libertatum* TOM. II. *pag.* 1090. Cap. 39.

V. Cùm ipso Catholicæ Religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam, tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis Dominicæ Sacramenta, ne quid hic minus acquirere quam in Orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret, Beatum *Martinum* peregrinâ de stirpe ad illuminationem Patriæ dignatus est dirigere, misericordiâ consulente. *Epistolâ Episcoporum ad Beatam* RADEGUNDEM, *ann. cir.* 567. TOM. V. CONCIL. *p.* 873.

Restringendum ad fidem distinctam Trinitatis quod ait: *Fidem ad paucos Gallos pervenisse:* cùm ex Sancto IRENÆO, ex TERTULL., ex Sancto CYPRIANO, constet ante Sanctum MARTINUM quam plurimos in Gallia fuisse Christianos, quoad propagationem notitiæ distinctæ, ut à *Conc.* XV. NICÆNO & CONSTANTINOPOLITANO traditæ circà Trinitatem, meritò tribui potest Sancto MARTINO. In eadem Epist. extat illud ejusdem MARTINI elogium: qui licet non fuerit Apostolorum tempore, Apostolicam gratiam non effugit. Nam quod deerat in ordine, suppletum est in mercede, quoniam sequens gradus nihil subtrahit, qui meritis antecellit.

VI. Christus, qui Ecclesiam suo proprio sanguine redemit, suis Orthodoxis famulis, LUDOVICO & LOTHARIO gloriosis Augustis regendam, tuendámque committere occultâ suâ dispensatione voluit. *Præfat. Synodi* PARIS. VI. *ann.* 829. TOM. VII. CONC. *p.* 1595.

VII. Galliarum permaximè Ecclesias, Fidelium Collationibus adeò constar ditatas, ut nemo sit ferè Episcoporum, *cui suæ* sumptus Ecclesiæ satis superque non sufficiant. BENEDICTUS III. *in Privilegio Exemptionis Monasterii* CORBEÏÆ *ann.* 855. TOM. VIII. CONC. *p* 237.

VIII. Cùm Romanæ Sedis Pontificem constet omnium EcclesiarumChristi Caput..... cúmque hanc curam circa Universalis Ecclesiæ Corpus, per totius Orbis latitudinem diffusæ, custodite debeamus, speciali tamen prærogativâ post Romanam atque Italicam, erga Ecclesias Gallicanas nobis convenit observare, quemadmodum Prædecessores nostros fecisse manifestum est. BENEDICTUS III. *ann.* 855. *in Privil. Exemption. Monast.* CORBEÏÆ, TOM VIII. CONC. *p.* 235.

IX. S. MARTIALIS Apostolus dicendus. *Ex Edicto* JOANNIS XVIII. *ann. circ.* 1031. TOM. IX. CONC. *p.* 856. & *ex Edicto* AYMONIS, *Archiepiscopi* BITURIC. *eodem ann.* 1031. TOM. IX. CONC. *p.* 868.

Sancta LEMOVICENSIS Ecclesia dicitur prima omnium Galliæ Ecclesiarum in Concilio prædicto, ob veterem Regionis traditionem, S. MARTIALEM fuisse Discipulum S. Petri, & ab isto huc missum in eodem *Concilio* LEMOVICENSI, *ann.* 1031. SESS. I. TOM. IX. CONC. *p.* 869. Sanctus MARTIALIS Apostolus definitur, *Sess. II.* De S. DIONYSIO, SATURNINO Apostolis. *Ibid. pag.* 894. Necnon de aliis aliarum Provinciarum Apostolis, quibus omnibus S. MARTIALIS præfertur.

De Corpore S. DIONYSII *Areopagitæ.* LEO IX. *Diplomate ann.* 1052. TOM. IX. CONC. *p.* 989. ubi Judex electus à Gallis controversiæ cum Germanis circa illud, istis adjudicavit, illos consolans ex commodis immensis perceptis ex Prædicatione S. DIONYSII & Sociorum, quâ Germani poriti non sunt.

S. REMIGII Festum *Kal. Octobris* à LEONE IX. TOM. IX. CONC. *p.* 1045. solemniter celebrari præcipitur, atque illius corpus propriis manibus terigisse, illud transferendo, húncque Sanctum Gallis esse Apostolum, istósque illius esse primitias. Reliquiæ S. Dionysii detectæ & recognitæ ann. 1053. in Conventu *Sandionysiano* & decisum apud Gallos rediisse. TOM. IX. CONC. *p.* 1069. RAYNALDUS *ad ann.* 1192. *num.* 50.

X. CHILDEBERTUS, Rex Franciæ, filius CLODOVEI, habebat Legatum Romæ ad PELAGIUM I. Papam. *Ex Epistolâ X. ejusdem* PELAGII ad CHILDEBERTUM, *ann.* 556. TOM. V. CONC. *p.* 798. Reddit rationem fidei suæ, quia diffamatus erat ut suspectus Hæreseos *Nestorianæ*, declarátque se S. LEONIS Epist. à *Concilio* CALCEDON. probatam recipere, nec in syllaba deviare. Vide *Epistolam XI.* PELAGII I. & quid sibi velint pensiones possessionum Ecclesiæ nostræ. Hinc sequi videtur Papam habuisse possessiones in Gallia, quarum reditibus egebat ob desolationem Italiæ, quæ tanta erat, ut vestes, aliáve necessaria à Gallis recipere cogeretur. Vide *Epistolam XIV.* Rex Galliæ Canonum Vindex & Protector. *Epistolâ XVI. ad* CHILDEBERTUM. Satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo, obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse Sanctæ Scripturæ præcipiunt. *Credo igitur*, &c. perfectè & distinctè explicat fidem Trinitatis & Incarnationis, totiúsque Religionis, præter Sacramenta, de quibus tunc nulla quæstio. TOM. V. CONC. *p.* 803. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 10. *Satagendum.* TURONIS Galliæ Metropolis. *Præfatio Concilii* TURON. *ann.* 1060. TOM. IX. CONC. *p.* 1109.

XI. Regnum Francorum, prudentiâ, & Religione, & viribus, noscitur fuisse potentius, & erga Romanam Ecclesiam devotius. GREGOR. VII. *Epistolâ* 35. *ann.* 1073. TOM. X. CONC. *p.* 34. Hoc testimonium eò notandum magis quod datur à Pontifice, in eadem Epistola de PHILIPPO I. Galliæ Rege, conquerente.

XII. Gallicana Ecclesia, inter alias Orbis Ecclesias, quæcumque aliæ provenientibus scandalis in tribulatione mutassent, nunquam à Catholicæ Matris Ecclesiæ unitate recessit, nunquam ab ejus subjectione & reverentiâ se substraxit; sed tanquam devotissima filia, firma semper, & stabilis in ejus devotione permansit. ALEXANDER III. *Epistola* 30. *Append.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 1311. incipit ab elegio zeli Regum Franciæ erga Ecclesiam Romanam, & circa medium hæc addit de Beneficiis Galliæ erga *illam*: „Quæ utique in omni tribularione sua, tàm apud „Præcedecessores tuos quàm apud teipsum, & „optatæ partum quietis obtinuit, & refugium sem„per opportunum invenit„. Hoc ipsemet expertus fuerat in Schismate, quo durante in Galliam confugerat, quod ipse testatur in Conciliabulo PAPIENSI, his verbis: *Benedictus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, ut eam semper agnitione veritatis illustres, & pedes ejus à justitiæ tramite nullatenus aberrare permittas.*

Cùm multis constet cæteras Regiones abundasse portentis, sola Gallia monstra non habuit, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurimâ operum exhibitione præfulsit. ALEXANDER III. *Epistolâ ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ, in Concilio* PAPIENSI, *ann.* 1160. TOM. X. CONC. *p.* 1401.

SECTIO VII.

De Conciliis.

Cùm Concilia nihil aliud sint quam Ecclesiæ coactæ vel congregatæ, non parum conveniret Tractationem *de Conciliis* subjungere Tractationi *de Ecclesia*, quæ, si sit Universalis, repræsentatur per *Concilium Universale*, si verò Particularis, repræsentatur per *Concilium Particulare*, conforme ipsius Ecclesiæ de qua agitur districtui, seu ditioni ejusdem amplitudinis ac illa. Attamen attento, quod Concilia sunt præcipui fontes Juris Canonici, congruentius visum est de illis disputare in TOMO I. ubi Jus Canonicum in se inspicitur: quapropter sat erit hic observare, quòd ad Concilia spectent DIST. XVI. tota, DIST. XVII. Cap. 5. *Multis.* DIST. XVIII. tota, & VAN-ESPEN in has tres DIST. *Concilium* CONSTANTIENSE & BASILEENSE, PRAGMAT. SANCTIO. Cap. 7. & Concordata, quibus *Concilia Generalia* ordinaria facta & decreta sunt, *Conc.* BASILEENSE, SESS. XV. *De Conc. Provincialibus.* *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *de iisdem* C. 2. C. *ult.* *De his quæ fiunt à Prælat.* C. 25. *De Accusat.* Vide CHOPINUM LIB. II. *de Sacrâ Politiâ Tit.* 7. *num.* 17. LAUNOIUM *quoque* TOM. V. *Part.* 2. *ubi fusè de Prærogativis & Privilegiis Conciliorum Generalium, quibus Summo Pontifici prævalent.*

TITULUS VI.

De Episcopis in Genere.

SECTIO I.

De variis nominibus, Appellationibúsque Episcoporum.

I. SUmmus Sacerdos, *id est*, Episcopus. *De Sacrâ Unctione.* Cap. un. §. *penult.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 5. Cap. unico.

II. Episcopus, qui ad curam aliorum positus. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis. post init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 7.

III. Episcopatus nomen est operis, non honoris: Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens: ἐπὶ quippe *super*, σκοπὸς verò *intentio* est. Ergo Episcopos si velimus latinè *Superintendentes* possumus dicere. CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 11. *Qui Episcopatum. init.*

IV.

IV. Quorum vices in Ecclesia habeant Episcopi, & quis eis hanc Dignitatem dare debear, S. Augustinus ostendir, inqoiens: *Pro Patribus suis nati sunt sibi filii, Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt sibi, constitnti sunt Episcopi.* Cap. 6. Dist. LXVIII.

V. Episcopus personam habet Christi & Vicarios Domini est. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 19. *Mulier. med.*

VI. Episcopi in Apostolorum locum successerunt, & positi sunt, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *Doctrina de Sacramento Ordinis.* Cap. 4. *med.*

VII. Sacerdotes constat esse Vicarios Apostolorum & Luminaria Mundi. *Præfat.* Synodi VI. Paris. *ann.* 829. Tom. VII. Conc. *p.* 1596.

VIII. Apostolorum Vicarii sunr Episcopi. *De Sacra Unctiune.* Cap. un. *§. penult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unico.

IX. Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt sibi, constituti sunt Episcopi. Dist. LXVIII. Cap. 6. *Qnorum. med.* Filios genuir Ecelesia, eos constituit pro Patribus suis Principes super omnem terram. *Ibid.*

X. Episcopi dicuntur Sanctissimi, Christi Legati existunr, Spirituales sunr Patres, & Columnæ comprobantur Ecclesiæ. Clementina, *De Pœnis.* Cap. *Si quis suadente Diabolo. §. Nec super* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 8. Cap. 1.

XI. Episcopi vocati sunr in partem sollicitudinis, non in plenitudinem porestatis. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Ad honorem. §. ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 8. Cap. 4.

XII. Episcopi Dominici Gregis susceperunt curam atque sollicitudinem. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 4. *Pontifices. med.*

XIII. Episcopo rotius Plebis animæ videntur esse commissæ. Caus. X. Quæst. I. Cap. 5. *Qnæcumque. fin.*

XIV. Prohibitum est omninò ne una, eadémque Civiras, sive Diœcesis, diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. *De Officiu Jud. Ordin.* Cap. *Quoniam.* §. 1. Lib. I. Decret. *Tit.* 31. Cap. 14.

Unaquæque Diœcesis unum tantùm debet habere Pontificem. *Glossa.* Statutum est duos Metropolitanos Episcopos in una eadémque Provincia esse non debere. Dist. CI. Cap. unico. *Pervenit.*

SECTIO II.

Quales esse debeant qui ad Episcopale munus assumuntur?

I. Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nequaquam ad Summum Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumat. Dist. XXXVI. Cap. 2. Zozimus. *ann.* 418.

II. Cùm in cunctis Sacris Ordinibus & Ecclesiasticis Ministeriis sint ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum scientia inquirenda; multò fortiùs in Episcopo hæc oportet inquiri, qoi ad curam aliorum positus in seipso debet ostendere, qualiter alios in Domo Dei oporteat conversari. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis. init.* Lib. I. Decrat. *Tit.* 6. Cap. 7.

III. Ad Cathedralium Ecclesiarum Regimen nullus, nisi ex legitimo Matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarúmque scientia præditus, assumatur. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Refor.* Cap. 1.

IV. Antea in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 2. *fin.*

V. Unus gravis Magister, seu Licentiatus in Theologia, aut in utroque seu altero Jurium Doctor, aut Licentiatus in Universitate famosa, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno, ad minus constitutus, & aliàs idoneus nominetur Episcopus. *Concordatorum. Tit.* 1. *post init.*

VI. Talis Episcopus eligatur cui Sacri non obvient Canones. Dist. LXIII. Cap. 12. *Nosse. fin.*

VII. Debet Episcopus bonum habere testimonium, & ab iis qui sunr intùs, & ab his qui sunt foris. *De Sacra Unctione.* Cap. unico. *§. 2. med.* Lib. I. Decret. *Tit* 15. Cap unico.

VIII. Talis hoc tempore in Regiminis debet arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinseca subjectorum utilitate, & cautela sciat esse sollicitus. Dist. XXXIX. Cap. unico.

IX. Scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 2. *med.*

X. In Episcopis scientia circa spiritualium administrationem est potissimùm necessaria, & circa curam temporalium opportuna. *De Renunciatione.* Cap. *Nisi cùm pridem. §. Pro defectu.* Lib. I. Decret. *Tit.* 9. Cap. 10.

XI. Pontificale Officium sine Altaris Ministerio non valet adimpleri. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Ex literis. §. Nos autem. fin.* Lib. V. Decret. *Tit.* 31. Cap. 10.

XII. Non potest quis esse Episcopus, nisi priùs fuerit Sacerdos. *Glossa* Verbo *Ministerio*; *& in* Cap. unico. *De Clerico per saltum promoto. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 29. Cap. unico.

Vide ubi de his qui idonei sunt reputandi ad Beneficia curam animarum habentia. *Titulo* 1. *De Beneficiis.*

XIII. Qui in aliquo crimine detecti sont &c. Dist. LI. Can. 5. enumerat vitia, sivè defectus, quibus carere debet ad Episcopatum promovendus.

XIV. Tales Ecclesiæ præficiantur Pastores, qui tamquam Columnæ & Bases ipsam Ecclesiam doctrinæ & meritorum viribus sustentent. *Pragmat. Sanct.* Tit. 2. præmonens id potissimum esse debere Reformatoris studium.

XV. Juvenis meritò dicitur, qui, juvenilibus desideriis occupatus, nulla gravitate constringitur. Dist. XXXIV. Cap. 1.

XVI. Ad Ecclesiarum Regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorúmque vita, ac omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbent secundùm Venerabiles Beatorum Patrum Sanctiones assumantur. *Concil.* Trid. Sess. VI. *De Reform.* Cap. 1.

XVII. Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scientérque curandum est, ut in Domini Domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multò magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui suprà omnes gradus constituitur, non erretur; nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decrat. II. *De Reform.* Cap. 1. *init.*

XVIII. In Sacerdotibus eligendis curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis. Dist. LXI. Cap. 2. *In Sacerdotib.*

XIX. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. *Ibid.* Dist. LXI. Cap. 2. *& seq.*

XX. Quicumque ad Cathedrales Ecclesias erit assumendus, is non solùm natalibus, ætate, moribus & vita, ac aliis quæ à Sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus; verùm etiam in Sacro Ordine anteà, saltem sex mensium spatio, constitutus. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 2.

Necessaria est probatio in Sacerdotio ut in Ordinibus huic inferioribus.

XXI. Res perniciosa esset exemplo, si per subreptionis asturiam quis ascenderet ad apicem Dignitatis. *De Elect.* Cap. 32.

SECTIO III.

Ex quo statu Laicali an Ecclesiastico, sive Regulari, sive Saculari, & ex quibus Ordinibus eligi possint in Episcopos?

I. Ad Dignitatem Episcopalem Novitii eliguntur, interdum Religiosum expressè non professum in Sæcularibus vel Regularibus Ecclesiis eligi minimè prohibetur. *In 6. De Elect.* Cap. *Nullus.* §. 1. LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 28.

II. Religiosus in Episcopum, Sæcularis, vel cujuslibet Regularis Ecclesiæ, licitè potest eligi. CLEMENTINA I. *De Elect. fin.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 3. Cap. 1.

Eligatur Sacerdos, qui Clerum, Plebémque, vel res Ec lesiæ ipsius, cautâ, regularique valeat observatione d sponere. *De Testamentis.* Cap. 1. *in integra.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 26. Cap. 1. *apud* GONZAL.

III. Substantia Summi Sacerdotii sunt eloquia divinitùs tradita, *id est*, vera Divinarum Scriprurarum disciplina. DIST. XXXVIII. Cap. 6. *Omnes. med. Ex* VII. SYNODO. Cap. 2. *ann.* 787.

IV. Ut quis Episcopus esse valeat, sit primum Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, & posteà Presbyter, & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur. DIST. LXXVII. Cap. 1. *Illud.* CAIUS *Papa, Epist. unicâ*

V. Statutum est, ut Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus, seu Sacerdos. *De Ætate & Qual. &c.* Cap. *A multis. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 9. INNOC. III. *ann.* 1207. vide GONZALEZ *nota* 1. *& in Commentar.* ubi probat jure merito Episcopum eligi potuisse ex Subdiaconis, ex quo Subdiaconatus Sacer Ordo esse cœpit.

VI. Si forte aut dives aut Scholasticus de foro, aut ex Administratore Episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus, & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatûs; potest enim per has promotiones quæ habebunt, utique prolixum tempus probari quâ fide sit, quâve modestia, quâ gravitate & verecundiâ. *Concil.* SARDIC. *Can.* 13. DIONYS. *Exiguum in sua* 1. *Collectione.*

SECTIO IV.

Quomodo consecrandi sint Episcopi & à quo?

I. Ille in consecrandis Episcopis mos servari debet quem Apostolica Sedes observat. *De Sacra Unctione.* Cap. unico. §. *penult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 15. Cap. unico.

II. Plures Episcopi simul possunt consecrari. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Cum his. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 40. Cap. 5.

III. Episcopi inter Epistolam & Evangelium consecrantur. *De Elect.* Cap. *Quod sicut.* §. 2. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 28.

IV. In consecratione Episcopi, caput ejus & manus per Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem Ecclesiasticum Sacro Chrismate deliniuntur. *De Sacra Unct.* Cap. unico. *init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 15. Cap. unico.

V. Chrismate ungi debet Episcopus, non tam in corpore, quàm in corde. *Ibid.* §. 3. *init.*

VI. Hoc unguento caput & manus Episcopi consecrantur: Caput propter autoritatem, & Dignitatem: Manus propter Ministerium & Officium, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi. *Ibid.* §. 4.

VII. Cùm manus Consecrator inungit: „Consecrare „(*inquit*) & sanctificare digneris Domine manus istas, „per istam Unctionem & per nostram benedictionem, „ut quæcumque consecraverint, consecrentur, & quæ„cumque benedixerint, benedicantur in nomine Do„mini„. *Ibid. De Sacra Unct.* Cap. un. §. 4. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 15. Cap. unico.

VIII. Qui in consecratione suâ Sacram non acceperit Unctionem, etiam apud quos non consueverunt Pontifices, cùm consecrantur, inungi, debet quod illi defuit, in ipso suppleri. *Ibid. init.*

IX. Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus. DIST. XXIII. Cap. 7. *Episcopus.*

X. Unus Episcopus ordinare non præsumat Episcopum, ne furtivum præstitum beneficium videatur. DIST. LXIV. Cap. 5. *Extra. fin.*

XI. Prohibitum à Sanctis est Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis; nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter Officium habebunt? DIST. LXVIII. Cap. 5. *Chorepiscopi.* §. *ult.*

XII. Episcopi non sunt, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis. *Ibid.* DIST. LXVIII. Cap. 5. *Chorepiscopi.* §. *ult.*

XIII. Mos antiquus servabitur, ut non minùs quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum: cujus ratio est, quia tres semper non difficile habentur, sed ultra invenire semper spes non est. *Concil.* CARTHAG. VII. *ann.* 397. *Can.* 39. TOM. II. CONCIL. *p.* 1173.

XIV. Electio & consecratio unum faciunt Episcopum. DIST. XL. Cap. 8. *Sicut.* ISIDORUS, *circ. ann.* 630.

XV. Episcopi munus benedictionis, seu consecrationis recipiant, sicut hactenus recipere consueverunt. *De Elect.* Cap. *Nihil.* §. *ult. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 44.

XVI. In consecratione recipienda servanda est consuetudo. *Glossa.*

XVII. Quod die Dominico ordinationes Sacerdotum celebrentur, non solùm ex consuetudine, sed etiam ex Apostolica novimus venire doctrina. DIST. LXXV. Cap. 5. *Quod die. init.*

XVIII. Piè & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias servaveris, ut his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die Dominicæ Resurrectionis tribuatur. DIST. LXXV. Cap. 5. *Quod die. med.*

XIX. Qui Episcopus ordinandus est, examinetur ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat. DIST. XXIII. Cap. 2. *Qui Episcopus. Ex Concil.* CARTHAG. IV. Cap. 1. *ann.* 398. ubi cætera, quæ ab illo quærenda & in illo requirenda, sigillatim referuntur.

XX. Non minùs quàm à tribus Episcopis Episcopus ordinetur. DIST. LXVI. Cap. 2. *Porrò. fin.* ANACLETUS, *Epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ.*

XXI. Episcopus à duobus vel à tribus Episcopis ordinetur. *Canonum Apostolorum.* Cap. 1. vide *Concil.* AQUISGRANENSE. *ann.* 816.

XXII. Interrogationem, si eum cognoveris esse dignum, non in consecratione Pontificis facimus. *De Scrutinio.* Cap. un. §. *ult. fin.* LIB. IX. DECRET. *Tit.* 12. Cap. unico.

XXIII. Cùm instituendus est Episcopus & ordinandus, nullus sine periculo sui juramenta, vel promissiones aliquas nova adinventione audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo. DIST. LXIII. Cap. 28. *Quia Sancta. fin.* STEPHANUS *Papa ann.* 806.

XXIV. Tres Episcopi debent in unum congregari, & ita faciant ordinationem. Dist. LXIV. Cap. 1. *Episcopi. ex Conc.* Nic. I. *Can.* 4. *ann.* 325. *ex vers.* Ruffini.

XXV. Episcopus ordinetur non minus quam à tribus Episcopis, sicubi contigerit duos Episcopos tertium ordinare, ipse ut illi damnabuntur, quò cautiùs ea, quæ sunt antiquitùs instituta, serventur. Dist. LXIV. Cap. 5.

XXVI. Quicumque ad Ordinem Sacerdotii postulatus, probabili vitâ & doctrinâ extiterit, à tribus Episcopis in Sacerdotem die Dominicâ consecrabitur. Dist. LI. Cap. 5. *Qui in aliquo. §. 1. med.*

XXVII. Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet. Dist. LXXX. Cap. 6. *Fraternitatem. fin.*

XXVIII. Consecrandus munus debet ab eo consecrationis accipere, qui Catholicus habetur, dummodò impedimentum ei ex substractione gratiæ Apostolicæ Sedis noo obsistet. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Quod Sedem. fin.* Lib. I. Decret. *Tit.* 31. Cap. 10.

Collecti Canones, qui insinuant Episcopi Consecrationem fieri posse à duobus Episcopis intelligendi sunt de casu necessitatis, quo plures haberi nequeunt, quo casu unus solus sufficit; hæc enim pluralitas requiritur oon ad validitatem, sed ad solemnitatem.

SECTIO V.

Quales esse debeant qui consecrati sunt Episcopi, vel consecrandi?

I. Optandum est ut ii qui Episcopale Ministerium suscipiunt, quæ suæ siut partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gratiâ vocatos esse intelligant; nec enim dubitandum est & fideles reliquos ad Religionem, Innocentiámque faciliùs inflamandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac Cœlestem Patriam cogitantes. *Concil.* Tridant. Sess. XXV. Decret. II. *De Refor.* Cap. 1. *init.*

II. Admonentur Episcopi omnes, ut factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: imprimis verò ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantoperè Deo commendat, sanctæ humilitatis exempla petere possint. *Ibid.*

III. Jubetur Episcopis, non solùm ut modestâ supellectili & mensâ, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere ac totâ eorum domo caveant ne quid appareat, quod à Sancto hoc Instituto sit alienum; quódque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum, præ se ferat. *Ibid.*

IV. Episcopi lectioni & rationi vacent, & sempet secum Presbyteros, & Diaconos, aut alios boni testimonii Clericos habeant, ut secundùm Apostolum & Sanctorum Patrum instituta, possint irreprehensibiles videri. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 60. ult. *Episcopi.*

V. Cùm Pastoris vita esse Discipulis semper debeat in exemplo, ut sciatur qualis in secreto sit vita Pontificis, is tales habeat testes, qui vitam ejus in secreta conversatione videant. *Ibid.* Caus. II. Quæst. VII. Cap. 58. *Cùm Pastoris.*

VI. Episcopi ad scienda Sacrorum Statuta Canonum, quæ ad Divinum Cultum & morum reformationem pertinent, diligens curent adhibere studium. Clementina, *Gravi. De Celebrat. Miss. §. ult. fin.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

VII. Defectus scientiæ in Episcopis reprobandus est omninò, nec de cætero tolerandus. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Inter cætera.* Lib. I. Decret. *Tit.* 31. Cap. 15. *med.*

VIII. Non Cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram; noo locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus Sacerdos. Qui bcnè sederit super Cathedram, honorem accipit ab illâ, qui malè sederit, injuriam facit Cathedræ; ideóque malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non Dignitatem. Dist. XL. Cap. 12. *Multi. post init* S. Joan. Chrisost.

IX. Episcopus ita prospiciat, ut universæ sibi oves commissæ, à se maximè alantur, atque in necessitatibus adjuventur, non illicitis exactionibus opprimantur, quia Dominus pascere & docere nos docuit, & omnibus ministrare, non terrenis lucris vel avaritiis delectari. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 62. *Nulli. med. Ex Concilio* Romano Leonis *Papæ IV. ann.* 853.

X. Integritas Præsidentium salus est subditorum. *Conc.* Trid. Sess. VI. *De Refor.* Cap. 1. *Init.* & Dist. LI. Cap. 5. *Miramur. Init.*

XI. Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum. *De Voto.* Cap. *Magna. §. Præterea.* Lib. III. Decret. *Tit.* 34. Cap. 7.

XII. Episcoporum exemplo facilè alii possunt ad similia provocari. *De Jurejurando.* Cap. *Cùm quidam.* Lib. II. Decret. *Tit.* 24. Cap. 12.

XIII. Concil. Cuthberti. *ann.* 747. *Can.* 1. Tom. VI. Conc. *p.* 1573. meritò legendus: cjus Summa est, quod Episcopi sollicitiùs vivere & subditos admonere debeant, ut à malo amoveant, & ad bonum provocent.

XIV. Episcopus noo sibi credat solam lectionem; & orationem sufficere, ut remotus studeat sederc, & de manu minimè fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet; Dist. LXXXVI. Cap. 6. *Fratrem. §.* 1. Gregor. I. Lib. V. *Epist.* 29. *ann.* 596.

XV. Pontificem non decet verbo solo, sed etiam conversatione gubernare subjectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testémque Doctrinæ conversationem bonam habere. Dist. LXIII. Cap. 3. Valentinianus. *post init.*

XVI. Divinæ retributionis memor ad Pontificalem conscientiam non ambigas pertinere, egentium commodis piam sollicitudinem non negare. Dist. LXXXVII. Cap. 4. Gelasius honorato *Episcopo. cir. ann.* 493. Vide *Cap.* 1. & 2.

XVII. Decorati Pallio volumus, forsan moribus indecori, dum nihil in Episcopali cervice splendidiùs fulget, quam humilitas, quâ quis honores meretur, quos fugit vel renuit. Dist. C. Cap. 8. *Contra morem. §.* 2. Greg. I Lib. II. *Epist.* 54. Joanni *Episcopo* Ravennatensi. *ann.* 593. Concil. Tolet. IV. *ann* 633. *Can.* 25. Tom. V. Conc. *p.* 1713. inprimis requirit in Episcopo scientiam Scripturæ Sanctæ & Canonum.

XVIII. Ut Episcopum Canones & Regulam non liceat ignorare. Concil. Francofort. *ann.* 794. *Can.* 20. Tom. VII. Conc. *p.* 1006. & *Can.* 53. Quam sit hæc scientia in Sacris Ministris necessaria ostensum est initio Tom. I. in Collectione omnium Canonum id probantium.

SECTIO VI.

Quid faciat Diœcesim? Quam stabilis esse debeat? Et quomodo figendi illius limites?

I. Territorium non facere Diœcesim olim noscitur ordinatum. Caus. XVI. Quæst. III. Cap. 5. *Licet. fin.* Diœcesis nomen, quod nunc significat Episcopi Districtum seu Ditionem, olim significabat Provinciam, vel Corpus plurium Provinciarum; significabat quoque Parochiam, sicut Parochia sumebatur pro Diœcesi. Harum variarum acceptionum exempla habes apud Filesacum, *De Origine Parœciar.* Tomasinum *Disciplin.* *Dominum* de Marca. Gratianum. Caus. IX. Quæst. II. Cap. 8. *Ibid.* Quæst. III. Cap. 1. 2. Caus. XII. Quæst. IV. Cap. 3. Gonzal. *in* Cap. 9. *De Testib. & Attest. num.* 12

II. Civitatis appellatione Diœcesis non continetur. *Glossa.*

III. In Regulis continetur antiquis, Parochias unicuique Ecclesiæ pristinâ dispositione deputatas nullâ posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam, exempli mali temeritate crescente, universalis confusio nasceretur. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 5. *Licet. init.* Hinc patet Diœcesim pluribus Parochiis constitisse.

IV. Synodalium Decretorum autoritas præmonet, ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos usurpet. *Ibid. med.* CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 6. *Inter.*

V. Nec negligentia Pontificis, nec temporalis objectio (quæ per incuriam fortè generatur) neque ignaviâ faciente consensus adhibitus, nec subrepente supplicatione præceptio divellere potest semel Diœcesim constitutam: ex quâ semper ad regenerationem atque consignationem Plebs devota convenit. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 5. *Licet. fin.*

VI. Cùm inter aliquos limitis actio ventilatur, Inspectores viri mittendi sunt, ut Diœcesis possidentis (si tamen Basilicam veteribus signis limes præfixus monstraverit) Ecclesiæ, cujus est jus retentionis, sit æternum Dominium. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 6. *Inter. med.*

VII. Absonum est, ut negetur illam Ecclesiam in aliqua Diœcesi constitutam, super qua instrumenta Prædecessoris sui ostenduntur in jure per quæ Episcopale Jus petebat expressè. *De Censib.* Cap. *Cùm olim. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 39. Cap. 19.

VIII. Cùm causa inter Episcopos super suarum limitatione Diœcesum vertitur, secundùm divisiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo meliùs probabuntur, necnon per testes, famam, & quæcumque alia adminicula in negotio procedi debet. *De Probationibus.* Cap. *Cùm causam.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 19. Cap. 13.

IX. Sub illa clausula (& quidam alii N. Diœcesis) nullus de Civitate ipsa ejusdem Diœcesis intelligitur inclusus. *De Rescriptis.* Cap. RODULPHUS. *med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 3. Cap. 35.

X. Attendendum ne fiat aliquid, ex quo Episcopatuum fines confundi non immeritò videantur. *De Decimis.* Cap. *Cùm sint. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 30. Cap. 18. Hujusmodi confusio hac in re, ut in quavis alia, tanta invenit secum incommoda, ut, ne accideret, prohibita fuerit utroque Jure, Civili & Canonico, omnis limitum præscriptio. Vide GONZAL. *in* Cap. 9. *De Præscript. n.* 5. Vide *Canonem* 17. *Concilii* CALCED. TOM. IV. CONC. *pag.* 764. *Concil.* EMERIT. *ann.* 666. Cap. 8. TOM. VI. CONC. *p.* 102. Quorum prior statuit, ut firmæ rurales proximæque Parochiæ maneant, apud eos qui illas tenent Episcopos. Posterior jubet cum isto, ut Episcopi habeant Parochias ab ipsis per 30. annos possessas, & Episcopos confirmatos non posse renunciare sine autoritate Papæ.

SECTIO VII.

An, & quot modis Episcopi contrahunt vinculum seu Conjugium cum suis Ecclesiis?

I. Spiritualе Fœdus Conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, in electione initiatur, ratum efficitur in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum. *De Translat. Episcopi.* Cap. *Licet.* §. 1. *med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 4.

II. Per mutuum consensum eligentium & Electi, quasi conjugale vinculum spiritualiter est contractum. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 21. §. 3. *Gl. in* V. *Quasi*, dicit hoc verbum adjectum, quia per hunc consensum verè non contrahi Conjugium ante confirmationem, cùm possit Electus renunciare, inscio Papa, antequam sit ab illo confirmatus.

III. Non debet in dubium revocari, quin post electionem & confirmationem Canonicam vinculum sit spirituale contractum, cui profectò Episcopalis Dignitas nihil addit: cùm quis Episcopali præditus Dignitate, nullius tamen Ecclesiæ possit esse Episcopus. *Ibid. De Translat.* Cap. *Inter corporalia. in init. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 2.

IV. Spirituale Conjugium inter Prælatum & Ecclesiam jam contractum est electione maximè confirmatâ. *Ut Lite non contestatâ.* Cap. *Quoniam.* §. 2. *Si verò.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 5.

V. Non est majus vinculum Episcopi ad Ecclesiam, quàm Electi, maximè cùm fuerit confirmatus; imò idem penitùs & non aliud. *De Translat.* Cap. *Inter Corporalia. in init. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 2.

VI. Idem juris obtinet in utroque propter expressam similitudinem, vel identitatem potiùs, cùm de similibus idem judicium sit habendum. *Ibid.*

VII. Electus & confirmatus sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere. *Ibid*

VIII. Præter autoritatem Sedis Apostolicæ in aliam Ecclesiam transferri non potest, & licèt sibi munus nec secundæ consecrationis fuerit impensum; nec prioris Ecclesiæ sit Pontifex; cùm ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonicè consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus. *Ibid.* §. *ult.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 2. Sine autoritate Romani Pontificis fieri cessio vel dejectio Episcopi electi, & confirmati non potest. *Ibid.* §. 1. *Sed neque. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 5. Comparatio Conjugii Spiritualis cum Matrimonio materiali claudicat in eo quod vinculum istius, cùm sit Divinum, non rumpitur à Papa; illius verò vinculum dissolvi potest ab illo, quia est Ecclesiasticum.

IX. Electionis locum nunc tenet nominatio Regis Christianissimi, & subrogatum sapit naturam rei cui subrogatur.

X. Episcopus Ecclesiæ Cathedralis est Spirituali Conjugio copulatus. *De Testam.* Cap. *Requisisti. in init. fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 26. Cap. 15.

SECTIO VIII.

Episcopos electos, confirmatos, non consecratos, posse exercere ea quæ sunt Jurisdictionis, non ea quæ sunt Ordinis sive Consecrationis.

I. Cùm Episcopus electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, Ecclesiasticorum bonorum administrationem habere potest. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 1. *Cùm verò. init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 7.

II. Ex quo Episcopus electionis suæ confirmationem accepit, Clericos suæ Diœcesis pro suis excessibus, suspensionis, vel interdicti, vel excommunicationis sententiâ percellendi potestatem habet, & eos corrigendi. *De Elect.* Cap. *Transmissam.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 15.

III. De talibus, scilicet de pertinentibus ad Jurisdictionem, puta sicut est judicare, corrigere, juramenta recipere à Vasallis, confirmare, investire, Beneficia conferre & consimilia, quæ consistunt in Jurisdictione. *Glossa.* V. *De talibus.* Quoad illa quæ majore egent inquisitione recensetur alienatio rerum Ecclesiæ. Cap. 44. *De Elect. fin.* Et consimilibus (præterea quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & Ministerium consecrationis desiderant,) quod justum est, & Ecclesiasticæ convenit utilitati, statuendi habet liberam facultatem. *Ibid.* §. *Respondemus.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 15.

IV. Suffraganeis alicujus Metropolitani, ad mandatum

datum ipsius, post confirmationem electionis suæ, licitum est Electum, qui ad ejus Jurisdictionem pertinet, consecrare. *De Elect.* Cap. *Suffraganeis.* Lib. I. Decret. *Tit.* 6 Cap. 11.

V. Licèt aliquis nondum fuerit in Archiepiscopum consecratus, si tamen confirmationis munus receperit, Archiepiscopalia (quantùm ei licet) ministrare potest, & Episcopum confirmare. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Cùm ex illo. §. Licet.* Lib.I Decrat. *Tit.*7. Cap 1.

VI. Electo Episcopo & confirmato, non intelligitur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat; sed quia sponsus ejus nondum est consecratus. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia.* Lib. I. Decret. *Tit.* 7. Cap. 2.

VII. Electus ad Ecclesiam Cathedralem confirmatus, quanquam nondum consecratus, ratione Jurisdictionis cunctis in suâ Diœcesi præeminet. *Bulla* 15. Eugenii IV. *Non Mediocri.* §.13. *post init. ann.* 1439. Bullarii Tomo I. *p.* 352.

VIII. Electus, confirmatus, non consecratus, nequit exercere quæ sunt Ordinis Episcopalis. *Glossa. init.* Cap. 15. *Supra laudat. De Elect.* Intellige per se ipsum, nam illa demandare alii Episcopo valet.

IX. Jure Communi potest Clericos corrigere ac punire. *Glos. fin.*

X. Archiepiscopus electus, confirmatus, dare potest mandatum Suffraganeis ut consecrent Episcopum.

XI. Per confirmationem conceduntur ea quæ sunt Jurisdictionis. *Glossa.*

SECTIO IX.

Non posse Episcopos alia Jura exigere ab Ecclesiis quàm consueta.

I. Sicut Beatus Hieronimus inquit: „Unaquæque „Provincia in suo sensu abundet, secundùm rationa„bilem consuetudinem Regionis illa justitia circa me„dietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro lo„corum diversitaribus attendatur„. *De Sepulturis.* Cap. *Certificari.* Lib III. Decret. *Tit.* 28. Cap. 9. Hieronimi locus refertur Dist. LXXVI. Cap. 11. §. 1. Cui additur „& præcepta Majorum Leges „Apostolicas arbitretur„.

II. Episcopus suis juribus in Ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigat. *De Off. Ord.* Cap. *Conquerente. §.* 2. *init.* Lib. I. Decrat. *Tit.* 31. Cap. 16.

III. Cathedraticum non ampliùs quàm vetusti moris esse constiterit, ab ejus loci Presbytero noveris exigendum. Caus. X. Quæst. III. Cap. 5. *Nec numerus.med.* Gelasius Fabiano *Episcopo,circa ann* 494.

IV. Excepto quod Veterum Constitutiones à Parochiis habere jubent, Episcopis alia denegentur. Caus. X. Quæst.III. Cap. 6. *Quia cognovimus. med. Ex Conc.* Tolet. III. Cap. 20. *ann.*589. Tom. V. Conc. *p.*1014.

V. Nulli Episcoporum liceat à subjecto Sacerdote, vel alio quolibet Clerico, & piis locis, dationes ultra Statuta Patrum exigere, aut superposita in angariis inferre. Caus. XVI. Quæst. I. Cap.62. *Nulli. init. Ex Concilio* Eugenii II. Cap. 26. *ann.* 826. *inter Concilia* Leonis IV. Tom. VIII. Conc. *p.* 110.

VI. Pati nec debemus, nec volumus, ut Ecclesiæ censûs novi exactione vexentur. *De Censib.* Cap. *Significavit. in int. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.* 39. Cap. 13.

VII. Constitutum est Episcopos ita Diœceses suas regere, ut nihil jure præsumant auferre, sed juxta priorum autoritatum *Conciliorum*, tam de oblationibus, quàm de tributis ac frugibus tertiam consequantur. *Conc.* Tolat. IV. *ann.* 633. *Can.* 33. Tom. V. Conc. *p.* 1715.

VIII. Est consuetudo inordinata Sacerdotum, qui Parochias suas ultra modum diversis exactionibus vel angariis comprimunt. *Concil.* Tolet. XVI. *ann.* 693. Cap. 5. Tom. VI. Conc. *p.* 1319.

IX. Unaquæque Ecclesia debet manere suis Privilegiis contenta, nec ab aliis pervadi vel usurpari quod alterius juris esse dignoscitur. *Privilegium exemptionis Monasterii* Corbeiæ à Benedicto III. *concessum, ann.* 855. Tom. VIII. Conc. *p.* 237. Cujus rei ratio datur quod Ecclesiæ adeò ditatæ sint, ut nemo ferè Episcoporum sit cui suæ sumptus Ecclesiæ satis superque sufficiant.

Nullus Episcopus gravamen seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam Normam Abbatibus, seu Clericis suis imponat, quod si fecerit Officii sui periculum subeat. Conc. Rom. V. *ann.* 1078. Cap. 9. Tom. X. Conc. *p.* 373.

SECTIO X.

Quæ sunt præcipua Jura Episcopalia?

I. Multa sunt quæ ad Jus Episcopale spectare noscuntur. *De Præscriptionib.* Cap. *Cùm olim. §. ult. fin.* Lib. II. Decret. *Tit.* 26. Cap. 18.

II. Juris Communis autoritate universa spiritualia in locis, quæ sunt in Diœcesi constituta, ad Diœcesanum Episcopum pertinent. *Ibid. De Præscript.* Cap. *Cum olim. post init.* Lib. II. Decret. *Tit.* 26. Cap. 18.

III. Propriè Episcopale Ministerium est, ut omnium iniquè laborantium & oppressorum, causas piâ propugnatione sublevent, & maximè pro Ecclesiasticis necessitatibus, paternâ sollicitudine desudent. *Concil.* Valentinum III. *ann.* 855. *Can.* 23. *ult.* Tom. VIII. Conc. *p.* 144.

IV. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines promovendi fuerint, Clerici Ecclesiarum quæ sunt in Diœcesi constitutæ, à Diœcesano Episcopo postulare debent. *De Præscript.* Cap. *Veniens. §. Chrisma.* Lib. II. Decret. *Tit.* 26. Cap. 19.

V. Jus Episcopale circa cognitionem Causarum Matrimonialium, circa suspensionem, & interdictum, habet Episcopus super Ecclesiis quæ ad se Lege Diœcesana spectant. *Ibid. De Præscript.* Cap. *Auditis. fin.* Lib.II. Decret. *Tit.* 26. Cap. 15.

VI. Institutiones, destitutiones, ordinationes Plebanorum, potestas excommunicandi, atque interdicendi, & etiam absolvendi, ad Jus Episcopale pertinent. *De Præscript.* Cap. *Cùm olim. init. & §.*2, *Aliorum.* Lib. II. Decret. *Tit.* 26. Cap. 18.

VII. Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earumdum. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Sicut. init.* Lib. V. Decret. *Tit.* 31. Cap. 8.

VIII. Episcopi in Ecclesiis, quæ ad eos pertinent pleno jure, possunt, post Missarum solemnia & Vespertinas ac Matutinas Laudes, benedictionem solemnem super populum elargiri, & alibi publicè, aut per vias, Civitates, Castra, & Villas, populis, & plebibus, benedictionem facere, vel impertiri. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Abbates. Glossa colligit* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 3.

IX. Ea sunt Episcopalis Dignitatis, de causis Matrimonialibus cognoscere, injungere publicas pœnas, concedere etiam Indulgentiarum literas. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Accedentib. init.* Lib. V. Decret. *Tit.* 31. Cap. 12.

X. Sic specificari videntur, quæ Episcopo ratione juris Episcopalis competunt in Ecclesiis suæ Diœceseos. *De Off. Jud. Ord.* Cap. *Conquerente. init.* Lib.I. Decret. *Tit.* 31. Cap. 16.

XI. In Epistolâ Beati Papæ Clementis legitur: „Attendendum summoperè est omnibus Presbyteris, & „reliquis Clericis. ut nihil absque proprii Episcopi li„centia agant„: Idem de populis dicitur, ac pro ratione additur: „Quod singulorum animæ ei sunt creditæ„. *De Jure Patr.* Cap. *Quacumque. in int. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.*38. Cap. 2, *Desumitur ex Conc.* Tribur. *ann.* 895.

XII. Concil. Vormat. *ann.*868. *Can.*8. Tom. VIII. Conc. *p.*948. In eo recensentur quæ Canones, sive veteres, sive

novi, Episcopis reservarunt, illa vetando Presbyteris. Omittuntur ea quæ certò sunt Juris Divini, ut ordinatio Presbyterorum, Diaconorum, Episcoporum consecratio, utpotè noti & alterius generis nobilioris.

XIII. Episcopus in Ecclesiis suæ Diœcesis habet Canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, correctionem, & reformationem, ac censuram Ecclesiasticam, Jurisdictionem quoque causarum omnium ad Forum Ecclesiasticum de jure spectantium, pœnitentias, & Sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum. *De Off. Jud. Ord.* Cap. *Conquerente.* §. 1. *init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 16.

XIV. Diœcesanus Episcopus Statutum condere potest. *De Locato & Conducto.* Cap. *Vestra.* §. 1. *Glossa colligit.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 18. Cap. 2. *& De Majorit. & Obedientia.* Cap. *Si quis.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 2. Cap. 1. 2. *De Constit. In.* 6.

XV. Feriandæ sunt illæ Festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopalibus cum populo collaudaverint. *De Consecr.* DIST. III. Cap. 1. *fin.*

XVI. Presbyteri & Diaconi sine scientia Episcopi nihil perficiant; ipse enim est cujus fidei populus est creditus, & à quo pro animabus ratio exigetur. *Can. Apost.* 38. *Conc.* PONTIOON. *ann.* 876. Cap. 12. TOM. IX. CONC. *p.* 288. *Concil.* TRICASTINUM. *ann.* 878. *Can.* 1. TOM. IX. CONC. *p.* 312.

SECTIO XI.

Episcopos esse Presbyteris, & Clericis, & Laicis omnibus Superiores, non tamen iis dominari debere.

I. Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris Superiores, anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *Can.* 7. Non addit *Jure Divino*, quia hoc definire expediens non judicavit.

II. Episcopi Presbyteris Superiores sunt, ac Sacramentum Confirmationis conferunt, Ministros Ecclesiæ ordinant, atque alia pleraque agere ipsi possunt, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *init.* Cap. 4. *med.*

III. Episcopis omnibus, in sua cuique Diœcesi, in subditos tradita est suprà reliquos inferiores Sacerdotes autoritas. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *In Doctrina de Sacramento pœnitentiæ.* Cap. 7. *med.*

IV. Mandatum est Episcopis, ut tàm in Ecclesia, quàm foris, suum gradum & ordinem præ oculis habentes, ubique se Patres & Pastores esse meminerint. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* C. 17. *fin.*

V. Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ Parentem suscipe. DIST. XCV. Cap. 7. *Esto. init.*

VI. Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos, ut & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. *Ibid.* DIST. XCV. Cap. 7. *Esto.* §. 1.

VII. Nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam normam Abbatibus, seu Clericis suis imponat. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 124. *Nullus. init.*

VIII. Ne subditos suos exactionibus Episcopi gravare præsumant. *De Censib.* Cap. *Cùm Apostolus.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 6.

IX. Multùm longè à paterna pietate videtur, si Præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris debent more fovere. *Ibid. De Censib.* Cap *Cùm Apostolus.* §. 1. *Prohibemus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 6.

X. Intelligat non esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 11. *Qui Episcopatum. post init.*

XI. Episcopus tenetur Clericis suæ Jurisdictionis paterna provisione consulere. *De Restitut. spoliat.* Cap. *Conquerente. med.* LIB. II DECRET. *Tit.* 13. Cap. 7.

XII. Sicut Episcopus Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim Ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia. *Concil.* SARDIC. *Can.* 17. *fin. Vers.* DION.

XIII. Parochiales Clerici servili more in aliquibus operibus Episcopis servire non cogantur, quia scriptum est: „ Neque ut dominantes in Clero „. *Conc.* BRACAR. III. *ann.* 572. *Can.* 2. *fin.* TOM. V. CONC. *p.* 897. *Concil.* NARBON. *ann.* 589. *Can.* 10. TOM. V. CONC. *p.* 1020.

XIV. Episcopi se Pastores, non Percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborèntque, ut hortando, & monendo, ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *De Refor.* Cap. 1.

XV. Ut Presbyteri, Diaconi, vel quolibet Ordine Clerici Episcopo suo obedienti devotione subjaceant. *Conc.* MATISCON. I. *ann.* 581. *Can.* 10. TOM. V. CONC. *p.* 968.

XVI. Clerici omni subjectione Episcopis subjecti illis, debitam præbeant obedientiam, & nullo jactantiæ suæ studio semetipsos attollant. *Exceptiones* EGBERTI, *Archiep.* EBORACEN. Cap. 58. TOM. VI. CONC. *p.* 1591.

XVII. *Concil* VERNENSE, *ann.* 755. *Can.* 7. 8. TOM. VI. CONC. *p.* 1666 ubi inter alia ait, quod omnes Presbyteri sunt sub potestate Episcopi, & sine illius jussione animarum curam non exerceant.

XVIII. Omnes Ecclesiæ & Clerici sint sub jure sui Episcopi. *Concil.* COTAC. *in* HISPANIA, *ann.* 1050. *Can.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 1064.

XIX. *Concil.* MELFITAN. *in* APULIA, *ann.* 1090. Cap. 9. TOM. X. CONC. *p.* 477. vocat Acephalos, Clericos, qui sine licentia Episcopi Curias adeunt, & in sacris proceribus deserviunt.

XX. Episcopi Presbyteros, quasi filios & fratres, benigna ac fraterna debent charitate fovere. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 1.

XXI. Prælati sic exerceant acceptam Jurisdictionem in subditos, ut prodesse probentur, potiusquàm præesse. *De Novi operis nunciat.* Cap. *Cùm ex injuncto. in int. init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 32. Cap. 2.

XXII. Si quis se falsò Episcopum asserens Altaria consecravit, & alia exercuit quæ ad Officium pertinent Præsulatûs, illa quæ taliter egit, irrita nunciari debent, & ipse perpetuo carceri mancipari, pane doloris & aqua angustiæ sustentandus. *De Regularibus.* Cap. *Postulasti. in int. med.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 21.

SECTIO XII.

Episcoporum Jurisdictionem continere intra eorum Diœcesim, ipsósque nihil efficere debere extra illam, & quam pœnam incurrant, si Pontificalia exerceant in aliena Diœcesi?

I. Episcopus in tota sua Diœcesi Jurisdictionem Ordinariam noscitur habere. *In 6. De Officio Jud. Ord.* Cap. *Cùm Episcopus. init.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 7.

II. Constitutum est Episcopos Diœceses suas regere. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 60. *Constitutum. init.*

III. Omnis Ecclesiæ, ipsius gubernatio ad eum Episcopum, in cujus Civitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit. CAUS. XVI. QUÆST. V. Cap 1. *Si quis Episcoporum. fin.*

IV. Ab omnibus Episcopis firmum, illibatúmque servetur, ut suæ Ecclesiæ juvante Domino, tantummodo sint jure contenti. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 5. *Quam sit.* §. *ultim.*

V. Si sua unicuique Episcopo Jurisdictio non servetur, quid aliud agitur, nisi ut Ecclesiasticus Ordo confundatur. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 39. *Pervenit. fin.*

VI. Sa-

VI. Sacris Canonibus est generaliter interdictum, ne quis Episcopus Jurisdictionem in Diœcesi exerceat aliena. CLEMENTINA *Quamvis. De Foro competenti. init.* CLEMENTINARUM LIB. II. *Tit.* 2. Cap. unico.

VII. Episcopum, qui Ecclesias, & decimas, quas ab eo repetit alius Episcopus, in cujus sunt constitutæ Diœcesi, proponit se legitimè præscripsisse, allegare oportet (cùm Jus Commune contra ipsum faciar) hujusmodi præscriptionis Titulum, & probare. *In 6. De Præscript.* Cap. *Episcopum. init.* LIB. II. *Tit.* 13. Cap. 1.

VIII. Episcopi, qui extra Diœcesim sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant, & permisceant Ecclesias. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 8. *Episcopi.*

IX. Episcopum non debere in alienam irruere Civitatem, quæ illi probatur non esse subjecta, neque in Regionem, quæ ad ejus curam minimè noscitur pertinere, nisi fortè cum voluntate & testimonio propriæ Regionis Episcopi. *Ibid.* CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 7. *Episcopum. init.*

X. Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm. *Concil.* TRIDENT. SESS. VI. *De Reform.* Cap. 5.

XI. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium sit ipso jure suspensus. *Ibid. fin.*

XII. Regenda est unaquæque Parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per Sacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui jure pertinere videtur, & circumire, ut sibi necessarium visum fuerit, Ecclesiasticâ utilitate cogente. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 4. *Ex Epistola.* 2. LEONIS IV. Cap. 2. TOM. VIII. CONC. *p.* 31. Quæ adeò præclara visa est Collectoribus Canonum, ut nulla sit illius pars quæ suo loco ab iisdem relata non sit, ut patet ex affixis margini citationibus.

XIII. A quo figendi limites Diœceseos. Vide *Conc.* TOLET. IV. *ann.* 633. Cap. 34. 35. qui docent id fieri posse ipsa possessione, dummodo Parochiæ, de quibus agitur, intra Provinciam sint, & ad id sufficere tricenariam, secùs de aliis. TOM. V. CONCIL. *pag.* 1715. *Concil. apud* CELICHIT. *in Provincia* CANTUAR. *ann.* 816. *Can.* 11. TOM. VII. CONCIL. *pag.* 1489. qui vetat Episcopis, ne quid agant in Diœcesi aliena, excipitque Archiepiscopum erga Diœceses Suffraganeorum.

XIV. Illa facere oportet unumquemque Episcopum, quæ ad suam Parochiam pertinent, & Pagos, qui ei subsunt. *Can. Apost.* 33.

XV. Episcopus ne audeat extra suos fines facere ordinationes in Urbibus & Pagis non ei subjectis. *Can. Apost.* 34.

XVI. Sin autem hoc facere convictus fuerit præter eorum sententiam, qui tenent Pagos illos vel Civitates, deponatur & ipse & ii quos ordinavit. *Ibid.*

XVII. Unusquisque Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat, quæ sub ejus est potestate, ita ut Presbyteros, & Diaconos ordinet & singula suo judicio comprehendat. *Concil.* ANTIOCH. *Can.* 9.

XVIII. Episcopus quilibet, qui de sua in alteram progreditur Parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo, qui in suo principatu est, die Dominica offerat tantùm susceptione, & obsequi hic contentus sit. *Synodus Sancti* PATRICII. *ann. cir.* 450. *Can.* 30. TOM. III. CONC. *p.* 1480.

Diœceses olim Parochiæ vocabantur, etiam medio sæculi VIII. *in Concil.* NARBON. *ann.* 788. TOM. VII. CONC. *p.* 964. De aliis sæculis patet per plures Canones suprà collectos in hac Sect.

XIX. Episcopi, ad Ecclesias, quæ sunt ultrà suam Diœcesim, suósque limites, ne accedant. *Concil.* CONSTANTINOP. I. *Can.* 2. *ann.* 381. TOM. II. CONC. *p.* 948.

XX. Non vocati Episcopi ultrà Diœcesim ne transeant ad ordinationem, vel aliquam aliam administrationem Ecclesiasticam. *Ibid. Concil.* AURELIAN. V. *ann.* 549. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *p.* 393. *Concil.* EUGENII II. *ann.* 826. Cap. 23. TOM. VIII. CONCIL. *p.* 110. Vide. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. I. & seq.

XXI. Sanctorum Canonum institutionibus continetur, ut unusquisque suis terminis contentus existat, nec in aliena jura irrepat. INNOC. II. *Epistola.* 7. TOM. X. CONC. *p.* 950.

XXII. Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius Parochiarum judicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat, quia talis judicatio, vel ordinatio, aut excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec vires ullas habebit: quoniam nullus alterius Judicis, nisi sui, sententia tenebitur, aut damnabitur. Unde & Dominus loquitur, dicens: "Ne „transgrediatis terminos antiquos, quos posuerunt „Patres tui „. DEUTER. XIX. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 1. CALIXTUS I. *Epist.* 2. vide Cap. 3. 6. 7. 8.

XXIII. Alterius arripere anhelantes Parochias in perjurii reatum incurrunt. *Epistola* ADRIANI I. *ad* CAROLUM MAGNUM. TOM. VI. CONC. *p.* 1772. *Qui terminos &c. Ibid.*

SECTIO XIII.

Quænam sint præcipua Episcoporum Officia?

I. Quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis ubi oportet provideri, æquum est. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Reform.* Cap. 8. *init.*

II. Omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos, instituta sunt, Episcopi ex officio suo juxtà Sacrorum Canonum Statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, Privilegio, aut Statuto. *Concil.* TRID. SESS. XXII. *De Reform.* Cap. 8. *fin.*

III. Episcopus, quæ statuenda sunt, statuat, & errata corrigat, & evellenda dissipet, & evellat. *De his quæ fiant &c.* Cap. *Quanto.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 5.

IV. Prædicationis munus Episcoporum præcipuum est. *Conc* TRID. SESS. XXIV. DECRET. II. *De Reform.* Cap. 4. *init.*

V. Christianæ Reipublicæ necessaria est Prædicatio Evangelii, & hoc est præcipuum Episcoporum munus. *Conc.* TRID. SESS. V. *De Reform.* Cap. 2. *init.*

VI. Proprie Episcoporum munus est Subditorum omnium vitia redarguere. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Reform.* Cap. 1. *init.*

VII. Episcopo jure pertinere videtur, & circumire Parochias, ut sibi necessarium visum fuerit, Ecclesiastica utilitate cogente. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 4. *Regenda est. fin.*

VIII. Diœcesani Episcopi auctoritate ordinaria in negotio hæreticæ pravitatis procedere valent. *In 6. De Hæreticis.* Cap. *Per hoc. init.* LIB. V. *Tit.* 2. Cap. 17.

IX. Omnium Ecclesiasticarum, *hoc est*, bonorum, rerum, Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenset eas, tanquam Deo contemplante. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 19. *Quisquis. med.*

X. Annis singulis Episcopus in sua Diœcesi *Synodum* faciat de suis Clericis. DIST. XVIII. Cap. 16. *Annis.*

XI. Episcopi supplere debent negligentiam Subditorum. *De Magistris.* Cap. *Prohibeas. fin. Glossa colligit.* Verbo *Liceat.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 5. Cap. 2.

XII. SYNODI Diœcesanæ quotannis celebrentur. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECRET. II. *De Reform.* Cap. 2. *post med.*

XIII. Si quis Episcopus Ecclesiasticam Jurisdictionem sua patitur dissimulatione perverti, Districtione

Canonica

Canonicâ percellatur. *Ne Prælati vices.* Cap. *Quoniam. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 4. Cap. 2.

XIV. Unumquemque Episcopum oportet habere suæ Diœcesis potestatem, ut regat, & gubernet secundùm competentem singulis reverentiam, & providentiam gerat omnis Regionis, quæ sub ipsius est Civitate; ita ut etiam ordinare ei Presbyteros & Diaconos probabili judicio liceat, & de singulis ipsius Regionis causis cum moderatione & pondere disceptare CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 2. *Per singulas. med.*

XV. Quod si perniciosum est Proretam (seu Rectorem navis) in tranquillitate navim deserere, quantò magis in fluctibus? ubi non di itur, quod Persecutorum non fugiant (maximè Paganorum) insidias CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 47. *Suscitaris. init.*

XVI. Cùm ad tempus sæviunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem diutiùs assequuntur: præsertim cùm eis prodire ultrò non debeamus, & multos Prophetas, & Apostolos, ipsumque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clariùs constet; Sed quò precipuè Episcopos, qui tanquam Arietes ducitum gregibus præbent, imò qui & horum Pastores sunt, Deo Auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere, pro certo conveniat, & cùm tranquillitas reddita Divinâ fuerit pietate, sopitâque furentium infestatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos Cælestis Patriæ pace, ac potissimum securitate prædicatâ, sursum erigere debeant. *Ibid.* CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 47. *Suscitaris.*

XVII. Constitutum est Episcopos Diœceses suas ita regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 60. *Constitutum est. init. Ex* TOLET. *Conc.* IV. Cap. 32. *ann.* 633. *Conc.* TOLET. XI. *ann.* 675. Cap. 2. TOM. VI. CONC. *p.* 546.

XVIII. Unusquisque Episcopus in sua Parochia diligenter provideat, ut Ecclesiæ Dei, benè constructæ & restauratæ & ornatæ fiant, tam in officio & luminaribus, quámque in reliqua restauratione, & ut Servi Dei regulariter vivant, unusquisque secundùm sui Ordinis gradum, maximè Episcopus curam habeat. *Exceptiones* EGBERTI, Cap. 28. TOM. VI. CONC. *p.* 1588.

XIX. Locorum Ordinarii per censuram Ecclesiasticam, aliisque opportunis remediis, Contradictores compescendo, faciant, prout ad eos spectat, in his quæ ad Divinum Cultum & morum reformationem pertinent, Sacrorum Statuta Canonum irrefragabiliter observari. CLEMENTINA, *Gravi.* §. *Ne igitur, fin. De Celebrat. Missarum.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

SECTIO XIV.

Quâ ratione Episcopi teneantur, & possint Prædicationis Officium adimplere?

I. Quicumque Religiosi, seu Clerici idonei ad annunciandum Gentibus Evangelicam Veritatem, requisitâ & habitâ Prælatorum suorum licentiâ, id absque contradictione qualibet liberam exequendi habeant facultatem. *De Judæis.* Cap. *Quam sit.* §. 2. *Insuper.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 10.

II. Sicut multa sunt membra corporis, omnia verò non eumdem actum habent, ita multi sunt Ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent Officium, quia secundùm Apostolum: *Alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores, &c.* Cùm igitur Doctorum Ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter Prædicationis Officium usurpare. Nam secundùm Apostolum: † *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et Veritas ipsa præcepit Apostolis: * *Rogate Dominum messis, ut mittat Operarios in messem suam.* De Hæreticis. Cap. Cùm ex injuncto. §. 3. LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 12.

III. Cùm Apostolus dicat: *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Omnes qui prohibiti vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel privatim Prædicationis Officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur: & nisi quàm citiùs resipuerint, aliâ competenti pœnâ plectentur. *De Hæreticis.* Cap. *Excommunicamus.* §. 6. *Quia nonnulli.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 13.

IV. *Conc.* VALENTINUM III. *ann.* 855. *Can.* 16. TOM. VIII. CONC. *p.* 142. Ubi postquam jussit ut Episcopi per se, vel per alios fideliter doctos, prædicent, curéntque, ne Plebs hâc egeat ope, addit, *ubi Verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud quàm vita animæ subtrahitur?*

V. Nullus potest prædicare, nisi ex officio sibi commisso, vel nisi habeat autoritatem à suo Prælato. *Glossa* Verbo *Requisita.*

VI. Quod non oportet Laïcum publicè disputare & docere, autoritatem ex eo sibi vendicantem, sed Ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & Divina ab eis doceri. *Concil.* QUINISEXTUM. *ann.* 296. *Can.* 64. TOM VI. CONC. *p.* 1172.

VII. *Concil.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 4. TOM. VII. CONC. *p.* 1261. Sic loquitur: *Sollicitè studeat unusquisque Episcopus, gregem sibi commissum, Sacra Prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare.*

VIII. *Concil.* BASILLON. II. *ann.* 815. *Can.* 2. TOM. VIII. CONC. *p.* 1272. supponens quod Episcopus prædicare debeat, præcipit ut vita & doctrina concordent, faciens quod dicit, & dicens quod facit.

IX. Appendix *Concilii* ROTHOMAG. *ann.* 1074. Cap. 1. TOM. X. CONC. *p.* 311. vetat ne quis doceat, nisi ab Episcopo probatus, propter multimodos & detestandos errores quos docent imperiti.

X. Caveant præterea Episcopi, ne aliquem, vel eorum qui, cùm sint nomine Regulares, extra Claustra tamen & obedientiam Religionum suarum vivunt, vel Presbyterorum Sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in sua Civitate vel Diœcesi prædicare permittant. *Ibid. Conc.* TRID. *fin.* SESS. V. *De Refor.* Cap. 2.

XI. Si, quod absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis, prædicet, Episcopus ei Prædicationem interdicat. *Concil.* TRIDENT. SESS. V. *De Refor.* Cap. 2.

XII. Quod si Hæreses prædicaverit, contrà eum, secundùm Juris dispositionem, aut loci consuetudinem; procedat etiamsi Prædicator ipse ge era'i vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet; quo casu, Episcopus autoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, procedat. *Concil.* TRID. *ibid.*

XIII. Curent Episcopi, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs, calumniosè vexetur, justámve de eis conquerendi occasionem habeat. *Ibid.*

XIV. Episcopi diligenter studeant, ut apud rudem Plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus Concionibus secludantur. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXV. *Decret. De Purgatorio. med.*

XV. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. *Ibid.*

XVI. Ea verò quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & offendicula prohibeant. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Purgatorio. med.*

XVII. Prædicationis Officium privilegiatum est. *De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei timorem.* §. 2. *med.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 35. Cap. 5.

XVIII. Tanta discretio tenenda est, ut & Verbi Dei Prædicator, ubi proprii sumptus desunt, à fratribus accipiat, & item fratres illius potentiâ non gravantur, exemplo Apostoli Pauli, qui, ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat. CAUS. X. QUÆST. III. Cap. 7. *Cavendum est. fin.*

XIX. Post

† *Rom.* 10. * *Matt.* 9. *Luc.* 10.

XIX. Poſt Baptiſmum, inter cætera magis ad ſalutem neceſſaria eſt propoſitio Verbi Dei, quo audientes, illud, qnod eſt victoria noſtra, inſtrunntur in fide, docentur fugienda fugere, & ſectanda ſectari, à quo per peccatum lapſi reſurgunt, pœnitentiæ Sacramentum perficinnt. Extravagant. *Comm. Inter Cunctas. §. 8. De Privilegiis.* Extravagantium *Communium* Lib. V. *Tit.* 7. *De Privilegiis.* Cap. 1.

XX. Ad prædicandum Verbum Dei ſententia (fortè ſcientia) Divinæ Legis expoſcitur. deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtulatur. Scriptum eſt enim: *Tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi; quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & Legem exquirunt ex ore ejus:* Aliàs prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non poſſet diſcernere, nec peccator exiſtens Dei deberet narrare juſtitias, & Teſtamentum illius aſſumere per os ſuum. Nam cujus vita deſpicitur, conſequens eſt, ut ejus Prædicatio contemnatur. *Ibid.* Extravag. *Communi. Inter Cunctas. §. 8. De Privilegiis.* Lib. V. Extravag. *Communium. Tit. 7. De Privilegiis.* Cap. 1.

XXI. Dum Paganis evangelizatur nomen Domini Jeſu Chriſti, ne (ſi diſpar in iis, qui evangelizandi officium aſſumpſerunt, obſervantia fuerit, & diſſimilis habitus) apud eos, quibus unum Evangelium prædicatur, ſcandalum ſuſcitetur; eo non obſtante, quod inter illos Operarios, Monachi ſunt, & Canonici Regulares, vel alii etiam regularem vitam ſub aliâ diſtrictione profeſſi, omnes pariter in unum regulare propoſitum & honeſtum habitum, quantùm ad hoc ſpectat Officium, Epiſcopus poteſt conformare. *De vitâ & honeſt. Cleric.* Cap. *Deus. in integrâ.* Lib. III. Decret. *Tit.* 1. Cap. 11.

SECTIO XV.

Decreta notabiliora circa Prædicationis Officium & curam Epiſcopis commiſſam.

I. Inter cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum Verbi Dei permaxime ſibi noſcitur eſſe neceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eo quòd: „ Non in „ ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod „ procedit de ore Dei „. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Inter cætera init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 15.

II. Omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alii Eccleſiarum Prælati, tenentur per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium. *Concil.* Trident. Sess. V. *De Refor.* Cap. 2. *init.*

III. Si contigerit Epiſcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi Prædicationis Officium ſalubriter exequendum. *Ibid. Conc.* Trident. §. 1.

IV. Cùm ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel invalitudines corporales, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo Verbum Dei: ipſi viros idoneos ad Sanctæ Prædicationi Officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Inter cætera.* Lib. I. Decret. *Tit.* 31. Cap. 15.

V. Quo Prædicationis munus frequentiùs poſſit ad fidelium ſalutem exerceri; Epiſcopi in Eccleſia ſua, ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad Prædicationis munus aſſumunt, Sacras Scripturas, Divinámque Legem annuncient. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Refor.* Cap. 4. *init.*

VI. In aliis Eccleſiis per Parochos, ſive, iis impeditis, per alios ab Epiſcopis, impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent, deputandos, in Civitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis & ſolemnibus diebus Feſtis, tempore autem Jejuniorum, Quadrageſimæ, & Adventûs Domini, quotidie vel ſaltem tribus in Hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, Divinámque Legem annuntient, & aliàs quotieſcumque id opportunè fieri poſſe judicaverint. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II *De Refor.* Cap. 4. *med.*

VII. Iidem etiam ſaltem Dominicis, & aliis Feſtivis diebus, pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt; & ſi opus ſit etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus privilegiis & conſuetudibus. *Conc.* Trident. Sess. XXIV. Decret. II. *De Ref.* Cap. 4. *fin.*

VIII. Ubi intra eamdem Civitatem atque Diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios ritus & mores: Pontifices hujuſmodi Civitatum, ſive Diœceſum, provideant viros idoneos, qui ſecundùm diverſitates rituum & linguarum Divina Officia celebrent, & Eccleſiæ Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo. *De Officio. Jud. Ordin.* Cap. *Quoniam. init.* Lib. I. Decret. *Tit.* 31. Cap 14.

IX De Officio Prædicationis ſi forte Epiſcopus non fuerit in domo ſuâ, aut infirmus eſt, aut aliâ aliquâ causâ exigente, non valuerit, nunquàm tamen deſit diebus Dominicis, aut Feſtivitatibus, qui Verbum Dei prædicet juxtà quod intelligere vulgus poſſit. *Concil.* Moguntiacun. *ann.* 813. *Can.* 25. Tom. VII. Conc. *p.* 1249. *Conc.* Pontigon. *ann.* 876. Cap. 7. Tom. IX. Conc. *p.* 286.

SECTIO XVI.

Poſſe Epiſcopos ſtatuere vel revocare ſub pœnis, quæ prudenter expedire judicaverint, tàm erga Clericos, quàm alios ſubditos ad morum correctionem.

I. Epiſcopi ut aptiùs quem regunt populum poſſint in officio atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſuorum, ſpectant, jus & poteſtatem habeant ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxtà Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ utilitate, neceſſaria videbuntur. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Ref.* Cap. 10. *init.*

II. Quæ alias à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis, de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac ſalubriter ſancita fuerunt; eadem iiſdem pœnis vel majoribus, arbitrio Ordinarii, imponendis obſerventur. *Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 1. *med.*

III. Si quæ verò ex iis in deſuetudinem abiiſſe compererint Epiſcopi, ea quamprimùm in uſum revocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas Deo Vindice pœnas perſolvant. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 1 *fin.*

Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 1. *fin.*

IV. Faciant Epiſcopi, prout ad eos ſpectat in his quæ ad Divinum Cultum, & morum reformationem pertinent, Sacrorum Statuta Canonum irrefragabiliter obſervari. Clementina. *Gravi. De Celebrat. Miſſarum. fin.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

V. Epiſcopus faciat, ut hæc quæ ejus ſtudio emendanda ſunt, mora per eum vel impedimentum aliquod non contingat. *De Pactis.* Cap. *Qualiter. in integ. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 35. Cap. 13.

SEC-

SECTIO XVII.

Episcopos teneri subditorum suorum, sed maximè Clericorum vitia corrigere.

I. Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant. *Concil.* TRID. SESS. VI. *De Reform.* Cap. 3. *init.*

II. Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Irrefragabili. init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 13.

III. Ad Episcopos spectat Clericorum correctio. CLEMENTINA *Ut Clericorum. med. De Officio Jud. Ordin.* CLEMENTINARUM LIB. I. *Tit.* 9. Cap. 1.

IV. Hoc Episcopis præcipuè cavendum est, ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, néve inhonestam vitam ipsis cnonientibus ducant. *Concil.* TRIDENT. SESS. XIV. *De Reform. in Proœmio. init.*

V. Si Episcopi Clericos pravis & corruptis moribus esse permittunt, quo pacto Laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis Sermone convinci possent, quod Clericos ipsi patiantur esse deteriores? *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De Refor. in Proœmio.*

VI. Inferiorum culpæ Ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentésque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam. DIST. LXXXVI. Cap. 1. *Inferiorum.*

VII. Omnes Ecclesiarum Prælati ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Reform.* Cap. 4. *init.*

VIII. Episcopos debere cum Judicibus omninò consentire; ut sibi mutuo sint auxilio. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 24. TOM. IX. CONC. *pag.* 310.

SECTIO XVIII.

Quâ ratione Episcopi debeant Clericorum, & aliorum subditorum vitia corrigere?

I. Monebunt Episcopi suos Clericos, in quocumque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone, & scientia, commisso sibi Dei populo præeant; memores ejus quod scriptum est: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*: & juxtà Apostoli vocem: *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium eorum.* Conc. TRID. SESS. XIV. *De Reform. in Proœmio. med.*

II. Duo faciliùs & commodiùs Episcopi sibi subjectos tegere, & in vitæ ac morum honestate continere possint, si quid per humanam fragilitatem subditos peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda Præceptio: *Ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia*; cùm sæpè plus ergà corripiendos agat benevolentia, quam autoritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas. *Concil.* TRID. SESS. XIII. *De Reform.* Cap. 1. *med.*

III. Sin ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine vigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur, cùm sit diligentis & pii Pastoris officium morbis ovium lenia primum adhibere fomenta; posteà, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora & graviora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare. *Conc.* TRID. *ibid.*

IV. Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi: tolerentur infirmi: & quod in peccatis severiùs castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. DIST. LXXXVI. Cap. 1. *Odio.*

V. Episcopi ex officio possunt & debent de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem. *Ut Ecclesiastica Beneficia, &c.* Cap. unico. *§. Porrò. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12.

VI. Episcopi potestatem suam in Parochianos suos exerceant, cùm pro suis fuerint excessibus corrigendi. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm & plantare. §. penult. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3.

VII. Ut Episcopi correctionis, & reformationis officium liberè valeant exercere, executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus excesserint observandam. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Irrefragabili. §. Ut autem.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

VIII. In corrigendis excessibus juxtà Canonicas Sanctiones appellationis est diffugium interclusum. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Licet. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 12.

IX. In his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, nulla exemptio, aut inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab Episcopis mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 10. *fin.*

X. Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tàm de Clero, quàm de Regularibus, ad corrigendum & emendandum, secundùm ordinem Canonicum Spiritualem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint. *Concilium* VERNENSE. *ann.* 755. Cap. 3. TOM. VI. CONC. *p.* 1663. *Concil.* MOGUNTIACUM. *ann.* 813. *Can.* 22. TOM. VII. CONC. *p.* 1248.

XI. Episcopis districtè injunctum est, quatenùs sic circà correctionem Clericorum vigilanter intendant, & diligenter sui officii debitum exequantur, quod & iidem Clerici metu pœnæ à suis arceantur insolentiis, & alii, eorum exemplo pertetriti, prosilire ad similia meritò pertimescant. CLEMENTINA *Ut Clericorum. De Offi. Jud. Ordin. fin.* CLEMENTINARUM LIB. I. *Tit.* 9. Cap. 1.

XII. In quantum Clerici ratione Parochialium Ecclesiarum, vel aliàs Jurisdictionem Episcopi respicere dignoscuntur, Episcopus officii sui debitum in eosdem liberè prosequatur. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm Capella. §. Quocirca. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 16.

SECTIO XIX.

An, & quâ ratione Episcopi debeant visitare Ecclesias suæ Diœcesis?

I. Episcopus ratione Episcopalis Jurisdictionis, quam habet in aliquâ Ecclesiâ, tenetur causâ correctionis eam visitare. *De Censib.* Cap. *Cùm venerabilis. §. Quia ergò. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 21.

Decretum est, ut antiquæ consuetudinis ordo serverur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœceses visitentur. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 10. *Decrevimus. init.*

II. Episcopum per cunctas Diœceses, Parochiásque suas, per singulos annos ire oportet. Quòd si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequiverit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat. *Ibid.* CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 11. *Episcopum. ex Conc.* TOLET. IV. *ann.* 633. *Can.* 36. TOM. V. CONC. *p.* 1715.

III. *Concil.* CALCHUTENSE. *ann.* 787. Cap. 3. TOM. VI. CONCIL. *p.* 1865. Episcopis injungit quotannis Diœcesim visitare.

IV.

IV. *Concil.* Arelat. VI. *ann.* 813. *Can.* 17. Tom. VII. Conc. *p.* 1237. præcipit annuam visitationem singularum Parochiarum Diœcesis.

V. *Conc.* Meldense *ann.* 845. Cap. 29. Tom. VII. Concil. *p.* 1830. damnat negligentiam Episcoporum, qui raró, vel numquàm, per seipsos visitant, idque ut contra Ordinem Evangelicum, Apostolicum, & Ecclesiasticum.

VI. *Conc.* Valentinum III. *ann.* 855. *Can.* 17. Tom. VIII. Conc. *p.* 142. docet quòd in Visitatione, sola perquirenda sunt animarum lucra.

VII. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Episcopi, propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis, propter ejus latitudinem, totam visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Ref.* Cap. 3. *init.*

VIII. Ubi Capitulum jus visitandi habet, non ideò Episcopus, vel eo impedito, ejus Visitator, easdem Ecclesias seorsùm à Visitatoribus à Capitulo deputatis visitare prohibeatur. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Refor.* Cap. 3. *post init.*

IX. Per singulas Ecclesias Episcopi, & per Diœceses ambulantes, primùm discutiant Clericos, quomodò ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæque Officia in Ecclesia peragant. Caus. X. Quæst. I. Cap. 12. *Placuit. init.*

X. Reditus Basilicarum, & reparationes, & Ministrantium vitam inquirant. *Ibid.* Caus. X. Quæst. I. Cap. 11. *Episcopum. fin.*

XI. Quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, curent Episcopi, & Visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium Fabricarum proventibus invigilent. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 3. *fin.*

XII. Jus habeant visitandi Confraternitates Laïcorum. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Refor.* Cap. 8. Vide *Conc.* Bracar. III. *ann.* 572. *Can.* 5. Tom. V. Concil. *p.* 896. Caus. X. Quæst. I. Cap. 12. *Placuit.*

XIII. Ut singulis annis quisque Episcopus Parochiam suam circumeat, populúmque confirmet ac doceat; & ea, quæ vitanda sunt, prohibeat, & ea, quæ agenda sunt, viriliter agere studeat. Refertur ex Concil. Hispal. *ab* Hadri. Cap. 17. Tom. V. Concil. *p.* 1590. *Conc.* Emerit. *ann.* 666. Cap. 11. Tom. VI. Conc. *p.* 503. *Conc.* Tolet. VII. *ann.* 646. Cap. 4. Tom. V. Conc. *p.* 1840. *Concil.* Cuthberti. *ann.* 747. Cap. 3. Tom. VI. Conc. *p.* 1574. *Concil.* Cabillon. II. *ann.* 813. *Can.* 14. Tom. VII. Conc. *p.* 1275. *Concil.* Pontigon. *ann.* 876. Cap. 6. Tom. IX. Conc. *p.* 286. Præcipiendo Visitationem vel tempus, præscribunt vel Procurationem vel Visitatoris Officia.

XIV. Visitationis Officium exercentes non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, Prædicationi & cohortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit. *De Censib.* Cap. *Procurationes.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 23.

XV. Observandum modis omnibus, ut si quando Episcopis peragrandæ Parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in Prædicatione Verbi Dei, in lucris animarum potiùs quàm in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalisandis fratribus, operam dent. Caus. X. Quæst. III. Cap. 7. *Cavendum est. med.*

XVI. Visitationum istarum præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxámque Doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiámque accendere: Cætera prout locus, tempus & occasio feret ex Visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Ref.* Cap. 3. *med.*

XVII. Quam autem in visitandis Ecclesiis formam observari desideret Ecclesia Gallicana, Vid. *Constitutionum* Melodunensium *Tit.* 5.

SECTIO XX.

An, & quomodò Episcopi Procurationem recipere possint, cùm Ecclesias suas visitant?

I. Visitationi annexa est Procuratio. *De Censib.* Cap. *Cum venerabilis.* §. *Quià ergo. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 39. Cap. 21.

II. Procurationes ratione Visitationis debentur. *De Censib.* Cap. *Autoritate.* Lib. III. Decret. *Tit.* 39. Cap. 27. *fin.*

III. In iis locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Ref.* Cap. 3. *fin.*

IV. Justum est autem & æquum, sumptus necessarios, juráque consueta, quàm Procurationem Canones vocant, per Parochianos, Parochósque Visitatoribus suppeditari; id enim & Sacra Scriptura & Conciliorum Generalium Decretis sancitum est. *Constitutionum Conventus* Meloo. *Tit.* 5. *Articulo ult.*

V. Cavendum tamen ne visitatio fiat onus intolerabile, & offensio detur Evangelio, sed Visitatores visitandos tractent ut filios, ac pro sua decentiâ, comitatu ac victu mediocri sint contenti. *Ibid.* Si Parœciæ sint tenues benignè & gratis visitentur. *Ibid.*

VI. Episcopus cùm ad Ecclesiam causâ correctionis accesserit, moderatam ab eâ Procurationem recipiat. *De Censib.* Cap. *Cùm venerabilis.* §. *Quia ergo. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.* 39. Cap. 21.

VII. Procurationes, quæ ratione Visitationis debentur, ab Episcopis absque manifesta & necessaria causa nullatenùs exigantur, nisi quandò personaliter Officium Visitationis impendunt. *Ibid. De Censib.* Cap. *Procurationes.* Lib. III. Decret. *Tit.* 39. Cap. 23.

VIII. Procurationis nomine hìc intelligitur jus quoddam, quod solvere debent Ecclesiæ Episcopo visitanti, ne suis stipendiis militare cogatur.

IX. Cavendum est, ne cùm Episcopi Parochias suas peragrant, quamdam non solùm ergà subditos, sed ergà socios Tyrannidem exerceant, nec (quòd absit) cum charitate, sed cum quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Caus. X. Quæst. III. Cap. 7. *Cavendum est. Ut in Canone* 14. *Concilii* II. Cabillonensis. *ann.* 813.

X. Justum est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. Caus. XII. Quæst. 2. Cap. 45. Gregorii I. Lib. III. *Epist.* 11. *ann.* 593. Vide Caus. X. Quæst. III. Cap. 4. 6. 8. 9. *Concil.* Bracar. III. *ann.* 575. *Can.* 2. Tom. V. Conc. *p.* 896. Caus. X. Quæst. III. Cap. 1. *Placuit. Conc.* Valentinum III. *ann.* 855. *Can.* 17. Tom. VIII. Conc. *p.* 142.

XI. Modesto contenti equitatu, famulatúque, studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, Visitationem ipsam absolvere. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. De *Ref.* Cap. 3. *med.*

XII. Caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint. *Ibid.*

XIII. Ne Episcopi, aut quisquam suorum, quidquam Procurationis causa pro Visitatione accipiant, exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderatéque, pro temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministranda. *Ibid. Conc.* Trid.

XIV. Ubi intentio Episcopi Jure Communi & Prædecessorum consuetudine adjuvatur, condemnari debet Ecclesia ad Procurationem, secundùm facultates, Episcopo, suisque Successoribus exhibendam. *De Censib.* Cap. *Sopita.* §. *Sed tu.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 14.

XV. Ne quis, pro eo quod in Oratoriis interdùm aliqui celebrant, Procurationes, quæ ratione Visitationis debentur, exigere vel extorquere præsumat. *De Censib.* Cap. *Autoritate.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 27.

XVI. Propter privatum Oratorium Procuratio ratione Visitationis non debetur. *Gloss.*

XVII. Si Episcopus suam Diœcesim (ubi ei à jure permittitur) faciat per alium visitari, licèt ipse illi debeat in aliis providere, hi tamen qui visitantur, ministrare tenentur expensas victualium Visitanti: Cùm secundùm Apostolum non sit magnum, si ab eo metantur temporalia, per quem spiritualia seminantur. *In 6. De Officio Ordinarii.* Cap. *Si Episcopus.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 6.

XVIII. Episcopus cùm personaliter non visitat, nihil prorsus ab his, qui per illum quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit aut debebit. *Ibid. In 6. De Officio Ordinarii.* Cap. *Si Episcopus.* §. *Idem.* LIB. I. DECR. *Tit.* 16. Cap 6.

XIX. Cùm Provincia est de novo ad Jurisdictionem alicujus Ecclesiæ conversa, illud Episcopus observare tenetur in visitando illam, necnon & in Procurationibus, quod in vicinis Provinciis observatur. *De Censib.* Cap. *Super eo.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 22.

SECTIO XXI.

Episcopus posse visitare Hospitalia & Fabricarum Curam habere.

I. Episcopos posse visitare Hospitalia, ac Fabricarum curam habere. *Concil.* VORMATIENSE, *ann.* 890. *Can.* 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1243.

II. Episcopi habeant jus visitandi Hospitalia, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. *Concil.* TRID. SESS. XXII. DECR. *De Refor.* Cap. 8. *med.*

III. Habeant etiam jus visitandi pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat. *Ibid. Conc.* TRID.

IV. Omnia quæ ad pauperes sustentandos instituta sunt, Episcopi ex Officio suo juxtà Sacrorum Canonum Statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quàcumque Consuetudine, etiam immemorabili, Privilegio, aut Statuto. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXII. *De Refor.* Cap. 8. *fin.*

V. Non inutile erit administrationis Hospitalium rationem Episcopos, aut eorum Vicarios, non latere, ut si qui sint abusus, eorum vigilantia & cura corrigantur. *Ibid.*

VI. Quod de Hospitalibus & Leprosariis, idem de Fabricis Ecclesiarum censendum esse statuit Sacra *Tridentina* SYNODUS. Constitutionum MELOD. Tit. 26. Articulo. 2.

VII. Episcopi Fabricarum reditus in usus Ecclesiæ necessarios & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent. *Ibid.*

VIII. Administratores tam Ecclesiastici, quàm Laïci Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, Consuetudinibus & Privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secùs fortè in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu Fabricæ expressè cautum esset. *Conc.* TRID. SESS. XXII. *De Refor.* Cap. 9.

IX. Quod si ex Consuetudine, aut Privilegio, aut ex Constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset; tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur. *Ibid. fin.*

SECTIO XXII.

Quid possint Episcopi in foro Conscientiæ circà dispensationes & absolutiones, & in iis quæ pertinent ad Jurisdictionem Voluntariam?

I. Cùm aliqua dispensatio à Canone minimè est permissa, Episcopus Archiepiscopo suo obtemperare non debet in hac parte, ut dispenset. *De Temporib. Ordinationum.* Cap. *Dilectus.* §. *Cùm ergò.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 15.

II. Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 6. *init.*

III. Licet Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 6. *med.*

IV. Idem in Hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ Episcopis tantùm, non eorum Vicariis, est permissum. *Ibid. fin.*

V. Tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere, non solùm in Prædicationis Officio, verùm etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Inter cætera.* §. *ult. Unde.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 15.

VI. Sacrum Oecumenicum Generale TRIDENTINUM *Concilium* concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout Sess. XXIV. *Cap.* 6. habetur. *Bulla* 132. PII V. *Romani Pontificis.* §. 3. *init. ann.* 1571.

SECTIO XXIII.

Quid possit Episcopus in sua Diœcesi quantùm ad Jurisdictionem Contentiosam Ecclesiasticam?

I. Cùm Episcopus in tota sua Diœcesi Jurisdictionem Ordinariam noscatur habere, dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius Diœcesis non exempto, per se vel per alium possit pro Tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire, personas Ecclesiasticas (cùm earum excessus exegerint) capere, ac carceri deputare, necnon & cætera, quæ ad ipsius spectant Officium, liberè exercere. *In 6. De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Cùm Episcopus.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 7. In Gallia non recipitur.

II. Nullus Episcopus alterius Parochianum judicare præsumat; nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest. *De Parochiis.* Cap. *Nullus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 3.

III. Ut illi, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas & deprædationes peragunt, ab illius loci Prælato excommunicentur. *De Raptorib.* Cap. *De illis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 1.

IV. Non apparentibus Accusatoribus crimine manifesto seu publico existente, Officii Episcopi interest illud impedire. *De Divortiis.* Cap. *Porrò.* §. *Præterea, colligitur.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 3.

V. Habeant Episcopi singularum Urbium in suis Diœcesibus liberam potestatem, adulteria, & scelera, inquirere, ulcisci, & judicare, secundùm quod Canones censent, absque impedimento alicujus. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Perniciosam* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 1. Quomodò sumendus hic locus patebit ex dicendis.

SECTIO XXIV.

An, & quomodò Episcopus possit instituere Officialem, & quale sit istius Auditorium, sive Tribunal?

I. In Officialem Episcopi, per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transfertur. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Licet. init.* LIB. I. *Tit.* 13. Cap. 2.

II. Po-

II. Potestas inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos ex suis Beneficiis, Officiis, vel administrationibus amovendi, non transfertur in Officialem, nisi sibi specialiter hæc committantur. *Ibid. In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Licet. med.* Lib. I. *Tit.* 13. Cap. 2. Non eget nunc speciali commissione.

III. Episcoporum, suorúmque Officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) unum & idem Consistorium, sive Auditorium est censendum. *In 6. De Appellationibus.* Cap. *Romana.* §. 1. Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

IV. Ab istis Officialibus ad Episcopos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) de Jure non est appellandum. *Ibidem.*

V. Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, consonam rationi, quòd ab Officiali Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari, ne ab eodem ad seipsum (cùm sit idem Auditorium utriusque) appellatio interposita videatur. *In 6. De Consuetudine.* Cap. *Non putamus:* Lib. I. *Tit.* 4. Cap. 2.

VI. Ab Officialibus inferioribus & foraneis ad Episcopos ipsos debet appellari. *In 6. De Appellationib.* Cap. *Romana.* §. 2. *In 6.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

VII. Officialis non est Delegatus Episcopi, sed habet Jurisdictionem Ordinariam. *Glossa in* Cap. *Se contra. De Officio & Potest. Jud. Deleg. in 6.* Colligit ex §. 1. & 2. Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 4.

VIII. Idem est si recurratur ad proprium Episcopum, vel ad ejus Officialem, seu Vicarium, & Missum Dominicum. *Colligitur ex* Cap. 2. *De Regularib.* Lib. III. Decret. *Tit.* 31. Cap. 2. *& ex* Cap. 1. *De Frigidis & Maleficiatis.* §. *Ille autem. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 1.

IX. Officiales dicuntur quibus Episcopi committunt vices suas. *Glossa in* Cap. 3. *De Institut.* Verbo *Officialis:* Lib. III. *Tit.* 7. *& Glossa in* Cap. 3. *Tit.* 23. *De solutionib.* Lib. III. Decret.

X. Officialis Episcopi Ordinariam habet Jurisdictionem. *Glossa* Verbo *Officialem.*

XI. Officialis Generalis & Episcopi idem est Tribunal: Alii sunt Officiales foranei delegati ab Episcopo, quorum non est idem Auditorium cum Episcopo. *Glossa.*

XII. Ab Officialibus foraneis appellatur ad Episcopum, seu ejus Officialem Generalem. *Glossa.*

SECTIO XXV.

Quomodo Episcopus cum Capitulo suo agere debeat?

I. Episcopus & fratres ejus sui Canonici unum corpus sunt, ita quod Episcopus caput, & illi membra esse probantur. *De his quæ fiunt.* Cap. *Novit. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 10. Cap. 4.

II. Non decet Episcopum omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ suæ negotiis uti. *Ibid.*

III. Episcopus in Ecclesiæ suæ negotiis fratres suos, sive Canonicos, requirat, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragat & pertractet, & quæ statuenda sunt statuat, & errata corrigat, & evellenda dissipet, & evellat. *De his quæ fiunt.* Cap. *Quantò. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 10. Cap. 5.

IV. Non est (dum tamen aliàs sit præscripta Canonicè) consuetudo, quam allegat Episcopus reprobanda, quòd in inquirendis, puniendis & corrigendis Subditorum excessibus, consilium sui Capituli requirere minimè teneatur. *In 6. De Consuetudine.* Cap. *Non est.* Lib. I. *Tit.* 4. Cap. 3.

V. Contingit in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, quod ipsarum Prælati (cùm primò ad Ecclesias ipsas accedunt) non admittuntur, nisi jurent Statuta & Consuetudines ipsarum Ecclesiarum, scripta & non scripta, inviolabiliter observare. *In 6. De Jurejurando.* Cap. 1. *init.* Lib. II. *Tit.* 11. Cap. 1.

VI. Juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque & sub qualicumque verborum forma præstita vel præstanda, ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obviantia, tantùm extenduntur: ipsique jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non tenentur. *Ibid. fin. In 6.* Lib. II. *Tit.* 11. Cap. 1.

VII. Non est tanta communio inter Episcopum, & inter Cappellas, seu Monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum & Ecclesiam Cathedralem, cui est Spirituali Conjugio copulatus. *De Testamentis.* Cap. *Requisisti.* §. *penult. Secùs. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.* 26. Cap. 15.

VII. Si Episcopi aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum, commodum spectante agatur; Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decrat. II. *De Refor.* Cap. 6. *post. med.*

VIII. Absente verò Episcopo, omnino hoc ab iis de Capitulo ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec id ut Vicarius Episcopi admittatur. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Ref.* Cap. 6.

IX. Quantò majori Dignitate, dante Domino, Episcopus præeminet, tantò decet ampliùs, & oportet eum in omnibus eam diligentiam & gravitatem habere, quâ omnia videatur sine nota & reprehensione peragere, & laudabiliter injunctæ sibi sollicitudinis Officium dispensare. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Quantò. in int. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 10. Cap. V.

SECTIO XXVI.

Episcopos quoscumque teneri, Lege Naturali, Divina, & Ecclesiastica, ad residendum in suis Ecclesiis.

I. Sacrosancta *Synodus* Tridentina ad restituendam collapsam admodùm Ecclesiasticam Disciplinam, depravatósque in Clero mores emendandos, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanibus, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo Præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit: „ In omnibus laborent, & Ministerium suum impleant „. *Conc.* Trid. Sess. VI. *De Ref.* Cap. 1. *init.*

II. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos Mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à Supremo Judice requirendus, custodiæ minimè incumbant. *Ibid.*

III. Certissimum est non admitti Pastoris excusationem si lupus oves comedit, Pastor nescit. *Ibid.*

IV. Propriæ salutis sunt immemores, Terrenáque Cœlestibus, ac Divinis Humana præferunt, qui in diversis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. VI. *De Ref.* Cap. 1. *med.*

V. Præcepto Divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbíque Divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref.* Cap. 1. *init.*

VI. Hæc omnia nequaquàm ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed Mercenariorum more deserunt. *Ibid.*

VII. Sacrosancta *Synodus* Tridentina eos admonet & hortatur, ut Divinorum Præceptorum memores, factíque forma gregis in judicio & veritate pascant, & regant. *Ibid.* Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1.

VIII. Declarat Sacrosancta *Synodus* omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine, & titulo Præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi Officio desungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

IX. Cupit eadem *Synodus* ista quæ adeò ex Pastorum munere, animarúmque salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibúsque insigi, nt in posterum, Deo juvante, nullâ temporum injuriâ, aut hominum oblivione, aut desuetudine, aboleantur. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *fin.*

X. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. *De Regulis Juris.* Cap. *Quamvis causa.* Lib. V. Decret. *Tit.* 41. Cap. 10.

XI. In *Synodo* Anastasius Presbyter Cardinalis tituli *Beati* Marcelli ab omnibus canonicè est depositus, eò quod Parochiam suam per annos quinque, contra Canonum Instituta, deseruit. *De Clericis non residentib.* Cap. *Ex gestis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 2. *Ex Concilio* Romano *ann.* 855. *sub* Leone IV. Tom. VIII. Conc. *p.* 129.

XII. Sub Leone IV. anno 850. vel 853. Synodus LXVII. Episcoporum in Ecclesiâ Beati Petri Romæ. Vide Anastasium *anno* 853. & Barom. *ad eundem annum* 853. Tom. X. Vide *Comitiorum* Blesentium *Articulum* 14. Vide *Bullam* 10. Pii IV. *De salute.* §. 2. *Bullarii* Tom. II. *p.* 19. & *Concil.* Trident. Sess. VI. *De Refor.* Cap. 1. ubi pœnæ statutæ, non sunt in usu.

XIII. Prælatus, qui Ecclesiam suam deseruerit per longum tempus, eâ privari debet per sententiam. *Glossa.*

SECTIO XXVII.

Quibus maximè temporibus Episcopi residere debeant? Et quanto tempore abesse possint ab Ecclesiis, sine culpa? Et propter quas causas à residentia excusentur? Quibúsve pœnis, si absint extra hos casus, sint obnoxii?

I. Sacrosancta Tridentina *Synodus* Episcopos admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves debeant, ipsi ab Ecclesiâ suâ Cathedrali ullo pacto absint; nisi Episcopalia munia in suâ Diœcesi eos aliò vocent. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

II. Qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum scientia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt. *Conc.* Trid. *ibid.*

III. Sacrosancta *Synodus* Tridentina vult illud absentiæ spatium, singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra legitimas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres, menses excedere, & haberi rationem ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. *Ibid.*

IV. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquitur, quam spes est Religiosam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. *Concil.* Trident. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap 1. *med.*

V. Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquàm abesse postulant & exigunt. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref.* Cap. 1. *post init.*

VI. Hæ legitimæ absentiæ à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, in scriptis sunt approbandæ. Trid. *Conc. ibid.*

VII. Intereà meminerint discessuri ita ovibus suis providendum, ut quantùm fieri poterit, ex ipsorum absentiâ nullum damnum accipiant. *Ibid.*

VIII. Si quis, (quod utinam nunquàm eveniat) contra horum Decretorum dispositionem abfuerit, mortalis peccati reatum incurrit. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

IX. Item pro ratâ temporis absentiæ fructus suos non facit, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratioone non secutâ, illos sibi detinere potest; sed tenetur illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1.

X. Antiqui Canones adversùs non residentes promulgati, temporum atque hominum injuriâ penè in desuetudinem abierunt. *Conc.* Trid. Sess. VI. *De Refor.* Cap. 1.

SECTIO XXVIII.

Quæ sint Privilegia Episcoporum in Corpore Juris contenta?

I. Quoniam Episcopi, eorúmque Superiores se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis & Diœcesibus absentare frequenter, nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem, indulgetur eisdem, ut Altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire Divina. *In* 6. *De Privilegiis.* Cap. *Quoniam.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 12.

II. Nunc non est privilegium, transiit in Jus Commune. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *fin.*

III. Permittitur Episcopis & aliis Superioribus, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem. *De Pœnit.* Cap. *Ne pro dilatione.* Lib. V. Decret. *Tit.* 38. Cap. ult. 16.

IV. Quia Pontificali Dignitate præditis ob reverentiam Sacri Officii, quod exercent, plurimùm deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet: ut cùm à Judicibus vel à Conservatoribus à Sede Apostolicâ deputatis, contra eos ad coactiones aliquas, sive pœnas, fuerit procedendum, gradus & modestia in hujusmodi processu servetur: Ita quod (eis quadam condigna reverentia supportatis) ingressus primò ipsis Ecclesiæ, vel Sacerdotale interdicatur Ministerium: ac deinde ab Officio suspendantur, & subsequenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos. Nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, sive culpa. *In* Sexto. *De Officio Jud. Deleg.* Cap. *Quia.* Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 2.

V. Quia periculosum est Episcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: Statutum est, ut Episcopi, & alii Superiores Prælati, nullius Constitutionis occasione, Sententiæ, sive Mandati prædictam incurrant sententiam ullatenùs ipso jure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur. *In* 6. *De Sent. Excomm.* Cap. *Quia periculosum.* Lib V. *Tit.* 11. Cap. 4.

VI. In Juramento calumniæ propositis tantùm, sed non tactis Evangeliis (sicut in dicendo testimonio) ab Episcopo videtur juramentum exhibendum. *De Juramento Calumniæ.* Cap. ult. *Cùm in causa.* Lib. II. Decret. *Tit.* 7. Cap. 7. Quod de hoc juramento hic dicitur ad aliud quodvis producendum.

VII. Dig-

VII. Dignum prorsùs & congruum cùm sit, quod Clerici, tàm Religiosi, quàm alii Cardinalium Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac quorumcumque Pontificum gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentium Commensales Domestici, se possint ipsis in Divinis Officiis coaptare; ut illud quod iidem Cardinales seu Pontifices dicunt Officium, licitè dicere valeant: Nec ad dicendum aliquod aliud teneantur indultum est. Clementina, *Dignum. De Celebrat. Missar.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 2.

VIII. Clericorum Episcopi appellatione, illi intelliguntur Clerici, qui per Episcopum non quæsiti propterea, vel recepti, sine fraude & fictione qualibet, verè sui Clerici Familiares existunt, & in suis expensis continuè Domestici Commensales, etiamsi quos ex illis aliquando pro suis gerendis negotiis abesse contingat. *In 6. De Verb. Signif.* Cap. fin. *Sicut nobis. med.* Lib. V. *Tit.* 12. Cap. 5.

IX. Concessum est Episcopo, ut in locis exemptis suæ Diœcesis possit populo benedicere, audire Divina Officia, & ea etiam in Pontificalibus celebrare, & in sua præsentia facere sine Pontificalibus celebrari. Sic tamen, quod prætextu concessionis hujusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam Jurisdictionem idem Episcopus exerceat, nec personis exemptis, vel privilegiatis molestiam inferat, vel gravamen, nullùmque exemptioni vel privilegiis eorumdem aliud præjudicium generetur, nec Episcopo jus aliud quomodolibet acquiratur. Clementina, *Archiepiscopo. De Privilegiis.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 2.

SECTIO XXIX.

Non esse facile admittendam accusationem adversus Episcopos, nec de levi illis credendum.

I. Prælati quasi signum sunt positi ad sagittam. *De Accusationibus.* Cap. *Qualiter. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24.

II. Quia Prælati non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solùm arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. *Ibid.*

Et ideò Sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facilè admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solùm falsæ, sed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. *Ibid. De Accusationib.* Cap. *Qualiter. med.* Lib. V. Decret. *Tit.* 1. Cap. 24.

III. Cùm in juventute sua Episcopus se maturum, honestum, & providum exhibuit, non est de levi credendum, quod postquàm ad senilem pervenit ætatem turpiter abjecerit jugum Domini, fœtores libidinis amplexando, cùm labes hujusmodi, quæ nonnunquàm in juventure contrahitur, in senectute sæpiùs expietur. *De Præsumptionibus.* Cap. *Cùm in juventute. init.* Lib. II. Decret. *Tit.* 23. Cap. 15.

IV. Quis præterà de facili crederet, quòd vir præditus scientia literarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret, ut abominabile crimen admitteret. *Ibid.*

V. Cùm utrùm sanæ mentis esset Antistes, necne, cùm excessus perpetrabat, evidenter non ostenditur, satiùs est arbitrari, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quàm ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, & compatiendum, quàm puniendum, vel aliquo modo feriendum. Caus. III. Quæst. IX. Cap. 14. *Indicat. med. Ex Responsione* Nicolai *Papæ ad Concil.* Senonensis, *ann.* 862. *pro deponendo* Nevimanno, *Episcopo* Nivernensi, *de quo Conc. in Append.* Tom. VIII. Concil. *p.* 1934.

VI. Apostoli statuerunt, ne facile commoverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur Columnæ Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ Apostoli & Successores eorum non immeritò dicuntur. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 15. *Accusatio.* §. 4. Anacletus, *Epist.* 2.

VII. Accusatio Episcoporum non est facilè recipienda, dicente Domino: *Non suscipies vocem mendacii.* Caus. II. Quæst. VII. Cap. 19. *Accusatio. init.* Sixtus II. *Epist.* 2. *ann.* 253.

VIII. Expectandi atque corrigendi magis sunt Rectores Ecclesiæ, quàm statim judicandi. Dist. XLV. Cap. 4. *Licet.*

IX. Sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. *De Accusat.* Cap. *Quoties. in int. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. I.

X. Episcopi, qui Troni Dei vocantur, pravorum hominum insidiis turbari non debent, sed liberè Christo Domino famulari. *Ibid.*

XI. Vide *Conc.* Constantinop. I. *Can. 6.* Tom. II. Conc. *p.* 949. qui præcavet, ne Episcopi facile accusentur, excludendo ab hac accusatione varia personarum genera.

XII. Objectam notam incontinentiæ, si qua forsitan præcessit in Prælato, subsequens longæ conversationis delevit honestas. *De Elect.* Cap. *Scriptum. in int. post med.* Lib. I. Decret. *Tit. 6.* Cap. 40.

XIII. Cùm Episcopus, quem constat fuisse aliquando furiosum, accusatur de quibusdam delictis, nec evidenter ostenditur eum fuisse sanæ mentis cùm illa commisit, satiùs est illi compati.

XIV. Accusationes adversus Doctorem nemo suscipiat, quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo judicio reservavit. Burch. Lib. I. Cap. 166. *Ex Concil.* Hispal. Cap. 3. Tom. V. Conc. *p.* 1590. Inter fragmenta hujus Concilii intelligendus hic Canon, *De Accusatione Episcopi apud Seculares*, ut sequens Canon. 167. Lib. I. Burchardi laudati. Vide *Epistolam* Greg. IV. *ann. cir.* 828. *De* Aldrico, Cenomanensi *Episcopo*, Tom. VII. Conc. *p.* 1571. Cognitionem accusationis illius, si qua fiat. *Concil.* Tricass. II. *ann.* 878. *Can.* 7. Tom. IX. Conc. *p.* 313. vetat, ne Episcopi occultè accusentur, ne innocentes condemnentur. *Conc.* Trosleianum, *anni* 909. Cap. 5. Tom. IX. Conc. *p.* 534. præscribit quæ facienda ante accusationem Episcoporum, punit ea non servantes, donec satisfecerint.

SECTIO XXX.

Quid agendum si Episcopi tàm adversa valetudine, seu Corporis, seu mentis, utantur, ut officium implere nequeant?

I. Nusquàm Canones præcipiunt, ut pro ægritudine Episcopo succedatur: & omninò injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus. Atque ideò hoc fieri nullatenus potest, ne peccatum ex Episcopi depositione veniat. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 1. *Scripsit. med.*

II. Pontifices, qui in aliqua occupantur infirmitate, vel ægritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce substracti. *Ibid.* Caus. VII. Quæst. I. Cap. 4. *Pontifices. init.*

III. Cùm viventem Episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit; alium loco ejus (nisi recusante, seu renunciante eo) nulla sinit ratio ordinari. *Ibid.* Caus. VII. Quæst. I. Cap. 14. *Quamvis. med.*

IV. Episcopus, qui gravi & incurabili morbo laborat, ita quòd Pastorale Officium non potest ullatenus exercere, ad cessionem compelli non potest, nec debet ullo modo, nec afflicto afflictio est addenda, imò potius ipsius miseriæ miserendum. *De Clerico Ægrotante.* Cap. *Ex parte.* §. *Verùm.* Lib. III. Decr. *Tit. 6.* Cap. 5.

V. Cùm percussio corporalis imminet, utrùm pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, & ideò non debet addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ (quod absit) offensa respiciat. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 2. *Cùm percussio.*

VI. Quæ licita sunt Sacerdotes expleant. In his verò quæ præsumere non licet, vitiorum usque ad recipiendam sanitatem Episcoporum auxilia subrogentur; & hoc cum cautelæ studio peragatur, ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 4. *Pontifices. med.*

VII. Suggerendum est, ut si is, qui est in Regimine, ægrotat, Dispensator illi requiratur talis, qui possit ejus curam omnem agere, & locum illius in Regimine Ecclesiæ (ipso non deposito) ac in custudia Civitatis implere, ut nec Omnipotens Deus offendatur, neque Civitas inveniatur esse neglecta. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 1. *Scripsit. fin.*

VIII. Ne languente Pastore grex (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant, Si Episcopus intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse datâ petitione non se ulteriùs ad hoc Ministerium intellectum habere, nec ad alia Officia subvertente infirmitate posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto alter, qui dignus fuerit, Episcopus solemniter ordinetur: Sic tamen ut quousque eumdem Episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 14. *Quamvis triste. med.*

IX. Si nullo tempore ad sanæ redit mentis officium, persona fidelis, ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad Regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo restringere, Ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturum, atque efficacem se in omnibus exhibere. *Ibid. fin.*

X. Si Episcopus demens fuerit, & quid velit, aut nolit exprimere nesciat, vel non possit, tunc ejus Capitulum, vel dua ipsius partes, unum aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus Officium exequantur. *In 6. De Clerico Ægrot.* Cap. unico. LIB. III. *Tit.* 5. Cap. un. *Pastoralis.* §. 2.

XI. Episcopo ægrotanti Coadjutor Episcopus associari potest vir providus & honestus, per quem tàm Episcopo, quàm populo utiliter consulatur. *De Clerico Ægrotante.* Cap. *Ex parte. fin.* LIB. III. DECR. Cap. 5. *Tit.* 6. *Epistola* CLEMENTIS II. *ann. cir.* 1046. TOM. IX. CONC. *p.* 945. *Epistola* 106. PACHALIS II. TOM. X. CONC. *p.* 711.

SECTIO XXXI.

An, & quomodò Episcopus possit ad alium Episcopatum transire?

I. Non oportet Episcopum de Civitate ad Civitatem migrare. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 19. *Non oportet. init.*

II. Episcopum de Diœcesi ad Diœcesim alteram non debere transire: Manere autem eum debere in Ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab eâ alibi demigrare, secundùm Regulam super hoc olim à Patribus constitutam. *Ibid.* CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 25. *Episcopum.*

III. Episcopu non liceat, suâ relictâ Parochiâ, ad aliam transire, etiamsi à pluribus cogatur; nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cùm possit ipse iis, qui illic habitant pietatis verbo conferre; idque tamen non à se ipso, sed multorum Episcoporum judicio, & exhortatione maximâ. *Apost. Can.* 13.

IV. Non liceat Episcopo de Civitate sua transire ad aliam. Manifesta est enim causa pro qua facere hoc attentat. Cùm nullus sit inventus Episcopus, qui ad minorem de majori Civitate transiret. *De Clericis non residentib.* Cap. *Non licet.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 1. Vide. *Canonem* 5. *Concilii* CALCHED. TOM. IV. CONC. *p.* 757. Innovat circa hoc Canones antiquiores.

V. Nullus Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi. *Conc.* ANTIOCH. *Canon.* 13. *init.*

VI. Non minùs mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditùs eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de Civitate sua ad aliam transire Civitatem. Manifesta est enim causa quare hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore Civitate ad minorem transiret: unde apparet avaritiæ ardore eos inflari, & ambitioni servire ut dominationem exerceant. *Concil.* SARDIC. *ann.* 347.

VII. Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 37. *Episcopus. init.*

VIII. Secundùm Traditiones Canonicas, qui ad majorem se Plebem transtulerit, à Cathedra repelli debet aliena, & carere propriâ, ut nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Quantò. §. ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 3.

IX. Potestatem transferendi Pontifices ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod soli Beato Petro Vicario, & per ipsum Successoribus suis speciali privilegio tribuit, & concessit, sicut testatur Antiquitas. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Quantò.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 3.

X. Non homo, sed Deus separat quos Romanus Pontifex Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensatâ, non Humanâ, sed Divinâ potiùs autoritate dissolvit. *Ib.*

XI. Translationes Episcoporum ad Summum Sedis Apostolicæ Antistitem de jure pertinent, nec super his quicquam præter ejus assensum debet immutari. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Cum ex illo. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 1.

XII. Non Humanâ, sed potiùs Divinâ potestate Conjugium Spirituale dissolvitur, cùm per translationem autoritate Romani Pontificis Episcopus ab Ecclesiâ removetur. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2.

XIII. Aliud est causa necessitatis & utilitatis, aliud causa præsumptionis, ac propriæ voluntatis. Non mutat Sedem, qui non mutat mentem, *id est*, qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis migrat de Civitate ad Civitatem; sed causâ necessitatis, aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 35. *Scias. in init.*

XIV. Non isti mutant Civitatem, sed mutantur, qui non spontè, sed coactè hoc agunt. *Ibid.*

XV. Non benè intelligunt Ecclesiasticas Regulas, qui hoc negant causâ necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit. *Ibid.* CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 35. *Scias.* §. *ult.*

XVI. Ad Hareticorum perfidiam de aliquâ Diœcesi extirpandam, quæ ibi per negligentiam Præsulum miserabiliter & damnabiliter pullulavit, Episcopo transeundi ad illam Ecclesiam, propter urgentem necessitatem, & eorumdem utilitatem, licentia tribuitur. *De Electione.* Cap. *In causis. §. ult. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap 30.

XVII. Honestiùs videtur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accedat, quàm Archiepiscopus ad Metropolim transferatur. *De Postulatione.* Cap. *Bonæ memoriæ.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 4.

XVIII. Summus Pontifex Episcopum a vinculo quo tenebatur prioris Ecclesiæ absolvens, ad aliam Ecclesiam transfert, & ei licentiam tribuit transeundi. *Ib. fin.*

XIX. In majori Dignitate propter majorem utilitatem, faciliùs solet dispensari. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Licet.* §. *ult. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4.

XX. Epis-

XX. Episcopus suæ alligatus Ecclesiæ liberum non habet, sine Romani Pontificis permissione, volatum. *De Postulatione.* Cap. *Etsi.* Lib. I. Decret. *Tit.* 5. Cap. 6. *fin.*

Legatus nullam concedendi, vel transferendi in Episcopatum potestatem habet, cùm hujusmodi dispensatio Sedi duntaxat Apostolicæ reservetur. *De Elect.* Cap. *In causis. post init. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 30.

Apostolica Sedes quædam reservavit sibi, specialiter translationes Episcoporum, quas non tàm Constitutio Canonica, quàm Divina, ejus tantùm potestati committit. *De Translat. Episc.* Cap. *Licet. in int. init.* Lib. I. Decret. *Tit.* 7. Cap. 4. Clem. II. *ann.* 1046. Tom. IX. Conc. *p.* 945. agens de hacce translatione, docet non faciendam sine evidenti utilitate, vel urgenti necessitate. Pasch. II. Conc. Tom. X. *p.* 711. *Epist.* 106. tolerat translationem factam, se inconsulto, ob honestatem personæ.

SECTIO XXXII.

Episcopos non posse renunciare sua Ecclesia, sine autoritate Summi Pontificis, nec debere levi de causa illi cedere, obtentâ verò licentia, ad cedendum compelli.

I. Sicut legitimi Matrimonii vinculum, quod est inter virum & uxorem, homo dissolvere nequit, sic & spirituale fœdus Conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, sine illius autoritate, solvi non potest, qui Successor est Petri. *De Translatione.* Cap. *Licet. init.* Lib. I. Decret. *Tit.* 7. Cap. 4.

II. Cùm fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus Spirituale Conjugium, quod est inter Episcopum & & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum. Non enim Humanâ, sed potius Divinâ potestate Conjugium Spirituale dissolvitur, cùm per depositionem, aut cessionem autoritate Summi Pontificis Episcopus ab Ecclesia removetur. *De Translatione.* Cap. *Inter corporalia. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. Cap. *n.*

III. Illa semper Regula inviolabiliter observetur, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat, occasione quacumque, deserere Præsulatum; quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur: Et in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti. *De Regularib.* Cap. *Licet. §. Si verò. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18.

IV. Episcopos, qui Dominici Gregis susceperunt curam atque sollicitudinem ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 4. *Pontifices. fin.*

V. Episcopus maneat in Ecclesia quam primitùs à Deo sortitus est; nec inde transmigret secundùm pristinum de hac re terminum constitutum. Conc. Antioch. *Can.* 21. *ex vers.* Dionis. Conc. Tom. II. *p.* 579.

VI. Quam periculosum sit in Divinis rebus, ut quis cedat jure suo, & potestate, Scriptura Sancta declarat, cùm in *Genesi* Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id postmodùm potuerit, quod semel cessit. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 8. Vide. *Ibid.* Cap. 46. *Suggestum.*

VII. Indecens omninò probatur priùs solvere militiæ cingulum, quàm cedat Victori adversitas præliorum. *De Renunc.* Cap. *Literas. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

VIII. Quando potest Episcopus præesse pariter & prodesse, non debet cedendi licentiam postulare, aut etiam obtinere. *De Regularibus.* Cap. *Licet. §. Si verò. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18.

IX. Si forsan humilitatis causâ de culmine quærit Pontificali descendere, eo ipso humilitatis videtur erigere male verticem, quod se nimis in resignandi proposito exhibet pertinacem; quia tunc in se veram humilitatem custodiet, cùm & per eam locum sublimem fugiet, & per obedientiam non dimittet. *De Renunciatione.* Cap. *Nisi. §.* 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

X. *Nulla siquidem major potest esse charitas, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cùmque propter hanc Episcopum deceat animam suam pro subditis suis ponere; nulla occasione (dummodò proficere illis posset, etsi non omnibus, multis tamen) ab eorum Regimine illum convenit excusari. *Ibid.* §. 10. *Quippe.*

XI. Si laboris causam prætendit Episcopus, exemplum illum Apostoli sublevare debet, qui suadet ei laborem hujusmodi non refugere, dùm se asserit pro communi salute se plus cæteris laborasse; quia licèt non semper sequatur laborem effectus, nihilominus tamen ipse labor est meritorius apud Deum; juxtà quod legitur: *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum.* Ibid.

XII. Si qui cedendi licentia obtenta cedere prætermittunt, cùm in postulatione sua aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse, ad cedendum sunt compellendi. *De Renunciat.* Cap. *Quidam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. C. 12.

XIII. Cedendi causæ continentur his versibus:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala Plebs odit, dans scandala, cedere possit. Rubr.

XIV. Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, illam dimittendo sine justa causa. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 11.

SECTIO XXXIII.

Romanum Episcopum ob justas causas facilè dare licentiam cedendi. & quæ sint illæ communiores causa?

I. Romanus Pontifex Archiepiscopis & Episcopis cedendi licentiam ex justa causa petentibus, sine difficultate concedit. *De Regularibus.* Cap. *Licet.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18.

II. Qui cedendi licentiam postulant, in postulatione hujusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videntur propriam attendere. *De Renunc.* Cap. *Quidam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. C. 12.

III. Hæc sunt illa per quæ Episcopus cedendi licentiam potest postulare, conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia Plebis, grave scandalum, irregularitásque personæ. *De Renunciatione.* Cap *Nisi.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

IV. In his omnibus est observanda cautela, propter conscientiam enim criminis cedendi potest licentia postulari, & forsitan non cujuslibet, sed duntaxat illius propter quod ipsius Officii executio post peractam pœnitentiam impeditur; cùm si omnes, quos arguit conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in Ministerio remanerent. *Ibid.* §. 2. *Propter.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

V. Alia causa est debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit; nec tamen omnis, sed illa solummodò, per quam impotens redditur ad exequendum Officium Pastorale. Nam si pro qualibet corporali debilitate, susceptæ servitutis Officium posset deseri, frustrà se fateretur Apostolus in suis infirmitatibus gloriari: cùm interdùm non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadet Officio permanere: pro talibus enim de se dicit Apostolus: *Cùm infirmor, tunc fortior sum:* quia nonnunquàm corporis infirmitas, fortitudinem cordis augmentat. *Ibid. §.* 3. *Alia.* Tutiùs est quandoque, si commissa seni Ecclesia sub umbra illius nominis gubernetur, quam si alteri novæ incognitæque

personæ gubernanda committatur; maximè cùm in illo sanè vigor devotionis & fidei (etiam corpore senescente) non deficit, sed vergente deorsùm conditione corporea, fervor Spiritûs in sublimiora conscendit. *De Renunciatione.* Cap. 1. *Literas.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

VI. Pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis petere cessionem; quia Præsul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere, salubriter ei renunciat, si scientiam (in qua ipsam regat) ignorat; *Tu*, inquit Dominus, *Scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: Sed imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. *De Renunciatione* Cap. *Nisi* §. 4. *Pro defectu* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

VII. Propter malitiam Plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius Regimine declinare, quando Plebs adeò duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter ejus duritiem, quò magis satagit, eò magis justo judicio deficere permittatur. Non autem pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere, ne Mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; sed de Superioris licentia tunc demùm potest, non tam timidè fugere, quàm providè declinare, cùm oves convertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire jam irrevocabiliter contradicunt, cùm etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia sanguinem elicit qui nimis emungit. *Ibid. De Renunciatione.* Cap. *Nisi*, §. 5. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

VIII. Pro gravi quoque scandalo evitando (cùm aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem: memor illius quod dicit Apostolus: *Si esca scandalisaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternùm.* Sed inter scandalum & scandalum est subtiliter distinguendum. *Ibid.* §. 6.

IX. Personæ irregularitas est causa propter quam petere potest licentiam aliquis resignandi. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ debet ei, qui regulariter ministravit cedendi licentia indulgeri. *Ibid.* §. 6.

X. Episcopus propter homicidium indignus Altaris Ministerio reputatus, Episcopatui cedat. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Ex literis. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 10.

XI. Si propter alias causas cessionem affectet Episcopus, non est in hoc illi postulanti favendum, cùm hujusmodi postulatio videatur non esse discreta, quoniam propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debet deserere sponsam suam, cui desigendo manum apud extraneum se fide media copulavit. *De Renunciatione.* Cap *Nisi.* §. *Verùm.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10. §. 7.

XII. Episcopo relinquitur ut distinctis causis propter quas cedere oporteat, si propter aliquam causam utilem & honestam in proposito cedendi perseveret, de licentia Sedis Apostolicæ cedat: alioquin cedendi licentiam autoritate Apostolica sibi sciat esse penitùs interdictam, quoniam etsi pennas habeat, quibus satagat in solitudinem advolare, ita tamen adstrictæ sunt nexibus Præceptorum, ut liberum non habeat absque Papæ permissione volatum. *Ibid. De Renunciatione.* Cap. *Nisi.* §. *ult. fin.* Lib. I. Decret. *Tit.* 9. Cap. 10.

XIII. Archiepiscopus à cura, qua tenetur Ecclesiæ, absolvitur, eo quod ibi non potest securè morari: & si accessum peteret ad illam, mortis sibi periculum immineret. *De Renunciatione.* Cap *Ad supplicationem. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9 Cap. 9.

XIV. Ne verò idem in vituperium Ministerii nostri, defectum in rebus temporalibus patiatur, Beneficium aliquod ad sustentationem ipsius illi conservari debet. *Ibid. De Renunciatione.* Cap. *Ad supplicationem.* §. 1. *Ne verò* Lib. I. Decret. *Tit.* 9. Cap. 9.

SECTIO XXXIV.

Quomodo Episcopi se gerere debeant, si contingat eos à Plebe ejici de sua Ecclesia?

I. Episcopis, qui à suis Sedibus potentiâ impiorum expulsi, non audent propter metum persequentium in suis Civitatibus, vel Diœcesibus, aut earum parte aliquâ residere, nec Jurisdictionem ad se spectantem, per se vel per alium inibi exercere: Ne injuria, in eorum expulsione, ipsorum irrogata Ecclesiis hoc prætextu remaneat impunita, indultum est, ut in Diœcesibus alienis, in Civitatibus videlicet, vel locis insignibus suis Ecclesiis vicinioribus, in quibus poterunt securè morari, & Jurisdictionem suam liberè exercere, possint contra suos Expulsores, & eorum in hac parte Consiliarios & Fautores (dummodò Civitates, vel loca hujusmodi eisdem Expulsoribus, Consiliariis, & Fautoribus sint secura, & ipsi personaliter vel ad domum, si hoc tutè fieri valeat, alioquin publicè in Ecclesia Cathedrali loci, vel domicilii eorumdem citati fuerint) liberè procedere, prout justitia suadebit. Clementina, *Quamvis Sacris. De Foro Competenti. post init.* Clementinarum Lib. II. *Tit.* 2. Cap. unico.

II. Si dicti Episcopi ausi non fuerint hujusmodi suos Expulsores, vel eorum Consiliarios, aut Fautores, dicto modo citare, vel ipsi malitiose impedimentum præstiterint, ne potuerint sic citari, licitum sit eisdem Episcopis, ut Expulsores, Consiliarios, & Fautores eosdem diebus aliquibus Dominicis, vel Festivis, cùm populus convenit ad Divina (ut sic facta citatio ad eos pervenire verisimiliùs præsumatur) citent, vel citari faciant publicè in Ecclesiis Civitatum, vel locorum insignium prædictorum, & procedant deinde contra ipsos, si citati taliter statuto ipsis peremptorio termino competenti coram eisdem Episcopis noluerint comparere, ac si citati legitimè alias extitissent. *Ibid.* Clementina, *Quamvis Sacris.* §. 1. Clementinarum Lib. II. *Tit.* 2. Cap. unico.

III. Eisdem Episcopis indultum est, ut inter suos subditos (ne ob defectum Justitiæ dispendium aliquod patiantur) possint in Diœcesibus alienis, in quibus moram traxerint (dummodò per se, vel per alium, hoc in suis Diœcesibus facere non audeant, vel non possint) Jurisdictionem suam omnimodam exercere: Ita tamen, quòd subditi, qui Expulsores, vel eorum Fautores, aut Consiliarii non fuerint, ultra duas dietas à fine suæ Diœcesis non trahantur. *Ibid.* § 2. *Eisdem.*

IV. Ante omnia à Diœcesanis locorum, in quibus moram traxerint, petant licentiam in præmissis. *Ibid.* §. 3. *Volumus. init.*

V. Si licentiam obtinere nequiverint, procedant nihilominùs Episcopi prout superiùs expressum est, *Ibid.* §. 3. *fin.*

VI. Si prædicti Episcopi asseruerint se non fuisse ausos, præfatos Expulsores, Consiliarios, vel Fautores, personaliter, vel ad domum, aut publicè in eorum Ecclesiâ Cathedrali citare, vel ipsos malitiose præstitisse impedimentum, ne per eos potuerint sic citari, aut quod in suis Diœcesibus Jurisdictionem per se vel per alium contrà ipsos exercere nequeunt, standum super his assertionibus eorumdem. *Ibid.* §. 4. *Sanè.*

VII. Eorumdem Episcoporum sententias & processus, quos in præmissis casibus in aliis Diœcesibus duxerint faciendos, denuncient, seu denunciari faciant per suas Diœceses convicini Episcopi, cùm ab eis fuerint requisiti. *Ibid.* §. 5.

VIII. Per præmissa nullum ex transcursu temporis quanticumque, vel alias quoquomodo locorum Diœcesanis, vel aliis quibuscumque, Jurisdictionem habentibus in locis præmissis, in quibus prædicti Episcopi sic expulsi Jurisdictionem (ut prædicitur) exercebunt,

cebunt, præjudicium generetur. *Ibid.* Clementina, *Quamvis Sacris. De Foro Competenti.* §. *ult.* Clementinarum Lib. II. *Tit.* 2. Cap. unico. *fin.* Hæc Clementina non est recepta apud Gallos, apud quos sine autoritate Regia servari non posset.

SECTIO XXXV.

Quot modis Episcopi renunciare possint suo Episcopatui? Et an expediat eos fieri Monachos? Et quandonam possint post electam vitam Monasticam ad Episcopatum denuò assumi?

I. Distinguendum, utrum renunciaverit Episcopus loco tantùm, an loco simul & Dignitati. *De Ordinatis ab Episcopo qui renunciavit.* Cap. *Requisivit.* §. 1. *Respondemus. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 13. Cap. 1.

II. Nullius Ecclesiæ est Episcopus, qui oneri Pontifica i renunciat, non honori. *De Translat. Episcopi.* Cap. *Inter corporal.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

III. Apostolica Sedes post cessionem multò minùs quàm antea, permitteret Episcopo aliquo crimine irretito, in Pontificali Ordine ministrare. *De Renunciatione.* Cap. *Post translationem.* §. *ult. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 15.

IV. Faciliùs indulgetur, ut ascendat Monachus ad Præsulatum, quàm Præsul ad Monachatum descendat. *De Renunciatione.* Cap. *Nisi.* §. 12. *Nec putes. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

V. In *Concilio* Constantinopolitano, non Generali II. se l *Synodo* Constantinopolitana sub Photio Patriarcha, anu. 879. Vide Caus. VII Quæst. I. Cap. 45. *Hoc nequaquam,* & Tom. VIII. & IX. Conciliorum. Statutum est, ut quicumque de Pontificali Dignitate ad Monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquàm ulteriùs ad Pontificatum resurgat. *De Renunciatione.* Cap. *Post translationem. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 11.

VI. Concilium in eo loquitur casu, cùm propter aliquod crimen Episcopatum quis deserens, ad vitam Monasticam pœnitentiæ causâ descendit. *Ibid.* §. 4. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 11.

VII. Si quisquam persecutionis rabie sæviente, vel prævaliente invalitudine corporis, cùm proficere nequeat in Regimine Pastorali, de Superioris autoritate ad Monasticam vitam descendat, persecutionis vel ægritudinis impedimento cessante, ad Episcopalem poterit resurgere Dignitatem. *Ibid.* §. 1.

VIII. Si quis propter literaturæ defectum (ne tanquàm cæcus cæco ducatum præbeat) locum Regiminis autoritate Apostolica deserendo, ad otium se contulerit Monachale, ac per exercitium lectionis, scientiæ repererit Margaritam, procul dubio poterit denuò, vocatus à Domino, Cathedram reascendere Pastoralem. *Ibid* §. 2.

IX. Si quis per cupiditatem Parentum (eo tamen penitùs ignorante) fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto Episcopatum ipsum de licentiâ Superioris dimittens, Observantiam elegerit Regularem, etsi ad Episcopatum eumdem redire postmodum nequeat, juxtà Canonicas Sanctiones, ad alium tamen poterit licitè reassumi. *Ibid.* §. 3.

X. In his & consimilibus casibus is, qui Episcopatu di nisso Monasticam vitam elegit, resurgere valet ad Officium Pastorale. *Ibid.* §. 4.

XI. Si veritate subnititur, quod Episcopus loco tantum nodò cesserit, & non Ordini, vel etiam Dignitati, vehementer præsumendum est quòd non propter crimen aliquod ab ipso commissum, sed causa pœnitentiæ voluntariæ, ad vitam migraverit Regularem. *Ibid.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 15.

XII. Si constiterit, quòd propter aliquam ex præmissis causis, seu consimilibus, aliquis Episcopatui cesserit, dummodò necessitas vel utilitas id exposcat, licentia tribui potest ascendendi ad Regimen alterius Ecclesiæ. *Ibid.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 15.

XIII. Episcopi, qui pro laboribus & infestationibus, assignatas sibi & à Deo commissas relinquere volunt Plebes, & Monasteriorum se quieti contradere festinant, & vacationem ab Episcopatùs laboribus eligere, & in silentio atque otio vitam degere magis appetunt, quàm in his, quæ sibi commissa sunt, permanere: Attendant sibi & omni gregi in quo eos Spiritus Sanctus constituit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine, ut non sit, qui eos decipiat, aut se lucat in subtilitate sermonis, ut Plebes sibi commissas relinquant, & alicui propter malorum opprobrium hominum quieti se tradant, & ut se solummodò salvent, & filios orphanos relinquant. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 46. *Suggestum.*

SECTIO XXXVI.

Nullam recipi posse accusationem contrà Episcopos de suâ Sede dejectos, & rebus ac possessionibus suis per vim spoliatos, nisi omnia fuerint eis restituta.

I. Episcopis suis rebus expoliatis, vel à propriis Sedibus ejectis, omnia, quæ eis ablata sunt, Legibus sunt redintegranda; quia priusquàm hoc fuerit factum, nullum crimen eis objici potest. Caus. III. Quæst. I. Cap. 1. *Episcopis,* Caius *Papa, Epistola unica. ad* Felicem *Episc.* Cap. 3. *ann.* 296.

Hæc Epistola ut & sequens, aliæve similes, etsi suppostitiæ sint, vigere debent quoad rem de quâ agitur; quia in hoc nihil continent, nisi Jus Commune tàm Civile, quàm Ecclesiasticum.

II. Episcopi, si a propriis Sedibus, aut Ecclesiis sine autoritate Romani Pontificis expulsi fuerint, antequàm ad *Synodum* vocentur, proprius locus, & sua omnia eis redintegranda sunt. Nulla enim permittit ratio dùm ad tempus eorum bona, vel Ecclesiæ, atque res ab æmulis, aut à quibuscumque detinentur, ut aliquid illis objici debeat; nec quicquam potest eis quoquomodo quilibet Majorum vel Minorum objicere, dùm Ecclesiis, rebus, aut potestatibus carent suis. Caus. III. Quæst. I. Cap. 2. *Episcopi.* Fabianus, *Epistola,* 2. *Episcopis Orientalibus, circ. ann.* 140.

III. Redintegranda sunt omnia expoliatis, vel ejectis Episcopis præsentialiter Ordinatione Pontificum, & in eo loco, unde abscesserunt, funditùs revocanda, quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo, aut violentia Majorum, aut per quascumque injustas causas, res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur antè accusationem, aut regularem ad *Synodum* vocationem eorum. Caus. III. Quæst. I. Cap. 3. *Redintegranda.* Joannes I. Zachariæ *Archiepiscopo Epistola.* 1. *ann.* 513.

IV. Cùm Ecclesiæ alicujus Episcopi, aut possessiones, vel res ab æmulis ejus, vel à quibuscunque aliis non sua sponte detinentur; aliquid illi non debet, aut potest à quoquam, ante redintegrationem omnium rerum suarum objici; sed priùs illi Legibus redintegranda sunt omnia, & posteà tempore à Patribus definito, sunt negotia ventilanda. Caus. III. Quæst. II. Cap. 1. *Cùm Ecclesiæ.* Pelagius II. *Episcopis Italiæ, ann.* 582.

V. Oportet, ut primùm vos tàm de invasis Civitatibus & Monasteriis & Mansis, quàm de reliquis generaliter rebus redinvestiri faciatis; quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus opponere. Caus. III. Quæst. II. Cap. 3. *Oportet.* Stephanus V. Giraroo *fortè* Ratherio Leodiensi, *fortè circ. ann.* 889.

VI. Priùs oportet omnia illis expoliatis Legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ eis sublatæ sunt, cum omni privilegio sibi restitui. Caus. III. Quæst. II. Cap. 6. *Prius ergò.* Eusebius *Papa, Epistola* 2. *ann.* 307. *vel* 311.

Si Episcopus suis fuerit, aut Ecclesiæ sibi commissæ rebus expoliatus, aut quod absit (quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus) à Sede propria ejectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestra-

questratus, tunc canonicè ante in pristinum statum restituatur cum omni privilegio sui honoris, & sua omnia, quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, Legibus redintegrentur. Non enim convocari poterit, vel præjudicari, nisi ipse pro sua necessitate (minimè tamen judicandus) advenire spontè elegerit. Nullatenùs ergò à quoquam respondere cogatur, antequàm integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab Honorabili *Concilio*, legali ordine redintegrentur. CAUS. III. QUÆST. II. Cap. 8. *Si Episcopus.* FELIX *Papa* I. *ad Episcopos Galliæ*, *Epistola* 2. ann. 268.

Nullus Episcoporum, dum suis fuerit rebus expoliatus, aut à Sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut à quoquam potest ei crimen objici, priusquàm integerrimè restauretur & omnia, quæ illi ablata quocumque ingenio fuerant, Legibus redintegrentur, & ipse propriæ Sedi & pristino statui regulariter reddatur: ita ut omnes possessiones, & cuncta sibi injustè ablata, atque fructus omnes ante cœptam accusationem, Primates, & *Synodus* Episcopo, de quo agitur, funditùs restituant. CAUS. II. QUÆST. II. Cap. 3. *Nullus Episcoporum.* EUSEBIUS II. *Papa*, *Epist.* 2. *ann.* 307. *vel* 312. *in Decretis* JOANNIS I. *ann* 523. STEPHANUS *Papa I. Epistolâ* 2. *ann.* 255.

VII. Episcopos suis rebus expoliatos, seu à propriâ Sede pulsos, sciatis nec ad *Synodum* Comprovincialem, nec ad Generalem posse vocari, nec in aliquo judicari, antequàm cuncta, quæ eis sublata sunt, Legibus potestati eorum redintegrentur. CAUS. II. QUÆST. II. Cap. 4. *In scripturis.*

VIII. Præceptum est in antiquis Statutis, Episcopos ejectos atque suis rebus expoliatos Ecclesias proprias recipere, & primò sua omnia eis reddi, & demùm, si quis eos justè accusare voluerit, æquo periculo facere: Judices esse decernentes, Episcopos recta sapientes, & in Ecclesiâ convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur: Nec priùs eos respondere debere, quàm omnia sua eis & Ecclesiis eorum, Legibus integerrimè restituantur. CAUS. II. QUÆST. II. Cap. 6. *Præceptum.* ZEPHERINUS *Papa*, *Epistolâ* 2. *ann.* 198. *in Capitularibus* HADRIANI I. Cap. 5. ann. 785. TOMO V. CONC. *sub finem.*

IX. Judex Episcopum restitui faciat ad Episcopatum, & ad alia, quibus fuerat spoliatus; quo restituto, plenariè, & corporalem ac pacificam possessionem adepto, si Episcopus meritò esset de dilapidatione suspectus, virum providum & honestum provideret Coadjutorem eidem assignare. *De Offic. Jud. Deleg.* Cap. *Venerabili. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 37.

X. Processus cassabitur justitiâ exigente, si Judex ad inquirendum, utrùm de dilapidatione suspectus esset Episcopus, eo non restituto processit. *Ibid.* §. 1. *fin.*

Si Episcopi aut vi aut timore ejecti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè vocari possunt, nec respondere æmulis debent, antequàm canonicè restituantur, & sua eis omnia legaliter reddantur. CAUS. V. QUÆST. II. Cap. 4. *Si Primates. fin.* FELIX II. *Epist.* 1. Cap. 3.

SECTIO XXXVII.

Episcopos, qui Diœcesim non habent, vel qui habentes extrà illam morantur, non posse quicquàm agere sine licentiâ Diœcesani.

I. De Episcopis, qui Parochias non habent, placuit juxtà Instituta Sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sine jussione Episcopi, cujus Parochia est, & si hoc facere præsumpserint ab Officio suspendantur. *Concilium* VERNONSE, *ann.* 755. *Can.* 13. TOM. VI. CONCIL. *p.* 1668.

Hùc adduci possent Canones collecti *L. IV. Epitom. Veter. Juris Canonici T. LIV.* qui vetant quibuscumque Episcopis, ne quid in aliena Diœcesi agant sine licentia Episcopi Diœcesani; nam Episcopi, qui carent Diœcesi, non sunt in hoc potioris conditionis, quàm qui habent; cùm quævis Diœcesis illorum ergò aliena sit: quapropter laudatus Autor in præfato Titulo, Episcopum Diœcesi carentem cum Diœcesim habentibus comprehendit; patet ex ult. Cap. *quod est* 18. *illius Tituli.* Idémque ac illud quod hìc retulimus.

His adjicienda duo Decreta TRIDENTINA: Prius est in *C.* 5. SESS. VI. *De Ref.* Posteriùs est in C. 2. SESS. XIV. Utrumque collectum est dùm de Sacramento Ordinis, utpote illud propiùs spectans; ideóque hìc sufficiet notasse primum abrogare quodvis privilegium aliàs concessum nonnullis Episcopis, ut possent Pontificalia exercere in alterius Diœcesi sine istius licentia, ac etiam punire, qui postea simili privilegio abutentur; non obstante hâc abrogatione alterum vetare Episcopis carentibus Clero & Plebe extrà loca infidelium, ne Ordines conferant, etiam in districtu ullius Diœceseos alienis subditis, sine literis dimissoriis Episcopi proprii.

SECTIO XXXVIII.

An liceat Episcopis sua munia demandare, quibus, & quanam illa sint?

I. Etsi Episcopus valdè idoneus sit Plebem gubernare, decet tamen ut sua onera partiatur. *De Officio Archipresbyteri.* Cap. *Ut singula.* §. *Nec contendat. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 24. Cap. 4.

II. Indecorum est Laicum Vicarium esse Episcopi; in uno enim eodémque officio non debet dispar esse professio. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 22. *In nona. post init. Ex Concil.* HISPAL. II. *ann* 619. *Can.* 9. TOM. V. CONCIL. *p.* 1666.

III. Constitutum est, ut hi, qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione nec habitu. Nam cohærere & conjungi non possunt, quibus & studia & vota diversa sunt. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 22. *In nonâ. med.*

IV. Episcopus committere valet, quæ Jurisdictionis existunt inferioris gradûs, Clericis. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Aqua.med.* LIB. III. DECR. C.9.*Tit.*40.

Episcopus, quæ Ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare. *Ibid.* Quod restringendum ad ea, quæ ad Ordinem Episcopalem pertinent Jure Divino, quoad firmitatem, seu validitatem; cæteroquin, commissione fiunt actus tantùm illiciti, manente Ecclesiæ prohibitione, nisi sit irritans; quo casu actus sunt quoque irriti: cessante verò prohibitione actus sunt liciti & validi.

V. Illa, quæ Ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expediri. *Ibid. In* 6. *De Elect.* Cap. *Is cui. fin.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 42. *Gl.* in V. *Expediri.* Concordat. 7. *q.* 1. Pontifices & sic mandat, quod per se non potest, quod dicitur 5. *eod. Tit. in Antiq.* Suffraganeis, & supra, *C.* 1. *De Translat.*

VI. Vide *Epistolam* nonam GELASII, ann. 494. Cap. 6. TOMO IV. CONC. *p.* 1189. Distinguit quæ Episcopus mandare potest Episcopis, & quæ non potest.

VII. Cavendum est ne Sæcularibus viris res Ecclesiasticæ committantur, sed probatis Clericis. DIST. LXXXIX. Cap. 5. *Indicatum est. med.* GREGOR. I. LIB. VII. *Epist.* 66. *ann.* 599.

VIII. Mandata Ecclesiastica efficaciùs gerimus, si nostra cum Fratribus onera partiamur. *De Præsumpt.* Cap. *Mandata. in int. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 6.

IX. Is, cui administratio Cathedralis Ecclesiæ plena & libera in Spiritualibus & Temporalibus est commissa, potest omnia, quæ Jurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi, confirmatus liberè exercere. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Is, cui.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 42.

X. Si

X. Si quis Episcopus per infirmitatem, debilitatémve aliquam, aut hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit; ea quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, cui quod in Ecclesiâ agendum fuerit imponat. *Concil.* Arausic. I. *ann.* 441. *Can.* 10. *& ult.* Tomo III. Conc. *p.* 1451.

XI. Ne sub pretio statuantur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Episcopalem Jurisdictionem exerceant, Statutum est, ut qui hoc præsumpserit, Officio suo privetur. *Ne Prælati vices.* Cap. *Præterea. init.* Lib. V. Decr. *Tit* 4. Cap. 1.

XII. Ne Decani, vel Archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum seu Archidiaconorum, & terminandas causas Ecclesiasticas, sub annuo pretio statuantur. Quod ad Sacerdotum gravamen, & subversionem Judiciorum non est dubium redundare, prohibitum est. Si quis fecerit removeatur à Clero. *Ibid.* Cap. 2.

SECTIO XXXIX.

Quantus honor Episcopis deferri debeat ab omnibus, & quomodo debeant omnes præcedere in suis Diœcesibus, & quibus insignibus utantur?

I. Episcopum propter Dignitatis prærogativam ampliori convenit honore fulgere. *In 6. De Sent.* Cap. *Etsi sententia. med.* Lib. II. *Tit.* 14. Cap. 5. ultim.

II. Pontificali Dignitate præditis ob reverentiam Sacri Officii quod exercent, plurimùm deferri convenit, & eos plùs aliis honorati decet. *In 6. De Officio Jud. Deleg.* Cap. *Quia.* Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 2. *init.*

III. Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum Dignitati par est. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 6. *med.*

IV. Præcipitur tàm Principibus, quàm cæteris omnibus, ut Episcopos paterno honore, ac debitâ reverentiâ prosequantur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 17. *fin.*

V. Episcopis in Choro, & in Capitulo, in Processionibus & aliis actibus publicis, sit prima sedes & locus quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum autoritas. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 6. *med.*

VI. Eô ipso, quod aliquis ad apicem Episcopalis Dignitatis attollitur, eximitur à Patriâ potestate. *Qui Filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem. post init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13.

VII. Literis Episcopi creditur, tanquam publico instrumento. *Glossa in* Cap. *Post cessionem. De Probationib.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19 Cap. 7.

VIII. Detestandum Episcopos aliquos sui statûs oblitos Pontificiam Dignitatem non leviter dehonestare, qui in Ecclesia, & extrà, indecenti quadam demissione se gerunt, & nimis indignè loco cedunt. *Conc. Trid.* Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 17. *init.*

IX. Ex Majoritate ac decore majori ornatuum, Majoritas apparet Dignitatum. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Ut Apostolicæ. med.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 6.

X. Quilibet Episcopus Baculo Pastorali ad similitudinem aliorum Pontificum potest uti. *De Sacrâ Unct.* Cap. unico. §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unic.

XI. Episcopis competit ex propria Dignitate, quod Mitrâ & aliis Pontificalibus uti possint. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Ut Apostolicæ. init. Glossa colligit.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 6.

XII. Sacerdotes, & reliqui Ecclesiæ Ministri, omnésque Plebes Episcopos suos diligere debent, & eorum Præceptis obedire, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, nisi in fide erraverint. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 8. *Sacerdotes.* Clemens I. *Epist.* 1.

SECTIO XL.

De Ornamentis Episcoporum.

I. Pontificalia ornamenta, Caligæ & Sandalia, Amictus & Alba, Cingulum & Succinctorium, Orarium & Manipulus, Tunica & Dalmatica, Chirotecæ, Annullus, Planeta & Mitra. *De Sacrâ Unctione.* Cap. *Cùm. in integ. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unico. Innoc. III. scribens Bulgarorum Primati distinguit illa ornamenta, ut communia Episcopis, à Pallio, quod est peculiare Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, & Papæ, quapropter istud illi seorsim misferat. Quodlibet istorum ornamentorum historicè, misticè & moraliter à Gonzale explicatur. Adibit qui volet.

De pluribus eorumdem sermo factus est dùm *De Habitu Clericali* actum est *in* t. *Tom. De Sandaliis* sermo *fit in C.* 7. *De autoritate & usu Pall.* Gonzal. *n.* 2. notat hoc ornamentum aliàs fuisse commune, tàm inferioribus quàm Superioribus Ministris, sed posteà esse reservatum Pontificibus.

II. Licet Romanus Pontifex non utatur Baculo Pastorali, tùm propter historicam, tùm propter misticam rationem, tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum eo uti poteris. *Ibid.*

Historia, quæ affertur à Glossa, fabulam sapit. Quoad misticas rationes adductas à Gonzalez, Prima Gallorum ergò falsa est, cùm sentiant Episcopos Jurisdictionem accipere immediatè à Christo, non à Summo Pontifice. Incongruum est ergo indistinctè dicere Papam non uti Baculo Pastorali, quia Jurisdictionem suam accipit à Deo, non ab ullo homine.

Idem sentiendum de secunda ratione, petita ex eo quòd illimitata sit Jurisdictio Papæ; cùm 1. in Galliâ non habeat Jurisdictionem circa singulos fideles. 1. Ista per Canones limitetur. 3. Ad temporalia non extendatur.

III. Episcopus à gradu suo injustè dejectus, si in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de manibus Episcoporum; nempe Orarium, Annullum & Baculum. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 65.

IV. Dum consecratur Episcopus, datur Baculus, ut ejus judicio subditam Plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur Annullus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum; nam multa sunt quæ carnalium, minùsque intelligentium sensibus occultantes Sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, ne indignis quibùsque Sacramenta aperiantur. *Conc.* Aquisgran. *ann.* 816. *C.* 9. Conc. Tom. VII. *p.* 1319.

V. Inter præmemorata instrumenta, duo sunt quæ veluti instrumenta Ordinationis Episcopalis habentur, nempe Baculus, & Annullus; uterque enim datur sub certa forma verborum in ipsâ consecratione, ut videre est in Pontificali Clementis & Urbani VIII. *p.* 97. ubi hæc circa Baculum leguntur: *Accipe Baculum Pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus Auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Quoad Annullum his verbis datur: *Accipe Annulum fidei, scilicet signaculum; quatenùs sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus illibatè custodias.* Ibid. p. 98.

VI. Secundùm traditas formas, per singulas Provincias, ac Regiones & Urbes, in Ecclesiasticis Promotionibus, & Consecrationibus, illa quæ indicia & signa sunt Ordinis, qui unicuique inesse videtur, retinere decernimus, ita ut Episcopi, quibus concessum est Palliis uti certis temporibus, in eisdem temporibus & locis his induantur, & tanto & tali non abutantur amictu, propter tiphum & inanem gloriam. Synod. VIII. *sub* Hadriano II. C. 27. Concil. Tom. VIII. *p.* 1144.

Reliquum

Reliquum videsis, in quo Pallium Episcopale distinguitur à Pallio Monachali, in eo quod istud numquam deponendum, illud verò nonnisi in certis casibus ferendum. Hujus autem discriminis ratio est quod Pallium Monachale est jugum status Monastici, à quo Monachi, qui ad Episcopatum promovebantur, non eximebantur: Pallium Episcopis concessum est Privilegium, cujus usus certis diebus & actibus restrictus est.

His addendæ Regulæ generales circa Ornamenta infrà collectæ, dum de Pallio seorsim dicetur, postquàm actum fuerit de Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, ac Papâ, quibus omnibus hoc Ornamentum peculiare est.

TITULUS VII.

De Prælatis ipsis Episcopis Superioribus.

SECTIO I.

Qui sint illi Prælati, quæ Privilegia habeant, & quid agendum cùm litigatur super jure Primatiæ?

I. PAtriarchæ vel Primates unam formam habent, licet diversa sint nomina. DIST. XCIX. Cap. 1. *Provinciæ. med.* Quod restringendum ad nonnulla, quæ his Dignitatibus communia sunt.

II. In Civitatibus, vel locis, Patriarchas, vel Primates, Leges Ecclesiasticæ poni & esse jusserunt; ad quos Episcopi, si necessè fuerit, confugerent, eósque appellarent. *Ibid.*

III. Metropolitani, qui prædictis justè obediunt Primatibus, non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruuntur. *Ibid.* DIST. XCIX. Cap. 1. *Provinciæ. fin.* Hic Textus fragmentum est *Falsi* ANICETI Epistolæ; tota refertur à GREG. VII. qui hinc, aliisque similibus sibi vindicavit autoritatem erigendi Sedes Primatiales. VAN-ESPEN *in illud.*

IV. Per singulas Provincias oportet Episcopos cognoscere Metropolitanum suum, & ipsum Primatùs curam suscipere. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 1. *Ex Concilio* MARTINI *Papæ.* Cap. 4. *circ. ann.* 572. id est *Collectione* MARTINI BRACHARENS.

V. Per singulas Regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum, ,| sollicitudinem totius Provinciæ gerere. *Conc.* ANTIOCH. *Can.* IX. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 2.

VI. Per singulas Provincias Espiscopos singulos scire oportet Episcopum, qui Metropoli præest, curam & sollicitudinem totius Provinciæ suscipere, eo quod in Metropoli undique conveniunt omnes qui causas habent. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 2. *Per singulas. init.*

VII. Primates vel Patriarchæ nihil Privilegii habent præ cæteris Episcopis, nisi quantùm Sacri Canones concedunt, & prisca Consuetudo illis antiquitùs contulit. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *Conquestus est. med.* NICOL. I. *Epistola* 19. *Append.* TOM. VIII. CONC. *p.* 505. *& in Conc.* ROM. VII. *ann.* 865. TOM. VIII. CONC. *p.* 1861.

VIII. Est in Canonibus definitum, Primates vel Patriarchas nihil Juris præ cæteris habere, nisi quantùm Sacri Canones concedunt, vel prisca illis Consuetudo contulit ab antiquo. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Dum simul. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 9.

IX. In omnibus Provinciis eorumdem Jurisdictioni subjectis, ad eos (cùm necesse fuerit) provocetur. *De Privil.* Cap. *Antiqua.* §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 23.

X. Id dicitur de quatuor Majoribus Patriarchis, sed æquè convenit aliis Patriarchis, seu Primatibus, quos habemus in Gallia.

XI. Archiepiscopus litem habens super Jure Primatiæ, quam in eo & in Provincia sua alius Archiepiscopus se habere proponit, super hoc deliberare debet cum Suffraganeis suis & aliis, quorum consilium tàm ardua causa requirit, & illi tempus dilationis ad id postulanti conceditur. *De Dilationibus.* Cap. *Exposuit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

XII. Capitulorum ejusdem, non Capituli Archiepiscopi, qui jus Primatiæ se habere contendit, super provisionem quam inter Archiepiscopos in causa Primatiæ ducit faciendam, requiri jubet assensum. *De Majoritate.* Cap. ult. *Humilis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 17.

XIII. PROCULUS *Massiliensis* Primas constitutus ad vitam. *Concil.* TAURINENSE *ann. circ.* 398. *Can.* 1. TOM. II. CONCIL. *p.* 1155. *Ibid.* Controversia inter ARELATENSEM & VIENNENSEM de Primatu. Cap. 2.

De Patriarchatu BITURICENSI ac BURDEGALENSI. Vide GONZALEZ ad Cap. ult. *Tit.* 33. LIB. I. *De Majorit. Decret.* ARELATENSIS & VIENNENSIS *Metropolitæ. Conc.* FRANCOFORD. *ann.* 794. *Can.* 8. TOM. VII. CONC. *p.* 1059. Vide *etiam notam* PITH *in idem.* Cap. *De ead. re* Vide *etiam.* Cap. ult. *De Dolo & contumacia.*

XIV. In Occidentali Ecclesia Patriarcha & Primas, diversa nomina, eadem Dignitas. Ille qui in Metropoli sedet aut Metropolitanus, aut Archiepiscopus vocatur, & suum in Canonibus præfixum non excedens teneat cum humilitate modum. HADR. I. *ann.* 885. Cap. 25. TOM. VI. CONC. *p.* 1814.

Notandum obiter quod in referendis Textibus, de quibus *num.* 7. & 8. omissa est clausula: *Præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem, quolibet speciali privilegio decreverit honorare*; idque fortè factum, quia Collector senserit illam desumptam ex falsis Decretalibus, in quo Comitem, Sociúmque haberet VAN-ESPEN in CAUS. IX. QUÆST. III. Post relatam hanc clausulam subdit illam sapere Jus Novum, è falsis Decretalibus ISIDORIANIS tempore NICOLAI I. oriri & firmari cœptum.

XV. Metropolitani duplicis generis, alii Patriarchis, seu Primatibus obediunt; & illi non dicuntur Primates. Vide *Epistolam* HADRIANI *ad* BERTHERIUM VIENNENSEM. *ann. forsan.* 774. TOM. VI. CONC. *Append. p.* 1888. quæ Metropolitanorum jura per octo annos interrupta CAROLO MAGNO coadjuvante restitui præcipitur. Idque notum BERTHERIO, qui monet idem factum fuisse erga alios Galliæ Episcopos.

XVI. Metropolitanorum nomine appellantur, quia Matres Civitatum tenent. DIST. LXXX. Cap. 2. *In illis.* §. 2. *med.*

XVII. Metropolitanus qui præest Metropoli.

XVIII. Quod sciscitaris utrùm divisis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari: Non verè visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honorésque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas decrevit Imperator. Cap. 1. DIST. X. Secundùm pristinum Provinciarum morem Metropolitanos Episcopos convenit nominari. INNOC. I. *Epist.* 18. *n.* 1. TOM. II. CONC. *p.* 1269.

De Archiepiscopis *Rhemensi.* Vide *Epistolam* ADRIANI I. TOM. VI. CONC. *p.* 1789. Vide *Epistolam* ZOSIMI. De Metropoli *Arelatensi.* TOM. II. CONC. *p.* 1567. NICOL. I. *ad Consf.* BULG. Cap. 92. TOM. VIII. CONC. *p.* 545. De Arelat. JOAN. VIII. *Epistola* 93. 94. TOM. IX. CONC. *p.* 77.

XIX. Hæc est ordinatio Dei & hæc Lex Ecclesiæ, ut omnes Episcopi ad Archiepiscopum mittantur, ipsiúsque judicium postulare non dedignentur. CAUS. III. QUÆST. VI. Cap. 10 *Hæc quippe. init.* NICOLAUS I. *circ. ann.* 866. Ipse est Metropolitanus, & omnes Episcopi Suffraganei ejus sunt. *Ibid.*

LEO IX. *Epistola* 4. *ann. circ.* 1054. TOM. IX. CONC. *p.* 974. ubi de Prælatore Carthaginensi ait: „Post „Romanum Pontificem, Archiepiscopus, & totius „Africæ Maximus Metropolitanus est Carthaginen„sis Episcopus „.

XX. Illo assensu habito, Romanus Pontifex providentiam suam jubet solemniter publicari. Si qui verò consensum præstare noluerint, supersederi vult publicationi prædictæ. *Ibid.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. C. 17.

XXI. Postulante Patriarcha Ecclesias laliquas sibi subjici, Juris ratio postulat, ut in eorum præjudicium, quibus eædem Ecclesiæ sunt subjectæ, nihil ordinetur de ipsis, cùm nec citati sunt, nec convicti, nec per contumaciam se absentant. *De Majorit. & Obedientiâ.* Cap. *Inter quatuor.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 8.

XXII. Regula Sanctorum Patrum de uno Metropolitano in unâquaque Provinciâ decrevit. Tomo IV. Conc. *p* 716. Quam Patres *Calcedonenses* servandam esse uno ore clamaverunt; hoc autem confirmarunt *Can.* 12. *p.* 761. ubi statuunt servandum esse Jus Metropoliticum veteri Metropolitano, quoties unam Provinciam in duas diviserit Imperator.

XXIII. Compositionem seu Provisionem Papæ super jure Primatiæ. unus solus cujus interest impedire potest. *Glossa* Verbo *Noluerint.*

XXIV. Potestas gestorum unius cujusque Provinciæ, Metropolitano Episcopo competit. *Conc* Nic. *Can.* 4. *fin.* & refertur. Tom IV. Conc. *p.* 713. *ex Codice Canonum.*

Primatus *Senonensis* Ansegiso collatus à Joanne VIII. Vide *Conc* Pontigon. *ann.* 876. Tom. IX. Conc. *p.* 292. & 295. Illum rejecerunt Concilii Patres, utpote lædentem Jura Metropolitica, & Ansegisi; Fautoribus dicentibus obediendum Pontifici, responderunt id intelligendum salvis Canonum Statutis.

SECTIO II.

Non posse se appellare Archiepiscopum, qui Pallium non habet. Quid sit Pallium illud, quomodo tradatur, & quàm deserviat ad Ecclesiæ Privilegium?

I. Non debet se Archiepiscopum appellare, priusquàm à Romano Pontifice Pallium susceperit, in quo Pontificalis Officii plenitudo, cùm Archiepiscopalis nominis appellatione confertur. *De Autoritate & usu Pallii.* Cap. *Nisi.* Lib. I. Decr. *Tit.* 8. Cap. 3. §. 1.

II. Pallium sumitur hìc pro quodam Archiepiscoporum Ornamento, Crucibus nigris intexto, velut Stola Sacerdotalis, quod super alia Ornamenta defertur; humeros velut corona, pectúsque circundans, & ante dependens. Licèt consecratus sit in Episcopum, non est appellandus Archiepiscopus ante Pallii receptionem: *Glossa.*

III. Pallium est insigne Dignitatis Ecclesiasticæ à Sede Apostolica concessum quod à Beati Petri tantùm corpore assumitur. Pallium benedicitur & consecratur à Papa, super altare Beati Petri, & ibi ponitur; & ille, qui debet uti Pallio, recipit ipsum de Altari, si est præsens; vel alius pro ipso, si est absens, & sic assumitur de corpore Beati Petri. *Glossa* Verbo *Corpore assumuntur. De Electione.* Cap. *Significasti.* §. *Cùm igitur.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 4.

IV. Pallium est plenitudinis Officii Pontificialis insigne. *De Privilegiis.* Cap. *Antiqua. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 23.

V. Plenitudo Ecclesiasticæ potestatis per Pallium significatur. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Ad honorem.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 8. Cap. 4. Quæ sit illa plenitudo, nullus Textus clarè, dilucidéque explicat; sed in uno sita esse videtur, quod Metropolitanus aliquam Jurisdictionem habeat in Episcopos Provinciæ, ac in istorum subditos, expressis in casibus. Quidquam aliud valuisse nullus Textus nec usus docet. Van-Espen. *in* Caus. IX. Quæst. III. Hæc autem potestas orta videtur partim ex Dignitate Civitatis in quâ Metropolis Ecclesiastica posita est, partim ex Consecratione Episcoporum sedentium in Civitatibus illi inferioribus, qua consecrati Consecratorem ut Patrem habere solebant.

VI. Per Pallium plenitudo Pontificii designatur. *De Autoritate & usu Pallii.* Cap. *Cùm sis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 8. Cap. 6.

VII. Viste *Epistolam* 11. Symmachi de Pallii usu Tom. IV. Conc. *p.* 1311. *ann.* 514. *Epistolam* 7. 8. 9. Vigilii de Pallio quod concedit Auxanio *Arelatensi.* Tom. V. Conc. *p.* 321. 322. In priori loco, quid Pallium significet, in posteriori, quæ sint partes Vicarii Apostolici explicatur.

VIII. In Pallio plenitudo conceditur Pontificalis Officii. *De Elect.* Cap. *Significasti. init. in integrâ.* Lib. I. Decret. *Tit.* 6. Cap. 4.

IX. In formâ traditionis Pallii continetur: *Tradimus tibi Pallium, ut eo intrà Ecclesiam tuam utaris.* De Autorit. & usu Pallii. *Cap.* Cùm super. §. 1. init. Lib. I. Decr. Tit. 8. *Cap.* 1.

X. Forma tradendi Pallii hæc est: *Ad honorem Dei Omnipotentis & B. Mariæ Virg. & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ* Gregorii, *& Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumptum, in plenitudinem Pontificalis Dignitatis, ut utaris eo intrà Ecclesiam tuam certis diebus, quæ exprimuntur in Privilegiis Ecclesiæ tuæ concessis à Romana Ecclesia.* Glossa refert ad Caput, *Ad honorem. De Autorit. & usu Pallii.* Verbo *Ad honorem.* Lib. I. Decr. *Tit.* 8. Cap. 4.

XI. Rationis ordo omninò Romanum Pontificem admonet, ut cum usu Pallii aliqua tantùm largiri privilegia debeat. Dist. C. Cap. 9. *Rationis.*

XII. Quia ab antiquis Prædecessorum suorum temporibus Pallium aliquis Episcopus accepit, eum Romanus Pontifex privare autoritate perceptâ minimè debet. Caus. XXV. Quæst. II. Cap. 3. *In Galliarum.* Id intelligendum de Pallio Dignitatis Sedi concesso, non de Pallio personæ concesso, quod de Jure Communi ad Successores non transit.

SECTIO III.

Quando postulari Pallium? Quibus, & qua conditione dari debeat?

I. Metropolitani fidem suam secundùm priscam Consuetudinem Sanctæ Sedi Apostolicæ exponere, usum Pallii expetere, ac percipere non detrectent. Dist. C. Cap. 1. *Quoniam.*

II. Metropolitanus non ultrà tres menses Consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, Palliúmque suscipiendum, ad Apostolicam Sedem mittat. *Ibid.*

III. Traditio Pallii facienda est his, qui ad Metropolitanarum Ecclesiarum, seu aliarum Regimen assumuntur. Extravag. Communium. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. unico. Extravagantium Communium. Lib. I *Tit.* 4. *De Autorit.* Cap. unico.

IV. Simplex Episcopus adeò se maturum, honestum, & providum exhibere potest, ut ab Ecclesia Romana mercatur Pallio decorari. *De Præsumptionib.* Cap. *Cùm in juventute. init.* Lib. II. Decr *Tit.* 23. Cap. 15.

V. Prisca Consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti, dari non debeat. Dist. C. Cap. 2. *Prisca.*

VI. Qui à Sede Apostolicâ suæ insignia Dignitatis exigunt, quæ à B. Petri tantùm corpore assumuntur, justum est ipsi quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvant, quæ ipsos cum Beato Petro tanquam membra de membro habere, & Catholici Capitis unitatem servare declarent. *De Electione.* Cap. *Significasti.* §. *ult.* Lib. I. Decret. *Tit.* 6. Cap. 4.

VII. Idem vel Patriarchalium, seu Primatialium, vel Archiepiscopalium, aut Episcopalium, quibus de Jure vel Consuetudine competit, qualis est, *v. g. in Galliâ*, Augustodunensis Ecclesia.

VIII. Propter meritum personæ aliquando conceditur Pallium.

IX. Pallium à Sede Apostolica tali conditione offertur: *Si Sacramentum exhibeatur.* De Elect. *Cap.* Significasti. init. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 4. Ex Epistolâ 5. Paschalis II. Tom. X. Conc. *p.* 627.

X. Sedes Apostolica necessitate compellitur juramentum pro fide, per obedientia, pro unitate requirere. *Ibid. fin. §. Hoc nimirum.*

XI. Optatum Pallium Sedes Apostolica conferre nequit, cùm fidei Archiepiscopi paginam minùs quàm oporteat continere reperit. DIST. C. Cap. 4. *Optatum. init.*

XII. In ea fidei pagina Sanctarum Universalium *Synodorum*, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, & Decretalium Pontificum Romanorum Constitutorum secundùm morem fieri debet mentio. *Ibid.* DIST. C. Cap. 4. *Optatum. med.*

XIII. Sedes Apostolica alicui fratri aliquando ita Pallium quod transmittit tribui vult, si priùs se promiserit illicita, quæ prohibita sunt, per definitionem Synodicam à Sancta Ecclesia removere. DIST. C. Cap. 5. *In ea* SYNODO.

XIV. Incongruum est Pallium, dato commodo, dari; adeòque de hoc aliquid accipere, sub distincta interdictione vetitum est. DIST. C. Cap. 3. *Novit. init.* Nunc summa præfixa exigitur.

XV. Per objectum cujusvis criminis, seu defectûs, traditio Pallii facienda non impediatur in aliquo, nec retardetur, nisi objicientes firment corporali præstito juramento se id malitiosè non agere, sed objecta vera esse se credere, ac de objectis offerant facere promptam fidem. EXTRAVAG. COM. LIB. I. *Tit.* 4. *De Autorit & usu Pallii. init.* Cap. unico.

XVI. Prompta fides intelligitur in hoc casu, si intrà bimestris temporis spatium numerandum à die Collationis probaverint legitimè quod opponunt. *Ibid.*

XVII. Quod si non fecerint, eorum objectibus nequaquam obstantibus, ad ipsius traditionem Pallii procedatur. *Ibid.*

SECTIO IV.

An Archiepiscopi possint aliquandò non uti Pallio? Et quibus diebus uti possint?

I. Solus Summus Pontifex in Missarum solemniis Pallio semper utitur, & ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Ad honorem. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

II. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua Jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis. *Ibid. §. Alii.* LIB. I, DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

III. Archiepiscopus tàm in sua, quàm in aliena Diœcesi, potest sine Pallio & Sandaliis celebrare. *Ibid. De Autor. & usu Pallii.* Cap. *Quia nos. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7.

IV. Archiepiscopus utique in sua Diœcesi non debet semper celebrare cum Pallio. *Ibid.*

V. Archiepiscopus in Missarum celebrationibus, diebus solemnibus, usum Pallii potest liberiùs exercere. *De Autor. & usu Pallii.* Cap. *Cùm sis. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 6.

VI. In Cœna Domini inter Missarum solemnia Pallio Apostolico uti est illis licitum, quibus est ab Apostolica Sede permissum. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 56. *Porrò.*

VII. Archiepiscopus debet celebrare cum Pallio, illis duntaxat diebus, qui in Ecclesiæ suæ privilegiis sunt expressi. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Quia nos. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7.

VIII. Certi dies hi sunt, Nativitas Domini, Solemnitates S. JOANNIS, & S. STEPHANI, in Circumcisione, in Epiphania, in Ramis Palmarum, in Cœna Domini, in Sabbato Sancto, tribus diebus Resurrectionis, Pentecostes, in festivitate S. JOAN. BAPT. & omnium Apostolorum, in tribus Festivitatibus Beatæ MARIÆ, in Commemoratione omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiarum, in principalibus Festivitatibus Ecclesiæ, in Ordinationibus Clericorum, in Consecrationibus Episcoporum, in die anniversarii suæ Consecrationis. *Glossa ad* Cap. *Ad honorem. De Autorit. & usu Pallii.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4. Verbo *Ad honorem.*

IX. Ut Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat. *Conc* ANTISSIODOR. *ann.* 581. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p.* 968. *Epistola* 1. GREGORII III. *ad* BONIFACIUM. *ann. circ.* 731. TOM. VI. CONC. *p.* 1468. *Epistola* 4. ALEXANDRI, TOM. IX. CONC. *p.* 1117. *ann.* 1062. Quod restringendum ad prædictos dies.

SECTIO V.

Archiepiscopum Pallio non posse uti, nisi in Ecclesia sua, hoc est, nisi in aliqua ex Ecclesiis sua Provinciæ, atque solummodo inter Missarum solemnia.

I. Pallium Archiepiscopo transmittit Apostolica Sedes, quo fraternitas sua intrà Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur. DIST. C. Cap. 6. *Pallium.*

II. Quod in forma traditionis Pallii continetur, *ut eo intrà Ecclesiam suam utatur*, ita intelligitur, videlicet intrà quamlibet Ecclesiam Provinciæ sibi commissæ. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Cùm super. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

III. Archiepiscopi Pallio in Ecclesia sua, in qua Jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. *Ibid.* Cap. *Ad honorem.* §. 2. *Alii.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

IV. Consuetudo, quod Archiepiscopi extrà suas Provincias Pallio indifferenter utantur, dicenda est corruptela. *Ibid. De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Ex suarum.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 5.

V. Sedes Apostolica de speciali gratia indulgere potest, ut si Archiepiscopus de necessitate aliqua præpeditus, ad Ecclesiam sibi subjectam accedere fortè nequiverit, pro consecrandis Suffraganeis suis, vel Clericis ordinandis, & ad Ecclesiam alienam propter hoc ipsum contigerit declinare: dummodo is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat, utendi Pallio in dictis casibus liberam habeat facultatem. *Ibid.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 5.

VI. Ubicumque Archiepiscopus intrà Provinciam suam fuerit in Missarum celebrationibus constitutus, diebus solemnibus usum Pallii poterit liberiùs exercere. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Cùm sis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. *Cap.* 6.

VII. Penè de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus est auditum, extrà Missarum tempus usum sibi Pallii vindicasse, & hæc generalis est Consuetudo Ecclesiæ. DIST. C. Cap. 8. *Contra morem.* §. 1. *init.*

VIII. Si Archiepiscopum Sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo, exire contigerit, tunc Pallio minimè uti debet. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Cùm super. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

SECTIO VI.

Pallium esse proprium unicuique personæ, pro certa dumtaxat Ecclesia. Quæ munia de Jure obire possint Archiepiscopi sine Pallio, quæ non possint?

I. Romanus Pontifex Pallium utendum, gerendúmve nemini dat pro arbitrio voluntatis, sed juxtà Canonum Statuta. DIST. C. *& Tit. De Autorit. & usu.*

II. Alicui ad nomen & usum talis Ecclesiæ transmittit. *De Postulatione.* Cap. *Bonæ memoriæ. §. ult. fin.* LIB. I DECR. *Tit.* 5. Cap. 4.

III. Pallium personam non transit, sed quisque cum eo debet sepeliri. *De Autorit. & usu Pallii.* Cap. *Ad hoc. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2.

IV. Non videtur esse conveniens, ut Archiepiscopus Pallium suum Metropolitano alii commodet. *Ibid. De Autor. & usu Pallii.* Cap. *Ad hoc.* §. *Inquisitioni.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2.

V. Suffraganeis alicujus Metropolitani, ad Mandatum ipsius

ipsius post confirmationem electionis suæ, etiamsi Pallium non receperit, licitum est electum, qui ad ejus Jurisdictionem pertinet, consecrare. *De Electione.* Cap. *Suffraganeis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap 11.

VI. Non licet Archiepiscopo sine Pallio convocare Concilium, conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare. *De Electione.* Cap. *Quod sicut.* §. *Super eo. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 28.

VII. Multùm profectò præsumit, qui, antequàm impetret Pallium, Clericos Ordinare festinat, cùm id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur. *Ibid. De Electione.* Cap. *Quod sicut.* §. *Super eo. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 28.

VIII. Metropolitanus confirmatus potest Mandatum dare Suffraganeis, ut Episcopos consecrent, etsi Pallium non habeat.

IX. Non potest sine Pallio quæ Ordinis sunt per se exercere.

X. Pallium datur Personæ, sed contemplatione loci. *Glossa* Verbo *Pallium.*

XI. Juxtà Sedis Apostolicæ & totius Europæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minimè licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare. *De Elect.* Cap. *Significast. init. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4. Vide *inter Decreta* DAMASI TOM. II. CONC. *p.* 885. Cap. 5.

XII. Archiepiscopo à cura quâ tenebatur Ecclesiæ suæ absoluto concedit Romanus Pontifex, ut in alio Episcopatu absque usu Pallii Officium Episcopale valeat exercere. *De Renunciatione.* Cap. *Ad supplicationem.* §. *ult.* LIB. I. *Tit.* 9. Cap. 9.

XIII. Quod Pallium respiciat locum, patet in Archiepiscopo, qui renunciat loco Archiepiscopali, qui perdit usum Pallii. *Glossa in* Caput *Bonæ memoriæ.* 2. *De Postulatione.* Verbo *Pallium. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 4.

SECTIO VII.

Archiepiscopus, vel Primates, seu Patriarchas, nullam potestatem habere in Diœcesibus Suffraganeis, neque erga illarum subditos, nisi in quantùm iis jure permissum est.

I. Metropolitanus in Diœcesi sui Suffraganei absque ipsius assensu non debet aliquis contra Constitutiones Canonicas attentare. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Sicut. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8. Metropolitanus non est Judex Ordinarius totius Provinciæ suæ. *Glos.*

II. Metropolitanis, ne suorum Suffraganeorum ingrediantur Diœceses, ut in eis autoritate propria judicent, disponant, aliquidve aliud agant, Canonica prohibent Instituta. *In* 6. *De Officio Ordinarii.* Cap. *Romana.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 1. §. 1. *fin.*

III. Archiepiscopus in Suffraganei sui subditum (exceptis quibusdam Articulis) nullam habet potestatem, licèt Episcopus suus eidem sit Metropolitana Lege subjectus. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

IV. Archiepiscopus vel ejus Officialis, sine appellationis interpositione, non sunt Judices Suffraganeorum, vel Partium litigantium Suffraganeis subditorum. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Venerabilibus.* §. 1. *Caterùm. med.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 7.

V. Archiepiscopus Metropolitico Jure audire non debet causas de Episcopatibus Suffraganeorum, nisi per appellationem deferantur ad eum. *De Officio Legati.* Cap. *Cùm non ignoretis.* §. *Sanè. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 30. Cap. 1.

VI. Clerici Archiepiscopi compelli non debent Judicium Patriarchæ subire, nisi causa per appellationem ad ejus Audientiam perferatur, aut ei aliquod super hoc à Sede Apostolica sit indultum. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Duo simul. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 9.

VII. Alicujus Archiepiscopi Clericos ad judicium suum Primatem venire compellere, & de rebus ad Ecclesiam illius pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatûs sui disponere, nec antiquitas habet, autoritas Sacrorum Canonum penitùs interdicit, nisi fortè pro causis quæ apud Archiepiscopum terminari non possunt ad Patriarcham suum provocaverint. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8.

SECTIO VIII.

Quid possint, vel non possint Archiepiscopi erga Suffraganeos suos, vel eorum subditos?

I. Metropolitanum à Suffraganeo Episcopo exigere juramentum, præter formam Canonicam, quam cæteri Suffraganei Metropolitanis suis consuevere præstare, non decet. *De Major.* Cap. *Dilecti. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 13.

II. Si quid amplius ab eodem Suffraganeo Episcopo obtentu alicujus Consuetudinis Metropolitanus exigat, prætextu præstiti juramenti, sciat illum hujusmodi juramento non teneri. *Ibid.* §. *Cùm igitur.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 13.

III. Sicut Archiepiscopus latas à se pœnas in subditos suos, vult inviolabiliter observari, ita latas ab illis Suffraganeis debet inviolabiliter observare. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Ad reprimendam. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8.

IV. Sententias, quas Suffraganeus Episcopus duxerit in subditos suos Canonicè promulgandas, & Archiepiscopus ipse servet, & à suis subditis faciat inviolabiliter observari. *Ibid. De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Ad reprimendam.* §. *Ideòque.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8.

V. Si aliqua causa fuerit ad Archiepiscopum per appellationem delata, potest eamdem jure ordinariæ potestatis Suffraganei sui subdito delegare. *Ib. De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Pastoralis. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

VI. Archiepiscopus subditum Suffraganei sui ad suscipiendam delegationem hujusmodi compellere nequit invitum. *Ibid.* §. *Ad quod.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

VII. Ne Archiepiscopus, vel ejus Officialis Suffraganeorum suæ Ecclesiæ subditos ipsorum Delegationem suscipere, vel sententias & præcepta exequi, aut in causis per appellationem devolutis ad eos, testimonium (nisi aliud in his tribus de consuetudine obtineant) perhibere compellant. *In* 6. *De Foro Competenti.* Cap. *Romana.* §. 1. LIB. II. *Tit.* 2. Cap. 1.

VIII. Prohibitum est ne Archiepiscopus in Diœcesibus Suffraganeorum suorum foraneos Officiales constituat. *In* 6. *De Officio Ordin.* Cap. *Romana.* §. 1. *init.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 1.

IX. Cùm Metropolitanis, ne suorum Suffraganeorum ingrediantur Diœceses, ut in eis autoritate propria judicent, Canonica prohibeant Instituta, nequaquàm hoc possunt in illis per alios exercere. *Ibid. De Off. Ordin. In* 6. Cap. *Romana. init.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 1.

X. Nec pro eo quod causas per appellationem delatas ad ipsos, possunt in Suffraganeorum suorum Diœcesibus delegare, licet Metropolitanis tales Officiales instituere in eisdem Diœcesibus, qui eorum vice (eum appellatur ad ipsos) citationes vel inhibitiones faciant, seu compescant in hac parte rebelles. *Ibid. In* 6. *De Officio Ordin.* Cap. *Romana.* §. 2. LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 1.

XI. De Metropolitano in Canonibus legitur, quod tunc demum ea potest facere, quæ ad Suffraganeos pertinent, cùm Suffraganei negligent adimplere. *De Accusat.* Cap. *Ad petitionem. in int. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 22. Vide *Epistolam septimam* ZACHARIÆ *Papæ ad* PIPINUM, *&c.* Cap. 1. TOM. VI. CONC. *p.* 1507.

XII. Episcopos, quos modo in vicem Metropolitanorum constituimus, ut cæteri Episcopi ipsis in omnibus, secundùm Canonicam Institutionem, obediant. *Concilium* VERNANSE, *ann.* 755. Cap. 2. TOM. II. CONC. *p.* 1665.

XIII. Vide Tom. IV. Conc. *p.* 724. *& seq.* ubi delegatur causa Athanasii, Piræ Episcopi, Domno è viciniotibus Antiocheni Metropolitani ipsi suspecti à Patriarchis Proclo & Cyrillo, ut opresso à propriis Clericis subvenirent.

XIV. Canonicis Sanctionibus contravenit si Metropolitanis à suis Suffraganeis obedientia subtrahatur. Innoc. II. *Epistolâ* 7. Tom. I. Conc. *pag.* 950.

XV. Quia in causis per appellarionem devolutis ad Metropolitanos, jam Jurisdictionem obtinere noscuntur, propter hoc licitè possunt super illis committere vices suas. Noo sic aurem in aliis, in quibus nondum extitit appellatum, & iidem non debent alios constituere pro citationibus in futuris causis appellationum, & inhibitionibus faciendis; nisi aliud Metropolitana Ecclesia circa talium Officialium institutionem de consuetudine obtineat speciali. *In 6. De Off. Ordin.* Cap. *Romana.* §. 2. *med.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 1. Hæc consuetudo in Gallia non probaretur.

XVI. Etiamsi Officiales hujusmodi de consuetudine speciali possint in aliquâ Provinciâ constitui, ab iis tamen inhibitiones, ne procedatur in causis, priusquàm ad Metropolitanam Curiam appelletur, fieri non possunt. *Ibid. In 6.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 1. §. 2. *fin.*

XVII. Nec appellationis articulo prætermisso, nec aliàs etiam (cum minimè appellatum extiterit) Archiepiscopus vel ejus Officialis, de causis Clericorum tanquàm Judices, (licet in ipsos iidem Clerici de facto consentiant) absque Diœcesanorum suorum voluntate cognoscant. *In 6. De Foro Competenti.* Cap. *Romana.* §. 1. Lib. II. *Tit.* 2. Cap. 1.

Prorogatio Jurisdictionis non admittitur in Gallia, quia Jurisdictio est Publici Juris, cui privatorum pacta derogare non possunt.

XVIII. Non potest Archiepiscopus de causa principali cognoscere, nisi priùs de appellatione cognoscat, seu discutiat vim appellationis, etiamsi Partes consentiant. *Glossa.* Dicendum de ordine judiciario, quod dictum est de Jurisdictione, is enim à partibus immutari nequit.

SECTIO IX.

Qua ratione possint Suffraganeorum subditi ad Archiepiscopum recurrere?

I. Omisso Diœcesano Episcopo ad Archiepiscopum appellare non licet. *De Appellationib.* Cap. *Dilecti:* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. *66.*

II. Ad Archiepiscopum gradatim est appellandum. *Ibid.* Lib. II. Decr. *Tit.* 18. Cap. 66. *init.*

III. Ab Officialibus Suffraganeorum (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) non ad dictos Suffraganeos, sed de Jure ad Metropolitanam est Curiam appellandum. *In 6. De Appellationib.* Cap. *Romana.* §. 1. Lib. II. *Tit.* 15. Cap 3.

IV. Ab aliis infetiotioribus Prælatis, Suffraganeis subjectis eisdem, & eorum Officialibus, ad Suffraganeos ipsos debet, & non ad Curiam Archiepiscopalem (omissis dictis Suffraganeis) appellari, nisi aliud Archiepiscopali Ecclesiæ de consuetudine competat in hac parte. *Ibid.* §. 2.

V. Is qui ad Metropolitani Curiam super aliquâ causâ vocem appellationis emittit; nihilominùs in causis aliis Ordinarii sui Jurisdictioni subjicitur. *Ibid.* §. 7. *Cùm verò.*

VI. Episcopus cum Decano litigans ad Metropolitani Audientiam appellat. *De Appellationib.* Cap. *Dilectis.* Lib. II. Decret. *Tit.* 28. Cap. 55.

VII. Aliter judicandum de Officialibus foraneis, qui sunt Delegati Episcopi, à quibus ad Episcopum, seu qui Officialem appellatur. *Glossa.* Ratio est: Quia istis committitur tantùm pars Jurisdictionis Contentiosæ; Officiali verò principali tota.

SECTIO X.

Quid possint Archiepiscopi in Capitula, Cathedrali Sede Vacante?

I. Ecclesia Cathedrali vacante, si fortè Capitulum in Spiritualibus & Temporalibus negligenter, aut perperàm administret, tunc Archiepiscopus ob negligentiam vel malitiam Capituli (eo vocato, causæque super hoc cognitione præmissâ) Visitatorem, seu Administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit deputare. *In 6. De Suppl. Negl.* Cap. *Ecclesia.* Lib. II. *Tit.* 8. Cap. 4. *init.*

II. Hujusmodi Visitator, quamquam Spiritualium & Temporalium administrationem legitimam censeatur habere, Beneficia tamen, quæ ad Collationem pertinent Episcopi, conferre non potest. *Ibid. In 6. De Suppl. Negl.* Cap. *Ecclesia.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 8. Cap. 4.

III. Si secùs factum sit (non electo Officiali intra octo dies, Sede Vacante; vel non electo idoneo) deputatio hujusmodi ad Metropolitanum devolvatur; & si Ecclesia ipsa Metropolitana visa fuerit, aut Exempta, Capitulùmque, ut præfertur, negligens fuetit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in Exempta, Oeconomum & Vicarium idoneos constituere possit. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Refor.* Cap. 16.

SECTIO XI.

Quo in loco, quando, quâ ratione Archiepiscopi vel eorum Officiales exercere Jurisdictionem suam in Suffraganeos, & eorum subditos valeant?

I. Ne Archiepiscopus causas, quæ per appellationem, vel aliàs Jure Metropolitico deferuntur ad ipsum, alibi quam in sua propria Civitate, vel Diœcesi, aut in eis, in quibus appellatum extitit, vel causæ ipsæ consistere dignoscuntur, audiat, vel etiam audiendas committat; nisi sibi aliud è consuetudine competat in hac parte. *In 6. De Officio. Ordin.* Cap. *Ut litigantes.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 5. In Galliâ id fieri nequit, nisi in Auditorio Majorum.

II. Si quando contigerit aliquem de Clericis ab Episcopo suo ad Archiepiscopi Audientiam appellare; non ante appellationem admittat quàm sibi constiterit eam vel à gravamine, vel injustâ condemnatione porrectam; alioquin ipsum ad Episcopi Audientiam remittat. *De Appellationib.* Cap. *Cùm in Ecclesiâ.* §. *Unde.* Lib. II. Decret. *Tit.* 28. Cap. 38. De Appellatione interlocutoria id intelligendum.

III. Cùm omisso Diœcesano Episcopo fuit ad Archiepiscopum appellatum; in causâ ipsa de Jure procedere non debet: & tenetur Officialis ejus hujusmodi exceptionem admittere. *De Appellationibus.* Cap. *Dilecti.* §. *Ex parte.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. *66.*

IV. Cùm ad Metropolitanam Curiam à Suffraganeorum vel suorum Officialium Audientiâ fuetit appellatum, Archiepiscopus, vel Officialis ipsius nullatenùs, in appellationis causâ interpositæ, ante definitivam sententiam citent Partes: nec etiam aliis illam committant, appellationis ejusdem causâ probabili seu legitimâ non expressâ. *In 6. De Appellationib.* Cap. *Romana.* §. 2. *Cùm autem.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

V. Si non esse per appellationem ad Archiepiscopum, vel ejus Officialem devolutum negotium proponatur, iidem (nisi prius ipsis constiterit causam ipsam ad eos totaliter fuisse delatam) prohibere, ne in causa illa, vel ne ad executionem procedatur sententiæ, non præsumant. *Ibid. De Appellat.* Cap. *Romana.* §. 3. *In 6.* Lib. I. *Tit.* 15. Cap. 3.

VI. Si objiciatur ex injusta causâ seu minùs legitima ante sententiam appellationem interpositam extitisse,

tisse, & ex eo non esse appellationem hujusmodi admittendam: nequeunt Archiepiscopus, vel ejus Officialis prohibere, ne procedatur in causa, nisi priùs appellatione recepta velut emissa ex causa probabili, cognoscere incipiant de causa hujusmodi, an sit vera. *Ibid. In 6. De Appellationib.* Cap. *Romana.* §. 4. Lib. I. *Tit.* 15. Cap. 3.

VII. Si post sententiam in casibus à Jure prohibitis appellatum fuisse dicatur, possunt Archiepiscopus & ejus Officialis, ne sententia executioni mandetur (postquàm cognoscere cœperint, utrùm sit recipienda vel non appellatio ab eo interposita) inhibere. *Ibid.* §. 5.

VIII. Archiepiscopus, vel ejus Officialis in aliom, qui circa rem, de qua inter Appellantem & Appellatum controversia vertitur, aliquid post eorum inhibitionem attentat, non valent occasione hujusmodi Jurisdictionem aliquam vendicare. *Ibid.* §. 6.

IX. In alium ab Appellante & Appellato licèt aliqnid attentet, circà rem controversam, non acquirunt Jurisdictionem, sed alius ille tenetur Appellantem & Appellatum coram Judice suo convenire.

X. Exercere debent in sua vel Suffraganei Diœcesi, non alibi, nisi aliud ferat Consuetudo.

XI. Proposita exceptione, omisso medio fuisse appellatum, non possunt procedere.

XII. Non debent Partes citare, nec causam committere, nisi in appellatione causa probabilis sit expressa.

XIII. Non debent inhibere Suffraganeum procedere, nisi priùs de devolutione planè constet.

XIV. Si dicitur ex injusta causa appellatum, non possunt Archiepiscopi impedire Suffraganeum ne procedat, nisi, priùs receptâ appellatione ut probabili, incipiat cognoscere de causæ veritate.

XV. Licet dicatur contrà jus appellatum, postquàm de appellatione cognoscere cœperint, possunt inhibere ne sententia executioni mandetur.

XVI. *Conc.* Lugdun. II. *ann.* 567. *Can.* 1. Tom. V. Conc. *p.* 848. Quandò contendentes sunt ejusdem Provinciæ, lis *in Conc.* Provinciali judicatur; si diversæ, Metropolitanis convenientibus in unum lis terminatur.

XVII. Archiepiscopus, vel Officialis ipsius, nequaquàm post appellationem Jurisdictionem ipsam in aliis impediant, ut ab Ordinarii potestate totaliter eximant taliter appellantem. *In 6. De Appell.* Cap. *Romana.* §. 7. *fin.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

XVIII. Cùm ad Archiepiscopum, ab Audientia Suffraganei sui, super aliqua causa fuerit ante sententiam appellatum, idem Archiepiscopus (postquàm de appellatione cognita constiterit, eam minus rationabilem extitisse, causam ad eumdem Suffraganeum remittere non postponat. *Ibid.* §. *ult.*

XIX. Archiepiscopi appellantes in aliis causis, à Jurisdictione Ordinarii non possunt eximere.

XX. Ex quo Archiepiscopus pronunciaverit malè appellatum ante sententiam, statim debet causam ad Suffraganeum remittere.

XXI. Archiepiscopi non possunt cognoscere de causis subditorum Suffraganeis, nisi postquàm constiterit de appellatione à gravamine vel à sententia.

SECTIO XII.

An, & quid possint Archiepiscopi erga Suffraganeos, & istorum subditos, quoad Censuras.

I. Officiales cujusvis Archiepiscopi (quamdiu iste in sua Provincia, vel circa illam extiterit) in Suffraganeos Interdicti, Suspensionis, vel Excommunicationis proferre sententias non attentent *In 6. De Officio Ordin.* Cap. *Romana.* §. *ult.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 1. Loquitur de Rhemensi Provincia: Ad alias extendit sequentibus verbis.

II. Hoc idem Officialibus aliorum Metropolitanorum, circa ipsorum Suffraganeos (quibus ob reverentiam Pontificalis Officii deferendum in hac parte) debet observari. *Ibid.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 1. §. 1. *In 6.*

III. Non potest Archiepiscopus ipse in suorum Suffraganeorum Officiales & subditos (pro eo quod vocati ab ipso nolunt querelantibus in sua præsentia respondere) Ecclesiasticam exercere censuram. *In 6. De Foro Competent.* Cap. *Romana.* §. *ult. fin.* Lib. II. *Tit.* 2. *Cap.* 1.

IV. Archiepiscopus per Provinciam suam liberè potest concedere remissionis literas generales, ita tamen quòd statutum Generalis *Concilii* non excedat. *De Pœnitentiis.* Cap. *Nostro.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 15.

V. Si notorium extiterit quòd Mandatum Episcopi indiscretum fuerit vel injustum, cui non teneatur subditus obedire, ac per consequentiam Archiepiscopo liqueat evidenter subditum legitimè provocasse, potest Archiepiscopus autoritate Metropolitana declarare subditum irrationabiliter extitisse anathematis mucrone percussum, licèt aliàs nec de appellatione, nec de iis, quæ appellationis causam contingere dignoscuntur, cognoscere valeat. *De Appellationib.* Cap. *Sollicitudinem.* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 54.

VI. Sententias Interdicti, vel Suspensionis, seu Excommunicationis, in appellantem, ab eo, à qua appellata proponitur, promulgatas Archiepiscopi, vel eorum Officiales, nullatenus nisi vocatis partibus & de appellatione legitimè cognito, revocent aut denuncient esse nullas. *In 6. De Appellationib.* Cap. *Romana.* §. *penult.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

VII. Officiales, degente Archiepiscopo in Provincia, vel circa illam, non possunt Suffraganeos censura afficere: Si tamen sententiam ferant, tenebit. *Glossa* Secùs apud Gallos, apud quos ipse Archiepiscopus ferre nequit censuras in Suffraganeos.

VIII. Nec etiam Officialis quorumcumque Metropolitanorum, ob reverentiam Pontificalis Officii.

IX. Possunt declarare subditum fuisse irrationabiliter excommunicatum, etsi non possint de appellatione, nec de principali cognoscere; si notorium sit Episcopum injustè excommunicasse.

X. Archiepiscopus revocare non potest Censuram Ecclesiasticam, per Episcopum prolatam in appellantem, nisi Partibus vocatis, & de causa legitimè cognitum fuerit. Archiepiscopus per Provinciam suam liberè potest concedere generales remissionis literas, ita tamen, quod Statuta *Concilii* Generalis non excedat. Cap. 15. *De Pœnit. & remiss.*

SECTIO XIII.

An possit Archiepiscopus visitare Diœceses suorum Suffraganeorum, & qua ratione id præstare debeat?

I. Ex Officii sui debito suam Provinciam visitat Archiepiscopus. *De Præscriptionib.* Cap. *Cùm ex Officii. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 16.

II. A Metropolitanis etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses, nisi causa cognita & probata in *Concilio* Provinciali. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 3. *post init.*

III. Archiepiscopus autoritate propria suam Provinciam potest visitare. *De Censib.* Cap. *Cùm nuper. init. &* §. *Mandamus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 25.

Archiepiscopus potest secundùm tenorem Constitutionis Innocentii Papæ IV. super hoc editæ, suam Provinciam visitare liberè, licèt non sint ejus Suffraganei negligentes, & iterare Visitationem eamdem, consuetudine contraria non obstante. *In 6. De Censib.* Cap. *Perpetuò. init.* Lib. III. *Tit.* 20. Cap. 5.

IV. Quilibet Archiepiscopus suam volens visitare Provinciam priùs Ecclesiæ suæ Capitulum ac Civitatem & Diœcesim propriam plenè visitare procuret, nec sit solùm ergà Majorum, sed etiam Minorum Ecclesiarum, nec circà Clericorum tantùm sed etiam populo-

rum Visitationem intentus. Et si commodè, vel absque difficultate accedere ad unamquamque poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos & Laïcos studeat convocate, ne in illis Visitatio postponatur. *In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1. *in init.* INNOC. IV.

Prius suam Diœcesim pleoè visitet Archiepiscopus.

V. Deinde liceat ei per totam Provinciam vel ejus partem Visitationis Officium exercere, Civitates, & Diœceses, Suffraganeos suos, & eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, Ecclesias & alia Religiosa & pia loca, Cleros, & populos liberè visitando. *Ibid. In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

Deinde Suffraganeotum Diœceses, Capitula & Ecclesias, Clerum & populum visitet.

VI. Ex quo aliquam de ipsis Diœcesibus visitare cœperit, numquàm posteà (sive totam, sive partem ejus visitaverit) tevertatur causa Visitationis ad illam, priusquàm omnes reliquæ ipsius Provinciæ Diœceses in toto vel in parte (quas securè visitare poterit) & suæ denuò fuerint visitatæ. *Ibid.* §. 2. *In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

VII. Post incœptam Visitationem alicujus Diœcesis oon potest ad illam tedire, oisi de novo totam Provinciam visitet.

VIII. Quod si fortè eadem Diœcesis, vel aliqua ibi Ecclesia plus aliis indiguerit visitari: tunc aliorum Visitatione intermissa redeat ad eamdem, si à loci Diœcesano requisitus extiterit, vel de omnium aut majoris partis Episcoporum ejusdem Provinciæ processerit consilio & assensu: ad quod iidem se pronos exhibeant, ne aliarum profectus aliquatenùs negligatur. *Ibid.* §. 2. *med. In* SEXTO. *De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

IX. Nisi fuerit ab Ordinario loci requisitus vel de coosilio & assensu Suffraganeorum. Vide GONZALES *ad* Caput *Sopitæ. De Censibus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 14.

X. Postquam semel omnes Provinciæ suæ Diœcesis visitaverit, licitum sit ei posteà (prius tamen Suffraganeorum suorum requisito consilio, & definitione super hoc habita coram eis, quæ in sctiptis redigi debet, ut possint aliis esse nota) Visitatiouem per eandem reïterare Provinciam juxtà modum superiùs adnotatum; etiamsi non interveniat in hoc Suffraganeorum ipsorum assensus. *Ibid.* §. 3. *In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 2. Cap. 1.

XI. Non potest iterare Visitationem, nisi requisito Suffraganeorum cousilio & definitione super hoc io scriptis facta.

XII. Illam semper providentiam adhibeat Archiepiscopus, ut in posterioribus Visitationibus illas Ecclesias, eosque Cleros & populos priùs visitet, qui non fuerant ab eo in prioribus visitati: nisi magis sit aliis Visitationis Officium opportunum. *Ibid.* §. 3. *fin. In* SEXTO. *De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

XIII. Secundam Visitationem incipere debet ab illis, qui in prima non fuerant visitati.

XIV. Archiepiscopus hujusmodi Visitationis impensutus Officium, proposito Verbo Dei quærat de vita, & conversatione Ministrantium in Ecclesiis, & locis aliis Diviuo cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad Officium ipsum spectant, absque coactione & exactione qualibet juramenti, ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera. juxtà datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendens. *Ibid.* §. 4. *init. In* SEXTO *De Censib.* Cap. *Romana.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

XV. Archiepiscopus visitans debet proponere Verbum Dei, inquirere de vita Ministrorum, & de pertineotibus ad Divinum Officium absque juramento.

SECTIO XIV.

Quomodo Archiepiscopus in decursu Visitationis suam Jurisdictionem exercere debeat?

I. Archiepiscopus Visitationis impensurus Officium, notoria crimina, quæ examinatione non egeant (cùm super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia) liberè corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo. *In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* §. 4. *fin.* LIB. I. *Tit.* 20. Cap. 1.

II. Quod si de aliquibus orta fuerit infamia contra eos, Ordinariis ipsorum (ut supet his solemniter inquirant) denunciet, si viderit expedire. *Ibid.* §. 4. *med.*

III. Potest Archiepiscopus si visitat, Confessiones subditorum Suffraganeorum audire, ac absolvere confitentes, & ipsis pœnitentias injungere salutares. *In 6. De Censib.* Cap. *Perpetuò.* §. *Potest.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. V.

IV. Archiepiscopus visitans Provinciam excommunicare potest Suffraganeos, si non debito modo ab iis recipiatur. *In 6. De Supplenda Neglig. Prælat.* Cap. *Romana. init. colligitur juncta Glossa.* LIB. I. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

V. Metropolitanis in suis Provinciis, dum in illis Jurisdictionem exercent, puniendi manifestas & notorias offensas tunc eisdem illatas vel suis (etiamsi exinde impediri Jurisdictionem hujusmodi oon contingat) libera sit facultas. *In 6. de Pœnis.* Cap. *Romana.* §. 2. LIB. V. *Tit.* 9. Cap. 1.

SECTIO XV.

Archiepiscopos, dum visitant Provinciam suam, posse jus Visitationis suæ Procurationes exigere, & an jus illud Procurationis præscribi possit, & quomodo?

I. Archiepiscopus Provinciam suam visitans, ab Ecclesiis Procurationem sibi debitam postulare potest, & ipsi eam negare non debent, ad suæ negationis defensionem allegantes, quod non meminerint se Procurationem hujusmodi Prædecessoribus Archiepiscupis exsolvisse, nec ab eis aliquando fuisse petitam. *De Præscriptionib.* Cap. *Cùm ex Officii. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 16.

II. Archiepiscopus potest suam Provinciam visitare liberè, ac Procurationes à locis recipere visitatis. *In 6. De Censib.* Cap. *Perpetuò.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 5.

III. Totam Provinciam vel ejus partem Visitationis Officium exercens Procurariones recipiat, secundùm quod est in Canonibus constitutum. *In 6. De Censib.* Cap. *Romana.* §. 5. *init.* LIB. III. *Tit.* 20. Cap. 1.

IV. Inter Monasterium & Archiepiscopum quæstio esse potest super eo quod idem Archiepiscopus asserat Monasterium Metropolitico Jure sibi subesse, Procurationes, & res alias exigat ab eo. *De Arbitrit.* Cap. *penult. Cùm à nobis.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 43. *& ult.* Cap. 13.

V. Archiepiscopus ferre potest sententiam contra denegantes hujusmodi Procurationem: & sententia, quam in hujusmodi contemptores tulit Archiepiscopus, usque ad satisfactionem condignam debet observari, quia secundùm Apostolum: *Qui Spiritualia seminat, non est magnum si metat Carnalia, cùm nemo cogatur suis stipendiis militare.* Ibid. §. Nos igitur. LIB. II. DECR. Tit. 26. *Cap.* 16.

VI. Cùm Archiepiscopum Provinciam contigerit visitare, Procurationes ratione Visitationis debitæ, juxtà facultates Ecclesiarum, exhibeantur eidem: alioquin sententia quam ipse ritè tulerit in rebelles inviolabiliter observabitur. *De Censib.* Cap. *Cùm nuper.* §. *Mandamus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 25.

VII. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii, quibus ex Officio competit visitare, à volentibus Ecclesiarum

rum & locorum Visitatorum Rectoribus seu personis, pecuniam licitè recipere valeant, pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus Visitationis Officium personaliter exercehunt. *In 6. De Censib.* Cap. *Felicis. med.* Lib. III. *Tit.* 20. Cap. 3.

VIII. Non liceat visitanti nisi unam Procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura: etiamsi locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad Procurationem integram persolvendam, cùm eidem sufficere debeat ut Temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus quibus eis Spiritualia subministrat. *Ibid. In 6. De Censib.* Cap. *Felicis.* Lib. III. *Tit.* 20. Cap. 3.

Contra Procurationem, quæ ratione Visitationis debetur Archiepiscopo, præscribi nequit ab Ecclesia Particulari; quemadmodum nec contra Visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi. *De Præscriptionib.* Cap. *Cùm ex Officii. §. Nos igitur. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 16.

Alius contra Archiepiscopum præscribere potest utramque, Procurationem scilicet & Visitationem. *Ibid.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 16. *§. Nos igitur.*

SECTIO XVI.

Quem ordinem inter se servare debeant Metropolitanus & Suffraganei, & quomodo intelligendum sit, cùm eis mandatur aliquid pro Ecclesiis suis?

I. Placuit, ut conservato Metropolitani Primatu, cæteri Episcopi secundùm suæ ordinationis tempus alius alii deferat locum. Dist. XVIII. Cap. 1. *Placuit.*

II. Episcopi secundùm ordinationis suæ tempus, sive ad considerandum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca debent, & suorum sibi prærogativam Ordinum vindicare. Dist. XVII. Cap. 7. *Episcopos.*

III. Cùm Romanus Pontifex Archiepiscopo mandat, ut in aliqua Ecclesiarum suarum aliquid efficiat, intelligitur de omnibus Ecclesiis suæ Provinciæ. *De Præbendis.* Cap. *Pro illorum. juncta Glossa* Verbo *Ecclesiarum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 22.

IV. Licèt in corrigendis excessibus Suffreganeus Episcopus à Sede Apostolica receperit in Mandatis, ut tàm circa viros Religiosos, quàm etiam Clericos Sæculares suæ Jurisdictioni subjectos inquirat & corrigat, appellatione remota, intentionis illius nec fuit, nec esse debuit, Jurisdictioni Archiepiscopi per Mandatum hujusmodi derogare. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Licèt.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12. *init.*

V. Si in inquisitionibus ab eodem Episcopo faciendis, aliquis casus emerserit in quo licitum sit ad Sedem Metropolitanam appellare, prædicti occasione Mandati, autoritati Metropolitani, quò primus ad eum tanquam ad Metropolitanum appellari valeat, nullatenùs derogatur. *Ibid.* Cap. *Licèt. De Officio Jud. Ord. §. Quia tamen.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12.

VI. Sit honoris ista distinstio ut ipse prior & major habeatur, qui priùs concordi fuerit actione ordinatus. *De Major. & Obed.* Cap. *Cum.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 1.

VII. Præcipimus, ut Episcopi ad solum Deum & salutem populi habentes respectum, omni trepidatione seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præbeant; neque hoc alicujus amore vel odio prætermittant: Quod si quis in hoc Dei opere trepidus inventus fuerit, damnum propriæ Dignitatis incurrat. Dist. XC. Cap. 11. *Præcipimus.* Innoc. II. *ann.* 1139. *& De Treuga & pace.* Cap. *Treugas. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 34. Cap. 1.

VIII. Primatus reverentiæ à Metropolitano Episcopo jubetur impendi per Synodicam Regulam. *Concil.* Emeritense. *ann.* 666. Cap. 6. Tom. VI. Conc. *p.* 501. Greg. I. Lib. VII. *Epist.* 112. Syagrio *Episcopo* Augustodunensi. *ann.* 597. *Concil.* Heruofordiæ. *ann.* 673. *Can.* 8. Tom. VI. Conc. *p.* 538.

IX. Ut Metropolitanis Sedibus antiquitùs statuta Jura serventur, & à Comprovincialibus Episcopis, juxtà Regulas Ecclesiasticas, eis reverentia exhibeatur. *Concilium* Maldense. *ann.* 845. Cap. 31. Tom. VII. Conc.

Qui priùs ordinatus est major, & prior his qui posteriùs sunt ordinati, debet haberi. *Glossa. Ex Conc.* Bracarensi II. *ann.* 563. Cap. 6. Tom. V. Conc. *p.* 840. Vide *Cod. Eccl. Afr. Can.* 86. Tom. II. Conc. *p.* 2001.

X. Ex Concilio Tolet. IV. Milevitano atque Bracarensi statutum est, ut singuli (Episcopi) secundum ordinationis suæ tempora sedeant, præter eos, qui ex antiqua consuetudine, sive suarum Ecclesiarum Privilegiis, digniores sedes habent. *Concilium* Londoniense. *ann.* 1075. Cap. 1. Tom. X. Conc. *p.* 347.

SECTIO XVII.

Observationes in Sectiones præcedentes, tùm ut suppleantur quæ desunt, tùm ut ponantur in Ordinem, lucémve debitam, quæ alterutro vel utroque carent.

I. Simplices Episcopi, de quibus Titulo præcedenti, tres habent Superiorum gradus vel species, quæ sunt tantùm Juris vel Institutionis Ecclesiasticæ. Hi sunt nempè, Archiepiscopi seu Metropolitani; Primates seu Minores Patriarchæ seu Exarchi, & Patriarchæ, qua voce simpliciter prolata intelliguntur Patriarchæ Majores. Ut Episcopi immediatè subsunt Archiepiscopis, ita isti proximè subjiciuntur Primatibus, & Primates immediatè Patriarchis. Prædicti Prælati in pluribus inter se conveniunt & differunt. Conveniunt: 1. In eo quod ab Ecclesia instituti sunt, 2. Ab illa tenent suam Jurisdictionem: 3. Hæc in eo sita est quod Prælatos sibi immediatè subditos convocare possint, illos consecrare, judicare in certis casibus, appellationes ab illis admittere, convocatis illis præsidere: Hinc Regula nihil posse in illos, quam quod illis Canones, vel prisca Consuetudo, vel Prilegia Sedis Apostolicæ debitè concessa, permiserint: 4. Unum habent Ornamentum peculiare, nempè Pallium, quo ab Episcopis distingui solent.

Differunt autem inter se, in eo potissimùm, quò major illorum superioritatis gradus, eò major, ampliorve illorum autoritas, Nobilioresque habent subditos; cùm Patriarchæ præsint Primatibus, istósque habeant pro Suffraganeis: Primates verò simili honore gaudeant ergà Archiepiscopos. Quot sunt Superioritatis gradus tot possunt esse etiam appellationis gradus.

Alterum discrimen est quòd non extant Textus, qui tribuerint Patriarchis jus visitandi Diœceses, vel Provincias Primatum sibi subditorum: Idem dicendum de Primatibus erga Archiepiscopos. Occurrunt autem multi, qui hoc Jus agnoscunt in Metropolitanis.

Tertium est quòd Metropolitani retinuerint jus ferendi Crucem elatam per totam Provinciam; secùs de Primatibus & de Patriarchis erga Districtus proprios.

Quartum, quòd in Corpore Juris pluries fit mentio expressa de jure devolutionis, quoad dispositionem Beneficiorum dispositioni Prælatorum sibi inferiorum subjectorum; nihil simile in favorem Primatum, vel Patriarcharum; sed tantùm insinuatur Cap. 3. *De Supplen. Neglig. Prælat.* quod hoc jus transire potest ad Primates, & ad Patriarchas, cùm Innocentius III. dicat jus Archiepiscopi Eboracensis ad seipsum devolutum fuisse, quia iste alium non habebat Superiorem proximum quàm Papam.

II. Prætermissi à Collectore Textus circa jus devolutionis, præsertim quoad Beneficia, etsi unum sit ex præcipuis pertinentibus ad Superiores Prælatos Episcoporum, nonnulli saltem colligendi erant, ut simul haberentur omnia jura hujusmodi Prælatorum. Hoc vitio carent Regulæ nostræ circà id genus, Præla-

latorum singula jura seriatim debito ordine congesta sunt: Deinde de jure devoluto seorsim actum est, dùm *de Beneficiis* quemadmodùm ipse Collector; sed cum hoc discrimine, quòd de jure devoluto in genere disserui, causis, ejùsque effectibus discussis; quod omissum à Collectore.

III. Fusiùs hîc quàm par erat *de Appellationis* jure, quo Archiepiscopi fruuntur. Sat fuisset quosdam Textus de hoc jure loquentes referre, alios autem remittere ad Tractatum *de Judiciis*, ubi de Appellationibus ex proposito differendum est, quia insignis sunt hujus Tractatus pars. Hoc vitium accuratè effugi, contentus siquidem ostendere Metropolitanos facultatem habere appellationes à Suffraganeis emissas admittendi & judicandi, discussionem illius juris, ac eorum, quæ ad illud pertinent, ad hunc Tractatum remisi. Attamen inutilis omninò non est Collectoris labor, cùm præparet hinc ad dicenda, dùm de Appellationibus, data opera, tractaturus est.

IV. Non pauca desunt iis, quæ collecta sunt circa Pallii autoritatem & usum. I. Nihil de Ornamentis in genere, *id est*, de iis, quæ communia sunt huic Sacræ vesti cum aliis vestimentis, itidem Sacris. II. Ne verbum quidem circa Textus falsos, vel suspectos, vel modum discernendi illos à legitimis, aliáque historica criticáve ad hanc rem pertinentia. Ab utroque defectu cavi, colligens Regulas generales circa Ornamenta Sacra, ac criticè discutiens, qui sint Textus suppostitii *de Pallio*, qui legitimi, qui inter istos antiquiores, qui recentiores. Præterea ordo à Collectore servatus paulò minùs congruus videtur, cùm insimul non tractet de personis à quibus dari possit, de illis quibus dare liceat, de oneribus illi annexis, de commodis hinc nascentibus, aliisve similibus, quæ simul locanda sub Titulo convenienti, ut factum est in Regulis nostris, ubi insuper acuratè collecta dubia, quæ hac de re formari possunt & pro posse clariùs & solidiùs soluta, demum comparando inter se personas à quibus Pallium dari potest, & illas quoque inter se quibus dare licet, exactè notatum in quibus conveniunt vel differunt.

V. Jurisdictio Patriarcharum, Primatum, vel Metropolitanorum in Suffraganeos suos eadem oon est ac Jurisdictio illorum in Suffraganeorum suorum subditos: cùm Suffraganei sibi im nediatè subsint; subditi verò istorum oon subjiciantur his Prælatis, nisi quando conqueruntur coram illis de proximis suis Prælatis, vel negligentibus facere quod jubentur, vel facientibus quæ ipsis prohibentur: hujusmodi querelà Metropolitani, *v. gr.* fiunt Judices tàm Subditorum conquerentium de Episcopis, quàm Episcoporum de quibus subditi conqueruntur.

Quod dictum est de Jurisdictione Prælatorum, Episcopis Superiorum ergà Episcopos, istorúmque subditos, producendum est ad Jurisdictionem Officialis, vel Vicarii Generalis eorumdem, cùm idem sit Auditorium, Forum, & Tribunal, illorúmque personam repræsentent.

Quotiescumque à subditis Episcoporum recurritur ad Metropolitanum, vel istius Officiarios, supponitur Episcopos in culpâ esse vel reatu, nisi inter Episcopum & subditum illius contentio sit circa jus utile, vel honorificum ab utroque prætensum: quo casu lis est penitùs civilis, & ditimenda à Superiore immediato, quemadmodum aliæ causæ, de quibus suprà dictum est. Deficientibus hujus generis casibus cessat autoritas Metropolitani in subditos Suffraganeorum, quemadmodum & in ipsos Suffraganeos, præterquam in Visitatione, in quâ procedere videtur immediatè, ràm erga subditos Suffraganeorum, quàm ergà Suffraganeos; sed ex Officio Pastoris potiùs quàm Judicis; unde non potest ordinarias pœnas imponere, sed tantùm pœnitentiam, quod prolixè explicabitur, dum *de Visitatione*, sive per Juris Decisiones, sive per Regulas inde desumptas.

VI. Quæcumque ad Metropolitanos quoquomodo pertinent, accuratè, & eruditè admodum explicantur à LAUNOIO in TOM. V. *Part.* 2. L. VIII. *Epistolarum. Epist.* 12. ad LUDOVICUM GONOERINUM: ubi post relatos quatuor priorum *Conciliorum* Generalium hac de re Canones, subdit quadraginta septem Sanctorum Patrum, præsertim Pontificum Romanorum testimonia, quibus Metropolitica Jura asseruntur & vindicantur, obitérque notat ad Disciplinam spectare, ideòque mutationi obnoxia.

SECTIO XVIII.

De Usu, & autoritate Pallii, Ornamenti prædictis Prælatis communis, ac aliorum ergò sibi peculiaris, Regulæ è Corpore Juris desumptæ.

Consideratis duntaxat Juris Textibus, non alia circà Pallium discuti possunt quàm ista: I. Quid sit? II. A quo detur? III. Quibus, quâ de causâ, & quomodo? IV. Quæ onera, quæve Privilegia ipsi annexa? V. An alteri alterius Pallio uti liceat? VI An translatus Metropolitanus novo egeat Pallio? VII. An Archiepiscopatui renuncians sine Pallio diebus solemnibus Episcopale Officium celebrare possit? VIII. Qui ex illis diebus in Canone exprimantur?

Verùm duo præmittenda sunt, nempe circa Ornamenta Regulæ Generales, & Observationes quædam de antiquioribus, recentioribúsque circa Pallium Juris Canonici Textibus.

REGULÆ GENERALES CIRCA ORNAMENTA.

REGULA I.

Ex majoritate ac decore majori Ornatuum, majoritas apparet Dignitatum.
De Privileg. In 6. Lib. V. Tit. 7. Cap. 6.

REGULA II.

Ne vana sint Ornamenta, Privilegia Ornamentis annecti convenit.
DIST. C. Cap. 9.

REGULA III.

Cùm honoris augmento cura sollicitudinis accrescere debet, ut vestium cultui actiones respondeant. *Ibid.*

REGULA IV.

Quò illustrioribus insignitur quis Ornamentis, eò enixiùs in cunctis se studiis exercere debet, atque erga subjectorum actus cura ipsius vigilantior, ut hinc illis fiat ipsius exemplum, instructio, & vita magistra sit. *Ibid.*

Notandum I. antiquiorem circa Pallium Textum in Corpore Juris nullum occurrere quàm Cap. 1. DIST. C. Desumi dicitur ex PELAGIO I. circa ann. 557. illud scribente. Correct. Rom. circa illud notant BURCHARDUM, ANSELMUM, & Autorem Panormiæ illud citare ex Decretis DAMASI, quod si ita esset suppostitium censendum foret: sed de illius Autore quidquid sit, sunt in eo quædam quæ sæculi VI. disciplinæ convenire non videntur. Nempe 1. Quod sine Pallio Metropolitani non possent Suffraganeos consecrare, cùm certum sit, sive in Galliâ, sive in Hispaniâ, vix unum Metropolitanum per sex priora sæcula Pallium suscepisse, nam quoad Galliam de solo ARELATENSI fit mentio: Hic autem eùm esset Vicarius Apostolus Pallium ut Vicarius recipere potuit.

2. Quod Metropolitani intrà præfinitum tempus tenerentur Pallium petere, cùm inaudita fuerit his temporibus hæc obligatio, saltem quoad majorem Metropolitanorum partem.

3. Quod

3. Quod eo tempore elapso Metropolitani Suffraganeos consecrandi potestate privarentur.

4. Quod ea potestas ad alios Metropolitanos devolveretur.

5. Quod eo casu isti Metropolitani Sedis Apostolicæ consilium postulare deberent.

Nullum siquidem prædictis sæculis illarum rerum apparet vestigium; imò non desunt exempla opposita, præsertim circà devolutionem ad alios Metropolitanos, dùm eorum aliquis quæ sunt Officii sui negligit, cum juxtà Canones Metropolitani defectum supplere debeat Suffraganeorum antiquior, locúmque non habeat devolutio, nisi ratione societatis vel superioritatis, quales nullæ hic inter Metropolitanos. Hinc Van Espen in suo Commentar. in Dist. C. hunc Textum suspectum habet Pithæus ait: "Veterem Codicem illum tribuere Joanni VIII. *ann.* 877. creato."

Notandum II. ex Cap. 2. Dist C. inferri posse Pallii usum sæculo ad minùs præcessisse S. Greg. Pontificatum, cùm in eo doceat Gregorius priscam jam præcessisse circa Pallium consuetudinem. Prisca autem consuetudo, illa est quæ hominum memoriam excedit, qualis nulla habenda, nisi quæ saltem centenaria est.

III. Postremum Juris Textum de Pallio loquentem desumi ex Joann. XXII. circa ann. 1318. illum condente, & haberi Cap. 1. *De Autorit. & usu Pall.* Extravag. Com.

IV. Præter Dist C. cujus singula Capita, excepto septimo, Pallium unicè respiciunt, Titulos *De Usu & Autoritate Pallii*, quorum alius est apud Greg. IX. alius legitur in Extravagantibus Communib. ad solam Pallii tractationem factos, non alios Textus circà Pallium reperiri quàm Cap. 3. Caus. XXV. Quæst. II. Cap. 56. *De Consec.* Dist. 1. Cap. 428. *De Elect.* Cap. 15. *De Præsumpt.*

V. Pallium dici à B. Petri corpore assumi Cap. 4. *De Elect.* quia benedicitur super Altare, quò B. Petri corpus tegitur, eâque ceremoniâ Pallium obtinentes, cum Beato Petro tamquam membra de membro habere, & Catholici Capitis unitatem servare declarari.

REGULA V.

Ex indicatis Canonibus deducitur, Pallium cum omnibus suis privilegiis concessum, non esse aliud quàm insigne potestatis suprà alios Episcopos, Divinâ vel Humanâ autoritate attributæ.

Regulæ veritas ex dicendis patebit: Patet etiam ex eo quòd Pallium dicitur insigne plenitudinis Officii Pontificalis. Plenitudo autem ista consistit in eo quod Officium Pontificale exercere quis potest, non solùm in oves & Pastores secundi Ordinis, sed etiam in Pastores primi Ordinis.

Hinc sequitur quòd, etsi Pallium designet plenitudinem Pontificalis Officii, non eamdem designare debeat, cùm latior ampliórque sit in quibusdam Pallium habentibus quàm in aliis. Idcirco etsi Cap. 23. *De Privil.* Cap. 4. *De Elect.* de Pallio in genere dicant plenitudinem Pontificalis Officii designare, Cap. 4. *De Autor & Usu*, de eodem, prout est in Papa, loquens, asserit designare plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ.

Contra secundam Regulæ partem objici potest, Pallium non esse insigne potestatis, quàm sine Pallio exercere fas est; Jurisdictionem autem in Pastores primi ordinis à Metropolitano hujusmodi esse, cùm Metropolitanus confirmatus Jurisdictione suâ potiatur. Verùm Respondetur: 1. Pallium insigne esse potestatis anteà habitæ. Non repugnare 2. confirmatum ante Pallium Jurisdictione suâ plenè ac integrè non frui, cùm sicut alii simpliciter confirmati, circà ea quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, nihil statuere valeat. Cap. 5. *De Elect. in fine.*

REGULA VI.

Duo tantùm sunt Personatum genera, quibus competat Pallium aliis concedere, nempe Papa & Patriarchæ.

REGULA VII.

In concessione Pallii, in hoc differt Papa à Patriarchis, quod à nemine illud recipiat, ipsis Patriarchis, aliisque omnibus, qui illius capaces sunt, det, vel dare potest: Patriarchæ verò solis Suffraganeis dare possint, idque duntaxat postquàm à Papa illud receperint. Differt etiam in eo quod Papa permittere potest impetranti, ut extrà Districtum suum eo utatur.

Hæc quoad Primam Partem, & præcedens Regulæ *in* Cap. 23. *De Privileg.* leguntur. Quoad secundam *in* Cap. 5. *De Autorit. & Usu.*

REGULA VIII.

Quatuor sunt Personarum genera quibus dari, vel datum esse Pallium, in Jure leginius: 1. Patriarchæ. 2. Legati, vel Vicarii Apostolici. 3. Metropolitani. 4. Episcopi.

REGULA IX.

De Patriarcharum Pallio expressa mentio non fit, nisi in Cap. 23. *De Privileg.* desumpto ex *Concil.* Later. IV. *Sub* Innoc. III. *habito. ann.* 1216.

REGULA X.

Vicariorum Apostolicorum Pallii meminere tantùm Cap. 10. Dist. C. in quo Greg. ann. 594. Joanni I. Justinianæ Episcopo concedens Pallium, vices suas committit; & Cap. 3. Caus. XXV. Quæst. II. in quo idem Greg. ann. 604. commissam Sedis Apostolicæ Autoritatem Episcopo Arelat. per totas Gallias exprimere volens, pro Gallis Pallium accepisse dicit.

REGULA XI.

Metropolitanorum Pallium commemorant omnes ferè Juris Textus, qui de Pallio loquuntur.

REGULA XII.

De Pallio Episcopis dato mentionem duntaxat faciunt Cap. 5. 9. Dist. C. in quibus Greg. ann. 599. de Pallii concessione Siagrio Episcopo Augustodunensi à se factâ, loquitur. Cap. 15. *De Præsumpt.* in quo Innocent. III. Episcopum Quinquecclesiensem, in juventute suâ meruisse ab Ecclesia Romana Pallio decorari dicit.

Sunt qui existimant VI. sæculo Pallium non concessum, nisi Vicariis Apostolicis; suam autem probant sententiam per Textus, in quibus Apostolico Vicariatui connectitur Pallium, sed præcipuè per Cap. 3. Caus. XXV. Quæst. II. in quo Greg. Augusto Anglorum Episcopo prohibens, ne per Gallias transiens inconsulto Arelat. Episcopo ibidem aliquid agar, hanc affert causam, nempe quod ab antiquis Prædecessores sui Pallium illi concesserint.

Verùm sententiam istam refellit Cap. 8. Dist. C. In hac enim S. Greg. ann. 593. Joanni Episcopo Ravennati scribens, insinuat commune tunc temporis fuisse Metropolitanis omnibus Pallii Ornamentum, dùm hujus Metropolitani circa Pallium usui, aliorum Metropolitanorum circà idem Pallium morem objicit, tamquam consuetudinem generalem particulari

con-

consuetndini; additque quod si illins usus privilegio non firmetur, deserere illum debeat, ne aliis Metropolitanis malum exemplum præbeat.

REGULA XIII.

Ad Causas propter quas Pallium datur, reducitur quodammodo Formula Concessionis à PITHÆO relata sub Cap. 1. *De Autorit & Usu*, cujus hæc sunt verba: *Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ N. & Romanæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de Corpore B. Petri sumptum, iu plenitudinem scilicet Pontificalis Officii, ut utaris illo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in Privilegiis Ecclesiæ tuæ, à Sede Apostolica concessis.*

Formulam hanc à Glossa sumpsit PITHÆUS, Cap. 4. *De Au:orit. Pallii*, Verbo *Ad honorem.* Hinc enim patet propter quem finem Pallium detur, nempe ut impetrans illo ita utatur, ut ipso usu honoret Deum, quo nomine, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus comprehenditur, Matrem Dei, Ecclesiam Romanam, ipsiúsque Patronos Petrum & Paulum, Papam concedentem, impetrantis Ecclesiam.

REGULA XIV.

DE MODO.

Circa Pallii tradendi modum duo tantùm in Corpore Juris leguntur.

1. Dato commodo Pallium dari prohibetur, eadem de causa, quâ Sacri Ordines, aliæque spirituales res gratis conferri præcipiuntur. Cap. 3. DIST. C. ubi S. GREG. ann. 591. JOAN. CORINTH. Episcopo scribeos, postquàm narravit antea non datum fuisse Pallinm, nisi dato commodo, idque JOANNEM non ignorare, addit, factum Concilium ante corpus Beati Petri Apostolorum Principis, tàm de hoc, quàm de Ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuisse. Unde conjicere fas est alios quàm Summos Pontifices tunc Pallium dedisse, cùm de PALAGIO *Juniore* GREGORII proximo Prædecessore viro alioquin sanctissimo, credere non sit, accepto commodo, Pallium tradidisse.

II. Non obstante quâcumque criminis, vel defectùs objectione, Pallii traditio facienda est, nisi objicientes firment corporali juramento, se id malitiosè non agere, sed objecta vera esse se credere, & de objectis offerant promptam fidem facere, & nihilominùs ad pœnam talionis, seu extraordinariam se obligent arbitrio Præsidentis. Promptam hîc fidem facere est intra bimestre, à die Collationis, objecta probare. Cap. un. *De Autorit. &c.* EXTRAVAG. COM. Hanc Constitutionem edidit Avenione. ann. 1318. JOAN. XXII. Similis est autem Constitutioni habitæ Cap. 4. *De Elect.* similémque habet causam, nempe injustas Pallii traditioni oppositiones similes his, quæ electionis confirmationi fiebant.

REGULA XV.

Alligata à Jure Pallio onera, non alia sunt quàm ista.

1. Ut qui illnd expetit, & fortiter postulet, ac anteà illud meruerit. Cap 2. DIST. C. in quo S. GREG. dicit: „Priscam Consuetudinem obtinuisse, ut non „dandus sit Pallii honor, nisi exigentibus causarum „meritis, & fortiter postulanti„.

Unde sequitur tunc temporis non datum fuisse Metropolitano, sed tantùm benè merito, & instanter petenti, ideóque non consideratum fuisse ut rem Metropolitanæ Dignitati debitam, sed tamquàm gratiam à concedentis voluntate pendentem.

II. Ad impetrandum Pallium oportet etiam ut Papæ fidei professio mittatur propria petentis subscriptione munita, in qua Universalium Synodorum & Decretalium Pontificum mentio fiat, ac ut qui illam fert, vel alius, eamdem jurejurando firmet. Cap. 4. *Ead.* DIST. C. in quo JOAN. VIII. VULIBERTO, Episcopo AGGRIPINENSI scribens, utrumque expressè docet; atque, quod notandum, Concilia Generalia ut Decretalibus Pontificum potiora præmittit. De eod. professionis onere meminit quoque Cap. 1. *ejusdem* DIST.

III. Fidelitatem, obedientiámque Sedi Apostolicæ jurare tenetur, qui Pallium habere vult, ídque præscriptâ ab illa Sede formâ. Cap. 4. *De Elect.* in quo PASCHAL. fortè II. Archiepiscopo scribens, cujus Sedes minùs remota ab Urbe Roma erat quàm ipsa Dacia, uc patet ex *integra Decret.* Cap. 21. *De Elect. Collect.* 1. conqueritur Reges & Regni Majores hujus Ditionis non probasse, ut scriptum ab ipso juramentum Apocrisiani ipsius ab illo Archiepiscopo exigerent.

IV. Ut quibus conceditur Pallium, extrà Missarum solemnia illo non utantur, ideóque nec extrà Ecclesiam, nec aliis diebus, quam qui in Ecclesiæ ipsorum Privilegio expressi sunt. Cap. 6. DIST. C. in quo S. GREG. id præcipit VIRGILIO ARELAT. Cap. 7. *De Autor. & Usu*, etsi post completa Sacra processionaliter eant. Nec extrà Provinciam suam, aliúmve Districtum, nisi justa de causa sibi id Sedes Apostolica permittat, atque is in cujus Districtu Pallio uti voluerit consentiat. Cap. 7. *De Autor. & Usu*, in quo HONOR. III. id ita præscribit Archiepiscopo LUGDUN. Cap. 5. *ejus. Tit.* in eo INNOC. III. Archiepiscopo COMPOSTELLANO scribens, hæc tria expressè præcipic; prætereáque docet consuetudinem, qua contrarium fieret, corruptelam esse.

V. Ut si quæ sit peculiare aliquid promittendi necessitas id promittatur. Cap. 5. DIST. C.

VI. Ut Metropolitani ante receptum Pallium, neque Synodum convocare queant, conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & consecrare Episcopos; etsi illa omnia delegare possint, dummodò confirmati fuerint. Cap. 11. *De Elect.* in quo ALEX. III. docet Metropolitanum confirmatum, non accepto Pallio, Suffraganei sui Consecrationem posse delegare; unde alia valet consequentia.

Circa quod onus Notandum: Ex illo colligi, Metropolitanum in iis obeundis muniis Pallio uti teneri: an autem in aliis casibus, in quibus sibi Pallii usus conceditur, illo uti teneatur dubitari posse, cùm cuilibet liceat renunciare suo Privilegio; attamen verosimillimum esse ad id teneri, quia illud Privilegium in sui ipsius commodum non est concessum, sed in honorem Ecclesiæ, cui præest. Nec obstare Cap. 7, *De Autorit. & Usu*, in quo dicitur Archiepiscopum posse sine Pallio celebrare, id enim de diebus intelligendum, quibus Pallii usus non conceditur.

Notandum quoque Cap. 4. *De Elect.* Metropolitano non prohibere, ne sine Pallio convocet *Synodum*, sed ne illam celebret: Inter utrumque autem grande discrimen; nam ad celebrationem *Synodi* evidenter necessarius est Pallii usus, cùm Missa initio *Synodi* solemniter celebranda Metropolitano reservetur, is autem illam sine Pallio celebrare non valet, ad convocationem verò *Synodi* nulla est usûs Pallii similis necessitas.

Notandum etiam in *eod. Cap. in parte decisa*, Paschalem docere Consuetudinem introduxisse, ut non accepto Pallio, Episcopos consecrare, Synodum celebrare, Metropolitano non liceat, eámque vigere in tota Europa, unde insinuat alibi locum non habere.

Notandum iterùm Cap. 28. *De Elect.* Metropolitanis Romà valdè remotis permittere, ut ante acceptum Pallium ministrent, cujus permissionis hanc affert causam: Non modicum Ecclesias illarum Regionum passuras detrimentum, si ad hoc, ut illas possent administrare,

Metro-

Metropolitani Pallium expectare tenerentur, cùm nimium à receptione Regalium retardarentur; hæc autem causa, cùm solam temporalium administrationem respiciat, ad illam videtur permissionem restringere; sed verosimillimum est allatam causam non unicam fuisse licentiæ prædictæ, etsi unica exprimatur; cùm improbabile videatur Inn. III. hujus Capitis Autorem, virum alioquin Ecclesiasticæ utilitatis studiosissimum, hac in licentia attendisse magis temporale quàm spirituale Ecclesiarum commodum.

Notandum adhuc inter exempla remotarum Romà Regionum Innoc. Franciam, Angliam, Allemanniam, recensere: Quæ exempla cum ipsa licentia resecuit Raimundus de Pennafort non ex odio invidiàve in Franciam, cùm resectio hæc Anglos & Allemannos æquè respiciat ac ipsos Gallos, sed ex eo quod de Privilegio, quo Episcopi remotarum Regionum ministrare possunt ante Confirmationem, alia pleniùs loquantur Capitula sub *eod. Tit.* comprehensa: Quale Cap. 44. *De Elect.* Pars autem resecta Privilegium istud respiciat. Nec obstat quod in ea Parte resecta de potestate administrandi ante acceptum Pallium sermo fiat; nam in præsenti casu Metropolitanus ideo solùm potest, non accepto Pallio, ministrare, quod id possit ante confirmationem.

Notandum denique, *Cap. 6. De Autor. & usu Pal.* in quo dicitur Metropolitanum, ubicumque fuerit in Missarum celebrationibus constitutus, diebus solemnibus Pallio uti posse, explicandum esse per *Cap. 4. Ejus Tit.* quod docet Metropolitano extrà Ecclesias suæ Jurisdictionis Pallio uti non licere. Tancred. illud ita exponit.

Circa idem sextum onus non omittendum, mirum omnino videri, quæ sunt Jurisdictionis Metropolitano Pallium non habenti permitti, quæ verò ad Episcopalem Ordinem pertinent prohiberi; cùm Pallium aliud non sit quàm eminentioris potestatis insigne, Ordinis verò potestas in Metropolitano eminentior non sit, quàm in simplici Episcopo; sed mirandi causam cessare attendenti Metropolitanum Pallio non uti, nisi dum exercet Pontificalia, quæ ad Ordinem pertinent, eo autem Ornamento talia exercentem decorari, quia quò majori gaudet Jurisdictione eò majoris est Dignitatis.

Septimum onus, eos qui apud Sanctam Sedem Pallium accipiunt, dumtaxat respicit, in eóque consistit, ut antequam ab illa discedant literas traditionis Pallii obtineant, quo omisso discedentes ab Ecclesiarum & Monasteriorum apud eamdem Sedem obtentorum proventibus suspenduntur, donec literas hujusmodi impetraverint. Cap. 1. *De Elect.* Extravag. Com.

REGULA XVI.

Pallio annexa olim Privilegia pro concedentis Papæ voluntate extrà dubium est.

Colligitur Regula ex Cap. 11. Dist. C. in quo Greg. Episcopis Epiri scribens, *ann.* 595. ait: „Se „Nicomediæ Episcopo Pallium cum Privilegiis, quæ „Prædecessores Pontifices illius Prædecessoribus con- „tulerant concessisse„. Colligitur etiam ex *Cap. 7. De Autor. & usu,* in quo Honor. III. Archiepiscopo Lugdun. scribit, ipsum ex privilegiis cum Pallio concessis decidere debere propositam ab ipso quæstionem: Nempe, *An pro defunctis cum Pallio celebrare posset.* Colligitur quoque ex Cap. 10. Dist. C. & ex Cap. 3. Caus. XXV. Quæst. II. in quibus Pallio annexus videtur Vicariatus Apostolicus.

REGULA XVII.

Non aliud nunc sequi videtur Pallii concessionem Privilegium, quàm liberum, diebus concessis, Pontificalis Officii cum eo ornamento exercitium.

Hanc circa Regulam Nota, ex obtento Pallio aliud Metropolitanum consequi commodum: nempe, quod aliis diebus idem Pontificale Officium exercere valeat, cùm Pallio non accepto id nequeat. Cap. 4. *De Elect.* Sed in illo Pallii commodo nullum inest Privilegium, sed potiùs oneris genus, quo pejoris sit conditionis Metropolitanus quàm simplex Episcopus, cùm iste statim ac consecratus Episcopalem Ordinem exercere possit, Metropolitanus etsi consecratus id non possit, nisi Pallium acceperit.

Nota iterùm hinc alio frui commodo: nimirum quod juxta *Cap. 3. De Autor. Pallii*, Archiepiscopus appellari possit; sed nec hoc etiam privilegii nomen meretur, cùm ante Pallium rem ipsam pene totam in ipsa Archiepiscopatûs administratione ferè integra habeat.

REGULA XVIII.

In Papa Pallium peculiaria hæc habet.

I. In illo Ecclesiasticæ potestatis plenitudinis insigne est. *Cap. 4. De Autor. & usu.*

II. Illo semper & ubique uti potest, ideóque tàm extrà quàm intrà Missarum solemnia, tàm extrà Ecclesiæ terras quàm in illis. *Ibid.*

III. Pallium cùm à nemine recipiat, ratione Pallii tenetur nemini juramentum, vel fidei professionem facere. Tertius Articulus adeò patet, ut illum probare opus non sit.

REGULA XIX.

Personæ, cui conceditur Pallium, ita proprium est, ut alteri commodare nequeat, atque, ut nemini serviat, cum illo sepeliri debeat. Cap. 2. *De Autor. & usu.*

REGULA XX.

Quòd Metropolitanus translatus in aliam Metropolim, novo egeat Pallio, dubitare non licet.

Cap. 4. *De Postulatione* id manifestè docet: In eo enim Inn. III. Metropolitani Colocensis in Metropolim Strigon. postulationem admittens, hæc habet: „Metropolitanum Colocensem, ab Ecclesiæ „Colocensis vinculo absolventes, in Metropolim „Strigoniensem transferimus, Pallium ei ad no- „men & usum ejusdem Ecclesiæ transmissuri„. Quibus postremis demonstrat quemlibet Metropolitanam Ecclesiam peculiare suum habere Pallium. Idem præterea colligitur ea annexorum Pallio Privilegiorum inæqualitate.

REGULA XXI.

Archiepiscopus ad Episcopatum translatus, sine Pallii usu Episcopale Officium exercere valet. Idem dicendum de illo, qui Archiepiscopatui renuncians, Episcopale munus exercendi facultatem obtinet. *Cap. 9. De Renunc.*

REGULA XXII.

Dierum, quibus Papæ inferioribus usus Pallii conceditur, nullus in Corpore Juris Canonici nominatim exprimitur, præter diem Cœnæ Domini. Cap. 56. *De Consecr.* Dist. I. in quo Nicol. I. ait: „Hoc die Pallio uti licere, quibus à Sede Apostolica „est permissum„.

Cir-

Circa eic. locum adverte NICOLAI I. verba duplici modo explicari posse. 1. Ita ut sensus sit, Pallio uti posse die Cœnæ Domini, quibuscumque Pallii usus concessus est. 2. Ita ut NICOL. velit tantum, hoc die Pallii usum licitum esse, quibus hoc die permissus est. Sed si posteriori modo explicetur, nihil hic dicit quod scribere ullatenus necesse sit vel utile.

Circa alios dies, quibus Pallii usus licitus est, sciendum est illos solemnium nomine designari: Hinc cùm dies Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes cum diebus sequentibus, dies Annunciationis, Assumptionis, Navitatis B. Virginis, dies omnium Sanctorum, sint apud omnes fideles solemnes, his diebus Pallii usum permitti oportet; cùm verò in qualibet Provincia peculiares sint solemnitates, illis Pallio uti licere necesse est.

Sciendum etiam illorum nonnullos denotari per Sacra Munera, quæ his diebus exerceri solent, quæque sine Pallio Metropolitanus obire non potest.

Hinc dies Quatuor Temporum, aliique, quibus Ordines conferri consueverunt, denotantur per Ordinationum munus Metropolitano interdictum antequàm Pallium acceperit.

Sciendum præterea *Gl. in* V. *Ad honorem.* Cap. 4. *De Autor. Pallii*, dies, quibus licitus est Pallii usus, notavisse, sed diem *Synodi* celebrationis omisisse.

SECTIO XIX.

I. An occurrant casus, in quibus Metropolitanus possit dare Magnos, seu Generales Vicarios suis Suffraganeis?

II. An, cùm Metropolitanus non potest, Concilium Provinciæ illud posset?

III. Posito quod Concilium potestatem illam haberet, quibus in circumstantiis, & quomodo valeret?

Inter ea, quæ pendent ab Episcoporum potentia, multa sunt, quæ conscientiæ eorum derelinquuntur; sive quia exigunt notitias particulares locorum & personarum, quas alii non habent; sive quia ad ea facienda teneri non possent, quin exponerentur periculo peccandi; sive tandem quia agitur de puris gratiis, quas nemo jus habet ab illis exigendi. Hujus generis sunt inprimis Recusatio Tonsuræ, Ordinum, aut Dimissoriarum, Denegatio approbationis, tùm ad prædicandum & audiendum peccata, cùm ad administrandum Sacramenta. Idem de his hujusmodi recusationibus ac de absolutionis denegatione, quam necessarium est relinquere conscientiæ Confessariorum, & judicium Domino remittere.

Itaque quoad has Recusationes & alia similia, necnon & Revocationem potestatum prædicandi, & administrandi Sacramenta, certum est Metropolitanum, neque *Concilium* Provinciale posse unquam dare Vicarios Generales Episcopis Provinciæ: Itaque res est inaudita, quod pro Recusatione Tonsuræ, aut Ordinum, aut Dimissoriarum aditus sit Metropolitanus, aut *Concilium*, quin imò attenderint ad tales querelas, & nihilominus occasio talium recursum sæpè oblata est, prætentione multorum Religiosorum, posse audire peccata sine approbatione Episcopi, qui illam ipsis denegabat, aut revocabat: Unde *Edicta Regia*, in casu Recusationis Provisionum, in casu Collationis necessariæ, aut Denegationis literarum dictarum *Visa* ad Beneficia impetrata, remittunt ad Superiores Episcopi denegantis, *Art. 6. Edicti Jurisdictionis*, & cogunt Recusationis actum dare, & in eo causas exprimere; vetant ne prædicent aut audiant peccata illi, quibus Episcopus facultatem non concessit, & non cogunt illum, ut causas afferat non solùm Recusationis, sed etiam Revocationis potestatum concessarum; quamvis hæc fiat ante terminum finitum, *Act.* 11. *Ejusdem Edicti*. Unde etiam accidit, ut Ordinationes etiam anteriores *Edicto* semper declaraverint non esse abusum in Recusatione, aut Revocatione talium potestatum. *Antiqua Cleri monumenta* TOM. I. *p.* 711.

Unde etiam nullus est Canon, neque vetus Consuetudo, neque Privilegium Sanctæ Sedis, quod det auctoritatem Metropolitano, cognoscendi de concernentibus tales Recusationes, aut alia similia, & nihilominus Metropolitanus, nullam habet potentiam in Suffraganeos, quàm illam quam accepit, aut à Canonibus, aut ab antiqua Consuetudine, aut Privilegio Apostolicæ Sedis. Cap. 9. *De Offic. Jud. Ordin.* expresse illud dicit, missum est ad Archiepiscopum TURONENSEM juxtà Inscriptionem Communem. Idem videtur *in Can.* 8. CAUS. IX. QUÆST. III. scripto à NICOLAO I. ad Archiepiscopum BITURISENSEM. Quod illi Canones dicunt de Metropolitano, extenditur quoque ad *Concilium* Provinciale, cui Præses est: Nam 1. Autoritas hujus *Concilii* in Episcopos Provinciæ, est tantùm Institutionis Humanæ, quamobrem debet dirigi, à Canonibus, aut à Consuetudine, aut à Privilegio Sanctæ Sedis; & nullo modo probatur *Concilium* Provinciale acquisivisse aliquam ex istis viis potestatem cognoscendi de querelis circa Recusationem aut Revocationem potestatum merè gratiosarum.

QUÆSTIO I.

Cùm tribuntur Vicarii Generales Episcopis dantur & Adjutores: Undè hæc verba sunt synonima: Undè *Caput* 14. *De Off. Jud. Ordin.* nomen imponit Vicarii Coadjutori ab Episcopo assumpto in locis suæ Diœcesis, in quibus lingua particulari loquuntur homines, & quibus sunt ritus peculiares & proprii; & *Caput* 15. *ejusdem Tit.* vocat Coadjutores, Vicarios, quibus Episcopus committit Prædicationes, quas ipse deberet facere; necnon & illos, quos eligit ad imponendas istas suo loco pœnitentias.

Coadjutores autem sunt multiplicis generis: Alii sunt in titulo, & hi cum spe futuræ successionis, quia Episcopo designati Successores; & hi communiter habent omnes functiones, tùm Ordinis, tùm Jurisdictionis, & perpetuò manent: Alii sunt per commissionem, quæ si generalis sit, sunt tanquam Vicarii Generales, cum hac differentia, quod Vicarii Generales collocantur tantùm ad exercendam Jurisdictionem, & Coadjutores Generales Episcoporum committuntur ad functiones Ordinis, eodem modo atque ad Jurisdictionis functiones: Quod si limitetur facultas data, sunt illi Vicarii Particulares; ut Theologales sine titulo, quorum potestas terminatur ad prædicandum & lectiones dandas, Pœnitentiarii per commissionem, qui nullas habent functiones præter illam, quâ exercent potestatem præcipuam Episcopi circa Sacramentum Pœnitentiæ. Cap. 15. *De Off. Jud. Ordin. citato.* vel unam ex illis.

Ejusdem secundi generis essent illi, qui committuntur tantùm ad providendum Beneficiis, aut ad administrationem temporalis. Itaque qui peteret an Metropolitanus possit concedere Magnos Vicarios Episcopis Suffraganeis, ille exposceret an possent illis tribui Coadjutores, aut Generales, si sint pro omnibus functionibus Episcopalibus, aut Particulares, si nominentur ad exercendam aliquam e potestatibus Episcopalibus.

Causæ autem propter quas possunt dari Magni Vicarii, aut Coadjutores, sunt quoque multiplicis generis: Aliæ sunt tantùm simplices incapacitates fungendi Muneribus Episcopalibus, provenientes, sive ex defectibus animi, ut sunt Dementia, Furor, Imbecillitas; sive ex vitiis corporis, ut sunt Paralisis, aut Lepra, aut omnis alius morbus insanabilis: Aliæ sunt veræ indignitates ex vitiis cordis ortæ, ut 1. Negligentia acquirendi scientiam necessariam, aut providendi gregis necessitatibus. 2. Dissolutio morum. 3. Dissipatio bonorum Ecclesiasticorum. 4. Prava distributio Beneficiorum aut Officiorum.

Quoad defectum scientiæ credi posset, quod quemadmodùm Episcopus potest dare Coadjutores Pastoribus

toribus indoctis ad tempus, nempe usque dùm acquisiverint scientiam necessariam. *Cap. 6.* Sess. II. *De Ref.* Metropolitanus eandem habet potestatem in Episcopos imperitos; sed esset error & illusio in tali cogitatione; nam neque Canon, neque Consuetudo, neque Privilegium Sanctæ Sedis, tribuit talem Metropolitano potestatem. Quoad Canones, duos tantùm animadversione dignos agnoscimus, qui referuntur in Collectione Greg. IX. Primus est *Cap. 10. De Renunciat.* quod docet, defectum peritiæ sufficientis, aut competentis in Episcopo esse justam abdicationis causam.

Alter Canon est *Cap. 15. De Ætat. & Qual.* quod asserit, Episcopum, qui latinè non audit, deponendum esse, & in nullo hujus Dignitatis viro tolerari posse tantum vitium, quin in Deum peccetur & in Sanctiones Canonicas; creditum est non posse dari Coadjutores Episcopis ignorantiæ causa; ne Episcopalis Dignitas marcesseret, quæ exposceret scientiam eminentem. *De Renunc.* Cap. 10.

Quoad morbum insanabilem, quo fimus incapaces functionum Episcopalium, videmus in *Cap. 5. De Cler. Ægr. vel Debilit.* cùm Episcopus Arausiacus, in talem morbum incidisset, & Diœcesis toleravisset per quatuor annos ejus agendi impotentiam, Principem & incolas Urbis adiisse Archiepiscopum Arelatensem hujus Metropolitanum, ut provideret eorum opportunitati, & hic, cùm consuluisset Innocentium III. Summus Pontifex jussit, ut daretur illi Coadjutor utilis Pastori & gregi, & optionem tantùm reliquit Metropolitano, quia, cùm esset in loco, & cognosceret utriusque necessitates, poterat præ alio eligere aliquem aptiorem.

Sed quamvis iste Papa agnovisset in Metropolitano jus tribuendi Coadjutores Suffraganeis, quod non est, Bonif. VIII. huic Canoni derogavisset, & omni alteri simili, si quis est, Cap. unico, *De Cleric. Ægrot. vel Debilit. In 6.* in quo declarat, spectare ad Summum Pontificem, ut det Coadjutores Episcopis, & hanc rem ex illis esse, quæ vocantur Causæ Majores; nec contentus hac declaratione generali & absoluta, applicat illam: 1. Ad casum Episcopi, quem senectus, aut aliquis morbus perpetuus impedit, ne unquàm fungatur Muneribus Episcopalibus, asserens quod in hoc casu Episcopus possit sibi eligere unum aut duos Coadjutores, ex consilio & consensu Capituli: nec loquitur de interventu Metropolitani: 2. Illam apponit adhuc ad casum, in quo hic Episcopus nollet sibi tribuere Coadjutorem; quamvis de hoc requireretur à Capitulo, & sibi reservat huic providere, conquerente Capitulo, quod tenebitur exequi accuratè, quod Papa statuerit: 3. Adjungit illam etiam ad casum, in quo Episcopus rationis usum amittit; statuit quod tunc Capitulum mittat ad Sanctam Sedem, ut his provideat.

Cùm Episcopus in suspicionem venit incontinentiæ cum aliqua muliere, Metropolitanus jus habet illum monendi; si verò post tres monitiones, deprehendatur loqui, aut conversari alio quocumque modo, debet ille judicari secundùm Canones; sed non statutum est quod jus habeat ipsi dandi Magnum Vicarium: Quod si quis Episcopus convincatur cum aliqua muliere malè rem gessisse, Metropolitanus, tanquam Executor Canonum *Conciliorum* habitorum aut acceptorum in Provincia, debet curam habere ut ea mandentur executioni: Unde si Canon VIII. *Concilii* Toletani anno 853. ibi vigeat, pertinet ad ipsum, ut declaretur Episcopatu suo privatus. Conc. Tom. VI. *p.* 405.

Si accideret, ut aliquis è Suffraganeis in habitu esset venandi, cum canibus & avibus rapacibus, in hoc casu Metropolitanus posset & deberet illum monere, Cap. 1. *De Clerico Venatore*, illum excommunicare, *id est*, illum suspendere tres menses, sed non fundaretur, ut illi tribueret Magnum Vicarium.

Idem dicendum est, si qui frequentarent spectacula, posset illos monere, *Concilium* VI. Parisiense *habitum anno* 829. *L.* 1. C. 38. probare multis Scripturæ locis hanc actionem esse eò indigniorem homine, quòd sit in minoribus Christianis damnanda; sed non esset casus, ut daretur illi Magnus Vicarius.

Posito quod locus Diœcesis ab Episcopo deficeret, & cùm non posset illum pati, nullum vellet accipere Pastorem Presbyterum Vicarium, qui veniret ab illius parte, non esset hic casus; in quo Metropolitanus posset ponere Magnum Vicarium in hoc loco, nisi Episcopus secreto consentiret, ut qui ad hoc electus esset operam poneret in pacandis rebellibus: Aliter susceptum illud esset in jura aliena; nam nulla neque Regio, neque Consuetudo; neque Privilegium tradidit, aut acquisivit talem facultatem Metropolitano, sive in generali, sive in particulari; & cùm illam accepisset primo modo, non deberet ea uti hoc in casu, nam non posset, quin autoritatem daret rebellioni, & cùm progressus faceret, aliis præberet occasionem ipsum imitandi. Reverà cùm Episcopus, infelici quodam exitu, toti suæ Diœcesi displicet, ita ut in spem non veniat operari bonum, potest abdicare, quamvis in se sit vir probatus & in agendi ratione; *Cap. 10. De Renunciat.* sed non potest ad id compelli, nec possunt illi tribui Magni Vicarii invito eodem; nam ille deponeretur pro culpa aliena, innocens pro reo; pateretur committere simul & condemnare illum, qui deberet absolvi, & illum absolvere, qui damnandus esset, malitiæ tribuere commodum in pietatem; si autem Episcopus privaretur administratione alicujus suæ Diœcesis loci, solum quia in eo injucundus est Plebi, ferret sine justa causa partialem abrogationem, quæ, ut totalis, non potest meritò statui, nisi in pœnam alicujus peccati horrendi.

Quin imò aut Magnus Vicarius, qui constitueretur in hoc loco, subjiceretur Episcopo, aut ab illo non penderet; si subderetur illi, displiceret Plebi, quæ supponitur non posse tolerare illos, qui Episcopo conjuncti sunt; si esset independens, esset aut apertum Schisma declaratum & manifestum, cùm pars gregis suum non agnosceret Pastorem, & in eadem Diœcesi duo essent Capita, nec juridicè divelleretur ab ista portione Pastor constitutus. Hæc ut confusio vitetur, si Episcopi in Diœcesi sint populi variarum Linguarum, & ritus diversi, non licet cuique populo Episcopum tradere, ne duo capita in eodem corpore collocentur, sed tribuendus est populo, qui in Lingua & ritu ab Episcopo differt, Magnus Vicarius, à quo regatur jubente Episcopo: Prohibemus autem omninò, ne una eadémque Civitas, sive Diœcesis, diversos Pontifices habeat, tanquàm unum corpus diversa capita, quasi monstrum; sed si propter prædictà, urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci Præsulem Catholicum Nationibus illis conformem, provida deliberatione constituat sibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus.

Sed, *inquies*, Metropolitanus potest dare Magnum Vicarium & Officialem omni Diœcesi, si Capitulum, Sede Vacante, negligat aliquem constituere intrà octo primos dies vacationis, aut aliquem statuat dotibus necessariis non ornatum. *Cap.* 16. Sess. XXIV. A fortiori poterit aliquem constituere in quodam Diœcesis loco, dùm Sedes repletur. Non sanè rectè quilibet sic ratiocinaretur; nam 1. Ut tribuatur hæc facultas Metropolitano, necessaria fuit Lex expressa *Concilii* Generalis: 2. Hæc Lex ad solum Capitulum pertinet, & nullo modo ad Episcopum, quia nullus Canon cogit ad collocandum Magnum Vicarium; reverà in Gallia tenetur Officialem constituere; sed nihil probat, quòd si fortè non imponatur ab eodem Capitulo, Metropolitanus hujus defectui possit supplere: 3. Hoc *Edictum* est pœnale, cùm privet jure nomi-

nominandi Vicarium aut Officialem in pœnam negligentiæ, qua nullus intra tempus definitum nominatus fit, atque ideò non poteſt extendi ad Epiſcopum, quia punitiones, ſicut alia, quæ ſunt odioſa, ad caſus expreſſos reſtringi debent. 4. Cùm Capitulum ſit conditionis infimæ Epiſcopo, concludi non poteſt Metropolitanum poſſe conſtituere Magnum Vicarium in parte Diœceſis, dum vivit Epiſcopus; quod poſſit unum collocare in gratiam omnis Diœceſis, illud ſupponit Capitulum negligere aliquem eligere intra præſcriptum tempus; nam ut ratiocinium rei gravioris, ad rem minimam locum habeat, par eſt ut ſit æqualis conditio hominum ad quos applicatur. 5. Non videtur Canon objectus apud Gallos acceptus, etiam quoad Capitulum negligens. 6. *Cap. 4. De Supplem. Negl. Prælat. in 6.* oſtendit Metropolitanum majori poteſtate valere in Capitulum Eccleſiæ vacantis, quàm in Epiſcopum viventem; nam permittit, ut detur Viſitator & Adminiſtrator huic Capitulo, ſi adminiſtret Spirituale & Temporale cum ſocordia, aut alio aliquo modo vituperando, & nullo Textu huic licet idem agere ergà Epiſcopum, qui ſimiliter peccaret, ſi negligeret Epiſcopus viſitate certam plagam in Diœceſi ſua ſitam, in ea Confirmationem adminiſtrare, dare Vicarios ad adjuvandos Parochos, aut Confeſſarios in gratiam Monialium, vices gerentes Paſtorum pro Parochiis vacantibus; Presbyteros pro directione Noſocomiorum, & duraret multos per annos negligentia, non eſſet hæc cauſa propter quam Incolæ poſſent recurrere ad Metropolitanum, ut obtinerent ab eo Magnum Vicarium, qui ſuppleret defectui Epiſcopi, ob illas omnes hujuſmodi negligentias; nam devolutum Epiſcopi ad Metropolitanum locum habet tantùm in caſibus in jure expoſitis. *Cap. 1. De Supplen. Neglig. Præl. in 6.* in quo BONIF. VIII. hoc principio nixus decidit, quod, cùm Suffraganei in excommunicationem inciderunt, jus eorum non ideò tranſit ad Metropolitanum, & abrogat *Edictum* Archiepiſcopi RHEMENSIS, qui in ſimili caſu ſtatuerat, ut illi, qui res haberent pendentes à Juriſdictione Suffraganeorum ipſius, eas deferre poſſent ad Curiam, Metropolitanámque Officialitatem: „Edictum verò per RHEMENSEM Provinciam publicatum, ut à ſubditis Epiſcoporum ipſius Provinciæ, pro audiendis & terminandis eorum cauſis, liberè ad RHEMENSEM Curiam accedatur, penitùs revocamus; quia etiamſi tenerentur iidem Epiſcopi pro ſuis culpis vinculo excommunicationis adſtricti, non tamen ex culpis ipſis (cùm id non inveniatur à Jure conceſſum) ad RHEMENSEM Curiam Juriſdictio devolveretur eorum, ſed alia, fortè pro illis, pœna ipſis Canonica poſſet infligi „.

Nullus autem Canon, neque uſus, neque Privilegium tranſmittit Metropolitano jus providendi neceſſitatibus Diœceſeum Suffraganeorum in circumſtantiis obſervatis; jam illud probavimus, quoad approbationem pro Sacramentorum adminiſtratione, ſuper quam demonſtravimus, Epiſcopum nullum præter Deum Superiorem habere in iis, quæ ad illam ſpectant. Jus viſitandi nullo in loco videtur ad Metropolitanum tranſire propter ſocordiam Suffraganeorum. Reipſa potuit olim viſitare Provinciam, ſed non ratione ſolius negligentiæ Epiſcopi ad viſitandum, imò verò ad examinandam agendi rationem Epiſcoporum, eorum gubernationem, mores Cleri & populi. *Cap. 1. 2. & 5. De Cenſibus. In 6.* Sed nequibat illam ſic committere, non illi licebat collocare Magnos Vicarios in Diœceſibus Suffraganeorum, ad hoc ut quaſdam Regiones earum inſpiceret, quod poteſt confirmari *Cap. 1. De Off. Jud. Ordin. In 6.* quod prohibet Metropolitano, ne conſtituat Officiales peregrinos in Diœceſibus Suffraganeorum ſuorum, & nititur eo quod Canones vetent, ne ſibi attribuat, aut arroget aliquod jus in his Diœceſibus; unde concludit, nullam per alios Juriſdictionem exercere valere. Principium in hoc Textu inſertum, notatu dignum eſt, nam confirmat omnia, quæ expoſuimus contrà poteſtatem Metropolitani, ut conſtituat Magnos Vicarios in Diœceſibus Suffraganeorum; hac de cauſa illud deſcribimus, cum applicatione à Papâ facta. *Prohibemus quoque, ne* RHAMENSIS *Archiepiſcopus in Diœceſibus Suffraganeorum ſuorum foraneos Officiales conſtituat; quia cum Metropolitanis ne ſuorum Suffraganeorum aggrediantur Diœceſes, ut in eis, autoritate propria, judicent, diſponant, aliquidve aliud agant, Canonica prohibeant Inſtituta, nequaquam hoc poſſint per alios exercere.* Quod colligit Summus Pontifex ex principio relato, confirmatur à Regula 68. *De Reg. Jur. In 6. Poteſt quis per alium, quod poteſt per ſeipſum*, accepta in ſenſu contrario.

Caſus hactenùs collecti præcipui ſunt ex illis, in quibus videretur Metropolitanus debere poſſe conſtituere Magnos Vicarios in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, & nihilominùs nullos eſſe oſtendimus, in quibus hanc habeat poteſtatem. Ex hoc igitur inferre poſſumus, in nullo caſu Metropolitanum poſſe Magnos Vicarios dare Suffraganeis ſuis, ſive Generales, ſive Particulares, ſive in Titulo, ſive per Commiſſionem.

QUÆSTIO II & III.

Cùm attendimus quòd à XVI. ſæculo, nulla ferè celebrata fuerint *Concilia* Provincialia, & quod minimè videntur habenda eſſe in hocce ævo, fruſtrà examinaremus an ſint aliqui caſus, in quibus *Concilium* Provinciale concedere queat Vicarios Epiſcopis Provinciæ; ſed ſententia mutatur conſideranti, quod decifione harum duarum Quæſtionum, confirmari poſſit prioris deciſio & reſolutio; nam ſi oſtendamus nullo modo, aut raro admodum evenire, quod *Concilium* Provinciale hac poteſtate valeat, inde concludere poſſumus Metropolitano hanc facultatem non tribui, aut ſi fortè illa donaretur, certè in raris admodùm caſibus. Ratio evincitur ex eo quod Metropolitanus, non majori autoritate valeat quàm *Concilium* Provinciale.

At verò quoad illud, unum tantùm reperimus Textum, qui tribuit illi poteſtatem dandi Vicarios Epiſcopis Provinciæ, & hoc tantùm in caſu, in quo abutuntur jure conferendi Beneficia, cùm ad hæc promoveant homines indignos; hoc eſt *Cap. 29. De Præb. Et Can. 30. Concilii* LATERAN. IV. *habiti ann.* 1215. *ſub* INNOCENTIO III. ſtatuit *Concilium* Provinciale conaturum eſſe animadvertere, an ſint Prælati, qui Beneficia conferant hominibus indignis, &, ſi ſe non emendent poſtquàm moniti fuerint ſemel aut bis, ſtatuit ut ſuſpendat eoſdem ab uſu hujus juris, & nominet hominem ſapientem, qui illorum defectui ſuppleat. Qui poſt primam aut ſecundam correctionem repertus fuerit culpabilis, à Beneficiis conferendis per ipſum ſuſpendatur, inſtituta in eodem *Concilio* perſona provida & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum. Oportebat in hoc caſu ut nominaretur Magnus Vicarius, quia durante Epiſcopi ſuſpenſa nullus poteſt conferre Beneficia, quorum plenam habet & integram Collationem. *Cap. 1. Ne Sede Vac. In 6.* Capitulum non illi ſuccedit in hac functione. *Cap. 5. De Conceſſ. Præb. Cap. 2. Ne Sede Vacan.* Idem eſt de hoc caſu, ac de caſu mortis. *Cap. 1. Ne Sede Vac. In 6.* ſi autem Epiſcopus interdicatur ſuis aliis functionibus, ejus Juriſdictio tranſit ad Capitulum, quia Magnus Vicarius & Officialis, qui exercentes eam ſolùm hujus nomine in hoc caſu nullam habent. *Cap. 1. De Off. Vicar. In 6* Itaque cùm Epiſcopus non poſſit illam exercere, neque ejus Miniſtri, oportet ut tranſmittatur aut ad Capitulum, aut ad Metropolitanum; certum autem eſt illam huic non eſſe devolutam. *Cap. 1. De Supplen. Neglig. Præl. In 6.* Par eſt igitur ut tranſeat ad Capitulum, aut neminem eſſe qui poſſit illam exercere, quod non eſt veriſimile, cùm poſſit acci-

accidere suspensam longo tempore durare; quamobrem hic Textus non potest extendi ad omnes casus, in quibus Episcopus est suspensus, nec etiam extrà casum suspensæ.

SECTIO XX.

Quid cogitandum sit de usu Galliæ circa independentiam Episcoporum in iis, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, aut administrationis? Estne generatim verus, patiturne aliquas exceptiones, & quænam illæ sint? An independentia quibusdam in functionibus odiosam Episcopi autoritatem efficeret?

Inter usus Juris Canonici Gallicani, collectos à Domino Dubois, unus spectat ad independentiam, de qua loqui volumus, Sextus est primæ Partis Cap. 1. his verbis expressus: *Episcopis sunt tres potestates: I. Illa quæ ad Ordinem pertinet: II. Quæ ad administrationem: III. Quæ ad Jurisdictionem. Non habent Superiores quantùm ad potestates Ordinis, & administrationis, quæ animarum curam respicit, in iis quæ ad caracteris executionem spectant.* Itaque Episcopus non potest à Metropolitano cogi, ut det Ordines, benedicat vel consecret Ecclesiam, approbet ineptum, permittat in sua Diœcesi Ordinationes, quas non judicat utiles, & subordinatio tantùm statuitur quoad Jurisdictionem. Hæc est causa *Senatus consultorum* obtentorum in Concilio Regis à D. Reverendo Episcopo Lemovicensi, necnon à Dom. Episcopo Carnotensi, in Magno Consilio contra Fratres Minores Hodani. Idem Autor, cùm explicat in sententia secundam Jurisdictionem Episcopalem, & illam dividit in *Voluntariam* & *Contentiosam*, de primâ dicit, quod pendeat ab autoritate Regiminis, aut potentiâ Administrationis, cui tribuit Collationem Beneficiorum, Concessionem Dimissoriarum, Injunctionem Pœnitentiarum, Absolutiones, Decreta fundationis, Uniones & Erectiones Beneficiorum.

Hanc sententiam examinare intendimus, & hanc supponimus locum habere multis in casibus, quia id probavimus alibi: 1. Per Articulos X. & *XI. Edicti Jurisdictionis* 1695. dati super repræsentationes Cleri, & in executionem Sacrorum Canonum; pertinent illi ad potestatem prædicandi & peccata audiendi: 2. Per Caput 5. *De Temp. Ordin*, quod relinquit Ordinationem Religiosorum conscientiæ Superiotis ipsorum; & per Caput 11. Sess. XIV. quo, judicio Episcopi remittitur Recusatio Collationis Ordinum: 3. Per silentium Canonum circa subjectionem Episcopi Prælatis suis, denegatâ hujusmodi potestate, quod accidit solùm, ex eo quod Ecclesia existimavit relinquendam esse conscientiæ Episcoporum communicationem harumce potestatum: 4. Per Caput 16. Sess. XXIII. quod pro principio ponit, nullum ad Ordines esse admittendum, nisi Episcopus ipsum utilem aut necessarium reputet suæ Diœcesis Ecclesiis.

Quæstio est, an, quæ diximus de denegatione harum potestatum, extendatur: 1. Ad Recusationem aliarum in sententia relata præfatarum? 2. Ad Concessionem earumdem potestatum personis indignis & insufficientibus?

Quoad primam Quæstionis Partem, videtur certum, non posse Episcopum compelli ad benedicendam, aut consecrandam Ecclesiam sine facultate sua ædificatam, quia necessaria est absolutè ad Ecclesiarum constructionem. Nullus est Ritualis Liber, qui hanc veniam non requirat. *Pontificale Par. 2. De Benedict. & Imposit. primar. Lapid.* supponit illam requiri. Utraque fundatur Canonibus illud prohibentibus expresè, & ratio prohibitionis est, quia Episcopo præcipua Cultûs Divini cura demandata est, necnon & animarum Directio seu Regimen. V. Cap. 10. *Can.* 16. Quæst. VII. Cap. 4. 5. 6. 7. 8. *De Consecrat.* Dist. I. in quibus necessaria est Consecratio aut Benedictio Papæ, pro quibusdam Ecclesiis, quia erat Ordinarius locorum.

Excipimus casum in quo Episcopus consensit constructioni Ecclesiæ, quia in hoc sibi necessitatem Benedictionis imposuit, sine qua, juxtà morem solitum, esset inutilis, cùm non liceat Sacras functiones exercere in Templo non benedicto. Cap. 3. 12. 13. 14. *De Consecrat.* Dist. I.

Idem dicendum est de fundationibus ad mittendis. Episcopus soli Deo rationem reddere debet, si deneget eas approbare: Illius est videre an sint utiles, aut Cultui Divino, aut animarum bono & commodo, quarum præcipua illi cura credita est? Id probant Canones modo citati circà autoritatem Episcopi ab alio non pendentem, in his quæ spectant Recusationem facultatis, ad Ecclesiarum Constructionem, & Dedicationis illarum, quæ ædificatæ sunt sine suo consensu. Quod eò certius est quod fundationes includant sæpe Constructionem Ecclesiarum, aut Oratoriorum, sæpe Ecclesiis noxiorum, aut functionum Sacrarum juri in iisdem locis exercendo.

Idem est de Constitutione Parochiarum, Monasteriorum, Erectione Sodalitatum, cujus utilitatis Episcopus solus est Judex, aut saltem præcipuus. Hæc est series & consequentia principiorum suprà collectorum, & Canonum, quibus autorantur.

Positis iisdem principiis, Episcopus non potest cogi ut det approbationem illis, quos ineptos reputat; nam aliquorum incapacitas, præcipua est Recusationis causa, & ob hanc rationem, illa ipsius conscientiæ relicta est, cùm possit oriri ab occultis vitiis, indéque nascentibus consequentiis, quas non licet aperire.

Quod dictum est de Recusatione Ordinum, extenditur ad denegatas Dimissorias, ut conferantur iisdem, quia Episcopus concedere eas non potest illis, quos ineptos ad Ordines, aut inutiles, aut suæ Diœcesi non necessarios reputaret.

Debet adhuc referri ad Recusationem absolutionum à censuris, aut casibus reservatis, quod dictum est de denegatione approbationis ad audienda peccata; nam si Episcopus non possit compelli, ut det facultatem quibusdam, exercendi hanc absolvendi potestatem, ita pariter non potest cogi, ut illam per se ipsum exerceat in quosdam, quos denegat absolvere. Verùm quoad absolutionem censurarum, Superior quibusdam in casibus illam potest tribuere, negante Episcopo; in nullo verò casu Superior potest concedere approbationem ad audienda peccata, ad prædicandum, quam Episcopus recusavit. Differentia hæc oritur ex eo quod absolutio potest illi deberi, qui illam postulat, & reverà illa dignus est, cùm fecit, aut paratus est implere quod Canones hac de causa præscribunt.

Quod spectat ad Collationem Beneficiorum, Episcopus solùm est independens in sua Recusatione, si qui ea exposcunt nullum jus in illa habeant; sed Episcopi independentia, in hoc casu, probatur per independentiam ejusdem in Recusatione Ordinum, Dimissoriarum, approbationis ad prædicandum, ad audienda peccata, & administranda alia Sacramenta, Vicarii munus exercendum, in denegatione benedictionis Ecclesiarum, autorisationis quarumdam Constitutionum, homologationis, confirmationisve fundationum; nam si tunc sit independens in Recusatione Collationis Beneficiorum, illud fit, quia non debet Beneficia requirentibus eadem, & hac ratione stabilitur etiam independentia in aliis casibus prædictis.

Eadem ratio locum habet in potestate non concessa uniones aut divisiones Beneficiorum faciendi; hæc non debentur, atque ideò conscientiæ Episcopi relinquuntur, cujus est solius judicare, an urgens necessitas, aut evidens utilitas Ecclesiæ, hæc expostulent.

Non idem est de secunda Quæstionis Parte, Episcopus non est independens quoad Concessionem non Canoni-

nonicam, ut quoad Recusationem; nam si communicet potestates, de quibus locutis sumus, quibusdam indignis, & eorum ineptiam noscat, potest & debet à Superioribus suis puniri, eodem modo ac si illas daret per simoniam: Ratio differentiæ evincitur ex eo quod Sacri Canones præscripserint Regulas quoad modum communicandi illas potestates, & illorum qualitates, quibus debent communicari, & eodem tempore pœnas statuerunt contra Transgressores illarum Regularum; Superiores autem Episcoporum præponuntur ipsorum causa, ut vigilent & advertant an illi observentur Canones, atque ut exequantur pœnas latas in Episcopum, qui delinquit: *Verbi gratia*, Canones, qui constituerunt irregularitates, aut impedimenta ad Ordines, aut Beneficia, pœnas definierunt in Episcopos, qui conferrent Ordines, aut Beneficia illis, in quibus illæ irregularitates reperirentur, & statuerunt ut *Concilia*, aliive Superiores has pœnas exequerentur in Transgressores. Talis est præ cæteris, quoad Ordines, *Can.* 10. *Concilii* AURELIAN. IV. *celebrati ann.* 541. quo statuitur, quod, si Episcopus conferat Sacerdotium, aut Diaconatum alicui, quem novit esse bigamum, aut nupsisse mulierem repudiatam ab alio, contrà Canonum prohibitionem, solo facto suspensam incurrat omnis functionis Sacerdotalis per annum integrum; si autem hanc censuram violet, Episcopi Provinciæ ab ejus communione recedant usque ad primum Provinciale *Concilium*; tandem statuitur ut in causa obstinantium deponantur illi, qui ita fuerint ordinati. CONC. TOM. V. *p.* 383. Ultima pœna ab hoc *Concilio* lata, nempè depositio illorum, qui ad Ordines promoti fuissent contra Regulas, jam præscripta erat à Papa CÆLESTINO in sua Epistola ad Episcopos Galliarum, VIENNENSIS & NARBONENSIS, *C.* 6. CONC. TOM. II. *p.* 1621. in qua cùm retulit aliquas ex his Regulis præcipuas, addit Ordinationes illas inutiles efficiendas esse, cùm priventur Promotoris executione, aut exercito potestatis acceptæ.

Quoad Collationem Beneficiorum Personis indignis, aut ineptis, non satis habuerunt *Concilia*, ut eam irritarent, & licentiam darent Superiori eadem Beneficia de novo conferendi, privando Collatorem jure conferendi hac vice. Cap. 7. & 20. *De Elect.* Cap. 4. & 5. *De Supl. Negl. Prel.* Sed adhuc mandaverunt, ut in *Concilio* Provinciali accuratè perpendantur Collationes Beneficiorum, quæ in Provincia factæ fuerint; quòd si deprehendantur promoti aliqui indigni, bis monebitur Collator, qui cùm se non emendet suspendetur à Collatione Beneficiorum. Cap. 29. *De Præb.* Præterea si indignitas Ordinatorum, aut ad Beneficia Promotorum, oriatur à pravis illorum moribus publicè notis, aut ab illorum doctrina non sana, quod publicè probetur, tunc Episcopi subjiciuntur Superiorum suorum correctioni & punitioni, non solùm robore & potestate Canonum, sed multò magis autoritate Legis Divinæ, in qua fundantur.

Canones mox à nobis citati contrà Episcoporum independentiam; circà Ordinationes & Collationes illicitas, & reflectiones à nobis super illos factæ, suam habent applicationem in communicatione illicita, acta ab illis, aliarum potestatum, de quibus mentio facta est. Quemadmodùm imprimis potestates prædicandi, audiendi peccata, administrandi Sacramenta, dirigendi Monasteria Virginum Monialium: Nam si Episcopi has tribuant hominibus manifestè indignis, ratione eorum malæ famæ, sive quoad mores, sive doctrinam, non solùm coràm Deo puniendi essent, sed etiam coram hominibus. Reverà talibus approbationibus fierent rei omnium peccatorum, quæ approbati homines possent admittere, & digni essent eadem pœna, quam isti homines incurrerent, secundùm Regulam: *Consentientem ac facientem par pœna constringit.* Approbatio pro functionibus reputaretur ut approbatio pro peccatis, quæ sequerentur ex exercitio harum functionum, aut possent sequi ex hoc. Multò magis est approbare ad prædicandum, aut audiendum peccata homines pravæ doctrinæ, quàm non resistere Prædicationi erroris per illos, qui jus habent prædicandi; cùm approbatione detur potestas, & silentio toleratur tantùm abusus potestatis, quæ non fuit commissa; & nihilominùs tale silentium est merè conniventia, & justum dat credendi locum, aut saltem suspicandi Doctrinam illum amplecti quam alios docere permittit. *Timeo ne conivere sit hoc tacere, timeo ne magis illi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.* CÆLEST. I. scribens ad Episcopos Galliarum CONC. TOM. II. *p.* 1612.

PARS II.

Vidimus in prima Parte, *Concilium* TRIDENTINUM & Papam LUCIUM III. agnovisse in Episcopis quamdam independentiam quoad Recusationem Ordinum, quæ constitit in eo quod possint illos non conferre, propter culpas arcanas, atque ideò non tenentur rationem reddere suæ Recusationis: Itaque, aut utrumque approbaverunt, quod reddit odiosam Episcoporum autoritatem; aut independentia Episcoporum quibusdam in functionibus, non efficitur autoritas illorum odiosa.

Non autem verisimile est aliquem voluisse tribuere Summo Pontifici, virtute præstanti, qualis fuit Lucius, multo minùs *Concilio* Generali, approbationem potestatis, quæ Episcopatui noceret, si invisum eumdem efficeret; igitur agnoscendum est illos credidisse independentiam in quibusdam Capitibus odiosum neminem efficere, sed tantùm abusus ex illa ortos hunc operari effectum: Poterant-ne aliter sentire, & Ecclesiæ independentiam non condemnare quoad Spirituale, Principum quoad Temporale, Confessariorum in absolutione, tanquàm res quasdam invisas? Nam si autoritas Episcopalis esset odiosa, quia ab hominibus non pendet quibusdam in casibus, & soli Deo reddere hujus rationem debet, ob eamdem rationem tres illæ autoritates esse odiosæ deberent; si autem illæ non sint odiosæ, ratione independentiæ, cur independentia Episcoporum quibusdam in casibus esset invisa? Nonne justificatur necessitate, sicut & illæ? Nam ut adhæreamus tantùm potestati Confessariorum in absolutione magis consentanea materiæ, eadem ratione, qua Episcoporum necessaria efficitur illa potentia; cùm ex una parte, si Confessarii rationem Deo soli referre debent eorum, quæ faciunt in confessione & auditione peccatorum, quantùm ad absolutionem, ideò illud fit; quia agitur de arcanis, quæ sciunt ea lege ut non revelent, cùm ea audierint non ut homines, sed loco Dei. Cap. 2. *De Off. Jud. Ordin.* etsi tenerentur ea revelare everteretur Sacramentum pœnitentiæ. Similiter, & partim necessitate arcanum servandi, Episcopus Deo soli rationem reddere debet Recusationis Ordinum, aut approbationis ad prædicandum, aut administrandum Sacramenta. Reverà accideret, ut causas recusationis afferre non posset, nisi charitatem læderet, necnon & justitiam, cùm determinatus fuerit ad id agendum notitiis arcanorum quas ipsi non licet revelare; & si ad id impelleretur, illud noceret Sacramento Ordinis, & functionum ipsius sanctitati, quia timore arcanum violandi posset adduci ad credendum illas hominibus quos nosset esse illis indignos.

Cæterum inutile credimus esse si moneamus librum, ex quo collegimus sententiam quam explicavimus, editum esse cum approbatione à 30. annis & amplius, elucubratum esse in gratiam Domini COLBERT, qui volebat intelligere sententias Canonicas Regni, & tam benè acceptum illum fuisse, ut ejus factæ fuerint septem aut octo Editiones. Hæc facta nota sunt omnibus illis, qui aliqua Juris Gallici notitia sunt imbuti.

SEC-

SECTIO XXI.

De Visitatione.

Regula ex Corpore Juris, Conciliòque Tridentino, desumpta circa Visitationem.

Quæ in Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino circa Visitationem leguntur, reduci possunt & debent ad Capita ista: I. Qui visitandi Juris fontes, & quæ illius Visitationis antiquitas? II. Quis finis? III. Quo Jure præcipiatur? IV. Qui illam facere? V. Quorum fieri debeat, & quæ in illa facienda? VI. Quo tempore facienda? VII. Quomodo? VIII. Quæ factarum in illa Constitutionum prærogativa?

REGULA I.

Visitandi Juris non alii fontes sunt quàm tres, qui in Extravag. I. *De Censibus* recensentur: nempe, *Jus Scriptum, Consuetudo, Privilegium.*

REGULA II.

Canonum, qui in Corpore Juris extant, nullus circa Visitationem antiquior quàm Cap. 5. Dist. LXXX.

Ex *Concilio* Laodiceno desumitur citatus Canon: *Conc.* autem istud anno 320. celebratum notat Pithæus; sed fallitur, nam Gotofredus *in Philostorgium*, clarè ostendit ante annum 360. hoc Concilium celebrari non potuisse.

Verba Canonis sunt: *Non debere in Vicis, & Villis Episcopos Ordinari, sed Visitatores*, id est, *qui circumeant, constitui.*

Qui Visitatores hìc vocantur, alibi Chorepiscopi dicuntur: Illorum munus erat, non solùm Vicos, Villásque sub Episcopis regere, sed etiam Vicis, Villisque subdita loca circumire, utrumque ex citato Canone colligitur.

Verùm si de Visitatione, de qua hìc sermo, citatum Canonem intelligi non placet, antiquior circa eandem Visitationem Canon erit Cap. 10. Caus. X. Quæst. I. Desumitur autem ex *Conc.* Terracon. celebrato anno 516. In illo insinuatur visitandi Diœceses consuetudinem jam antiquam esse, sic enim loquitur: *Decernimus ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & ab Episcopis Diœceses visitentur.* Quibus verbis idem dicere videtur, ac si diceret visitandas esse Diœceses, quia servanda est antiqua consuetudo: Prior enim loci citati Pars continet causam posterioris.

REGULA III.

Quæcumque in Corpore Juris habentur circa Visitationis finem, ad ea reducuntur, quæ de illa *Concilium* Tridentinum dicit Sess. XXIV. *Cap.* 3. si unum alterúmve verbum addatur.

Concilii autem verba hæc sunt: *Visitationum omnium præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxámque doctrinam, expulsis Hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, admonitionibúsque ad Religionem, pacem, innocentiámque accendere, cætera prout locus, tempus & occasio feret, ex Visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere.* Verbis his addendæ voces duæ *faceréque.*

Hac facta additione in relatis *Concilii* verbis, habes quæ juxtà Canones in Corpore Juris insertos Visitatores sibi proponere debeant. Sic ostenditur, Canones, qui de fine Visitationis loquuntur, vel de illo clarè & expressè loquuntur, quales inter alios Cap. 9. & 11. Caus. X. Quæst. I. in quibus Visitationem fieri clarè distinctéque dicitur, vel ad prædicandum, vel ad confirmandum, vel ad inquirendum, quæ Basilicæ reparatione indigeant.

Vel Canones prædicti de Visitationis fine confusè tantùm loquuntur, præscribendo scilicet Visitatori, quæ in Visitatione agere debeat: quales inter alios Cap. 10. 11. Caus. X. Quæst. I. Cap. 7. Caus. X. Quæst. III. quibus præcipitur Episcopo visitanti, ut dirutas Ecclesias resarciat, Clericos circa Sacramentorum administrationem, Missarum, cæterorúmque Divinorum Officiorum celebrationem examinet, doctnrus quæ ignorant; Plebem verò adhortetur, ut Idolorum errores fugiat, mortiferáque peccata, atque ut credat Resurrectionem omnium hominum, diémque judicii; præcipitur ut per Visitationem operam det in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in Prædicatione Verbi Dei, in lucris animarum.

Quibus Canonibus addendi Cap. 7. 8. *De Statu Monach.* in quibus constituitur, ut Visitatores à Capitulis Generalibus deputati, tàm in Spiritualibus quàm in Temporalibus, corrigant, & reforment, quæ correctione & reformatione indigent.

Citatis utriusque generis Canonibus, accedere hìc possent plura *Concilii* Tridentini Capita, in quibus Visitationi correctionem, reformationem jungens, insinuat unum esse ex Visitationis finibus, ut mores reformentur, & corrigantur.

Sive autem spectentur Canones, qui de Visitationis fine expressè loquuntur, sive considerentur, qui de illo tantùm confusè mentionem faciunt, evidens est nihil de illo fine dicere quod in his, quæ de eodem dicit *Concilium* Tridentinum, non comprehendatur.

REGULA IV.

Jure Canonico præcipi Visitationem extrà dubium est; an verò Jure Naturali vel Divino præcipi, ex Canone colligi possit, dubitatur.

Prior Pars patet ex cit. Cap. 3. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 9. 10. 11. in quibus Visitatio expressè præcipitur. Posterior infertur ex Cap. 16. *De Præscrip.* in quo dicitur de Visitatione, quod præscribi non possit: Hinc enim dubitare licet an Jure Naturali vel Divino præcipiatur. Causa enim, quæ ne præscribatur Visitatio impedit, hæc esse videtur, nempe, quia correctioni necessaria est; correctio autem utroque Jure præcipitur: Ex altera verò Parte Visitatio, de qua cit. *Cap.* Jure tantùm Humano præcipi videtur, cùm Humana Lex tantùm sit.

Non obstat quod dictum de impræscriptibilitate Juris Visitationis, cùm etsi Juris Humani tantùm sit Episcopi erga Metropolitanum subordinatio, Jure tamen Humano impræscriptibilis esse potest istius in illum Visitatio.

Sed in hoc dubio quid sentiendum? Certum est ex citato loco necessariò non sequi Visitationem Jure Naturali, vel Divino præcipi, cùm Præscriptio Humano Jure introducta, eodem Jure negatur; atque hinc fieri potuerit, ut, nulla habita ratione ad Præceptum Naturale, Canones Visitationem impræscriptibilem declararint; eodem planè modo quo plures aliæ res, quarum Præscriptio Jure Naturali non repugnat. Certum est quoque quòd Visitatio, sine qua præcepta Jure Naturali correctio fieri non posset, eodem Jure Naturali præciperetur, quo correctio præciperetur. Certum est etiam, ut inferiorem Jure Naturali, vel Divino corrigere teneatur Superior, non oportere ut Jure Divino Superior sit, cùm Præceptum faciendæ correctionis quemlibet Superiorem indistinctè liget. Certum est denique Superioris Humano Jure constituti potestatem eodem Jure ita restringi posse, ut ad visitandos subditos sese non extendat. Ex his quæ certa esse ostensum est, inferre licet Visitationes esse quæ Jure Naturali præcipiantur, sed ex cit. loco id non colligi.

Quoad alia Juris loca, ex quibns id concludi possit, menti nunc sese nulla offerunt.

REGULA V.

Ex Visitationis fine colligere licet ad quos pertineat.

Patet Regula: Cùm enim Visitatin ad sanam doctrinam conservandam, mores corrigendos, Clericos instruendos, Plebes ad virtutem accendendas, confirmationem administrandam Ecclesiarum, locorúmque quorumvis piorum restaurationem procurandam, pertineat, evidens est ad Episcopos, ad hæc omnia à Deo præpositos, Visitationem pertinere, eodémque Jure Divino, quo prædicta ad illos pertinent; cæteros verò spectare eodem titulo quo ea, propter quæ fit, ad illos pertinenr.

REGULA VI.

Non alii in Jure leguntur visitandi jus habere quam isti,

I. Legati Sedis Apostolicæ, istiúsque Nuncii. *De Censib.* Cap. 13. 25.

II. Metropolitani. *De Majorit.* Cap. 9. *De Præscrip.* Cap. 16. *De Censib.* Cap. 14. 22. 25. *De Arbitr.* Cap. 13. *passim.* Patriarchæ Dirionis Ecclesiasticæ à BENEDICTO XII EXTRAVAG. I. *De Censib.* inter alienas Diœceses visitaotes numerantur. *Conc.* TRID. *C.* 3. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 1. 2. 5. *De Censib. in 6.*

III. Episcopi. EXTRAVAG. I. *De Censib.*

IV. Chorepiscopi. *De Statu Monach.* Cap. 18. DIST. LXXX. Cap. 5.

V. Archidiaconi. DIST. XXV. Cap. 1. *De Off. Archid.* Cap. 6. 10. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 3.

VI. Decani Rurales. *Ibid.*

VII. Capirulum, quo Cathedrale intelligendum. *Ibid.*

VIII. Abbates. *Ibid.*

IX. Qui ad visitandum in Capitulis Generalibus eliguntur.

REGULA VII.

Circa Archipresbyteros ex Jure inferri potest visitandi jus habere.

De iis expressa mentio EXTRAVAG. I. *De Censib.* Aliunde etiam patet Regula, tùm ex eo quod Archipresbyter idem esse videatur ac Chorepiscopus, cùm utriusque sit idem Officium, nempe diversas Plebes, illarúmque Parochos sub cura sua habere, tàm illis quàm istis corrigendis invigilare, atque de illis Episcopo rationem reddere; tùm ex eo quod Decani Rurales non aliud quam Archipresbyterorum munus exerceant, & Cap. 7. *De Off. Archid.* de Archipresbyteris dicitur, quòd à pluribus Decani nuncupentur; tùm ex memorato mox Officio, cujus mentio fit Cap. 4. *De Off. Archypresb.* tùm ex eo quod Cap. 1. *De Censib.* EXTRAVAG. COMMUN. taxat debitam Archipresbytero visitanti Procurationem.

Circa citatos Canones, nota: I. Nullum alium præter citatos extare in Corpore Juris, qui memoratis personis visitandi jus tribuat: II. Inter citatos circa Archidiaconum omnium antiquissimus, ex PITHÆI Chrnnologia, habendus est Cap. 1. *De Officio Archid.* desumptum ex *Ord. Rom.* quem circa annum 600. scriptum existimat; sed falli PITHÆUM oportet, cùm ex Patre MABILLON Ordinum Romanorum Collectore, omnium vetustissimus ad octingentos tantùm annos accedat; nec ullus sit Autor, qui antea illius meminerit; antiquissimum ergo fore Cap. 1. DIST. XXV. desumptum ex Epistola ISIDORI ad LUDIFREDUM scripta circa ann. 633. Nec obstat *Cit.* CLEMENTIS I. *Testimonium ab* INN. III. Cap. 7. *De Off. Archid.* cùm Epistola è qua desumitur CLEMENTI supposita sit ineunte IX. sæculo, vel saltem exeunte VIII. III. Eosdem Canones docere duplici modo ad Archidiaconum Visitatinnem pertinere: Nempe ratione commissionis ab Episcopo sibi ex Canonum præscripto dandæ. *De Off Archid.* Cap. 1. DIST. XXV. Cap. 1. Ratione Archidiaconatus. Cap. *6. & 10.* *De Off Arhid.* Cap. *6.* ex ALEX. III. *Epistola ad Episcopum* CONVENTRENSEM, *& Abbatem* CESTRENSEM, *scripta circa* 1178. Nullum in Jure legi circa Visitationem Archidiaconi ratione Archidiaconatûs, pertinentem *Cap.* illo antiquius. Ex Cap. 11. CAUS. X. QUÆST. I. colligi posse Episcopo legitimè impedito ne visitaret licuisse in Hispania ante medium VII. sæculi, alium quam Archidiaconum ad visitandum committere: Inter utramque Visitationem hoc interesse discrimen, quod priorem autoritate propria non faciebat, sed autorirate Episcopi totam Episcopi Diœcesim, vel quam volebat partem Episcopus respiciebat; Jure Communi nitebatur, ac jamdiù exolevisse videtur; posteriorem verò facit Archidiaconus, propria autoritate Archidiaconatûs, Districtum non transgreditur, consuetudine nititur, seriùs patet in Jure. Hæc autem discrimina ex Collatione citatorum Canonum Archidiaconalem Visitationem respicientium deduci. IV. Non citatos esse qui Episcopo visitandi jus tribuunt Canones, quia nimius illorum est numerus: illorum autem, cum alus qui simile Digniratibus aliis jus vendicant, Canonibus collatis, sequi soli Episcopo semper pertinuisse, atque etiam nunc pertinere, cæterarum Dignitarum circa Visitationem jus ad Juris Episcopalis imitationem introductum videri. V. Omnium Canonum, qui Metropolitanæ Visitationis primus meminerit esse Cap. 14. *De Censib.* desumptum ex Epistola LUC. III. ad RAVENNAT. Archiepiscopum scripta circa annum 1181. Postremum circa concessam Metropolirano visitandi facultatem Canonem, illam ita *Concilii* Proviuciali judicio subjecit, ut abolitis Conciliis Provincialibus, perierit. Cap. 5. *De Censib. in 6.* declarare Metropolitanum liberè visitare posse Provinciam, etsi Suffraganei negligentes non sint, ideóque non negligentiæ istorum ratione jus visitandi sibi competere. VI. Ptiorem ex cit. circa Legatos locis desumi ex *Conc.* LATER. sub INNOC. III. *celebrato anno* 1216. solum esse qui de visitandi jure, quo Legati gandent, mentionem faciat expressam; illud verò dumtaxat inferri ex posteriori circa idem citato loco; inferri autem quia GREGOR. IX. ibidem dicit Archiepiscopum BENEVENTANUM Provinciam visitare autoritate Apostolica, sicut ex sua; sed cum ex Delegatione sicut & Legatione BENEVENT. Archiepisc. autoritate Apostolica visitare poterit, quod ex illo loco infertur certum non est. Circa Legatorum visitantium Procurationes non nihil peculiare colligi ex Cap. 17. *De Censib.* sed de illo inferius. VII. Archidiaconos, Decanos, alióśque inferiores per se ipsos visitare debere, eásque tantùm Ecclesias, quas visitare legitimè consueverunt. *Concil.* TRIDENT. *C.* 3. SESS. XXIV. *De Reform.* VIII. Deputandos à Capitulo Visitatores ab Episcopo probandos esse, quod omninò conforme videtur Constitutioni *Concil.* LATER. *sub* INNOC. III. *celebrato* relatæ. Cap. 13. *De Off. Jud. Ord.* IX. Excessus tamen juxta quem Capitula, quæ Canonicos corrigendi jus acquisierunt, cum dependentia ab Episcopo illud exercere debent. X. Archidiacono aliísque inferioribus Visitatoribus hoc commune esse ut infra mensem factæ Visitationis rationem Episcopo reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstante quavis consuetudine & exemptione; cujus rei causa, Visitatores hujusmodi concessa ab Episcopo Jurisdictione visitant, ideóque rationem reddere debent ac si ab eo ad visitandum essent deputati.

REGULA VIII.

Circa Primates, vel Patriarchas, nullus in Jure reperi-

reperitur Textus, qui subditorum sibi Metropolitanorum Provincias vel Primatum Ditiones visitandi facultatem tribuat, vel illam sibi vendicare voluisse testetur.

Non obstant Cap. 2. *De Censib. in 6.* C. 3. SESS. XXIV. *De Ref.* quia Visitatio à Patriarchis facienda, cujus mentionem faciunt, respicit solùm illorum Diœcesim, ut palàm fiet legenti C. 3. *cit.* Nec obstat etiam EXTRAVO. 1. *De Censibus*, quæ faciendæ à Patriarchis Visitationis circa Suffraganeos, istorúmque subditos meminit; nam id intelligi potest de Suffraganeis, qui sibi tanquam Metropolitani subsunt.

REGULA IX.

Qui, quæve visitanda sint ex Visitationis fine etiam colligitur.

Patet Regula ex eo quod ex fine deducitur, qui instrui, corrigi, confirmari, qui ad virtutem accendi possunt & debent; visitandos esse, necnon visitationi obnoxias esse res locáve, quæ reformatione vel reparatione indigere possunt.

REGULA X.

Nec persona, nec res, nec locus, Visitatori subdita, ab ejus Visitatione libera sunt, nisi speciali Privilegio eximantur; quæ verò ab Ordinarii Visitatione eximuntur, alterius Prælati Visitationi subjiciuntur.

Prior Regulæ pars colligitur ex cit. hactenus circa Visitationem locis; loquuntur enim de tota Diœcesi, ideóque de omni persona, re, loco, in illa inclusis. Posterior, ex citandis infrà circa exemptionem à Visitatione. DIST. XXV. Cap. 1.

REGULA XI.

Inter res visitandas nominatim recensentur Ornamenta.

REGULA XII.

Ex Visitationis fine colligi etiam possunt quæ à Visitatore facienda sunt.

Patet Regula: Ex fine cujusque muneris annexa ipsi Officia nascuntur. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 12. *Ex* BRACAR. II. *ann.* 572.

REGULA XIII.

Ex Visitatoris Officiis, seu ex iis, quæ facere debet, hæc in Canone recensentur.

I. Discutere debet Clericos, quomodo Ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæque Officia peragant; &, si rectè quidem invenitur, gratias Deo agere debet; sin autem minimè, docere debet ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui Canones jubent, ut antè viginti dies Baptismi, ad purgationem Exorcismi, concurrant Catechumeni, in quibus viginti diebus omnino Catechumeni Symbolum, quod est, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*, specialiter doceantur. *Ibid.*

II. Convocata Plebe illius Ecclesiæ, docere debet, ut errores fugiat, vel diversa crimina, *id est*, homicidium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera, & quod nolunt sibi fieri alteri ne faciant, & ut credant resurrectionem omnium hominum, & diem judicii, in quo unusquisque secundùm opera sua recepturus sit.

Quamquam nonnulla locus hic contineat quæ tempori præsenti non congruunt, cùm rarus sit adultorum Baptismus, ipsóque occurrente Exorcismi à Baptismo plurium dierum intervallo non sejungantur, necnon Idolorum cultus jam ita evanuerit, saltem in Regionibus, in quibus Jus Canonicum recipitur, totus tamen suisque verbis transcriptus est, tùm quia aboliti Sacramentorum usus scitu digni sunt; tùm quia cùm Sanctorum Imagines, ut Idola à Plebe coli solent, ideóque destructo Idolorum cultu, adhuc exhortanda est, ut errores Idolorum fugiat.

Quoad cætera quæ continet, seque dum Visitatori exemplar exhibere visus est: Hinc enim discit Clerum seorsim à Plebes interrogandum, instruendum, corrigendum, Pastorum famam, quantùm fieri potest, apud populum conservandam esse: Hinc etiam discit circa quæ Clerum interrogare, instruere debeat, nempe circa Sacramenta, circà Missam, aliaque Divina Officia: Hinc quoque discit circa Sacramentum pœnitentiæ facere quod circà adultorum Baptismum Visitatori tunc agendum erat, scili et Pastores interrogare, docereque magis circà illud Sacramentum quàm circà alia, qui sicut propter illius temporis usum circà Baptismi administrationem instructiores esse debebant, nunc juxtà nostri temporis praxim circà Sacramentum pœnitentiæ doctiores esse debent: Hinc etiam Visitator discit circà quæ Plebem instruere debeat, exhortarique; nempe circà præcipua vitia, eaque dominantia, ac circà fidei articulos, qui ad rectè vivendum magis movent, conferúntque, quales timendum maximè Dei judicium, vita, & mors æterna in Resurrectione Generali comprehensæ.

III. Inquirere debet Visitator, Basilicarum reditus, & reparationes, & Ministrantium vitam. *Ibid.* Cap. 11. *ex Conc.* TOL. IV. *ann.* 633. Si qua Basilica destituta fortè reperta fuerit, ordinatione ipsius reparatio præcipi debet; ad id enim tertia pars ex omnibus, per antiquam traditionem, ab Episcopo accipitur, *Ibid.* Cap. 10. *ex Conc.* TARRAC. *ann* 516.

IV. Operam dare debet in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in Prædicatione Verbi Dei, in lucris animarum, vacare debet cohortationi, correctioni, reformationi, ut fructum referat, qui non perit. *De Censib.* Cap. 33. §. *Porro. ex* INNOC. IV. *ann* 1252.

V. Proposito Verbo Dei quærere debet de vita & conversatione Ministrantium in Ecclesiis & locis aliis Divino Cultui deputatis, ac cæteris quæ Officium spectant, absque coactione & exactione juramenti, ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxtà datam sibi a Deo prudentiam diligenter intendens. *De Censib.* Cap. 1. §. 4. *In 6. ex* INNOC. IV. 1252.

Relatus mox Textus de Metropolitanis tantùm loquitur, sed cuivis Visitatori quæ dicit conveniunt.

VI. Qui Jure extraordinario visitant, qualis Metropolitanus, Legatus, Visitator Regularis in Generali Abbatum in Congregatione non positorum, vel Priorum Abbates proprios non habentium, Capitulo deputatus, majora negotia Visitatori Ordinario remittere debent, quale inter alia alicujus depositio. *De Statu Mon.* Cap. 7. 8, *De Censib.* Cap 6. *in 6.*

VII. Metropolitanus præterea si de aliquibus orta est infamia, contra eos Ordinariis ipsorum (ut super illis solemniter inquirant) denunciare debet. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egent (cùm super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia eorumdem) liberè corrigere, pœnam pro illis debitam infligendo. *De Censib.* Cap. 1. §. 4. Quod si Ordinarius sibi denunciata à Metropolitano corrigere negligat, id proxima Visitatione corrigere debet Metropolitanus; Infertur ex citato §. cum propter Ordinarii negligentiam notoria corrigere possit Metropolitanus; si autem hæc sibi denunciata fuerint à Visitatoribus in prædicto Capitulo deputatis, eaque emendare neglexerint, Visitatores ad Apostolicæ Sedis examen referre debent. *De Statu Mon.* C. 7.

Idem dicendum, si qui deponendi sint, & immediatè Sedi Apostolicæ subsint, illorum siquidem depositio Sedi huic reservatur. *De Statu Mon.* Cap. 8.

VIII. Iidem Visitatores Monachos, quos contumaces invenerint & rebelles, juxtà modum culpæ vice

Apoſtolica regulari cenſura percellere debent, abſque perſonarum delectu, non parcendo rebellibus, ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat oves ſanas. *Ibid.*

IX. Sequentes Viſitatores perquirere debent Priorum veſtigia diligenter, & eorum negligentias & exceſſus referre ſequenti Capitulo. *Ibid.*

X. Viſitatores Monialium eas ſolertiùs retrahere debent ab inſolentiis quibuslibet, & Mundi hujus illecebris, ac easdem inducere ad impendendum in Monaſteriis ſuis devotum, & debitum Domino famulatum; ſed ne exemptio illarum hanc Reformationem impediat, permittitur Viſitatoribus ut opportunioribus ad illam exequendam remediis utantur.

XI. Confeſſiones ſubditorum Suffraganeorum audire poteſt Metropolitanus, confitentes abſolvere, ſalutares injungere pœnitentias. *De Cenſib.* Cap. 5. *in* 6.

REGULA XIV.

Viſitatio facienda eſt quoties urgens id exigit neceſſitas.

REGULA XV.

Hunc extra caſum, ſi tempus viſitandi à Canone definitum non eſt, viſitandum ſæpiùs quàm fieri poteſt pro locorum, temporum, perſonarum circumſtantiis.

REGULA XVI.

Inter omnia, maximè vitandum eſt, ne Viſitatori graves ſint Viſitationes: Hinc ſi pluribus, gravioribúsque detentus ſit negotiis Viſitator, & per alios viſitare non poſſit, rariores eſſe poterunt Viſitationes; idem ſi pauperes ſint Eccleſiæ, gratisque nolit Viſitator viſitare.

REGULA XVII.

Quando determinatum eſt à Jure Viſitandi tempus, juxta hanc determinationem viſitatio facienda eſt.

REGULA XVIII.

Erga Monachos ſanxerat *Conc.* AUREL. *fortè ann.* 511. ut non ſemel, ſed ſæpiùs in anno Epiſcopus viſitaret. *Can.* 29. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

REGULA XIX.

S. GREG. ann. 598. juſſerat ut viſitandi, & exhortandi ad Monaſterium, quoties placeret, Epiſcopus accederet, ea tamen lege, quod ſic charitatis impleret officium, ut nullum gravamen Monaſterio inferret; ex qua conditione concludere fas eſt, non determinatas iri Viſitationes, ſi ſine Eccleſiarum onere factas vellent Viſitatores.

REGULA XX.

A fine VI. ſæculi Monachos viſitandi tempus determinarunt, vel indefinitum reliquerunt hi Canones. Colligentur ſtatim ac collecti fuerint, qui de Monachis ſolùm loquuntur. *Ibid.* Cap. 28.

REGULA XXI.

INNOC. III. *ann.* 1212. Cap. 21. *De Cenſib.* accedenti correctionis cauſa ad Regularem Eccleſiam Epiſcopo, Procurationem, bis in anno recipere permittit; ubi notandum non reſtringi Viſitationes, ſed tantùm Procurationes.

Nec *Conc.* LATER. ſub INNOC. III. Cap. 7. *De Statu Mon.* nec HONOR. III. Cap. 8. *eod Tit.* nec *Conc.* VIANNENSE *Clem.* 2. *eod. Tit.* nec *Conc.* TRID. C. 1. 9. SESS. XXV. *De Regul.* quoties viſitandi Monachi vel Moniales, de quorum Viſitatione ſpeciatim loquuntur, ullo modo determinant.

REGULA XXII.

Jure Decretalium Viſitatio quam autoritate propria facit Archidiaconus annua eſt. *De Offic. Archidiaconi.* Cap. 6. 10.

REGULA XXIII.

Id mutatum poſtea ab aliquo Juris Textu non legitur.

REGULA XXIV.

Conc. TRID. de hac Viſitatione faciens mentionem, de tempore quo facienda eſt nihil dicit. Cap. 3. SESS. XXIV. *De Reform.*

REGULA XXV.

Si quæ alicubi facta eſt circa hoc, Conſuetudinis vi, mutatio, ſequenda eſt Conſuetudo, modo legitimè præſcripta ſit. Ex Cap. 3. mox cit. *De Offic. Archid.* infertur jus Viſitationis in Archidiacono Conſuetudine regi.

REGULA XXVI.

Circa Epiſcopalis Viſitationis tempus, hæc tantùm in Corpore Juris, & *Conc.* TRID. leguntur.

Juxta *Conc.* TARRAC. *ann.* 516. annuis vicibus Diœceſes viſitare debent Epiſcopi. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 10.

Conc. BRAC. II. *ann.* 572. præſcribens quæ facienda ſunt in Viſitatione, circa tempus ne verbum quidem habet. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 52.

De eadem loquens PELAGIUS, *ann.* 580. de tempore ſilet. CAUS. X. QUÆST. III. Cap. 4. 10.

Idem facit GREG. *ann.* 602. Cap. 9. *ibid.*

Conc. TOLET. IV. *ann.* 633. præcipit Epiſcopis, ut per ſingulos annos ſuas Diœceſes viſitent. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 11.

Ordo Romanus, quem ſæculo tantùm IX. patuiſſe eruditi exiſtimant, quolibet triennio ab Epiſcopo viſitandam Diœceſim inſinuat, dum præcipit Archidiaconis ut id faciant, ſi Epiſcopus non poteſt. *De Offic. Archidiac.* Cap. 1.

Conc. CABILON. II. *ann.* 813. de obligatione viſitandi, & de iis quæ per Viſitationem facienda ſunt, meminit, ſed de tempore non meminit; inſinuat quidem ex neceſſitate determinandum viſitandi tempus, dum ait, *Si quando peragranda Parochia neceſſitas incumbit.* Verùm duplex eſt neceſſitas; nempe alia, quæ à præcepto imponitur, alia, quæ ex periculo naſcitur; de utraque intelligi poteſt relatus locus.

HONOR. III. *circa annum* 1218. Cap. 16. *De Offic. Jud. Ordin.* Jura Epiſcopalia recenſens, annuæ Viſitationis meminit. INNOC. IV. *circa ann.* 1252. viſitandi formam præſcribens, tàm pro Epiſcopis quàm pro aliis, Viſitationis Epiſcopalis tempus, ſicut nec aliarum non definit. Conſtitutio hæc refertur Cap. 1. *De Cenſib. in* 6.

Concil. TRIDENTINUM *ſub* PIO IV. C. 3. SESS. XXIV. *De Reform.* præcipit Epiſcopis, ipſorúmque

que Superioribus, ut si quotannis propriam Diœcesim propter latitudinem per se, vel per Vicarium Generalem visitare non possint, majorem ejus partem visitent, ita ut tota biennio compleatur.

REGULA XXVII.

Nullum est à Jure Legatis præscriptum tempus ad visitandum.

REGULA XXVIII.

Quoad Metropolitanum, Innoc. IV. præcipit, ut priùs visitet Diœcesim propriam, eâque visitata Provinciæ suæ Visitationem inchoet, quâ completa eamdem requisito Suffraganeorum consilio, etsi non obtento assensu, iteret. *De Censib.* Cap. 1. *in* 6.

Hinc nec primæ, nec secundæ Metropolitani Visitationis ullum definitum est tempus, nec quoad illam inchoandam, nec quoad illam complendam, nec quoad illam iterandam; sed tantùm veritum, I. Ne ante completam propriæ Diœceseos Visitationem Provinciam visitare inchoet; idque quia chariores sibi esse debent oves propriæ quam alienæ: II. Ne priusquam singulas Provinciæ Diœceses, vel totas, vel illarum partem visitarit, Provinciam iterum visitet.

REGULA XXIX.

Bonif. VIII. *ann.* 1298. innovans Innoc. IV. Constitutionem declaravit Metropolitanum liberè posse Provinciam visitare, & iterare Visitationem camdem, & primæ & secundæ Visitationis tempus illius arbitrio relinquens.

REGULA XXX.

Benedictus XII. *ann.* 1336. loquitur quidem de jure Provinciam visitandi, quo gaudent Metropolitani, sed circa tempus quo jure illo uti debent nihil dicit.

REGULA XXXI.

Conc. Trid. *sub* Pio IV. *anno* 1563. Sess. XXIV. *De Reform.* Cap. 3. hæc habet. *A Metropolitanis verò etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesia, neque Diœceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali.*

Qua Constitutione nedùm restricta est admodum in Metropolitano visitandi facultas, sed succedente *Conciliorum* Provincialium abrogatione extincta est, contra tamen *Concilii* Tridentini intentionem, quæ alia non fuit quam impedire, ne Metropolitani sua abuterentur potestate, in grave Suffraganeorum, istorúmque subditorum, dispendium.

REGULA XXXII.

Ad visitandi modum pertinent quæ sequuntur,

I. Juxta illius Supremi post Christum Pastoris edictum, Pastor forma gregis factus, ex animo dignoscitur, non dominandi libidine, sed amore rectè regendi debet illum salubriter visitare: Sic excessus delinquentium quantùm potest corripiens, ne revelet; sic increpans ne confundat. Quia cùm juxtà Sapientis edictum secretò sit arguendus amicus, amicitiæ legem violare videtur, si contrà palam arguit increpando: Hinc Vitanda in Visitatione quæcumque dominandi animum denotant.

Hinc vitandus quoque imprudens, indiscretúsque Zelus, quo corrigenda palàm corriguntur; unde contingit, ut quæ curationi proxima erat plaga, insanabilis propemodum fiat: Hinc non introducendi Sæculares in Monasteria quæ visitantur, non solùm ne illis scandalo sint Regularium culpæ, sed potissimùm ne Sæcularibus pateant, quæ illos latere maximè cupiunt Regulares, indéque isti injusto exitiosóque pudore suffundantur. Cap. 17. *De Offic. Jud. Ord. in Par. decisa.*

II. Sic visitare debet Visitator, ut quæ sunt Jesu Christi quærere videatur, non quæ sua sunt. *De Censib.* Cap. 23.

* Hinc vetitum, ne in angariis Presbyteri, Diaconive, aut aliquibus fatigentur indictionibus. Caus. X. Quæst. III. Cap. 6.

Ne Episcopi erga subditos, seu erga socios Tyrannidem exerceant, nec cum quadam judiciaria invectione stipendia ab iis exigant, sed cum charitate. *Ibid.* Cap. 7.

Ne Episcopus visitans, ulli præ multitudine onerosus sit, nec unquàm quinquagenarium evectionis, sive equorum numerum excedat, aut ampliùs quàm una die per quacumque Basilicam commoretur; ex qua postrema prohibitione excipiendus videtur casus, quo evidens Ecclesiarum utilitas majorem commorationem exigeret. *Ibid.* Cap. 8.

Circa verò evectionis; sive equorum numerum, de quo mox dictum est, *Conc.* Later. *ann.* 1179. vetat, ne Archyepiscopi 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Cardinales 25. Archidiac. 5. aut 7. Decani sub Episcopo constituti 2. unquam excedant. *De Censib.* Cap. 6. declarátque secundùm tolerantiam dictum esse intelligendum quod de numero evectionis concessum est, à Deo, ab Evangelica Pastorum humilitate, Canonicáque eorumdem modestia alienum, ídque observare non licere, nisi in ditioribus Ecclesiis, in pauperioribus autem locis tantam tenendam esse mensuram, ut ex accessu Majorum minores meritò non doleant se gravari, nec sub tali indulgentia, illi qui paucioribus equis uti solebant, credere debere plurium sibi concessam potestatem; eodem sensu sumendum est quod de prædicto evectionis numero, à cit. mox *Concil.* Lat. definito dicit. *Conc.* Later. sub Innoc. celebratum, dum numerum istum, qui nimius videtur, mediocritatem vocat, eámque probans servari præcipit.

Nota ex relato Textu inferre licere versùs finem XII. sæculi, nondum cepisse Abbates, Monasteria visitantes, modestiæ limites transgredi, cùm *Conc.* Lat. tunc celebratum, circa Visitationem abusus reformans, ac de Prælatis Episcopo inferioribus faciens mentionem, de Abbatibus non meminit.

Hinc qunque scilicet, ne sua quærere videatur Visitator, Procurationes accipere non debet, nisi personaliter visitet. *De Censib.* Cap. 23.

Quod *Conc.* vetat hic, postea nonnullis à Sede Apostolica permissum est. Extravag. I. *De Censib.* *§. Si verò.*

Propter eamdem causam cavere debet Visitator, ne ipse, vel quisquam suorum, aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, præsumat recipere. *De Censib.* Cap. 1. *in 6. §.* 5. Procurationes non in pecunia, sed in victualibus moderatas expensas accipere deberet. *Ibid.*

Sed cùm rerum experientia doceat, quod ex denegata libertate solvendi in pecunia Procurationes, tàm visitantibus, quàm locis, Ecclesiisque visitatis, multa incommodorum dispendia proveniant; concessum est Visitatori, ut à volentibus solvere in pecunia accipiat pecuniam: quæ licentia non solùm in commodum solventium, sed etiam ne cupiditatis umbra in Visitatore appareat, utpote contento iis, quæ sibi à visitato offeruntur, concessa est, & a *Conc.* Trident. confirmata. Cap. 3.

Cap. 3. *Seff.* XXIV. *Ib.* Propter eamdem rationem prohibitum visitanti, ne duas Procurationes pro una die accipiat, etsi plura loca visitet, quorum quilibet ad Procurationem solvendam sufficiat. Cap. 3. *Ibid.*

Propter eamdem causam *Conc.* TRID. præcipit, ut Visitatio gratis fiat in locis, in quibus sic fieri consuevit; quod contrarium videtur Cap. 16. *De Præscript.* in quo INN. III. docet Procurationem præscribi non posse, sicut nec Visitationem, cùm præscriptio una sit ex conditionibus ad Consuetudinem stabiliendam requisitis, contrarium tamen non est: Etsi enim ad Consuetudinis constitutionem præscriptio requiratur, Consuetudo à Præscriptione multum differt, cùm ista bonum privatum spectet, illa publicum; ista vim Legis non habeat; illa habeat; ad Præscriptionem ab initio ad finem usque bona fides sit necessaria, ad Consuetudinem verò non item, nec esse possit; cùm actiones à quibus incipit fieri soleant à scientibus Legem, eámque negligentibus, vel spernentibus; Consuetudo Legi derogare possit, Præscriptio secùs. Adde quod agitur de re Juris merè Positivi, ideóque *Conc.* TRID. potuisset probare Præscriptionem circa eam rem, etsi eamdem Præscriptionem reprobaverit circa Visitationem. Cap. 3. SESS. XXIV. *De Ref.*

III Ne qui ex cupiditate visitarent, justitiæ limites transgredi possent, constitutum, ut si qua facta sit communi alicujus Regionis Episcoporum consensu, Procurationis taxa, qualis in Sicilia, tempore S. GREG servetur. CAUS. X. QUÆST. III. Cap. 9.

Constitutum etiam, ut si ad hoc præfixa sit aliqua summa, vel privata conventione, vel Consuetudine, non amplius exigatur. EXTRAVAG. I. *De Censib.* Cap. 3. SESS. XXIV. *De Ref.*

Propter eamdem causam varii Canones Procurationem, quæ exigi posset, præfixerunt: Tales sunt suprà citati circa evectionis, vel equorum numerum: Tales quoque EXTRAVAG. I. *De Censibus*, in qua BENEDICTUS XII *ann.* 1336. considerata cujusque Visitatoris Dignitate, ac Regionum opulentia, vel paupertate, spectatis quoque Ecclesiarum visitatarum facultatibus ex illarum Dignitate, numeróque Ministrorum in illis deservientium, præscriptis vel æstimatis omnibus, præstituit cuique, quid exigere possit, tàm à Monasteriis quàm ab aliis lo is.

Circa quam EXTRAVAG. notandum obiter plus in illa taxari Germanos quàm Gallos; Gallos verò quàm Hispanos; Hispanos verò quam Italos; Unde colligere licet Germanos opulentiores fuisse quàm Gallos; Gallos quam Hispanos; Hispanos quam Italos, vel Papam favere voluisse illis quos minus taxavit.

Propter eamdem causam constitutum, ut in locis, in quibus Procurationes in victualibus solvuntur, Visitatori convivia parentur secundùm qualitatem locorum & facultates illorum. Cap. 4. 10. QUÆST. III.

Constitutum quoque, ut Visitator, qui ultra debitum acceperit, maledictionem incurrat, à qua non liberetur, nisi duplum restituat, cui faciendæ restitutioni mensis conceditur. ultra quem si differat, vel sibi Ecclesiæ ingressus interdicitur, si Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus sit; vel ab Officio Beneficióque suspenditur, idque donec restituerit, etsi dantes restitutionem remitterent. Cap. *De Censib. In* 6. §. 5. Cap. 2. *ibid.*

Has pœnas innovavit *Conc.* TRID. præcepitque, ut aliis etiam pœnis hujusmodi Visitator mulctetur in *Concilio* Provinciali

BENED. XII. cit. EXTRAVAG. ad restitutionem dupli duos menses concesserat, ultra quos illum differentes ab ingressu Ecclesiæ suspendebat, sive in gradu inferiori, sive in superiori constituti essent, modo suo nomine visitassent; quod si alieno, ab Officio Beneficióque suspendebat: Præterea ad eamdem restitutionem obligabat illos, qui de familia, vel comitatu Visitatoris aliquid exigebat, vel recipiebat ultra summam præfixam, duósque menses ad illam concedebat, ultra quos differentes si Clerici forent tamdiu ab Officio, Beneficióque suspendebat, si Laici ab Ecclesiæ ingressu, & à Sancta Communione, donec restituissent, arcebat.

REGULA XXXIII.

Executionem illorum, quæ in Visitatione mandata, Decreta, vel judicata sunt, nulla appellatio, nulla exemptio impedit.

Quoad appellationem Regulæ ratio esse videtur, in correctionibus appellatio non suspendit. Cap. 32. 37. *De Appellat.* Cap. 10. SESS. XXIV. *De Ref.*

Exemptio, de qua hic *Conc.* talis est, quæ correctioni non subtrahat, alioquin à Visitatione etiam liberaret.

SECTIO XXII.

I. Quandò, & quomodò Episcopus possit visitare Ecclesiam suam Cathedralem?

II. Quid possit, & quid debeat facere in hac Visitatione?

III. An duratio illius determinata sit?

IV. An debeatur illi hanc ob causam aliquod jus Procurationis?

Supponimus Episcopum jus habere invisendi suam Ecclesiam Cathedralem, quia prima est, & aliarum suæ Diœcesis Ecclesiarum exemplar; & si non liceret ipsi illam visitare, ut eandem emendet, parùm esset utile, quod posset inspicere alias Ecclesias, posito quod non illam rectè moderaretur, qui in ea regnarent abusus plùs valerent, quam Sanctiones, quibus aliæ corrigerentur. Exemplum Cathedralis esset causa, sive occasio, & prætextus aliis ut perseverarent in perturbatione, & adimeret Episcopo libertatem sæviendi in illas. Quare *Concilium* TRIDENTINUM *in* Cap. 4 SESS. V. *De Ref.* expressè declarat, Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Majorum, & privatos, ex quibus componuntur, non futuros tectos, seu excusatos quâcunque Immunitate, Consuetudinibus quibuslibet, Judiciis, Juramentis, Concordatis, quæ solùm Autores obligant, & non eorum Successores, quo minus possint corrigi, visitari, emendari, quoties hoc videbitur necessarium, etiam ex autoritate Apostolica, ab omnibus Episcopis, & aliis Prælatis Superioribus, sive per se solos, sive cum illis quos judicabunt Assessores assumere, secundùm Constitutiones Canonum.

Eadem de causa Articulus undecimus *Ordinationis* AURELIANENSIS huic Decreto posterioris, subjicit propriis verbis, omnia Capitula, sive Sæcularia, sive Regularia, Visitationi Episcopi.

Inde fit adhuc, ut CAROLUS IX. petens à *Concilio* TRIDENTINO abrogationem immunitatum, non omisit mentionem facere de exemptionibus Capitulorum; illud demonstrat Articulus vigesimus sextus suarum Postulationum.

Reverâ in Comitiis anni 1615. Clerus & Nobilitas nolebant consentire promulgationi *Concilii* TRIDENTINI in Gallia, nisi ea lege, ut conservarentur in eâ Immunitates Capitulorum, non obstantibus Decretis *Concilii*, quæ iis derogant, sed Partes tantum nodo in illo loquuntur; nam Nobilitas à Clero devincta erat, & Clerus secundi ordinis pro suo proprio commodo adducebatur: Aliunde Decretum *Concilii*, spectans ad derogationem exemptionum Capitulorum ratione Visitationis, adoptatum fuerat ab *Ordinatione* AURELIANENSI jam à 75. annis; nam sancita fuerat anno 1560. & Decretum est anni 1547. itaque valde verisimile est Clerum non spectasse hanc speciem exemptionis, cùm probè nosset abrogatam illam esse Constitutione citata, & hanc adhuc existere, quia *Ordinatio* BLESENSIS, quæ eam multis in Capitibus correxe-

correxarat, non intactum illud reliquerat; imò Articulus vigesimus septimus *hujus Ordinationis* 1579. dat locum credendi, quod si hac ætate extitissent Capitula non subjecta Visitationi Ordinarii, non toleravisset talem exemptionem; nam statuit, ut si Monasteria immediata Sedi Apostolicæ subjecta intrà annum in Congregationem non constituerentur, nec visitarentur ab Inspectoribus Ordinis, eadem ad Jurisdictionem Episcopi redirent: Indè autem sequitur, quod Constitutio non omisisset Capitula immunia subdere Visitationi Episcopi, si quæ non illi fuissent subdita, quia minùs tolerabile est, Capitula, quæ tantam habent conjunctionem cum Episcopo, non esse Visitationi ipsius subjecta, quam si Monasteria alius Professionis quàm Episcopus, ipsius Jurisdictionem pro Visitatione non agnoscerent.

Præterea nostra *Concilia* Provincialia habita post Ordinationes prædictas, necnon & *Concilium* TRIDENTINUM, juxtà mentem illius & Ordinationum citatarum, non prætermittunt collocare Ecclesias Cathedrales inter loca quæ debet Episcopus inspicere, eáque ut debitum eisdem honorem conservent, statuunt ut ab iis incipiatur Visitatio Ecclesiarum Urbis, & non ad alias transeatur, nisi postquàm perfecta fuerit earum Visitatio; atque ut par est, ut inspectio Urbis fiat ante inspectam Diœcesim, & non suscipiatur Diœcesis Visitatio, nisi postquàm finita fuerit Urbis lustratio. Vide *Concilia* BURDIGALENS. 1581. *Concilium* AQUISEXTANUM 1585. *Conc.* TOLOSAN. 1590. *Concil.* NARBONENSE 1609. *Tit. De Visitatione.* Hac in re tam valdè consentiunt, ut singula, aut alia exscripsisse, videantur, aut ab aliis transcripta, quamvis fortè posteriora non legerint, quod anteriora jam hac de re constituerant; quod profectò oritur ex eo quod recta ratio suggerit præcipuam causam inspectionis Diœcesis, quæ est, ut agnoscatur grex, ut corrigantur vitia, emendentur abusus, confirmetur in virtute populus, præcipuum habere locum in Cathedralibus; quia Clerus illarum Ecclesiarum potior est pars gregis, & ejus rectæ vitæ ratio mirum in modum confert ad dirigendum partium aliarum agendi modum. Itaque quamvis alia *Concilia* GALLICANA, posteriora *Concilio* TRIDENTINO, non ea pressè loquantur de Visitatione Ecclesiarum Cathedralium, sine dubio illas comprehendunt in eo quod statuunt; ut visitentur Ecclesiæ Diœcesis; quia ratio Decretorum singulariùs contingit Ecclesias Cathedrales.

Non possunt restringi Canones citati ad Ecclesias Cathedrales non immunes: Nam I. loquuntur indistinctè; & agitur de re quæ spectat proximè animarum salutem; atque ideò valdè opportuna: II. Ecclesia Cathedralis TOLOSANA tunc erat immunis, ut est hodiè; & non excipitur: III. *Concilium* TOLOSANUM *in num. 16. Tit. citati de Visitatione*, monet, in eo quod pertinet ad inspectionem, *Concilium* TRID. dedisse Episcopo autoritatem Sedis Apostolicæ, quâ, cùm opus esset, uteretur, in hoc ergo etiam exempti Canonici Episcopis subjici debent: IV. Idem *Concil. n. 9. C. 3. primæ Partis* declarat Capitula Provincialia, quæ sibi exemptionem arrogant, esse subjecta Decretis *Conciliorum* Provincialium, etiam ex voluntate Sedis Apostolicæ, quod accepit à *Concilio* MEDIOLAN. IV. *C.* 14. *Pars.* 2. *celebrato ann.* 1576. Hoc *Concilium* affert ad hoc Decretum Sanctissimæ Sedis, quod derogat in hoc puncto omni exemptioni: Ratio hujus derogationis petitur ex eo quod non sit conveniens, ut Capitula sint potioris conditionis quàm Episcopi, qui subjiciuntur Decretis *Conciliorum* Provincialium.

Hæc *Concilia* hactenùs allata non sola sunt quæ possunt allegari in gratiam Juris Episcopalis lustrandi Ecclesias Cathedrales. *Concilium* ROTHOMAGENSE illud adhuc constituit, cùm dicit: *Nullam immunitatem impedire ne Episcopus præcipuâ in Ecclesias autoritate valeat*, quod certè sufficit ut tribuatur jus illas visitandi.

QUÆSTIO I.

Cùm sic probatum fuerit quòd oportuit supponere, transitur ad Quæstiones propositas. Dicitur circa Primam, juxta Canones citatos, & Articulum trigesimum secundum *Ordinationis* BLESENSIS, qui jungi illis debet: *Episcopum non solùm posse, sed debere quotannis Ecclesiam suam Cathedralem adire, nisi ejus Diœcesis tam latè pateat, ut non possit illud lustrare intrà annum; quo in casu tenetur tantùm visitare suam Cathedralem altero quoque anno.* Concilia GALLICANA & *Comitia* BLESENSIA judicarunt Visitationem Episcopalem tam necessariam, ut voluerint illam quotannis fieri, nisi Diœcesis latitudo & amplitudo non pateretur; & in hoc casu exceptò duos tantùm annos concesserunt ad visitandam omnem Diocesim; itaque ut Ecclesiæ Cathedrales sunt præcipua loca ab Episcopo inspicienda, necesse est ut ea possit lustrare singulis annis, aut saltem intrà biennium: Quod si Episcopus ea tantùm possit visitare in anno aut biennio, oportet ut omninò perfecerit primam Visitationem antequàm incipiat secundam, quod non impedit ne si accideret aliquid extraordinarium in Ecclesia Cathedrali, quod exposceret ut illam visitaret, in jure esset illud agendi, ut mederetur casui intervento. *Pater* THOMAS. *Part.* 4. LIB. II. *Tit.* 94. *n.* 11. affert post FAGNANUM Decreta Congregationis Cardinalium, quæ probant hanc exceptionem; nituntur probabiliter in *Cap.* 6. *De Off. Archidiac.* & in *Cap.* 21. *De Censibus.* Primum docet, quanquàm Canones non permittant Archidiacono, nisi unam tantùm Visitationem per annum, eosdem excipere nihilominus casus, in quibus requirit necessitas Ecclesiarum; ut sæpiùs eas inspiciat, *nisi talis causa emerserit propter quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpius visitare.* In altero videtur quod, cùm agitur de correctione instanti, licet Episcopo, ut bis visitet, etiam cum jure Procurationis: *Cum ad ipsam Ecclesiam causa correctionis accesserit, moderatam in ea Procurationem recipiat bis in anno.* Quidquid sit de fundamento prædictorum Decretorum, constat exceptionem justam esse; nam causa quâ efficitur prima Visitatio legitima, potest bis occurrere in eodem anno, & exigere secundam Visitationem.

Hac sanè de causa *Concilium* TRIDENT. derogans immunitati Capitulorum, ratione Visitationis Diœcesani, permittit, ut illa visitet quotiescunque necessarium existimaverit, & ut possit, etiam resistentibus Capitulis. Ad hoc Sedis Apostolicæ autoritate fulcitur: *Toties, quoties opus fuerit visitari ... autoritate Apostolicâ possint & valeant.* SESS. VI. Cap. 4.

Quoad modum quo Episcopus debet Ecclesiam suam Cathedralem visitare, *Concilium* TRIDENTINUM libertatem ipsi relinquit, ut vel solus visitet, aut tales assumat, quales judicabit ad hoc convenientes Assessores: *Per se ipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis.* In quo magnum est discrimen inter eum, qui visitat Capitulum immune, & qui procedit contra Canonicum immunem extra Visitationem; nam in hoc ultimo casu *Concilium* TRIDENTINUM duos Episcopo dat Adjunctos; unum quem Capitulum potest eligere; alterum quam relinquit optioni Episcopi. SESS. XXV. *De Ref.* Cap. 6. Sed quod spectat ad Adjunctos non usitatur inter nos; itaque differentia observata nihil ad nos attinet. Hæc observatio non tamen inutilis est, quia nostrâ refert non parvi, ut Jus Commune, necnon & Jus Gallicum probè calleamus. Quælibet sint generalia illa verba, *illis quibus sibi videbitur adjunctis*, nullo modo verisimile est *Concilium* Episcopo facultatem dare, ut secùm Laïcos ducat in Visitatione Cathedralium. In simili casu exclusi fuere à Papa Honorio III. Cap. 17. *De Off. Jud. Ordin.* Agebatur de Visitatione Monasterii Sancti REMIGII ab Archiepiscopo REMENSI: Conquerebantur Religiosi quod secùm in eo duceret Sæculares, & jussum illi fuit, ut non comitarentur illum, nisi Canonici & Religiosi.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Si Ecclesia Cathedralis sit Parochialis, Episcopus potest, & debet in ea visitare quidquid potest, & debet inspicere in aliis Ecclesiis Parochialibus; nisi Capitulum haberet Jurisdictionem quasi Episcopalem in hanc Parochiam, quod non posset sibi vindicare sine Titulo Canonico difficili inventu. Itaque pro more Episcopus potest & debet invisere Ecclesias Cathedrales, non solùm Confessionalia, Sacrum Tabernaculum, Sacram Pixidem Augustissimæ Eucharistiæ, Altaria, Sacrariom, Ornamenta; sed etiam Fontes Baptismales, Sancta Olea, Sacrum Chrisma inspicere. Hæc duo & Eucharistia sunt adhuc ex illis, quæ debet & tenetur visitare; posito etiam quod Princeps Capituli sit Parochus Canonicorum, Beneficiariorum, Capellanorum, & aliorum hominum immediatè subjectorum Jurisdictioni Capituli.

Cùm Ecclesia purè Cathedralis est, nihil aliud in ea inspiciendum Episcopo incumbit præter Statuta, Librum punctuationum, Computationes spectantes ad fructus destinatos sumptibus communibus, Lites, Reparationes, Emptionem Ornamentorum, Solutionem rerum creditarum Corporis, nec non distributionum, sive acceptarum è Mansa, sive collectarum è fundationibus particularibus, quarum funda sunt in manibus Capituli. Hìc tantùm de rebus mentio fit, quæ propriæ sunt Capitulis; nam quoad alia, quæ sunt etiam in aliis Ecclesiis, supponitur quod Episcopus potest ea visitare in Ecclesiis Cathedralibus, ut alibi, cùm sit eadem ratio.

Quoad inspectionem Statutorum, multæ Provinciales Synodi supponunt illam pertinere ad Episcopum, & hac de causa mandant Capitulis, ut illa repræsentent Episcopo cùm visitabit, ut ea examinet & corrigat, si necessarium videbitur, & ut subjiciantur emendationi: Talia sunt præ cæteris primum *Concilium* COLONIENSE 1536. *Conc.* TOLETAN. 1566. *Conc.* MECHLINIENSE 1570. *Concilium* COLONIENSE *Par.* 3. *C.* 19. ita se explicat: *Operæ pretium videtur, Statutorum Volumina inter Visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati & fraternæ charitati minùs consentanea sunt resecare.*

Concilium TOLETANUM sciens, quædam esse Capitula, quæ minimè curaverant facere Recollectionem Statutorum suorum, & timens molestos hujus negligentiæ exitus, nempe oblivionem, & inexecutionem eorum quæ præscribunt, Episcopis mandat, ut huic confusioni consulant per Visitationem, jubentes recolligi Statuta huc illud dispersa, & in Corpus redigi, postquàm emendatum fuerit quod necesse est ut resecetur: Et ne in posterùm hæc Statuta correcta adhuc ignorentur, & non observentur, statuit ut Episcopi tempus definiant, in quo poterunt legi, ono quoque anno, in Capitulo, coram omnibus Canonicis: *Episcopi in Ecclesiarum Cathedralium Visitatione sollicitè curent, ut ipsarum Ecclesiarum Statuta, quæ dispersa oblivioni tradi solent, & in desuetudinem abire, in unum Volumen redigantur, & si qua emendatione indigere videbuntur, juxtà Canonicas Sanctiones & Juris Ordine servato emendentur, atque omnia publicè in Capitulo, saltem quolibet anno semel, tempore ab eodem Episcopo constituto, omnibus Canonicis præsentibus legantur.*

Concilium verò MECHLINIENSE habet hoc particulare, quod, cùm mandaverit Prælatis Cathedralium & Capitulis, ut subjiciantur Ordinationibus Visitationis ab Episcopo eorum factæ, de correctione Statutorum suorum, minetur illis pœnas, quas judicabit imponendas: *Injungit Ecclesiarum Prælatis, Præpositis, Decanis & Capitulis, ut Episcopo visitanti, & Statuta corrigenti, vel reformanti, pareant sub pœnis Episcoporum ipsorum arbitrio imponendis.* Decret. de Revisend. Statutis.

Si *Concilia* suprà citata, de jure quod habet Episcopus visitandi Cathedrales, non faciant mentionem expressam de jure exigendi, ut repræsententur ipsi Statuta, eaque examinandi & reformandi per Visitationem, ex eo provenit, quod nimirùm crediderunt illud in primo inclusum esse, & hac de causa non esse necesse de eo particulatim loqui. Fundata sunt in conjunctione hujus examinis cum emendatione abusuum, quæ est finis Visitationis; nam Statuta Capitulorum sunt Regulæ eorum agendi rationis in communi & in particulari, in corpore & in membris; si vitiis laborent oportet ut sit in Capitulis perturbatio, & idem est, si, cùm sint singula bona, non accuratè serventur. Itaque non facilè restitueretur rectus ordo in Capitulis, si desierit esse, aut continuaretur in illis, si conservatus fuerit non inspectis eorum Statutis, ac cum vita eorumdem collatis; & quando se semper bene moratè gesserunt, honori magno debent ducere si Episcopus hoc examen faciat, ut teneatur annotare in rei gestæ actis exscriptis, se magno cum solatio suo invenire Statuta accuratè observata fuisse.

Quod dixi de Statutis, idem & dicendum de Consuetudinibus & usibus Capitulorum, Episcopus debet eas examinare per Visitationem, ut reformet quod reputabit non esse Canonicum & confirmet reliquum.

Transeundum esset ad alia Capita, quæ Episcopus debet examinare in Visitatione Capitulorum Cathedralium, sed anteà necessarium est ut referatur Canon *Concilii* CAMERACENSIS 1565. *T.* 13. Cap. a. qui confirmat omnia quæ dixi de examine Statutorum in Visitatione: *Primùm cognoscant de fide, vitæ Sanctimonia, & moribus, sive Visitatio fiat in Monasteriis, sive Capitulis, tàm Cathedralibus quàm Collegiatis: Cognoscant deinde de Regula ac Statutis, an serventur an negligantur, & singula ritè ac ordinatè constituantur:* Primum quod incumbit Episcopo faciendum in Visitatione sive Monasteriorum, sive Capitulorum, aut Cathedralium, aut Collegiatorum, est, ot examinet fidem illorum & mores; deinde par est ut videat Regulam & Statuta, & animadvertat an observentur, anve violentur, an etiam quæ in eâ præscripta sunt ea omnia sint consentanea bonis Regulis. Statuta Capitulorum eadem sunt ac Regula Monasteriorum, quia sunt ergà Canonicos, quod Regula est ergà Monachos.

Alia jura, quæ Episcopus potest & debet exercere per Visitationem Capitulorum Cathedralium, sunt consequentiæ juris ponderandi hoc tempore, an Statuta observentur; nam solent loqui de Officio Punctuatoris Deputati, ut notet illos qui absunt a Divino Officio, aut qui in eo culpas admittunt, & quæ pœnæ sint reis imponendæ: Loquuntur etiam de administratione reditûs destinati ad communes impensas, necnon de Ministris, quibus credita est. Oportet igitur 1. ut Episcopo jus habenti repræsentetur per Visitationem Liber punctuationum, ut videat quinam Officio desint, & ipse eos puniat, si Capitulum non sit immune, aut pœnas ab illis repetat per Capitulum, si sit immune. Quod mox dixi de remissione animadversionis ad Capitulum est solùm pro decentia seu decoro, nam ut suprà animadversum est, non est ulla immunitas quoad Visitationem & quoad animadversionem & Correctionem, quæ eam sequuntur. Tales attentiones alunt bonam Episcopum inter & Capitulum concordiam.

Concilium BUOANSE *ann.* 1279. *Cap.* 45. quod videtur esse primum quod ordinaverit punctuationem, docet factum Statutum illud esse, ut Superior certiùs cognosceret reos, & meritam ab iis pœnam repeteret, nam cùm mandasset Canonicis, ut adessent saltem tribus horis præcipuis Officii, Matutinis, Missæ, & Vesperis, & per Episcopum, per Capitulum, aut aliquem alium Superiorum monerentur, qui non interessent Officio; cum adhuc privasset distributionibus diurnis, eos, qui moniti, non se corrigerent; addit, ut hæc Constitutio rectiùs observetur, necesse esse, ut quodque Capitulum quosdam deputet, qui scribant absentias & negligentias reorum: *Si quis eorum in prædictis appareat negligens, vel remissus, & per Diœcesanum, vel Capitulum, vel alium Superiorem admonitus non emendaverit . . . . quotidianis distributionibus*

nibus illius diei, quo absque rationabili causa abfuit à Divinis in aliqua de tribus horis prædictis, sit ipso facto privatus per Diœcesanum, vel alium Superiorem suum; si hujusmodi negligentiam non studuit emendare, graviùs puniendus; & ut hujusmodi Constitutio meliùs observetur, deputentur aliqui à singulis Capitulis Cathedralium... qui absentias & negligentias talium notent & scribant: Quod Concilium dicit de triplici genere Superioris Canonicorum, nempe Episcopo, Capitulo, aut alio aliquo Prælato, ostendit, hoc tempore, ut hodiè, esse Canonicos immunes, & non immunes; exemptos verò duplicis esse generis, alii immediatè Capitulo subjecti erant, & alii immediatè alteri Prælato quàm Episcopo, & Corpori Capituli subdiri erant. Ut igitur Episcopus jus habet in Canonicos animadvertendi reos, & ut per Librum Punctuationum culpas illorum agnoscit, ipsi licet illum videndum expostulare per Visitationem, ut possit illos castigare, qui meriti fuerint.

Infertur idem ex *Cap. 42. secundæ Partis primi Concilii* Mediolanensis, *habiti ann.* 1565. Divos Carolus cùm in eo loquatur de Officio Punctuatoris, dicit tria convenientia materiæ: Primum, quod Punctuator debet notare absentes & eos qui culpas admittunt in Choro: Secundum, quod debeat Episcopo remittere ut & Capitulo Librum Punctuationum unoquoque mense, &ettereà quotiescunque requirent: Tertium, quod præter Punctuatorem constitutum a Capitulo, sit alter electus ab Episcopo, & quod unaquaque hebdomada ambo Libros suos sibi communicent, quòd si inter se in aliquibus Capitibus dissentiant, Episcopus & Magnus Vicarius terminent eorum controversias, sine forma judicii, & sine appellatione. Revera exindè sequitur quod ad Visitationem Episcopus jus habet petendi communicationem Libri Punctuationum, cùm 1. possit illam expostulare quotiescunque judicat necessarium. 2. Opus habet illa tunc temporis, sive ut cognoscat culpas Canonicorum, quas debet punire, sive ut videat an Punctuator suus cum Punctuatore Capituli congruat, aut ut finiat eorum contentiones, si quas habent.

Itaque meritò dixi jus examinandi Statuta Capitulorum per Visitationem, illud includere, ut inspiciantur Libri Punctuationum, cùm Statuta definiant modum istos Libros faciendi, & quibus pœnis plectendi sint illi, qui in eos tanquàm rei notantur; sed nonminùs recto cum fundamento addidi idem jus continere adhuc, ut repræsententur & exhibeantur rationes de administratione redituum destinatorum impensis communibus; nam non minùs pertinet ad Episcopum, ut Statuta observentur in hoc puncto quàm in aliis, & in eos animadvertere, qui ea violant, & hoc præsertim convenit tempore Visitationis, quia ideò fit ut bonus ordo restituatur, ubi desiit esse, aut ut vigeat ubi servatus est.

Jus idem adhuc manat è duobus aliis; & hoc est Jus inspectionis generalis in omnia bona Ecclesiarum suæ Diœcesis, quo potestas datur illi impediendi ne dissipentur, & dissipatione fundationes sint sine executione: Alterum jus est, ut Sacri Canones observentur in eo quod spectat ad suam Diœcesim, nam benemulti Statuunt ut reditus ad usus pios applicentur, quibus destinati sunt. Eos recollegi in Consultatione hac de re facta, ac referenda ad Tractatum *De Beneficiis*. Præter hos Canones Generales sunt & Particulares, qui mandant Administratori redituum destinatorum ad distributiones quotidianas, ut eos partiantur omnibus, juxtà Regulam à Canonibus præscriptam, cum prohibitione; ut dent eos illis, qui aut absentia sua amiserunt, aut culpis in Choro admissis, sub pœna ut restituat è suo fundo quidquid contra Regulas tribuerit, & ut perdat distributiones mensis. Vide I. *Concilium* Mediolan. 1565. *Part.* 2. *Cap.* 43. & hi Canones si accipiantur intrà Diœcesim Episcopi, qui facit Capituli Visitationem, debet efficere, ut illi in eodem observentur.

Quæstio III.

Nullus adhuc repertus est Canon, qui definierit durationem Visitationis in uno quoque loco aut Ecclesia; & valdè varisimile est nullum esse, quia evoluta sunt omnia *Concilia*, quæ sanxerunt Constitutiones de Visitatione: Quod si *Concilia* nihil hac de re statuerint, non quia defuit occasio; nam per multa retrò sæcula Visitationes fuere valdè onerosæ Clero & populo, propter numerum immensum hominum & equorum quos secum ducebant Visitatores, pro cujus moderationa multos promulgavere Canones, & ut hi Canones non fierent, Visitationis prorogatione, non fructuosi, duratio ejusdem præscribenda fuisset, itaque nisi hoc egerint, indicium illud certum est non potuisse, quia Visitatio debet esse magis aut minùs longa, juxtà magnitudinem, aut parvitatem locorum, qualitatem & numerum negotiorum, quæ ipsi incumbunt perpendenda, & ordinanda. Unum illis supererat agendum quod statuerunt Visitationem fore tàm brevem, quàm Ecclesiæ necessitates permitterent; & *Concil.* Trid. illud mandavit Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 3. *Studeant quam celerrimè, debitu tamen cum diligentia, Visitationem absolvere.*

Sed quamquam *Concilia* determinavissent diuturnitatem Visitationis pro dignitate Ecclesiarum, ut nonnulla definierunt longitudinem Synodi Diœcesani, & cùm, *verbi gratia*, statuissent Episcopum finiturum intra duos aut tres dies Visitationem Ecclesiæ Cathedralis, hæc determinatio nihil profuisset quamvis Episcopus voluisset; nam potuisset allegare Regulam: *Tempus non currit legitimè impedito;* oportere ex hoc detrahere tempus legitimi impedimenti, & cùm voluisset Capitulum deprimere prorogatione examinis hujus agendi rationis, causatus esset impedimenta, aut fecisset ut orta fuissent; aliunde Capitulum, quod voluisset subterfugere reformationem quam Episcopus facere intendisset in Visitatione, consumpsisset tres dies in tricis, cùm modo recusaret Statuta repræsentare, aut Libros Punctuationum, aut rationes sumptuum communium, & modo exhiberet scriptiones aut imperfectas, aut lectu difficiles; quo casu, Episcopus has tricas, quasi impedimenta muneri suo adimplendo reputans, potuisset contestari contra, & pergere Visitationem ultra tres dies; quod dedisset locum appellationi simplici, aut appellationi tamquam ab abusu, quam Capitulum in longum produxisset. Præterea, posito etiam quod ex utraque parte bona mente actum fuisset, potuisset sæpè accidere, quod magna Episcopi in Urbe negotia cogerent illum, ut prorogaret multùm Visitationem; & cùm Capitulum pro nullo habere se ejuraret omne quod ageretur, Episcopus nihilominùs pergeret, pro certo tenens, impedimentum prorogare tempus, quod attulisset divisionem & lites inter utrumque.

Sed redeamus à casu supposito ad realem casum: Videtur certum Capitulum non recipiendum esse, si quereretur quod Episcopus insumeret longius tempus ad illud visitandum, cùm diuturnitas Visitationis non definiatur, & quando præscripta esset, occupationes ordinariæ aut extraordinariæ Episcopi in Urbe, apud Judices illum excusarent.

Quæstio IV.

Ut resolveretur Quæstio Jure Decretalium, facilè judicaretur Episcopum qui visitat suam Cathedralem posse exigere ab illâ jus Procurationis, nam *Cap. 14. De Censibus*, sic statuit & decidit in casu ejusdem generis. Agebatur de Monasterio sito in Urbe Cenomanensi; Episcopus ab illo petebat jus Procurationis, cùm illud visitabat: Monasterium duas ob rationes de eodem jure cum illo contendebat: Prima quod erat in Urbe, & ita nullam faciebat impensam quamvis illud visitaret. Secunda quod nunquàm illud solvisset: In hac contentione Papa Honoratus III. Monasterium damnavit ad solvendum hoc jus juxtà dispositionem Canonum. Abbas & Conventus intentionem Episcopi frustrari mo-

liuntur, quod eorum Monasterium in CENOMANENSI villa situm esse dignnscitur, & ipsi Procurationem hactenus non solverunt.

Sed quantùm Jus Antiquum favet Episcopo, tantùm illi Jus Novum adversatur; nam *Concil.* TRIDENTINUM SESS. XXIV. Cap. 3. *De Ref.* mandat Episcopis, ut pro jure Visitationis solùm accipiant impensam, quam facere tenentur; & adhuc statuit, ut quam minimam poterunt, faciant; & exinde sequitur nihil debere exigere à Cathedrali sua cùm illam visitant, cùm nulli fiant sumptus ad hanc Visitationem. Hoc fundamento nixa Congregatio Cardinalium Interpretum *Concilii* TRIDENTINI declaravit nullum jus Procurationis debitum esse ad Visitationem Cathedralis & aliarum Urbis Ecclesiarum. FAGNANUS *in* Cap. *Quoniam. De Constitut. n.* 27.

SECTIO XXIII.

I. An Prælatus Delegatus à Papa ad visitandam Ecclesiam Collegiatam, Secularem, aut Regularem, cum plena potestate reformandi omnes abusus, & sanciendi Ordinationes, & Statuta nova, qualia judicabit necessaria, teneatur facere has Constitutiones per Visitationem, aut an ipsi liceat solùm mandare faciendas per se ipsum, aut per eum quem committet?

II. An in ultimo casu Delegatus multum habeat temporis ad faciendas novas Ordinationes?

III. An, ut eas sanciat, teneatur manere in loco sua Visitationis.

QUÆSTIO I.

Posset aliquis credere Prælatum præpositum ad faciendam Visitationem, cum potestate nova Statuta promulgandi, debere ea per Visitationem sancire: Ecce cur. Visitatio est actus principalis commissionis, omne reliquum est illi subordinatum, oportet igitur ut cùm potestas visitandi expiret Visitatione finita, idem fit de alia omni potestate data consequenter.

Revera Regulæ adjunctum, seu accessorium, sequitur conditionem, aut naturam principalis, hoc sic postulat; nam potestas faciendi nova Statuta, est solùm accessorium potestatis visitandi, atque adeò debet sequi hujus sortem, incipere & finire cum illâ: Idem est in hoc puncto de Prælato commisso ad visitandum, ac de Prælato Delegato ad judicandum, nam facit non servato ordine judiciario, quod Judex facit observando hunc ordinem; hujus autem potestas desinit ubi primum sententiam pronunciavit. Idem igitur debet esse de altero, oportet ut potestas ejus expiret statim atque suam Visitationis sententiam dixit. Ratio hujus est quod tunc munus suum adimpleverit, functus est Officio suo.

Sed non obstantibus his omnibus rationibus, existimo, Prælatum præpositum ad visitandum, cum potestate nova Statuta faciendi, posse ea post Visitationem condere, dum in sententia Visitationis inserat se facturum illa juxtà potestatem sibi traditam sua Provincia. Sententia mea nititur *Cap. 9. & 26. De Offic. Jud. Deleg.* & multis rationibus. Videtur per *Cap. 9.* Jurisdictionem Judicis Delegati durare, usque dùm sententiam suam executus sit, aut mandaverit alii illius executionem; nam si quis dicat illam expirare executione sententiæ, dat intelligendum illam durare usque ad hoc tempus: *Consultationi tua taliter respondemus, quod ex quo Judex Delegatus per se, vel per alium, sententiam executioni mandavit, vel mandari, pracepit ejus autoritas & Jurisdictio cessat.* Cùm reddit posteà rationem decisionis, dicit, quod post executionem sententiæ Judex munus omne suum compleverit, quia semel functus est Officio suo.

Caput 26. supponens Jurisdictionem Judicis Delegati durare usque dum illius sententia executioni mandata sit, tempus determinat, in quo debet illam exequi, quod est intra spatium unius anni completi. *Nos tamen per æquitatis semitam incedentes, præsentium autoritate statuimus, ut Delegatus à nobis, non solùm usque ad quadrimestre tempus, quod ad solvendum debitum à Lege reo conceditur, sed usque ad integrum annum Jurisdictionem sibi commissam, ad exequendam sententiam valeat exercere*: Ut igitur Prælatus præpositus ad visitandum est quasi Judex, qui solùm ab aliis differt in eo quod suam Jurisdictinuem exerceat, sine forma aut specie judicii, sententiam suam dicens de plano & simpliciter; alii verò tantùm judicant servato ordine judiciario, oportet ut habeat tempua ad executionem suæ sententiæ, & si decreverit se nova facturum Statuta Jurisdictionem suam ipsi prorogari intra tempus quantùm necessarium est, ut ea dirigantur, modo quam poterit utiliori.

His Textibus possum jungere Cap. 5. *Ejusdem Tituli* docens, quod cuicunque aliqua Provincia demandata est, concedatur plena potentia, in omne quod ad eam spectat, quia ex eo quod causa sibi committitur super omnibus quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem: Unde potest diem dicere Clientibus, cogere & punire contumaces, quamvis commissio non illi expressè tribuat potestatem: *Hoc tibi autoritate præsentium innotescat, quod postquam ei causa, licèt simpliciter, delegatur, satis potest nostra autoritate Partes compellere, & etiam contumaces severitate Ecclesiastica coercere, etiamsi litera commissionis id non contineant, aut Partes mandatum nostrum non habeant, ut accedant.*

Revera ex eo sequitur, quod, cùm quis delegatur ad visitandum cùm potestate sanciendi Statuta, si necesse sit, & cùm Visitationem faceret, mandavit se facturum Statuta necessaria, intentio Delegantis est ut habeat ad hoc omne tempus quo opus habet post Visitationem, aliter potestas fieret aliquomodo inutilis defectu temporis requisiti, ut illud exequeretur.

Sed non soli illi Canones sententiam meam probant, idem multis rationibus evincitur; nam præter eas, quas inserui in explicatione Textuum citatorum, hæc videtur maximi ponderis; Prælatus præpositus ad visitandum, & promulgandum Statuta, in casu necessario, non potest replere secundam Partem suæ commissionis, nisi postquam primæ satisfecerit; nam per Visitationem cognoscere potest, ut par est, statum Ecclesiæ in cujus gratiam debet Statuta sancire; nec potest ea facere quin plenè hanc Ecclesiam cognoscat; necesse est igitur ut visitet, antequam Statuta ordinet. Plura dicenda: Rei gravitas exigit adhuc ut postquam, per Visitationem, cogniti sunt omnes abusus, qui sunt corrigendi, attendatur libero & expedito animo ad vias, quibus possunt cessare, ita non solùm non operæ pretium est ut ordinentur Statuta per Visitationem; verùm etiam expedire videtur, ea per aliquod tempus differre; quærenda sunt remedia oportuna tam ad prævertenda mala futura, quàm ad sananda præsentia; aliter reformatio est valdè imperfecta, & parvæ diuturnitatis, nam confusio proximè redit, si sublatis aliquibus malis, causa subsistat. Adde quod si hujusmodi Visitatio fieret, impensis Ecclesiæ, Visitatio nimium illi onerosa foret, posito quod ea pendente Statuta condenda essent; hæc enim res longa & magna cum maturitate facienda.

QUÆSTIO II.

Post ea quæ dicta sunt de prima Quæstione, facilè resolvetur secunda; nam visus est Textua, qui definit tempus in quo Judex Delegatus sententiam suam exequi debet; sed est etiam observatum, hunc Textum loqui de Judice, qui suam Jurisdictionem exercet in materia contentiosa, servando formulas judiciarias; Visitator autem in eo non aliam sæpissimè Jurisdictionem quam Voluntariam exercet, & si aliquando se immisceat negotiis Jurisdictionis Con-

tentiosæ

tentiosæ, illud agit non servato ordine Judiciario; unde sequitur quod illud quod est in hoc Textu odiosum, ut limitatio temporis dati ad executionem sententiæ, non habet locum in Visitatore, sed hujus restringendam esse applicationem ad ea quæ sunt apta: Exinde adhuc sequitur non esse definitum tempus ad executionem sententiarum Visitationis, imprimis cùm res continent, quæ non possunt opportunè fieri, nisi multo tempore.

Quæstio III.

Aliquis est dubitandi locus, an præpositus ad Visitandum cum potestate promulgandi novas Ordinationes, eas possit extra loca facere, in quibus Visitationem fecit: Nam I. illud est effatum acceptum, in utroque Jure Civili & Canonico: „Impunè quem „non obedire omni Prælato Jurisdictionem exercen„ti extra Districtum aut Territorium. Extra Terri„torium jus dicenti non paretur impunè„. Loca verò, ad quorum inspectionem Delegatus eligitur, sunt Territorium illius, itaque si jus dicat extra hæc loca, licet illi non obtemperare; & consequenter quemadmodùm nihil magis ad Jurisdictionem pertinet quàm ut Leges sanciantur, oportet ut Visitator, de quo agitur, non possit Statuta facere extrà loca Visitationis; cum sint veræ Leges.

II. Innocent. III. *Cap. 7. De Off. Leg.* dat intelligendum, Legatum non posse validè jus dicere, nisi in locis suæ Legationis; nam cùm Philippus Augustus conquestus esset, quòd Legatus, cùm esset extra Galliæ Regnum, sententiam Interdicti pronunciavisset, & cùm contendisset illud sufficere, ut nulla efficeretur, Summus Pontifex respondet habere alias Regiones Legatum in sua Legatione contentas, & in illis Regionibus illum fuisse cùm Regnum Galliæ Interdicto supposuerat: *Tuæ Magnificentiæ respondemus, quod etsi fines Regni Francorum exierat, nondum tamen fuerat terminos suæ Legationis ingressus, cùm non solùm in Regno Francorum, sed in* Vienn. Lugdun. & Bisontin. *Provinciis injunctam sibi à nobis Legationis sollicitudinem suscepisset.*

III. Unus ex Articulis Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ est, ut Legati in Galliam missi, nullam ibi possint Jurisdictionem exercere, nisi quanto tempore morantur, & quod agunt in eo Regno, aut ante ingressum, aut post egressum, sit nullum; hoc autem videtur oriri ex eo quod in Gallia creditur, Visitatorem extra Territorium Jurisdictionem exercere non posse, ideòque nec Statuta proposita condere.

Tamen multùm abest; ut hæ rationes impediant tenere, Prælatum, de quo loquimur, posse ordinare extra loca Visitationis nova Statuta, eaque sancire, & facilè id probari potest. Hoc est discrimen Jurisdictionem Voluntariam inter, & Jurisdictionem Contentiosam, quod prima possit exerceri in omni loco, ista autem solùm potest in territorio exerceri; quod provenit ex eo quod ad dicendum Jus Contentiosum, ut par est, multæ sunt formulæ observandæ, non necessariæ in functione Jurisdictionis Voluntariæ; dies danda est Clientibus, eorum audiendæ sunt rationes, in Jus vocandi sunt sæpiùs testes, & eorum accipienda est testificatio, oportet ut in utroque impendantur quidam Ministri ad hoc destinati. Hæ formulæ ferè non possunt observari, si Prælatus in locis non moretur. Leges autem & Statuta promulgare, illud ad Jurisdictionem pertinet Voluntariam, his formulis non subjectam. Unde multa sunt exempla Legum à Summis Principibus sancitarum extra Regna propria. Reverà Divus Ludovicus, dum iter faceret ad militiam Crucis, & in Terra Sancta immoraretur, aut circa illam Regionem, in gratiam Regni Galliæ Ordinationes promulgavit. Henricus III. cùm esset adhuc in Polonia idem fecit, & Ludovicus XIV. Edictum ordinavit Pensionum 1671. Athæ apud Belgas. De dicta differentia inter utramque Jurisdictionem actum est in *Institutionibus Ecclesiast. & Benef. Part. 1. Tit.*

Aliæ probationes hujus sententiæ colligentur ex responsionibus rationibus objectis. Revera cùm dicitur licere non parere illi, qui jus dicit extra Territorium, mentio fit de exercitatione Jurisdictionis in loca, & in homines illi non subjectos, saltem ratione domicilii. In hoc sensu Bonif. VIII. accipit hoc effatum in *Cap. citato*, nam eo utitur ut probet illos, qui sunt extra Diœcesim Episcopi, non esse subditos ipsius Ordinarionibus, etiamsi sint aliundè Diœcesani.

Quoad rationem excerptam ex eo quod Papa Innoc. III. contendit Legatum potuisse pronunciare sententiam Interdicti contra Regnum Galliæ, quod adhuc esset in territorio suæ Legationis, quamvis egressus esset è Gallia, dici posset Papam unicè intendere, ut refutet jactatam Interdicti nullitatem, quia Legatus erat extra Regnum cùm illam protulerat; & hanc refutat demonstrando quod, si Legatus esset extrà Regnum, non erat extra Jurisdictionem suæ Legationis, & hoc sufficiebat ad conservandam illi potestatem exercendi suam Jurisdictionem in Galliam, quia Legatus missus ad varia Suprema Imperia, potest exercere facultates suæ Legationis, tàm in illud inquo non manet, quàm in illud Imperium in quo moratur. Quod potest confirmari & dilucidari exemplo Legati, aut Legati vices gerentis Aventonensis, qui cùm degit in terris Papæ suam Jurisdictionem exercet in Provinciam & in Delphinatum, quæ Provinciæ pertinent ad Regnum Galliæ, & in Principatu Arausiaco ad alium Dominum spectante quàm Papam & Regem Galliæ; cujus ratio est, Legatus ille mittitur nedum pro terris Papæ, sed etiam pro dictis Provinciis. Summus Pontifex potuisset addere quod agebatur de Interdicto extrajudiciario; atque adeò pertinente ad Jurisdictionem Voluntariam, & hanc ob causam non erat necesse, ut Legatus esset in locis, in quibus illud ferebat; sed credidit primam responsionem sufficere.

Ad ultimam rationem objectam nihil dicendùm, nisi quod pro certo teneatur in Gallia, Legatum hunc in ea Jurisdictionem habere incipere postquàm ejus facultates in Tabulas publicas relatæ sunt, cum necessariis temperationibus; & Legationem finire, ubi primùm Legatus cepit & obtinuit dimissionem, & remisit Regesta actorum factorum per tempus quod lis duravit: Undè si Legatus non possit ampliùs exercere Jurisdictionem suam postquàm exivit è Regno, non illud fit aliam ob causam, nisi quia illa privatur tali commeatu; quemadmodùm etsi Regnum appulerit, exercere Jurisdictionem suam non valet ante obtentam licentiam; quia antea agnita non est, proindéque liberum exercitium non habet: Præterea Episcopi è Diœcesi absentes Ordinationes suas condunt, mittuntque ad Diœceses, ut promulgentur, nec eapropter minùs valent, etsi data sit posita è locis è quibus missæ fuerint.

Sectio XXIV.

Continens amplissimam explicationem eorum, quæ dicta sunt de Jurisdictione Ecclesiæ, Papæ, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, & Episcoporum; seu Regula de Vicario Generali; prout sub se Officialem comprehendit, è Corpore Juris Canonici, necnon ex Concilio Tridentino *excerpta, quibus præmittuntur, & explicantur quæcumque ad Jurisdictionem exteriorem, tàm in genere, quàm in specie consideratam pertinent.*

Ut dicturi de Officio Confessariorum, vel Jurisperitorum, vel Medicorum, nonnulla prælibare debent de peccatis, de Legibus, de morbis, quia illorum Officium circa peccata, Leges, morbósve versatur: Ità & nos tractaturi de Vicario Generali sub se Officialem comprehendente, per Regulas præmittimus plurimas circa Jurisdictionem exteriorem in genere & in specie,

quia officium illius in exercendâ Jurisdictione exteriori totum positum est, & in Jurisdictione exteriori ab Episcopo vel Archiepiscopo istorúmve Superioribus acceptâ. Hanc autem Jurisdictionem vocabimus simpliciter Jurisdictionem, brevitatis causâ, quod semel monuisse sat erit.

PARS PRIMA.

Regula circa Jurisdictionem in genere.

Quæ ad Jurisdictionem in genere spectant, ad hæc Capita reducemus.

I. Quid sit Jurisdictio?
II. Quotuplex?
III. Quibus viis acquiratur & amittatur?
IV. & V. Quibus, in quos, in quæ competat?
VI. Qui effectus?
VII. Quæ proprietates?
VIII. Qui abusus vitandi?

De Jurisdictionis vocabulo nihil dicimus, quia Jus Canonicum quicquam peculiare habere nobis non videtur; usurpavit enim illud à Jure Civili, in quo Titulus *de Jurisdictione omnium Judicum* inscriptus, ubi eodem sensu ac à nobis accipitur. Notamus tamen obiter nullum nos reperisse Canonem, CAUS. XI. QUÆST. I. qui est Sancti GREGORII, ideóque sexto sæculo antiquiorem, in quo Jurisdictionis vocabulum usurpetur, & eodem quo hîc sensu.

CAPUT I.

Quid sit Jurisdictio?

REGULA.

Jurisdictio non est aliud, nisi potestas Jus dicendi in aliquos à Jure Positivo data, certisque limitibus circumscripta, ac quibusdam formulis exercenda.

Colligitur ex ipsa nominis significatione & ex Titulis Juris, ubi *de Jurisdictione* agitur, quales præcipui sunt illi, qui agunt *de Judice Ordinario* & *de Judice Delegato*; nam si hæc vox, *Jurisdictio*, sine litera *C.* scribatur, significat Juris potestatem, nam hæc duo significat; si verò cum *C.* significat *Jurisdictionem*, ideóque *potestatem jus dicendi in aliquos*, cùm nemo possit Jus dicere, nisi potestatem habeat in aliquos; unde Titulus *de Judice Ordinario*, sic olim inscribebatur, *De Officio & Potestate Prælati & Judicis Ordinarii*, ut videre est in prima Collectione. Titulus autem *de Judice Delegato* inscribitur nunc in Collectione GREGORII IX. ut & aliàs in Collectione prima & secunda, *De Officio & potestate Judicis Delegati*, in quibus inscriptionibus potestas ponitur cum Jurisdictione. Capita, quæ his Titulis supponuntur, sunt Juris Positivi, & quosdam terminos Jurisdictioni tùm Ordinarii tùm Delegati præfigunt, formulásque, quibus exerceatur, præscribunt, vel præscriptas supponunt, servarique præcipiunt.

Hinc inferre licet I. Patriam potestatem non esse Jurisdictionem, eo sensu quo hîc sumitur, quia magis fluit à Jure Naturali quàm à Jure Positivo, nec certis formulis subjicitur.

II. Jurisdictionem exteriorem, de quâ hîc, differre ab interiori, in eo quod certis formulis alligetur, ista verò nullis subjicitur: Per Jurisdictionem interiorem hîc intelligitur, non solùm ea quæ exercetur in administratione Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ, sed & illa, quæ intrà Claustra ab Abbate, vel Priore, vel intra Chorum à Cantore exerceri solet. Interior autem dicitur, quia proximè respicit quæ intrà hominem sunt, illiúsque animæ salutem, cui consulere volentes, quæ de Jurisdictione exteriori dicturi sumus, data ocasione interiori accommodabimus.

CAPUT II.

Quotuplex Jurisdictio?

REGULA I.

Omnis Jurisdictio est vel *Ordinaria* vel *Delegata*.

Nulla alia in Jure reperitur, ut fas est colligere, ex eo quod sint tantùm in eo quinque Tituli, qui tractent de his à quibus Jurisdictio exerceri solet, quique sunt Episcopus, eique similes Prælati, habentes ratione Beneficii sui Jurisdictionem, Legatus, Vicarius, & Delegatus; & ex his solus Delegatus habeat Jurisdictionem Delegatam, cæteri verò Ordinariam. Nam Episcopus aliive ei similes Prælati, quibus Archidiaconum annumerare licet, habent Jurisdictionem à Dignitate perpetua: Legatus, si mittatur cum potestate regendi quasdam Provincias, Jurisdictionem habet à Dignitate non perpetua, sed pro mittentis arbitrio duratura. Idem dicendum de Vicario: Vicariatus enim est Dignitas non perpetua, qualem diximus Legati Dignitatem. Infertur ex CLEMENTINA II. *De Rescript.* Jurisdictio autem, quæ à Dignitate perpetua, vel non perpetua nascitur, est Ordinaria, quemadmodum quæ ex commissione ad unam vel alteram causam est Delegata.

REGULA II.

Jurisdictio tàm Ordinaria quàm Delegata est vel *Voluntaria* vel *Contentiosa*.

Antequam probetur Regula, explicandum est quid per illa verba *Voluntaria* & *Contentiosa* intelligatur. Per Jurisdictionem ergo Voluntariam intelligitur ea, quæ exercetur in volentem, quæ alio nomine dicitur *Gratiosa*, quia gratias distribuit, quæque respicit quidquid extra judicia fieri non potest sine potestate in alios. Jurisdictio Contentiosa est illa, quæ in invitum etiam exercetur, quæ contentiones sive lites terminat, indéque nomen sumpsit.

Nunc facilè probatur Regula; nam Jurisdictionem Ordinariam esse Contentiosam patet toto Titulo *De Offic. Jud. Ordin.* toto Libro secundo & quinto DECRETALIUM, SEXTI & CLEMENTINARUM: Voluntariam etiam esse constat ex Titulis omnibus, qui Beneficiorum spectant distributionem. Jurisdictionem Delegatam, esse Contentiosam liquet ex Titulo *De Judice Delegato*; Voluntariam verò esse palam fit ex Cap. 43. *De Judice Delegato.* Cap. 11. *De Concess. Præb.* pluribúsque aliis, quæ loquuntur expressè de Delegatione absolutionis, vel Beneficiorum Collationis, aliúsve ad illa provisionis.

Notandum obiter circa præcedentes Regulas Jurisdictionem Arbitri esse Delegatam, & ad Contentiosam pertinere, velut partem ad totum.

Notandum etiam præter dictas inter utramque Jurisdictionem differentias, alias interesse, sed præcipuas esse, Jurisdictionem Voluntariam circa res spirituales potissimum versari, de illis tantùm summariè cognoscere, omni loco, omni tempore exerceri posse; Contentiosam verò temporales res imprimis spectare, de iis cum judicii strepitu, servato judiciario ordine cognoscere, extra certa loca vel tempora exerceri non posse.

Sunt qui Jurisdictionis divisionem in *Voluntariam* & *Contentiosam* rejiciant, existimantes soli *Contentiosæ Jurisdictionis* nomen convenire, sed immeritò, cum maximè commoda sit ad ea, quæ ad potestatem Ordinis non pertinent, inter se, ut par est, distinguenda; sunt enim inter illa non pauca, quæ ad Contentiosam Jurisdictionem reduci nequeant, cùm ad potestatem judicandi vel dandi Judices nullatenus pertineant: Talia sunt inter cætera Beneficiorum Collatio

latio, Clericorum Institutio, Indulgentiarum Concessio, Legislatio, Censurarum Fulminatio, earúmque Absolutio: Præterea duplicem tantùm in Episcopo agnoscit potestatem Jus Canonicum, nempè potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis; oportet ergo, ut quæ ad priorem pertinere non possunt, nec ad potestatem judicandi, vel Judices dandi in qua sita est Contentiosa Jurisdictio, aliæ Jurisdictioni vindicet. Adde quod prædicta Jurisdictionis divisio jam diu & communiter recepta est, vocúmque significatio ex usu pendeat, ac ideò sufficiat ut Patribus nostris Jurisdictionem appellare placuerit potestatem illam Episcopalem, quæ nec ad ordinem pertinet, nec ad judicia.

Caput III.

Quibus viis acquiratur vel amittatur Jurisdictio?

Licèt Jurisdictio Vicarii, cujus intuitu de Jurisdictione agimus, sit Ordinaria, nonnihil tamen de Jurisdictione Delegata in hoc Capite dicemus, quia jus seu facultas delegandi recensetur inter Jura, sive facultates Vicarii, necnon & ipsi delegari possit à Papa Dispensationum executio, vel absolutiones nonnullæ. Ideóque interest Vicario, aliísque scire quid Jurisdictioni Delegatæ circa rem quæsitam conveniat; hoc tamen paucis expediemus veluti aliquid nostro Tractatui accidens.

Cùm autem utraque Jurisdictio Ordinaria & Delegata in re quæsita non parum differant, Caput in Paragraphos partiemur. In primo & secundo dicturi *De Delegato*, in aliis *De Ordinaria.*

§. I.

Quibus viis acquiratur Jurisdictio Delegata?

REGULA.

Duplici tantùm via acquiritur Jurisdictio Delegata, quarum prima est frequens, secunda rara.

I. Literis sive Rescriptis ab eo qui delegare potest acceptis.

II. Adeptione Dignitatis, vel Beneficii, cui aliqua causa demandata est, nec finita antequam vacaret.

Primum patet totis Titulis *De Rescriptis* & *De Judice Delegato*, in quibus Delegatio non fit nisi literis.

Secundum constat ex Cap. 14. *De Deleg.* Cap. 10. *De Deleg. in 6.*

§. II.

Quibus viis amittatur Jurisdictio Delegata?

REGULA.

Jurisdictio Delegata non amittitur nisi his viis.

I. Revocatione facta à Delegante, re adhuc integra, & Delegato debitè significata. *De Delegato.* Cap. 19. *De Delegato.* Cap. 6. *In 6.*

II. Morte Delegantis, re adhuc integra, nisi de gratia agatur. *De Delegato.* Cap. 19. *De Delegato.* Cap. 9. *in 6.*

III. Morte unius ex Delegatis, quando simul procedere ex commissione tenentur. *De Deleg.* Cap. 42.

IV. Definitione causæ propter quam data est, ejúsque definitionis executione, aut anni lapsu post definitionem. *De Deleg.* Cap. 9. 26.

V. Amissione Beneficii cui demandata est causa ob quam Jurisdictio data est. *De Deleg.* Cap. 10. *in 6.*

VI. Quando Delegans cessat habere potestatem delegandi, si res sit adhuc integra, ut fit quando Legatus, vel Vicarius desinit esse Legatus vel Vicarius, vel Prælatus amittit Dignitatem, vi cujus Jurisdictionem habet, vel exercitium Jurisdictionis. *De Off. Legati.* Cap. 10.

VII. Excommunicatione denunciata; idem dic de suspensione ab Officio itidem denunciata. *De Offic. Vicar.* Cap. 1. *in 6.*

VIII. Subdelegatione, si res sit incœpta; in quo differt à Mandato, quod expirat constitutione novi Procuratoris, etiamsi ipse sua potestate non sit usus. *De Deleg.* Cap. 37. *De Deleg.* Cap. 6. *in 6. De Procur.* Cap. 3. *in 6.*

IX. Lapsu temporis præfixi à Delegante ad eausam finiendam, nisi Partes ad prorogationem consentiant, cùm præfinitio temporis facta sit in commodum Partium. *De Deleg. in integra.* Cap. 10.

X. Si unus ex Delegatis in solidum, rem demandatam inceperit, tunc enim cæteri amittunt, aut quasi amittunt Jurisdictionem, cùm nequeant se causæ immiscere, nisi uno vel altero casu. *De Procuratoribus.* Cap. 6. *De Delegato.* Cap. 8. *in 6.*

XI. Quando qui solus procedere poterat, propter Delegationem in solidum, cum alio Condelegato procedit, tunc enim solus nequit causam definire, ideóque amittit Jurisdictionis illam partem, quam à socio exerceri consentit. *De Deleg.* Cap. 23.

XII. Cùm unus ex Condelegatis à Sede Apostolica acceptat, cum hac clausula: *Appellatione remota*, vices alterius, Jurisdictionem amittit quoad duo: 1. Non potest subdelegare. 2. Non potest procedere appellatione remota, & antea utrumque poterat. *De Deleg.* Cap. 17. §. *Si verò.*

Adeò notum est Jurisdictionem Subdelegati esse Delegatam, ut vanum videatur monere Subdelegatam cum Delegata hac & præcedenti Regula comprehendi.

§. III.

Quibus viis acquiratur Jurisdictio Ordinaria?

Cùm Jurisdictio Ordinaria, (ut dictum est) oriatur ex Dignitate, vel perpetua, vel non perpetua, ideo agitur hic de modo quo Jurisdictio acquiritur Dignitati non personæ; idem dicendum circa paragraphum sequentem; unde in Regulis utriusque fiet mentio de Dignitate.

REGULA.

In Jure Canonico non aliis viis acquiritur Dignitati Jurisdictio Ordinaria quàm istis.

I. Consuetudine. *De Offic. Archid.* Cap. 10. *De Appell.* Cap. 3. *in 6.* §. 2.

II. Præscriptione. *De Except.* Cap. 6. *De Præscrip.* Cap. 18.

III. Privilegio. *Ibidem.*

Hac in re differt Consuetudo à Præscriptione, quòd vulgò illa pluribus quàm ista Jurisdictionem acquirat: Præscriptio enim singulos, sive membra tangit; Consuetudo verò omnes alicujus Regni, vel Provinciæ Incolas, sive corpus respicit; Abbas, *Verbi gratia*, aliquis contra Episcopum aliquem præscriptione acquirit Jurisdictionem in certas personas vel Ecclesias; Abbates verò totius Regni vel Provinciæ contra Episcopos ejusdem Regni, vel Provinciæ Consuetudine illam adipiscuntur.

Differunt etiam in eo quod vana sit Consuetudo sine præscriptione; una enim ex conditionibus ad bonam Consuetudinem requisitis est, quòd legitimè præscripta sit. Præscriptio valet sine Consuetudine; præscribitur siquidem contra Consuetudinem, & Singuli seorsim sumpti præscribere possunt.

Conveniunt Consuetudo & Præscriptio in eo quod noceant negligentibus, faveant diligentibus, sive quod ex negligentia quorumdam & ex vigilantia aliorum nascantur, dummodo præfinitum ad hoc tempus perduraverit,

In hoc verò differunt à Privilegio, cùm istud ex sola Superioris gratia proficiscatur.

Sunt aliæ viæ quibus Dignitati Jurisdictio potest acquiri: Tales sunt Transactio, Sententia, Concessio in ipsa illius creatione, sed hæ ad explicatas reducuntur, cùm Transactio & Sententia soleant fundari super Consuetudine, vel Præscriptione, vel Privilegio: Concessio verò in ipsa creatione fiat ex Privilegio, quoties Jurisdictio, vel illius quædam pars ipsi Dignitati Jure Communi non competit.

§. IV.

Quibus viis amittatur Jurisdictio Ordinaria?

Considerari potest Jurisdictio Ordinaria vel in se, sive quoad rem; vel in usu, sive quoad exercitium; utroque modo spectatam tangit hic paragraphus.

REGULA I.

Non aliis viis amittit Dignitas Jurisdictionem quoad rem, quàm quibus eam acquirit.

Nempe 1. Consuetudine. 2. Præscriptione. 3. Privilegio alteri concesso. *De Regulis Juris.* Cap. 1. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

Præter contentam loco citato rationem, quæ est generalis, est alia specialis rei de qua agitur, scilicet Jurisdictio nemini acquiri potest quin ab alio amittatur; subditi enim qui acquirenti subjiciuntur, amittenti subtrahuntur; ideòque oportet ut iisdem viis quibus acquiritur Jurisdictio amittatur.

REGULA II.

Non amittitur Jurisdictio quoad exercitium.

I. Nisi Excommunicatione majori denunciata.

II. Suspensione ab Officio etiam denunciata.

Quod generaliter negat Regula, probari nequit, nisi solutione eorum, quæ adversantur, qualia nulla occurrunt: Quod affirmat de excommunicatione majori, patet ex Cap. 1. *De Offic. Vicar. in 6.* Quod asserit de suspensione ab Officio, non eget probatione, cùm Jurisdictionis usus sit pars Officii. Quod de minori excommunicatione negat, dum ad majorem se restringat, constat ex Cap. ult. *De Cler. Excomm. Min.*

III. Sententia, qua Judex declaravit quod illa Dignitas Jurisdictionem non habeat in tali causa vel causæ articulo. *De Deleg.* Cap. 38.

IV. Appellatione legitimè facta; hac enim Judex, à quo appellatur, amittit Jurisdictionem, Cap. 34. *De Appellat.* nisi quoad executionem sententiæ in casibus correctionis, vel disciplinæ, & quoad executionem Decretorum in criminalibus; in utroque enim genere casuum appellatio non habet effectum suspensivum.

V. Translatione domicilii extra Superioris Ditionem: Hinc enim perit istius in transferentem Jurisdictio. *De Parroch.* Cap. 5.

VI. Sententia, à qua non est appellatum, quaque judicatum est Ecclesiam Prælato Inferiori non Superiori subjici. *De Sententia & Re.* Cap. 13.

VII. Mutatione status, ut si Ecclesia subdita Archidiacono erigatur in Cathedralem; quod hic dicitur de Ecclesia, extendi potest ad personam, quæ ex Clerico fit Episcopus. *De Majorit.* Cap. 16.

VIII. Delegatione causæ ad Ordinarium pertinentis, à Papa vel Legato, alteri facta. *De Purg. Canon.* Cap. 15. Non servatur in Gallia, nisi Ordinarius sit suspectus.

IX. Expressa derogatione à Superiore autoritatem habente facta, ut si Papa commendans Ordinario propriæ Jurisdictionis rem, ei expressè detoget, jubens ut de ea tantùm cognoscat tamquam à se Delegatus. *De Offic. Jud. Deleg.* Cap. 12. Non servatur in Gallia.

Relati casus à tertio usque ad nonum aptiùs præcedenti Regulæ subjiciuntur quàm isti, quia in his non amittitur solùm exercitium, sed pars aliqua Jurisdictionis; non ideò tamen falsa est præcedens Regula; nam vel isti casus sunt rari, & Regula loquitur de viis Ordinariis, quibus amittitur Jurisdictio Ordinaria, vel reducuntur ad aliquam ex viis de quibus præcedens Regula, vel materia Jurisdictionis tollitur potiùsquam amittuntur Jurisdictio.

Notandum hic videtur I. Jurisdictionem quæ ex Dignitate proficiscitur, acquiri ac amitti iis viis, quibus acquiritur vel amittitur Dignitas: Hinc cùm morte civili, ut & morte naturali Dignitas amittatur, utraque amittatr Jurisdictio.

II. Jurisdictionem Ordinariam & Delegatam convenire, tùm in eo quod Delegata quandoque oriatur ex Dignitate sicut & Ordinaria, nempè cùm Dignitati causa committitur; tum in eo quod Ordinaria revocatione, ut par est, significata pereat interdum, sicut & Delegata, nimirum cùm nascitur ex Dignitate non perpetua; tùm etiam in eo quod utraque, si sit ad tempus elapso præsenti tempore expiret.

III. Utramque Jurisdictionem in eo potissimum differre, quod quantùm ad non cœpta negotia Delegata semper desinat cessante illius à quo est Jurisdictione; cessante verò illius à quo est Jurisdictione Ordinaria, ista quandoque desinat omninò, quandoque verò nullo modo; cessat enim Jurisdictio Vicarii, cessante illum Constituentis Jurisdictione; non desinit autem Legati Jurisdictio, desinente Pontificis, qui illum misit, potestate. *De Offic. Leg.* Cap. 2. *in 6.*

IV. Revocationem Jurisdictionis apud acta publica insinuandam esse, quoties ipsa Jurisdictionis concessio apud eadem acta insinuanda est: Inferri id posse ex Cap. 1. *De Regul. Juris.* LOUET *in Regul. de Infirmis*, n. 197. idem confirmare; sed multò firmiùs ab *Edicto insinuationum* 1691. hujusmodi revocationem insinuari præcipiente.

CAPUT IV.

Quibus competat Jurisdictio?

Quæstio hæc de acquisitione & exercitio intelligi potest, & de utroque intelligitur.

REGULA I.

Neminem censuris non ligatum, nequidem fœminam, excludit Canon ab acquisitione, vel ab exercitio Jurisdictionis.

Nullus invenitur Canon, qui alios à Jurisdictione excludat, quàm excommunicatos, aliisque censuris ligatos Jurisdictioni oppositis; quoad fœminam autem non uno loco declaratur capax Jurisdictionis, ut patet *Can.* 9. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 4. *De Arbitr.* Cap. 12. *De Majorit. & Obed.* Imò hoc ultimo citato Capite declaratur capax Jurisdictionis in Clericos; idem habetur Cap. 4. *De Excessib.*

RATIO RAOULÆ est: Sunt Dignitates Regulares, qualis est Dignitas Abbatis & Abbatissæ, quæ à Laïcis & fœminis validè possideri possunt; unde si Laici & fœminæ capaces sunt Jurisdictionis Ordinariæ, à majori capaces erunt Jurisdictionis Delegatæ. Præterea Jurisdictio Ecclesiastica est res Juris Positivi, ab Ecclesia ergo concedi potest cui vult. Ad hæc sunt causæ, quæ Ecclesiam moveant, ut solos reos, quos communione sua indignos judicat, à Jurisdictione excludat. Fœminas námque à fœminis regi præstat quàm à viris, quando vivunt seorsim à viris. Capax est Jurisdictionis quisquis usu rationis simul & communione Ecclesiastica gaudet, quæ ideo exigitur, quia Jurisdictio est bonum Ecclesiasticum.

REGU-

REGULA II.

Non alii in Canone expressè dicuntur Jurisdictionem Ordinariam habere quàm qui sequuntur.

I. Episcopi & Superiores. *Toto Tit. De Offi. Jud. Ord. & alibi passim.*

II. Abbates & Monasteria. *De Præscript.* Cap. 15. 18. *De Sentent. & Re Jud.* Cap. 13. *& alibi passim.*

III. Abbatissæ. *De Majorit. &c.* Cap. 12.

IV. Capitula. *De Foro Compet.* Cap. 13. *De Testib.* Cap 43. *& alibi.*

V. Archidiaconus. *De Offic. Archid.* Cap. 10.

VI. Decanus. *De Appell.* Cap. 55.

VII. Plebanus sive Curatus. *De Jud. Ord.* Cap. 3.

Hos omnes uno verbo comprehendit *Caput* 2. *De Judiciis*, dum negotia Ecclesiastica Ecclesiarum Prælatis reservat. Hoc enim nomine ad septem memoratos pertinet Ordinaria Jurisdictio; omissi sunt Legatus & Vicarius, quia includuntur in Prælatis quorum vices gerunt.

REGULA III.

Non omnes de quibus Regula præcedens, ubique habuere Jurisdictionem, nec nunc habent.

Quoad præteritum, patet ex eo quod Canones citati à numero quarto, loquuntur de quibusdam locis tantùm.

Quoad præsens, patet ex usu omnibus noto, quoad Capitula, Decanos, Archidiaconos & Plebanos.

Ratio Regulæ est: Jurisdictio, *ut dictum est*, pendet à Consuetudine, quæ nec semper fuit eadem ubique circa hanc rem, à Præscriptione, & Privilegio, quæ sunt Jura peculiaria.

REGULA IV.

Quoties Dignitas habet Ordinariam Jurisdictionem, electo & confirmato ad illam competit Jurisdictio.

Cap. 11. & 15. *De Elect.* loquuntur tantùm de Metropolitano & de Episcopo; sed cùm non sit potior pro istis ratio quàm pro aliis, ad alios extendi possunt.

Extendenda Regula ad eum, qui literas accepit electionis & confirmationis vim habentes; quales quibus in forma gratiosa confertur à Papa Dignitas, vel proprio motu, vel ad nominationem, vel supplicationem alicujus, nominandi vel suplicandi Privilegio gaudentis.

REGULA V.

Jure Communi Jurisdictio Civilis non pertinet ad Ecclesiam, nec ad Laïcas potestates Jurisdictio Ecclesiastica.

Prima pars patet ex Cap. 7. *De Appellat. & Gl. ibidem. in Verbo Credimus.* Secunda pars constat ex Cap. 12. *De Reb. Eccles. non alien.*

REGULA VI.

Potest quis partialem habere Jurisdictionem Ordinariam quoad rem aliquam in eum, qui in seipsum totalem habet hujusmodi Jurisdictionem.

Colligitur ex Cap. 16. *De Majorit.* ubi sermo fit de Ecclesiis Ordinarii, Archidiaconi Jurisdictioni subjectis, & ex Caus. XI. Quæst. I. ubi probatur omnes Clericos, omnésque Ecclesias alicujus Diœcesis subdi Jurisdictioni Ordinariæ istius Diœcesis Episcopi; fieri siquidem potest, ut Episcopo quædam ex his Ecclesiis, quæ ab Archidiacono, alióve inferiore Prælato pendeat, cooferatur; ac tunc Archidiaconus erit quoad hanc Ecclesiam Episcopi Ordinarius, qui simpliciter & in toto habet in Archidiaconum Ordinariam Jurisdictionem.

REGULA VII.

Qui plenam habet Ecclesiæ administrationem, eadem, qua Electus & Confirmatus gauderet, Jurisdictione potitur, excepto tamen uno immobilium alienationis articulo. *De Elect.* Cap. 42. *in* 6.

Quod ibi dicitur de sola Ecclesia Cathedrali, ad alias meritò extenditur quæ per electionem dantur; non enim potior est ratio de una quàm de alia, modò qui administrationem dat, dare possit cum eadem plenitudine potestatis, quod non posse inferiores à Papa certum est, ut infertur ex *Cap.* 4. *De Suppl. Neglig. in 6.* ubi deputatus ab Archiepiscopo Ecclesiæ Cathedrali Administrator Beneficia conferre non posse notatur; quod de Administratore à Papa dato eidem Ecclesiæ, Capite quarto suprà citato non dicitur.

Hujus Regulæ exemplum habemus in Archiepiscopo Lugdunensi erga Episcopatum Heduensem, cujus habet administrationem, occurrente morte Episcopi, & in Episcopo Heduensi erga Archiepiscopatum Lugdunensem, eodem in casu similem administrationem habente in hocce Archiepiscopatu. Uterque hoc casu confert Ordines in alia Diœcesi, vel dat Dimissorias intrà annum.

REGULA VIII.

Pacificè Electus, & à Confirmatore suo nimium distans, eâdem gaudet Jurisdictione ante confirmationem, quâ Administrator, de quo præcedens Regula. *De Elect.* Cap. 44.

Opponi posset contrà istam Regulâm Caput quintum *De Elect. in 6.* in quo *Concilium* Lugdunense sub Gregorio X. *celebratum anno* 1273. jure suo privat ipso facto Electos, qui quovis nomine Ecclesias suas administrant priusquam confirmentur, dicique posset concessam Electis gratiam à *Concilio* Lateranensi, quod sub Innocentio III. *anno* 1215. *celebratum est*, à prædicto *Concilio* Lugdunensi revocatam fuisse. Verùm respondere licet *Concilium* Lugdunense loqui de Electis à Confirmatore suo nimium non remotis, loquitur siquidem de iis, quibus à Jure Ecclesiarum suarum administratio prohibetur; quique idcircò ipsam sibi, ut Oeconomis, committi malitiosè procurant; unde quod à *Concilio* Lateranensi indultum est, à *Concilio* Lugdunensi non revocatur, imò potius confirmatur. Confer utrumque caput, &, si quæ remanet dubitatio, evanescet.

Nota ad hujus Jurisdictionis executionem necessarium videri ut de electione, illiúsque confirmatione constet, facta illarum debita significatione iis quorum interest, cùm potestatem suam non probanti impunè non pareatur, non requiri autem, ut in possessionem missus sit; nam quæ Jurisdictionis sunt, exerceri valent ab Administratore, cui in possessionem mitti non convenit; Confirmatus verò ex ipsa confirmationis vi fit Administrator. Præterea Confirmatus non est pejoris conditionis quàm Electus in loco valdè remoto à Confirmatore suo, cui ante confirmationem Ecclesiam suam administrare finitur, quique proinde non apprehensa possessione administrat. Utrumque patet ex præcedentibus Regulis septima & octava. Prius confirmat Extravagan. I. *De Elect.* cùm suspendat à Beneficiorum suorum perceptione Conventus, & Capitula sine literis confirmationis fidem facientibus, Prælatos, qui se dicunt Confirmatos recipientes; similique plectat pœnâ Prælatos sine talibus literis Jurisdictionem exercentes; eóque modo insinuet ad Jurisdictionem exercendam sufficere ipsam literarum significationem, ideóque necessariam non esse missionem in possessionem præcessisse.

Additio Prima ad Caput IV.

Nonnulla sunt Jurisdictioni Delegatæ peculiaria circa eos, qui illius sunt capaces; ideò paragraphos sequentes adjicimus, quibus non omittendum Jurisdictionis Delegatæ ab Ordinaria discrimen patefiet; præmisso tamen uno aut altero, quibus breviùs expediantur, faciliúsque concipiantur, quæ in paragraphis tractanda sunt.

I. Legatus Summi Pontificis est ejusdem conditionis ac Summus Pontifex, quoad delegandi munus, quia est eadem omninò utriusque Jurisdictio; ideòque hi soli possunt delegari à Legato qui à Summo Pontifice. *De Rescript.* Cap. 11. *§.* 1. *in* 6.

II. Delegatus Summi Pontificis, ac Delegatus ipsius Legati sunt ejusdem conditionis ac illi, quoad idem delegandi munus, excepto tantùm casu paragraphi *Si verò.* Cap. 43. *De Delegato.* in quo illorum Delegati, si aliis commiserint vices suas, non possunt appellari; ac idcircò hi soli, qui possunt ab illis delegari, ab hoc Delegato subdelegari possunt. *De Appellat.* Cap. 62. *De Deleg.* Cap. 12. *in* 6. §. *cit.*

III. Delegatus ab Ordinario & Subdelegatus à Delegato Papæ, vel ipsius Legati, sunt ejusdem conditionis, quoad delegandi jus, eo enim æqualiter carent. *De Appell.* Cap. 61. *De Deleg.* Cap. 12. *in* 6. *§. Etsi.*

§. I.

Qui possit à Papa, ipsiúsque Legato delegari?

REGULA.

Jure Communi delegari nequeunt, nisi infrà notandi.

I. Dignitates, quo verbo Regulares ut Abbatia, ac Sæculares ut Episcopatus, Præpositura, Archidiaconatus, Decanatus, &c. intelliguntur. *De Rescript.* Cap. 11. *in* 6.

II. Obtinentes Personatus. *Ibid.*

III. Canonici Cathedralium. *Ibid.*

IV. Principalis Episcopi Officialis, quo nomine tàm Vicarius Generalis, quàm qui Officialis dicitur, intelligitur. Extendendum istud ad Vicarium Generalem & Officialem Capituli, Sede vacante; quia etsi iste non sit Episcopi Officialis Principalis, est tamen Jurisdictionis Episcopalis præcipuus Administrator. CLEM. II. *De Rescript.*

V. Prior Conventualis, qui distinguitur à Priore Claustrali, in eo quod præsit Monasterio, tamquam Abbas, omniúmque bonorum administrationem habet: iste verò præsit sub Abbate, hàncque administrationem non habet. *Ibidem. Panormit. ibidem.*

VI. Major annis octodecim, qui ex prædictis honorum gradibus aliquem habet. *De Offic. Deleg.* C.41.

Nota obiter: I. Quod ex *Concilio* TRIDENTINO non omnis causa prædictis à Papa delegari possit, cùm Cap 2. SESS. XIII. *De Refor.* velit, ut appellatio ab Episcopo non aliis committatur quàm Episcopis, eorúmque Vicariis.

II. Quod ex eodem Concilio causæ delegandæ in partibus inferioribus Episcopo committi nequeant, nisi ad hoc electi fuerint in Concilio Provinciali vel in Synodo Diœcesana. SESS. XXV. Cap. 10.

III. Quod quantum ad honoris gradum in delegandis habendum, non minimi nominis Autores nonnulli existimant sufficere, ut tempore executionis, quis habeat vel habuerit, quando impetratæ sunt literæ, aut Delegato præsentatæ; cujus ratio hæc esse videtur: in Partium utilitatem Delegatio fit, ideóque in delegando requisita latè interpretanda, quando id necessarium ut Delegatio subsistat.

Ex eodem fonte manat quod Beneficium Consuetudine pro Dignitate habitum possidens delegari possit; undè Plebanus, quia in Tuscia constitutus in Dignitate censetur, inter illos, qui delegari possunt annumeratur.

§. II.

Qui ab Ordinario delegari possint, vel non?

REGULA.

Ex non ligatis censura soli Laïci prohibentur ad Res Ecclesiasticas delegari, minorésque viginti annis, Partibus invitis, & octodecim Partibus etiam consentientibus.

Quod affirmat Regula de Laïcis, necnon de minoribus expressè habetur, primum in Cap. 2. *De Judiciis*; secundum in Cap. 41. *De Offic. Deleg.* Quod negat de cæteris credendum est, donec occurrat Canon, qui idem de aliis quibusdam prohibeat: Id præterea sic probare licet, dubitari tantùm potest de Clericis Ordinis inferioris, & de his constat ex Cap. 9. *De Consecr. Eccles.* vel de Monachis & Regularibus, & de istis paret ex Cap. 14. *De Privil.*

Nota circa dicta in his paragrahis. I. Quod sicut triplex est tantùm personarum genus, à quibus Sedis Apostolicæ Jurisdictio delegari potest; nempe, 1. Papa. 2. ipsius Legatus. 3. Alterutrius Delegatus, ita non est, nisi triplex personarum genus, quibus committi potest, Dignitates, Personatus & Canonici Cathedralium; nam Officiales & Priores Conventuales primo generi includuntur.

II. Quod quantùm ad Jurisdictionem Ordinariorum plures possint per Delegationem recipere quàm dare, quia longè plures sunt qui illam non habeant, quàm qui habeant: isti verò possunt illam ab aliis hoc modo recipere; nam, *Verbi gratia*, Episcopus delegari potest ab Archiepiscopo, & Archidiaconus ab Episcopo,

III. Quod vi Jurisdictionis Delegatæ potest, qui alii simpliciter subjicitur, ut Clericus Episcopo suo, sui Superioris in aliquibus fieri Superior, si ipsi delegetur ab utriusque Superiore Superioris causa judicanda; *Verbi gratia*, si Subdiaconus committatur ab Archiepiscopo in causa Episcopi, ut videre est in Canone *Pervenit.* DIST. LXXXIV. Id non servatur in Gallia ob debitam Superioribus ab Inferioribus reverentiam.

IV. Quod si servetur quod *Concilium* TRIDENTINUM SESS. XXIV. Cap. 12. jussit circa Canonicatus Cathedralium, ut singulis annectatur Sacer Ordo, nullus minor 22. annis potest à Papa, ejúsve Legato delegari, cùm cæteri, de quibus §. primus, ad minus hanc ætatem habere debeant, ac proinde hoc Caput deroget Cap. 41. *De Delegato*, juxtà quod minor 25. annis delegari potest à Papa ejúsve Legato.

V. Quòd si in delegando à Principe, ætas minor sufficiat quàm in delegando ab Ordinario, hoc provenit ex eo quod à majori ætate requirenda Princeps dispensare possit, Ordinarius autem non possit.

Additio secunda ad Caput VI.

Superest adhuc dubium solvendum, an scilicet unus & idem possit simul habere diversas Jurisdictiones, de quo nihil docet Canon quod sequens Regula non comprehendat.

REGULA UNICA.

Non solum Jurisdictio Civilis & Ecclesiastica, Voluntaria & Contentiosa, circa res diversas, sed etiam Ordinaria & Delegata, utraque cùm arbitraria possunt esse in eodem circa eamdem rem.

Prima pars patet ex *Cap.* 10. *De Excessib. Prælat.* quod loquitur de Episcopo habente Jurisdictionem Temporalem.

Secunda

Secunda Pars ex Titulo *De Judice Ordinario*, & Tit. *De Preb.* similibúsve, in quibus videre est ad Episcopum pertinere contentionum definitionem, & Beneficiorum donationem.

Tertia ex *Concilio* Tridentino, quod quædam facienda præcipit Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, quæ ipsis competunt ut Ordinariis; & ex *Cap.* 13. *De Off. Jud. Ord.* in quo Metropolitanus agit ut Sedis Apostolicæ Delegatus in re suæ Jurisdictionis; ex *Cap.* 15. ubi Clemens III. committit Episcopo quod Episcopum posse ex seipso declarat; ex *Cap.* 17. *De Heret. In* 6. ubi de Episcopo dicitur, quod possit contra Hæreticos procedere Ordinaria vel Delegata potestate; ex *Epistola* Zozimi ann. 418. ad Hilarium.

Quarta pars ex *Cap.* 14. *De Præsumpt.* Cap. 21. *De Preb.*

Ratio primæ Partis est: Episcopus potest esse Dominus Temporalis, tam ex Titulo temporali, qualis Donario, Successio, & ratione Patrimonii, quàm ratione Feudi Episcopatui annexi.

Secundæ partis: Episcopus est Administrator Bonorum Ecclesiæ suæ, & Judex subditorum suorum.

Tertiæ: Delegata Jurisdictio juncta Ordinariæ illam confundit.

Nihil incommodi sequitur ex eo quod Partes eligant in Arbitros Judices suos, sive Ordinarios, sive Delegatos.

Caput V.

In quos, & in quæ Jurisdictio competat?

Jurisdictio spectari potest prout convenit Ecclesiæ Universæ, prout convenit cuique Superiori Ecclesiastico, & prout convenit Delegato, de illa quolibet modo spectata quæri potest in quos competat.

Regula I.

Omnis & solus Baptizatus Ecclesiæ Jurisdictioni subditur.

Colligitur ex *Cap.* 4. *De Baptismo*, ubi dicitur quis in Ecclesiam per Baptismum introire, *& ex versu* 12. Cap 5. 13. *Primæ ad Corinthios*, ubi Paulus dicit: *Ecclesiam judicare de his qui intùs sunt, non de his qui sunt foris.*

Regula II.

Omnis persona, res & locus, quæ sunt intra Superioris alicujus Districtum, vel Ditionis limites, ejus Jurisdictioni subduntur, nisi aliàs exempta sint.

Colligitur ex *Capitibus* 16. 21. *De Privil.* ubi exemptus ratione personæ declaratur subditus ratione rei quam possidet, vel loci in quem se transfert, Jurisdictioni Prælati in cujus Ditione sunt prædicta res & locus; nam ideò is ratione personæ non subditur, quia exemptus est; subjicitur verò ratione rei vel loci, quia ista exempta non sunt à Jurisdictione Superioris intrà cujus Ditionem sunt.

Regula III.

Delegati Jurisdictio ad aliud non extenditur quàm in ista.

I. In personas in literis expressas, unde ad alias prorogari non potest, etsi istæ consentiant; quod procedit ex eo quod Jurisdictionem Delegatus accipiat à Delegante, non à Partibus Judicem Delegarum obtinentibus. *De Rescript.* Cap. 14. *De Deleg.* Cap. 9. 15. 22. 40.

II. In eos, qui illum impediunt vel perturbant, etsi in literis non exprimantur. *De Deleg.* Cap. 1. 7.

III. In illos, quibus indiget ut executioni mandetur. *Eod. Tit.* Cap. 9. 28.

IV. In ea, quæ sunt necessaria causæ cognitioni, sive sint expressè in literis, sive non. *De Mutuis Petitionibus.* Cap. 1. *De Deleg.* Cap. 21. *in* Sexto.

V. In res expressas in literis. *De Rescript.* Cap. 14. *De Deleg.* Cap. 31.

Caput VI.

Qui sint Jurisdictionis effectus?

Inter Jurisdictionis effectus possemus annumerare Correctionem, Coercitionem, sive Punitionem, omnésque actus judiciarios, necnon quorumdam bonorum Distributionem, quia hæc omnia vi Jurisdictionis fiunt, sed convenientiùs collocabuntur inter proprietates Jurisdictionis, quibus intelligemus jura, quæ ab illa fluunt, sicut proprietates ab essentia vel natura rei, hoc siquidem modo ab illa emanare videntur; undè unicus superest de quo tractare possimus.

Regula.

Proprius Jurisdictionis effectus hic est, ut innumera, quæ sine illâ facta, eo ipso irrita sunt: facta cum illâ rata sunt, modo cætera ad hoc necessaria serventur.

Deducitur ex Capite 32. *De Judice Delegato, & pluribus aliis citatis*, ubi actum est, quibus viis amittatur Jurisdictio Delegata; nam in omnibus illis, ut in multis aliis, quæ citari possent, qualia sunt *Cap.* 1. 5. 6. 7. 8. 9. Caus. IX. Quæst. II. plurima declarantur irrita ob id solùm quod sine Jurisdictione facta sunt: Undè sequitur, illa rata fore si cum Jurisdictione fiant; ideóque illam propriè efficere ut hæc valida fiant.

Ratio Regulæ est: Quamplurima sunt, quæ in alios fiunt, quæque ideo sine potestate in eos, in quos fiunt, ritè fieri nequeunt, cum tali verò potestate validè efficiuntur: Hæc autem potestas nihil aliud est quàm Jurisdictio, de qua hîc sermo est. Hic effectus convenit cuivis Jurisdictioni, etiam interiori.

Caput VII.

Quæ sint Jurisdictionis Proprietates?

Duplici modo considerari potest Jurisdictio de quâ agimus: I. Ut Jurisdictio. II. Ut spiritualis. Quolibet modo considerata suas habet proprietates; ideóque illas sejungemus ab istis, tractantes prius de proprietatibus Jurisdictionis, ut Jurisdictio est; postea de aliis locuturi.

Regula I.

Non aliæ sunt Jurisdictionis, ut Jurisdictio est, proprietates quàm quæ sequuntur.

I. Quæ sunt Jurisdictionis committi possunt ab Ordinario, à Vicario Generali, à Legato, à Delegato Summi Pontificis, ejúsve Legati. Caus. XII. Quæst. I. Cap. 14. *De Cens. Eccles.* Cap. 19. *De Deleg.* Cap. 3. 6. 7. 10. *In* 6.

II. Cuicumque conceditur Jurisdictio, cætera intelliguntur concessa, sine quibus explicari vel exerceri non potest, qualia sunt Citatio, Jussio, Coercitio, Punitio, Executio. *De Deleg.* Cap. 2. *In secunda Collect. Eod. Tit.* Cap. 39. *In* Gregorii IX. *Collectione.* Cap. 28. *In integra. De Mutuis Petitionibus.* Cap. 1.

III. Seipsam potest deffendere contra illam impedientes. *Eod. Tit.* Cap. 1. *De Major. &c.* Cap. 9.

IV. Jus corrigendi. *Eod. Tit.* Cap. 19.

V. Jus coercendi & puniendi. *Eod. Tit.* Cap. 28.

VI. Ut causæ continentia non dividatur, idcircò ad eumdem Judicem pertinet accessorium & principale.

De

De Deleg. Cap. 21. Nisi sint diversi generis. *De Ordine Cognit.* Cap. 3.

Causa possessionis & causa proprietatis. *De Sequestr. Possess.* Cap. 1.

Rei reconventio & Actoris conventio. *De Mutuis Petition.* Cap. 1.

VII. A privato contra suum Superiorem præscribi non potest passiva Jurisdictio, sive à Jurisdictione immunitus. *De Præscript.* Cap. 12. Secùs de activa circa res & loca, quæ ab Inferiori contra Superiorem præscribi possent, dummodo in aliquibus exemptus sit. *De Præscript.* Cap. 19.

Exceptiones circa primum Regulæ præcedentis membrum.

Licèt Jurisdictioni, ut Jurisdictio est, conveniat, quod committi possit, omnis tamen Jurisdictio committi non potest, nec in toto, nec in parte: idcircò Regulæ sequentes adjiciuntur, quibus patebit in quibus casibus Jurisdictio modo alterutro committi nequeat.

REGULA I.

Non alii leguntur in Canone casus in quibus Jurisdictio committi non possit, nec in toto, nec in parte, quàm isti.

Primus, si Jurisdictio sit Delegata ab alio quàm à Summo Pontifice, vel ejus Legato, & non sit expressè data facultas substituendi. *De Appell.* Cap. 62. *Panorm. Ibid. De Deleg.* Cap. 12. *in 6. §. Etsi.*

Secundus, si sit Subdelegata à Delegato Papæ vel Legati ipsius, qui expressè non permittunt subdelegare. *De Appell.* Cap. 62. *De Deleg.* Cap. 12. *in 6. §. Etsi.*

Tertius, si electa sit industria Delegati, ut putatur electa ratione materiæ, quando commissa est inquisitio, vel electio Prælati, aut Ministrorum. *De Deleg.* Cap. 43. *§. Is autem.*

Censetur autem electa industria personæ ratione formæ, dum hæ loquendi formæ adhibentur: *Causam per te audias, discretioni vel circumspectioni mandamus, conscientiam oneramus, per vos & coram vobis.*

Ob similes causas is, cui committitur absolutio certorum casuum reservatorum aliis, illos committere non valet, undequaque procedat commissio.

Quartus, si delegetur nudum Ministerium, ut fit quando delegatur Excommunicatio, Absolutio, Dispensatio, Pœnitentiarum Injunctio. *Ibid. §. Cæterum.*

Quintus, si injungatur alicui, ut negotium exequatur, & Partes non consentiant ut subdeleget. *§. Is autem* Eod. Cap. cit.

Explicata prædicta exceptione subjiciendæ proprietates Jurisdictionis, ut Spiritualis est.

REGULA II.

Jurisdictio, ut Spiritualis est, non alias habet proprietates quam istas.

I. Seipsam tueri potest per Censuras Ecclesiasticas. *De Deleg.* Cap. 1. *De Majorit. &c.* Cap. 9.

II. Non licèt transigere de Jurisdictione Spirituali pro re temporali, nec illam exercere pro certa pecuniæ quantitate data Committenti, vel illi promissa. *De Transactionibus.* Cap. 10. *Ne Prælati vices suas, &c.* Cap. 1. 2.

III. Suspensio ab Officio efficit incapacem recipiendæ Jurisdictionis, si præcedat, ac receptæ exercendæ, si subsequatur.

CAPUT VIII.

Qui abusus vitandi circa Jurisdictionem?

Tria sunt genera abusuum circa Jurisdictionem, alii enim respiciunt Jurisdictionem in se, & tàm Voluntariam quàm Contentiosam tangunt: Alii spectant Jurisdictionis Contentiosæ exercitium, & isti vel Judiciorum formam vel judicia ipsa: Alii denique pertinent ad usum Jurisdictionis Voluntariæ: Hic agemus tantùm de primo genere; de secundo locuturi dum *de Judiciis*, & de tertio dum *de Electione, Collatione, aliáve ad Beneficia provisione, de dispensationibus, de absolutione à Censuris & ab irregularitatibus.* Quibus locis colligentur, qui cuique Jurisdictioni abusus peculiares sunt.

REGULA.

Non alii leguntur in Canone abusus circa Jurisdictionem in se spectatam quàm isti.

Primus in eo situs, quod sua unicuique Jurisdictio non servetur, sicque Ordo Ecclesiasticus confundatur. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 19. Quod frequens, dum vigebant Mandata Apostolica, reservationes arbitrariæ, parésque evocationes.

Hoc autem fit quando alicui aufertur Jurisdictio quam noscitur habere, absque eo quod culpa sua illius indignus factus fuerit. *De Excess. Prælat.* Cap. 2. Id contingere videtur in præventione Apostolica, in reservationibus injustis absolutionum vel dispensationum.

Quando quis exercet vel vendicat sibi Jurisdictionem in subditos alterius. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 1. 3. 6. 7. 8. 9. *De Cons.* DIST. I. Cap. 1. Adducta exempla hìc recurrunt.

Secundus positus est in eo quod Judices in dispendium Partium protrahunt in longum tempus contentiones circa Jurisdictionem, quas deberent per Arbitros paucis diebus sopire. *De Rescript.* Cap. 14. *De Offic. Jud. Deleg.* Cap. 28.

Hic locum habet in Jurisdictione Voluntaria, dum de institutione Præsentati, vel de visa concedendo proviso Apostolico, vel de institutione autorisabili, aliisve similibus, qui injustè nimium differri queunt.

Tertius consistit in eo quod dolo ab uno foro ad aliud causa trahatur, ut fit quandoque per literas vocitatas *Committimus*, quibus ipsius impetrantis causæ alii foro judicandæ reservantur. *De Alien. Jud. mutandi Causa.* Cap. 2.

Hic quoque accidere potest in Jurisdictione Voluntaria, fraudulenta domicilii translatione ad Ordines, vel Dimissoria ab alio quam à proprio Episcopo accipienda.

Quartus videtur positus in eo quod habens Jurisdictionem limitatam ad certos casus, de re aliqua cognoscat, non discusso priùs, an sit in casu, qui ad ipsum pertinet. *De For. Comp.* Cap. 1. *in 6. & Glos. Ibid.* Idem dic de hoc abusu, quod dictum est de secundo, & tertio; contingere potest Jurisdictionem Voluntariam, in qua Prælatus limites suos excedere potest.

Quintus, si omisso medio Tribunali superius adeatur.

Infertur ex *Cap. 9. De Offic. Ord.* ex *Cap. 1. De Offic. Leg.* ex *Cap. 66. De Appell.* ex *Cap. 2. 5. 6. 7. 8.* CAUS. IX. QUÆST. III. in quibus Archiepiscopus prohibetur Suffraganeorum subditos in prima instantia judicare. Infertur quoque ex *Cap. 34.* CAUS. XI. QUÆST. III. ubi provocantibus ab Episcopo præcipitur, ut ad Synodum Provinciæ, vel ad Metropolitanum, & ab isto ad Primates, vel Regionis *Concilia* recurrant. Infertur etiam ex *Cap. 39.* CAUS. XI. QUÆST. I. ubi legitur quod Ordo Ecclesiasticus confunditur, si sua cuique Jurisdictio non servetur; ex *Cap. 1. De Suppl. Neglig.* ex *Cap. 1. De Foro Comp.* ex *Cap. 3. De Appell. in 6.* ex *Cap. 7.* SESS. XXII. quod, Caput tertium mox citatum innovat; in quibus omnibus legitur, vel Archiepiscopum extra appellationem de causis subditorum Suffraganeorum suorum non posse cognoscere, vel ab Archidiacono non appellandum ad Archiepiscopum, sed ad Episcopum illius Archidiaconi. *Cap. 20.* SESS. XXIV. in quo Ordinariis locorum tribuitur omnium causarum Ecclesiasticarum cognitio in prima instantia, exceptis majoribus

ſotibus, apud Sedem Apoſtolicam tractandis, aliiſque ab eadem Sede evocatis, quarum prima exceptio non ſine limitatione recipitur; ſecunda verò nequaquam in Eccleſia admittitur.

Excipitur ab hoc Articulo Sedis Apoſtolicæ Tribunal, ſed hæc exceptio non recipitur, ſaltem in Gallia. Idem dic de privilegio Apoſtolicæ Sedis, quo Primati, vel Patriarchæ permittitur ut recipiat appellationes à Suffraganeis Metropolitanorum, omiſſis ipſis Metropolitanis: Hujus privilegii meminit *Cap. 9. De Off. Ordin.* Omiſſio medii locum habere poteſt in Juriſdictione Voluntaria etiam Gratioſa.

Sunt alii duo abuſus Juriſdictionis non prætermittendi: I. Illa abutitur quicumque confert ſub annuo cenſu, ſive locat, vel vendit Officia Eccleſiaſtica, quibus annectitur Juriſdictio Spiritualis. *Toto Titulo, Ne Prælati vices ſuas &c.* II. Abutitur Juriſdictione qui Beneficia Officiave, quibus anexa eſt, confert perſonis, quæ illius exercitio incapaces, vel indignæ habentur. *De Præb. Cap.* 28. Primus abuſus utramque Juriſdictionem ſpectat. Secundus reſpicit quoque Juriſdictionem Contentioſam, quæ indignis, vel incapacibus ab Ordinatio committi poteſt. Hactenus de Regulis quæ Juriſdictionem in genere reſpiciunt, nunc de his quæ illam in ſpecie tangunt.

Pars Secunda.

Regula de Juriſdictione in ſpecie.

Quamvis Cardinales, Abbates, ſimileſque Prælati Regulares, Archidiaconi, Decani, Capitula peculiarem habeant Juriſdictionem Ordinariam, ſicut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & Summus Pontifex, poſſintque ſinguli Jure Communi habere Officiales, tractemuſque de Juriſdictione in ſpecie, ut quæ ad Officiales pertinent faciliùs explicemus, non loquemur tamen de cujuſque illorum Juriſdictione, ſed tantùm de Juriſdictione Epiſcopi, & Archiepiſcopi, quia in Corpore Juris Canonici, è quo noſtras Regulas elicimus, non de aliis ſermo fit quàm de Epiſcopi & Archiepiſcopi Officialibus. A Juriſdictione Epiſcopi incipiemus, quia jus prædictum longè plura de Juriſdictione Epiſcopi docet, quàm de Juriſdictione Archiepiſcopi, illaque fit iſtius præcipua Pars, cùm pauca ad Archiepiſcopum, ut Archiepiſcopum, pertineant: Iſta verò accommodari poſſint Primati, Patriarchæ, Summóque Pontifici, conſideratis ut Superioribus Archiepiſcopi.

De Epiſcopi Juriſdictione tractantes agemus: 1. De illa generatim ſumpta. Poſtea de eadem ſigillatim conſiderata. De utroque relaturi quidquid de illo expreſsè docet Corpus Juris Canonici, *Conciliúmque* Tridentinum, & nihil ultra præter Gallicanum circa dicenda uſum.

Caput. I.

De Juriſdictione Epiſcopi generatim ſumpta.

Regula I.

Jure Communi Epiſcopus Juriſdictionem Ordinariam habet in tota ſua Diœceſi, ſolúſque eſt illius Ordinarius; extrà verò, nullam habet. *De Off. Ord.* Cap. 7. *in 6. De For. Compet.* Cap. 13. *De Conſt.* Cap. 2. *in 6. De Parochiis & alien. Paroch.* Cap. 3. *Eod. Tit.* Cap. 4. *in Collectione prima.*

Ex primo ſequitur quod poſſit ſaltem per Officialem ſedere pro Tribunali in omni ſuæ Diœceſis loco *Ibid. Cap.* 7. Sed alius eſt Galliæ uſus, quo in Auditorio ſolito judicialem Juriſdictionem exercere debet.

Ex ſecundo ſequitur quod Statutum Epiſcopi non liget extra Diœceſim etiam Diœceſanos. *Ibid.* Cap. 2.

Ex utroque ſequitur quod omnis perſona, res & locus ſubduntur Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſita ſunt, quæ verò extra ſunt, non ſubduntur.

Regula II.

Omnia Epiſcopi Jura erga perſonas, vel Eccleſias ſibi, ut Epiſcopo, ſubditas, oriuntur ex ipſius in illas Juriſdictione.

Regula patet ex ipſis terminis: Patet etiam ex iſto ratiocinio: „ Quæ debentur Superiori, ut Superiori, „debentur ratione Juriſdictionis, quæ autem debentur „ Epiſcopo, ut Epiſcopo, ei debentur ut Superiori. „ Patebit denique ex dicendis, quæ oſtenſura ſunt quomodo à Canone id colligatur.

Regula III.

Non alia poteſt Epiſcopus Jura ratione Juriſdictionis exigere, quàm quæ in Canone exprimuntur. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 16.

Regula IV.

Expreſſa in Canone Epiſcopi Jura non ſunt alia, quàm quæ in Capite citato referuntur, quæque iſta ſunt.

Patet Regula ex eo quod ibi Epiſcopi jura de induſtria recenſentur. De his juribus fit quoque mentio *in Cap.* 13. *De Sent. & Re.*

I. Canonica obedientia ut Judici & Legiſlatori.

II. Subjectio ut Domino.

III. Reverentia ut Patri.

IV. Inſtitutio, qua intelligitur poteſtas eligendi Eccleſiæ Miniſtros, vel ab aliis electos approbatione confirmandi, vel quod ad idem redit, poteſtas diſtribuendi Eccleſiaſtica Officia, eóſve, qui ab aliis illa recipiunt, examinandi & approbandi.

V. Deſtitutio, qua intelligitur facultas privandi Beneficiis, Ordinúmque muniis.

VI. Correctio, qua intelligitur poteſtas arguendi, puniendíque delinquentes.

VII. Reformatio, qua intelligitur facultas ſtatuendi, quæ pravos mores aboleant, bonóſque introducant.

VIII. Cenſuræ Eccleſiaſticæ, qua re intelligitur facultas ferendi, vel Lege, vel judicio, in delinquentes ſpirituales pœnas, quæ cenſuræ dicuntur.

IX. Juriſdictio omnium cauſarum ad Forum Eccleſiaſticum de jure ſpectantium, qua intelligitur poteſtas finiendi ſubditorum contentiones, quæque ideò Juriſdictio Contentioſa dicitur.

X. Pœnitentiæ adminiſtratio, quo jure intelligitur facultas vel pœnitentias publicas imponendi, vel audiendi Clericorum Confeſſiones Epiſcopo tunc reſervatas, vel à quibuſdam criminibus ſibi reſervatis abſolvendi, vel examinandi, qui pœnitentiam adminiſtrant, proindéque illam adminiſtrandi per alios à ſe conſtitutos. Idem jus Epiſcopo tribuitur Canonibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 14. Caus. XXVI. Quæst. VI.

XI. Sacramentorum omnium adminiſtratio, quæ intelligitur poteſtas Sacramenta quædam per ſe ſolum conferendi, Ordinem ſcilicet, & Confirmationem, alia verò per ſe & per alios à ſe approbatos. *De Offic. Juriſdic.* Cap. 16.

Ad poteſtatem circa Sacramenta reducuntur Confectio Chriſmatis, Virginum Conſecratio, Altariúmque, Benedictio ſolemnis in Eccleſia ſuper Plebem; de quibus *Cap.* 1. 2. 3. Caus. XVI. Quæst. VI. Veſtis vidualis impoſitio, de qua *Cap.* 15. 16. 18. Caus. XXVII. Quæst. I. Conſecratio Eccleſiarum, ac Vaſorum Sacrorum, Ornamentórumque Benedictio, de quibus paſſim. *De Conſecr.* Dist. I. De hoc jure ſermo fit ex profeſſo Quæst. III. Caus. X.

XII. Synodus, qua intelligitur poteſtas convocandi Parochos, alióſque Diœceſis ſuæ Miniſtros, ut Officio-

rum

rum rationem reddant, ac audiant quæ ad bonos mores ope illorum statuenda judicat. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 16. *De Major.* Cap. 9.

XIII. Jus transferendi Reliquias. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 37.

XIV. Synodaticum vel Cathedraticum, quo intelligitur jus exigendi à qualibet Ecclesia duos solidos aureos quolibet anno: Synodaticum dictum, quia in Synodo solvebatur: Cathedraticum verò quia in honorem Cathedræ Episcopalis hæc solutio fiebat. De hoc jure sermo fit ex professo QUÆST. III. CAUS. X.

XV. Quarta Decimationum, qua intelligitur facultas percipiendi portionem è decimis, secundùm locorum consuetudinem solvendam. Hæc portio *Quarta* vocatur, ex eo quod dum reditus Ecclesiæ in quatuor partes dividebantur, una ex his Episcopo dabatur. *De Offic. Jud. Ordin.* Cap. 16.

XVI. Quarta Mortuariorum, qua intelligitur facultas exigendi portionem eorum, quæ Ecclesiæ legantur, quæ propter præcedentem rationem *Quarta* etiam vocatur. *Ibid.*

XVII. Procuratio, qua intelligitur potestas exigendi aliquid ad expensas Visitationis, pro facultatibus Ecclesiæ visitatæ, quæque ita dicitur, quia hoc jure, visitanti Episcopo necessaria procurantur. De hoc jure QUÆST. III. CAUS. X. Cap. 7. 8. 9. 10.

XVIII. Charitativum Subsidium, quo intelligitur illud quod Episcopus in necessitate petere potest ab Ecclesiis suis, vel ad itinera necessaria peragenda, vel ad solvenda Episcopatûs debita. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 16.

Circa Jura mox relata notandum est.

I. Omnia usque ad decimum tertium inclusivè esse spiritualia, iisque addendam esse annuam Visitationem in decimo septimo comprehensam: Cætera verò esse temporalia.

II. Singula hæc tredecim, vel quatuordecim spiritualia spectare ad Episcopum, vel ut Patrem, vel ut Dominum, vel ut Legislatorem, vel ut Judicem: Nonnulla verò illum respicere, non sub una ex illis faciebus, sed sub pluribus simul; sub quacumque autem illarum considerato, Jurisdictioni convenire, cùm nec Pater, nec Dominus, nec Legislator, nec Judex munia sua obire possint sine aliqua Jurisdictione. Hanc quadrimembrem Jurisdictionem benignè, non rigosè, sumendam, ad instar similitudinum, quæ explicationis causa adducuntur, cùm eo tantùm animo adinventa sit.

III. Obedientiam, Subjectionem & Reverentiam deberi Episcopo, quocumque ex his modo consideretur, cum hæc tria debeantur Patri, Domino, Legislatori, & Judici, sed obedientiam magis ei dari ut Legislatori & ut Judici, quia obedire est implere quod præceptum est; præcepta autem facere est Legislatoris & Judicis ut impleantur curare.

IV. Institutionem convenire Episcopo ut Patri & ut Domino, quia Paterfamilias Officia in domo sua unicuique assignat; Dominus verò in Ditione sua.

V. Destitutionem illum respicere ut Judicem, quia fit per judicium.

VI. Idem dicendum esse de Correctione quod de Destitutione, quia fit, ut plurimùm, eadem via; posse tamen Correctionem tribui Episcopo ut Patri, & Domino, cùm eorum sit corrigere sicut & Judicis.

VII. Reformationem pertinere ad Episcopum ut Legislatorem.

VIII. Censuras pertinere ad Episcopum ut Judicem & ut Legislatorem, quia, ut dictum est, utraque via feruntur.

IX. Ita evidens esse nonum jus ad Episcopum ut Judicem pertinere, ut id notare inutile videatur.

X. Non minus notum esse decimum jus respicere Episcopum, ut Judicem in foro interiori.

XI. Administrationem aliorum Sacramentorum quàm pœnitentiæ vel per se, vel per alios respicere Episcopum, tàm ut Dominum quàm ut Patrem; nam dum Episcopus Ordines confert, Officia distribuit in Domo & in Regno Dei, cùm Ordines sint præcipua Officia, distribuere autem, ut dictum est, ad Dominum & ad Patrem attinet; dum confirmat, cogit milites, illósque inscribit, quod Domini est; dum baptizat, dat jus Civitatis; dum Eucharistiam dispensat, ad mensam Regis Regum admittit; dum Extremam-Unctionem dat, milites cogit & ungit contra invisibiles salutis hostes; dum Matrimonio jungit, tribuit jus legitimæ patriæ potestatis in filios nascituros quoad spiritualia: Hæc autem quatuor Domini sunt.

XII Memoratos Synodi fines ostendere Coactionem illius ad Episcopum spectare ut Judicem & ut Legislatorem.

XIII. Idem sentiendum esse de annua Visitatione manifestum esse, cùm omnibus notum sit, illam fieri ut pravi mores corrigantur, & quæ cuique loco conveniant, statuantur.

XIV. Reliqua Jura, quæ sunt merè temporalia, deberi Episcopo ut Domino, præter Procurationem, quæ debetur ei potiùs ut Judici; quia inquisitio quæ ad Judicem pertinet, est præcipua pars eorum, quæ in Visitatione facienda sunt. Synodaticum siquidem est velut quoddam tributum: Tributum autem Domino debetur. Quarta Decimationum & Mortuariorum, sicut & aliorum Ecclesiæ redituum dabantur aliàs Episcopo, tamquam omnium Ecclesiæ bonorum Administratori, aut tamquam Primario eorum Defensori. Administratio autem tutelàque legitima bonorum ad Dominum pertinet.

Charitativum denique subsidium ad Episcopum ut Dominum spectat, cùm simile jus Dominis temporalibus debeatur & solvatur. Post erectionem Beneficiorum, qua desiit antiqua fructuum Ecclesiæ divisio, datáque Episcopo suis necessitatibus superabundans portio, pleraque Jura præmemorata penè ubique exoleverunt, emendæ quoque non cedunt in commodum Episcopi, sed pauperum, vel Ecclesiæ, quibus applicare debet.

XV. Prius horum jurium genus, sive jura spiritualia Legem Jurisdictionis vocari: Posteriùs verò, sive jura temporalia Legem Diœcesanam appellari. *Cap.* 18. *De Jud. Ordin.* Secundam autem à prima differre in eo quod minus extendatur, nam qui Legi Diœcesanæ subduntur Legi Jurisdictionis etiam subjiciuntur, non è contra CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 34. Præterea inter se ita specie differre, ut sententia tangens Legem Diœcesanam, aliam, sive Jurisdictionis Legem non spectet emandas, etsi jus temporale, proindéque Legem Diœcesanam spectans quandoque tamen ad Legem Jurisdictionis pertinere, quia sunt judiciorum istam Legem spectantium accessorium.

Sunt qui minus probent hanc distinctionem, quia Lex utraque una eadémque est, solo nomine differens, cùm per totam Diœcesim Jurisdictio Episcopi extendatur; ideóque jure Lex Diœcesana vocitetur. Præterea non benè cohærent, quæ dicuntur ad illarum distinctionem tuendam; cum ostensum Legem Jurisdictionis extendi ad jura temporalia, etsi ad spiritualia restringatur à prædictæ distinctionis Fautoribus, & quod dicunt à Lege Diœcesana eximi ut Monachos, sive Regulares pluribus Juribus temporalibus ab Episcopo percipiendis subsint; quale inter alia jus Procurationis. Sed cùm hæc distinctio inventa videatur explicationis causa, rigorosè examinanda non est.

REGULA V.

Episcopus non valet alteri auferre Jurisdictionem, quam habere noscitur.

Excipiendus casus in quo subest justa causa; qualis urgens Ecclesiæ necessitas, aut evidens illius utilitas. *De Excess. Prel.* Cap. 2.

REGU-

REGULA VI.

Non licet Episcopo justè latam ab Inferiori censuram relaxare sine istius conscientia. *De Off. Jud. Ord.* Cap. 3.

Hoc etiam nunc locum habere potest in Diœcesibus, in quibus Curati potiuntur jure suspendendi à Divinis Clericos sibi subditos, propter culpas Parochiale servitium concernentes. *Synod.* Ebroic. 1576. *Concil.* Rothom. 1581. *Concil.* Aquens. 1585.

REGULA VII.

Episcopus potest supplere desidiam & malitiam Delegati, etiam à Papa; quando ex his peccatores in peccato remanent. *De Offic Jud. Ord.* Cap. 6.

REGULA VIII.

Potest Episcopus negligentiam Abbatis non revocantis, aut non corrigentis Monachum vagabundum supplere. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 7.

REGULA IX.

Papa mandans per Rescriptum Episcopo ut subditos suos corrigat, non ideò illum facit Sedis Apostolicæ Delegatum, nec dat ei Jurisdictionem in Exemptos; quapropter non ad Papam, sed ad Archiepiscopum appellatur in Judicio quod fit in executionem talis Mandati, nec vi ejusdem Mandati judicare potest Exemptos. *De Off. Jud. Ord.* Cap. 12.

REGULA X.

Nulla Consuetudo nec appellatio impedire potest Episcopum, ne subditorum excessus corrigat, & correctionis sententias à se latas exequatur, nisi formam in talibus observandam excesserit. *Ibid.* Cap. 13.

REGULA XI.

Episcopus potest & debet brachium sæculare invocare, quando judicia sua aliter exequi nequit, vel mitiores sunt pœnæ Ecclesiasticæ erga crimina, quæ punienda occurrunt. *Eod. Tit.* Cap. 1. 14.

REGULA XII.

Licet Episcopo Visitationes, sicut & Prædicationes, Confessiones audiendas, & pœnitentiarum impositiones alteri committere. *Eod. Tit.* Cap. 15.

REGULA XIII.

Omnem potest Episcopus absolutionem committere, quæ sibi competit ex Officio. *Eod. Tit.* Cap. 10.

Idem dicendum de quacumque alia re ad Jurisdictionem pertinente.

REGULA XIV.

Quidquid *Concilium* Tridentinum permittit Episcopis, quod ante eis non licebat, propter exemptiones ab Apostolica Sede, alióve modo quæsitas, id omne possunt tamquam Sedis Apostolicæ Delegati.

Patet ex sequenti Regula.

REGULA XV.

Non alia *Concilium* Tridentinum permittit Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, quàm ista.

Ea colligit *Concilium* Aquensa 1585. *Tit. De his in quibus Epis opus, &c* sed multa omisit.

I. Ut visitent Capitula, quocumque modo exempta, quoties expediens judicabunt. Sess. VI. *De Ref.* Cap. 4.

II. Ut visitent Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, singulis annis, opportunisque remediis provideant, ut quæ reparatione indigent, reparentur; quæ debitis obsequiis defraudantur, minimè defraudentur. Sess. VII. *De Ref.* Cap. 8.

III. Ut Commendata Beneficia, quæcumque sint, etiam exempta visitent, jubeántque circa ea, quod necessarium judicabunt, nisi sint in Monasteriis, quæ sunt Capita Ordinum, vel quæ istis subsunt. Sess. XXV. *De Ref. Reg.* Cap. 20. Sess. XXI. *De Ref.* Cap. 8.

In Gallia non visitantur, si subsint alicui Congregationi.

IV. Ut Ecclesiæ Sæculares nullius Diœcesis visitentur ab Episcopo viciniori, si de hoc constet, vel ab electis in *Concilio* Provinciæ. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 9.

V. Ut in omnibus his, quæ ad Visitationem morúmque correctionem spectant, jus & potestatem habeant, ea ornandi, moderandi, puniendi, & exequendi, quæ pro utilitate Diœcesis necessaria videbuntur. *Ead.* Sess. Cap 10.

VI. Ut quemlibet Clericum Sæcularem, necnon Regularem extra Monasterium degentem visitare, punire, & corrigere, valeant, si deliquerint. Sess. VI. *De Ref.* Cap. 3.

VII. Ut quoscumque Clericos Exemptos aliàs sibi subditos possint corrigere, etiam extra Visitationem. Sess. XIV. *De Ref.* Cap. 4.

In Gallia non recipiuntur exemptiones personales.

VIII. Ut Abbates, qui negligunt Sacræ Scripturæ lectionem in Monasteriis, ubi commodè fieri potest, instituere, ad id congruis remediis compellant. Sess. V. *De Ref.* Cap. 1.

IX Ut Abbates Monasteriorum nullius Diœcesis non curantes ut prædicetur in Ecclesiis Parochialibus, quæ ab istis Monasteriis dependent, Metropolitani in quorum Provinciis sitæ sunt ipsæ Diœceses ad id compellant. *Ead.* Sess. Cap. 2. §. 2.

X. Ut juxta Juris dispositionem, locíve Consuetudinem, procedant Episcopi contra Prædicatores, etiam Exemptos, si Hæreses prædicaverint. *Ibid.* §. 3.

XI. Ut deputent idoneos Vicarios in Ecclesiis Curatis, possessis ab Exemptis ad tempus à residendo, illisque assignent congruam fructuum portionem. Sess. VI. *De Ref.* Cap. 2.

XII. Ut uniones perpetuas, infrà quadraginta annos factas, examinent, & quæ per surreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritas declarent. Sess. VII. *De Ref.* Cap. 6.

XIII. Ut Exempti coram ipsis conveniantur in causis mercedum, etiamsi & miserabilium personarum Judicem à Sede Apostolica deputatum habeant in partibus, in aliis verò si talem Judicem non habuerint. *Ead.* Sess. Cap. 14.

XIV. Ut per seipsos summariè cognoscant de surreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolutione criminis publici, de quo inquirere cœperant, vel remissione pœnæ ad quam condemnaverant, falsis precibus impetratur. Sess. XIII. *De Ref.* Cap. 5.

In Gallia id possunt etiam per Vicarios.

XV. Ut convertendam in distributiones fructuum partem, quæ est tertia, Episcopi dividant iis qui Divinis Officiis intersunt, debita proportione servata personarum & horarum, cæterósque distributionibus privent. Sess. XXI. *De Ref.* Cap. 3. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 3.

XVI. Ut augeant Sacerdotum numerum in Parochialibus Ecclesiis, in quibus major requiritur, utque Parochias erigant, dum distantia, vel difficultas locorum id postulat. *Ead.* Sess. Cap. 4.

XVII. Ut uniant Ecclesias cujuscumque generis, propter paupertatem, cæterásque à Canone probatas causas. *Ead.* Sess. Cap. 5.

XVIII. Ut Parochis imperitis aliàs honestæ vitæ dent pro tempore Coadjutores, assignata istis fruc-

fructuum parte pro sufficienti victu, alios verò turpiter & scandalosè viventes castigent, & si in nequiria perseverent Beneficiis illos privent. *Ead.* Sess. Cap. 6.

XIX. Ut Beneficia simplicia ex Ecclesiis collapsis, quæ ob paupertatem instaurari nequeunt, in Matrices, aliásve Ecclesias, cùm oneribus suis transferant, etsi sint juris Patronatûs; Parochiales autem Ecclesias collapsas ea quibuscumque illarum fructibus reficiant, iisque deficientibus Parochianos congruis remediis ad illas restaurandas compellant, invocato ad hoc brachii sæcularis auxilio; si autem propter nimiam istorum egestatem id non possit, prædicto modo transferant. *Ead.* Sess. Cap. 7.

XX. Ut de Dispensationibus, quæ à Sede Apostolica gratiosè committuntur, *id est*, exequendæ sine plena causæ cognitione conceduntur, summariè cognoscant, an subreptitiæ obreptitiæve sint. Idem ipsis conceditur circa commutationes ultimarum voluntatum. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 5.

XXI. Ut omnium piarum dispositionum sint Executores, omniáque pia loca, etsi eorum cura ad Laicos pertineat, exemptáve sint, visitent. *Ead.* Sess. Cap. 6.

Episcopus potest commutare pias dispositiones, consentiente Magistratu Sæculari, & defuncti hærede; aliàs non potest.

XXII. Ut Notarios quacumque auctoritate creatos examinent, idoneósque non repertos ab Officio quoad spiritualia arceant. *Ead.* Sess. *Cap.* 10. Non servatur in Gallia.

XXIII. Iis subjicit Exemptos propter Officia in honorem tantùm data. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 11.

XXIV. Ut cognoscant de subreptione vel obreptione facultatum Apostolicarum, quibus conceditur, ut ab ingredientibus in Beneficia, jura temporalia in usus pios non convertenda exigantur. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 14.

XXV. Ut Monachos, qui Capitulis Generalibus non subsunt, quique Congregationes, quæ talia Capitula habeant, Præsidésque, vel Visitatores facere negligunt, Metropolitanus convocet pro prædictis causis. Sess. XXV. *De Regul. Cap.* 8. Hac potestate Metropolitani non gaudent in Gallia, nec ulla alia nova à *Concilio* TRIDENTINO concessa.

XXVI. Ut si moa dicti Monachi, Metropolitano instante, memorata exequi non curent, Episcopis, in quorum Diœcesibus eorum Monasteria sita sunt, subdantur. *Ibidem.*

XXVII. Ut Monasteriis Exemptis Clausuram Sanctimonialium, si violata fuerit, Episcopi restituant, si verò inviolata, conservari procurent. *Ead.* Sess. Cap. 5.

In Gallia Episcopus visitare potest Clausuram intùs & foris.

XXVIII. Monasteria Monialium, Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt, gubernentur. *Ead.* Sess. Cap. 9. Edicta Bles.

XXIX Ut Clericos publicè Concubinarios, qui moniti, privatique tertia parte fructuum Beneficiorum suorum, concubinas non dimittunt, à Beneficiis suspendant, quoad arbitrabuntur. Sess. XXV. Cap. 14.

XXX. Ut Patronatus alicui Beneficio acquisitos à quadraginta annis citra ex augmento, seu ex nova constructione, vel ex simili causâ revocent, si reperetint ob evidentem Beneficii necessitatem non esse constitutos, licet Apostolica auctoritate constituti sint. Sess. XXV. *Cap.* 9. Prædictis concessionibus vel non fruuntur Episcopi, vel iis non utuntur ut Delegati, sed ut Ordinarii.

REGULA XVI.

Quidquid permisit *Concilium* TRIDENTINUM Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, possunt non solùm per seipsos, sed etiam per Vicarios facere, si unum exceperis.

Exceptio in Gallia non servatur.

Patet Regula ex eo quod *Concilium* unum ea his tantùm restringit ad Episcopos, illis præcipiens, ut illud per seipsos agant, ut colligere licet ex Regula præcedenti, in qua recensentur quæcumque *Concilium* permisit Episcopis, ut Sedis Apostolicæ Delegatis, & inter ea solum quatuordecimum restringitur ad Episcopos.

Præterea *Cap.* 3. Sess. XXIV. *De Ref.* injungens Episcopis, ut Diœceses visitent singulis annis, declarat id eos posse per Vicarios suos Generales facere; atque inter visitanda sunt sex aut septem locorum genera, quæ *Concilium* Episcopis non subjicit, nisi ut Delegatis Sedis Apostolicæ. Adhæc sunt quidam Exempti, qui in criminalibus subduntur Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis: In criminalibus autem possunt Episcopi procedere per Vicarios. Sess. XXV. *Cap.* 6. Sunt ergo saltem multa, quæ permittuntur Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, quæ possunt per Vicarios facere. Hinc sequitur frustrà disputari, an qui succedunt Episcopis in Jurisdictione, succedant in iis, quæ possunt tamquam Sedis Apostolicæ Delegati; cùm certum sit Vicarium, Sede vacante, non esse pejoris conditionis quàm Vicarium, vivente Episcopo; neque sit congrua ratio cur Vicarius viventis Episcopi possit quæ permittuntur Episcopo, ut Sedis Apostolicæ Delegato; Vicarius verò Sedis vacantis ea non possit, cùm facultas illa pertineat ad Sedem potiùs quàm ad personam.

Ratio Exceptionis: Agitur de re ab Episcopo magis nota, cùm de ea ipse Inquisitor fuerit, vel quia super eam sententiam tulerit. Reservationis causa cessat in Gallia, ubi non solet Episcopus per seipsum inquirere, nec judicare.

REGULA XVII.

In rebus quæ sunt Jurisdictionis, nulla est quæ ab Episcopo committi non possit, nisi sibi sit à Canone personaliter reservata.

Sequitur ea dictis circa Jurisdictionem in genere: Diximus enim omnia, quæ sunt Jurisdictionis, posse committi; atque hinc clarè colligitur, quæ non sunt Episcopi personæ reservata ab eo posse committi; sola etenim hujusmodi reservatio limitare potest generalem committendi facultatem.

REGULA XVIII.

Nulla res ideò Episcopo à Canone reservatur, vel reservata censetur, quia Canon illam Episcopo tribuens, de ejus Vicario mentionem non facit.

Infertur ex eo quod nonnulla sint hujusmodi in *Concilio* TRIDENTINO, quæ per Vicarium Episcopi fieri possunt: Tale est quod habetur *Cap.* 12. & 13. Sess. XIV. in quibus *Concilium* tribuit Episcopo facultatem recipiendi præsentationes ad Beneficia Juris Patronatûs, & ad ea instituendi; nec fecit mentionem de Episcopi Vicario; utrumque tamen ab isto fieri potest: Præterea sunt Canones qui eamdem tribuunt Episcopo potestatem, quorum alii mentionem faciunt de Vicario, alii non faciunt, nec illi ullo modo denotant se novum jus inducere; nam *Cap.* 17. 18. *in* 6. & CLEMENTINA I. *De Hæreticis*, tribuunt Episcopo potestatem procedendi contra Hæreticos cùm inquisitione, citata autem SEXTI CAPITA mentionem non faciunt de Vicario: CLEMENTINA verò de eo mentionem facit: Ad hæc sunt Canones, quorum alii potestatem minorem Episcopo tribuunt, nulla facta mentione de Vicario; alii verò majorem tribuunt, facta de Vicario mentione; nam *Cap.* 17. & 18. *De Hæret. in* 6. tribuunt Episcopo facultatem procedendi contra Hæreticos, & de Vicario tacent, *Caput* verò 12. *ejusdem Tituli* tribuit potestatem circa depositionem Hæreticorum à Beneficiis quæ major est, eique ejusdem socium dat Vicarium. Idem est utriusque Tribunal. *De Appellat.* Cap. 3. *in* 6. Ideóque

potestas

potestas Episcopo concessa, Vicario suo permissa quoque censenda est.

REGULA XIX.

Tunc tantùm certò censetur res Episcopo à Canone reservata, quando injungit ei ut per seipsum illam faciat, vel ab ea Vicarium nominatim excludit, vel declarat Episcopum solum eam posse.

Patebit Regulæ veritas ex Canonibus citandis in sequenti Regula, in quibus non aliæ reservationis notæ leguntur quàm quæ hic colliguntur.

REGULA XX.

E rebus quæ ad Jurisdictionem quoquo modo pertinent, nullo aliæ Episcopo vel Archiepiscopo reservantur quàm istæ.

I. Clerici in Sacris constituti Degradatio, quæ magis ad Jurisdictionem quàm ad Ordinem spectat. *De Haret.* Cap. 1. *In 6.* in quo dicitur solùm Episcopum posse degradare. *Cap.* 4. SESS. XIII. ubi declaratur actualem Degradationem per Episcopum faciendam, postquam paulo antea attributa est Vicario, ut & Episcopo, Clerici Depositio.

II. Summaria Cognitio de gratiis Sedis Apostolicæ, quæ vel peccatum vel pœnam remittunt. *Cap.* 5. *Ead.* SESS. ubi injungitur Episcopo, ut per seipsum de hac re cognoscat.

In Gallia de his cognoscit Vicarius.

III. Absolutio à crimine Hæresis in foro Conscientiæ. *Cap. 6.* SESS. XXIV. ubi Vicarius nominatim excluditur.

In Gallia committitur hæc facultas.

IV. Punitio Episcopi per censuras in quodam casu, nempè dum adest in Provincia Archiepiscopus, vel circa illam. *De Offic. Ord* Cap. 1. *In 6. §. Officialis.*

Apud Gallos id etiam Archiepiscopo non licet.

V. Singuli Jurisdictionis actus, qui, circa Capitula Exempta, Episcopo permittuntur. SESS. XXV. *De Ref.* Cap. 6. §. *Absente.*

REGULA XXI.

Nihil possunt ex *Concilio* TRIDENTINO Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, quod non possent ex jure quod, ante Reservationes Sedi Apostolicæ factas, ac concessas ab eadem Sede Exemptiones, viguerat.

Patebit Regula conferenti quæ infrà collecta sunt circa Jurisdictionem Episcoporum in personas, res, & loca, cum iis, quæ sibi à *Concilio* TRIDENTINO concessa sunt, quæque suprà collecta habes sub Regula decima quinta.

REGULA XXII.

Ademptam Episcopis per Reservationes, & Exemptiones potestatem restituere congruentiùs non poterat *Concilium* TRIDENTINOM cum Papæ consensu, quàm permittendo ut facerent tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, quæ ut Ordinarii poterant.

RATIO & FUNDAMENTUM: Triplex hinc bonum nascitur. Primum, acquisitus per Reservationes & Exemptiones Sedis Apostolicæ honor conservatur, qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur. Secundum, Exempti concesso gaudent privilegio; remanent enim Sedi Apostolicæ immediatè subjecti, cùm novam in illo Jurisdictionem non exerceant Ordinarii, nisi nomine ejusdem Sedis. Tertium, Episcopi necessariam sibi potestatem recuperant cum augmento & potestatis & honoris: Hinc enim Jurisdictionem suam non exercent ut suam, sed ut Supremæ Sedis potestatem, majus autem tùm robur, tùm pondus habent quæ à Suprema Sede prodeunt, quàm quæ ab inferioribus emanant. Addita sunt hæc verba: *Cùm Papæ consensu*, quia verendum erat, ne hac omissa cautione, Sedis Apostolicæ Zelatores impedìssent Episcopalis autoritatis restitutionem.

REGULA XXIII.

Prædictus ademptæ Ordinariis potestatis restituendæ modus non est à *Concilio* TRIDENTINO adinventus, sed anteà à pluribus sæculis usitatus.

Colligitur ex *Capite 9. De Hæreticis*, in quo Exempti Hæreseos rei Episcoporum, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatorum, subjiciuntur judicio: Hoc autem *Caput* desumitur ex Decretali LUCII III. sæculo XII. scripta: Colligitur etiam ex CLEMENTINA III. *De Sent. Excomm.* in qua CLEMENS, ineunte XIV. sæculo, permittit Episcopis, ut Exemptos, quos ibi excommunicat ipso facto, si quod prohibet fecerint, autoritate Apostolica absolvant.

Colligitur quoque ex *Capite unico De Regularibus In 6.* in quo BONIFACIUS VIII. permittit Episcopis ut Exemptarum Monialium Clausuræ provideant Apostolica autoritate. Idem habet CLEMENS V. *De Statu Monach.* Cap. 2. INNOCENTIUS IV. concessit *anno* 1243. PETRO DE COLLEMANIO, Archiepiscopo *Rothomagensi*, facultatem visitandi, autoritate etiam Apostolica, Monachos Ordinariæ Jurisdictioni subditos. *Synod.* ROTHOM. *p.* 250. Adhæc etsi in hoc innovasset *Conc.* TRIDENTINUM ex proposito restituendæ eo modo Ordinariæ Jurisdictionis, laudandum esset, eique gratiæ habendæ, quod illam revera sic restituerit.

REGULA XXIV.

Si appelletur ab Episcopo in iis, quæ agit tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus non ad Papam, sed ad immediatum Superiorem saltem in Gallia appellatur.

Confirmat hanc Regulam Declaratio Sacræ Facultatis, facta die Julii septima anno 1575. Hanc refert FAGNANUS in Cap. *Audientiam De Ecclesiis Ædific.*

REGULÆ RATIO est, quia potestas illa, utpote Sedi Apostolicæ alligata, apud Gallos Ordinaria judicatur. FAGNANUS dicit hac Delegatione excitari Jurisdictionem Ordinariam. *Cap. Quoniam. De Off. Jud. Deleg. In 6. & 7.*

Rejiciebantur aliàs in Gallia Rescripta Sedis Apostolicæ, quæ præcipiebant Ordinario, ut Apostolica autoritate procederet in iis, quæ poterat ut Ordinarius: Nunc clausula hæc pro non posita habetur.

REGULA XXV.

Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, agendum nihil commisit *Concilium* TRIDENTINUM quod exteriorem Jurisdictionem non respiciat.

Patet ex Regula XV. in qua casus, quos *Concilium* TRIDENTINUM commisit Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, collecti sunt.

REGULA XXVI.

Quoad factam ademptæ Ordinariis potestatis restitutionem, Jurisdictio exterior cum interiori in hoc uno convenit, quod restituta potestas exerceri possit per Vicarios, casu uno tantùm excepto.

Patet ex Regula XVI. supra relata, & ex *Cap. 6.* SESS. XXIV. *De Ref.* Hìc enim legitur quod à *Concilio* TRIDENTINO potestas Ordinariis restituta quoad forum interius, exerceri possit per ipsorum Vicarios, excepto solo Hæreseos casu; nam visum est superiùs restitutam Ordinariis potestatem quoad forum exte-

H 2 rius,

rius, per Vicarios exerceri posse, decimo quarto casu excepto.

In Gallia exceptio neutra recipitur, *id est*, neque illa quæ respicit forum exterius, neque ea quæ forum interius spectat.

REGULA XXVII.

Adempta Ordinariis Jurisdictio exterior, alio planè modo restituitur à *Concilio* TRIDENTINO · quàm adempta sua Jurisdictio interior.

Patet Regula ex citato *Cap. 6.* in quo posterior Jurisdictio restituitur exercenda ut Ordinaria: Prior verò ut visum, restituitur exercenda ut Delegata.

Ratio Discriminis: Nullus honos emanat ex interioris Jurisdictionis exercitio, resiliens in illum, qui hanc concessit, quia occultum est; secùs de exercitio Jurisdictionis exterioris, cùm publicum esse soleat.

REGULA XXVIII.

Quidquid licet Episcopo in Exemptos, licet etiam in non Exemptos.

Patebit ex Canonibus citandis circa utrosque.

REGULÆ RATIO: Nihil permittitur Episcopo in Exemptos quod sibi non liceret in eos, si nnn essent Exempti; nam licentia Episcopo in Exemptos data non est, nisi restitutio Ordinariæ ejus in illos potestatis.

REGULA XXIX.

Omnes causæ Ecclesiasticæ in prima instantia ab Ordinariis locorum judicandæ sunt, exceptis Majoribus apud Sedem Apostolicam tractandis, aliisque ab eadem Sede evocatis. *Cap.* 10. SESS. XXIV. *De Ref.* quibus verbis præcipuè Episcopus intelligitur.

Prima exceptio non recipitur in Gallia sine limitatione: Secunda verò nequaquam.

In Gallia Papa Causas etiam Majores non potest evocare; sed per Delegatos eas in Regno judicat.

REGULA XXX.

Causarum Matrimonialium cognitio nulli Episcopo Inferiori permittitur, nec licet Legatis à Latere, aliisque similibus in hoc illum turbare, *Ibid.*

Abbates, qui gaudent juribus quasi Episcopalibus, de iis causis cognoscunt in Gallia, *verbi gratia*, Abbates Fisci, Campi, & Aureliaci. Id ipsis non licere prætendunt Episcopi Gallicani *in Ordinationibus, factis anno 1645. Art.* 22. quæ prætentio huic Decreto TRIDENTINO nnn innititur, cùm notum, evidénsque sit, *Concilium* TRIDENTINUM per Judices Inferiores, quibus inhibet causarum Matrimonialium cognitionem intelligere Decanos, Archidiaconos, aliósque ipsis inferiores, non autem eos, qui Jurisdictionem habent Episcopalem, Episcopis quoad Jurisdictionem non inferiores.

REGULA XXXI.

In omnibus causis Dignitatum & Canonicorum cum duobus de Capitulo, initio anni ad hoc ab isto electis, procedere debet Episcopus, & concorditer cum illis, aut illorum altero. aut in casu discordiæ, cum tertio ab illis & ab Episcopo Electo; vel demùm cum tertio à viciniori Episcopo eligendo, si in electione tertii Episcopus cum illis non concordet, aliàs processus nullus est in aliis solus procedere potest. SESS. XXV. *De Ref.* Cap. 6.

Quod in prima Regulæ Parte continetur, non servatur in Gallia; nec consequenter quæ illam sequuntur secunda & tertia Pars.

REGULA XXXII.

In Gallia Jurisdictionem Contentiosam non exercent per seipsos Episcopi.

Eum esse Galliæ usum restantur viri hac in re versatissimi, qui quidem Visitationis casum vel tempus excipiunt, sed statim monent Jurisdictionem, quam tunc exercent Episcopi, non vere esse Contentiosam, sed Contenriosæ potiùs umbram, cùm eo in casu summaria cognitio tantùm permittarur, quæ in Jurisdictionis Voluntariæ exercitio quandoque permittitur. *Cap.* 5. SESS. XIII. *De Reform.* „ Nulla hat litis „ contestatio, nec ulla queat ferri sententia deffini„ tiva, nec reus convictus pœnâ ordinariâ puniri, „ nec requirente, nec audito Promotore judicare li„ ceat, nec intra Auditorium, extra quod Jurisdic„ tio Contentiosa hoc in Regno exerceri nequit, ju„ dicetur „: Addunt etiam iidem Gallicani usus Testes fide dignissimi: „ Si quid in Visitationis cursu ab „ Episcopis fit quod Jurisdictionis Contentiosæ spe„ ciem præ se ferat, id ab illis fieri, ut Patribus, vel Pas„ toribus, non ut Judicibus; pœnas, si quas impo„ nant, non esse judiciarias, sed pœnitentias salura„ res, uno verbo corrigere, non punire, ægris me„ dicinam præscribere, non reis debitas pœnas in„ fligere.

CAPUT. II.

De Episcopi Jurisdictione speciatim spectata.

REGULA.

Nihil Episcopi Jurisdictioni subjicitur quod non sit vel persona, vel res, vel locus.

Quod affirmat Regula, patet ex *Cap.* 11. *De Privileg.* ubi legitur Religiosos ab Episcopi Jurisdictione exemptos, ei subesse quoad res, vel quoad loca: Quod negat evidenter colligitur ex eo quod nihil est quod non sit vel persona, vel res, vel locus.

CAPUT III.

De Episcopi Jurisdictione circa res.

Res ad Episcopi Jurisdictionem pertinentes sunt, vel Criminales, vel Civiles: Civiles jungi possunt cum locis, imò ut plurimùm congruè separari nequeunt; ideóque eorum pleraque, quæ dici possent de rebus civilibus, remittimus ad Titulum *De Locis*; cætera paucis comprehendemus, postquam de Criminalibus, quæ aliò remitti non possunt, pro argumenti necessitate egerimus.

§. Unicus.

De Episcopi Jurisdictione circa res criminales.

REGULA I.

Episcopus liberam habet in Diœcesi sua crimina inquirendi, judicandi, & juxta Canones puniendi, potestatem; sic olim. Nunc aliter, saltem in Gallia, quoad crimina civilia, quæ soli Judices Civiles possunt inquirere si à Laïcis commissa sint, vel conjunctim cùm Judice Ecclesiastico si à Clericis fuerint perpetrata. *De Off. Jud. Ord.* Cap. 1. *De Adulter.* Cap. 4. *in prima Collect.*

Ad intelligentiam Regulæ notandum crimina dividi in *Ecclesiastica* & *Civilia*: Ecclesiastica esse, quæ Religionem proximè lædunt, qualia quæ circa Fidem, Sacramenta, Missæ Sacrificium versantur; hæc autem dici Ecclesiastica ratione materiæ, quæ merè Eccle-

Ecclesiastica, cùm Fides, Sacramenta, Missæ Sacrificium, aliáve similia, Ecclesiæ curæ à Deo immediatè commissa sint, nec Potestatem Civilem respiciant, nisi quatenus à Deo constituta est Ecclesiæ Protectrix. Civilia Crimina esse quæ civili administrationi proximè adversantur, qualia sunt cætera crimina; dici autem *Civilia* ratione materiæ, quæ Potestati Civili à Deo immediatè subjecta est, nec Ecclesiam spectat, nisi prout Potestatis Civilis Adjutrix esse debet. Notandum etiam inquisitionem referri ad judicium, ut & judicium ad punitionem; puniri autem crimina posse duplici pœnarum genere, Ecclesiasticis scilicet & Civilibus: Verùm sicut non licet Civili Potestati pœnas Ecclesiasticas irrogare, ita nec Ecclesiæ pœnas Civiles infligere; utrique pœnarum generi utrumque criminum genus subjici, cum hoc discrimine, ut Crimina Ecclesiastica ex genere suo pœnis subsint Ecclesiasticis, aliis verò ex circumstantia extranea, sive accidentali, nempè ex boni civilis læsione, quam secum inferunt: Crimina verò Civilia ex natura sua pœnis subjaceant Civilibus, aliis verò ex accidenti, nempè ex detrimento quod indè patitur Religio. Hinc si Ecclesia in Canonibus suis pœnas Civiles interdum irrogat, ut dum mulctat, in exilium damnat, ad restituendum in quadruplum obligat, consentiente expresse vel tacitè Potestate Civili id facit; ideóque hi Canones quales sunt *Cap.* 7. Dist. 18. *Cap.* 7. 14. 16. *&c.* Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 17. 18. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap* 1. *De Calumniator.* per Caput 2. *De Cler. Excomm. Ministr.* & per Caput 4. *De Raptor.* interpretandi sunt.

REGULA II.

Non alio modo potest Episcopus crimen arguere & punire quàm quo fuit probatum, *id est*, indeterminatè tantùm, si indeterminatè solùm probatum est. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 2.

REGULA III.

Quem crimine vehementer suspectum habet Episcopus, hunc ad se purgandum compellere debet. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 5.

Hæc tertia Regula fallit in Gallia, in ea enim Purgatio Canonica in usu non est, ideo accusatore non probante reus etsi crimine suspectus absolvitur.

REGULA IV.

In criminalibus supplere potest Episcopus tàm Delegati, quàm Abbatis, similisve Prælati inferioris negligentiam. *Eod. Tit.* Cap. *6. Eod. Tit.* Cap. 7.

Non habet locum in Gallia quoad Delegatum, secùs quoad alios; nam si, *Verbi gratia*, Prælatus Regularis ab Episcopo monitus, subditos, qui intra Claustra scandalosè deliquerunt, punire negligit, Episcopus illius negligentiam supplere potest.

REGULA V.

De omnibus criminibus non solùm Clericorum, sed & aliorum in sua Diœcesi commissis cognoscit Episcopus. De criminibus Clericorum Judex Sæcularis cognoscere nequit, sine Episcopi permissu. *De For. Comp.* Cap. 13. *Eod. Tit.* Cap. 2. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 2.

Nota circa utrumque Caput, secundum tribui *Concilio* Parisiensi, nedùm locis citatis, sed & in prima ex antiquis Collectionibus, iisque omnibus locis legi eodem modo quoad sensum, hoc uno excepto, quod in prima citata Collectione habetur *Scientia* pro *Licentia & permissu*, quæ aliis leguntur locis; quæ differentia satis notanda est, nam juxtà priorem lectionem sufficit, ut Episcopus sciat Clericum à Judice Sæculari judicari; juxtà posteriorem necesse est ut prætereа Episcopus consentiat.

Hoc non servatur in Gallia, in eo enim Regno crimina Laicorum Judici Laico reservantur; Clericorum verò ità distinguntur, ut Civilia Judici Sæculari relinquantur; Ecclesiastica Judici Ecclesiastico vendicentur; quæ distinctio expressa est in Canone 45. Caus. XI. Quæst. I. §. *Quod si. &* §. *In Criminalibus.* Nec in eodem Regno Episcopi licentia eget Judex Sæcularis, ut de civilibus Clericorum criminibus cognoscat, cùm ista crimina ex genere suo ad istius Judicis cognitionem pertineant; attamen pro servanda reverentia Ordini Clericali, conjunctim procedere solet cum Judice Ecclesiastico, usque ad Judicium; sed de hoc fusiùs dum *de Judiciis Criminalibus* agetur in postrema hujus Tomi Parte.

REGULA VI.

Omnis Episcopus, ut Episcopus, Jurisdictionem temporalem habet in Criminalibus. Cap. *Ecclesia. De Cons.* Cap. 3. Sess. XXI. in quibus habetur Episcopum corporales pœnas posse infligere, rei bona capere, reúmque incarcerare.

Hoc non admittitur in Gallia, in qua communis sententia, unanimisque, à nemine temporalis Jurisdictionis quicquam haberi, quod à Principe, à quo solo emanat, hujusmodi Jurisdictio non acceperit.

Hujus potestatis Episcopo concessæ vel attributæ ratio, hæc est: Pœnæ spirituales sunt quandoque graviores pro re de qua agitur; culpæ gradatim sunt puniendæ, ideóque priùs pœnæ temporales adhibendæ quàm spirituales; pœnæ temporales magis timentur, imò spirituales quandoque contemnuntur, ideò ab Episcopo Statuta manent inobservata. *Cap.* 2. Caus. XV. Quæst. VI. ubi in re criminali gladius tàm temporalis quàm spiritualis tribuitur Archiepiscopo Trevirensi, sed hoc nasci potuit, ex eo quod Feuda haberet Dignitati suæ annexa; ac præfatæ rationi fit satis invocatione brachii sæcularis: adhæc si valeret, Judex Sæcularis pœnas spirituales infligere, cùm istæ plus timeantur quam sæculares.

REGULA VII.

Ad detegendam veritatem Episcopo licet moderata uti Quæstione, si justa subsit causa. *De Deposito.* Cap. 1. *De Regul. Juris.* Cap. 6.

Nota circa istam Regulam, Quæstionem in causis Ecclesiasticis adhibitam longè antè Alexandrum III. è quo desumitur prius è citatis Caput, cùm Gregorius VII. de usu Quæstionis in causis istis, mentionem faciat in posteriori è citatis Capite, ac de eo loquatur, non tamquam de re nascente, sed potiùs ut de re, de qua Judices Ecclesiastici jam abutebantur.

Sunt qui existiment Quæstionis usum in causis Ecclesiasticis inutilem & indecentem esse: Inutilem, quia moderata Quæstio, qualis esse debet Ecclesiastica, ad extorquendam à reo veritatem non sufficit: Indecentem, cùm tormenti hujus Minister Clericus esse debeat, Tortoris autem Officium Clericum omninò dedeceat.

Regulæ Ratio: Moderata debet esse quæstio, nedùm quia mansuetudo maximè decet Judicem Ecclesiasticum, sed etiam quia nisi moderata foret, graviori Judex iste puniret pœnâ ad veritatis detectionem, quàm qua uti potest veritate detecta. Justa causa subesse debet aliàs injusta est; justa abest causa quando initio causæ adhibetur, mitioribus aliis viis, quibus veritas detegi potest, prætermissis. Hæc obiter dicta de Tortura explicabuntur in cit. Tractatu *De Judiciis Criminalibus.*

REGULA VIII.

Valet Consuetudo præscripta, qua Episcopus in inquirendo, puniendo, corrigendo, non teneatur Capituli sui Consilium requirere. *De Consuet.* Cap. 3. *in 6.*

REGULA IX.

In criminalibus ad Forum Contentiosum deductis, non alia à Canone, Episcopo, Archiepiscopóve, Abbati, reservantur quàm ista.

I. Solus potest Episcopus degradare Presbyterum. Sess. XIII. Cap. 4.

In Gallia non est in usu degradatio; cujus rei ratio est: Hoc in Regno creditur crimina ad quorum punitionem necessaria est degradatio, ipsa sua gravitate degradare.

II. Solus potest Archiepiscopus, dum propè est, in Episcopum censuras ferre. *De Offic. Ord.* Cap. 1. *in 6. §. Officialis.* Id ei non licet in Gallia.

REGULA X.

Quoad criminalia, nullus Sæcularis Regularísve extra Claustra degens, ab Episcopi Jurisdictione eximitur. Sess. VI. Cap. 3.

REGULA XI.

Quoad criminalia, neminem juvant Literæ Conservatoriæ si fierur Juri à *Concilio* TRIDENTINO introducto. Sess. XIV. Cap. 5.

Excipiuntur tamen Universitates, Doctorum Collegia, regularia loca, Hospitalia actu hospitalitatem servantia, & istorum omnium personæ, sive Rectores.

Exceptiones non habent locum in Gallia, sed sola Regula.

REGULA XII.

Qui ex Privilegio alienos Clericos punire possunt, contra eos procedere non debent, nec possunt, nisi proprius Episcopus, vel ejus Vicarius interveniat. *Ead.* Sess. Cap. 8.

Non est in usu in Gallia, ubi talia Privilegia locum non habent.

REGULA XIII.

Nulli Prælatorum Episcopo inferiorum licet de causis criminalibus cognoscere, sed earum cognitio Episcopo reservatur. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 20. Sess. XXV. Cap. 14.

Agitur hîc de Prælatis, qui in Jurisdictione inferiores sunt Episcopis, quales non sunt, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem.

REGULA XIV.

Legati à latere, Nuncii, Gubernatores Ecclesiastici, in cognitione criminalium Episcopum turbare non possunt, nec contra Ecclesiasticas personas procedere, nisi requisito prius Episcopo, eóque negligente. *Ibidem.*

Nuncii nullam exercent Jurisdictionem in Gallia.

REGULA XV.

Etsi in Criminalibus, ut & in Civilibus, cum duobus Canonicis Episcopus contra Canonicos procedere teneatur, ad summariam tamen informationem, personalémque detentionem, quando ista opus est & urget, solus procedere potest. Sess. XXV. Cap. 6.

REGULA XVI.

In omnibus casibus juxtà delicti, & personarum qualitatem in decenti loco delinquentes custodiendi sunt. *Ibidem.*

REGULA XVII.

Crimina Clericorum non capitalia, pro illorum contumacia gradatim punire potest Episcopus. *Cap.* 14. Sess. XXV. ubi incontinentiæ crimen punitur in Clericis: I Privatione tertiæ Partis obventionum Ecclesiasticarum, quæ ipso facto incurritur, si primæ monitioni non paruerint. II. Amittunt omnes fructus ipso facto, & suspendendi sunt à Beneficiorum administratione, si secundæ monitioni non obedierint. III. Privantur Beneficiis, ac ad alia obtinenda inhabiles redduntur, donec se manifestè emendantes dispensationis gratiam meruerint. IV. Si adhuc in crimine perstiterint excommunicationis gladio feriendi sunt.

Restringitur Regula ad crimina non capitalia, quia capitalium punitio, si gradatim fiat, magna secum invehit incommoda, nisi prima pœna, etsi mitior quàm quæ puniendo crimini debetur, similia crimina committendi facultatem auferat. Idcircò non servandum videtur *Caput* 1. *de Judiciis*, in quo Clericus qui tempore succedente capitali crimine pluries fit reus, triplici pœnarum genere, quarum nulla similia crimina patrandi facultas aufertur, gradatim puniendus dicitur, antequam Judici Sæculari capitali plectendus pœna tradatur. Proindéque crudeli pietate, efficax remedium differretur ac innocens interim pateretur, publicáque quies in periculo remaneret.

REGULA XVIII.

In Crimine incontinentiæ Clericorum, contumacium appellatio nec exemptio suspendit sententiæ executionem, idcircò neutri deferre debet Episcopus. *Ibid.*

REGULA XIX.

Pro vitando graviori lapsu dissimulandus est minor. *Qui Cler. vel Vov.* Cap. 3. *in prima Collect.*

REGULA XX.

Crimina, quæ per Inquisitionis viam Episcopus cognoscit, punire potest æquè ac quæ cognoscit per accusationis viam, sed mitiùs illa quàm ista punire debet. *De Simon.* Cap. 30.

REGULA XXI.

Clerici fori Privilegium amittentes Episcopi Jurisdictioni subesse desinunt: Hoc autem amittunt Jure Communi, si Clericalem habitum dimittant, eóque dimisso crimina patrantes deprehendantur, vel etiam non dimisso, si bigami fiant. *De Privil.* Cap. 27. *De Sent. Excomm.* Cap. 23. *De Pœnis.* Cap. 1. *in quinta Collect. De Bigamis.* Cap. unic. *in 6.*

Jure Gallicano non his solùm modis, sed etiam si uxores ducant.

Hinc nota non recipi in Gallia *Caput* 1. *De Cler. Conjug. in 6.* nec Caput 8. *Concil.* TRIDENTINI Sess. XXIII. *De Refor.* in eo quod citatum Caput primum innovat.

REGULA XXII.

Falsum æquè est XII. sæculo in Ecclesia introductum nondum fuisse usum pœnas temporales irrogandi, ac verum est tales imponere pœnas propria autoritate Ecclesiæ non licere.

Prima

Primâ Pars Regulæ patet ex *Cap.* 7. Dist. XVIII. Cap. 17. 18. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 7. 14. 16. 20. 21. 22. 25. 26. 27. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. *De Calum.* Cap. 14. *De Judæis.* Cap. 2. *De Pœnis.*

Secunda Pars infertur ex *Cap.* 2. *De Cler. Excomm. Ministr.* *Cap.* 4. *De Raptoribus.* Sed ut quisque sine labore prioris Regulæ Partis veritatem clarè videat, notandum tempus quo quilibet ex citatis Canonibus conditus est; incipiendúmque ab antiquiori, & juxtà temporis ordinem ad cæteros progrediendum. *Canon* 57. Caus. XVI. Quæst. I. desumitur è *Concilio* Calcedonensi, celebrato anno 451. & exilio damnat. *Canon* 18. *ead.* Caus. & Quæst. è Pelagio II. ad Pontificatum electo anno 579. eadem pœna plectit. *Cap.* 2. *De Calumniator.* è Gregorio Magno, Pontifice facto anno 590. eamdem exilii pœnam irrogat, pœnam imponit Metropolitano, qui indebitam rem sibi vendicat. *Canon* 16. Caus. XVII. Quæst. IV. desumitur ex Pœnitentiali Theodori *Cantuariensis*, qui vixit VII. sæculo, pœnâ dupli & quadrupli plectit. *Can.* 14. *ead.* Caus. & Quæst. ex Epistolâ Higino suppositâ, qui VIII. sæculo collocari potest, quo hujusmodi literæ visæ sunt, pœnam pecuniariam illo sæculo VIII. usitatam. *Canon* 7. Dist. XVIII. è VII. *Concilio* Generali, celebrato anno 789. quadrupli pœnam imponit. *Canones* 7. 10. 15. 16. Caus. XVI. Quæst. IV. è *Concilio* Tribur. celebrato exeunte IX. sæculo similem pœnam ac *Pseudo* Higinus infligit. Eodem sæculo parem imponit *Canon* 21. *ead.* Caus. & Quæst. desumptus ex Joanne VIII. facto Pontifice anno 872. *Canon* 22. *ead.* Caus. & Quæst. desumptus ex Alexandro II. facto Pontifice anno 1061. pœnam confiscationis omnium bonorum irrogat. *Caput* 2. *De Pœnis*, desumptum ex Alexandro III. ad Pontificatum evecto anno 1159. pœnæ pecuniariæ à Judice Ecclesiastico inflictæ meminit. Idem habetur in *Capite* 14. *De Judæis* ex Innocentio III. qui ad Pontificatum ascendit anno 1198. Addendum citatis Canonibus *Caput* 3. *De Crimine Falsi*, in quo circa annum 1185. Urbanus III. consultus quâ puniendi essent pœnâ Clerici falsarii, respondet, ipsis degradatis, imprimendum characterem & in exilium mittendos. Agentes de Jurisdictione Episcopi circa crimina, de modo procedendi nihil diximus, quia hic fusiori explicatione eget, quam dari conveniat in hisce principiis, circa Jurisdictionam Ecclesiasticam crimina contingentem.

Caput IV.

De Jurisdictione Episcopi circa res Civiles.

Res Civiles sunt, vel *Spirituales*, vel *Temporales*, idcircò I. considerabimus quæ sint res spirituales Episcopi Jurisdictioni subjectæ. Postea quæ sint res temporales eidem Jurisdictioni subditæ.

§. I.

De Rebus Spiritualibus Episcopi Jurisdictioni subjectis.

REGULA.

Non aliæ res spirituales Episcopi Jurisdictioni subjectæ in Canone leguntur, quàm istæ.

I. Sacramenta. *De Præscript.* Cap. 19.

II. Ecclesiarum & Altarium Consecrationes *Ibidem.*

III. Ab Episcopo audiri & suscipi debet Doctrina fidei: Hinc Prædicatio Verbi Dei per Episcopum facienda, nisi sit legitimè impeditus, quo casu per alios viros idoneos ad id assumptos. Dist. XXV. Cap. 2. Sess. V. Cap. 2.

IV. Virginum Consecratio. Dist. LXVIII. Cap. 4.

V. Altarium Ecclesiarúmque Erectio & Consecratio. *Eod. C.* Dist. 1. *De Conf. past.*

VI. Chrismatis Confectio. *Eod. C.* 18. *De Conf.* Dist. III. Cap. 122. 125. 124. *De Conf.* Dist. IV.

VII. Per manûs impositionem baptizatis Fidelibus & Hæreticis conversis Spiritûs Sancti Traditio: *Eod. Can.*

VIII. Baptizatorum in fronte Chrismatio. *Eod. Can.* 4. Dist. LXVIII.

IX. Publica pœnitentium Reconciliatio. *Eod. Can.* Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 14. Caus. XVI. Quæst. VI.

X. Formatarum Epistolarum Missio. *Eod. Can.*

XI. Presbyterorum & Diaconorum Ordinatio. *Eod. Can.*

XII. Plurium Ecclesiarum ob paupertatem Unio. Dist. LXX. Cap. 2.

XIII. Ecclesiastica Officia. *Eod. Can.* singulaque ad illa pertinentia quoad directionem.

XIV. Clericorum pro voluntate & prudentiâ Promotio. Dist. LXXIV. Cap. 3. 4. 5.

XV. Clericis sibi inferioribus & ad Officia sua ineptis Coadjutoris Datio. Dist. LXXIV. Cap. 5. Sess. V. *De Ref.* Cap. 1.

XVI. Solemnitatum & Festivitatum Indictio pro suo Episcopatu. *De Consecr.* Dist. III. Cap. 1.

XVII. Beneficiorum Diœcesis suæ Collatio, vel ad ea Institutio, passim in Canone, sed præcipuè in *Tit.* 15. *De Præb. De Instit. & De Jure Patron.*

XVIII. Electio Præceptoris, qui Clericos aliósque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat; Sess. V. *De Præb.* Cap. 1.

Erga Præceptores servanda sunt in Gallia Edicta Regia Aurelianense & Blesense.

XIX. Examen & approbatio illius, qui Sacram Scripturam sive privatim, sive publicè lecturus est extra Claustra Monachorum. *Ibidem.*

Non servatur in Gallia.

XX. Actualis & solemnis Presbyteri Degradatio. Sess. XIII. Cap. 4.

XXI. In quibuscumque Beneficiis juris Patronatûs soli Episcopo, vel ejus Vicario Præsentatio facienda est, & ab eo Institutio recipienda, aliàs nullæ sunt. Quoad Institutionem ab aliis, saltem in Gallia fieri potest. *Cap.* 12. & 13. Sess. XIV. Illa Capita videntur opposita *Capiti* 18. Sess. XXIV. & Capiti 9. Sess. XXV. ubi supponitur Institutio fieri posse ab Episcopo, sed non sunt; nam priora Capita loquuntur de Institutione quæ pertinet Titulo fundationis, aut dotationis, aut privilegii; posterius verò loquitur de Institutione, quæ oritur ex Consuetudine, vel Præscriptione. Quidquid sit de illa conciliatione, Vetus Jus in Gallia viget adhuc.

XXII. Jus reducendi nimium Fundatarum Missarum numerum, cui satisfieri nequit propter justas causas. Sess. XXV. *De Ref. Cap.* 4. Reductio hæc non fit in Galliâ, nisi præcedenti inquisitione, & vocatis vocandis.

XXIII. Examinatio à Patronis præsentatorum; etsi ad alium quàm ad Episcopum Institutio pertineat. Sess. XXV. Cap. 9. Hoc non servatur in Galliâ, nisi agatur de Cura Patronata, quæ sine Episcopi missione obtineri nequit, vel potiùs exerceri.

XXIV. Jus benedicendi solemniter populum. Caus. XXVI. Quæst. VI. Cap. 3.

§. II.

De Rebus Corporalibus Episcopi Jurisdictioni subditis.

REGULA I.

Judicio & potestate Episcopi gubernari & dispensari debent res omnes Ecclesiasticæ. Caus. X. Quæst. I. Cap. 5.

REGULA II.

Non aliæ corporales res in Canone Episcopo subjici expressè dicuntur quàm istæ.

I. Ecclesiæ ut Beneficia consideratæ, ideóque absque Episcopi consensu, nec Ecclesiarum reditus, nec portiones Rectoribus dari consuetæ, minui possunt, nec Parochiæ dividi. *De Præb.* Cap. 10.

II. Decimæ, ideóque absque ejus consensu Religiosi non debent à Laïcis decimas recipere, ut nec Ecclesias, ac juxta ejus dispositionem distribui debent. *De Præb.* Cap. 31. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 55. 56. 57. Caus. XVI. Quæst. II. Cap. 3.

III. Decimæ & Primitiæ. Dist. XXXII. Cap 6.

IV. Oblationes vivorum & mortuorum; quo nomine intelliguntur terræ, vineæ, mancipia, peculia, omnisque alia res, quæ offerri potest, tam mobilis quàm immobilis. *Eod. C.* 6. Cap. 5. Caus. X. Quæst. III. Cap. 7. Caus. X. Quæst I.

V. Dotes Ecclesiarum, etiam à Laïcis fundatarum, quales quales sint, ad Episcopi Ordinationem pertinent. Caus. X. Quæst. I. Cap. 6. salvo jure Fundatorum.

VI. Ecclesiarum obventiones, quarum tertia pars, & nil ultrà, Episcopo debetur, quartæ verò partis, quæ Clericorum est, istis ab ipso distributin fieri debet. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 60. 61. Caus. XVI. Quæst. I *Cap.* 65. Hæc aliàs; nunc secùs; remanet tantùm in illo inspectio circa illa.

Non agitur hîc de solo jure cognoscendi de rebus temporalibus, sed de qualicumque potestate circa illas. Magna adhuc est Episcopi potestas circa res Ecclesiæ temporales, cùm sine illius consensu alienari non possint; illo verò consentiente alienatio fieri possit; cùm etiam possit dotem unius Ecclesiæ ad aliam Ecclesiam transferre per unionem unius Ecclesiæ cum alia, & per translationem servitii in hac Ecclesia peragendi ad aliam Ecclesiam; cùm possit quoque in erectione novæ Parochiæ ipsi assignare, ac annectere portionem decimarum ad sustentationem Ministrorum, necnon ad subministrationem eorum omnium, quæ ad celebranda Divina Officia requiruntur.

REGULA III.

Quantacumque sit Episcopi in res Ecclesiæ Jurisdictio, non est tamen illorum Dominus, sed Procurator. Caus. XXIII. Quæst. VII. *Cap.* 9. Quod etiam verum est in quovis illius Superiore.

CAPUT V.

De Episcopi Jurisdictione in Personas.

In colligendo Regulas, quæ Episcopi Jurisdictionem circa personas spectant, ordo hic servabitur. Colligentur, I. Regulæ Generales, quæ in genere docent quales personæ Episcopo subsint; quid sentiendum de iis qui Episcopo suo non obediunt; de quibus in Jure sigillatim exprimatur quòd Episcopo subjiciantur: II. Regulæ Generales, quæ ostendunt quando, & in quibus locum habeat exemptio ab Episcopi Jurisdictione: III. Particulares, quæ docent qualis sit Episcopi Jurisdictio circa Parochos, circa Religiosos Exemptos, circa Laicos,

REGULA I.

Totius Plebis animæ Episcopo commissæ sunt. Caus. X. Quæst. I. Cap. 5.

Nomine Plebis hîc non intelliguntur soli Laïci, sed omnes fideles quicumque sint.

REGULA II.

Qui Episcopo non obedit, se exaltari desiderans, quærensque illius merita obumbrare, simulata scientiæ & virtutis affectione, à vero devius, superbit. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 15.

REGULA III.

Non alii in Canone expressè dicuntur Episcopo subditi quam isti.

I. Omnis Clericus in Diœcesi degens. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 10.

II. Delegatus, qui in causa est, desidia vel malitia sua, ut peccatores in peccato remaneant, tunc enim desidiam supplere potest Episcopus. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 6.

Non servatur in Gallia quoad Delegatum, secùs quoad alios, si moniti scandalum non amovent.

III. Abbas, qui monitus ab Episcopo negligit corrigere Monachos suos; nam potest ab eo compelli per suspensionem ab Officio & à Beneficio, ut eos corrigat. *Eod. Tit.* Cap. 7.

In Gallia consulendum Edictum Regium 1695. *Art.* 18.

IV. Capitulum suæ Cathedralis, nisi in casibus, in quibus illud consuevit Jurisdictionem in membra sua exercere. *Eod. Tit.* Cap. 13.

Hoc Caput licèt correctum à *Concilio* Tridentino, quoad exceptionem, servatur tamen in Gallia cum exceptione sua.

V. Abbates & Sacerdotes Lege Diœcesana Episcopo subditi sunt, ad Synodum & ad Subjectionem ab eo compelli possunt; Abbates tamen sine rationabili causa ad Synodum cogi non possunt. *De Majorit.* Cap. 9. Dist. XVIII. Cap. 16. *Eod.* Dist. XVIII. *Cap.* 11. Locum hæc Regula non habet in Abbatibus exemptis, sed tantùm in aliis, qui non subsunt cuidam Congregationi.

VI. Abbatissa ab Episcopo benedicitur & præficitur Monasterio, ac ad Episcopi culpam pertinet si Abbatissa ac Monialis non gestet habitum Monachalem. *De Testam.* Cap. 2.

VII. Qui habitum Monachalem à plutibus annis deferunt & non profitentur, sicque proprium habere & irregulariter vivere posse non verentur asserere; hos enim compellere potest per Censuras Ecclesiasticas, ut Regulam profiteantur & servent. *De Regul.* Cap. 22. Professio tacita nullam vim habet in Gallia.

VIII. Electus ad Abbatiam, Episcopus enim illum confirmat. *De Sent. & Re Jud.* Cap. 10.

IX. Abbas Monasterii, cujus membra non probantur exempta, licèt ipse sit Exemptus, subjicitur quoad membra. *De Privil.* Cap. 17.

X. Clericus Diœcesanus, etsi à Papa ordinatus. *De Majorit.* Cap. 7. *in integra.*

XI. Confratres Religiosorum Exemptorum, qui in totum non se transtulerunt, sed in proprietatibus remanserunt. *De Privil.* Cap. 3. §. *De confratribus.*

XII. Presbyteri sine præcepto & consilio Episcopi nil agere debent. Idem de aliis Clericis. Dist. LXXX. Cap. 5. Dist. XCV. Cap. 11. 12. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 41. Hoc intelligendum de non Beneficiatis, cùm hi munia habeant præscripta à Beneficio, unde fat est, ut illum in dubiis circa illa consulant.

XIII. Clericus ad Dignitatem electus etiam Episcopalem à suo Episcopo postulandus est. Dist. LXXXV. *Cap* 1. servatu dignissimum, ut ambitionis frenum.

XIV. Clericus, Sacerdos, Monachus, Laicus Episcopo inobedientes puniuntur, Laicus excommunicatione, alii Depositione. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 15. 21. 22. 23. 24. 25. 31.

XV. Clericus sine consensu Episcopi ab alio quam ab eo non est judicandus, tam in civilibus, quàm in criminalibus. Caus. XI. Quæst. I. Quoad Galliam id restringendum ad actiones merè personales. Videndus in id Articulus quartus Ordinationis 1539. & ibi Burdinus Cognitor Regius Parlamenti Parisiensis.

XVI. Ex

XVI. Ex Codice THEODOSII, ut ex Capitularibus CAROLI MAGNI licebat cuicumque petitori, initio vel decursu litis, aute vel post sententiam, adversario refragante, Episcopum illius Judicem eligere. *Ead.* CAUS. & QUÆST. Cap. 35. 36. 37.

XVII. Non solum Clericus Monachus, sed & Diaconissa Monastria, vel Ascetria Episcopi judicio subjacent. *Ead.* CAUS. & QUÆST. Cap. 38. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 64. Quoad spiritualia, idque tantùm Jure Communi.

XVIII. Presbyteri, Clerici, Principes, & populi Episcopo inobedientes infames habendi sunt, & ab Ecclesiâ repellendi. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 11. *Ex suppositâ* CLEMENTI I. *Epistolâ.*

XIX. Quilibet Monachi, quoad Officia Ecclesiastica, & quoad Ordines. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 9. 12. *Ead.* CAUS. & QUÆST. Cap. 10. 25. 33. 34.

. Jure Communi viget quoad Ordines omninò, & partim quoad Officia, si exempti fuerint. SESS. XXIII. *De Ref.* Cap. 11.

XX. Abbas delinquens, potest enim illum deponere & Abbati alterius Monasterii subjicere. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 7. Vix locum babere potest in Exemptis.

XXI. Prælatus Regularis alienare non potest absque licentia Episcopi, aliter alienata revocar Episcopus. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 40. De non Exempto id intelligendum.

XXII. Sanctimoniales, nam eas ad professionem recipit, Virgines consecrans, Viduas velans, Prævaricatas corrigit, Apostatas ad Monasterium revocat, Nuptias contrahentes absolvit. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 1. 2. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 1. 2. 12. 15. 18. 19. 22. 25.

XXIII. Parochus, nec enim potest relictâ suâ Parochiâ ad aliam transmigrare, absque Episcopi sui licentia. *Can.* 14. 15. *Apostol.* Non servatur, sed servandum esset, ne Ecclesiæ nocerent hujusmodi translationes, quæ nonnumquam ex cupiditate, vel ambitione, vel vana gloria fiunt.

XXIV. Omnes Diœcesani, quorum potest, quos voluerit sub juramento ad veritatem dicendam, circa ea omnia, quæ spectant ad Episcopi correctionem, vel aliàs ad bonum Diœcesis Ordinem, compellere. CAUS. XXXV. QUÆST. VI. Cap. 7.

XXV. Abbates & Priores Conventuales, qui ab Episcopo moniti Monachos à Prioratibus, ubi soli habitant, non revocant. *De Capell. Monach.* Cap. ult.

Nota Episcopos Jurisdictionem suam circa memoratos in Regulâ, sine culpâ suâ, nonnumquam variis modis amittere: Nempè, I. Quando memorati abjurant statum, ratione cujus Episcopo subsunt. II. Quando Episcopi Superior istos ab Episcopi Jurisdictione subtrahit. III. Si isti privilegium status sui perdant, vel actionibus in se quidem licitis, sed sibi non congruentibus, qualis negotiatio. *De Vita & Honest. Cler. Cap.* 16. Vel criminibus civilibus, de quibus *Cap.* 24. *De Privil.* Cap. 23. *De Sent. Excomm.* Abjurare autem statum in Gallia Clericos minores, si uxorem ducant; Clericos verò majores ut & minores, Monachósque, si habitum & tonsuram statui congruentem non deferant, vel si bigami fiant, quamvis habitum & tonsuram gestent hujusmodi, idque tàm alibi quàm in Gallia. IV. Si ab alio Prælato præscribantur. Nota iterum, ex his quatuor exceptis casibus mox relatis, nonnullos tales esse, ut Episcopi circa memoratos Jurisdictionem omnem amittant, nimirum illos, à quibus status abjicitur; alios verò tales, ut Jurisdictionis istius pars solum amittatur, cujus generis sunt casus secundi & tertii numeri, in quibus Jurisdictionem non perdunt Episcopi, nisi circa negotia quædam civilia, vel circa quædam criminalia.

REGULA IV.

Quoad animarum curam exercendam nulla est exemptio ab Episcopi Jurisdictione, præter contentam *in Capite* 11. SESS. XXV. *De Regular.*

Colligitur ex Regula circa potestatem Episcopis, à *Concilio* TRIDENTINO concessam erga Parochiales Ecclesias; necnon ex Regulâ circa potestatem, ab eodem *Concilio* Episcopis attributam erga Exemptos.

REGULA V.

Non in aliis Parochos Ecclesiásve Parochiales Episcopo expressè subjicit *Concilium* TRIDENTINUM quam in istis.

I. Quoad Verbi Dei Prædicationem: Potest enim Parochum per censuras, aliásque vias compellere, ut per se, vel per alium prædicet. SESS. V. *De Ref. Cap.* 2. Hic autem ab Episcopo approbatus esse debet ad prædicandum.

II. Quoad Parochiarum Collationem, curare enim debet, ut personis dignis & habilibus, qui per seipsos curam exercere valeant, conferantur, & Collationes aliter factæ irritentur. SESS. VII. Cap. 3.

III. Quoad validam illarum possessionem; nam plures habens Ecclesias Curatas, tenetur Episcopo dispensationes suas exhibere; is verò curare debet per Vicariorum deputationem, congruæque portionis assignationem, ut animarum cura nullatenus negligatur. *Ead.* SESS. Cap 5.

IV. Quoad Visitationem & animarum curam, Ecclesias etenim Curatas, quibuscumque aliis vel Monasteriis unitas visitare potest, eísque circa animarum curam providere. *Ead.* SESS. Cap. 7. 8.

V. Quoad reparationem: Potest enim providere, ut, quæ reparatione indigent, reficiantur. *Ead.* SESS. Cap. 8.

VI. Ecclesias Curatas, vel non Curatas, cum Curatis unire potest ob earum paupertatem, & in aliis casibus in Jure permissis. SESS. XXI. Cap. 5.

VII. Imperitis Vicariis idoneos Coadjutores, seu Provicarios dare potest, quoties imperitia durabit; turpiter verò & scandalosè viventes castigare, & si moniti perseverent, Beneficiis privare. SESS. XXI. Cap. 6.

VIII. Parochiales Ecclesias etiam Juris Patronatûs, si collapsæ sint reficere potest à proventibus, ad eas quoquo modo pertinentibus, hísque deficientibus ex eleemosinis Parochianorum, quæ si defuerint ob istorum inopiam in alias Ecclesias transferre poterit, & collapsas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertere. *Ead.* SESS. Cap. 7.

IX. Parocho abesse non licet sine causa cognita & probata ab Episcopo, sine licentia ab isto concessa scriptis gratis, & ad bimestre tantùm, & non relicto Vicario ab Episcopo probato, cum debita mercedis assignatione. SESS. XXIII. Cap. 1.

X. Injungere potest Parocho proclamationes circa Parochianorum Ordinariones, similes iis, quas faciunt circa eorumdem Matrimonia. *Ead.* SESS. Cap. 5.

XI. Compellere potest Parochum, ut non solùm diebus Dominicis & Festivis, sed etiam tàm frequenter Missas celebret, ut muneri suo satisfaciat. *Ead.* SESS. Cap. 14.

XII. Functiones quatuor Minorum Ordinum in Ecclesiis Parochialibus restituere potest, si earum proventus id patiantur, vel aliundè haberi possint stipendia illorum, qui has functiones exercuerint. SESS. XXIII. Cap. 17.

XIII. Proventus Ecclesiarum Parochialium non sunt exempti à contributione, ad sumptus erigendo & sustentando Seminario necessarios ab Episcopo moderanda. *Ead.* SESS. Cap. 18.

XIV. Potest Episcopus Parochum pro arbitrio punire, si Matrimonio, quod absque duorum vel trium testium numero contrahitur, interfuerit. SESS. XXIV. *De Matrim.* Cap. 1.

XV. Potest illum compellere, ut Decreta *De Matrimonio* publicet, quoties id expedire judicabit. *Ibid.*

XVI. Pa-

XVI. Parocho non licet vagantium hominum Matrimonio interesse, nisi ioquisitione diligenti facta, eáque Episcopo delata, ab eo licentiam obtinuerit. *Ead.* Sass. Cap. 7.

XVII. Parochi quicumque sint Synodo Diœcesanæ interesse tenentur. Sass. XXIV. *De Ref.* Cap. 2.

XVIII. Parochum compellere potest Episcopus, ut prædicet diebus Dominicis & Festis solemnibus, necnon tempore Adventûs & Quadragesimæ, quotidie, vel sáltem tribus diebua in hebdomada, idque faciat per seipsum, nisi sit legitimè impeditus. *Ead.* Sess. Cap. 4.

XIX. Potest etiam eum adstringere, ut rudimenta fidei, & obedientiam erga Deum & Parentes, diebus Dominicis & Festivis pueros doceat. *Ibidem.*

XX. Curare deber Episcopus, ut Parochus Sacramentorum vim & usum, pro suscipientium captu, explicet lingua vernacula, juxtà fotmam iu Catechismo *Concilii* TRIDENTINI præscriptam. *Ead.* Sess. Cap. 7.

XXI. Curare etiam debet ut inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem, Sacra Eloquia, & salutis Monita, vernacula lingua, diebus Dominicis & Festivis, explanet Parochus. *Ibidem.*

XXII. Curatus tenetur intra duos menses, ab adepta possessione Beneficii sui, fidei Catholicæ professionem facere coram Episcopo, vel ejus Vicario. Sess. XXIV. *De Refor.* Cap. 12.

XXIII. Nullus debet ad Beneficium, animarum curam habens, ab Episcopo admitti, nisi vigesimum quintum annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad munus suum exequendum necessaria, & morum integritate commendetur. *Ibid.*

XXIV. Nimiæ Ecclesiarum Parochialium paupertati providere debet Episcopus, vel Beneficiorum non Regularium unione; vel primitiarum, decimarúmve assignatione, vel Parochianorum collectis, vel commodiori viâ, si quæ sit. *Ead.* Sass. Cap. 13. *Servatis Servandis.*

XXV. Impedire debet ne Parochiales Ecclesiæ uniantur Monasteriis, Præbendis, Beneficiia simplicibus, Hospitalibus, Militiisve, ac revidere factas hujusmodi uniones, ot eas irritas declaret, si eas infrà quadraginta annos factas tacita veritate, vel expressa falsitate deprehendat. *Ibid.* Etiam post longius tempus in Gallia.

XXVI. Permittere non debet Episcopus, ut Ecclesiæ Parochiales, quæ summam centum Ducatorum oon excedunt, pensionibus graventur. *Ibidem.*

XXVII. Parochialibus Ecclesiis, quæ certum populum, certósque fines non habent, assignare debet. *Ib.*

XXVIII. In locis ubi non sunt Parochiales Ecclesiæ, quàm primum fieri curare debet. *Ibid.*

XXIX. Cogere potest, qui plures Parochiales simul obtinent, ut intra sex menses, una electa, cæteras dimitianr, quo ab his omisso vacaturas tunc eo ipso Parochiales Ecclesias, necnon alia quæ habent Beneficia, conferre poterit. *Ead.* Sess. Cap. 17. Idem si Parochialis simul habeatur cum Cathedrali.

In Gallia datur annus ad optionem, quo elapso posterius babita vacat, sed non cætera Beneficia. *Declarat.* 1681.

XXX. Vacanti Ecclesiæ Parochiali, quæcumque sit, deputare potest Vicarium cum portione congrua, ut eam regat, donec prævio examine, publico vel privato, Curatum in ea constituerit quem digniorem judicat. *Ead.* Ssss. *Cap.* 18. Quoad examen publicum hæc notanda funr: E sex Examinatoribus ad hoc in Synodo Diœcesana electis, tres vel plures, si velit, eligit Episcopus, quibus examinandi præsentantur, vel ab Episcopo, vel à Patrono, vel ab aliia nominantur, vel publico Edicto vocantur, facto examine quem unanimiter, vel major eorum numerus, vel Episcopus cum uno ex ipsis, si pares sint, digniorem judicant, Episcopus eligit, eique confert, si sit illius Collator; vel conferri curat, si ab alio conferatur; si verò sit Juris Patronatûs Ecclesiastici Patronus præsentare tenetur, qui dicto modo judicatus sit dignior; si Patronatua Laïci non admittitur, nisi qui idoneus ab iisdem Examinatoribus repertus fuerit; provisio aliter facta subreptitia censenda est. Examinatores jurant se, postposita humana affectione, munus executuros: si quid ab examinandis ante vel post amittunt, eo ipso Beneficia quæ obtinent, aliisque obtinendis inbabiles fiunt. Debenr esse Doctores, vel Licentiati in Theologia, vel in Jure Canonico, vel alii Clerici, vel Regulares, si qui sint, ad id magis idonei.

Quoad privatum examen sciendum est sufficere tantùm tribus casibus; nimirum si Ecclesia vacans sit adeò exigui reditus, ut totiua hujus examinationis operam oon ferat; si nemo examini se subjicere quærar; si rixæ & tumultus jure timeantur, eóque in examine cætera, quæ servari possunt, esse servanda.

Omissum est quoad Examinatores, eorum relationis executionem nulla oppositione retardari.

Concursus non servatur in Gallia, exceptis paucis Diœcesibus ATTREBATENSI, VESONTIONENSI.

XXXI. Compellere potest Episcopus Parochos, nt in prima Synodo Diœcesis cui adsunt, Fidem Catholicam profiteantur, Hæreses detestentur, Summóque Pontifici obedire & Decreta *Concilii* TRIDENTINI servare spondeant. Sess. XXV. Cap. 2. *De Ref.*

XXXII. Impedire potest ne uniones Ecclesiarum Parochialium cum Patronatis alterius vel ejusdem speciei, quacumque autoritare factæ, plenum sortiantur effectum, neve deinceps fiant. *Ead.* Sess. Cap. 9.

XXXIII. Curare debet, ut si quarta funeralium, quæ ab Ecclesia Parocbiali possessa est per quadraginta annos, alteri loco data sit, eidem restituatur. *Ead.* Sass. Cap. 13.

XXXIV. Impedire debet ne Beneficium, quoquomodo Curatum in simplex convertatur, etiam coostituto Vicario perpetuo cum congrua portione. *Ead.* Sass. Cap. 16.

XXXV. Si Curatum Beneficium in simplex conversum sit, etiam ex tempore immemoriali, sed congrua portio Vicario non est assignata, nec commodè assignari potest, in pristinum statum restitui debet, statim ac Prioratus vel Vicaria vacaverit. *Ib.*

REGULA VI.

In quibuscumque casibus judiciario ordine contra Regulares procedendum est, Episcopo Regulares subjiciuntur, nisi Prælati sui Episcopali Jurisdictione potiantur.

Extra hunc casum Prælatus carere solet judiciaria potestate præscriptis à Principe formis exercenda.

REGULA VII.

In rebus Jurisdictionem Contentiosam spectantibus Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, istorúmque subditi, nullo modo Episcopis subjiciuntur, nisi delinquant extra exemptionis locum.

REGULA VIII.

Exemptos Religiosos Episcopo, non in aliis expressè subjicit *Concilium* TRIDENTINUM quàm in istis.

I. Abbates negligentes Sacræ Scripturæ lectionem in Monasteriia instituere, possunt ad id compelli ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato. Sess. V. Cap. 1.

Non servatur in Gallia.

II. Regulares Prælati nullius Diœcesis non curantes ut in Parochiis sibi subjectis Verbum Dei prædicetur, ad id compelli possunt à Metropolitanis, in quorum

quorum Provinciis Diœceses, in quibus id non curatur, sitæ sunt. Sess. V. Cap. 2.

III. Religiosis, quicumque sint, non licet, nec in propriis Ecclesiis prædicare, contradicente Episcopo. Quod si in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare velint, id non possunt, nisi se prius Episcopo cum licentia à Superioribus suis obtenta personaliter præsentaverint, benedictionem ab illo petierint; in aliis verò Ecclesiis ultra licentiam Superiorum suorum; licentiam Episcopi habere debent. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 4. *Edictum* 1695. *Art.* 10. Sess. V. Cap. 2. Si errores vel scandala disseminaverint in populum, etsi in Ecclesiis sui aut alterius Ordinis prædicaverint, Prædicationem eis interdicere potest; quo durante Interdicto nullibi prædicare possunt, quia censura est personalis, personam sequens quocumque petierit; quod si Hæreses, contra eos, ut Sedis Apostolicæ Delegatus, juxtà Juris dispositionem, locive consuetudinem, procedere. *Ibid.*

IV. Episcopus permittere non debet, ut Religiosi, extra Claustra, & obedientiam viventes, nisi noti sint Episcopo, vita & doctrina probati, prædicent in Civitate vel Diœcesi, donec de veritate Privilegii, quo sibi id licere prætendunt, constiterit. *Ibidem.*

V. Regularis extra Monasteria degens, etiamsi sui Ordinis Privilegio tutus censeatur, ab Episcopo si deliquerit, visitari, puniri & corrigi valeat, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato. Sess. VI. Cap. 3.

VI. Beneficia Curata, Monasteriis Exemptis unita, ab Episcopo visitari possunt, & circa ea provideri, ut per Vicarios perpetuos, si sibi expedire videbitur, cum portione congrua animarum cura exerceatur. Sess. VII. Cap. 7.

In Gallia non permittitur Episcopo ut alios constituat Vicarios quàm perpetuos.

VII. Regulares Exempti, extra Monasteria degentes judicantur ab Episcopo ratione delicti contracti, & rei de qua agitur; sed quoad delictum excipiuntur qui certum ab Apostolica Sede Judicem obtinuerunt. *Ead.* Sess. Cap. 14. *De Privil.* Cap. 1. *in 6.* Quæ exceptio locum habere non videtur in Gallia, ubi etiam quoad res & contractus Judici Sæculari subsunt.

VIII. Regulares Exemptos impedire potest Episcopus ne Quæstorum Officium exerceant. Sess. XXI. Cap. 9.

IX. In ordinatione cogere potest, ut observent Canones circa ætatem ordinandorum, eósque diligenti examini subjicere. Sess. XXIII. Cap. 12.

X. Impedire potest ne Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audiant; nisi Beneficium Parochiale habuerint, vel ab eo examinati, approbati fuerint. *Ead.* Sess. Cap. 15. *Art.* 11. *Edicti* 1695.

XI. Regularis, qui sponsos alterius Parochiæ, sine Parochi illorum licentia benedicit, manet suspensus, donec Parochi contempti Ordinarius Regularem absolverit. Sess. 24. Cap. 7. *De Matrim.*

XII. Regulares, qui Capitulis Generalibus non subduntur, necnon etiam qui curam gerunt Ecclesiarum Parochialium, aliarúmve Sæcularium etiam annexarum, Synodo Diœcesi interesse tenentur. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 2.

XIII. Nulli licet in Ecclesia quomodolibet exempta insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit, nec nova Miracula, nec novas Reliquias recipere, non recognoscente Episcopo. Decreto II. Sess. XXV.

XIV. Regularis, qui sine Superioris sui Mandato scriptis obtento vagans repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam Desertor sui Instituti puniatur. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 4.

XV. Contra Regulares, qui missi studiorum causa ad Universitates in Conventibus non habitant, procedere potest Episcopus. *Ibid.*

XVI. Sub interminatione Divini judicii tenetur Episcopus Clausuram Monialium, ubi violata, restituere, ubi verò inviolata conservare autoritate ordinaria erga sibi subditas; Apostolica vero erga Exemptas. *Ead.* Sess. Cap. 5.

XVII. Nulli Monialium post professionem licet exire à Monasterio, quocumque prætextu, nisi ex causa ab Episcopo approbanda. *Ibidem.* & *Art.* 19. *Edicti* 1695.

XVIII. Licentia ingrediendi in Monasteria in casibus necessariis ab Episcopo dari potest, vel à Superiore; exeundi verò, à solo Episcopo. *Ibidem. Edict.* Bles. *Art.* 19. *Edicti* 1695.

XIX. Monasteria Monialium, quæ extra Urbes sunt, intra Urbes reducere debet. *Ibid.*

XX. Monasteria, quæ monita à Metropolitano, negligunt se in Congregationes erigere, ac Capitulis Generalibus se subjicere, Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato subduntur. *Ead.* Sess. C. 8.

XXI. Monasteria Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, quomodocumque nuncupentur ab Episcopis, tamquam ejusdem Sedis Delegatis, gubernanda sunt. *Ead.* Sess. Cap. 9.

XXII. Regulares animarum curam exercentes personarum Sæcularium, quæ non sunt de Monasteriorum seu locorum familia, Episcopi Visitationi, Jurisdictioni, Correctioni subjacent. Vicarius etiam amovibilis his in locis constituendus, ab Episcopo, vel Vicario est examinandus. Ab utroque excipiuntur Monasterium Cluniacense cum suis limitibus, Monasteria, in quibus Abbates, vel Capita Ordinum residere solent, eáque in quibus Superiores Jurisdictionem Episcopalem in Parochos & Parochianos habent, qualia sunt quæ nullius Diœcesis sunt. *Ead.* Sess. Cap. 11.

XXIII. Non intendit *Concilium* Episcopi Jurisdictionem in prædicta loca, vel personas minuere, sed tantùm non augere. *Ibidem.*

XXIV. Censuræ ab Episcopo promulgatæ, eodem mandante, in Ecclesiis Regularium publicandæ & servandæ sunt. *Ead.* Sess. Cap. 12. *De Privil.* Cap. 8. *in 6.* Si violent, ab Ecclesiæ ingressu suspensi sunt, donec competenter satisfecerint, juxta Episcopi contempti arbitrium.

XXV. Dies Festi, quos in Diœcesi servandos præcipit Episcopus, ab Exemptis quibuscumque servandi sunt; idem de Jejuniis ex usu. *Ibidem.*

XXVI. Ad Episcopum spectat componere exortas inter Regulares & Regulares, ac inter eosdem & Sæculares, controversias de præcedentia in Processionibus publicis, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliísque similibus. *Ead.* Sess. *Cap.* 13. In petitorio tantùm apud Gallos, ibi enim Judex Sæcularis de possessorio cognoscit.

XXVII. Exempti omnes ad publicas supplicationes ab Episcopo vocati, accedere compellendi sunt, præter viventes in strictiori Clausura. *Ibidem.*

XXVIII. Regularis extra Monasteria scandalosè delinquens, instante Episcopo, intra terminum ab eodem præfigendum, à Superiore suo severè puniendus est, & de ejus punitione certior faciendus est Episcopus; alinquin delinquens ab isto puniri potest. *Ead.* Sess. Cap. 14. *Edict.* 1695. *Art.* 18. & *Declar. in illum.*

XXIX. Nulla renuntiatio, vel obligatio, etiam in favorem piæ causæ facta, sine Episcopi licentia, antè duos proximos professioni menses valet. *Ead.* Sess. Cap. 16. *Edict.* Bless. *Art.* 28. *Edict.* Aurel. *Art.* 19.

XXX. Episcopi, ut & cæteri Monialium Superiores curare debent, ut semel saltem singulis mensibus confiteantur & communicent, utque offeratur illis bis aut ter in anno Confessor extraordinarius, qui omnium confessiones audiat. *Ead.* Sess. Cap. 10.

XXXI. Episcopi per Censuras Ecclesiasticas compellere debent, ne quid de Novitii, Novitiæque bonis, Monasterio antè illius professionem detur; & si quid datum sit eis abeuntibus antè professionem restituatur. *Ead.* Sess. Cap. 16.

XXXII. Puellæ habitum Regularem suscipere, vel pro-

professionem emittere volentis, ab Episcopo exploranda est voluntas an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat; ideò Præfecta Monasterio ante mensem de professione futura certiorem Episcopum facere tenetur; quo omisso pro arbitrio Episcopi ab Officio suspensa remanet. *Ead.* SESS. *Cap.* 17. Exemptas comprehendit hoc Caput, ut & alias, tùm quia generale est, tùm quia *Cap. sequens* 18. in fine, id expressè declarat.

XXXIII. Regularis habitum suum dimittere, vel cum habitu discedere volens sine Superiorum licentia, causas, quas prætendit, deducere debet coram Superiore suo, & Ordinario, intrà quinquennium à die professionis, aliàs non est audiendus, idem si habitum spontè anteà dimiserit. *Ead.* SESS. *Cap.* 19. Excipiendi casus in quibus legitimè impeditur quis ne conqueratur, idque quia tempus non currit legitimè impedito.

XXXIV. Monasteria, Commendata etiam Exempta subsunt Episcopi Visitationi, nisi sint Capita Ordinum, vel istis Capitibus immediatè subdantur. SESS. XXI. Cap. 8. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 20.

XXXV. Decreta *de Reformatione* circa Regulares etiam Exemptos, curare debent Episcopi, ut executioni mandenrur; quod si negligant id *Concilia* Provinciæ præstabunt, idem factura si Capitula Generalia Regularium executionem istorum Decretorum non curent. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 22.

REGULA IX.

Præter collectos è *Concilio* TRIDENTINO casus in quibus Episcopo subsunt Regulares Exempti, non alii leguntur in Corpore Juris Canonici quàm isti.

I. Si Censuras ipso facto incurrendas incurrisse Regulares Episcopo constiterit, Censuris istis innodatos publice nuntiandos curare debet Episcopus, dummodo animarum saluti denuntiatio ista profutura videatur. CLEMENTINA I. *De Privil.*

II. Sine Episcopi licentia in locis non exemptis Oratoria vel Capellas construere, & in sic constructis celebrare non possunt. *De Privil.in 6.*Cap. 4.

III. Si in iisdem Capellis interdicti generalis tempore celebrent. *Ibid.*

REGULA X.

Quoties *Concilium* TRIDENTINUM Episcopo potestatem erga Moniales tribuens, ei jungit illarum Superiorem; si disjunctione alteruter videtur sufficere, si conjunctione uterque apparet necessarius.

REGULÆ RATIO petitur ex natura particularum illarum, nam in rebus præceptis, disjunctiva alterutrum necessarium denotat; conjunctiva verò utrumque.

REGULA XI.

Voluntatiæ Episcopi Jurisdictioni æquè subjiciuntur Laïci ac Clerici.

REGULÆ RATIO: Nulla videtur in hoc justa inter utrosque discriminis causa.

REGULA XII.

Non alii exprimuntur in Jure Canonico casus, quibus Laici Contentiosæ Episcopi Jurisdictioni subjici dicuntur, quam isti.

I. Si causa sit Ecclesiastica, qualis quæ merè spiritualis, hinc ratione Sacramentorum, ratione Hæresis, similiúmve rerum, Ecclesiastico Foro Laici subduntur. *De Foro Compet.* Cap. 11. *Edicto* FRANCISCI I. *Art.* 4. *ann.* 1539. *Edicto* HENRICI II. *ann.* 1556.

II. Si Judex Sæcularis justitiam exhibere negligat: Idem dicendum videtur, si manifestè judicandi potestate abutatur; est enim in utroque par ratio. *Ibid. Cap.* 8. 10. 11. Alius est Galliæ usus.

III. Si res Ecclesiæ rapuerint, aliòve modo Ecclesiæ nocuerint, conveniri possunt coram Judice Ecclesiastico, si iis quorum interest placuerit; idque quia Judices Sæculares in justitia personis Ecclesiasticis exhibenda sæpe remissi sunt. *Ibid. Cap.* 8. Alia est Galliæ praxis.

IV. Si Consuetudine introductum sit, ut quando circa res temporales Clericus Laicum impetit, Clericus ut nobilior Laïcum ad forum suum trahat. *De Foro Comp.* Cap. 5.

Nota non valere hujusmodi Consuetudinem, si Potestate Civili reluctante stabiliatur.

CAPUT VI.

Quæ sit Episcopi in Res Ecclesiæ Jurisdictio?

REGULA I.

Episcopus non est Dominus, sed Administrator Ecclesiæ bonorum, redituúmque Distributor. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 19. 23. 25. *usque ad* 32.

Hæc Regula primum occupare debet locum, quia omnes Regulæ subjectæ ex ea sequuntur.

REGULA II.

Non debet Episcopus de bonis Ecclesiæ propriis disponere, sed ea omnia Ecclesiæ reservare debet. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 19. 20. 21.

REGULA III.

Non licet Episcopo Ecclesiæ res, sine Presbyterorum, & Cleri conscientia, pertractare. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 23.

REGULA IV.

Non permittitur Episcopo Ecclesiæ res in proprios usus convertere, sed eas pro suis, Sacrorum Ministrorum, ac indigentium necessitatibus dispensare debet. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 22. *usque ad* 28. *& Ead.* CAUS. QUÆST. II. *passim.*

REGULA V.

Facta absque Episcopi autoritate Ecclesiæ bonorum alienatio irrita est, gravitérque puniendus, qui illam facit. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 41. 42. 44. 51. 52. 53. 54. 57. 58. 66. 67. 68. 73.

REGULA VI.

Irrita quoque est alienatio quæ ab Episcopo fit extra casus in Jure permissos. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 13.

REGULA VII.

Non alii alienationis casus in Canone expressè permissi leguntur quam isti.

I. Redemptio Captivorum. *Ead.* CAUS. & QUÆST. Cap. 13. Cap. 71.

II. Sustentatio pauperum fame pereuntium. *Ibid.* Cap. 71.

III. Ad ædificandum Dei Templum. *Ibid.* Cap. 71. & 75.

IV. Ad humandas fidelium Reliquias. *Ibid.* Cap. 71.

V. Ad Monasterii ædificium, fundationémve. *Ibid.* Cap. 74. 75. 76. CAUS. XII. QUÆST. V. Cap. 3.

VI. In remunerationem obsequii Ecclesiæ præstiti, vel impensi. *Ibid.* Cap. 67. 68.

VII. Si res sint minimi momenti, ut terrulæ, vineolæ minus utiles, longéve positæ. *Ibid.* Cap. 54.

VIII.

VIII. Servi fugitivi, si revocati teneri non possunt. *Ibid.* Cap. 55.

IX. Si Alienator tantumdem de suo det quantum alienat. *Ibid.* Cap. 56. 57. CAUS. XII. QUÆST. V. Cap. 4. 5.

X. Ecclesiæ utilitas, ut si meliora prospiciantur. *Ibid.* Cap. 53.

XI. Si quid detur Ecclesiæ servo dum ob meritum manumittitur, modo non excedat viginti solidos, qua voce nummi aurei intelliguntur. *Ibid.* Cap. 57. 58.

XII. Tertiam, quæ de rebus Ecclesiarum Parochialium Episcopo debetur, dare potest, vel Ecclesiæ à qua illam percipit, vel alteri. CAUS. XII. QUÆST. III. Cap. 4.

A *Concilio* TOLETANO IX. concessum erat hoc jus cuilibet Episcopo sui Districtûs; extendebatur ad proprietatem, quam sine præjudicio Successorum alienare non poterat, ideóque ad hoc egebat sibi à *Concilio* concessa autoritate. Hodie hujusmodi jure non fruuntur, nisi circa res minimi momenti, qualis non erat plerumque dicta tertia. Ad alienationem aliarum rerum sui Episcopatûs opus habent & Papali & Regia autoritate.

REGULA VIII.

Ut validè alienet Episcopus, hæc tantùm Canon requirit.

I. Probata à Canone necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas.

Prima Pars primæ conditionis patet ex *Canonibus* 51. 52. & Cap. 1. CAUS. XII. QUÆST. XII. quibus alienatio permittitur, si adsit necessitas; sit desit prohibetur. Necessitas autem à Canone probari oportet, cùm extra casus à Canone permissos invalida sit alienatio. Secunda constat ex *Can.* 53. ubi licita expressè declaratur alienatio, quæ evidenter utilis est.

II. Totius Cleri, quo nomine nunc Capitulum intelligitur, tractatus & consensus. *Can.* 52. 53. ubi id expressè habetur, & *Can.* 20. in quo cuilibet Clerico permittitur illicitæ alienationi contradicere.

III. Consensus Principis tanquam Ecclesiæ Protectoris. Infertur ex *Cap.* 4. CAUS. X. QUÆST. II. *in fine.*

REGULA IX.

Malè alienata potest & debet Episcopus ad usum Ecclesiæ revocare. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 28. 41. 42.

REGULA X.

In judicio Episcopi est constitutum an recipi debeat pretium rei malè alienatæ, necne? *Ibid.* Cap. 42.

Id pertinet ad Judicem Laïcum in Gallia.

REGULA XI.

Damnum Ecclesiæ illatum illicita alienatione, alióve modo, si à se, resarciat Episcopus, si ab alio, curet ut resarciatur. *Cap.* 13. 20. 40. 55. Cap. 1. 2. *Ead.* CAUS. QUÆST. III. Cap. 2.

REGULA XII.

Quidquid Episcopus acquirit, ut Ecclesiæ Administrator, quale est, quod ex facultatibus Ecclesiæ suæ, sive istius nomine comparat, aut intuitu istius sibi datur, non suum est, sed Ecclesiæ, ideóque alteri relinquere non potest. *Cap.* 1. 2. CAUS. XII. QUÆST. III. Cap. 1. 2. 3. *Ead.* CAUS. QUÆST. IV. Cap. 1. 4. *Ead.* CAUS. QUÆST. V.

REGULA XIII.

Ipsa Beneficiorum erectio non parum imminuit Episcopi potestatem circa res Ecclesiæ, sed non extinxit, imò quoad alienationem remansisse tota integra videtur, paucis exceptis circa donationes, quæ, dum de istis, notabuntur.

CAPUT VII.

De Episcopi Jurisdictione in loca.

Loca Jurisdictioni Episcopi subdita, sunt vel Ecclesiæ, vel Oratoria, vel Cœmeteria, vel Monasteria, ideò in quatuor paragraphos hunc Titulum dividemus.

§. I.

De Episcopi Jurisdictione in Oratoria.

Nomine Oratoriorum omnia pia loca intelligimus, illáque simul jungimus, ne nimium multiplicentur divisiones, quod fieret, si de quolibet loco seorsim ageremus, idque sine necessitate; cùm quæ dicturi sumus de iis, singulis communia sint.

REGULA I.

Sine Episcopi conscientia nemini licet Oratorii domum ædificare. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 10.

REGULA II.

Xenedochia, aliáque pia loca subsunt Episcopo, in cujus Diœcesi existunt, & per illius sollicitudinem ordinari debent. *De Rel. Dom.* Cap. 3.

Hinc illa visitare potest, illorúmque administrationis rationem exigere, etiamsi sint exempta. *Concil.* TRID. C. 15. SESS. VII. Cap. 8. 9. SESS XXII. *De Refor.*

REGULA III.

Sine Episcopi consensu non licet Ministeria Sacra facere, vel baptizare in privatis Oratoriis, nec diebus solemnibus Missam in his celebrare, nec audire. *De Consecr.* DISTINCT. I. Cap. 34. 35.

§. II.

De Episcopi Jurisdictione in Cœmeteria.

REGULA I.

Eamdem circa Cœmeteria Jurisdictionem habet Episcopus quam circa Ecclesias. *De Immunit. Eccles.* Cap. 2. *in* 6. *De Sepult.* Cap. 13.

Infertur ex eo quod Cœmeterium sit velut pars Ecclesiæ ad quam spectat, istiúsque loco sufficiatur, in suo etenim sino recipit mortuos, quos vivos in suo habuit Ecclesia, quósque, prohibente Canone, in eodem admittere fas non est, ex suo excludit; hinc iisdem Privilegiis gaudet Cœmeterium ac Ecclesia, eadémque Episcopis in illud Jurisdictionis signa, quam in Ecclesiam Canonico Jure expressè tribuuntur.

In inscriptione Tituli *De Immunitatibus Ecclesiæ*, Cœmeteria Ecclesiis junguntur tàm *in* 6. quàm in DECRETALIBUS.

REGULA II.

Non alia exprimuntur in Jure Canonico Cœmeteriorum Privilegia quàm ista.

I. A profano usu benedictione separantur, sicut consecratione vel benedictione ab eodem secernuntur Ecclesiæ.

Infertur ex *Capite* 7. *De Eccles. Consecr.* ubi sermo fit de eorum pollutione & reconciliatione, quæ illa benedici supponunt.

II. Iisdem, quibus Ecclesiæ polluuntur, modis, scilicet sanguinis, & seminis effusione. *Cap. cit. & Cap.* 10. *Eodem. Tit.* Nam quod ibi dicitur de pollutione Ecclesiæ extendi potest ad Cœmeterium, cùm Ecclesia de qua hic sermo, vix esset benedicta.

Nota obiter quod sanguinis effusio debet esse violenta, seminis verò publica, ex usu quarumdam Diœceseon, secùs Jure Communi. *De Adult.* Cap. 5.

III. Nullus excommunicatus, in excommunicatione decedens, in Cœmeteriis est sepeliendus, sicut nec in Ecclesiis. *Eod. Cap.* 7. Nunc id restringendum ad excommunicationem denunciatam.

IV. Polluta sunt reconcilianda quemadmodum Ecclesiæ pollutæ sunt reconciliandæ, scilicet aspersione aquæ solemniter benedictæ, exhumatis priùs excommunicatorum corporibus, si secerni possint. *Eod.* Cap. 7. *De Sepult.* Cap. 12.

VI. Sunt refugii vel asili loca, sicut Ecclesiæ. *De Immunit. Eccles. Cap.* 5. Non servatur in Gallia.

VI Causas sanguinis in iis agitare non licèt, imò nec Civiles, sicut neutrum fieri potest in Ecclesiis. *Eod.* Cap. 5. & Cap. 2. *Eod. Tit. in 6.*

VII. Negotiationes, præcipuè nundinæ in Cœmeteriis fieri nequeunt, sicut nec in Ecclesiis. *Eod.* Cap. 2. *in 6.*

VIII. Sunt loca à Laïcorum cognitionibus aliena sicut ipsæ Ecclesiæ. *Ibid.*

IX. Sicut Ecclesiarum terra vendi non potest ad sepulturam, ita nec Cœmeteriorum. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 14. *De Sepult. Cap.* 13. Nec obstat quod nonnihil detur pro locis peculiaribus habendis ad sepulturam, cùm hoc pretium non sit, sed mera oblatio ex laudabili consuetudine proficiscens.

REGULA III.

Quæ sunt Cœmeteriorum privilegia, eadem sunt Episcopi in illa Jurisdictionis signa.

Infertur ex eo quod Episcopi sit curare, ut iis privilegiis potiantur Cœmeteria.

REGULA IV.

Episcopi Jurisdictio in Cœmeteria, istorúmque privilegia ex eodem manant fonte, nimirum ex benedictione, ac ex fine, usúve.

Colligitur ex eo quod ex una parte ideò Cœmeteria Episcopo subdantur, quia sacra sunt; talia autem sunt quia benedicuntur, vel quia ad sepulturam Sacrorum corporum deputantur, adhibeantúrque: Ex altera verò ideò variis donantur etiam privilegiis, quia sacra sunt.

Nec dicas Cœmeteria ideò Episcopis subjici, quia istorum subditis sepeliendis destinantur, nam præterquam quod Cœmeteria Episcopo subduntur, quia ex benedictione, suáque deputatione sacra sunt, eadem subjici possunt, quia subditi sui in illis sepeliuntur, hæc enim simul esse possunt.

§. III.

De Episcopi Jurisdictione in Monasteria.

REGULA I.

Monasterium subjectum est Episcopo in cujus Diœcesi situm est, nisi probetur Exemptum vel privilegio, vel legitima præscriptione, ídque tantùm quoad Legem Jurisdictionis. DIST. VI. Cap. 16. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 12. *De Relig. Dom.* Cap. 8. *De Præscript.* Cap. 16. *De Capel.* Cap. ult. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 34.

Restringitur Regula ad Legem Jurisdictionis, quia pluribus in locis Canon eximit expressè Monasteria, quoad quædam Capita, à Lege Diœcesana, ideoque cùm talis exemptio sit Jure Communi concessa, nullum Monasterium tenetur illam probare, ut illa gaudeat, imò si quis vellet ab aliquo Monasterio exigere jura, à quibus Canon Monasteria eximit, tenetur ipse probare illud his juribus subjici, quantùm verò ad Legem Jurisdictionis nulla est in Canone exemptio erga Monasteria; idcircò qui ab hac Lege se exemptos dicunt, id probare tenentur; verùm ut nulla supersit difficultas circa hanc Regulam, sciendum duplex esse exemptionum genus: Aliæ enim sunt omnibus Monasteriis communes, communi titulo illis quæsitæ: Hæ autem exemptiones, cum sint velut pars Juris Communis, ejusdem Juris privilegio gaudere videntur, sicuti aliæ res eidem Juri subjectæ. Proindéque ut nemo eorum, quibus à Jure Communi quædam conceduntur, sibi ea deberi probare cogitur; ita nec istæ exemptiones ab ullo Monasterio probandæ sunt. Aliæ sunt exemptiones cuidam Monasterio peculiari titulo quæsitæ, quæ sibi inutiles sunt, nisi illas probet; exemptio autem qua Monasteria, quoad quædam puncta, à Lege Diœcesana sunt libera, est primi generis, communis scilicet omnibus Monasteriis & in Canone inserta.

REGULA II.

Monasteria debent Episcopo Jura Episcopalia & obedientiam, nisi fuerint Exempta. *De Verb. Signif.* Cap. 21. *De Sentent. &c.* Cap. 21. *De Confirm. Util. &c.* Cap. 4.

Restringenda Regula ad Jura Episcopalia, Jurisdictionem concernentia, cùm dictum sit quoad pleraque alia nullum non exemptum esse Monasterium.

REGULA III.

Monasteria Commendata subsunt Episcopi Visitationi, & Procurationi ob id dandæ, etiamsi Exempta, nisi sint Capita Ordinum, aut istis immediatè subdantur. *De Sim.* Cap. 30. *De Censib. &c.* Cap. 14. SESS. XXI. Cap. 8. SESS. XXV. *De Reg.* Cap. 20.

REGULA IV.

Episcopo Monasterium visitanti, non licet In illud homines Sæculares introducere, sed tantùm duos, trésve suæ Ecclesiæ Canonicos in decenti habitu, cum Religiosis quos expedire judicaverit. *De Off. Jud. Ord.* Cap 17.

REGULA V.

Jure Communi Monasteria à Cathedratici solutione exempta sunt. CAUS. X. QUÆST. III. *Cap.* 8. in quo *Concilium* TOLETANUM IV. expressè agens de hoc Jure, ab illius solutione Monasteria declarat exempta ex constitutione facta in *Synodo* BRACHARENSI. *C.* 1. 4. 5. 6. 10. in quibus Cathedraticum de quo ex professo loquuntur dicitur tantùm exigi ab Ecclesiis Parochialibus & à Presbyteris. *Cap.* 14. CAUS. XVI. QUÆST. I in quo Monasteria à Lege Diœcesana, cujus Pars est Cathedraticum, eximuntur.

REGULA VI.

Ea quæ in Jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœcesana Lege ab Episcopis contingantur. *Cap. mox cit. item* Cap. 1. *De Statu Monach.*

Quid Lege Diœcesana intelligendum sit, quidve comprehendat? Diximus dum de Juribus Episcopalibus tractavimus.

Nota obiter *Caput citatum* non eximere Monasteria à Lege Diœcesana quoad omnes res huic Legi subjectas, sed tantùm quoad res illi oblatas, vel donatas, nullúmque Caput in Canone haberi, quod Monasteriis universalem à Lege Diœcesana exemptionem con-

concedat, imò contrarium in nonnullis legi, ut in *Capite ultimo*, *De Capell Monach.* prout refertur in *Quinta Collectione*. Cap. 9. *De Majorit. &c.* & in his, quæ Mooasteria Procurationi ob Visitationem debitæ subjiciunt, quale est *Caput* 14. *De Censibus &c.* Cap. 9. *De Majorit.* declarat Abbates ad Synodum Diœcesanam ire teneri, quod restringendum ad eos, qui Plebem & Clerum sibi subjectos habent. Sic GONZALEZ docet in illud *Cap.* putans aliter conciliari non posse cum aliis Textibus, illos à veniendo ad illam eximentibus. Hæc conciliatio examinata est in Dissertatione de hac Synodo inserta in I. TOMO.

REGULA VII.

Prælatus Regularis non potest ad meliorandum Monasterium suum in alium locum transferre sine Episcopi ut & fratrum suorum consilio. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 41.

REGULA VIII.

Canones, qui Monasteria subjiciunt Episcopi Correctioni, Coërtioni, Punitioni, illa declarant Legi Jurisdictionis subdita. Tales sunt cit. *De Statu Monach.* Cap. 15. 16. 17. CAUS VIII. QUÆST. II.
RATIO REGULÆ: Correctio, Coërtio, vel Punitio sunt Jurisdictionis proprietates.

REGULA IX.

Absque Episcopi consensu nulli licet Monasterium ædificare, vel fundare. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 10. 12. 13. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 3.

§. IV.

De Episcopi Jurisdictione in Ecclesias.

REGULA I.

Omnis locus sacer subest Episcopo in cujus Diœcesi situs est; nullúsque fit sacer sine Episcopi autoritate.
Prima Pars patebit ex Regulis sequentibus.
Secunda Pars patet ex *Cap.* 4. *De Relig. Dom.* Cap. 1. 2. 3. CAUS. XVI. QUÆST. III.

REGULA II.

Non potest quis absque Episcopi consensu Ecclesiam in sua proprietate ædificare. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 44.

REGULA III.

Ædificandæ Ecclesiæ loci designatio, fundationisque approbatio ad Episcopum pertinet. *De Conf.* DIST. I. Cap. 9.

REGULA IV.

Ecclesia in alicujus Episcopi Diœcesi constituta debet ei in omnibus subesse, iis duntaxat exceptis, quæ per authentica scripta ei noscuntur substracta, idque verum est, etsi ab alio Episcopo Ecclesia ædificata sit. *De Except.* Cap. 6. *De Relig. Dom. Cap.* 6. 7. Octo priora *Capita* CAUS. QUÆST. I. confirmant Regulam, *Cap.* 17. CAUS. XVI. QUÆST. II. Cap. 1. 2. 3. CAUS. XVI. QUÆST. V.

REGULA V.

Ecclesiæ pleno Jure Regularibus subjectæ per Privilegium, vel per Præscriptionem à Jurisdictione Episcopi sunt exemptæ. *De Præscript.* Cap. 15. 18.

REGULA VI.

Ecclesia pleno Jure subjicitur, quando subditur circa ea omnia, per quæ plena subjectio & Jurisdictio declaratur, qualia sunt quæ sequuntur: Institutio, Destitutio, Presbyteri Investitura, Fidelitas & Obedientia ejusdem, Correctio, Præsentatio ad Ordines, Tonsuratio, Susceptio Chrismatis, Litaniæ, aliáque similia. *De Sent. & Re Jud.* Cap. 13.

REGULA VII.

Ab exeunte sæculo XVI. nullæ sunt in Canone Parochiales Ecclesiæ alteri quam Episcopo pleno Jure subjectæ.
Concilium TRIDENTINUM passim subjicit Episcopo omnes Ecclesias quoad animarum curam, præter exceptas. SESS. XXV. Cap. 11. *De Regularibus.* Nec huic subjectioni derogatum est.

REGULA VIII.

Ecclesia, quæ unitur alteri Ecclesiæ diversæ Diœcesis, non eximitur per unionem à Jurisdictione Episcopi, in cujus Diœcesi sita est. eadémque in illa jura habet quæ antea. *De Relig. Dom.* Cap. 2.

REGULA IX.

Episcopus potest Ecclesiam aliquam liberare à Juribus Episcopalibus, eámque concedere piis locis, reservata sibi aliqua pensione quotannis solvenda, idque sine simonia, præcipuè si accedat Summi Pontificis autoritas. *De Relig. Dom. Cap.* 6. Ad id nunc servandæ essent collectæ suprà Regulæ circa alienationes.

REGULA X.

Institutio, Ordinatio, Depositio Presbyterorum, ac Parochorum, etiam Ecclesiarum à Monachis non pleno Jure dependentium, ad Episcopos Diœcesanos pertinent, iisque subesse debent omnes Parochi. *De Capell.* Cap. 1. *De Privil.* Cap. 1. 3. *De Hæret.* Cap. 12. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 6.

REGULA XI.

Institutio in Ecclesiis, Beneficiisque fieri debet ab Episcopis, eorúmve autoritate. *De Jure Patron.* Cap. 4.

REGULA XII.

In Ecclesiis à Monachis dependentibus, non solùm Clericorum Ordinatio, sed Altarium Consecratio pertinet ad Episcopum Diœcesanum; potest tamen Episcopus Monachis concedere, ut quem Episcopum velint, ad id assumant. *De Relig. Dom.* Cap. 6. Non tamen perpetuum, quia de jure sui Successoris disponere nequit, sed pro tempore sui Episcopatûs.

REGULA XIII.

In Ecclesiis, Beneficiisve vacantibus, quorum Institutio & Collatio differtur ob litem, aliámque

que causam, potest & debet Episcopus Oeconomum ponere, qui fructus percipiat, & eos aut in utilitatem Ecclesiæ expendat, aut reservet futuro Successori. *De Off. Jud. Ord.* Cap. 4. Edicto *Mensis Decembris* 1691. creantur hujusmodi Oeconomi.

Hinc videtur ortum deportûs jus pendente lite.

REGULA XIV.

Si dubitetur in cujus Diœcesi sit Ecclesia consecranda, illi subdi debet Episcopo, qui prius in illo loco Episcopalia exercebat, vel ei qui incolas baptizavit. *De Relig. Dom.* Cap. 1.

REGULA XV.

Ecclesiæ nec dari nec auferri possunt sine Episcopi autoritate. *Tota* QUÆSTIONE VII. CAUS. XVI.

REGULA XVI.

Sine Episcopi consensu Divina in Ecclesiis celebrare non licet. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *Cap.* 3. aliisque innumeris, quibus paret Presbyterum ad Divina celebranda in Ecclesia constitui non posse, sine Episcopi consensu, nisi ab aliis pleno jure possideantur, è quibus excipiendæ Ecclesiæ Parochiales, erga eos, qui Jurisdictionem, quasi Episcopalem in illis habent.

REGULA XVII.

Ecclesiarum modus, numerus & dirutarum restauratio ad Episcopum pertinet. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 3. *Omnes.* SESS. VII. *De Ref.* Cap. 8.

REGULA XVIII.

Circa Ecclesias nihil fieri potest, sine Episcopi consensu.

Probari aliter nequit Regula quàm solutione eorum, quæ opponi possent, qualia nulla occurrunt, ac enumeratione singulorum, quæ circa illas fieri solent, demonstrationéque, ne unum quidem eorum absque Episcopi autoritate fieri posse. Hæc autem demonstratio facilis est, nam quidquid fieri potest circa Ecclesias, respicit vel earum ædificationem, vel ædificandarum modum, locúmve, dotationémve, vel illarum Altarium erectionem, consecrationem, eversionem, interdictionem, vel earum dedicationem, vel Divinorum in his celebrationem, vel earum donationem, vel earum amissionem, vel Presbyterorum in his institutionem & destitutionem. Atqui nullum horum sine Episcopi autoritate fieri potest, ut patet ex præcedentibus Regulis hujusce Paragraphi.

REGULA XIX.

Quascumque Ecclesias, quomodolibet Exemptas, autoritate Apostolica visitare potest singulis annis. SESS. VII. *De Ref.* Cap. 8.

De Episcopo interpretamur illa verba, *locorum Ordinarii.*

Quia I. per Ordinarium vulgò intelligitur Episcopus, ut colligere licet ex Indice rerum & verborum in istud *Concilium*, ubi in verbo *Ordinarius*, remittitur Lector ad verbum *Episcopus.*

II. In his Ordinariis supponitur potestas providendi Ecclesiis Curatis in Visitatione, quæ propria est Episcoporum.

III. Datur illis potestas procedendi autoritate Apostolica, quæ Episcopis solet dari à *Concilio* TRIDENT.

IV. Verbum *Ordinarius* TRIDENTINUM *Concilium* ponit pro verbo *Episcopus.* SESS. XXII. *De Ref.* Cap. 9. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 9. SESS. V. *De Refor.* Cap. 1. SESS. VI. Cap. 3. & 5.

V. Hunc ipsum loquendi modum, *locorum Ordinarii*, adhibet manifestè ad significandos Episcopos. *Ead.* SESS XXII. Cap 9. SESS. VII. Cap. 5. 7. 17.

VI. Hæc verba *Concilium* interpretatur ut nos, SESS. XXIV. *De Ref* *Cap.* 9. Nam extendens hîc ad Ecclesias nullius Diœcesis, quod statuerat circa Beneficiorum Exemptorum Visitationem, sic loquitur: *Quæ aliàs sub* PAULO III. *& nuper sub* PIO IV. *in hoc* Concilio *de adhibenda ab Ordinario diligentia in Beneficiorum etiam Exemptorum Visitatione constituta sunt, eadem in iis Ecclesiis observentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo visitentur:* Ac proindè vocat hic *Episcopum* quem vocaverat *Ordinarium* in loco de quo nunc lis est; imò in ultimo cujus aliqua verba mox relata sunt, eumdem modò appellat *Ordinarium*, modo *Episcopum.*

CAPUT VIII.

An Papa concurrat cum Episcopo, in iis omnibus, quæ dicta sunt ad istius Jurisdictionem pertinere?

Quoad ea, quæ Jurisdictionem respiciunt, concursus locum non habet, nisi inter Prælatum Superiorem & Inferiorem sibi invicem subordinatos; quia ut quis in his cum alio concurrat, oportet Jurisdictionem habere in illum, illiúsque subditos; quæ enim Jurisdictionis sunt, sine Jurisdictione exerceri nequeunt; at ut in prima Parte dictum, Jurisdictio nihil est aliud quàm potestas in alios: Per concursum verò Jurisdictio exercetur quodammodo in Prælatum, cum quo concurritur, quia si Superior prævenerit, Inferioris manus ligantur. Erga verò subditos istius illa exercetur Jurisdictio, quam ipse Prælatus Inferior exerceret, si ad istum subditi & non ad Superiorem recurrissent. Dicitur ergo Prælatus Superior cum Inferiori Prælato concurrere in his, quæ Jurisdictionis sunt, quando in Districtu Inferioris id omne facere potest quod Prælatus Inferior potest, isto etiam non consentiente; nam si consensus ejusdem Prælati Inferioris necessarius esset, Superior non diceretur concurrere, sed commissam sibi Jurisdictionem ab Inferiore, in ipsius subditos, non proprio nomine, sed alieno exercere, quod à quolibet alio, etiam non Prælato, fieri quoque posset, si prædicto Prælato Inferiori placeret. Duobus autem modis Prælatus Superior facere potest in Districtu Prælati Inferioris, quæ iste facere potest: I. Proprio motu præveniendo Prælatum Inferiorem: II. Ad preces subditorum istius Prælati. His suppositis dicimus: I. Quod in Gallia Papa nunquam potest cum Episcopo concurrere ipsum præveniendo proprio motu, tàm in rebus Jurisdictionis Voluntariæ, quàm in rebus Jurisdictionis Contentiosæ, quia ibidem non permittitur Papæ, ut quidquam agat proprio motu, ideóque singula Rescripta ipsius, quibus clausula *motu proprio* inseritur, rejiciuntur, vel si admittantur, clausula illa habetur pro non adjecta.

Dicimus II. quod in eodem Regno nullus admittitur concursus Papæ cum Episcopo in rebus concernentibus Jurisdictionem Contentiosam, ipso etiam consentiente; undè si in causis, quæ ad forum Episcopi, vel sui Officialis pertinent, recurreretur ad Papam, omisso Episcopo, ipso etiam volente, Rescriptum nullum esset, daretúrque locus appellationi ab abusu, ratione hujus rei, quia præceptum est in Pragmatica Sanctione, & in Concordatis *Titulo De Causis*, ut ordo Jurisdictionum Ecclesiasticarum inviolabiliter servetur; ac consequenter strictè vetitum, ne omisso medio Tribunali, superius adeatur, sive in prima, sive in secun-

ſecunda inſtantia, aliáve Superiori; Epiſcopo verò non liceat ab illa Lege ullo in caſu diſpenſare. Nec obſtat Regula: *Licitum eſt unicuique renuntiare ei quod in ſui commodum noſcitur introductum*; Lex enim citata non eſt condita in commodum cujuſque Epiſcopi, ſed propter utilitatem publicam, quam ſartam tectam ſervare tenetur quilibet Epiſcopus.

Dicimus III. quod Clerus Gallicanus non agnoſcat concurſum Papæ cum Epiſcopo quoad Ordinationes, prætendátque Papæ non licere Ordines conferre ſubditis alicujus Epiſcopi non conſentientis, nec dare illi facultatem ab alio Epiſcopo illos recipiendi: Undè ſi qui eo modo ad Ordines promotus fuerit, ipſorum Epiſcopi habent illos pro ſuſpenſis, juxta *Cap.* 8. SESS. XXIII. *De Ordine.* Hujus diſciplinæ vel uſus fundamentum eſt nedum in *citato Capite*, ſed etiam in *Cap.* 1. SESS. XIV. *De Ref.* ibi enim *Concilium* dimittit conſcientiæ cujuſvis Epiſcopi ordinationem ſubditorum ſuorum, permittitque illi ut Ordines deneget, etiam pro occultis vitiis, vetans inſuper ne ſic recuſatis ulla ſuffragetur conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo.

Dicimus IV. quod ab eodem Clero non probetur concurſus Papæ cum Epiſcopo circa approbationes, ad prædicandum, ad audiendas confeſſiones, ad abſolvendum à caſibus Particulari Jure Epiſcopo reſervatis. Unde non reciperet privilegia, quibus concederetur facultas ſimilia faciendi, Epiſcopo contradicente. Hinc quod majus eſt, caverunt Epiſcopi Gallicani in Ordinatione pro Regularibus facta à Cœtu Generali 1645. *Art.* 7. ne quilibet Regularis uteretur Indultis, vel privilegiis Apoſtolicis abſolvendi à caſibus, Jure Communi, Papæ & Epiſcopo reſervatis, ut caſus Hæreſis, quin prius viſa ſint ab Epiſcopo, atque ab eo probata. Idem quoque fecerunt de Indultis concedendi diſpenſationes ab irregularitatibus, Epiſcopo ut & Papæ Jure Communi permiſſas, ſibique eodem Jure reſervatas, reſpectu Inferiorum Prælatorum, non habentium Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Obſervavimus circumſtantiam petitam ex eo quod reſervationes prædictæ factæ ſunt Jure Communi, quia concurſus Papæ cum Epiſcopo locum habet potius in his, quæ ſunt Jure Communi, quàm in his, quæ ſunt Jure Particulari ſtatuta & reſervata; hæc enim ut plurimùm Papæ ignota, Epiſcopo autem optimè cognita; & ſi Papæ exponantur, hujus Juris cauſa finiſve non explicatur, nempè peculiaris neceſſitas Regionis, cui attendendum non minimùm, in diſpenſando vel abſolvendo circa illa, quæ hoc Jure ſtatuta & reſervata ſunt. Undè ſi in his permittatur concurſus Papæ cum Epiſcopo, occaſio datur fallendi illum, ſuóque errore nocendi Regioni; quæ duo incommoda timenda non ſunt, ſi hujuſmodi diſpenſationes & abſolutiones dimittantur ſoli Regionis Prælato, de prædicta neceſſitate debitè inſtructo.

Quæ Epiſcopi Gallicani caverunt de Indultis prædictis, quibus committitur poteſtas abſolvendi à caſibus reſervatis, vel diſpenſandi ab irregularitatibus, extendendum ad omnia alia Indulta, ab eadem Sede per concurſum conceſſa, quæ ſine ſcandalo publicè executioni mandari non poſſunt, niſi prius conſtiterit debitè obtenta & expedita fuiſſe, licitámque illorum executionem teſtimonio Epiſcopi id ita eſſe atteſtantis per literas, quas vocant *Viſa*: Ipſius enim eſt invigilare ne Canones ſerventur, atque ut nemo Juriſdictionem Epiſcopalem ſibi uſurpet, non obtento legitimo Indulto, eáque vigilantia ſcandalum prævenire, quod ex tali uſurpatione haud dubie naſceretur. Hinc ſi quis obtineat à Sede Apoſtolica facultatem celebrandi cum pileolo vel cum cæſarie commentitia publicè illo indulto uti non debet, non obtento prius ab Epiſcopo prædicto teſtimonio.

Idem dicendum de facultate ingrediendi in Monaſteria Monialium, vel ex eis egrediendi poſt emiſſam Profeſſionem. Idem quoque de facultate utendi cibis vetitis, vel legendi Libros prohibitos, vel celebrandi in domibus privatis, vel faciendi in illis celebrare; Illis Indultis publice gaudere non licet, niſi antea prædicto modo probata fuerint; alioquin ſcandali daretur occaſio; cùm illinc certum ſit, quæ iis Indultis permittuntur, à Canonibus eſſe prohibita; iſtinc verò non certò conſtaret ab illis legitimè diſpenſatum fuiſſe. Quæ dicta ſunt, extendenda quoque ad licentiam eligendi Confeſſarium Moniali conceſſam, & ad licentiam obtentam à muliere conjugata, ut in Monaſterio Monialium moretur per tres annos.

Dicimus V. Papam concurrere cum Epiſcopo in omnibus diſpenſationibus & abſolutionibus, quæ Jure Communi ad Epiſcopum pertinent: Hujuſmodi ſunt illæ de quibus *Cap.* 6. SESS. XXIV. *De Ref.* quæque irregularitates & cenſuras occultas reſpiciunt. Cæterarum autem ſimilium diſpenſationum exempla plurima habes infrà *in Appendica circa diſpenſationes, Regula ſecunda.* Abſolutionum verò exempla collecta ſunt in Tractatu noſtro Gallico *De Cenſuris in genere, Titulo VII.* §. 3. *De Abſolutione à cenſuris reſervatis.* Huic autem concurſui favere videtur partium ſeu ſupplicum commodum in eo ſitum, quod duplici via, quas optant diſpenſationes vel abſolutiones obtinere valeant, plenáque ſibi alterutram eligendi libertas relinquatur; unde magnum exſurgit diſcrimen, inter poteſtatem diſpenſandi, vel abſolvendi Jure Communi attributam Papæ, & ſimilem poteſtatem eodem Jure conceſſam Epiſcopo; nempè quod Papa poſſit diſpenſare vel abſolvere in quocumque caſu Epiſcopus id poteſt Jure Communi; iſte verò nequeat diſpenſare vel abſolvere in caſibus, qui Jure Communi ad Papam pertinent, niſi impoſſibilis vel difficilis admodum ſit recurſus ad Papam. *De Sentent. Excom.* Cap. 11. & 56.

Dicimus VI. poſſe quoque Papam cum Epiſcopo concurrere in rebus Beneficialibus, iſtúmque concurſum frequentiſſimum eſſe. Conſiſtit autem in eo potiſſimùm, quod Papæ liceat conferre quæcumque Beneficia, ad liberam Collationem Epiſcopi, Jure Ordinario, vel devoluto, pertinentia, modo omnia integra ſint, ut expoſitum eſt in Inſtitutionibus noſtris, *Part. II. Tit. De Prævent.*

Ad eumdem concurſum etiam pertinet: I. Quod admittere poſſit præſentationes, quæ faciendæ erunt Epiſcopo, & præſentatis inſtitutionem dare; ſed ad hoc videtur neceſſarium, ut præſentari Romæ ſint, vel atteſtationem de vita, moribus, & ſcientia ſufficienti mittant, alioquin Papa teneretur inſtitutionem in partibus committere. Quod ſi Beneficium Curatum eſſet, inſtitutio recepta Romæ, vel ab alio quàm ab Epiſcopo Diœceſano, non ſufficeret ad miſſionem in poſſeſſionem, nec proinde ad exercitium curæ animarum; ſed præterea requireretur ut proviſus, ab illo approbationem acciperet, quæ datur per literas vocitatas *Viſa. Art.* 3. *Edicti.* 1695.

De confirmatione Electionis ad Epiſcopum pertinente dubitari poſſet, an circa illam concurſus Papæ in Galliâ toleraretur, quia confirmatio fieri ſolet per modum judicii; Confirmator non ſolùm debet examinare Electi merita & electionis formam, ſed etiam audire Contradictores, ſi qui ſint, eorúmque objecta, electum quoque, & ipſius reſponſiones ad objecta, & his omnibus accuratè perpenſis, pronunciare pro confirmanda aut pro infirmanda electione. Quæ autem fiunt per modum judicii, videntur in partibus terminanda ab Ordinariis, ſicut ea, in quibus vera forma judicii ſervatur; utrobique enim par neceſſitas audiendi eos, quorum intereſt, teſteſque, quos Partes in defenſionem producunt, nec non diſcutiendi inſtrumenta, quæ ad eumdem finem exhibent, eáque ſingula, quæ continent ſibi vel faventia

ventia, vel nocentia. Quod commodè fieri nequit extra loca, in quibus res judicanda nata est, vel saltem circumvicina.

Sed de hoc dubio jam satis, quia electiones ad Beneficia, quæ verâ egent confirmarioue, vel jam diu abolitæ, sicut in Galliâ; tales sunt electiones ad Episcopatum, ad Abbatias & ad Prioratus Conventuales; vel quæ subsistunt adhuc, respiciunt Monasteria Episcopis non subdita. Cæteræ autem electiones ad Beneficia non egent vera confirmarione, ut ea est quæ prædicto modo fit; tales sunt electiones ad Decanatus, non enim in iis confirmandis servantur prædictæ solemnitates.

II. Ad concorsum eumdem Papæ cum Episcopo in re Beneficiaria pertinent Admissio resignationis simplicis, permutationis etiam simplicis, pensionum merè personalium; Creatio, Unio, vel Divisio Beneficiorum Episcopatu inferiorum, Erectio Ecclesiæ Collegiatæ, Creatio Dignitatis, vel in Cathedrali vel in Collegiata; Coofirmatio permutationis rei immobilis unius Beneficii cum re immobili alterius Beneficii, vel cujusvis alius alienationis eadem Beneficia Episcopatu inferiora concernentis.

Sunt apud Gallos Jurisconsulti magni nnminis, qui licèt admittant concursum Papæ in rebus Beneficiariis, nihilominus existimant quod non possit prævenire Patronos Laïcos, etiam reservata ipsis facultate, intra tempus concessum ad præsentandum conquetendi, ipsáque præsenratione annullandi provisiones Pontificias, quod tamen posse Episcopos libenter agnoscunt.

Quod dictum est de concursu qooad absolutiones, ea lege admittitur, ut illas committere nequeat, nisi Confessatiis ab Ordinario approbatis; nec ad illas Confessiones, ut nec ad alias numquam possit approbare, illo non consentienre. Idem est hac in re de Confessione, quod de Prædicatione, circa quam approbandi potestas soli Ordinario reservatur.

Appendix circa Episcopi Jurisdictionem speciatim sumptam.

§. Unicus.

De Episcopi Jurisdictione circa Dispensationes.

De hac Jurisdictione seorsim agimus, quia frequens de eâ in Canone mentio, quotidianúsque est illius usus; istóque io loco de illâ agimus, quia Dispensationes personas, res, & loca, quæ Episcopo subsunt, respiciunt.

REGULA I.

Canones, qui docere videntur, quod dispensatio habenda sit pro vetita Episcopo, quando à Canone Episcopo permissa non est expresè, restringendi ad res, quas aliundè non est dubium ad solum Romanum Pontificem pertinere.

Colligitur ex *Cap.* 15. *De Tempor. Ord. ut est in Collect. quartâ*, ubi iisdem legitur ferè verbis, uno aut altero excepto, quæ ad explicationem adhibita sunt, talia sunt ista: *aliundè*, quorum loco in Textu legitur, *Quoniam* vel *Quam*: Hâc voce *Aliundè* intelligimus usum vel consuetudinem, quæ Summo Pontifici dispensationem reservet; vel Canones, qui Causas Majores Papæ adscribunt.

Adverte I. HONORIUM III. Autorem esse *Capitis* 15. *De Tempor. Ordin.* HONORIUM autem posteriorem esse COELESTINO III. & INNOCENTIO III. à quibus scripta sunt *Caput* 13. *De Temp. Ordin.* Caput 3. *De eo qui furtivè, &c.* patere verò ex his duobus Capitibus dispensationem circa plures uno die conferendos eidem Sacros Ordines ad Papam jam pertinuisse.

II. Nullum extare Canonem vel à *Concilio* Generali conditum, vel aliàs anteà generaliter receptum, qui simpliciter prohibeat, ut plures uni Sacri Ordines uno die cooferantur; ideóque quemadmodum usu introductum erat, ne plures eodem die Sacri Ordines conferrentur, ita & usu inductum fuisse, ut, à solo Papa super hoc dispensaretur; idque factum, quia dispensatio hæc satis magni momenti habita est, ut inter Majores Causas collocaretur.

III. Dici posse *Non permissum* hic sumi pro *Vetito*: Dispensationem autem istam vetitam ab HONORIO III. dici, quia COELESTINUS III. & INNOCENTIUS III. illam sibi tribuunt, vel insinuant Episcopo non licere. *Non permissum* pro *Vetito* sumi videtur in Atticulo 42. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*, alioqnin erroneus esset.

IV. Interpretationem posteriorem nedum faciliorem esse & utiliorem, sed & verisimiliorem; faciliorem quidem, cùm uno verbo fiat; utiliorem, quia ab intricatissima difficultate liberat; verisimiliorem, cum absurdum omninò videatur ut Episcopis dispensare non liceat, nisi quando à Canone sibi expresè permittitur: Canones enim ab Episcopis conduntur, majus autem est condere Legem quam à Lege dispensare; quia dum conditur plurimi obligantur, dum autem dispensatur, unus aut alter solvitur: Præterea casus dispensationis justæ omni in Lege subintelligitur exceptus, quia dispensatio ut sit justa, debet esse publico bono necessaria, vel saltem utilis; necessitas autem vel utilitas publica in Lege semper excipiuntur.

V. Quod in casibus, Papæ non reservatis à Jure, Episcopi dispensent circa juramenta & vota; PANORM. *in* Cap. 1. 3. 8. *De Jurejur.* Cap. 1. 9. *De Voto*, in quibus id tanquam non controversum iterum atque iterum docet; at voti, juramentique vinculum longè fortius quàm Juris Positivi vinculum.

VI. Falli eos, qui *Caput* 15. *De Tempor. Ordin.* interpretandum putant de iis, quæ generalem Ecclesiæ statum spectant, quale est Ordinationum modus, tempus, de quo *Caput istud* 15. agit; nam GREGORIUS IX. *Capite sequenti* agnoscit Episcopum posse dispensare circa Ordinationum tempus, dum declarat Episcopum posse permittere Ordinato extra statuta tempora, post peractam pœnitentiam, susceptos Ordines exercere; nullo aotem Canone hujusmodi dispensatio Episcopis antea permittebatur. Præterea jam diu dispensant Episcopi circa Irregularitates, Matrimonia, Jejunia totius Ecclesiæ, Festa ipsiúsque Matris in casibus à Jure nullibi expressis: Hæc autem omnia generalem Ecclesiæ statum respiciunt.

Adde ad explicationem ejusdem *Capitis* 15. *De Tempore Ordinationum*, quod confirmari possint ea quæ dicta ex *Cap.* 29. *De Sent. Excomm.* INNOCENTIUS III. in eo supponit tamquam certum & indubitatum, quod quoties Conditor Canonis sibi vel aliis non reservat potestatem solvendi vincula à Canone formata, iis illam dimittere censetur, quibus Jure Communi competit; indéque concludit Sacerdotes à censuris à Canone latis absolvere posse, quotiescumque qui illum condidit, sibi vel aliis absolutionem non retinuit, quia Jure Communi competit Sacerdotibus, ut à peccatis absolvant: Absolvere autem ab iis oequeunt, nisi à censuris in foro interiori absolvere possint. Hinc enim sequitur quod dispensatio censenda sit Episcopo dimissa, quoties Condiror Canonis sibi, vel aliis non reservavit, vel ipso usu, seu consuetudine id factum esse appareat.

Fustrra

Frustra objiceretur quod absolutio sit res favorabilis, dispensatio verò res odiosa, ideóque ad dispensationem non ttahendum quod in favorem absolutionis dictum est: Nam I. non extendo hìc ad dispensationem quæ in favorem absolutionis dicta sunt, sed principium quod absolutioni applicatum est ab INNOCENTIO III. ad dispensationem traho; hoc autem generale est, atque tam materiæ odiosæ quàm materiæ favorabili conveniens. II. Agitur hìc de potestate dispensandi, quæ etiam juxta Adversarios res est favorabilis, & comparatur hæc potestas cum potestate absolvendi.

Ne dicas INNOCANTIUM III. Cap. 20. *De Elect.* insinuare quod, ut quis possit à Canone dispensare, oporteat ut saltem parem cum condente habeat potestatem, cùm exponens cur posset ipse dispensare à Canone *Concilii* LATERANENSIS sub ALAXANORO III. irritante electionem illegitimè nati, hanc rationem afferat quod eadem fungatur potestate, quâ ALEXANOER; ne, *inquam*, illud objicias, cùm INNOCENTIUS illam rationem non adducat, ut ostendat se posse dispensare; sed ut probet ademptam sibi non esse ab ALEXANORO, dispensandi facultatem. Undè inferre tantùm licet, neminem posse prohibere dispensationem iis, qui pari fruituri sunt ac ipse potestate.

Nec adjicias eumdem Pontificem docere *Cap.* 4. *De Concess. Preb.* ideò se posse dispensare quia habet plenitudinem potestatis, & supra Jus est; indéque sequi Episcopum, cui hæt duo non conveniunt, dispensare non posse, nisi acceperit hanc potestatem à Canone sibi expresè permittente dispensationem; ne, *inquam*, ita loquaris; hæc enim quæ objicis, non dicit INNOEANTIUS, ut doceat illa esse necessaria ad stabiliendam potestatem dispensandi, sed tantùm ad significandum se in casu de quo agebatur, dispensandi Jure gaudere.

REGULA II.

Non aliæ in Canone Episcopo expresè permittuntur dispensationes quam istæ.

I. Dispensat Episcopus cum ordinato ab alieno Episcopo sine proprii Episcopi consensu, ut in susceptis Ordinibus ministret. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 10.

II. Dispensat cum promoto extra tempora ad Sacros Ordines, ut peracta competenti pœnitentia in susceptis Ordinibus ministret. *De Temp. Ordin.* Cap. 16.

III. Cum eo, qui ignoranter suscepit Ordines ab Episcopo, qui loco simul & Dignitati renuntiavit, dummodo ignorantia non sit crassa & supina. *De Ordin. ab Episcopo.* Cap. 12.

IV. Cum Presbytero, qui duellum iniit ut post peractam pœnitentiam in Ordine suo ministret, modò duellum nec mors, nec mutilatio fuerint subsecutæ. *De Cler. Pugn. in Duello.* Cap. 1.

V. Cum iis, qui ab excommunicato Episcopo ignoranter Ordines receperunt, dummodò ignorantia non sit crassa & supina. *De Ord. ab Episcopo.* Cap. 12.

VI. Cum eodem circa eamdem rem, si adeo modica fuit ipsius mutilatio, ut possir sine scandalo solemniter celebrare. *De Corpore Vitiat.* Cap. 1.

Nota obiter hinc sequi ut ex n. 7. 9. 25. 26. 27. ante *Concilium* TRIDENTINUM non omnem irregularitatem ex delicto fuisse Summo Pontifici reservatam Jure Scripto. Idem de usu dicendum donec contrarium debitè probetur, quod fieri non posse probabilissimum.

VII. Cum Sacerdote, qui sine justa causa abscindere se fecit, credens indè mereri, ut Sacerdotale Officium præter Altaris Ministerium exerceat. *De Corp. Vitiat.* Cap. 4.

VIII. Cum Presbyteris Concubinariis circa Ordinum executionem. *De Cler. Conjug.* Cap. 4.

IX. Cum Sacerdotibus depositis ob contractas post Sacerdotium nuptias, modò longam pœnitentiam peregerint. *De Cler. Conjug. Cap.* 4. In bigamia ergo similitudinaria dispensabat Episcopus.

X. Cum eo, qui ignoranter recepit Beneficium simplex per simoniacam pravitatem, quique liberè illud resignavit. *De Elect.* Cap. 59.

XI. Ut quis plures pauperes Ecclesias habeat. DIST. LXX. Cap. 2. *Glos. ibidem.* V. *Duabus.*

XII. Ut Parochus justa ex causa per aliquod tempus non resideat. *De Elect.* Cap. 14. *in 6. §. Super.*

XIII. Ut Parochus ad septennium literis insistat, quo durante Presbyter non fiat, sed tantùm Subdiaconus primo anno. *De Elect. in 6. Cap.* 34. Non viget in Gallia tàm quoad dilationem ad Sacerdotium promotionis, quàm quoad septennem absentiam.

XIV. Ut qui complevit annum vigesimum, habeat Dignitatem, vel Parochiam, quibus animarum cura non immineat. *De Ætate & Qualit. Præf.* Cap. unico. *In 6.*

Omnes ergo dispensationes circa ætatem ad Beneficia requisitam Summo Pontifici non reservabantur.

Concilium TRIDENTINUM Cap. 12. SESS. XXIV. derogat huic Regulæ articulo.

XV. Ut illegitimus Ordines minores recipiat, Beneficiúmque simplex obtineat. *De Fil. Presbyt. in 6.* Cap. 1.

XVI. Cum irregularibus ex delicto, si irregularitas sit occulta, & ad forum contentiosum oon deducta. Excipitur ea, quæ ex homicidio voluntario oritur. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 6.

XVII. Circa interstitia ab uno minori ad alium, ab ultimo ad Subdiaconatum, à Subdiaconatu ad Diaconatum, & à Diaconatu ad Presbyteratum. SESS. XXIII. Cap. 11. 13.

XVIII. Cum promotis per saltum, si non ministraverint. *Ead.* SESS. Cap. 14.

XIX. Circa denunciationes ante Matrimonium faciendas. SASS. XXIV. *De Matrim.* Cap. 1.

XX. Circa pœniteotiam publicam, potest enim in secretam commutare, quando id expedire judicat? SASS. XXIV. *De Ref.* Cap. 8.

XXI. Cum Clericis inhabilibus ad Beneficia redditis propter obstinationem in crimine incontinentiæ, si manifestè se emendaverint. SASS. XXV. Cap. 14.

XXII. Cum Sanctimonialibus circa egressum è Monasterio certis in casibus, & cum aliis circa ingressum in earum Monasterium. SASS. XXV. Cap. 5.

XXIII. Cum eo, qui coactus ordinatus est per simoniam à parentibus commissam, & ultroneus ut deponeretur supplicavit, dispensare potest Episcopus, ut Regiminis curam assumat, si Ecclesiæ utilitas exegerit. CAUS. I. QUÆST. V. Cap. 3.

XXIV. Cum Clericis cuidam Ecclesiæ alligatis, ut ad aliam transmigrent. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap 37.

XXV. Cum Clerico, qui non casu, sed culpâ suâ, ac non adhibitâ sufficienti diligentiâ, alterius morti causam dedit, ut in Ordine ei quem habet majori proximè inferiore ministret, dispensare potest Episcopus. *De Homic. Volunt.* Cap. 8.

XXVI. Cum Clerico, qui per alium in duello occidit adversarium, quoad Beneficium. *De Cler. Pug.* Cap. ult.

Omnes ergo dispensationes circa irregularitatem ex homicidio voluntario, Summo Pontifici non reservabantur.

XXVII. Cum eo, qui suscepit Sacros Ordines furtivè post latam excommunicationem, vel uno die duos Sacros Ordines, ut in susceptis Ordinibus ministret, & ad Superiorem ascendat, si Religionem fuerit ingressus, ac ibidem laudabiliter conversatus. *De eo qui furtivè.* Cap 1. 2. 3.

XXVIII. Cum eo, qui furtivè Ordines suscepit, nulla

contra eum lata sententia, ut in susceptis ministret, & ad superiorem promoveatur. *Ibid.* Cap. 1.

XXIX. Cum Clericis adulteris, minorúmque criminum reis, ut post peractam pœnitentiam Ordines suos exerceant. *De Judiciis.* Cap. 4. *§. Adulter. Glos. in hoc* §.

XXX. Circa vota peregrinationis, excepto transmarino in subsidium Terræ Sanctæ. Exceptio non viget in Gallia. *De Voto.* Cap. 1. PANORM. *in illud, & in* Cap. 9. *Eod. Tit.*

In relatis, quæ à Jure expressè permittuntur, dispensationibus, exempla habes casuum, in quibus dispensatio licita, rerum genera circa quæ dispensare licet, circumstantias in quibus circa illarum nonnullas dispensandum est: Circumstantiarum autem illarum præcipua est, quod in dispensationibus circa criminum sequelas, qualis irregularitas, oporteat ut competens præcesserit pœnitentia, vel extra vel intra Monasterium; quæ fit intra, faciliorem reddit dispensationem.

REGULA III.

Regula præcedens non convincit Episcopum non posse dispensare, nisi à Canone sibi expressè permittatur, nec eo animo collecta sunt, quæ sub ea continentur, ut hinc inferretur non posse Episcopum dispensare, nisi in casibus sibi expressè permissis.

Hæc consequentia patet, ex eo quod sint Canones, qui dispensationem certis casibus Papæ reservent, è quibus juxta adversarios certò non infertur extra hos casus dispensationem Papæ non reservari: Canones autem hujusmodi sunt *Caput* 1. *De Sentent. & Re Jud.* Caput 16. *De Sent. Excomm. in 6.* quæ Papæ expressè reservant dispensationem à violatione Suspensionis & Interdicti; atqui præter hos casus, in eadem materia Papæ reservatur dispensatio à violatione excommunicationis majoris, quæ nullibi expressè reservata legitur.

Contra allatam mox probationem duo opponi possunt. I. De Papa nullibi dici sibi non reservari, quæ à Canone expressè non reservantur; imò contrarium dici, dum dicitur Episcopo non permitti dispensationes, quæ sibi à Canone expressè non permittuntur; ideóque certò inferri non posse quosdam casus Papæ non reservari, ex eo quod expressè non reserventur, licèt alii sint, qui isto modo reservantur.

Verùm ad illud respondetur: I. Quod allata probatio respiciat Regulam in se spectatam, proindéque memoratum in objectione discrimen malè opponatur. II. Quod *Caput* 15. *De Tempore Ordinationum*; èx quo oppositum discrimen elicitur, ita suprà expositum sit, ut nullum remaneat hujus discriminis fundamentum, vel minimum.

II. Opponitur reservationem violatæ excommunicationis contineri in reservatione violatæ Suspensionis vel Interdicti, proindéque superfluum fuisse, ut dispensatio violatæ excommunicationis expressè reservaretur; post expressam violatæ Suspensionis vel Interdicti reservationem.

Respondetur Suspensionem in Interdicto ab Ecclesiæ ingressu includi, attamen violatæ suspensionis dispensationem Papæ reservari sensim à dispensatione violati Interdicti ab ingressu Ecclesiæ: Prima enim reservatio habetur *Cap.* 1. *De Sent. & Re Jud. in 6.* Secunda verò *Cap.* 1. *De Excomm. in 6.*

REGULA IV.

Generalis circa rectum dispensandi facultatis usum.

Quoties Canon Episcopo permittit ut dispenset, astringit eum ut dispenset ex justa causa sibi certò cognita, summa cum maturitate, & gratis. Sess. XXV. Cap. 18.

REGULA V.

Quicumque aliquid faciunt, quod sine Ecclesiæ dispensatione fieri nequit, cogi possunt ab Ordinario, ut ostendant quam habent ad id dispensationem. *De Off. Ord.* Cap. 3. *in 6.* SESS. LVII. Cap. 5.

REGULA VI.

Nullo Canone, nulláque ratione certò probare licet Episcopum dispensare non posse à *Conciliorum* Generalium Statutis, nisi cum Episcopo id expressè permittunt.

Quod de *Conciliorum* Generalium Decretis dictum est, de Summorum Pontificum Constitutionibus quoque dicendum.

De Canone constat, alius enim afferri nequit quam *Caput* 15. *De Temp. Ordin.* Hoc autem loquitur, ut dictum est, de casibus quos certum est aliundè quàm èx Canone id de quo agitur respiciente, ad Papam pertinere; quales sunt quos notum est usu Papæ reservari, aut in Causis Majoribus à Canone Papæ reservatis contineri.

De ratione patet: validior siquidem quæ afferri potest, est ista: *Concilia Generalia sunt Episcopo superiora, nullus autem inferior à Superioris Lege dispensare potest, nisi id sibi ab eo permittatur*; hæc autem militat contra Papam in Gallia, in qua subest *Concilio* Generali; at hæc nimis probat contra Episcopum, nam indè sequitur illum non posse à Statutis in *Concilio* Provinciæ, cui subjicitur, dispensare, nisi id sibi ab illo permittatur, quod tamen omninò improbabile est. Præterea Papa non est Superior Spiritu Sancto, qui *Concilio* Generali saltem præest, dispensare tamen potest à Statutis *Concilii* Generalis, etsi sibi à *Concilio* non permittatur expressè.

Nec obstat quod Papa sit Ecclesiæ Rector & Gubernator, ideóque ejus sit à Legibus Ecclesiæ Generalibus, quales sunt quæ à *Concilio* Generali fiunt, dispensare; nam Episcopus quilibet positus est à Spiritu Sancto, ut regat Ecclesiam Dei, ac idcirco à Generalibus Statutis in Diœcesi sua, seu in ea Ecclesiæ Universalis parte quam regit, sicut Papa in tota, dispensare potest. Denique Apostolis sunt Episcopi inferiores, isti tamen possunt dispensare ab abstinentia Quadragesimali, quæ ab Apostolis, ut & Jejunium etiam Quadragesimale introducta creditur: Quamobrem id agnoscentes *Domini de Rota*, nempe nullo Canone, nulláque ratione certò probari posse, Episcopo non licere extra casus in *Conciliis* Generalibus sibi expressè permissos, ab his dispensare, judicarunt id posse ex magna necessitate, vel utilitatis causa. *Decis.* 262.

Nec obstant *Capita* 9. & 17. *De Filiis Presbyt.* Nam licèt Papa in his permittat quibusdam Episcopis dissare circa possessionem immediatam Beneficii paterni, hinc tamen certò inferri nequit Episcopos dispensare non posse à *Conciliis* Generalibus, nisi id sibi permittatur ab istis *Conciliis*, vel quod ad idem redit, à Papa, ad quem non minus spectat circa illa dispensationem committere quàm concedere; nam non constat inhabilitatem filii ad Beneficium paternum possidendum à *Concilio* Generali esse introductam, vel confirmatam ante illa Capita, & si constaret, oporteret etiam ut pateret usum, ante vel post istud *Concilium*, non reservasse soli Papæ dispensationem à tali inhabilitate.

Non obstat Regula: *Ejus est solvere cujus est ligare.* Hæc enim in præsenti casu nimis probat, cum si generaliter (*ut concipitur*) sumatur, Prælatus Superior solvere non posset quos Prælatus Inferior ligasset, imò neuter solvere posset quos illorum subditi ligassent.

REGULA VII.

Etsi in paucioribus casibus dispensare possit Episcopus quàm Papa, in his tamen ex iisdem causis dispensare potest & debet.

Colligitur ex sequentibus.

Nota

Nota Canones, qui docent sine justa causa dispensare non licere, desumi ex Epistolis Pontificum, in quibus de se ipsis dicunt, se non posse dispensare, nisi justa subsit causa; id ostenduut citati Textus circa proximam Regulam, undè patet, veritari contrarium esse quod Canonistæ nonnulli ponunt discrimen inter Papam & Episcopum, in eóque situm, quod Papa sine causa dispensare possit, Episcopus verò non valeat.

REGULA VIII.

Omnes ferè causæ propter quas Canon expressè permittit dispensationem, aut permissas declarat, reducuntur ad utilitatem, vel necessitatem, præsertim publicas & spirituales.

Colligitur ex sequenti.

Præterea *Capita* 19. 38. *De Elect.* dispensationum causas reducunt ad urgentem necessitatem & evidentem utilitatem. *Caput* 19. *De Sent. & Re Jud.* de dispensationis causa loquens, necessitatis & utilitatis meminit.

REGULA IX.

Expressæ in Canone dispensationis causæ non sunt aliæ quàm istæ.

I. Multa sunt, quæ pro necessitate temporum ac consideratione ætatum temperari oportet. Dist. XIV. Cap. 2. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 6. *De Elect.* Cap 7. 26.

II. Dum Ecclesiæ utilitas, necessitásque temporum postulat, eligi potest conjugatus in Episcopum. Dist. XXVIII. Cap. 13.

III. Ob defectum temporum, in quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, quæque non patiuntur districtionis manere censuram, Subdiaconus qui fuit antea incontinens, Diaconus ordinari potest. Dist. XXXIV. Cap. 7.

IV. Ob graves dissensionum scissuras, atque non unius aut alterius periculum, sed plurimorum populorum stragem, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Dist. V. Cap. 25. *§. Verum.* Caus. IX. Quæst. I. Cap. 5.

V. Ob vitanda scandala, motusque non modicos, in aliquibus Provinciis dispensatur cum ordinatis irregularibus ex defectu. Dist. LI. Cap. 1. Dist. XCV. Cap. 1.

VI. Ubi nulla rerum urget, vel temporum angustia, prisca Instituta convenit custodiri, sed ubi necessitas postulat, ab his recedere licet; unde in penuriâ Clericorum, Monachos, etiam Laïcos, ad Clericale Munus promovere fas est. Dist. LV. Cap. 1.

VII. Filius Sacerdotis, etiam ex incontinentia, potest in Episcopum eligi, ut Ecclesiæ periculo consulatur, si aliàs idoneus sit. Dist. LV. Cap. 12. 13.

VIII. Adulteræ filius ad Episcopatum electus, in eo confirmari potest, si Religiosæ sit vitæ, nedum immunis à criminibus, quæ à Sacerdotio arcent. Dist. LVIII. Cap. 14.

IX. Exigente hominum raritate Clinicus ordinari potest Presbyrer. Dist. LI. Cap. unic.

X. Exigente oportunitate Subdiaconus in Episcopum eligi potest, si tamen spectatæ sit vitæ, Religionis, & scientiæ. Dist. LX. Cap. 4.

XI. Cessante causâ ob quam introductum est impedimentum ab Ordinibus excludens, dispensati quis potest à tali impedimento, unde Neophitus humilis ad Ordines promoveri potest. Dist. LXI. Cap. 9.

XII. Ob Ecclesiarum paupertatem, aut Ministrorum penuriam ex Episcopi dispositione unus diversis præesse potest Ecclesiis. Dist. LXX. Cap. 2. *Gloss. ibid.* Verbo *Duabus.*

XIII. Ab interstitiis dispensari quis potest, si devotio, morúmque probitas id mereantur. Dist. LXXVII. Cap. 9.

XIV. Ab ætate ad Ordines requisita dispensatur quis, dum necessitas id exposcit. Dist. LXXVIII. Cap. 5.

XV. Exigente Ecclesiæ utilitate dispensari potest cum Simoniaco involuntario. Caus. I. Quæst. V. Cap. 3.

XVI. Circa Ordinum susceptionem, vel executionem dispensatur cum Simoniaco, quem vita commendat, aut qui aliàs dignus est. Caus. I. Quæst. V. Cap. 1. 2.

XVII. Ut Hæretici & Schismatici ad Ecclesiam faciliùs redeant, revertentes tecipiendi sunt in Ordinibus & gradibus suis, ideóque propter Ecclesiæ utilitatem à Canonibus, qui id vetabant, dispensandum. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 4. 19. 20. Caus. XXIII. Quæst. IV. Cap. 24. Caus. I. Quæst. I. Cap. 47.

XVIII. Dum agitur de pœna, vel irregularitate, dispensatio fieri potest ex misericordiæ motu. Caus. I. Quæst. V. Cap. 1.

Vel ab ignorantia eorum quibuscum dispensatur. *De Ordin. ab Episcopo.* Cap. 12. Dist. LXXXVI. Cap. 24.

Vel ab eorum simplicitate vel senectute. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 11.

Vel ab eorum probitate & pietate. Caus. IX. Quæst. II. Cap. 10. Caus. IX. Quæst. I. Cap. 4. 5. *De Fil. Presbyt.* Cap. 9.

Vel à multitudine delinquentium. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 14.

Vel à publico Reipublicæ bono. Caus. IX. Quæst. I. Cap 5. *De Transact.* Cap. 11. *mox cit.* Cap. 11.

Vel à coactione ad actionem, quæ pœnam, vel irregularitatem secum trahit. Caus. I. Quæst. V. Cap. 3.

Vel à gravium malorum metu. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 13.

XIX. Filii raptarum Virginum Raptori nubentium Sacris Ordinibus non sunt applicandi, nisi eos, vel maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet. Caus. I. Quæst. VIII. Cap. 17.

XX. Dispensationes, *id est*, circumstantiæ rerum nonnumquam cogunt parùm à debito quosdam foràs exire, ut majus aliquid lucri fiat, & quædam despicere, ut cunctorum vitentur dispendia. Ut in periculo navis coguntur Mercatores in mare nonnulla jacere, ut cætera vitámque conservent. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 16.

XXI. Sicut ea sinenda sunt, quæ sola nocere nequeunt, sic ea præcavenda sunt, quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt. Et sicut non sunt indulgenda, nisi quæ rerum, temporúmque cogit intuitus, seu exposcit circumstantiarum qualitas, ita non sunt relaxanda, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsùs extorquet utilitas. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 23.

XXII. Episcoporum Translationes indulgendæ, dum vel necessitas, vel utilitas eas postulant. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 34. 35. 36. 37. 39. Ita de aliis rebus. Caus. IX. Quæst. I. Cap. 4. 5. *De Sent. & Re. Jud.* Cap. 19.

XXIII. Pro bono pacis & necessaria de causa à Canonibus & Legibus dispensari potest. *De Desp. Impub.* Cap. 2.

XXIV. Ob maximam personarum Dignitatem indulgetur quod alias denegaretur. Dist. LXIII. Cap. 24.

XXV. Circa promotionem ad Dignitatem cum viro ad eam quadam ex parte inhabili, si in eo ista reperiantur, literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, fama personæ, multipliciter à nonnullis viris illustribus approbatæ, concors electio, petitio populi, assensus Principis confirmantis votum, Collegarum suffragia, humilis devotio suum reatum confitentis. *De Elect.* Cap. 20.

XXVI. Dispensationum fundamenta urgens necessitas, evidens Ecclesiæ utilitas. *De Elect.* Cap. 13. 19. 30. 38. *De Translat.* Cap. 3.

XXVII. Cum eo, qui laudabiliter suum implevit Officium, implet & implere potest in posterum, non minùs utiliter quàm misericorditer, circa idem Officium valet dispensari; præsertim si culpa vel vitium, propter quæ eget dispensatione, sit occulta. *De Renuntiat.* Cap. 10.

Huc extendenda, quæ suprà notata sunt in fine Regulæ secundæ, circa casus sub eâ comprehensos, ac profectum hinc capiendum, considerando singula circumstantiarum genera, quarum habenda ratio in dispensando à quovis Dispensatore.

Collecti Canones de dispensationum causis generatim vel seorsim loquentes, dispensationes à Jure Humano ferè omnes respiciunt: Undè patet falsum esse illas dispensationes ab aliis, quæ circa Jus Naturale vel Divinum versantur, in eo differre, quod istæ causas justas exigant; dispensationes verò ab Humano Jure non postulent, si (*ut par est*) eâ de re ex Sacris Canonibus dijudicetur: Hinc tamen non sequitur nullum, quoad causas, inter utrumque dispensationum genus, esse discrimen, cum etsi quævis ab humanâ Lege dispensatio causam exigat, quoad causas tamen, ab Humano Jure dispensationes inter se differant; nam quò momenti majoris sunt Leges, eò graviores causas exigunt, quæ ab illis conceduntur, dispensationes. Ideóque licèt dispensationes à Jure Humano conveniant cum dispensationibus à Jure Divino in eo quod sine justa causâ concedendæ non sint, differunt nihilominus plurimùm ab istis; quia istæ longè majores exigunt causas. Hinc ruunt adulatoriæ distinctiones, inter dispensationes Papæ & aliorum, necnon inter dispensationes à Jure Humano & dispensationes à Jure Divino, vel Naturali, patétque quantum Canonicæ sint.

Permittere dispensationem idem quandoque est ac declarare illam esse permissam. *Concil.* ANDAGAV. 1365. Cap. 34. *Conc.* ANDAGA. 1448. Cap. 17. *Conc.* TOLET. 1473. Cap. 27.

REGULA X.

Faciliùs dispensatur circa res factas quàm circa faciendas. CAUS. I. QUÆST. VII. Cap. 18.

REGULA XI.

Ne præjudicium fiat Canonibus, ubi legitima dispensationis causa cessat, cessare debet dispensationis concessio. DIST. LXI. Cap. 9. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 41. CAUS. IX. QUÆST. I. Cap. 5. CAUS. XXXV. QUÆST. IX. Cap. 6.

REGULA XII.

Dispensari potest à Canonibus, qui depositionem ferentes restitutionis spem negant. *Glos. in* Cap. 101. CAUS. XI. QUÆST. III. Verbo *Statuerunt.*

REGULA XIII.

Dispensatio numquam solvit, sive destruit Legem, quæcumque sit Lex; sed si Lex sit Humana, illius vinculum relaxat, respectu eorum, quibus conceditur; si verò sit Naturalis & Divina, illam in casu de quo agitur, non obligare interpretatur.

Prima & secunda Pars Regulæ patent ex *Cap.* 18. 20. CAUS. I. QUÆST. VII. FAGNANUS *in* Cap. 22. *De Elect.* stat pro tertia Regulæ Parte. Collatio vigesima quinta *Lingonensis* eamdem probat. Totam Regulam confirmare potest *Cap.* 13. *De Restit. Spoliat.*

Discriminis Ratio: Non mirum si quod ab homine formatur vinculum, ab homine circa quosdam relaxetur, cùm erga omnes relaxari possit: Illud verò quod à Deo est, ab eo solo erga aliquos relaxari potest, à quo manat vinculum circa omnes, quique non alius est nisi Deus.

REGULA XIV.

Canones prohibentes ne antea benè statuta ac ordinata dissolvantur, aut rescindantur, non auferunt circa ea dispensandi potestatem.

Sequitur ex præcedenti.

REGULA XV.

Dispensatio ambitiosa, sive odiosa, qualis est quæ incompatibilium Beneficiorum pluralitatem concedit, restringenda est. *De Rescript. in* 6. Cap. 5. §. *Prætextu. De Fil. Presb.* Cap. 1. *De Præb. in* 6. Cap. 21. *Glos. in* Cap. 3. *De Off. Ord. in* 6.

Etsi de omni dispensatione dici possit quod restringenda sit, id de illa, quæ à Jure ambitiosa vocatur, potissimum dicendum est. Ad cujus rei elucidationem Nota, quamlibet dispensationem ideò odiosam dici, quia gratia est, à Lege communi exorbitans. Hinc quò gravioris momenti Lex est, quæ ab illâ eximit, dispensatio eò odiosa magis est. Hinc etiam quæ à pluribus simul Legibus liberat dispensatio, ambitiosa magis esse videtur, quàm quæ ab una tantùm. Hinc quoque ambitiosa maximè esse debet, quæ à gravioris momenti Legibus simul, & à pluribus eximit dispensatio. Hinc ambitiosissima esset dispensatio, quæ Beneficia plura incompatibilia, quorum quodlibet ad honestè vivendum sufficit, simul retineri permitteret, etsi Canonicè acquisita non essent.

REGULA XVI.

Dispensationes, quæ secum gravia invehunt mala, revocandæ sunt. *De Rescript. in* 6. Cap. 15.

REGULA XVII.

Consuetudo ex ambitione, aliáve simili causâ procedens, qualis est quæ incompatibilium Beneficiorum pluralitatem permittit, quantumvis vetusta sit, efficere non potest ut sine dispensatione liceant, quæ aliàs sine ea non licent.

REGULÆ RATIO: Reclamant boni mores, Canonúmque Conditores.

REGULA XVIII.

Temerarium est sua autoritate præsumere, quod alii singulari indultum est Beneficio; *id est*, dispensatio à nullo trahenda est in exemplum, vel ad Jus Commune. *Cap.* 3. *in II. Collect. De Statu Regul.* Cap. 20. *De Elect.* Cap. 19. *De Sent. & Re Jud.*

REGULA XIX.

Non licet in aliquâ re dispensare, cui non licet in eadem quod minus est. *De Sent. Excomm.* Cap. 32.

Hinc cui non licet à censurâ absolvere, ab irregularitate ex censura violata nascente, dispensare non licebit.

REGULA XX.

In rebus ejusdem ordinis, cui licet in majori dispensare, licet etiam in minori. *Qui Filii &c.* Cap. 13.

In rebus diversi ordinis falsa est Regula, saltem in Gallia, ubi quamvis liceat Ecclesiæ in spiritualibus rebus, quæ majores sunt temporalibus, non licet tamen in temporalibus dispensare.

REGULÆ RATIO: Dispensandi facultas favorabilis res est, ideóque extendenda saltem ad minora.

REGU-

REGULA XXI.

Cum quo diſpenſari nequit in Minori, in Majori diſpenſari non poteſt; è contra diſpenſare licet in Minori cum quo diſpenſare licet in Majori: *Verbi gratia*, poteſt diſpenſare cum Petro circa Beneficia, ſi diſpenſetur cum eo circa Ordines; ſi verò diſpenſari nequeat cum eodem circa Beneficia, à fortiori diſpenſari cum eo non poteſt circa Ordines.

Ratio Regulæ evidens eſt; in primo caſu, minus excludit majus; in ſecunda majus includit minus. Prædicta valet in re pari; *v. g.* Qui poteſt deſpenſare circa Beneficium ſimplex diſpenſare poteſt circa Ordines minores, qui verò circa Beneficia curam habentia, diſpenſare poteſt circa Ordines Sacros. *De Filiis Presbyter. in 6.* Cap. 1.

REGULA XXII.

Dum de diſpenſatione agitur, non eſt ita ſupplicantium precibus annuendum, ut aliis ſimilia faciliùs impetrandi ſpes dari videatur, quia periculoſa eſt facilis diſpenſatio; ideóque prohibetur, ne trahatur in exemplum. *De Fil. Presbyt.* Cap. 14. *in integra. De Elect.* Cap. 20.

REGULA XXIII.

Sicut cenſurarum aliæ ſunt ab homine, aliæ à Jure, ita diſpenſationum, aliæ ſunt ab homine, aliæ à Jure, ſed iſtæ raræ ſunt.

Ultima Pars Regulæ, quæ ſola eget probatione, patet ex ſequenti Regula.

REGULA XXIV.

Non aliæ ſunt in Canone diſpenſationes à Jure quàm iſtæ.

I. Diſpenſativè conceſſum eſt iis, qui immediatè ſubjecti Romanæ Eccleſiæ ab ea confirmantur, ut ſi valdè remoti ſint, utpote ultra Italiam conſtituti, antè confirmationem adminiſtrent, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus. *De Elect.* Cap. 44.

II. Permittitur filiis à Sacerdote ex uxore legitima poſt Sacerdotium genitis, in Clericos Ordinari, & ad Beneficia, undè commodè ſuſtantari valeant, promoveri, ſi aliàs idonei ſint. *De Fil. Presbyt.* Cap. 14.

III. Ordinationes illorum, qui à Simoniacis Catholicis ordinantur, miſericorditer ſuſtinentur, ſi illos Simoniacos eſſe non agnoverint, & laudabilis vita iſtos commendet. Caus. I. Quæst. I. Cap. 108.

Inter caſus comprehenſos ſub Regula ſecunda, & ſub Regula ſexta, ſunt nonnulli, qui continent exempla diſpenſationum à Jure conceſſarum, quos facilè diſcernet quiſquis ſingulos illos caſus percurrere volet.

REGULA XXV.

Non eſt diſcurrendum de diſpenſatione ut de abſolutione à cenſuris, ſi audiantur nonnulli Doctores Sedi Apoſtolicæ nimium faventes.

Sententiam ſuam inferunt ex *Cap.* 15. *De Temp. Ord.* ubi dici videtur; quod diſpenſatio, quæ non eſt permiſſa, judicanda eſt reſervata; & ex *Cap.* 29. *De Sent. Excom.* ubi abſolutio à cenſuris, quæ non eſt reſervata, permiſſa declaratur. Triplicem afferunt rationem prætenſi diſcriminis: I. Diſpenſatio eſt quid majus quàm abſolutio. *De Sent. Excom.* Cap. 52. II. Circa abſolutionem periculum eſt in mora; circa diſpenſationem non idem: III. Sunt Cauſæ Majores ex genere ſuo Papæ reſervatæ, circa quas non raro verſantur diſpenſationes, quæque ideò reſervatæ cenſentur Papæ, niſi aliis expreſsè permittantur; nulla eſt autem materia circa quam cenſuræ ſint reſervatæ, ex eo ſolo quod illam tangant materiam.

Poſtrema hæc ratio maximè favet allatæ à nobis ſuprà explicationi *Cap.* 15. *De Tempore Ordinationum*, ſub Regula prima hujus paragraphi. In irregularitatibus & impedimentis Matrimonii occultis ſemper periculum fuit in mora, ergo ſecunda Ratio non ſemper vera.

REGULA XXVI.

Diſpenſatio quocunque injuſto modo conceſſa revocanda eſt.

Infertur ex *Cap.* 5. *De in integr. Reſtit.* ubi hæc leguntur: *Sententia etiam Romanæ Sedis in melius commutatur, cùm aut ſurreptum aliquid fuerit, aut ipſa pra conſideratione ætatum & temporum, ſeu gravium neceſſitatum diſpenſativè quidquam ordinare decrevit.*

REGULA XXVII.

Legis, Canonis, vel Statuti Conditor non poteſt Succeſſoribus auferre circa ea diſpenſandi facultatem. *De Elect.* Cap. 20.

Ratio Regulæ eſt: Par in parem non habet Imperium. *Ibidem.*

REGULA XXVIII.

Diſpenſatio obtenta ex ſuggeſtione falſitatis; quæ *Subreptitia* dicitur, vel ex ſuppreſſione veritatis, quæ *Obreptitia* vocatur, non valet. *De Elect.* Cap. 54. *De Reſcript.* Cap. 20.

REGULA XXIX.

Diſpenſatio ſine juſta cauſa conceſſa, non ſolùm illicita eſt, ſed etiam invalida.

Infertur ex *Cap.* 18. Seſs. XXV. ubi talis diſpenſatio ſubreptitia cenſenda præcipitur.

Hinc cùm præſumendum non ſit, quem illicitam nullámque diſpenſationem concedere velle, quotiès ſine juſta cauſa conceſſam manifeſtè videt, cui diſpenſationis executio committitur, illàm exequi non debet.

REGULA XXX.

Diſpenſatio eſt nulla, ſi impetrans in precibus ſiluerit, quod concedentem à concedendo retrahere veriſimiliter potuiſſet. *De Fil. Presb. in 6.* Cap. 2. *De Reſcript.* Cap. 20.

REGULA XXXI.

In dubiis circa diſpenſationes, à quocumque conceſſas, recurrendum eſt ad eum à quo emanarunt. *Cap.* 3. *De Off. Ord. in 6.* loquitur ſolùm quidem de diſpenſationibus Sedis Apoſtolicæ, ſed cùm non magis aliis quàm iſtis conveniat, ad omnes extenditur.

Ratio Regulæ eſt: Diſpenſatoris eſt æſtimare quem velit Beneficii ſui eſſe modum. *Ibid.* Hæc ratio confirmat extenſionem factam, cùm locum habeat in quovis Diſpenſatore.

REGULA XXXII.

Diſpenſationem ad Papam pertinere malè infertur ex eo quod à Papa quandoque petita ſit. *Cap.* 22. *De Homicid.* in quo diſpenſatio non neceſſaria à Papa petitur; undè concludere licèt, quod poteſt à Papa peti diſpenſatio ad Papam non pertinens, ſicut ab eo petita eſt diſpenſatio non neceſſaria.

Ratio Regulæ eſt: Omnis diſpenſatio quæ ab Epiſcopo concedi poteſt, à Papà impetrari poteſt, quia à Papa concedi etiam poteſt, concurrente in hoc cum Epiſcopo, ex uſu jam vetuſto.

REGU-

REGULA XXXIII.

Quoties Canon dispensare expressè permittens, nec Papæ, nec Episcopo, nec alii cuivis dispensationem tribuit, illam non reservatam indicat, atque ab Ordinario, ad quem pertinet, impetrandam.

Dispensatio hoc modo permittitur *Capite* 10. *De Renunt.* Cap. 5. & 10. *De Ætat. & Qualit.* Cap. 19. *De Homicid.* Cap. 2. *De Cler. Pugnant.* Caput istud ultimum in Collectione secunda tribuit dispensationem ei, cui inscribebatur Epistola, è qua desumptum est, qui tamen, qualis fuerit, non exprimitur.

RATIO REGULÆ est: Videtur hinc Canon tantùm declarare justam esse his in casibus dispensandi causam.

Huc adduci posset *Caput* 2. *De Cler. non Ord. Min.* quod dispensationem permittens, nemimque adscribens, insinuat deindè eam dari posse ab Episcopo, cui de Jure Communi pertinebat.

REGULA XXXIV.

Quando aliquid Episcopo à Canone sub pœna vetatur, non ideò sibi prohibetur circa hoc dispensatio.

Infertur ex *Canone* 10. DIST. XXXIV. & *Canone* 68. DIST. L. in quibus permittitur Episcopis dispensatio circa res, quæ sibi prohibentur sub pœna. DIST. L. Cap. 55.

REGULA XXXV.

Quoties Ordinario committitur dispensatio sine plena causæ cognitione, executioni illam mandare non debet si in forma commissoria concessa sit, secùs si in forma gratiosa.

Colligitur ex *Capite* 5. SESS. XXII. *De Refor.* quod in posteriori dispensationis genere summariam permittit cognitionem. Hinc enim sequitur in priori plenam concedi.

PARS QUARTA.

CAPUT I.

De Archiepiscopi Jurisdictione.

De Archiepiscopi Jurisdictione tractantes, agimus etiam de Jurisdictione Primatis & Patriarchæ, quia non differunt hi tres, nisi in hoc quod Patriarcha habet sub se Primates, Primas verò Archiepiscopos, iste verò simplices Episcopos; nam cujuslibet horum Dignitas est humanæ institutionis; & Patriarcha, Primásve nihil potest in Patriarchatu, vel Primatia, nisi quod potest Archiepiscopus in Archiepiscopatu suo. Hinc Archiepiscopo applicabimus quod Canon de solis Primatibus, vel Patriarchis expressè dicit, dum commune erit Archiepiscopo cum ipsis: Quæ autem de Archiepiscopo dicemus, in tres Paragraphos dividemus, quorum primus tanget Suffraganeorum subditos; secundus Suffraganeos; tertius exponet Gallicanum usum circa ea, quæ in primo & secundo continentur.

§. I.

De Archiepiscopi in Suffraganeorum subditos Jurisdictione.

REGULA I.

Archiepiscopus nihil Juris habet in subditos Suffraganeorum suorum, quam quod Canon sibi concessit, vel ipsa Consuetudo contulit, vel Sedes Apostolica indulsit. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 9.

Extendi potest Regula ad ipsos Suffraganeos ob rationis paritatem, cum Jurisdictio in Suffraganeos sit Juris Positivi, ut Jurisdictio in subditos Suffraganeorum.

REGULA II.

Non alia concessit Canon Archiepiscopis in subditos Suffraganeorum quàm quæ sequuntur.

I. Quando subditi Suffraganeorum apud Archiepiscopum conqueruntur de excommunicatione à Suffraganeis injustè lata, licet ei conquerentes absolvere ad cautelam, si remissos ad eos, qui illas tulerunt, isti noluerint absolvere. *De Offi. Ordin.* Cap. 8.

Adversari videtur hic Textus Textui, qui habetur *Cap.* 1. *De Offi. Leg. in integra*, & in quo de Archiepiscopo dicitur, nullam audire posse causam subditorum cujusque Suffraganei sui per aliam quàm appellationis viam; sed revera contrarius non est; nam in præsenti Textu de audienda hujusmodi causa non agitur, sed de absolvendo ad cautelam ante causæ cognitionem.

Nota obiter hoc unum posse Archiepiscopum per viam quærelæ in subditos Suffraganeorum, idque ipsi concessum propter discrimen, cui exponitur in excommunicatione diu remanens, vel ab ea quàm citiùs potest non absolutus.

II. Non potest Archiepiscopus de causis subditorum Suffraganeorum suorum cognoscere, nisi ad Archiepiscopum isti appellent, vel Apostolica Sedes aliquid aliud indulserit. *Cap.* 1. *De Suppl. Neglig. & De Offic. Ord. in* 6. Cap. 9. *De Offi. Ord.* Cap. 1. *De Offi. Leg.* Cap. 2. 5. 6. 7. 8. CAUS. IX. QUÆST. III. Hujusmodi Indulta non reciperentur in Gallia, utpote contraria Ordinariæ Jurisdictioni Episcoporum, cujus Rex Protector est, necnon paci offensiva.

Adde quod adversentur *Titulo V. Paragrapho* 3. PRAGMATICÆ SANCTIONIS, & *Titulo X. Concordati Paragrapho primo.*

III. Archiepiscopus potest delegare Suffraganei sui subditum, sed non potest illum ad Delegationem suscipiendam compellere, quia nullam habet in illum Jurisdictionem, unde commissiones illius erga istum dicuntur *Rogatoriæ.* Cap. 11. *De Offic. Jud. Ord.*

IV. In omni casu, in quo licita est appellatio, appellare licet ab Episcopo ad Archiepiscopum. *Eod. Tit.* Cap. 11.

Nota obiter quod aliàs ab Episcopi sententia provocabatur ad Synodum Provinciæ, quia frequens maximè erat, nunc autem ad solum Metropolitanum, quia *Concilia* in desuetudinem abierunt. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 2. 4. 5. 30. 34. *& Glos. in illa.*

V. Poterat illos visitare, Procurationem ab illis exigere ob Visitationem, & in ista illos punire, nunc etiam potest cognita & probata causa in *Concilio* Provinciæ ex dispositione *Concilii* TRIDENTINI, quæ nullibi servatur. SESS. XXIV. Cap. 3. *De Simo.* Cap. 30. *De Censibus.* Cap. 14. *juxtà* PANORM. *interpretationem in utrumque.*

VI. Potest illis indulgentias concedere, cùm intra totam suam Provinciam id possit. *De Pœnit. & Remiss.* Cap. 15.

VII. In persona Patriarchæ, cujus in hoc non est potior ratio, crucem ante se deferri per totum Districtum, faciendi jus ei tribuitur. *De Privil.* Cap. 23. Et in propria persona idem jus confirmatur in CLEM. II. *De Privil.*

VIII. Cum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis vacantis ejusdem res vel negligit, vel malè administrat, potest Archiepiscopus Administratorem eidem in temporalibus & spiritualibus deputare, qui tamen Beneficia conferre non poterit. *De Suppl. Negl. in* 6. Cap. 4.

IX. Ex speciali consuetudine potest Officialem constituere in Diœcesi Suffraganei sui pro causis appellationis ad se devolvendis, aliàs non potest. *De Offic. Ord.* Cap. 1. *§. Nec pro eo, in* 6.

Ad

Ad id tenetur in Gallia, quando Suffraganeorum suorum Diœceses in Districtu alterius Parlamenti sitæ sunt.

X. Dispensatio Suffraganei subditis à Papa concessa, committi potest Metropolitano, etsi sit cum cognitione causæ exequenda. Sess. XIV. Cap. 7.

In Gallia cognitio Ordinario locorum est dirigenda. Probat. *Tit. De Causis §.* 5. *Concord. eod. Tit. §.* 2.

§. II.

De Archiepiscopi Jurisdictione in Suffraganeos.

REGULA I.

Non alia Archiepiscopo in Suffraganeos jura Canon tribuit quàm ista.

I. Ordinatio Suffraganeorum ad Archiepiscopum pertinet. *De Elect.* Cap. 4. 9. *in Compil prim. De Temp. Ord.* Cap. 6. 7.

II. Archiepiscopus impeditus potest Episcopo Consecrationem Suffraganei sui delegare, isteque tenetur à Delegato Consecrationem suscipere. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 10.

III. Cognoscebat aliàs, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, per viam querelæ de contentione Episcopum inter & Capitulum, circa cessationem à Divinis à Capitulo præceptam inconsulto Episcopo. *De Offic. Jud. Ord.* Cap. 13. *§. Cæterum.*

Hoc jamdiu abolitum cum hujusmodi censuræ specie.

IV. Suffraganeorum Electiones confirmat. *De Elect.* Cap. 32. *De his quæ fiunt à Majori Parte Capituli.* Cap. 3. *in integra* Decretali.

V. Potest ex Privilegio, non solùm per Provinciam suam, sed per totum Regnum, ante se crucem deferre. *Ut Lite Pendente* Cap. 1. Privilegium hujusmodi in Gallia non reciperetur, in qua restringitur ad Provinciam deferendi ante le Crucem potestas, quâ Primates ibi non utuntur extra Provinciam.

VI. Ab Archiepiscopo datur Coadjutor Episcopo, qui ob infirmitatem Officium Pastorale exercere non potest. *De Cler. Ægrot. Cap.* 5. Nunc à solo Pontifice. *Cap. unic. De Cler. Ægrot.* in quo Bonifacius VIII. hoc reservatum Papæ declarat, antea tamen à Papa jus hoc jam exercebatur. *De Deleg.* Cap. 37.

In Gallia viget, Rege consentiente, si agatur de Coadjutore cum futura successione; ad alium dandum non est necessarius recursus ad Papam.

VII. Convocare potest Suffraganeos ad *Concilium* Provinciale, istosque punire, si vocati adesse contempserint vel neglexerint. *Ibid.* Dist. Cap. 10. 12. 13. 14.

VIII. Consecrandorum Suffraganeorum examen. Dist. XXIV. *Cap.* 4. in Gallia toleratur, ut nominatorum examen fiat à Nuntio.

IX. Poterat dispensare cum Suffraganeo circà Ordinem ad Electionem passivam requisitum; Subdiaconus enim cum Archiepiscopi licentia in Episcopum eligi poterat. Dist. LX. Cap. 4.

X. Suffraganeorum negotia, salva autoritate Apostolica, ac Majores Causæ, post Apostolicam Sedem, ad Archiepiscopos erant referendæ. Dist. LXXX. *Cap.* 1. 2. Uterque Textus suppositititius, ipsaque etiam dispositio probat, ut patet ex dictis circa Causas Majores.

XI. Suffraganeus, qui ultra quinque menses consecrari negligit, Archiepiscopi Judicio cedere debet. Dist. CIII. *Cap.* 1. Suppositititus quoque hic Textus patet, ex eo quod dicit, de professione fidei ad Papam mittenda, & de petendo ab eo Pallio; qui usus longe Pelagio posteriores certò sunt. Vide Van-Espen *Supplem. Part.* 1. *Tit.* 19. Cap. 5.

XII. Si Suffraganei *Concilio* habito aliquid attentent sine Metropolitani autoritate, irritum est. Dist. XCVI. *Cap.* 1. Loquitur de Decreto facto de re Ecclesiastica, inconsulto Pontifice Provinciæ Capite.

XIII. Judicat Suffraganeos in prima instantia; id facit in Synodo duodecim Episcoporum. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 11. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 45. Caus. XV. Quæst. VII. Cap. 3. 4.

XIV. Episcopus depositus non potest quidquam repetere ab Ecclesia à qua depositus est, sine Metropolitani consensu. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 44.

XV. Episcopi accusantur apud Primatem, seu Metropolitanum, Primatem dictum apud Africanos, quia primus est Provinciæ & causa terminatur in Universali *Concilio* Regionis. *Cap.* 1. Caus. IV. Quæst. V. spectat ad disciplinam Ecclesiæ Africanæ.

XVI. Suffraganeorum præsumptiones coercere potest Metropolitanus, si Clerici ab his gravati apud eum conquerantur. Caus. X. Quæst. III. Cap. 6.

XVII. Non licebat Episcopo quemquam sub anathemate ponere sine Archiepiscopi conscientia, quia anathema est æternæ mortis damnatio. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 41.

XVIII. Res Episcopi mortui, Ecclesiæque ipsius à Clericis ejusdem Ecclesiæ, vel à Metropolitano futuro Successori reservantur. *Cap.* 48. Caus. XII. Quæst. II. Falsum in Gallia.

XIX. Dum poterat Provinciam visitare, sibi licebat Suffraganeis injungere, ut Statuta à se in Visitatione servarent. *De fine.* Cap. 30. *juxta* Panormi *interpretationem.*

XX. Si Episcopus Ecclesiæ bona defraudet, insinuandum est Metropolitano. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 31.

XXI. In celebrandis Divinis Officiis statutum, vel servatum à Metropolitano in sua Ecclesia Ordinem, Suffraganei servare debent. Dist. I. & II. *De Conf.* C. 31.

XXII. Nil insolitum agere potetant sine Metropolitani voluntate. *Apostol. Cap.* 33. Quod verum etiam nunc in his, quæ totam Provinciam spectant.

XXIII. Suffraganeis abesse non licet, sine causa à Metropolitano scriptis probata. Sess. XXIII. *De Ref.* Cap. 1.

XXIV. Spectat ad Metropolitanum in *Concilio* Provinciæ judicare de licentiis à Suffraganeo circa Residentiam datis. *Ibid.*

XXV. Spectat ad eumdem in eodem *Concilio* de minoribus causis Suffraganeorum criminalibus judicare, vel deputare, qui eas terminet. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 5.

XXVI. Dum occurrit difficilis abusus circa Miracula, Reliquias, Imagines, extirpandus, vel gravior de iisdem rebus Quæstio, Metropolitani & Comprovincialium in *Concilio* Provinciali sententiam expectare debet Episcopus. Decreto II. Sess. XXV.

XXVII. Dum Capitulum concordare nequit in conferendis Beneficiis per culpam Episcopi ad se devolutis, à Metropolitano conferuntur. *De Elect. Cap.* 7. Nulla in Gallia devolutio ab Episcopo ad Capitulum.

XXVIII. Consuetum juramentum à Suffraganeis exigere poterat. *De Majorit. & Obed.* Cap. 13.

Cùm ex benemultis Archiepiscopi in Suffraganeos, Suffraganeorumque subditos, utroque præcedenti paragrapho collectis Juribus, paucissima sunt quibus in Gallia potiatur Archiepiscopus, visum est in Gallorum gratiam tertium adjicere paragraphum in quo de istis Juribus seorsim agatur.

§. III.

De Juribus, quibus apud Gallos fruitur Archiepiscopus in Suffraganeos, Suffraganeorumque subditos.

REGULA I.

Ex omnibus utroque præcedenti paragrapho collectis Juribus, non aliis apud Gallos potitur Archiepiscopus quàm istis.

I. Jus Beneficia conferendi ab Episcopo negligente intra tempus præscriptum. Hinc fluit Jus conferendi Beneficia ab Episcopo injustè denegata, instituendi præsentatos ab eodem injustè repulsos, concedendi approbationem proviso Apostolico, quam Episcopus injustè denegat, quæque *Visa* vocitari solet.

II. Appellationes ab illo recipiendi, easque judicandi jus.

III. Jus incedendi per Provinciam Cruce ante se delata.

IV. Jus convocandi *Concilia* Provincialia, illisque præsidendi.

V. Jus recipiendi Bullas Jubilæi, easque mittendi Suffraganeis.

VI. Jus concedendi Indulgentias per totam Provinciam, cujus usus rarissimus circa illa jura, aliaque Archiepiscopo concessa vel sublata à *Concilio* TRIDENTINO. Vide *Commentaria Cleri Gallic*. TOM. II. *Tit.* 2. ubi notatur Galliæ usus hac de re.

Appendix altera circa Jurisdictionem Ecclesiæ tàm in specie quàm in genere consideratam.

CAPUT UNICUM.

De mutationibus circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam.

Circa mutationes de quibus Caput, tria sunt discutienda: I. Quæ sint illarum præcipuæ? II. Undè ortæ sint? III. Quis modus hujusmodi mutationes impediendi?

§. I.

Quæ sint præcipuæ mutationum, quæ circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam acciderunt?

REGULA.

Non alia Major accidit mutatio circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam, quàm quod ut olim omnes ferè causæ ad Forum Ecclesiasticum trahebantur, nunc ad Sæculare trahantur.

Primum factum constat, ex eo quod mutatio de quâ Regula, omnes alias comprehendat, istæque ad illam reducantur.

Secundum factum quod Regula continet, patet ex Regulis, & Indice circa Canones abrogatos.

§. II.

Quæ sit origo mutationum circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam?

REGULA.

Non aliæ sunt causæ istarum mutationum quàm quæ sequuntur.

I. Male intelligebatur Regula Juris, quæ sic concipitur: *Plus semper continet quod est minus*; aliave isti similis, his concipienda verbis: *Minus in Majori continetur*: quæ restringendæ sunt ad casus, in quibus majus & minus sunt ejusdem speciei, quale non est spirituale erga temporale. Hinc fiebat quod judicaretur, cognitionem de temporali ad eum pertinere ad quem pertinet cognitio de spirituali. Hinc cùm Judex Ecclesiasticus Judice Laïco ratione Statûs Superior sit, illum istius defectum supplere posse & debere credebatur. *De For. Compet.* Cap. 8. 10. 11.

II. Quæ verè temporalia erant, aliàs spiritualia judicabantur ratione alicujus circumstantiæ spiritualis, qualis est vel peccatum, vel juramentum; nunc autem quæ verè spiritualia sunt, temporalia judicantur ratione alicujus circumstantiæ temporalis, talis est; 1. Possessio quæ cujuscumque sit, ut temporalis judicatur: 2. Læsio boni publici: 3. Infractio Legis Sæcularis, aliæve similes.

III. Nimium extendebatur ista Juris Regula: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Cap. 3. *De Judiciis*: Hinc causæ omnes Matrimoniales, necnon & Beneficiales ac Judicem Ecclesiasticum spectabant, quia vinculum Matrimonii, quod est res spiritualis, & ad Judicem Ecclesiasticum spectans, est id quod in Matrimonio principale est, cætera ut accessoria habentur: Idem dicendum de officio propter quod datur Beneficium, est enim quid spirituale, & in Beneficio principale, ideòque alia, quæ in eo sunt, reputantur accessorium.

Nunc citata Juris Regula restringitur erga Judicem Ecclesiasticum ad casus, in quibus accessorium est ejusdem generis ac principale. At in judiciis sæcularibus accessorium plerumque trahit ad se principale.

IV. Olim quæcumque prohibebantur à Canone, hæc à Judice Ecclesiastico, Canonis Executore, judicabantur; nunc quæcumque vetantur à Lege Judicis Sæcularis, qui est Legis Executor, cognitioni subduntur.

V. Pœnæ spirituales, quæ sunt à Canone ad quædam crimina punienda sufficientes olim credebantur; nunc temporales quæ sunt à Lege, ad id necessariæ putantur; ac propter mox dictam rationem de his criminibus olim Judex Ecclesiasticus solus cognoscebat, nunc de his Judex Laïcus etiam judicat.

VI. Multum attendebatur ad personam rei, sive defensoris; quando enim erat Ecclesiastica, actiones illius, necnon & res, personæ privilegio gaudebant, ac proinde à Judice Ecclesiastico judicabantur; nunc actio & res in se considerantur, undè si sint sæculares, à Judice Sæculari judicantur. *Cap.* 15. 16. CAUS. XI. QUÆST. I. in quibus causarum ad utrumque forum pertinentium distinctio à sola personarum qualitate desumitur.

VII. Pietas Judicum Ecclesiasticorum singularis, magnusque quo ardebant erga justitiam zelus, movebant ut eorum judicio causæ, quæ ad illud non pertinebant, subderentur; vitia verò his virtutibus opposita, causis spoliarunt ad ipsorum forum spectantibus; unde quod timuerat INNOCENTIUS III. evenit. *De Judiciis.* Cap. 17.

VIII. Nonnulli Principes Ditiones suas Sedi Apostolicæ subjecerant; hinc illorum subditi istius Jurisdictionem in temporalibus agnoscebant: Unde illos in rebus temporalibus, à Jurisdictione temporali certis casibus dispensabat; quæ isti fecerant, Successores revocarunt; hinc decrevit Ecclesiæ Jurisdictio. Cap. 17. *De Foro Compet.*

IX. Nonnullæ res, quæ ut Sacræ consideratæ, Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjiciebantur, nunc aliter consideratæ Jurisdictioni Laïcæ subduntur. Tales autem sunt ultimæ voluntates, de quibus cognoscebat aliàs Judex Ecclesiasticus, quasque executioni mandari curabat; nunc verò utrumque ad Judicem Laïcum pertinet.

X. In Tribunali Sæculari citiùs finiuntur lites quàm in Tribunali Ecclesiastico; cùm in isto necessariæ sint ad minus tres sententiæ conformes, ut lis finiatur; in illo verò una sufficiat, si sit Supremum Tribunal, vel duæ, si non sit Supremum. Dictum est ad minus, quia ubique determinatum non est ut tres sententiæ conformes sufficiant. *De Appell. Cap.* 65. Præterea ad habendas tres conformes sententias, quinque sæpiùs necessariæ sunt.

XI. Jus, vel obligatio protegendi nonnullas personas in jus de illarum causis judicandi conversum erat; undè cùm miserabiles personæ, quales inter alias viduæ, sint ab Ecclesia protegendæ, judicium de viduarum causis Judex Ecclesiasticus sibi vindicabat, *De For. Compet. Cap.* 15. etiamsi præeminentis essent Dignitatis.

§. III.

Quis modus impediendi mutationes circa Jurisdictiones Ecclesiasticam & Sæcularem invicem comparatas?

REGULA.

Mutationes, de quibus paragraphus, congruentioribus modis impediri nequeunt quàm istis.

I. De-

I. Determinandum est, quæ sint habenda merè spiritualia, quæ merè temporalia, atque ut facilè simul, ac justè fiat ista determinatio, ex rerum natura petenda est.

II. Quæ merè spiritualia judicabuntur, ita reservanda sunt Judici Ecclesiastico, ut nullo in casu Judex Sæcularis de iis cognoscere queat: Quæ merè temporalia judicabuntur, ita reservanda sunt Judici Sæculari, ut Judici Ecclesiastico iis se immiscere nunquam liceat.

III. Quæ mixta, *id est*, partim spiritualia, partim temporalia, in Tribunali mixto, *id est*, in quo sint tot Judices Ecclesiastici quot Laici, judicanda sunt, vel pro persona rei assignanda sunt vel Judici Ecclesiastico, vel Laico. 1. Si persona sit Ecclesiastica, qualis habenda, quæ in Ordine Sacro, vel in Beneficio constituta, vel Regularis, qualis censenda, quæ Religionem professa est. 2. Si Laica, qualis, quæ nec Ecclesiastica, nec Regularis.

Pars Quinta.

De Vicario & Officiali.

Finitis quæ dicturi eramus de Jurisdictione tàm in genere, quàm in specie, nunc nobis tractandum est de Vicario & Officiali Generali, ad cujus officii explicationem de Jurisdictione egimus.

Circa Vicarium & Officialem videbimus,

I. Quid sit Vicarius? Quid sit Officialis? Et quibus aliis nominibus insigniantur?

II. In quo Canon illos distinguat?

III. A quo tempore hæc distinctio exprimatur in Canone, quandiu duraverit?

IV. Quis possit Vicarius vel Officialis constitui?

V. A quo possit constitui, & quibus in casibus constitui debeat?

VI. Quæ & qualis sit ejus Jurisdictio?

VII. Quandiu duret?

VIII. Quis honor ei debitus?

IX. Quid illum posse, vel non posse exprimat Canon.

Sed priùs notandum est I. Vicarios Parochorum esse in foro interno, quod Vicarii Ordinariorum sunt in foro externo; nam sicut sunt Vicarii Parochorum, quibus committitur tota potestas istorum, & per totam Parochiam; sunt alii, quibus aliqua pars tantùm committitur, quales sunt, qui vocantur *Succursales*, quibus pars aliqua Parochiæ conceditur; ita sunt Vicarii Ordinariorum, quibus tota illorum Jurisdictio transfertur, quales sunt Vicarii Generales; sunt alii, quibus pars aliqua solùm transmittitur, quales foranei.

II. Hic non agi nisi de Vicariis Generalibus.

III. In Canonibus, qui in Corpore Juris inseruntur, longè seriùs patere Officialis quàm Vicarii nomen, cum istud apud Gratianum legatur. *Can.* 22. Caus. XVI. Quæst. VII. desumpto ex *Concil.* Hispalensi II. *celebrato anno* 619. *Caput* verò 1. in quo legitur Officialis nomen eo sensu quo hic sumitur, sit *Caput* 3. *De Institutionibus*, desumptum ex Alexandro III. ad Pontificatum evecto anno 1159.

Caput I.

Quid sit Vicarius & Officialis, quibus aliis nominibus in Jure insigniantur?

Regula I.

Vicarius est, qui vices alterius agit; Officialis verò, qui alterius nomine ejus officio fungitur. *De Præsumpt.* Cap. 6. *Toto Tit. De Vicario De Instit.* Cap. 3.

Regula II.

Vicarius & Officialis non aliis in Jure nominibus insigniuntur quam istis.

I. Dicuntur Procuratores. *De Voto & Voti &c. Tom. II.* Cap. 11. *De Procur.* Cap. 9. *De Offic. Archid.* Cap. 2. *in* 5. *Collect.*

II. Coadjutores & Cooperatores. *De Offic. Ordin.* Cap. 15.

III. Oeconomi Dist. LXXXIX. Cap. 2. 4. Caus. IX. Quæst. III. *Cap.* 3. Sed præcipuè *Cap.* 21. Caus. XVI. Quæst. VII. in quo Oeconomus, de quo alii Canones loquuntur, dicitur Vicarius Episcopi, ac in Ecclesia judicare, de eodem enim loquitur, nimirùm de illo, quem *Concilium* Calcedonense constitui jussit, ac proinde alios Canones exponit. Jam notatum ex *Conc.* Hispalensi desumi ann. 619.

IV. Vice Domini & Majoresdumus Dist. LXXXIX. Cap. 2.

Nota quod nonnulli Doctores loquentes de nominibus, de quibus hic agitur, citant *Cap.* 2. *De Regul.* desumptum ex *Concilio* Moount. Hoc autem Caput ad propositum non facit, cùm missi dominici nomine quo Vicarium vel Officialem significatum volunt, non Officialis Episcopi, sed Regis intelligatur, sicuti non pauca hujus temporis testimonia demonstrant, quorum nonnulla habes in Capitularibus Regum Franciæ.

Caput II.

In quo Canon Vicarium ab Officiali distinguat?

Regula.

Canon Vicarium ab Officiali in aliis non distinguit quàm in istis.

I. In eo quod Vicarius vices gerat in spiritualibus; alius verò in temporalibus. *De Temp. Ordin. in* 6. Cap. 3. §. *Inferiores.* § *Episcopo*, in quibus insinuatur non pertinere ad Officialem ut det dimissorias; quia hæc facultas est spiritualis, atque hac de causa Vicarium Generalem id posse.

II. Quæ sunt Jurisdictionis Voluntariæ tribuit Vicario Generali; quæ verò sunt Jurisdictionis Necessariæ seu Contentiosæ, Officiali.

Primum infertur ex eo quod *Caput citatum* tribuat Vicario facultatem dandi dimissorias: *Caput* verò 3. *De Vicario Generali in* Sexto tribuat eidem Vicario potestatem conferendi Beneficia quodam in casu: Hæc autem duo sunt Jurisdictionis Voluntariæ.

Secundùm patet ex eo quod *Capita* 1. 2. *De Off. Vicar.* Cap. 1. *De Suppl. Neglig. &* Cap. 1. *De Offic. Ordin. in* 6. tribuant Officiali causarum cognitionem, judiciumque, nec non criminum punitionem: *Caput* verò 2. *De Offic. Vicar. in* 6. eidem tribuat facultatem inquirendi, corrigendi, puniendi, amovendique ab Officiis & Beneficiis, quodam in casu. Hæc autem omnia ad Jurisdictionem Contentiosam spectant.

Ex utroque discrimine sequitur Vicarium Officiali præeminere, cùm spiritualia præstent temporalibus; atque etiam Jurisdictio Voluntaria Contentiosâ nobilior sit, cùm magis respiciat spiritualia quam temporalia: Contentiosa è contra ampliùs versetur circa temporalia quàm circa spiritualia.

Ex secunda, quæ in Jure exprimitur inter Vicarium & Officialem differentia, complures aliæ nascuntur; nempè quæcumque inter Jurisdictionem Voluntariam & Contentiosam intercedunt, de quibus *prima Parte Tit.* 2. *Regul.* 2.

Caput III.

A quo tempore prædicta distinctio exprimatur in Canone; an ex quo cœpit, in eo semper duraverit?

Regula.

Ante Sextum Decretalium non visa est in Corpore Juris Canonici memorata distinctio, nec hæc ex quo cœpit in eo semper duravit.

Patet Regulæ prima Pars ex eo quod non sunt alia Juris Canonici loca in quibus pareat hæc distinctio præter

citata, quæ ex Sexto desumuntur. Secunda Pars constat ex eo quod *Concilium* Tridentinum passim Vicario Generali tribuat, quæ sunt Officialis, ut *Capita* 1. 2. 3. 4. Sess. XIII. Cap. 16. Sess. XXIV. insinuat has voces *Officialis*, *Vicarius*, esse synonimas his verbis *Officialem* seu *Vicarium*.

Nota obiter, eo etiam tempore, quo vigebat hæc distinctio, quæ Vicario Generali propria sunt, Officiali tribui; nam *capite* 3. *De Off. Vicar.* de Officiali dicitur Beneficia conferre posse quibusdam in casibus, quod Vicario Generali peculiare est.

Caput. IV.

Quis possit Vicarius vel Officialis constitui?

Regula.

Non alia docet Canon circa Quæstionem propositam quàm ista.

I. Laicus nequit Vicarius nec Officialis constitui. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 22.

II. Subdiaconus potest constitui Vicarius vel Officialis, non solùm Episcopi, sed etiam Papæ. Dist. XCIV. Cap. 1.

III. Constituendus Vicarius vel Officialis debet esse Doctor, vel Licentiatus in Jure, & aliàs, quantum fieri potest, idoneus. *Concil.* Trid. Cap. 16. Sess. XXIV. *De Ref.* Servatur in Gallia *Edicto* 1680. quoad Officialem, de quo solo loquitur.

Hinc infertur quod Jure Novo debeat esse Presbyter, quando talis haberi potest. Dicitur, Jure Novo, quia Jure Veteri non Presbyterum, ad hæc Officia eligere fas erat; huc facit *Caput* 41. *De Offic. Jud. Deleg.*

Nota I. in Gallia Vicarium & Officialem debere esse 1. Presbyterum. 2. Licentiatum, sive in Jure, sive in Theologia. 3. Sæcularem, non Regularem. 4. Gallum, non extraneum. *Edict.* Bles. *Art.* 45. *Edict.* 1680. Fevret *L.* 4. Cap. 4. *n.* 6. Henrici II. *Edicto* 1554.

Nota II. hoc in Regno tolerari ut Regularis fit Vicarius Generalis, sive fit Mendicans, sive non; sed non tolerari ut sit Officialis, sive sit ex non Mendicantibus, sive ex aliis.

Nota iterum Gallicanum usum de quo Articulus tertius, confirmari posse Clementina I. *De Regularibus*, quæ ab omni Officio curam animarum habente removit Regulares Mendicantes, etiam qui transierunt in Ordines non Mendicantium, nisi de his sint, quibus Sedes Apostolica generalem ad hujusmodi Ordines transeundi licentiam concessit.

Usum verò, de quo Articulus secundus, confirmari posse *Canonibus* 12. 13. Dist. LXI. qui docent extraneos non eligendos, nisi in casu necessitatis, nempe cùm desunt indigenæ idonei.

Caput V.

A quo possit Vicarius & Officialis constitui? Quibus in casibus constituendus sit, & quomodo?

Regula I.

Ab omni habente Jurisdictionem Ordinariam Vicarius & Officialis constitui potest, sed constitui ab aliis in Canone non apparent quam ab istis, qui sunt.

I. Papa. *De Off. Vicar.* Cap. 5.

II. Patriarcha, non solùm in sua Ecclesia, sed etiam in Ecclesia Metropolitanorum sibi subditorum, si isti negligant. Dist. XCIII. Cap. 26. Caus. IX. Quæst. III. Cap. 3.

III. Metropolitanus, nedum in sua, sed in Ecclesiis Suffraganeorum suorum, si isti neglexerint. *Eod.* Cap. & Cap. 1. *De Suppl. Negl.* Cap. 1. *De Offic. Ord.* Cap. 1. *De Off. Vic.* Cap. 3. Caus. IX. Quæst. III.

IV. Quod de Episcopo locis citandis dicitur, extendendum ad omnes, qui Jurisdictione quasi Episcopali in suis Beneficiis potiuntur, quales nonnulli Cardinales & Abbates; idque quia isti habent id ratione cujus Vicarii constitui possunt ab Episcopo. *De Consuet.* Cap. 2. *in* 6. *De Instit.* Cap. 5. *Et passim alibi.*

V. Archidiaconus. *De Solutionibus.* Cap. 3. *De Novi Operis Nuntiatione. Cap.* 3. In Gallia Archidiaconi non habent amplius Officiales.

Regula II.

Ut qui ratione Dignitatis Vicarium constituere potest, id præstare valeat, sufficit ut sit electus, & confirmatus, vel literas acceperit electionis, & confirmationis vim habentes. Vide Regulam IV. *Capitis* 4.

Regula III.

Vicarius vel Officialis Episcopi non potest constitui nisi ab istis.

I. Ab Episcopo. *De Off. Ord.* Cap. 14.

II. A Capitulo, Sede Vacante. *Concil.* Trid. Sess. XXXIV. Cap. 16.

III. Ab Archiepiscopo, dum Capitulum negligit. *Ibid.* & Cap. fin. *De Suppl. Negl.*

IV. Ab eodem, si Episcopus negligat. Caus. IX. Quæst. III. Cap. 3.

Canon enim iste de Vicario intelligi potest, ut suprà dictum est *Capite* 2. Regula II. *n.* 3.

Regula IV.

Constituendus est Vicarius ab Episcopo, quoties perseipsum Officium suum implere, vel rectè implere non valet.

Infertur ex locis mox citandis.

Hinc constituendus est: I. Quando eidem Episcopo subsunt populi diversarum Linguarum, necnon morum & rituum. *De Off. Jud. Ord.* Cap. 14.

II. Quando tot, tantæque Episcopi occupationes sunt, ut illis exercendis (*ut par est*) solus non sufficiat. *Eod. Tit.* Cap. 15.

III. Si ægrotat vel graviter vel frequenter. *Cap.* 15. *cit.*

IV. Si ad longum tempus à Diœcesi sua abesse cogatur. *De Voto & Vot.* Cap. 1 t.

V. Si subditæ sibi Parochiæ diversis subsint Superioribus, Curiis vulgò *Parlamentis* nuncupatis. Istud Gallis peculiare *Edicto* Francisci I. *ann.* 1542. *Edict.* Molin. *Art.* 76. 1566.

Regula V.

Ad constituendum Officialem, qui causas judicet, cogi potest Episcopus, aliàs non impeditus, ne per seipsum de illis cognoscat, idque nedum Jure Gallicano, sed & Jure Communi.

De Jure Communi constat ex *Canonibus* 2. 4. Dist. LXXXIX. Cap. 3. Caus. IX. Quæst. III. Cap. 22. Caus. XVI. Quæst. VII. simul junctis aliis per alios expositis.

De usu Gallicano patet ex inveterato usu, de quo fidem faciunt viri hac in re versatissimi.

Regula VI.

Scripto constituendus est Vicarius, non verbo. Idem de Officiali dicendum.

Infertur ex *Capite* 9. *De Procurator.* loquente de Vicario Generali literis non verbo constituto. Infertur ex *Capitibus* 2. 3. *De Offic. Vic. in* 6. quæ docent quædam Vicario licere vi generalis commissionis, alia non licere nisi specialiter committantur, judicate autem vix potest, nisi commissio sit generalis, aut specialis ad hoc.

Nota circa Regulam sextam, Vicarium nedum literis constituendum, sed & literas istas muniendas esse sigillo & subscriptione Constituentis, à testibus duobus fide dignis subscribendas, & apud acta insinuandas. Pastor. *L.* 1. *De Benef. Tit.* 11. *n.* 2. *Edicto Insinuationum* 1691.

Caput

Caput VI.

Quæ, & qualis Vicarii & Officialis Jurisdictio?

Regula I.

Jurisdictio Vicarii & Officialis, quantum ad amplitudinem, pendet à voluntate Constituentis per commissionem quam Constituto dat manifesta, sed vulgò eadem paucis exceptis quàm Constituentis. *De Off. Vic.* Cap. 2. *&* 3. *in 6. De Consuet. in 6.* Cap. 2.

In Gallia fallit Regula quoad Officialem, cujus potestatem pro voluntate sua restringere nequit Episcopus.

Nota Episcoporum Officiales illorum vices olim gessisse, non solùm in causis Ecclesiasticis judicandis, sed etiam in administrandis Episcopatûs temporalibus. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 22. *De Procurator.* Cap. 9. *De Temp. Ord.* Cap. 3. §. *Episcopo. in 6.* Nam primus Canon, qui de illo loquitur, Officiali tribuit tàm administrandi quàm judicandi potestatem. Secundus eidem tribuit facultatem agendi in Judicio contra bonorum Episcopalium detentores, & respondendi in eodem judicio contra illum agentibus. Tertius Officialem à Vicario in eo distinguit, quod iste in spiritualibus vices gerat, ille verò in temporalibus: Hinc amplior erat Officialium potestas quàm nunc sit.

Nota iterum ex eadem Regula prima sequi, Officialis Jurisdictionem limitari posse variis modis; nempe I. Constitutione Officialis foranei, quâ Officialis principalis cognitione causarum quarumdam locorum in prima instantia privatur. II. Constitutione alterius Officialis principalis, qui possit cum altero concurrere, illumque prævenire, vel cui causarum non modicæ Diœceseos partis cognitio demandetur, remota ad alterum appellatione. III. Si Officialis Metropolitani Episcopi sit constitutione Officialis, qui appellationis causas judicet, sive in Civitate Metropolitani, aliòve Metropolitani Diœceseos loco, sive in Diœcesi Suffraganeorum. De prima limitatione fit mentio in Clementina II. *De Rescript.* De secunda, *Cap. 9. De Procurat.* Cap. 14. 15. *De Off. Jud. Ord.* De tertia, *Cap. 1. De Off. Jud. Ord. in 6.*

Regula II.

Jurisdictio Vicarii & Officialis est Ordinaria. *Glos. in* Verbo *Vicarium* Cap. 14. *De Offic. Jud. Ord. Glos. in casu* Capitis 4. *De Deleg. in 6.* Infertur etiam ex *Capite* 2. *De Consuet.* in quo habetur quod eadem sit Vicarii & Episcopi Jurisdictio. Infertur quoque ex *Capite* 2. *De Offic. Leg. in 6.* in quo Legati, qui aliud non est quàm Papæ Vicarius & Officialis in Legationis Ditione Jurisdictio Ordinaria esse dicitur. Ex *Capite* 7. *De Off. Ord. in 6.* & ex *Cap.* 5. Sess. VII. *De Ref.* in quibus Ordinarii nomine tàm Vicarius quàm Episcopus intelligitur.

Sunt qui sentiant Vicarii Jurisdictionem esse Ordinariam quoad ea quæ generali commissione comprehenduntur; quoad alia verò quæ speciali egent commissione Delegatam esse; sed falli palàm est, nam Delegatio non fit ad omnes ejusdem generis causas, sed ad hanc vel ad illam. Præterea in istis appellari posset à Vicario ad Episcopum, quod factum non auditum.

Ex duabus his Regulis sequitur, non posse appellari ab Officiali alicujus ad ipsum; nam si Jurisdictio Officialis sit Ordinaria, eademque ac ipsius cujus est Officialis, oportet ut cùm sit idem utriusque Auditorium, nequeatque ab eodem ad eumdem appellari, ab Officiali ad Constituentem appellari non possit: Hinc Regula sequens in Canone habetur.

Regula III.

Non valet Consuetudo quantumcumque vetusta, quod ab Officiali Episcopi ad Episcopum appelletur.

Meminisse oportet nos loqui de Vicario Generali, non de Vicario foraneo, cujus licèt sit Ordinaria Jurisdictio, non ad totam Constituentis Ditionem extenditur, sed ad certa illius loca restringitur, causâsque nonnullas; unde Delegato similior est quàm Ordinario, ideóque sicut ab isto ad Delegantem appellatur, ita à Vicario foraneo ad ipsum Constituentem, ipsiúsve Officialem. *Glos. in casu* Capitis 2. *De Consuet. in 6. & in* Verbo *Officialis* ejusd. Capitis.

Caput VII.

Quamdiù duret Vicarii & Officialis Jurisdictio?

Regula I.

Jurisdictio Vicarii & Officialis durat, donec revocetur à Constituente Vicarium & Officialem, atque, ut par est, sibi revocatio significetur, vel donec Jurisdictionem Constituens amittat.

Prima Pars infertur ex *Capitibus 6. 7. De Deleg. in 6.* Secunda verò infertur ex *Capite* 1. *Ne Sede Vacante. in 6.* ubi Capitulum succedit Episcopi Jurisdictioni. Nec obstat *Caput* 16. Sess. XXIV. in quo præcipit *Concilium* Tridentinum Capitulo, ut intra octo dies post mortem Episcopi Officialem vel Vicarium constituat, vel existentem confirmet; proindéque videtur supponere Vicarium ab Episcopo constitutum, esse Vicarium post ejus mortem, suamque Jurisdictionem in morte Constituentis non expirasse, nec Vicarium esse desinere, donec novus constituatur, ac consequenter tali constitutione ipse revocetur: Verbum enim *Confirmare* impropriè sumitur, nec aliud significat quàm eumdem Vicarium de novo constituere. Nec obstat etiam Regula XVI. *in* Sexto, quæ sic se habet: *Decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum*: Sensus enim illius est, quod dedeceat Principem Beneficia sua sine justa causa revocare. Peckius *in illam Regulam.* Hinc Jurisdictio Vicarii differt à Jurisdictione Delegati, cùm ista duret quoad cœpta negotia postquam Delegans Jurisdictionem amisit, illa verò desinat omninò cum Episcopi Jurisdictione, quod provenit ex eo quod (*ut dictum est*) Jurisdictio Vicarii sit eadem cum Episcopi Jurisdictione. Nec item obstat *Caput* 2. *De Off. Leg. in 6.* in quo Clemens IV. declarat Legationis Officium non expirare morte Pontificis, hac motus ratione, quia inter Ordinarios reputandus est Legatus; dici enim potest quod etsi Legatus sit Pontificis Vicarius, suamque ex commissione habeat Jurisdictionem, sicut Episcopi Vicarius, Vicariorum Legi hac in re non subjici, tùm propter Dignitatem, tùm propter necessitatem.

Nota circa prædictam revocationis significationem, quosdam illam judicare necessariam, ut Jurisdictio Revocati pereat; alios verò existimare solam ad hoc sufficere revocationem. Hæc autem sententiarum diversitas nasci videtur ex eo quod *Caput* 13. *De Procuratoribus*, ratum declaret quod post Mandati revocationem fit, si à Procuratore & à Judice ignoretur revocatio; *Caput* verò 9. *De Procurator. in 6.* irritum denunciet Matrimonium à Procuratore contractum, post Mandati revocationem, etsi illam ignoraverit. Sed quidquid sit de hac conjectura, sententia prior aliis præferenda nobis visa est, ex eo quod *Caput* 13. loquatur de Judiciis omnibus, & generale sit; *Caput* verò 9. loquatur tantùm de Matrimonio, & speciale sit; undè prius Regulam, posterius exceptionem continere videatur. Favet nobis Louet in Regulam *De Infirmis. n.* 197. Favet quoque exceptioni ratio, ex eo quod vinculum Matrimonii est perpetuum, & debet esse maximè voluntarium, & tale est; cesset ex quo Procuratio revocata est ante contractum à Procuratore initum.

Nota inferri posse, Vicarium & Officialem ad nutum revocari posse, ex eo quod istorum Jurisdictio expiret morte Constituentis; nam gratiæ, quæ cum Concedente expirant, ad beneplacitum Concedentis sunt, ut constat de Precariis non onerosis & de Rescriptis gratiæ cum Concedente expirantibus.

CAPUT VIII.

Quis honor Vicario & Officiali debeatur?

REGULA.

Idem honor debetur Vicario & Officiali tenenti locum illius, qui ipsum constituit, ac Constituenti per seipsum agenti. *Cap.* 16. DIST. XCIII. in quo Diaconus Patriarchæ, vel Metropolitani locum tenens, Presbyteros præcedere debere declaratur.

Non servatur in Gallia quoad totam suam amplitudinem; nam Vicarius Metropolitani *Conciliis* Provincialibus non præsidet, etsi in his Metropolitani vices gerat.

CAPUT IX.

Quid Officialem & Vicarium posse, aut non posse exprimat Canon?

Caput hoc hæc duo habet membra: ideò in duos Paragraphos dividemus: A posteriori membro incipiemus, quia cùm didicerimus quid Canon prohibeat expressè Vicario & Officiali, sciemus quid ei permittat saltem tacitè; nam id omne ferè ei permittere quod ei expressè non vetat, præsumendum est.

§. I.

Quid Vicarium vel Officialem non posse exprimat Canon?

REGULA I.

Non alia Canon exprimit Vicario non permissa quàm ista.

I. Vicarius ex commissione generali Beneficia conferre non potest. *De Offic. Vicar. in* 6. Cap. 3.

II. Vicarius Generalis in casibus occultis, Sedi Apostolicæ reservatis, non potest in foro conscientiæ absolvere, nisi sit ad id specialiter deputatus. SESS. XXIV. *De Refor.* Cap. 6.

In Gallia deputatio illa specialis non est necessaria.

III. In Hæresis crimine in eodem foro, nec dicto modo. *Ibidem.* Secùs in Gallia.

REGULA II.

Non alia Canon exprimit Officiali non permissa quam ista.

I. Nihil potest recusatus donec causa recusationis vana judicata sit; hæc autem coram Ordinario probanda est, quia cùm Officialis recusatur, Tribunal non recusatur, sed unus hujus Tribunalis Judex, ideóque est Ordinarii judicare de hac recusationis causa.

Infertur ex *Capite* 5. *De Deleg. in* 6. Quod de Judice recusato, dicitur, in fine *Capitis* 4. habetur.

II. Nihil potest excommunicatus, dum manet excommunicatus, nec per se, nec per substitutum suum, si iste à nullo alio suam accepit Jurisdictionem. *De Offic. Vic. in* 6. Cap. 1.

III. Nihil potest extra loca, intra quæ est constitutus. *De Offic. Vic.* Cap. 5.

IV. Officialis ex generali commissione non potest inquirere, corrigere, punire, ab Officiis Beneficiisve delinquentes deponere. *De Offic. Vic. in* 6. Cap. 2. Secùs in Gallia.

V. Officialis non potest dimissorias literas ad Ordines concedere. *De Temp. Ordin. in* 6. Cap. 3. §. *Inferiores.*

VI. Officialis non potest, dum propè est Archiepiscopus, censuras ferre in Suffraganeum ob reverentiam Ordinis Episcopalis. *De Offic. Ord. in* 6. Cap. 1. §. *Officialis.* In Gallia non sed etiam dum remotus est Archiepiscopus.

VII. Officialis ab Archiepiscopo constitutus pro causis appellationis non potest inhibitiones facere, priusquam ad ipsum appelletur. *De Offic. Ord. in* 6. C. 1.

VIII. Officialis Archiepiscopi non potest extra appellationem Clericos Suffraganeorum, etiam ad id consentientes judicare sine istorum voluntate. *De Foro Comp. in* 6. *Cap.* 1. In Gallia non potest etiam hoc casu, quia PRAGM. SANCT. & *Concordata* vetant judicia, omisso medio.

IX. Officialis Metropolitani non potest appellationem ab Episcopi interlocutoria admittere extra duos casus. SESS. XIII. *De Ref.* Cap. 1.

X. Non potest summariè cognoscere de gratiis Apostolicis, quæ peccatum vel pœnam remittunt. *Ead.* SESS. Cap. 2. In Gallia secùs.

Nota circa hanc Regulam, illa quæ numeris 1. 2. 3. 7. 8. 9. Officiali non licere dicuntur, nec etiam Episcopo permitti; cætera verò Officiali licere si sibi specialiter committantur, si quod legitur *n.* 10. excipiatur. Hæ exceptiones non recipiuntur in Gallia.

Nota iterum, Articulos pro quibus necessaria est specialis commissio uno expresso sub hac clausula generali *Et similia*, cæteros omnes comprehendi posse. Discurrendum enim videtur de Officiali, eodem planè modo quo de Procuratore; cùm (*ut dictum est*) Procurator sit, atqui dum *de Mandato* egimus, diximus illa, quæ specialiter exprimenda sunt uno expresso cum clausula *Et similia*, cætera expressa intelligi.

Nota denuò in Generali Officialis commissione comprehendi quæcumque, de quibus in Jure expressè non dicitur specialiter committenda esse, vel committi non posse, vel quæ ex consuetudine, nec soli Episcopo reservantur, nec specialem exigunt commissionem.

Juxta usus Gallicanos commissio Officialis comprehendere debet quidquid ad Jurisdictionem Episcopi Contentiosam, quia nequicquam de illa Episcopus retinere valet.

§. II.

Quid Vicarium vel Officialem posse exprimat Canon?

REGULA I.

Non alia exprimit Canon Vicario permissa quam ista.

I. Vicarius potest committere vices suas. *Cap.* 1. *De Offic. Vic. in* 6. Loquitur hoc *Caput* de Officiali, sed cùm sit par ratio de Vicario, ad illum extenditur. Vicarius potest committere, si habeat in Mandatis.

II. Vicarius Generalis potest ex speciali commissione Beneficia conferre. *De Offic. Vic. in* 6. Cap. 3.

III. Potest Vicarius Episcopi dare dimissorias, dum iste in remotis agit. *De Temp. Ord. in* 6. Cap. 3. §. *Episcopo.*

IV. Vicarius Generalis visitare potest Diœcesim, Episcopo legitimè impedito. SESS. XXIV. *De Ref.* C. 3.

Potest etiam eodem casu Ecclesias, quæ inferiorum Episcopo Prælatorum Visitationi subsunt, visitare. *Ibid.* Nisi Visitatio illorum reservata sit personæ Episcopi.

V. Professio Fidei Catholicæ facienda intra duos menses ab adepta possessione Beneficii Curati, coram Vicario fieri potest. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 12.

REGULA II.

Non alia exprimit Canon Officiali permissa quàm ista.

I. Officialis Jurisdictionem habet loco Præsulis, cujus est Officialis, ideóque eadem potest præter ea, quæ isti à Canone vel à seipso reservantur. *De Appel.* Cap. 66. *De Verb. Signif.* Cap. 23.

II. Officialis, qui & Vicarius, potest instituere præsentatos ad Beneficium, ideóque etiam Indultariis tàm Regiis quàm aliis, necnon & Graduatis conferre, cùm Collatio hujusmodi æquè necessaria ac præsentatorum Institutio, etsi in graduatis interdum detur locus gratiæ, idem quoque occurrit in præsentatis. *De Instit.* Cap. 3.

III. Officia-

III. Officialis etiam Archidiaconos potest excommunicare. *De Solutionibus.* Cap. 3.

IV. Officialis judicat loco ejus, cujus Jurisdictionem exercet, ideóque præter excepta eadem judicat ac iste. *De Nov. Oper. Nunt.* Cap. 3.

V. Omne negotium Clericorum ab Officiali finiri potest. *Cap. 6. & 15.* Caus. XI. Quæst. I. in quibus dicitur hujusmodi negotia judicanda esse ab Episcopo, vel à Presbyteris, in loco constitutis, quod de Officialibus interpretari licet.

VI. Officialis potest committere vices suas. *De Offic. Vic. in 6. Cap.* 1 Officialis non potest committere nisi inquisitionem, non decretum moribus nostris sine speciali commissione.

VII. Officialis potest ex speciali commissione inquirere, corrigere, ab Officiis, Beneficiisve deponere; ex generali autem, de cunctis civilibus causis cognoscere.

VIII. Officialis Episcopi potest in quolibet Diœcesis loco non exempto pro Tribunali sedere, causas Ecclesiasticas cognoscere, delinquentes coercere, cæteráque quæ suum spectant Officium præstare. *De Offic. Ord. in 6.* Cap. 7.

Potest etiam eosdem delinquentes capere, & carceri deputare. *Ibid.*

Prima Pars hujus numeri locum non habet in Gallia.

IX. Officialis potest dare minori Curatorem ad lites & causas spirituales, & Procuratorem ejus sua autoritate confirmare. *De Jud. in 6.* Cap. ult. *§. Si verò.* In Gallia Beneficiati minores gaudent privilegiis majorum circa causas Beneficiorum.

X. In causis Visitationis, Correctionis, Habilitatis & Inhabilitatis, necnon in criminalibus, potest & debet Officialis appellationes ab interlocutoria tamquam frivolas contemnere, nisi illatum per eam gravamen per definitivam resarciri, vel ab ista appellari non possit. Sess. XIII. Cap. 1.

XI. Causa appellationis ad Papam Officiali committi potest à Papa. Sess. XIII. Cap. 2.

XII. Officialis potest procedere ad condemnationem & depositionem Presbyteri sine requisito à Canone Episcoporum numero, modo sibi adstiterint totidem Abbates, usum Mitræ & Baculi habentes, vel, iis deficientibus, personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ. Sess. XIII. *Cap.* 4. In Gallia assumit Officialis duos vel quatuor Baccalaureos sive Laicos, sive Ecclesiasticos.

XIII. Dum habens privilegium puniendi alienos Clericos contra eos procedere vult, oportet ut Officialis interveniat. Sess. XIV. Cap. 8.

Circa primum Articulum nota I. Illa, quæ à Canone Episcopo reservantur, duplicis esse generis; sunt enim quædam ita reservata, ut Episcopo committi nequeant, talia sunt quæ Jure Communi habentur *Regula* 20. *Tit.* 1. *Part.* 2. Alia verò sunt eo modo reservata, quod delegari possint, talia sunt Jure Communi quæ leguntur *Part.* III. *Tit.* 9. *§.* 1. *num.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 13. Dictum est Jure Communi, quia inter reservata primo modo, sunt nonnulla, quæ Jure Gallicano non sunt eo modo reservata, & inter reservata secundo modo, quædam sunt etiam, quæ eodem Jure non reservantur. Exceptiones istæ citatis locis observatæ sunt.

Nota II. Præter reservata à Canone, alia sibi Episcopos reservare posse; reservationes autem hujusmodi arbitrarias esse; propter reservationem vel Juris vel hominis nonnulla esse quæ Vicarius non potest sine speciali commissione. Secùs in Gallia de Officiali, cujus Officium non subest reservationi. *Ibid.*

Reservatis & non reservatis hoc esse commune, quod quæcumque per longissimum temporis spatium à Vicario, sive commissione generali, sive commissione speciali, fieri consueverunt, ab eodem fieri possint, etsi in commissione non exprimantur; idque quia ab eo quod fieri consuevit, discedere Episcopus non præsumitur voluisse.

Caput X.

An Vicarium Constituenti Vicarii constituti culpâ imputetur?

Utrumque forum respicit Quæstio, internum scilicet & externum; in utroque solutu facillima videtur; sed prius notandum: I. Alienam culpam nemini imputandam nisi conscius fuerit, vel esse videatur.

II. Tantam esse inter Vicarium & Procuratorem, necnon & Compromissarium affinitatem, cùm Vicarius sit Procurator & quodammodo Compromissarius; isti verò sint Vicarii, ut quæ circa istos in simili casu docet Jus Canonicum, Vicario rectè conveniant.

III. Vicarium peccare posse, vel ex negligentia, ut si quæ intra præfinitum à Jure tempus facere tenebatur, prætermittat; vel ex ignorantia eorum, quæ scire tenebatur, qualia sunt, quæ suum spectant Officium; vel ex malitia, ut si corruptus damnet absolvendum, aut absolvat condemnandum.

IV. Vicarii culpam triplici modo imputari posse Vicarium Constituenti, nempè: 1. In jacturam Juris non perpetui, vel ad tempus Vicario commissi, quale Jus eligendi, vel Beneficium conferendi. 2. In reparationem damni à Vicario illati. 3. In pœnam culpæ commissæ Vindicem. *His prænotatis,*

REGULA I.

Si quis Vicarium constituat, quem ad id ineptum existimat, vel existimare debet, Vicarii culpa prædictis modis Constituenti imputanda est: talem autem judicare debet, qui à prudentibus, piisque viris talis judicatur. *De Elect. in 6.* Cap. 37.

REGULA II.

Constituenti Vicarium, quem ad id idoneum existimare debet, sola Vicarii culpa imputatur quæ ex negligentia oritur, atque in solam Juris commissi jacturam. *Ibid.*

Regulæ Prioris Ratio: Vicarii culpæ conscius est, qui eum hoc casu constituit; est enim culpa ista velut rivulus infectus ex fonte infecto, ideóque cùm ad restitutionem teneatur, qui damno, quod infertur, cooperatur, ut ostensum est dum *De Restitutione.* Cùm consentientem & facientem par pœna constringat, jacturâ verò commissi Juris etiam sine culpa incurri possit; non immeritò imputatur Vicarii culpa, Vicarium inidoneum prædicto casu Constituenti.

Regulæ Posterioris Ratio: Vicarium Constituens hoc casu Vicarii culpæ conscius non est; nullum enim est in electione vitium. Undè cum pœna culpæ Autorem tenere debeat, ut rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, *Cap.* 2. *De Constit.* hoc casu injustè imputaretur Vicarii culpa Prælato, qui illum constituit, tàm quoad punitionem quàm quoad restitutionem.

Si verò imputetur quoad Juris commissi jacturam, ad id cogit Ecclesiarum vacantium necessitas; multùm siquidem refert ut sine Rectore diutiùs non remaneant. Hinc si Vicarius, sive idoneus, sive inidoneus à sapientibus judicatus, intra præfixum à Jure tempus eligere negligat, aliove Beneficiis modo providere, commissum Vicario Jus hujusmodi amittit, qui commisit; sed si Vicarius non indignus à sapientibus judicatus indignum eligit, eligendi jus ad illum, qui Vicarium constituit eo ipso revertitur, latamque contra eligentes indignum pœnam non incurrit; secùs si qui indignus habebatur, Vicarius constitutus sit. Hinc si Vicarius non indignus judicatus alicui damnum sine justa causa inferat, vel citatione, vel sententia injusta, ad restitutionem solus tenetur; secùs si Vicarius electus fuerit, qui ad id inidoneus à viris probis, prudentibusque judicaretur.

Nec obstat I. *Caput* 13. *De Procurat.* in quo insinuatur Mandanti Procuratoris dolum imputari. Id enim

fit, quia doli hujus conſcius, atque etiam approbator judicatur.

Nec obſtat II. *Cap.* 2. *De in integr. Reſtitut.* in quo Eccleſia reſtituitur contra damnum ſibi illatum ex negligentia Procuratoris. Nam præterquam quod Eccleſia ut minor habetur, eodémque quo iſte gaudet privilegio; agitur hîc de Jure perpetuo non de temporali, quod amittunt negligentes ut Eccleſiis citiùs provideatur, aliudve ſimile commodum Religioni accedat.

Nec obſtant III. *Cap.* 20. 22. 26. *De Elect.* & Cap. 18. *De Elect.* in SEXTO, in quibus indignum ad Epiſcopatum eligentes, eligendi jure pro hac vice privantur, & iſtud jus ad Papam devolvitur. Non enim hinc ſequitur quod quando Vicarius non Vicariatu indignus reputatus, ad Dignitatem Eccleſiaſticam indignum eligit, is cujus eſt Vicarius, jus eligendi pro hac vice perdat, cum privatio iſta ſit pœna, pœnam autem ſubire non debeat, qui culpa caret, qualis cujus Vicarius ſic deliquit.

Quam ſententiam illuſtrare ac confirmare licet per *Cap.* 8. & 32. *De Elect.* Docent enim Electores, qui jus tranſmiſerunt in compromiſſarios, non teneri ad Electum ab illis admittendum, niſi ſit idoneus, idque patet ex clauſula *ſi ſit idoneus*, vel *ſi ſit dignus*, quâ reſtringunt Mandatum, quo jubent Electoribus ut Electum à Compromiſſariis recipiant; hac enim clauſula inſinuant, ad id illos non teneri, deficiente clauſulæ veritate. Ratio autem hujus reſtrictionis eſt quod in compromiſſo ſubintelligatur conditio, quæ prædicta clauſula continetur, quæ ratio locum habere videtur in commiſſione Vicarii & Officialis, cùm æquum ſit, ut in illa ſubintellecta cenſeatur clauſula: *De recta adminiſtratione*, ſive *de rato non habendo quæ male gerentur;* hoc autem eo veroſimiliùs quod Vicarius compromiſſario æquiparetur.

Nec opponi poteſt privationem Juris eligendi, quam incurrit, qui intra legitimum tempus non eligit, pœnam eſſe, cum privationi iſti non ſubjiciatur legitimè impeditus, nec qui Beneficium vacare ignoravit; ſed is ſolùm, qui cùm ſciat & poſſit, eligere negligit; attamen ſi Vicarius intra tempus non eligat, is cujus Vicarius eſt, jus ſuum amittat; nam conſtitutio, quâ qui intra tempus legitimum non eligit, eligendi jure privatur, facta eſt potius, ut Eccleſiis vacantibus citiùs provideatur, quam ut negligens puniatur, conſtitutio autem, quæ indigni Electorem jure eligendi privat, condita maximè videtur, ut reus puniatur, ac in eo in quo deliquit.

CAPUT XI.

An ea quæ ſupra dicta ſunt de Vicario Generali, locum habeant in Vicariis Papæ?

Plures ſunt quærendi cauſæ, an huc uſque dicta de Vicario Generali locum habere poſſint in Vicariis Papæ. Prima; in iis omnibus Vicariorum hujuſmodi nulla facta expreſſa mentio. Secunda; quæ dicenda erant, reſtricta ſunt ad Juriſdictionem Epiſcopi, Metropolitani, Primatis & Patriarchæ, quæ alius generis eſſe videtur à Juriſdictione Papæ, cùm ſit iſta ſumma, ſuprema, univerſa, ac extraordinaria, quod aliis non convenit, undè alias habere Regulas præſumendum eſt. Tertia; non apparet quod Papa unquam habuerit Vicarios Generales, aut nunc habeat, cùm ad id requireretur, ut aliquibus conceſſiſſet poteſtatem per totam Univerſalem Eccleſiam, cujus conceſſionis nullum extat exemplum. Ex altera Parte refert non pauca ſcire an Vicarii Papæ conveniant cum Vicariis Generalibus, de quibus dictum eſt, an verò ab his differant, & in quibus?

Cùm hinc ergo pateat propoſitam quæſtionem neceſſariam, utilémque, libentes tractandam ſuſcipimus, atque ad illius deciſionem ſtatim advertimus: I. Vicariorum Papæ diverſa diſtingui genera; alii enim Romæ conſtituuntur; alii extra Romam, ſed intra terras Eccleſiæ Romanæ; alii extra illas terras. De Vicario Papæ in Urbe Romanâ conſtituto agit *Cap.* 5. *De Officio Vicarii*, docetque illius Juriſdictionem contineri intra Urbem, niſi aliud ſit ei ſpecialiter conceſſum, præſertim cùm Papa moratur in ſpeciali Provincia ſua, quæ eſt inter Capuanam & Piſanam: Unde conſequitur non convenire hujuſmodi Vicarium Papæ cum Vicario Generali, de quo actum eſt; Juriſdictio enim iſtius extenditur per totam Diœceſim, quantùm ad Juriſdictionem Voluntariam, & per totam Provinciam, aut Primatiam, quoad Juriſdictionem Contentioſam, ſi agatur de Vicario Metropolitani, vel Primatis, qui ſimul ſit Officialis. Juriſdictio autem prædicti Vicarii Papæ limitatur, quantùm ad utrumque genus Juriſdictionis, ad partem Diœceſeos, vel ſaltem Provinciæ illius, cujus eſt Vicarius & Officialis ſimul. Is autem Vicarius nunc ſumitur è numero Cardinalium, & perpetuus eſt, ita ut nec etiam à Succeſſore ejus, qui illum elegit, revocari poſſit; in quo poſtremo à Vicario Generali, de quo actum eſt, maximè differt, cùm iſte revocari poſſit ad arbitrium Conſtituentis. Sub Titulo *De Officio Legati* duo extant Textus, qui loquuntur de Vicariis Papæ extra terras Romanæ Eccleſiæ, nempè *Cap.* 1. & *Cap.* 7. In priori ſermo ſit de Vicario Papæ per totam Angliam, is erat Archiepiſcopus Cantuariæ, vices agens Summi Pontificis in toto hoc Regno, quo nomine cognoſcere poterat de quibuſcumque cauſis in prima inſtantia per querimoniam, & in aliis per appellationes etiam ab aliis, quàm à Suffraganeis, interjectas.

In poſteriori agitur de Vicario Papæ per totum Regnum Galliæ, & per Provincias VIENNENSEM, LUGDUNENSEM & BISUNTINENSAM, quæ tunc ad illud non pertinebant; Recenſemus autem hic Legatum inter Vicarios, idemque facimus in ſuperiori Capite, quia Legatus vices gerit Summi Pontificis in locis ad quæ deſtinatur; id enim expreſſè habet Caput prædictum.

Etſi hujuſmodi Vicarii Papæ longè ampliorem quam Vicarius illius Romanus, Juriſdictionem habeant, differunt tamen, ut iſte, à Vicario Generali, de quo dictum eſt, in eo potiſſimum, quod illorum Juriſdictio non extendatur per totum Diſtrictum Papæ, ſicut Vicarii Generalis Juriſdictio extenditur per totam Ditionem Prælati illum Conſtituentis.

Cæteri Papæ Vicarii, nempè qui extra Romam, ſed inter terras Romanæ Eccleſiæ, diſcrepant ab eodem Vicario Generali in alio Capite, nimirum in eo quod vices gerant Pontificis, nedum in ſpiritualibus, ſicut Vicarius Generalis, ſed etiam in temporalibus; ſunt enim Gubernatores locorum, in quibus conſtituuntur: Exemplum habes in Legato, vel Vicelegato AVENIONENSI, utramque Juriſdictionem Civilem & Spiritualem inſimul exercente, ac Comitatum VAMAISSINUM gubernante nomine Sedis Apoſtolicæ ad quam pertinet: De hujus poſtremi generis Vicariis a Papa conſtitutis, nulli poſſunt afferri Textus Juris, quia de his nulla ſaltem expreſſa mentio in Corpore Juris.

Advertimus II. inter prædictos diverſi generis Vicarios Papæ, alios aliis præeminere, eoſque maxime, qui è numero Cardinalium deſumpti mittuntur cum titulo ac inſigniis Legationis, ad regendas terras Romanæ Eccleſiæ, vel Provincias extra illas ſitas; iſti enim ampliſſimas habent facultates, gaudentque plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, ita ut paucis exceptis, Summo Pontifici ſpecialiter reſervatis, poſſint quidquid ipſe poteſt. Quæ autem expreſſè excipiuntur in Corpore Juris hæc ſunt: Epiſcoporum Tranſlatio, aliorum aliis Subjectio per Metropoleos, Primatiæque Erectionem, Epiſcopatuum duorum Unio,

ac

ac unius in duos Divisio. *Cap.* 4. *De Officio Legati*, in quo Innocentius III. dicit illa quatuor Summo Pontifici reservata in signum singularis privilegii, nec ab ullo Legato illa fieri posse, absque speciali licentia. His adjicienda videntur Episcoporum Cessio & Depositio, quæ idem Innocentius III. inter reservata Romano Pontifici recenset, jungens illa cum Translatione. *De Translat.* Cap. 2.

Unde cùm suprà dictum sit, Vicarium Generalem, prout Officialem comprehendit, habere plenitudinem potestatis Episcopalis, eaque omnia & singula posse, quæ potest Episcopus, paucis exceptis, quæ Episcopo personaliter reservantur, quæque ideò Vicario commissa non censentur, nisi expresse committantur; consequens est, ut inter ea, quæ de Vicario Generali dicta sunt, nonnulla sint, quæ in quibusdam Vicariis Papæ locum habeant; nempè in iis, qui appellari solent *Legati à Latere*, quia assumuntur è numero Cardinalium, qui sunt Assessores Papæ, quique exercent totam ferè Papæ Jurisdictionem, ut Vicarius Generalis exercet totam ferè illam, quæ ad Episcopum spectat.

Advertimus III. Jurisdictionem illam Papæ, quæ dicitur *Summa, Suprema, Extraordinaria,* non unicam esse quæ in illo spectanda sit; hæc enim illi non competit, nisi prout est Summus Pontifex, Caput Ecclesiæ, Ordinarius Ordinariorum; sed præter eam, quæ sibi peculiaris est, aliam habet cum Episcopis sibi communem Jurisdictionem, quæ sibi convenit, prout est Episcopus Romanus, iis quæ continetur locis, quæ alium non habent Episcopum quàm Romanum; qualis est, inter cætera, Urbs Roma, per exellentiam in Jure Canonico *Urbs* simpliciter dicta *De Offic. Vicar. Cap.* 5. Hæc autem vocari potest Jurisdictio Episcopalis propter conformitatem suam cum ea, quam quisque exercet Episcopus, vel potiùs exerceret, si nullis limitaretur exemptionibus, nec reservationibus, iisque libera omninò esset, ut est illa, quâ fruitur Papa in locis sibi subditis ut Episcopo Romano. Non obstat huic denominationi quod *Jurisdictio quam Papa exercet, ut Episcopus Romanus, nulli sit devolutioni, nec appellationi ad alium obnoxia.* Hinc enim non sequitur quod Episcopalis Jure dici nequeat, quia hoc privilegium provenit ex eo quod Jurisdictio Episcopi Romani non sit Jurisdictio Episcopalis, sed potiùs ex eo quod is, qui Episcopus Romanus est, alium suprà se Episcopum non habeat, ad quem & devolutio & appellatio fieri possit.

Cùm ergo Vicarius, quem Papa Romæ habet, sit illius Vicarius & Officialis, prout Episcopus est Romanus, hæc Urbs sit velut tota illius Episcopi Diœcesis, vel pars illius maxima; indè fit quod iste Vicarius maximè accedit ad Vicarium Generalem, prout etiam Officialem comprehendit, de quo actum est; nec refert, quod idem Vicarius Papæ multa facere valeat, quæ ad Jurisdictionem temporalem pertinent, quia in hoc non est Vicarius Papæ, ut Episcopi Romani, sed ut Urbis Romæ Domini temporalis.

Advertimus IV. peculiarem Papæ Jurisdictionem non esse alterius naturæ, quàm sit quævis alia Jurisdictio, præsertim Ecclesiastica; ideóque quidquid dictum est in prima Parte de Jurisdictione in genere, huic Papæ Jurisdictioni omninò convenire.

Cùm ergo inter Vicarios Papæ nonnulli sint, quibus illa peculiaris Jurisdictio committitur exercenda, quales sunt ipsi Legati Sedis Apostolicæ; hinc fit ut tota prima Pars locum habeat in Vicariis Papæ, etiam in illis, quibus propria Papæ potestas committitur. Adde quod in eadem Parte *De Legatis, eorúmque Delegatis* pluries expresse locuti fuerimus. Legati verò, ut sæpiùs jam diximus, sunt è numero Vicariorum Papæ, ipsique præcipui.

Advertimus V. Papam, vi suæ Jurisdictionis peculiaris, concurrere cum Episcopo in plurimis, ita ut Episcopi cujusque subditi à Papa possint petere, & obtinere, quæ ab Episcopo suo & petere, & obtinere possunt; undè quæ dicta sunt de Jurisdictione Episcopi in secunda & in tertia Parte, pertinent etiam ad Jurisdictionem Papæ peculiarem, quam exercet ut Ordinarius Ordinariorum: Hæc enim Papæ Jurisdictio una eademque est, ac Jurisdictio Episcopalis, quæ, ut exercetur ab Episcopo, Ordinaria est, ut verò à Papa exercetur, est Extraordinaria. Quæ ergo dicta in his duabus Partibus locum habent in quibusdam Vicariis Papæ, cùm sæpè observatum sit Legatos Apostolicos vices gerere Papæ in exercenda illa peculiari Jurisdictione, atque in hoc ipsius esse Vicarios. Hinc sequitur quartam Partem hujus Tractatus habere quoque locum in Vicariis Papæ, cùm Papa concurrat cum Archiepiscopo, cum Primate, cum Patriarcha, de quorum Jurisdictione in eadem Parte actum est, ac eam Jurisdictionem, quâ Papa concurrit cum istis Prælatis, exercendam committat Legatis, qui ideò inter Vicarios Papæ recensentur.

Advertimus VI. Jurisdictionem Episcopi in secunda & in tertia Parte explicari non potuisse, quin insimul indicaretur quæ sit propria Papæ Jurisdictio; oportuit enim ad illius explicationem notare limites, intra quos continetur, ac idcircò observare, non solùm ea, quæ potest Episcopus, sed etiam illa, quæ non potest, tùm ratione exemptionum, tùm ratione reservationum, atque propria Papæ potestas potissimum consistit in exemptionibus immediatis Sedis Apostolicæ, & in reservationibus factis in favorem ejusdem Sedis: Non enim alia potest Papa quæ non possit Episcopus, nisi ea, quæ Sedi suæ reservata sunt, vel Divino vel Humano Jure, vel illa, quæ spectant subditos Episcopi, qui ex privilegio immediatè subsunt eidem Sedi. Hinc nonnulla sunt in prædictis Tractatûs Partibus, quæ locum habere possunt in Vicariis Papæ, nempè in iis, quibus committit, quæ Sedi suæ peculiaria sunt.

Quæ supra dicta sunt, obiter de magnifico titulo Ordinarii Ordinarium, qui Summo Pontifici ubique ferè tribui solet, restringenda in Gallia ad casus, in quibus illius concursus cum Ordinariis, quique explicantur *Tit. VII. hujus Tractatus.* In aliis enim casibus falsum est quod Papa sit Ordinarius Ordinatiorum, cùm in istis multa Episcopi possint facere, quæ ille non potest. Casus hujusmodi sunt quicumque expresse vel tacitè non recensentur in *citato Titulo VII.*

Idem sentiendum de eo quod dictum de potestate extraordinaria, sive absoluta, cujus usus non admittitur in Gallia, nisi concurrente Rege cum Pontifice, idque perrarò, utpotè contrarius Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus.

SECTIO XXV.

Ubi fusè exponitur Jurisdictio Papæ peculiaris, seu Regula de Majoribus Causis è Corpore Juris deprompta.

Pragmatica Sanctio *à Ecclesia Gallicana in Concilio* Bituricensi *anno* 1438. *sub* Carolo VII. *condita T. V. §.* x. *Concordata etiam inter* Leonem X. & Franciscum I. *anno* 1516. *inita T. X.* nonnulla circa Causas Majores præceperunt, quæ explicari nequeunt, nisi è Corpore Juris eruantur quæcumque ad causas easdem spectant, cùm in his actis præcepta ad eas restringantur, quæ in Jure expresse denominantur; ideóque operæ pretium duximus Canones omnes in Corpore Juris inclusos, de Causis Majoribus quovis modo loquentes, colligere, collectósque ad observationes generales redigere Regularum nomine insigniendas.

Par

PARS PRIMA.

De Causis Majoribus in genere.

REGULA I.

Per Causas Majores intelligi solent negotia magni momenti Summo Pontifici quodammodo reservata.

Patebit Regula ex citandis testimoniis, dum de singulis sermo fiet.

Non obstat *quod* PRAGMATICA SANCTIO *& Concordata locis citatis intelligere videantur per Causas Majores, controversias ad Tribunal Summi Pontificis contentiosam deducendas.* Loquuntur siquidem de causis ad forum contentiosum deducendis apud Judices Ordinarios, atque ex illis excipiunt Causas Majores, quas judicandas volunt à Summo Pontifice: Hoc, *inquam*, non obstat, cùm nullum sit negotium Summo Pontifici quodammodo reservatum, circa quod exoriri non possint controversiæ, ad forum contentiosum pertinentes, dignæque tandem Sedis Apostolicæ judicio. Adde quod ex objecto loco non sequatur omnes Causas Majores ad forum contentiosum pertinere; sed solùm illas, quæ ad hoc forum spectant alio Jure regi, quàm Causas non Majores ejusdem fori.

REGULA II.

Causæ Majores prædicto modo intellectæ, non aliæ in Jure expressè denominari videntur, quàm quæ sequuntur.

I. Difficiliores fidei Quæstiones.

II. Ineligibilium personarum ad Prælaturas Postulationes.

III. Electionum ad easdem Prælaturas Confirmationes.

IV. Episcoporum Cessiones, sive Resignationes.

V. Translationes eorumdem Episcoporum.

VI. Sedium Episcopalium Erectiones.

VII. Earumdem Translationes.

VIII. Episcopatuum Uniones.

IX. Episcopalium Coadjutorum Datio.

X. Episcoporum Depositio.

REGULA III.

Genuinus Juris Textus nullus est sæculo V. antiquior, qui de referendis Summo Pontifici Causis Majoribus mentionem fecerit; is autem expressè docet huic relationi præmittendum esse judicium Episcoporum locorum, ubi natæ sunt, idemque inferre est ex verisimili hujus Textûs fundamento.

Prima & secunda Pars Regulæ patent ex eo quod *Canon* 14. CAUS. III. QUÆST. VI. sit vetustissimus omnium Canonum in Corpore Juris inclusorum, qui relationes hujusmodi meminerit: Is autem desumatur ex Epistola INNOCENTII I. ad VICTRICIUM ROTHOMAGENSEM anno 404. scripta. Quæ ad rem faciunt verba, sunt in parte omissa à GRATIANO, & relata ab ANTONIO AUGUSTINO, *Epit. Veteris Juris Canonici Lib. II. T. X.* Cap. 21. Hæc autem sunt: *Si Majores Causa in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post Episcopale judicium referantur.* Eadem verba habentur *Cap.* 10. inter Decreta INNOCENTII I. à DIONYSIO EXIGUO collecta apud JUSTELLUM, *Cap.* 1. *Veteris Juris Canonici*: Leguntur itidem in Epistola secunda hujus Pontificis *C.* 3. apud LABBÆUM *Conciliorum* TOM. II. *p.* 1250. Dixerat priùs INNOCENTIUS finiendas ab Episcopis Provinciæ contentiones, quæ in ea nascuntur; ab his causis excipit Majores, quas judicari quidem ab iisdem Episcopis consentit; sed præterea vult ut ante finem, sive Judicii executionem ad Sedem Apostolicam referantur. Hæc verba *Vetus consuetudo*, non reperiuntur apud LABBÆUM, neque apud JUSTELLUM.

Postrema Pars ex eo colligitur, quod verosimillimum sit doctrinam, præceptum, morem de referendis ad Sedem Apostolicam Majoribus Causis desumi ex *Capite* 17. DEUTERONOMII, ubi præcipitur ut si difficile quid occurrerit, adeatur Summus Sacerdos; at in hoc loco res difficilis non habetur, nisi quando in ea judicanda Judices Ordinarii dissentiunt. Hoc indicant hæc verba *versû* 8. *Et Judicum intra portas tuas videris variari verba.*

Quod de moris hujus fundamento diximus, confirmat INNOCENTIUS III. Cap. 13. *Qui Filii sint legitimi*, dum allegat locum citatum integrum, ut ostendat meritò ad Papam recurri in Causis Majoribus.

His prælibatis circa istas causas in genere consideratas, de singulis seorsim agendum est.

PARS SECUNDA.

De Causis Majoribus in specie.

§. I.

De Judice graviorum Fidei controversiarum.

Circa Judicem de gravioribus fidei controversiis examinanda plura occurrunt, sed præcipuè: I. An extent Textus legitimi, qui Episcopis seorsim sumptis prohibeant, ne de gravioribus fidei controversiis judicent? II. An sint, qui id *Conciliis* non Generalibus ac Sedis Apostolicæ auctoritate non munitis vetent? III. An extent, qui expressè præcipiant, ut hæ controversiæ Sedi Apostolicæ referantur, qui sint, quomodo explicandi?

REGULA I.

Nullus est germanus Juris Textus, qui vetet Episcopis seorsim sumptis, ne graviores fidei controversias pro Diœcesibus suis definiant, nec esse convenit.

Prior Regulæ Pars præsumenda vera donec contrarium demonstretur, idque præsertim propter afferenda circa posteriorem rationem momenta; hæc autem sunt: *Si qui Textus Episcopis prohiberent, ne de gravioribus fidei quæstionibus pro Diœcesibus judicarent, Divinæ Scripturæ repugnarent, & beatmultis Canonibus Divinæ Scripturæ, cùm doceat Episcopum esse debere Doctorem, rectè tractantem Verbum veritatis, attendere debere doctrinæ, amplecti, qui secundùm doctrinam est, fidelem Sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, depositum custodire, devitantem profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, Hæreticum hominem corrigere, & post unam alterámve correctionem devitare.* I. TIM. 2. ad TITUM. Hinc enim sequitur ad Episcopum pertinere, ut pro Diœcesi sua de fide controversias dirimere possit, idque ex Divina Ordinatione per Scripturam Sacram manifestata, cùm ejusdem sit circa doctrinam controversias dirimere, cujus est docere, tractare Verbum veritatis, attendere doctrinæ, amplecti sermonem secundùm doctrinam, qui contradicunt circa illam arguere, depositum doctrinæ servare (*de hoc enim agitur*) Hæreticum (quo adhærens sensui suo circa doctrinam intelligitur) corrigere; cumque eodem modo quo istud potest, illud quoque & valeat. Constat ergo ex Scriptura non debuisse Canones vetare Episcopis, seorsim sumptis, ne de fide controversias in Diœcesi natas, aut aliundè illuc latas, dirimerent. Idem etiam patet ex Canonibus compluribus: Huc faciunt quotquot præcipiunt Episcopis, ut doceant, caveantque ne grex errore inficiatur, quales quamplurimi in Corpore Juris referuntur, præcipuique habentur. DIST. XXXVIII. & *Titulis De Officio Judicis Ordinarii. De Hæreticis. Decretalium* GREGORII IX. *aliarumque Juris Collectionum*: Huc etiam faciunt qui de ple:a Episcoporum circa Prædicationem Verbi Dei potestate loquuntur.

REGU-

REGULA II.

Non extant Juris Textus, qui *Conciliis* non Generalibus, autoritate Apostolica non munitis, vetant, ne de gravioribus fidei controversiis judicent. Extant è contra quamplures, qui demonstrant id Episcopis licere.

Prior Regulæ Pars præsumenda vera donec contrarium ostendatur. Præterea sequitur ex præcedenti Regula, nam si Canones tale judicium prohibere non debuerunt Episcopis seorsim sumptis, multominus id debuerunt vetare *Conciliis* non Generalibus, Sedis Apostolicæ autoritate non munitis. Denique idem colligere quodammodo fas est, ex eo quod Gratianus Dist. XVIII. in medium adducens *Concilia* non Generalia, Sedis Apostolicæ autoritate carentia, non convocari ad definiendum, sed ad publicandum, quæ definita sunt, nullum refert Canonem qui id dicat. Nec obstat quod Distinct. XVII. *Canones referat, qui docent Concilia congregari non posse inconsulto Summo Pontifice, quodque dicti Canones intelligi possint de Conciliis convocatis ad definiendum.* Id, *inquam*, non obstat, quia objecti Canones aut loquuntur tantùm de convocatione *Concilii* Generalis, ut secundus; aut de *Conciliis* Particularibus convocatis contra *Concilium* Generale, ut Canon quartus. Sic etiam illos Canones interpretantur Correctores Romani in nota sua circa Canonem quartum. Ejusdem Canonis quarti interpretatio eruitur ex his ipsius verbis: *Nec licuit aliquando, nec licebit Particularem Synodum congregare; sed quoties aliqua de Universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt, rationem .... ad Apostolicam Sedem .... conveniant.* Denique dicti Canones Gregorio VII. tributi, qui Sedem Apostolicam ad Summum evehunt, non vetant celebrari *Concilia* Particularia, inconsulto Summo Pontifice, sed id solùm prohibent de Generalibus: Vel objecti Canones ejusdem Distinctionis sunt suppofititii, ut primus, tertius, quintus.

Secunda Pars quinti Canonis desumpta est ex Epistola Innocentii I. ad Victricium superiùs citata, primamque ejusdem quinti Canonis destruit; nam docet non recurrendum ad Sedem Apostolicam, nisi post judicium *Conciliorum* Particularium in Provinciis celebratorum, eadem non consulta; & prima prohibet ne inconsulto Pontifice *Concilia* celebrentur: Eamdem supositionem manifestam esse observat Labbæus.

Posteriorem Regulæ Partem stabiliunt tria genera Canonum Corpori Juris inclusorum: Primum eorum est, qui docent *Concilia* Provincialia convocari ad dirimendas quaslibet controversias, quæ in Provinciis nascuntur; cùm enim indistinctè loquantur, intelligi possunt de controversiis circa fidem, ut de aliis quibuscumque. *Cap.* 4. Dist. XVIII. *Con.* Antarn. Alterum est eorum, qui graviores fidei controversias definierunt. Tales sunt sexdecim Canones *Concilii* Gangrensis, relati una serie Distinctione XXX. singulas Eustathii Hæreses anathemate ferientes; hoc *Concilium* est celebratum circà annum 354. Tales etiam Canones quinque *Concilii* Milevitani circa gratiam & peccatum originale inserti in Distinct. IV. *De Conf. à Can.* 152. *hujus* Distinctionis *usque ad finem.* Non obstat *quod in inscriptione Canonis* 152. *dicatur Concilio huic* Milevitano *interfuisse* Azellus *Romanæ Ecclesiæ Legatus*: Hoc enim non reperitur in actibus hujus *Concilii*, nec apud ullum Scriptorem coætaneum. Non obstat *quod Concilium* Milevitanum Innocentio I. *scripserit circa prædictas res, quas examini suo subjecit*: Nam Epistola scripta est post definitiones factas ab eodem *Concilio*, nec aliud petit à Pontifice, nisi ut Pelagium & Celestium damnet, sicuti ipsos Concilium damnavit; addens spem esse, fore ut Hæretici isti magis deferant autoritati Pontificiæ, quàm autoritati *Concilii*: Talis quoque Canon 8. *Concilii* Arelatensis anno 319. relatus. *De Consecratione.* Dist. IV. *Cap.* 109. definit quæstionem circa Baptismum ab Hæreticis collatum, mediúmque tenet inter Episcopos Africanos & Stephanum Romanum Episcopum, qui eamdem Quæstionem modo contrario definierant, probans Baptismum in nomine Trinitatis, Patris, Filii, Spiritus Sancti administratum ac alium quemvis rejiciens. Ne dicas huic *Concilio* interfuisse Legatos Sedis Apostolicæ, nempe Claudianum & Vitum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos à Silvestro missos, indeque *Concilium* accepisse autoritatem definiendi præfatam fidei controversiam; non enim vocati missivè videntur, nisi ut ex majori Provinciarum numero constaret *Concilium*, eoque modo celebrius & venerabilius fieret. Id inferre est ex eo quod non subscribunt, nisi post Episcopos Provinciarum Siciliæ, Campaniæ, Apuliæ, Dalmatiæ; & si *Concilium* suam autoritatem definiendi mutuatum esset ex hac Legatione, prædicti Legati primo loco subscribere debuissent. Ad idem Canonum genus spectat Canon quintus *Concilii* Toletani XII. anno 681 relatus *De Consecratione.* Dist. II. *Cap.* 15. definit Sacerdotem teneri communicare, quoties sacrificat, nec sufficere, si pluries in die celebret, ut postrema vice Communionem sumat. Idem dicendum de Canone secundo *Concilii* Toletani VII. anno 646. definit quod si ingruente aliqua necessitate, Sacerdos non possit cœptum perficere Sacrificium, ab alio absolvendum est, ne imperfectum remaneat, refertur *Can.* 16. Caus. VII. Quæst. I. *Concilium* Toletanum XI. anno 675. *Can.* 14. Mox citatum Canonem confirmans ac illius executioni providens, præcipit, ut quilibet Sacerdos, quoties sacrificat, habeat (quoad fieri poterit) sibi adstantem Adjutorem Presbyterum, qui possit sacrificantis subitò morientis, vel in deliquium lapsi vices explere; refert istum Canonem Gratianus eodem loco C. 15. Huc etiam facit Canon 48. *Concilii* Cartaginensis IV. 398. definientes non licere fieri reordinationes, sicut nec rebaptizationes; legitur apud Gratianum *Cap.* 107. *De Consecr.* Dist. IV. Idem deffinierat *Concilium* Capuanum anno 389. quod Particulare fuit non munitum autoritate Apostolica, sicuti nec Carthaginense citatum, ideòque Antonius Augustinus post alios Canonum Collectore, tribuit citatum Canonem *Concilio* Capuano L. XXVIII. *Tit.* 54. Cap. 4. *Epitom. Veteris Juris Canonici.* Adduci quoque potest Canon 17. *Concilii* Milevitani suprà citati, relatus à Gratiano Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 5. definit Matrimonium Christianorum esse indissolubile, ideóque virum, qui uxorem dimiserit, debere manere innuptum, aut uxori reconciliari quacumque causa dimissæ: Cùm autem Civiles Leges paterentur, ut qui uxorem justa de causa dimiserat, aliam duceret, addit petendam Legem Imperialem, quæ alias revocet ac executioni demandet *Concilii* definitionem. Addere licet Canonem 27. *Concilii* Casilonensis II. anno 813. relatum à Gratiano, *De Consecr.* Dist. IV. definit non iterandam Confirmationem sicut nec Baptismum; illum tribuit Gratianus *Concilio* Tarraconensi *Cap* 6. quod est Particulare sicut Cabilonense, eidem *Concilio* tribuerant Burchardus L. IV. *Cap.* 50. & Ivo *Part.* I. *Cap.* 244. eidem pertinet Canon citatus apud Gratianum sub nomine *Concilii* Compendiensis Caus. I. Quæst. I. *Can.* 60. & in Collectione Gregorii IX. *Tit. De Presbytero non Baptizato*, definit ordinationem Sacramentalem irritam esse, si quis non baptizatus ordinetur.

Tertium Canonum genus Corpori Juris inclusorum, qui demonstrant *Concilia* Particularia autoritate Sedis Apostolicæ non munita, graviores de fide controversias derimere posse, eorum est in quibus Summi Pontifices id agnoscentes ad decidendas hujusmodi controversias illorum *Conciliorum* Canones citant: Exem-

Exemplum habes in *Cap. 3. Tituli de Presbytero non baptizato, mox citati*; nam propositam Quæstionem *an non baptizatus validè ordinetur*, INNOCENTIUS III. decidit, allato propriis verbis Canone COMPENDIENSI: *Quia verò in Concilio apud* COMPENDIUM *legitur constitutum, si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptisetur, & iterum ordinetur. Nos ...... quod tutiùs sequentes mandamus, quatenùs eum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures.* Exemplum autem istud eò notatu dignius, quò INNOCENTIUS III. unus ex iis sit, qui dicunt graviores fidei Quæstiones ad Sedem Apostolicam esse referendas, ut patebit ex subjungendis testimoniis.

REGULA III.

Nullus occurrit Juris Textus, qui prohibeat prædictis *Conciliis* Particularibus, ne inquirant, num quæ à Sede Apostolica definita sunt, Verbo Divino scripto, vel non scripto, sive Traditioni adversentur; è contra reperire est, qui doceant id fieri posse ab illis *Conciliis*.

Prior Regulæ Pars tenenda pro vera, donec falsa demonstretur. Posterior colligitur à citato suprà Canone 109. *De Consecr.* DIST. IV. cùm ostendat quod *Concilium* ARELATENSE decisam à STEPHANO Quæstionem de Baptismo, examini subjecerit suo, illamque aliter definierit.

REGULA IV.

Sunt tantùm duo Textus Juris, qui expressè doceant fidei causas ad Sedem Apostolicam esse referendas, & nihil habent quod destruat Regulas præcedentes.

Priorem Regulæ Partem in eo fundamus, quod nullos alios Textus invenerimus quàm Canonem 12. CAUS. XXIV. QUÆST. I. & Cap. 3. *De Baptismo.* Prior desumitur ex Epistola INNOCENTII I. ad *Concilium* MILEVITANUM *anno* 416. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris Autorem referre debere (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum Mundum possit Ecclesiæ omnibus in commune prodesse.* Posteriorem Textum subministrat Epistola INNOCENTII III. ad ARELATENSEM Archiepiscopum: *Majores Ecclesiæ Causas, præsertim Articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cùm quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus Filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorasse ne deficiat fides ejus.*

Altera Regulæ Pars patet: I. Ex eo quod INNOCENTIUS I. jam docuit Majores Causas non referendas ad Sedem Apostolicam, nisi post Episcoporum judicium, quod de Episcopis seorsim sumptis, & de Episcopis in particulari *Concilio* congregatis, intelligi potest. II. Vidimus jam *Concilium* MILEVITANUM non scripsisse ad INNOCENTIUM I. nisi post factas definitiones. III. In neutro Textu distinguitur inter graves Quæstiones fidei & leves, unde si docerent eas, de quibus loqui videntur referendas esse ad Sedem Apostolicam ante Episcopale judicium, Sedi Apostolicæ tribuerent quod nullus sibi Pontifex arrogare ausus est, nempè ad illam Sedem pertinere de levioribus fidei controversiis judicare, etiam antequam de illis Episcopi judicaverint. IV. Postrema INNOCENTII I. Textûs verba insinuant ideò referendas esse ad Sedem Apostolicam Majores fidei Quæstiones, ut illarum definitio omnibus prodesse valeat. V. Textus INNOCENTII III. ex Textu INNOCENTII I. videtur interpretandus, cum nihil in eo legatur, quod demonstret INNOCENTIUM III. à sententia INNOCENTII I. discessisse, imò idem omninò dicat, addatque dumtaxat novas causas faciendæ ad Sedem Apostolicam relationis; nempe 1. Petrum prevenisse cæteros Apostolos in responsione ad Quæstionem ipsis à Christo propositam, circa rem fidei: 2. Christum orasse pro fidei conservatione in Petro, similem autem orationem non fudisse pro aliis Apostolis: INNOCENTIUS I. non aliam rationem attulerat, quàm quod Petrus esset Sacerdotii veluti fons. Non omittendum citatum INNOCENTII I. Canonem non extare in prædicta Epistola, quæ apud LABBEUM est XXII. hujus Pontificis; imò nec in ulla alia ejusdem INNOCENTII I., testante PITHÆO se illarum tria exemplaria habuisse, atque in nullo illum locum reperisse.

Ex dictis patet quod prima ex Causis Majoribus explicata, ut par est, ex Textibus Juris non parùm limitata est, nec reservatur Papæ, nisi post Episcopale judicium, quod ad illum referri convenit, vel ut illud confirmet, si justum sit, vel illud infirmet, si injustum, vel ut si Episcopi dissenserent ad concordiam revocare conetur.

§. II.

Regula de Postulatione ad Dignitates Ecclesiasticas è Corpore Juris Canonici deprompta.

Postulatio de qua hîc, cùm aliud non sit quàm electio Confirmantis gratia egens; de illa sicut de de electione tractare, vanum videbitur. Quorsum dicet non nemo de re abrogata agere? Tot sunt rerum genera quarum notitia ad praxim necessaria est; quod rerum abrogatarum onerosa sit cognitio, de illis tractationes pauci legunt, quis circa istas scripta leger? Quisquis ita loqueretur, à vero non parùm aberraret. Electiones abrogatas quoad plerasque Sæculares Prælaturas ultrò fatemur; sed ideone inutilis de postulatione Tractatus? Annon referat scire quid sit postulatio, quæque sibi conveniant, propter illas, quibus per electionem adhuc Dignitates providetur, propter ipsum Summum Pontificatum, propter innumeras Regulares Prælaturas, cæteraque Officia tùm Sæcularia tùm Regularia, ad quæ per electiones pervenitur? An non etiam referet propter nonnullos circa provisiones ad Dignitates aliter quàm per electiones datas occurrentes casus? Eritne per constitutas circa postulationem Leges, quibuscum ad Dignitates dispensari possit, quibuscum non possit, dicere inutile? Hæc cùm ita sese habeant, etsi post abrogatas electiones multominùs quàm antea utilis sit de postulatione notitia, eapropter negligenda non est, nec omittendum circa postulationem Canones nostro more in Regulas redigere. Harum autem Regularum duplex est genus, aliæ siquidem sunt Generales & totius Tractatus velut fundamentum, aliæ verò Particulares, & velut cujusque Quæstionis summaria decisio.

REGULA I.

Dignitates non in Prælatorum, sed in subditorum commodum institutæ sunt. CAUS. VIII. QUÆST. I.

REGULA II.

Ad Dignitates nullus promovendus est, nisi illius & capax & dignus sit. *Ibidem.*

REGULA III.

Nec capax nec dignus est, qui prodesse simul & præesse non potest. *Ibidem.*

REGULA IV.

Ut quis prodesse possit quædam in eo corporis, animi, pectorisque dotes requiruntur. *Ibidem.*

REGULA V.

Has inter dotes funt nonnullæ quarum defectus per aliarum præſtantiam ſuppleri poteſt; ſunt aliæ, quæ nullo modo ſuppleri poſſunt. *Ibid.*

REGULA VI.

Circa dotes primi generis locum habet Diſpenſatio, circa alias non habet. *Tit. De Poſtul.*

REGULA VII.

Quibus prædictarum dotium nulla deeſt, eligi poſſunt; quibus aliqua deeſt, quæ per alias ab ipſis non mediocriter poſſeſſas ſuppleri poteſt, poſtulari poſſunt; ſecùs de cæteris. *De Elect.* Cap. 20.

REGULA VIII.

Ex defectibus, qui ſuppleri nequeunt, peti videtur indignitas, ex aliis verò mera incapacitas; indigni autem nec eligi nec poſtulari poſſunt. *De Poſtul.* Cap. 1.

REGULA IX.

Qui ſuppleri nequit, defectus triplex; nempe Judicii, ſcientiæ, morum bonorum.

REGULA X.

Ad tertium defectum reduci debet irregularitas ex delicto, de quo pœnitentia nondum acta eſt.

REGULA XI.

Ut puniendus eſt qui eligit indignum, ita qui poſtulat.

REGULA XII.

De tempore quo cœpit hæc vox, *Poſtulare*, eo ſenſu uſurpari quo hic ſumitur, nihil habetur, at fas eſt conjicere id jam factum IV. ſæculo.

Hæc conjectura petitur è *Concilio* Sardicensi 347. *celebrato C.* 13. in eo enim dicuntur poſtulari ad Epiſcopatum: I. Divites, qui Laici adhuc ſunt: II. Cauſidici: III. Adminiſtratores. Refertur à Gratiano, Dist. LXI. Cap. 10.

REGULA XIII.

Poſtulare ergo aliud nihil eſt quàm incapacem in Prælarum à Superiore petere; idcircò Diſpenſationem petunt qui poſtulant.

REGULA XIV.

Ut Diſpenſatio ſine injuſtitia denegari poteſt, ita & poſtulatio non admitti.

REGULA XV.

Ut Diſpenſationum aliæ aliis difficiliùs conceduntur, ita poſtulationum aliæ aliis difficiliùs admittuntur. *De Tranſl.* Cap. 4.

REGULA XVI.

Sicut Diſpenſatio ſine juſta cauſa concedenda non eſt, ita nec poſtulatio admittenda. *De Elect.* Cap. 23. 30.

REGULA XVII.

Dignitates publicum bonum cùm proximè reſpiciant, juſta poſtulandi cauſa non eſt, quæ ad illud non ſpectat. *De Poſtul.* Cap. 3.

REGULA XVIII.

Quando occurrit qui eligatur, nemo poſtulandus eſt, niſi poſtulandus multo utilior futurus ſperetur. *De Elect.* Cap. 13.

REGULA XIX.

Quorum eſt eligere, eorumdem eſt poſtulare.

REGULA XX.

Cujus eſt Electionem confirmare, ejus eſt & poſtulationem admittere, niſi qua eget poſtulatus Diſpenſatio Confirmatoris poteſtatem excedat. *De Elect.* Cap. 13. *De Tranſl.* Cap. 1. 1.

REGULA XXI.

Cujus poſtulatio ſemel rejecta eſt, denuò poſtulari non debet, niſi nova poſtulandi cauſa emerſerit. *De Poſtul.* Cap. 2.

REGULA XXII.

Ut quoad formam valeat poſtulatio, oportet ut vel ab omnibus Electoribus fiat, vel à parte duplo majori, ſi cum Electione concurrat, vel à tertia parte, ſi cum poſtulatione alia.

REGULA XXIII.

Quibus quis poſtulatur verba ea eſſe debent, ut veram poſtulationem exprimant, ut rem perfectam ſignificent, ut omnem incertitudinem tollant, alioquin irrita eſt poſtulatio. *De Poſtul. in 6.* Cap. unic.

Excipe caſum in quo probabiliter dubitatur an quis eligendus vel poſtulandus.

Hinc fieri nequit poſtulatio his verbis: *Eligo poſtulando, & poſtulo eligendo, aut eligo poſtulandum, aut poſtulo eligendum*, cùm veram poſtulationem non exprimant, atque etiam duas oppoſitas res ſimul jungant. Nec verbis iſtis: *Eligo in poſtulandum, vel poſtulo in eligendum*, cùm imperfectam rem ſignificent. Nec etiam iſtis: *Poſtulo & eligo prout poteſt melius de Jure valere*, cum incertitudinem contineant.

REGULA XXIV.

Quando Electorum pars eligit, alia verò poſtulat, niſi major ſit illa quàm iſta, vel iſta duplo major quàm illa, nec Electio, nec poſtulatio valet, niſi poſtulantium culpa firmetur Electio, ut ſit quando omnes, vel major illorum pars indignum ſcienter poſtulaverint.

REGULA XXV.

Quod præmiſſo caſu ex poſtulantium culpâ commodum reportat pars quæ eligit, hoc idem ex Eligentium culpa reportare debet pars quæ poſtulavit.

REGULA XXVI.

Poſtulandi jure non privantur poſtulantes, niſi uno & altero caſu, nempe quando poſtulant quem

quem sciunt vel scire debent indignum, vel quando postulant iterum eum cujus postulatio jam rejecta est, etsi novi nihil acciderit, quo justa fiat secunda postulatio, vel quando conscii fiunt culpæ postulati propter quam cassatur postulatio. *De Elect. Cap.* 23. Utroque autem casu pro ea tantùm vice, quà illorum postulatio irritatur.

REGULA XXVII.

Quo casu privatur quis postulandi potestate eodem etiam privatur eligendi jure, & è contra. *De Elect.* Cap. 40. *De Translat.* Cap. 3.

Hinc qui postulandum eligunt, postulandi ut & eligendi jure privantur, ea tamen solùm vice.

REGULA XXVIII.

Cum eligendi potestate postulandi facultas committitur. *De Elect.* Cap. 30.

REGULA XXIX.

Postquam Compromissarii de postulatione convenerunt, concessa sibi potestas revocari nequit. *De Elect.* Cap. 30.

REGULA XXX.

Sicut uno contempto Electore, facta Electio non valet, ita nec postulatio. *De Elect.* Cap. 28. *De Postul.* Cap. 5.

REGULA XXXI.

Ante cassatam postulationem aliam facere non licet, quemadmodum non irritata Electione, alia suscipi non potest. *De Elect.* Cap. 29.

REGULA XXXII.

Quoties postulatio facta Papæ rejiciebatur, toties Papa providebat, vel providendi jus habebat. EXTRAVAG. XIII. *De Preb.*

REGULA XXXIII.

Postulatio postquam Pontifici præsentata est, à postulantibus revocari nequit. *De Postul.* Cap. 4.

REGULA XXXIV.

Si antequam postulatio admissa fuerit, postulatus administret Ecclesiam ad quam postulatur, postulatio irritatur. *De Elect.* Cap. 23.

REGULA XXXV.

Postulatio locum habet in Præsentatione sicut in Electione. *De Fil. Presbyt.* Cap. ult. *De Fil. Presbyt. in 6.* Cap. 1.

REGULÆ RATIO: Præsentari possunt illegitimi, & ab Episcopo, si velit, admitti.

REGULA XXXVI.

Quo jure postulandi gaudebant Electores, eodem nunc fruuntur Nominatores, illorum vicem gerentes.

Hujus rei exempla habes in nominatione Episcoporum transferendorum ad alias Sedes Episcopales, vel Archiepiscopales, & personarum Sæcularium ad Prælaturas Regulares.

REGULA XXXVII.

Præter postulationem prædictam, qua promovendus Dispensatione egens, ab eo, qui dispensare potest, petitur, alia est qua, qui sui juris non est, ab habente in illum jus, postulatur.

Hinc Filius, Servus, Maritus, Miles, Magistratus ad Dignitates Ecclesiasticas postulandi dici possunt.

Hinc fortè à GRATIANO dicitur S. AMBROSIUM ab Imperatore postulatum, quia Magistratum gerebat. DIST. LXI. §. *Sic.*

Ex præmissis Regulis sequitur, postulationem ad Causas Majores non pertinere, nisi quando de ea agitur, quæ à solo Papa admitti potest. Hæc autem duplex; prima, quæ respicit Prælatos, sibi immediatè subditos, quorum ideò Electio ab ipso confirmanda est; quales Primares, Metropolitani, plurimi Episcopi, & Abbates nonnulli. Secunda, quæ Dispensationem requirit Papæ reservatam; qualis Quæ tollit defectum natalium quoad Dignitates. *De Elect. Cap.* 20. *De Fil. Presbyt.* Cap. ult. *De Fil. Presbyt. in 6.* Cap. 1. Qualis etiam quæ solvit vinculum Episcopale in transferendo. *De Transl.* Cap. 2.

Ut autem hæc pauca, quæ ad rem præcisè faciunt, observari possent, necesse fuit singula ad postulationem pertinentia explicare, aliàs haud facile fuisset intelligere, in quo ista sit una ex Majoribus Causis. Præterea cum plurimæ diversi generis Dignitates adhuc sint electivæ in Germania, & quædam in Gallia, nihil dictum est quod, his in Regionibus saltem, nosse multum non conferat, etsi quandoque Indulto eligibilitatis postulationis necessitas præveniatur.

§. III.

De Episcoporum Confirmatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici deprompta.

REGULA I.

De Episcoporum Confirmatione qui mentionem faciat Textus nullus antiquior quàm Canon primus DIST. LXIV.

Ex *Concilio* NICENO I. anno 325. celebrato desumitur hic Canon, hæc dicens: *Confirmatio pertinebit per singulas Provincias ad Metropolitanum.*

Hinc ante sæculum IV. nulla in Jure mentio de Episcoporum Confirmatione.

Non obstat *Canon* 4. DIST. XXIV. in quo *Concil.* LAODICENUM anno. 319. collocatum tabulâ TOM. I. CONCILIORUM, dicit: *Metropolitanorum judicio ad Ecclesiasticas Dignitates, quibus Episcopatus intelligit, provehi qui ad illas eliguntur. Concilium* siquidem LAODICENUM *Concilio* NICENO multis annis posterius, cùm GOTOFREDUS in Philostorgium ann. 360. celebratum fuisse ostenderit.

REGULA II.

Confirmatio, de qua Regula præcedens, tàm Electionem, quàm Ordinationem respiciebat, etsi solius Ordinationis meminerit.

RATIO: Ordinatio ab Electione ita pendebat, ut si ista rejiceretur, illa non fieret.

REGULA III.

In eo posita fuisse videtur Confirmatio, quod considerata Electionis forma & Electi qualitate, Electio vel rejiciebatur, vel admittebatur, ac consequenter Ordinatio vel præcipiebatur vel prohibebatur. *De Elect. in 6.* Cap. 6.

Hinc ad judicium non parum accedebat Confirmatio; hæc etenim quando concedebatur, sententia in Electionis favorem pronunciabatur; è contra quando denegabatur Confirmatio, sententia in Electionis ruinam proferebatur.

REGU-

REGULA IV.

Ad Metropolitanum Episcopos confirmandi potestas præcipuè spectabat. *Ibidem.*

Ratio: Judicio circa illud proferendo præsidebat.

REGULA V.

In prædicto Judicio ferendo Conjudices erant Episcopi Provinciæ, si quid aliis contradicerent maximè ex animositate, plurimorum sententia prævalebat. Dist. LXV. Cap. 1. 2. 3. *De Temp. Ordin.* Cap. 7.

De Collega agitur, ideò omnium Comprovincialium interest.

REGULA VI.

Qui citatum suprà Textum subsecuti sunt Canones, eamdem penè omnes tribuerunt Metropolitano potestatem, sed usque ad Alexandri III. Decretales Epistolas illius usum Confirmationem non vocant.

Post illum Textum, primus qui hac locutione utitur, est *Cap.* 5. *De Elect.*

Nec obstat *Cap.* 3. *De Electione* quod Gregorio III. adscribitur, quodque ad Gregorium I. pertinet, ut notat Pithæus post Antonium Augustinum suis in illud notis. Non obstat, inquam, hoc *Caput*, etsi hæc in illo legantur: *Confirmationem petentium desideria impleantur;* Vox enim ista, *Confirmationem*, à Raimundo addita est; patet ex Textu, prout è Gonzale refertur.

REGULA VII.

Præter Metropolitani, vel aliorum Comprovincialium sententiam facta Episcoporum ordinatio irrita erat. Dist. LXIV. Cap. 8. Dist. LXV. Cap. 2. 3.

Quod ita intelligendum, si illo inscio fieret, cùm ut dictum est, plurimorum sententia prævaleret.

REGULA VIII.

Requisitus Episcoporum ordinationi aliorum ejusdem Provinciæ consensus per literas præstari poterat. *Cap.* 2. 3. 65. *Cap.* 1. Dist. LXIV.

REGULA IX.

Quando per literas consensum suum Suffraganei ordinationi præstiterat Metropolitanus, intra duos menses à die Consecrationis Metropolitanum Suffraganeus visitare tenebatur, ut ab eo Monitis Ecclesiasticis instructus, pleniùs quod observare debebat, recognosceret; id autem negligens à Provinciali Synodo corrigebatur; si verò ex infirmitate aliave legitima causa præpeditus officio huic deerat, impedimentum significare debebat. Dist. LXV. Cap. 8.

REGULA X.

Si Eligentium vota in duas Partes dividerentur, Metropolitani erat, ut quem majoribus juvari studiis & meritis judicabat alteri præferret. Dist. LXIII. Cap. 36.

REGULA XI.

Transmissâ ad alium confirmandi potestate per Delegationem, Metropolitanorum consensu in Juris cessi memoriam, intra tres menses à die ordinationis suæ, Suffraganeus Metropolitanum invisere tenebatur. *Cap.* 25. Dist. LXIII. loquitur de Delegatione facta in Primatem.

REGULA XII.

Ab Alexandro III. ad nos de Episcoporum Confirmatione frequens in Jure mentio. *De Translat.* Cap. 1. 2. 3. 4. *De Elect.* Cap. 15 18. 19. 20. 21. *De Elect. in* 6. Cap. 6. 16. 47. *Ut Lite non Contest.* Cap. 5.

REGULA XIII.

Quamdiu Episcoporum Electiones viguerunt, à Metropolitanis confirmati sunt Episcopi, nisi immediate Sedi Apostolicæ subjicerentur. *Cap.* 44. *De Elect.* in quo *Concilium* Lateranense sub Innocentio III. insinuat Sedis Apostolicæ Confirmationi non subjici, nisi qui ipsi immediatè subsunt. Quantùm ex Juris Textibus colligere fas est, hujus rei exempla habemus in *Capitibus* 20. 28. 34. 44. *De Elect.* Cap. 3. *De his quæ à Majori Parte.*

Hinc cùm Metropolitani, qui nulli Primati suberant, Sedi Apostolicæ immediatè subderentur, illorum Confirmatio ad Papam spectabat.

REGULA XIV.

Nullo Juris Textu probatur necessarium fuisse Primatis consensum, ut Metropolitanus suum confirmaret, vel Ordinaret Suffraganeum.

Non obstat *Canon* 4. Dist. LXV. in quo Sanctus Leo Anastasio Episcopo Thessalonicensi scribens *anno* 445. hæc habet: *De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri, Plebisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia benè placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque confirmet autoritas:* Non enim hic de simplici Primate agitur; sed de Vicario Apostolico, cùm omnibus notum sit prædictum Anastasium Sedis Apostolicæ Legatum, vel Vicarium fuisse.

Non obstat etiam *Canon* 5. *ejusdem* Distinctionis, in quo *Concilium* Cartaginense II. anno 390. sic loquitur: *Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ, tàm facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, in quocumque loco, sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare; si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocumque loco fiat, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.* Per Primatem siquidem Metropolitanum intelligendum norunt Eruditi. Si quis autem de hoc ambigeret, his rationum momentis omninò convinceretur: I. In Africa Metropolitanus *Primas* dicebatur, quia Episcoporum Provinciæ primus: II. Primas, de quo *Concilium* loquitur Provinciam unam tantùm; Primas verò de quo Quæstio tot Provincias gubernabat, quot sibi suberant Metropolitani: III. Aliud nihil continet hic Canon quam quod à *Concilii* Niceni Textu constitutum, etsi aliis verbis, prædictus autem Textus de solo Metropolitano loquitur.

REGULA XV.

A præstito Electioni consensu, Electus intra tres menses Confirmationem petere tenebatur, alioquin eo tempore elapso irrita fiebat Electio. *De Elect. in* 6 *Cap.* 6. Unus tantùm mensis postea datus erat Electo à Sede Apostolica confirmando. *Ibidem.* Cap. 47.

REGULA XVI.

Ante Confirmationem nominatim vocandi erant Competitor vel Appositor, si qui essent in Ecclesia, in qua Electio facta erat; sin autem, in eadem publicandum, ut si qui essent, qui se opponere vellent, intra competentem assignatum terminum comparerent, aliàs irrita erat Confirmatio, idque locum habebat sive in concordia, sive in discordia Electio facta fuisset. *Ibid.* Cap. 47.

REGULA XVII.

Per Confirmationem Conjugium Spirituale inter Eligentes vel Ecclesiam, quam ipsi repræsentabant, & Electum in electione initiatum, ratum fiebat. *De Elect.* Cap. 21. *De Transl.* Cap. 14.

Hinc ante Confirmationem non licebat Electo Ecclesiam suam gubernare, nisi in nonnullis casibus, de quibus *Cap.* 28. *in ultima Parte resecta*, Cap. 44. *De Elect.* Cap. 40. *De Elect. in* 6. exceptionem exigebat, animarum periculum proveniens ex differenda nimium Confirmatione, cui exposuisset, vel maxima locorum distantia, vel qualitas personarum regendarum Prælatis maximè egentium.

REGULA XVIII.

Præter citatos suprà Juris Textus, alii non sunt, qui de Confirmatione, de qua hic agitur, mentionem faciant.

REGULA XIX.

Quandiu ad alios quàm ad Papam pertinuit Episcoporum Confirmatio, ad eosdem pertinuisse, consequens est, ut Episcoporum Cessionem admitterent.

Colligitur ex generali axiomate: *Ejus est solvere cujus est ligare;* nam Confirmatione ligatur Episcopus Ecclesiæ suæ, cùm ipsa fiat ratum Matrimonium Spirituale.

Ex dictis colligere est nullum Juris Textum extare, qui Confirmationem Electionum Episcopalium inter Causas Majores collocet.

Idem quoque inferre licet ex eo quod PRAGMATICA SANCTIO à CAROLO VII. edita restituens Electiones, illarum Confirmationem Ordinariis Confirmatoribus dimittit. *T.* 2. Causas Majores in Corpore Juris expressè denominatas, Sedi Apostolicæ nominarim conservat. *T.* 5. *§.* 2. Et reservationes in favorem ejusdem Sedis factas, & in Corpore Juris expressè clausas, confirmat. *T.* 3. Imò eadem PRAGMATICA Causis Majoribus prædictis adjiciens Electionum causas, id restringit ad Electiones Ecclesiarum Sedi Apostolicæ immediatè subjectarum.

Eamdem rem, nempè Confirmationem Electionum Episcopalium, Jure Communi in Corpore Juris clausa, non recenseri inter Causas Majores, ostendere quoque videntur *Concordata Germanica*, cùm illas Electiones restituentia Sedi Apostolicæ nominatim reservent illarum Confirmationem, quod superfluum fuisset, si Jure Communi ad illam Sedem hujusmodi Confirmatio pertinuisset. *Specim. Juris Ecclesiastici Par. I. p.* 290. Sola ergo immediatione Sedi Apostolicæ Electionum Confirmatio ad Causas Majores pertinet, in quo à postulatione differt, quæ etiam ratione dispensationis, inter illos quandoque recensetur.

§. IV.

Regulæ ex Corpore Juris Canonici desumptæ circa Episcopatûs abdicationem.

Quamvis quæ de Beneficiorum Resignatione diximus, dum de ea tractavimus, Episcopatûs abdicationem quoad maximam partem respiciant, de ista tamen seorsim agere convenit, tùm ob rei gravitatem, tùm ob ea, quæ ipsis peculiaria sunt. Sed ne id inordinatè fiat, tractandum argumentum in plures Quæstiones dividemus: Harum autem præcipuæ erunt: I. Quæ sint Tractatus Generales Regulæ, sive fundamentum? II. An Episcopatûs abdicatio aliquo Juris Textu prohibeatur? III. Qua autoritate facienda? IV. Qua de causa permittenda, qua non? V. An extent Juris Textus, qui Episcopatum cum alio permutari permittant? VI. An permissæ Episcopatuum Resignationis in favorem in Jure aliquod vestigium? VII. An post Episcopatum abdicatum ad Episcopatum iterum promoveri liceat? VIII. A quo tempore Episcopatûs abdicatio inter Causas Majores annumerari cœperit.

REGULA I.

Quæ Resignationum, Translationum, Dispensationum Generales Regulæ, eædem sunt & Episcopatûs abdicationis.

REGULA II.

Generalium illarum Regularum præcipua: Episcopos cum Ecclesiis suis Matrimonio jungi, ideoque Episcopatûs abdicationi, quæ de Matrimonii divortio dicuntur, mirè convenire.

REGULA III.

Quotquot Juris Textus Episcopis prohibent, ne ex una Ecclesia ad aliam transeant, vel maneant in ea quam sortiti sunt, vel ad dimissam redire præcipiunt, Episcopatûs abdicationem quoque vetant. Quotquot è contra ex una in aliam Ecclesiam migrationem permittunt, abdicationem Episcopatûs etiam permittunt.

Sed priusquam ulteriùs progrediamur, notandum Episcopatum duplici modo abdicari posse: I. Absolutè, ita ut quis Ecclesiæ alligari cuivis desinat. II. Respectivè, ita ut quis non omni Episcopatui, sed huic vel illi renuntiet, alteri sese alligaturus: Regulam autem præcedentem respectivam abdicationem dumtaxat respicere.

REGULA IV.

In toto GRATIANI Decreto nullus extat Textus, qui absolutam Episcopatûs abdicationem prohibeat, sunt tamen qui insinuant illam certis casibus illicitam.

Secundam Regulæ Partem veram ostendit *Canon* 17. CAUS. VII. QUÆST. I. in quo ZACHARIAS BONIFACIO Archiepiscopo MAGUNTINENSI alium sibi substituendi licentiam denegat, idque tùm quia vivente Episcopo alium eligere non licebat, tùm etiam quia Ecclesiæ suæ necessarius erat BONIFACIUS.

REGULA V.

Non desunt Juris Textus, qui casibus quibusdam abdicationem Episcopatûs absolutam licitam docent.

Regulæ favent *Canones* 13. & 14. CAUS. VII. QUÆST. I. in quorum altero GREGORIUS Episcopatum abdicare permittit Episcopo ARIMINENSI, justa de causa supplicanti, ut alius sibi substitueretur. In altero verò dicit Episcopo, qui juste abdicat, alium subrogandum. Favet quoque *Canon* 45. *ejusdem* CAUSÆ & QUÆSTIONIS, quo Episcopi abdicatio, ut fiat Monachus, probatur.

Eidem Regulæ suffragantur benè multa, tùm apud GREGORIUM IX. tùm apud BONIFACIUM VIII. relata loca, quæ videre est tùm *Tit. De Renunt.* tùm *Tit.* XIII. *L.* I. apud GREGORIUM. Suffragatur etiam *Cap.* 1. *De Renuntiat.* in quo ALEXANDER III. factam ab Episcopo ALTISSIODORANSI Episcopatûs abdicationem confirmat.

REGULA VI.

Sublata omni Reservatione, cujus est Electionem Episcoporum confirmare ejusdem est illorum abdicationem admittere.

Deducitur ex generali axiomate: *Ejus est solvere cujus*

cujus est ligare: Nam Electus Episcopus confirmatione Ecclesiæ suæ ligatur, cum ipsa fiat ratum Matrimonium Spirituale illius cum Ecclesia. *De Transl.* Cap. 2.

Hinc factum ut quandiu *Concilia* Provinciæ Electiones Episcoporum confirmarunt, illorum itidem abdicationes admiserint. THOMASS. *Discipl. L.* II. *cujusque Partis.*

REGULA VII.

Facta propria auctoritate Abdicatio damnatur, quoties eadem autoritate facta Translatio rejicitur.

REGULA VIII.

In totò Corpore Juris nullus extat Canon, qui sit *Cap.* 2. *De Translat.* antiquior, qui expressè dicat Episcopum abdicare se non posse sine Papæ licentia.

Verba huc facientia hæc sunt: *Translatio, Depositio, Cessio non tam Constitutione Canonica quàm Institutione Divina soli sunt Romano Pontifici reservata.*

Non obstat *Canon* 13. CAUS. VII. QUÆST. I. in quo Episcopus ARIMINENSIS *Sanctum Gregorium supplicat, ut alium sibi substitui permittat.* Nam I. de permissione nullam facit mentionem, sed refert tantùm Clerum, Plebem, Episcopumque ARIMINENSEM ad Papam recurrisse, tanquam ad eum, qui omnium Ecclesiarum sollicitudinem haberet, ut curaret alium eligi Episcopum, propter Canonicum quo Episcopus sese abdicare cogebatur impedimentum: II. De Episcopo Italiæ agitur, hujus autem Regionis Episcopi Summo Pontifici præ aliis semper subjectiores fuerunt: III. Ecclesiæ ARIMINENSI sine Papæ licentia Episcopum eligere non licebat, quod probare videntur verba hæc: *Datis ex more præceptis Clerum, Plebemque ejusdem Ecclesiæ non destitimus admonere, quatenus ad eligendum Episcopum concordi provisione concurrant.* IV. Multum abest, ut Caput oppositum expressè dicat *Papa non permittente Episcopum sese abdicare non posse.* V. Si quid probaret, nimiùm probaret, nempè quod in Episcopi abdicantis locum, electus à Papa consecrandus esset; cùm ibidem GREGORIUS præcipiat, ut Episcopus eligendus ad se mittatur Consecrationis munus accepturus.

Quæ circa *Caput* objectum dicta sunt, confirmat *Caput sequens*, in quo sanctus GREGORIUS Episcopo Gallicano tribus post annis scribens, de alio justam abdicandi Sedem causam habente dicit: *Quod si renuntiare velit, alius ordinandus est, nulla suæ permissionis facta mentione.*

Non obstat etiam *Canon* 17. *ejusdem* CAUS. & QUÆST. in quo BONIFACIUS Episcopus MOGUNTINENSIS ZACHARIAM *rogat, ut patiatur alium sibi substitui*: BONIFACIUS enim Apostolicus erat Legatus: Præterea alium sibi Superiorem Episcopum non habebat; undè duabus his de causis Summi Pontificis licentia egebat, ut Episcopatum abdicare sibi liceret.

Non obstat *Cap.* 5. *De Renuntiat. in prima Collectione*, in quo ALEXANDER III. Archiepiscopum SENONENSEM Episcopi ALTISSIODORENSIS Renuntiationem sine Sedis Apostolicæ Mandato recepisse: Non enim expressè dicit soli Summo Pontifici pertinere hanc Renuntiationem admittere, sed hoc casu sine ipsius licentia id fieri non debuisse; cujus rei causa esse potest; Episcopus ALTISSIODORENSIS in solitudinem transeundi licentiam ab ALEXANDRO petierat, ALEXANDER verò denegarat, quam denegationem non ignorans Archiepiscopus SENONENSIS illius Episcopi Renuntiationem admiserat. Hæc autem ita se habere videbit quicumque primum Capitis objecti paragraphum sine præoccupatione leget, his enim est conceptus verbis: *Quanta importunitate & precum instantia venerabilis frater noster hactenus* ALTISSIODORENSIS *Episcopus, à Pontificali sollicitudine sæpè à nobis petiit exonerari, & quomodo nos nulla ratione potuimus induci, ut ejus petitioni & voluntati assentiremus, ad fraternitatis tuæ notitiam pervenisse credimus.*

Non obstat *Caput* 2. *De Renuntiat. in eadem Collectione prima*, in quo idem ALEXANDER LUNDONENSI Archiepiscopo scribens, hæc habet: *Illud quoque te oportet attendere, quod si pennas habeas, quibus in solitudinem volare satagis, ut quiescas, ligatæ sunt tamen nexibus præceptorum, quæ, ita ut nosti, & Sacrorum Canonum Institutione vinciunt, ut liberum non habeas sine permissione nostra volatum.* Nam præterquam quod de uno tantùm casu loquitur, nempè quo solitudinis amore abdicare se vult, Archiepiscopus, cui scribit, alium Superiorem non agnoscebat.

Dici non potest *Canonem* 45. CAUS. VII. QUÆST. I. desumptum è *Synodo* CONSTANTINOPOLITANA, sub PHOTIO babita *anno* 880. docere Episcopum nulla egere licentia, ut vitam Monasticam amplectatur, atque ideò si casus admittendæ Episcoporum abdicationis ad Papam pertinentes, ad illum quo ex amore solitudinis abdicant, restringantur, nullus Papæ reservabitur. Nam primo *Concilium* citatum non exigit quidem ut Episcopus licentiam vitam Monasticam amplectendi postulet: Sed hinc non sequitur id ab Episcopo fieri posse sine licentia, cùm de modo, quo Episcopus ad vitam Monasticam recipiendus esset, non ageretur; sed an post factam ea de causa abdicationem, permittendus esset ad Episcopatum redire: Undè non mirum si de petenda licentia omninò tacuerit. Præterea etsi *Concilium* Episcopis concessisset Ecclesias suas abdicandi facultatem, Monasticè vivendi causa, sat temporis effluxit ab hujus *Concilii* celebratione, ad ALEXANDRUM III. ut disciplina contraria stabiliri potuerit.

Nota obiter I. usurpatum ab ALEXANDRO III. loquendi modum omnium Episcoporum *pennas ligari & sine Papæ permissione non posse volare* ab INNOCENTIO III. Cap. 10. *De Renuntiat. in fine* & ab HONORIO III. Cap. 6. *De Postulat.* itidem usurpati. II. Canonem objectum contra IGNATIUM CONSTANTINOPOLITANUM Patriarcham, qui coactus, vel seductus, Monachus factus erat à PHOTIO illi subrogato conditum. III. INNOCENTIUM III. Cap. 11. *De Renuntiat.* errasse dum credidit illud *Concilium* esse unum ex illis quatuor, quæ ut Evangelia veneranda dixit Sanctus GREGORIUS; errasse etiam dum existimavit *Concilium* loqui de Episcopo, qui propter crimen depositus, pœnitentiam acturus Monasterium ingressus est; manifestum enim est illud loqui etiam de quocumque alio, cùm indistinctè loquatur; atque etiam quas affert, causæ denegati ad Episcopatum regressus, generales sunt, & à Monachali statu desumptæ. IV. Ex his causis meritò inferri Monachos quoscumque ab Episcopatu excludendos, hæ enim sunt: *Instituta Monachorum ad obedientiæ ac disciplinæ rationem pertinent, minimè verò ad Magisterii, vel Præfecturæ, atque eorum sunt, qui non alios pascere sed pasci profiteantur*; sed de his fusiùs infrà. In solvendis iis, quæ objici poterant contra positam Regulam, paululùm immoratus sum, quia Textus, è quibus petuntur, plura subministrant exempla abdicationis Episcopalis notatu digna, & sequentibus Regulis lucem allatura.

REGULA IX.

Causarum, quæ Episcopum movere possunt ut abdicet Sedem suam, triplex est genus; aliæ nempe ob quas id sibi præcipitur; aliæ propter quas id sibi prohibetur; aliæ demùm ob quas id sibi permittitur.

REGULA X.

Ad primum genus reducuntur quæcumque impediunt, ne quis sine scandalo, aliove proximi in-

commodo, vel peculiati ſuæ ſalutis periculo, Officium Pontifi ale exercere queat, quales ſunt.

I. Si crimen commiſit de quo pœnitentiam, ut par eſt, agere, niſi extra Epiſcopatum non poteſt. *De Renunt.* Cap. 11. §. 4.

II. Si requiſita ad Epiſcopatum ſcientia careat, nec illam acquirete poſſit; quod de ſcienria dictum eſt, de judicii defectu prudentiaque dicendum. *Ibidem.* §. 5. Sed melius *Cap.* 17. *De Elect.* in quo irrita ſit Electio illius qui debita ſcientia caret.

III. Si parentum, vel amicorum ſimonia ad Epiſcopatum quis, illius inſcius, promoveatur, ſtatim ac illius conſcius ſit comparatum hac via Epiſcopatum dimittere tenetur. *De Renuntiat.* Cap. 11. §. 3.

REGULA XI.

Epiſcopatum dimittere prohibetur Epiſcopus, quotieſcumque Dei glotiam, proximi utilitatem, ut illum retineat, exigete certum eſt.

Hinc I. Niſi perſecutio perſonalis ſit, ſurente perſecutione, non licet Epiſcopo populum ſuum deſerere. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 47. Idque tùm quia, ſi perniciosum eſt proretam in tranquillitate navim deſerere, quanto magis in fluctibus; tùm quia Epiſcopi tamquam arietes gregibus ducatum præbentes, imò tamquam illorum Paſtores cum eis Deo Autore in periculis pro viribus perſiſtere debent; tùm quia hoc potiſſimùm tempore tamdiu illorum ſuper cuſtodia ſollicitos ſeſe exhibere convenit, ut ſi Dei judicio præſentis temporis commoda fortaſſis amittunt, futuræ vitæ ſe gaudia ſperent ſine ambiguitate percipere ſempiterna.

II. Nec etiam propter malos Epiſcopatum abdicare Epiſcopo licet, ſi boni ſint, quibus prodeſſe poſſit. *Can.* 49. *ibidem.* Nam, ut ait Sanctus GREGORIUS, ibi æquanimiter portandi ſunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni.

III. Si quis eminenti, qualis deſideranda eſſet in Epiſcopo, carens ſcientia, tanta ardet caritate, ut ſcientiæ imperfectum ſupplere poſſit perfectio caritatis Epiſcopatum abdicare non licet. *De Renuntiat.* Cap. 10. §. 4.

IV. Si tanta ſit Cleri malitia, & contra Eccleſiam Dei tam gravis, tamque diuturna perſecutionis inſtantia, ut nequaquam ei cedat ad commodum, magni pati defectum Epiſcopi. *De Renuntiat.* Cap. 1. *In Par. deci.*

REGULA XII.

De tertio cauſarum genere generatim dicendum videtur, quod quibuſcumque nec præcipitur, nec prohibetur Epiſcopatum dimittere, illum abdicare permittatur; ſpeciatim verò quòd cuivis ad Officium Epiſcopale inutili, vel pene inutili Epiſcopatui renuntiare liceat.

Hinc I. ſi ob pertinacem, incurabilemque Capitis dolorem Eccleſia Paſtorali deſtituatur Regimine, Epiſcopatum dimittere licet. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 13.

II. Si tantam Capitis paſſionem incurrerit, ut quod alienata mente agere ſoleat, gemitus & fletus audire ſit, huic quoque ſeſe exonerare licet, quando ſui compos factus, ne in adeo moleſtum ſtatum relabatur, timet. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 14.

III Qui tantam animi corporiſque in ſe ſentit debilitatem, ut judicio conſcientiæ ſuæ illa ſufficere videatur ad Epiſcopatûs abdicationem. *Cap.* 1. *De Renuntiat.* prout eſt in antiquis.

IV. Si Epiſcopus, qui aliundè populo ſuo neceſſarius non eſt, de crimine cujus conſcius eſt, quod tamen extra Monaſterium delere poſſet, in Monaſterio pœnitentiam agere velit. Infertur ex *Cap.* 10. *De Renuntiat.* §. 2.

V. Quando ex peculiari Plebis, Clerive in Epiſcopum odio implacabili, ne magis noceat quàm proſit timendum eſt. Caſus hic ſimilis eſt caſui, in quo perſecutio perſonalis eſt. Infertur ex eodem *Capite* §. 5.

Quæ de cauſis abdicationis Epiſcopalis collecta ſunt, voluntariæ Curatorum abdicationi, proportione ſervata, applicari poſſunt.

REGULA XIII.

Nullus Juris Textus extat, qui de permutatione Epiſcopatuum mentionem faciat; at quidam ſunt qui de illorum Reſignatione in favorem quodammodo loquuntur.

Prior Pars pro vera habenda, donec falſa probetur.

Poſterior patet ex Canonibus collectis in QUÆSTIONE I. CAUSÆ VIII. in qua de induſtria examinatur an Epiſcopo liceat ſibi Succeſſorem eligere, referunturque Canones quorum id alii prohibent, alii verò inſinuant id licere; prioris generis ſunt 3. 4. 5. Primus deſumitur è *Concilio* ANTIOCHENO 341. Secundus è MARTINO BRACHARENIT 572. Tertius ex Decreto HILARII in *Synodo* ROMANA 465. Secundus à primo non differt, niſi quoad verba: uterque ut & tertius docet nonnullos Epiſcopos morti proximos Succeſſorem deſignaſſe, idque damnatum ut derogans Juri Epiſcoporum totius Provinciæ, Clerique, ac Plebis Civitatis Epiſcopalis, quorum erat eligere, qui ſuccederet. Tertius præterea inſinuat id etiam repugnare Juri Divino, (quòd maximè notandum, cum ratione adjecta,) nimirùm, quia Dei res eſt ad Epiſcopalem Dignitatem vocare, quod facit per Electionem prædictam, cui ſuus ſpiritus præſidet. His Canonibus adjiciendus eſt Canon 17. CAUS. VII. QUÆST. I. in quo ZACHARIAS denegat Sancto BONIFACIO, Archiepiſcopo MOGUNTINO, ſuo Vicario petitam licentiam Succeſſorem eligendi quamdiu longioris vitæ ſpes erit, concedit tamen, ut gratiam ſingularem, quod ea hora, quâ ſe migraturum è vita cognoverit, eumdem quem Coadjutorem elegerit conſecraveritque, Succeſſorem deſignet.

Poſterioris generis ſunt Canones primus, ſecundus, ſextus CAUS. VIII. QUÆST. I. In primo & ſecundo legitur Sanctum PETRUM elegiſſe ſibi Succeſſorem CLEMENTEM. Primus deſumitur ex Epiſtola JOANNIS III. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ anno 572. Secundus ex ſuppoſititia CLEMENTIS Epiſtola ad JACOBUM JEROSOLIMITANUM, ſed aliunde conſtat verum eſſe quod teſtatur. Tertius docet MOYSEM elegiſſe ſibi Succeſſorem ſuum nimirùm JOSUE; ſed hic Canon non niſi remotè propoſitam Quæſtionem reſpicit, cùm ipſe MOYSES nec Pontifex fuerit, nec JOSUE ad Pontificatum elegerit.

Inſinuatum eſt in Regula, Canones in Corpore Juris inſertos non loqui propriè & expreſsè de Reſignatione Epiſcopatuum in favorem; quia alii non ſunt, qui illam reſpiciant, quàm qui ſuprà citati ſunt; & horum nullus de illa propriè loquitur, ſed tantùm de re non abſimili, quod ſilentium mirum haberi non debet, cùm iidem Canones de hujuſmodi Reſignatione, prout alia ſpectat Beneficia, & in uſu eſt, nullam mentionem faciant.

REGULA XIV.

Nullus eſt Juris Textus ab Eccleſia Univerſali probatus, qui ab Epiſcopatu excludat, qui illum abdicarunt, ob aliam cauſam quàm propter crimen.

Duo tantùm ſunt Textus, qui loquantur de nova ad Epiſcopalem Dignitatem promotione illius, qui hanc abdicaverit; videlicet *Canon* 45. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 11. *De Renuntiat.* Priorem autem non probavit Eccleſia Univerſalis tùm propter mentem, intentionemve, illorum qui eum condiderunt; fuit enim editus in VIII. *Synodo* Generali CONSTANTINOPOLITANA habita anno 880. ut excluderetur à regreſſu ad Patriarchatum *Conſtantinopolitanum* IGNATIUS, qui coactus fuerat à PHOTIO, hujus Sedis Uſurpatore, ut Monachus fieret; tùm propter Doctrinam quam continet; indiſtinctè enim & abſolutè docet Epiſcopum qui abdicavit, ut fieret Monachus, ad Epiſcopatum denuò

denuò promoveri non posse, quod falsum est; cùm vita Monastica disponat ad Episcopalem Dignitatem, otium præbendo ad studium Sacrarum Literarum, necnon & ansam subministrando exercendi præcipuas virtutes, atque in illis non parùm progrediendi. Posterior Textus expressè tradit solam ob crimen Episcopatûs abdicationem à nova ad illum excludere promotione, pluresque proponit casus, in quibus post abdicationem licet ad Episcopatum rursùs ascendere: Primus est, si quis propter ignorantiam Episcopatum abdicet, poterit denuò promoveri, postquam scientiam requisitam acquisierit: Secundus est, si quis parentum vel amicorum simonia ad Episcopatum inscius promotus fuerit, ad alium provehi poterit post prioris abdicationem: Tertius, si quis propter persecutionem personalem, vel propter ægritudinem abdicato Episcopatu, ad illum rursùs eligatur, postquam persecutio vel ægritudo cessavit. Hic Textus desumptus est ex Epistola INNOCENTII III. ad Episcopum FAVENTINENSEM ad Archiepiscopatum RAVENNATENSEM electum anno 1208.

REGULA.

Nullus est Juris Textus sæculo XII. antiquior, qui Episcopatûs abdicationem inter Causas Majores annumeret.

Colligitur ex eo quod Capitulum secundum *De Translat.* sit unicus Juris Textus, qui id expressè faciat, is autem est anni 1198. Quod negatur de aliis pater ex Canonibus suprà citatis circa autoritatem, quâ facienda est Episcopatûs abdicatio. Hi enim soli sunt Canones Corporis, de illa mentionem facientes. Hinc sequitur, quomodo intelligenda sint hæc citati Textus verba, " non constitutione Canonica, sed „ Institutione Divina, abdicationis Episcopatûs ad missionem Papæ reservari „: nempe INNOCENTIUM III. existimasse hanc ut Translationem, & Depositionem Episcoporum in prærogativa Primatûs sui includi, etiamsi antea *Concilia* Provincialia hanc autoritatem exercuissent, ut infertur ex suprà dictis, necnon ex dicendis circa Translationem & Depositionem, factas illorum autoritate.

§. V.

De Episcoporum Translatione, Regula è Corpore Juris Canonici, Concilioque TRIDENTINO *desumptæ.*

Circa Episcoporum Translationem discutienda hæc sunt. I. Quid sit? II. Quis circa illam Canon antiquior, & an Veteri Jure damnata sit? III. A quo olim facta? IV. A quo nunc facienda? V. Quæ causæ legitimæ? VI. Quæ pœnæ contra non Canonicè translatos? VII. Quo sæculo frequentiores fuerint? Sed priùs colligendæ totius Translationis argumenti fundamentales Regulæ.

Translationum Regulæ fundamentales.

REGULA I.

Suis quisque terminis contentus esse debet, nec supra mensuram juris sui augeri affectare. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 31.

REGULA II.

Mutare Sedem non mutari in culpa est. *Ibidem.* Cap. 34. 35.

REGULA III.

Perfectorum est in alium locum ad laborem cum fructu migrare, quando sine fructu laborem suum esse considerant. *Ibid.* Cap. 49.

REGULA IV.

Pro Ecclesiarum necessitatibus Ecclesiis providendum. Infertur ex Canonibus 35. 36. *Ibid.* & ex Cap. 3. *De Translat.*

REGULA V.

Quo maritus uxori, eodem Episcopus Ecclesiæ suæ vinculo conjungitur. *De Translat.* Cap. 2. 3. 4.

REGULA VI.

Qui spretâ quam habet Dignitate aliam ambitiosè acquirit, utraque privandus est. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 31. *De Translat.* Cap. 4.

REGULA VII

Nullus sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. *De Translat.* Cap. 3. *in integr.*

REGULA VIII.

Circa Ecclesiasticas Leges, Sacros Ordines, Sacrasve Dignitates respicientes justæ aliæ dispensandi causæ non sunt, nisi Ecclesiæ urgens necessitas, vel evidens utilitas. *De Elect.* Cap. 30.

Aliaque innumera quædam de dispensatione collecta sunt.

REGULA IX.

In eodem dispensationum genere sunt aliæ aliis majores minoresque. & tamen ad eumdem Prælatum pertinent. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 6. SESS. XIV. *De Ref.* Cap. 7.

Exemplum habes in irregularitate ex homicidio voluntario, quæ etsi modò major, modò minor existat, Papæ tamen semper reservatur.

REGULA X.

Transferri, Episcopatum mutare, ex uno ad alium migrare uno relicto, alium accipere, sunt in Jure sinonima. *Tit. De Translat. toto Capite* 2. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 37. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 34. 35. *Ibid.* Cap. 9. 25. *De Translat.* Cap. 2. 4.

Hinc Translatio est à dimisso, vel dimittendo Episcopatu ad alium assumptio: Hinc etiam cùm Episcopatui quis ligetur, sola Electionis Confirmatione Electus confirmatus transferri dicitur, si dimisso ad quem electus est, alium accipiat.

REGULA XI.

In toto Juris Canonici Corpore nullus sæculo IV. circa Translationes antiquior Canon.

Antiquissimus omnium est *Canon* 19. CAUS. VII. QUÆST. I. desumitur è *Concilio* NICÆNO *Can.* 15. *ann.* 325. *celebrato.* In eo prohibetur, ne Episcopus ab una Ecclesia ad aliam transeat, irritusque decernitur hujusmodi transitus.

Qui citato Canoni proximè accedit, est *Canon* 25. *Ejusd.* CAUS. & QUÆST. desumitur è *Concilio* ANTIOCHENO *anno* 341. *celebrato.* Quamlibet Episcopi Translationem prohibet, atque id præ cæteris circà eamdem rem Canonibus notatu dignum habet, quod testetur per Regulam olim à Patribus constitutam idem prohiberi; quibus verbis insinuat Canones NICÆNO *Concilio* longè antiquiores simile quid vetuisse, qualis nullus in Corpore Juris occurrit: Verum quidem est inter Canones Apostolorum in calce Decreti relatos, *Canonem* 13. prohibere Episcopo ne relicta propria Diœcesi alteri insiliat; sed cujus sit temporis collectio hæc ignoratur; undè sciri nequit an *Canon* 13. *Concilio* ANTIOCHENO antiquior sit. Præterea Canon iste multum differt à Canone ANTIOCHENO, ut infrà, dum *De Causis Translationum* notabitur.

REGULA XII.

Translationes damnasse videntur antiqui Canones, sed revera non omnes, sed solas ambitiosas aliterque illegitimas reprobarunt.

Canones, qui illas damnare videntur, sunt *Canon* 14. CAUS. VIII. QUÆST. I. qui illas indistinctè prohibet; *Canon* 25. *Ibid.* qui Episcopum transferri vetat, etiamsi à populis violenter attrahatur, vel ab Episcopis hoc ei suadeatur; *Canon* 2. *Ibid.* qui præcedentium Canonum doctrinam confirmat; *Canon* 13. *Apostolorum*, qui ait nefas esse relicta Parochia Episcopum alteri insilire. Cùm hi Canones jam citati fuerint, undè desumpti sint iterùm notare vanum judicatum est.

Ad eumdem Canonum numerum pertinet *Caput* 1. *De Clericis non Residentibus è Concilio* SARDICENSI, *anno* 347. *desumptum*, in eo enim Episcoporum Translatio absolutè prohibetur; *Caput* 2. *De Elect. ex eodem Concilio desumptum*, quod Episcopum translatum etiam ad clamorem populi, illum expetentis, communione, etsi in fine vitæ constitutum, privat. Canonem autem illum de Episcopo translato loqui patet ex notis ANTONII AUGUSTINI in *Caput* 2. *De Elect. primæ Collectionis*, in quibus id abundè probat tàm per Canonum Collectores, quàm per eorumdem Interpretes.

Citatos verò Canones Translationes illegitimas, vel sine justa causa factas (quales quæ propria translati temeritate fiunt) duntaxat damnare colligitur: I. Ex eo quod *Canon* 13. *Apostolorum*, post prohibitas absolutè Translationes, excipit casum quo utiles sunt. *Concilium* SARDICENSE Cap. 1. *De Cler. non Resid.* afferens suæ prohibitionis causam, insinuat se illas prohibere, quia ex ambitione procedunt, dum ait: *Manifesta enim est causa pro qua fac.re hoc attentat, cùm nullus sit inventus Episcopus, qui ad minorem de majori Civitate transiret.* Idem *Concilium* Cap. 2. *De Elect.* Episcopum ad clamorem populi translatum à se puniri significat, quia præmio, vel mercede ad id populus excitatur.

Idem colligitur: II. Ex eo quod cæteri Canones per istos explicandi sunt, cùm ex prohibitionis suæ causa quam exprimunt vel indigitant, mentem suam explicent, ideoque aliis clariores sint. Quæret fortè aliquis de quibus definitionibus loquatur *Concilium* CALCEDONENSE Cap. 16. CAUS. VII. QUÆST. I. dum ait: *Propter eos Episcopos, qui de Civitate in Civitatem transeunt, placuit definitiones datas à Sanctis Patribus habere propriam firmitatem*; cui Quæstioni respondendum quòd juxta PITHÆI notam marginalem, *Concilium* loquatur de definitionibus factis à *Concilio* NICÆNO; sed cum aliæ jam factæ essent ab alius, ut à *Concilio* SARDICENSI, à *Concilio* ANTIOCHENO, à Sancto LEONE; & ab his è quorum scriptis vel saltem usu desumpti sunt Canones qui dicuntur *Apostolorum*, verisimiliùs videri *Concilium* CALCEDONENSE illas omnes confirmare, cùm indistinctè loquatur, PITHÆUM verò indicare exemplum non restringere ad Canonem *Concilii* NICÆNI factam à *Concilio* CALCEDONENSI Confirmationem.

REGULA XIII.

INNOCENTII III. Pontificatu antiquior nullus Juris Textus genuinus extat, qui Papæ Translationes reservari expressè, vel æquivalenter dicat; creatus autem est anno 1198.

Omnium antiquissimus hanc circa rem Juris Textus est *Caput* 1. *De Translat*, quod ex INNOCENTIO III. illud scribente anno 1198. desumitur.

Non obstat *Caput* 2. *De Elect. in Par. decis.* in quo PASCHALIS II. creatus anno 1099. *conqueritur Apostolica autoritate Translationes non fieri.* Hinc enim non sequitur illas tunc reservatas fuisse, aut id PASCHALEM expressè dicere, sed tantùm existimasse illas à Summo Pontifice faciendas fuisse: Adde quod illius querela spectat Archiepiscopos Siciliæ, quorum strictior potestas quàm cæterorum, ob peculiarem Summorum Pontificum circa illam Provinciam autoritatem.

Nec obstat *Caput* 3. *De Offic. Leg.* in quo idem INNOCENTIUS III. anno 1202. de Legato, qui Episcopum transtulerat, ait: *Ea Translatione Legatum sprevisse Canonicas Sanctiones, quæ illam Papa reservant*; nam vel loquitur de suis Decretalibus, è quibus Capitula 1. 2. 3. 4. *De Translat.* desumpta sunt, quæque aliquot annis antiquiores sunt Decretali, è qua fundamentum Regulæ eductum est, vel Sanctiones, de quibus loquitur, in Corpore Juris insertæ non sunt, vel suppostitiæ sunt, vel in favorem Summorum Pontificum interpolatæ: Qualis *Canon* 34. CAUS. VII. QUÆST. I. desumptus ex Epistola ANTERO supposita, cui prout à GRATIANO refertur, duæ clausulæ, *ut ita dicam*, Pontificiæ insertæ sunt. Id agnoscunt Correctores Romani in notis circa illas clausulas, quarum prima ita concipitur: *Autoritate hujus Sanctæ Sedis*: Altera sic habet: *Non tamen sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis autoritate & licentia.* Idem quoque probant ex eo quod nullus veterum Collectorum, ante GREGORIUM Presbyterum, POLICARPI Autorem, ideoque POLICARPUM vocitatum, harum clausularum meminit; hic autem paulò ante GRATIANUM scripsit, & post IVONEM, quibus accedit clausulas istas non cohærere doctrinæ pseudo ANTERI, qui ibidem docet Translationem, ut & Ordinationem Episcoporum, ad Episcopos pertinere.

Non omittendum Canonem 34. citatum, desumptum videri ex Decretali PELAGII II. BENIGNO Archiepiscopo scripta anno 581. è quâ deprompsit GRATIANUS Canonem 35. illud immediatè sequens, Collatione utriusque fiet probabilissima hæc conjectura: In utroque enim nedum eædem cogitationes, sed eædem quoque locutiones notabuntur.

Non obstat *Caput* 4. *De Translat.* in quo idem INNOCENTIUS III. indulgentiæ à Prædecessore suo concessæ meminit, quâ HILDESEMENSI Episcopo licebat majorem Ecclesiam assumere, si ad illam vocaretur, dum tamen nihil ei de Statutis Canonicis obviaret, nec enim hujusmodi indulgentia, nec alia similis in Corpore Juris insertæ sunt.

Non obstat etiam *Caput* 1. *De Postul.* in quo Capitulum SENONENSE recurrit ad Papam, ut pro Archiepiscopo habeat Episcopum ALTISSIODORENSEM, agnoscens Translationem Episcopi ad illum pertinere; *Caput* enim oppositum desumitur ex Epistola INNOCENTII III. Decano & Capitulo SENONENSI scripta anno 1198. Præterea cùm quæ ab Ordinariis fieri possint, à Papa etiam fieri valeant; ex eo quod aliquid à Papa petitur, id illi reservatum rectè non concluditur: Recursus enim hujusmodi provenire potest ex voluntate rem faciendi cum majori autoritate.

Ex statuta mox Regula non sequitur ante INNOCENTIUM III. reservatas non fuisse Papæ Translationes. Nam I. INNOCENTIUS III. in *citato Capit. De Translat.* Patriarcham ANTIOCHENUM confirmandi facultate privat, ex eo quod Episcopum APAMIENSEM in TRIPOLITANAM Ecclesiam transtulerat. II. Idem INNOCENTIUS Sanctiones citat, quæ haud dubiè aliæ erant quàm à se factæ, nondum enim collectæ erant ipsius INNOCENTII III. Decretales, in quibus Papæ reservari Translationes dicit; quod colligitur ex eo quod teste PITHAO in sua Sinopsi Historica prior INNOCENTII III. Decretalium Collectio anno 1210. facta & publicata est: Citatæ verò ab eodem INNOCENTIO Sanctiones præcessisse debebant annum 1202. III. Idem INNOCENTIUS *Capite* 3. *De Offic. Legati*, pœna dignum dicit Legatum suum, ex eo quod contra generalem consuetudinem, quæ Translationes Papæ reservat, transferendi facultatem sibi vindicarat. IV. Accidere potuit ut Decretales, quæ Papæ Translationes reservatas dicebant, INNOCENTIO III. antiquiores, in Corpore Juris non fuissent collectæ. V. Textus in ea laudatus supponit hanc Reservationem, tum prætensam à Sancta Sede, eamque certam declarat, ac etiam Divini est Juris.

REGU-

REGULA XIV.

Extant Juris Textus, ex quibus conjicere licet versùs sæculum XII. invaluisse sententiam, quæ Translationes Papæ reservabat.

Raoulæ Funddamentum est Canon 34. Caus. VII. Quæst. I. in quo Collector XII. sæculi clausulas huic sententiæ conformes inseruit; quod aliundè non fluxisse videtur, quàm ex eo quod eo tempore sententia hæc invaluerat. Nec obstat quod apud omnes Collectores in citata Epistola Eusabius è parva Civitate Alxanozian autoritate Apostolica mutatus dicatur, cùm Translatio ad Patriarchatum Papæ pertinere potuerit, ex eo quod immediatè sibi suberat Patriarcha. Insertæ verò clausulæ quamlibet Episcoporum Translationem etiam ad simplices alios Episcopatus respiciant. Nec obstat *Canon 39. ejusdem* Caus. & Quæst. in quo pseudo Calixtus I. dicit: *Translationes esse faciendas fratrum invitatione, & Sedis Apostolicæ autoritate*; Nam de Translatione, quæ utilitatis tantùm causa fit, loquitur. Tunc autem consulendam esse Sedem Apostolicam propter rei gravitatem credidit.

REGULA XV.

Ex eodem Textu inferre fas est sæculo VIII. nondum natam prædictam sententiam, aut ad majus vix nasci cœpisse.

Prior Pars petitur ex eo quod Textus ille ex supposita Antaao Epistola depromatur; illius autem Autor, sicut & aliarum Summis Pontificibus usque ad Siricium suppositarum maximè favit Sedi Apostolicæ, & versùs IX. sæculum suppositītium hunc fœtum peperit. Posterior verò Pars petitur ex eo quod pseudo-Calixtus I. suprà citatus insinuat interponendum esse.

Nota obiter ex *Capite I. De Renuntiat.* in quo Archiepiscopus Lundonensis in Dania Archiepiscopatum abdicandi licentiam ab Alaxandro III. petit ann. 1180. inferri non posse, Jam tunc Translationes reservatas fuisse Summo Pontifici; etsi rectè concludatur sine Papæ autoritate Episcopum transferri non posse; ex eo quod sine prædicta autoritate Episcopatum cedere nequeat; nam dicere fas est illum Archiepiscopum recurrisse ad Papam, quia alium non habebat Superiorem.

REGULA XVI.

Exeunte sæculo XII. erant adhuc, qui sentirent ad eumdem Prælatum pertinere Translationum permissionem, & Electionum Confirmationem.

In *Capite 1. De Translat.* Patriarcha Antiochenus ab Episcoporum Confirmatione suspenditur, ex eo quod ratione potestatis confirmandi Episcopum transtulisset. Additurque hujus pœnæ finem esse, ne similia perpetrandi cæteris audacia tribuatur, *id est*, ne alii Electionum Confirmatores ex confirmandi potestate Translationes permittere auderent, prædicti Patriarchæ exemplo freti. In *Capite 2. ejusdem Tituli* suspenduntur Archiepiscopus Rothomagensis, & Archiepiscopus Turonensis, ex eo quod Electum ad Episcopatum Akobgavansam ad Aerincaniem transtulissent. Hinc colligere est Archiepiscopos cum Pontificibus contendisse circa hanc transferendi potestatem, suosque actus sententiæ suæ utrosque conformasse.

Non obstat *Caput 10. De Elect. in quo Capitulum* Vigor. *Electionis gratiosa, quæ postulatio dicitur, a Summo Pontifice Confirmationem petit, quæ aliàs ad Archiepiscopum* Cantuariensem *pertinebat.* Nam I. Capitulum Vigoa. ad Papam non recurrit, nisi quia Archiepiscopus Confirmationem differebat dilationis causam tacens. Præterea non agebatur ibi de Translatione, sed de Dispensatione cum illegitimo, cui Alexander III. in *Concilio* Lateranensi III. omnem ad Episcoparum præcluserat aditum.

Circa quod notandum, certum esse ad Electionis Confirmatorem pertinere cum Electo dispensare, nisi illius potestatem excedat Dispensatio. Dist. LX. Cap. 4. *De Elect. Cap.* 13. Confirmatoris enim est nedum judicare an Canonica sit Electio, sed & illam ratam habere casibus nonnullis. Facultatem autem ratum habendi qui habet, defectus, qui ab illo pendent, remittere potest; si enim meo nomine sine mandato aliquid agis, qui possum id ratum habere, mandati defectum, qui me ipsum tangit, remittere possum. Hinc à pari, cujus est aliquem actum confirmare, ejus est per Dispensationem actûs defectus auferre, nisi alii Dispensationem reservari constet.

REGULA XVII.

Quarto, sexto, octavo sæculo ad Episcopos Provinciæ pertinuisse Episcopi Translationem variis ex Textibus colligitur.

Quoad IV. sæculum *Canon* 27. Caus. VII. Quæst I. ex *Concilio* Carthaginensi IV. *anno* 398. *celebrato*, id manifestè docet; nam postquam Episcopos per ambitinnem transferri prohibuit, addit: *Sanè si utilitas Ecclesiæ fiendum sive transferendum Episcopum poposcerit, Decreto pro eo Clericorum, & Laicorum Episcopis porrecto in præseatia Synodi transferatur:* Quæ verba nedum nstendunt ad Synodum Provincialem spectasse transferendi facultatem, sed & confirmant quod dictum est ad Electionis Confirmatorem pertinuisse defectus Electi per Dispensationem tollere, id poscente Ecclesiæ utitate.

Qunad idem sæculum, *Canon* 13. *Apostolorum* idem etiam clarè docet, dum certo casu Translationem permittens, illam fieri multorum Episcoporum judicio statuit; Collectionem autem istam ad IV. sæculum pertinere creditur.

Quoad VI. sæculum adduci potest *Canon* 36. Caus. VII. Quæst. I. in quo Pelaoius II. anno 581. docet Translationes Episcoporum faciendus Majorum exhortatione; per quos Majores, Provinciæ Episcopos intelligendos extra dubium est.

Quoad VIII. sæculum idem probat *Canon* 34. *ejusdem* Causæ & Quæstionis, prout apud cæteros Collectores refertur, nempè Burcharoum, Pannormicæ Autorem, Ivonam, &c. asserit enim eodem modo Episcoporum ad alias Sedes Translationes ad Provinciæ Episcopos pertinere, quo ad eosdem spectat Ecclesiis vacantibus Episcopos ordinare.

REGULA XVIII.

Undecimo sæculo in Sicilia Translationes factas sine Sedis Apostolicæ licentia extra dubium est.

Paschal II. *Cap.* 4. *De Elect.* in Parte decisa conqueritur, quod Panormitanorum Archiepiscoporum culpa Translationes fierent in ipsorum Provincia, non Apostolica autoritate, sed nutu Regin; quæ postrema verba non ita sumenda, quod Rex ipse Episcopos transferret, sed quod Archiepiscopi Panormitani, quos Rex ad alios Episcopatus præsentabat, pro voluntate sua confirmarent & consecrarent.

REGULA XIX.

Ab exeunte XII. sæculo nullus extat Juris Textus, ex quo suspicari liceat ad alium quàm ad Papam Translationem pertinere.

Non obstat *Cap.* 23. *De Privil.* in quo *Concilium* Lateranensa anno 1216. Patriarcharum Privilegia renovans sancit, ut *Patriarchæ accepto à Papa Pallia Metropolitanis sibi subditis illud concedant, atque ut extra Romam ante se Crucem deferri facere possint.* Etsi enim summis his decorentur honoribus, non hinc sequitur Translationes permittere posse, cùm *Cap.* 2. *De Officio Legati*, id Legato non licere declaret, & *citatum*

Caput

Caput 23. Patriarchas Legato Papæ inferiores manifestè doceat, dum illis vetat, ne Crucem deferri faciant in locis, in quibus Apostolicæ Sedis insigniis utens Legatus existit.

Ex dictis hactenùs circa transferendi potestatem clarè colligitur, per prima decem ad minus Ecclesiæ sæcula non creditum Translationes ad Papam pertinere; undè cùm improbabile omninò sit, per tot sæcula ignotum fuisse Divinum aliquod Jus ad Summum Pontificem spectans, consequens est Translationes Jure Divino ad illum non pertinere. Nec obstat quod dicit INNOCENTIUS III. *in Capite* 2. *de Translatione: Cessionem, Depositionem, & Translationem, per quæ Spirituale Episcopi cum Ecclesia Matrimonium dissolvitur, non tàm Constitutione Humana quàm Divina Institutione Papæ reservari.* De summa siquidem tanti viri peritia præsumendum nihil aliud voluisse, nisi Jura ista in Primatu Papæ, qui à Deo est, includi, ideoque sicut Primatum à Deo quodammodo fluere: Sed ad præsumptionem recurrere opus non est, cùm *Caput* 1. *De Translatione* mentem suam eodem planè modo ipsemet explicet, transferendi facultatem, quam sibi soli tribuit, referens ad privilegium Petro & in eo Ecclesiæ Romanæ concessum, ait enim: *Cùm ex illo generali privilegio, quod Beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodùm manaverint Instituta, continentia Majores Ecclesiæ Causas ad Sedem Apostolicam perferendas, & per hoc Translationes Episcoporum, & Sedium mutationes, ad Summum Apostolicæ Sedis Antistitem de Jure pertineant;* hactenus INNOCENTIUS mentis suæ, qui haberi queat, testis optimus.

Nec obstat quod idem INNOCENTIUS III. *Cap.* 3. *De Translat.* dicat: *Matrimonium Episcopi cum Ecclesia à Deo conjunctum, à solo Deo posse dissolvi, ideoque illius dissolutionem ad Dei Vicarium, nempè Papam, pertinere.* Hinc enim non sequitur, Jure Divino Episcoporum Translationes Papæ reservari, alio quàm prædicto modo, cùm, ut Divina autoritate Episcopos transferat Summus Pontifex, sufficiat ratione Primatûs, à Deo accepti, illum id præstare.

Dici non potest INNOCENTIUM III. non solùm *citatis Capitibus* 2. & 3. sed etiam 4. *De Translat.* nimium evidenter sibi tribuere, dum ait Matrimonii Spiritualis quàm Matrimonii Carnalis vinculum fortius esse; Matrimonium tamen Spirituale Electione initiatum, Confirmatione ratum, Consecratione consummatum, accepta à Deo potestate dissolvi posse à Summo Pontifice, idcircò illum nos frustrà excusare, atque ab errore vitioque superbiæ liberum ostendere inutiliter conari: Hæc, *inquam*, aliaque similia irreverentiæ erga Summum Virum plena dici non possunt. Nam I. Trita est charitatis Regula, proximi dicta, facta, scripta, ita benignè interpretanda, ut quoad fieri potest, culpâ vacare videantur. Hæc autem Regula locum maximè habet, quando de proximo primi ordinis, qualis INNOCENTIUS III. qui inter Maximos Pontifices maximus fuit. II. Allatæ hactenùs interpretationes non violentæ, sed naturales apparent. III. In loco mox opposito INNOCENTIUS III. aliud nolle videtur, quàm palam facere cujus sit necessitatis, ut Spiritualis Matrimonii dissolutio ad Summum Pontificem pertineat; quod ut præstet, hoc utitur ratiocinio: *Matrimonium Spirituale fortiùs ligat quàm Matrimonium Carnale, sive consummatum, sive ratum; at Matrimonium ratum dissolvi nequit, nisi à Summo Pontifice, si tamen dissolvi queat; consummatum verò nec etiam à Summo Pontifice decet. Ergo ut quo casu Matrimonium Spirituale dissolvi potest, à Summo Pontifice solo dissolvatur.*

Cæterum dicta hæc volumus salvo meliore tantoque Pontifice digniore interpretamento.

Ex eadem circa transferendi potestatem doctrina sequitur, pœnæ reum fieri, qui sine Summi Pontificis licentia alium transfert. *De Translat.* Cap. 1.

REGULA XX.

Ejusdem ætatis sunt Textus, quibus constat quod Summo Pontifici reservata expressè fuerit Episcoporum Translatio, & Textus, quibus palam fit quod ipsi ita reservetur, ut Legatus à latere sine speciali licentia transferre non valeat, indultaque de transeundo ad alios Episcopatus strictè interpretanda sint.

Utrique petuntur ab INNOCENTIO III. Cap. 2. *De Translat.* Cap. 3. 4. *De Offic. Leg.* Cap. 4. *De Translat.* In eo INNOCENTIUS III. docet vi Indulti, quo Episcopo permittitur ut ad majorem Sedem transeat, ad parem transire non posse.

REGULA XXI.

Ex collectis Canonibus circa potestatem transferendi sequitur antiquiores sæculo X. qui Papæ illam reservant, supposititios esse, aliisque forsan locum dedisse.

Prima Pars patet ex eo quod desumantur ex Epistolis pseudo EVARISTI, pseudo CALIXTI, & pseudo ANTERI, qui sæculo IX. vixerunt in impostore considerati.

Altera Pars colligitur ex eo quod prædictæ Epistolæ, jam jam à duobus saltem sæculis receptæ erant ut legitimæ, quando alii Canones de hac Reservatione loquentes conditi fuerunt; cum autem suppositItii Canones EVARISTI, CALIXTI & ANTERI Pontificum II. vel III. sæculi nomen ferrent. Hinc fortè factum quod INNOCENTIUS III. sibi suaserit potestatem Episcopos transferendi Sedi Apostolicæ Jure Divino reservari; videns enim quod Pontifices adeò antiqui docuerant non transferendos Episcopos absque Sedis Apostolicæ autoritate, suum in animum inducere potuit hanc doctrinam à Discipulis Apostolorum hos Pontifices accepisse, Discipulos ab Apostolis, & Apostolos à Christo.

REGULA XXII.

Ut Canonica sit Translatio, requiritur non solùm quod legitima autoritate fiat, sed etiam quod justa subsit causa.

REGULA XXIII.

In toto Juris Corpore non aliæ probantur Translationum causæ quàm duæ, necessitas Ecclesiæ, illiusque utilitas.

Inter Regulas circa Translationes, cùm nulla sit quæ certior esse & videri debeat, quàm quæ circa legitimas illarum causas versatur, idcirco qui illam firmant Canones propriis verbis referentur, servato temporis ordine, atque ut illorum vis magis sentiatur ad id necessariæ explicationes, observationesque non omittentur.

Pseudo EVARISTUS Cap. 11. CAUS. VII. QUÆST. I. dicit: *Absque inevitabili necessitate Episcopo non licere Ecclesiam suam dimittere, ut alteri se conjungat.* Hujusmodi necessitati quam etiam requirit pseudo CALIXTUS *Cap.* 39. utilitatis causam addit.

Pluries citatus *Canon* 13. *Apostolorum* postquam vetuit, ne Episcopus à Civitate in Civitatem transeat, hæc maximè notanda ait: *Nisi aliqua rationabilis causa subsit, quæ hoc ipsum facere vi adigat, nempè quod plus lucri & utilitatis his qui illic* (quo scilicet transferendus) *sunt, verbo pietatis conferre possit, neque hoc tamen à seipso, sed multorum Episcoporum judicio, & exhortatione maximâ.*

Exi-

Exigere ergo videtur hic Canon urgentem necessitem, dum causam postulat, quæ vi adigat; & evidentem utilitatem, dum requirit ut plus utilitatis percepturus sit locus ad quem transferendus est Episcopus, quàm percipiat locus è quo transferendus est. De necessitate vel utilitate Translationis judicium transferendo non dimittit, ne sibi blandiens fallatur, sed multis Episcopis, nempè illis, quibus tota constat Provincia Ecclesiastica in quâ fieri debet. Translationem verò, tantùm abest, ut à transferendo quæri permittat, quin potiùs velit ab illo, non nisi Episcoporum exhortatione, acceptari.

Non prætermittendum nedum in relatis verbis, sed nec in omissâ parte ullum verbum legi, quo significetur non posse quem transferri, nisi à minori ad majorem Episcopatum, imò contrarium insinuari, dum docetur sufficere, ut transferendus loco ad quem transferendus utilior futurus prævideatur.

Concilium Carthaginense IV. anno 398. celebratum alterius ex Translationum causis meminit, nempe utilitatis, dum ait: *Sanè si utilitas Ecclesiæ transferendum poposcerit Episcopum, &c.* Quibus verbis significat, non aliam se probare Translationis causam quàm prædictam Ecclesiæ utilitatem; nec mirum cùm Ecclesiæ necessitas ad illius utilitatem etiam redundet.

Pelagius II. à Benigno Archiepiscopo anno 581. consultus an Translationes Episcoporum licitæ forent, respondit alias esse licitas, alias illicitas; licitas, quæ ex justa causa & legitima autoritate fiunt; illicitas, quæ ex iniqua causa & autoritate non legitima; causas justas esse necessitatem & utilitatem; iniquas verò præsumptionem, propriam voluntatem, avaritiam, dominationis vel delectationis amorem; uno verbo legitimas esse Translationes in quibus Episcopus mutatur, non mutat; illegitimas, è contra in quibus mutat & non mutatur; mutari autem, qui sola necessitatis vel utilitatis causa, non spontè transfertur; mutare verò, qui alia ex causa & spontè transfertur.

Hactenus Pelagii sensa tantùm retulimus, & clariori quo potuimus ordine, nunc propria ipsius verba transcribenda.

Sciat, Frater Dilectissime, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis, aliud causam præsumptionis, vel propriæ voluntatis. Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est, *qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis, migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur; nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est; aliud est enim mutare, aliud mutari .... nam aliud est spontè transire, & aliud est coactè, aut necessitate venire; undè non isti mutant Civitates, sed mutantur, quia non spontè, sed coactè hoc agunt ...... non ergo benè intelligunt Ecclesiasticas Regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit.*

Relata verba in *Canone* 35. Caus. VII. Quæst. I. leguntur. Hoc in loco habent, qui transferuntur, verum non adulatorium speculum, in quo si velint, quid de Translatione sua sentire debeant, clarè & sine errore videbunt. Hinc, qui transferri volunt quia sibi commodiores Sedes, vel digniores, vel opulentiores quærunt, se illegitimè transferri, judicabunt. Hinc, qui suâ contenti Sede transferri nolunt, etsi ipsorum Translationem proximi utilitas postulet, discent se injustè recusare, idque quia unius utilitati, & voluntati, plurimorum utilitas præferenda est. Hinc, qui propria seducti cupiditate ad majores Sedes se vocari putant, ac idcircò transferri appetunt, non legitimam fore Translationem suam facilè advertent, idque quia non coactè sed spontè transferuntur. Hinc, qui Translationi consentit, quia sibi non aliis utilior, agnoscet Translationis suæ causam non esse Canonicam, quia communis illam utilitas non persuadet.

Eadem in Epistola idem Pelagius *Can. 36. ejusdem* Caus. *&* Quæst. exempla suppeditat, quibus judicare licet quando necessitas vel utilitas ad Translationem moveant. Necessitatis exemplum habes in prima Canonis Parte, quos enim persecutio ad alias Civitates fugere cogit Episcopos, hos justè transferri dicit; hæc autem sunt illius verba: *Nec ipsi*, (id est, *Episcopi qui persecutionem fugiendi causa ad alias migrant Civitates*) *in hoc peccant Episcopi, quia non spontè, sed coactè hoc agunt.* Idem confirmat in fine Capitis his verbis: *Necessitatem patienti negat misericordiam, qui Episcopum ejectum, & persecutionem patientem causa necessitatis, aut utilitatis inthronizari non permittit.* Quod in duobus his locis de Episcopis persecutionem fugientibus dicitur, de persecutione intelligendum, quæ adeo personalis videtur, ut Pastoris dispersione gregi nocere Persecutorem velle non appareat. Id etiam extendendum ad eos, qui ratione ægritudinis, ex aëris intemperie sibi non aliis nociva nascentis, ad alium Episcopatum migrare cogitur; par enim utrobique videtur ratio.

Necessitatis & utilitatis exemplum habes in altera Capitis Parte §. 2. Hos etenim justè transferri asserit Episcopos, qui populis Episcopo maximè egentibus, vel doctiori, utiliorique in Pastorem eo solo fine dantur. Hæc autem istis terminis exprimit: *Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus Divinis Ministeriis, & non habentibus proprium Episcopum, qui illos instruat, causa utilitatis, atque necessitatis ex alia Civitate licèt minor sit, in eam, quæ non habet Episcopum doctiorem vel utiliorem, meliori consilio non spontè transeuntem, sed Majorum exhortatione mutare.*

Quibus verbis Pelagius non solùm necessariæ, utilisque Translationis exemplum subministrat, sed præterea docet Translationem hujusmodi tanti æstimandam, quanti faciendum est optimum misericordiæ opus; nec in ea attendendum an Episcopatus ad quem transferendus est Episcopus deserendo major vel minor, sed an transferendo Episcopo grex egeat, istique profuturus non immeritò speretur.

Attamen non omittendum hanc Epistolam Pelagii, ex qua tot præclara, optimaque desumpta sunt, supposititiam haberi à Doctis, ut notat Labbæus, dum illam refert Concil. Tom. V. *p.* 931. Sed suppositionem in hoc non nocere, cùm Epistolæ utilitatem nequaquam minuat.

Quod de Episcopis ob persecutionem alias in Civitates migrantibus dixit Pelagius II. hoc explicat Sanctus Gregorius Cap. 49. Caus. VII. Quæst. I. verbis ex secundo libro Dialogorum *Cap.* 3. desumptis; mirumque in modum confirmat, docens perfectos hac in re vitæ conservationi non attendere, sed præ oculis id unum habere, ut desertis quibus propter persecutionem inutiles sunt, aliis utiles fiant: Post notatos etenim casus, quibus propter bonos mali portandi sunt, nempè quoties hinc bonis fructus aliquis provenit, hæc addit: *Sæpe agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est; quia cùm laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant*, quod illustrissimo Divi Pauli probat exemplo, his subjunctis verbis: *Unde ille quoque egregius Prædicator, qui dissolvi cupit, & cum Christo esse, cui vivere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina non solùm ipse appetiit, sed ad toleranda hæc & alios accendit*, Damasii *persecutionem passus, ut possit evadere, murum, funem, sportamque, quæsivit, seque latenter deponi voluit. Numquid* Paulum *mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Jesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorem fructum sibi adesse conspiceret, ad gravem laborem se alibi cum fructu servavit; fortis enim Præliator Dei teneri intra Claustra noluit, certaminis campum quæsivit.*

Ex allato S. Gregorii testimonio quàm justa sit Translationis causa proximi utilitas, nemo non

non videt: Quis perfectorum, quis Pauli exemplum fequens aberrare timebit? Unum tamen id maximè cavendum eſt, ne quis ſuo ductus lumine de ſperando fructu judicet ſua in cauſa, quem judicem eſſe res eſt periculi plena. Idcircò antequam Epiſcopus Tranſlationem meditans, mentem ſuam audiat ſibi dicentem illam proximo utilem futuram, meminiſſe oportet ſuprà dati à PELAGIO II. moniti, non ſpontè judicioque ſuo ad alium Epiſcopatum transeundum, ſed Majorum exhortatione, qui in aliena re Judices ſanius judicium ferent: Sicut imperfectorum eſt in perſecutionis fuga miſeræ vitæ conſervationem ſolùm vel præcipue intendere, ita perfectorum eſt in illa ſolum animarum fructum quærere: Perfecti fugiunt & appetunt mortem, nec ideò ſibi ipſis contrarii ſunt, ex uno ſiquidem eodemque fonte fluunt & fuga & appetitus; nempe ex ardenti Dei amore, cùm mortem appetant, ut, quem ſupra omnia diligunt, Deo fruantur, mortem verò fugiant, ut cujus gloriam quærunt, Deo ſerviant.

Suppoſita ANTERO Epiſtola, quæ ineunte ſæculo IX. videri cœpit, multa habet circa Canonicas Tranſlationum cauſas, neceſſitatem nempe, & utilitatem, quæ ex priori PELAGII II. loco ſuprà citato deprompſit; allatis tamen à PALAGIO circa cauſas illas tria exempla addidit, quæ hic notare convenit: Hæc autem ſunt: *Petrus Sanctus, Magiſter noſter & Apoſtolorum Princeps, de* ANTIOCHIA *utilitatis cauſa tranſlatus, Romam ut ibidem potiùs proficere poſſet.* EUSEBIUS *quoque de parva quadam Civitate mutatus eſt* ALEXANDRIAM. *Similiter* FELIX *de Civitate in qua ordinatus erat, propter doctrinam, bonamque vitam tranſlatus eſt* EPHESUM.

Ex his exemplis primum verum eſſe conſtat, de cæteris non conſtat.

Exeunte XII. ſæculo INNOCENTIUS III. eaſdem Juris Regulas ſequutus, non alias Tranſlationum cauſas agnoſcit quàm neceſſitatem, utilitatemve Eccleſiæ; illius rei teſtimonium habemus in *Cap.* 3. *De Tranſlat.* in eo enim referens quomodo reſervata ſibi Epiſcopos transferendi poteſtate Summus Pontifex utatur, *illum ait Epiſcopos transferre Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata.*

Similia docet idem INNOCENTIUS Cap 3. *de Poſtul. Prælat.* in quo Cardinalem ab Eccleſia RAVENNATENSI in ipſius Archiepiſcopum poſtulatum denegat, dicens: *Utiliorem eſſe Romanæ Eccleſiæ, imò & Eccleſiæ Generali, quàm futurus eſſet Eccleſiæ* RAVENNATENSI, *& ſpeciali utilitati communem, & minori majorem præferendam eſſe.* Quibus verbis manifeſtum fit ex tanti Pontificis ſententia primam Tranſlationum cauſam eſſe publicam Eccleſiæ utilitatem. Eadem inſinuat idem INNOCENTIUS III. Cap. 4. *De Translat.* dum dicit: *Epiſcopum cui indultum eſt, ut ad Majorem Sedem poſſit transferri, ex illa indulgentia parem accipere non poſſe, idque quia ad majorem propter majorem utilitatem faciliùs diſpenſari ſoleat.* Idem quoque docet *Cap.* 30. *De Elect.* in quo Epiſcopi CONVENARUM ad Epiſcopatum TOLOSANUM Tranſlationem, ſi neceſſaria vel utilis ſit, approbat.

Ejuſmodi rei confirmandæ cauſa infiniti propemodum huc adduci poſſent Canones, quibus, dum *De Diſpenſationibus*, oſtenſum eſt circa Leges publicam Eccleſiæ utilitatem reſpicientes, diſpenſandum non eſſe, niſi id poſtulent urgens Eccleſiæ neceſſitas, vel evidens illius utilitas; inter Diſpenſationes ſiquidem non minima eſt Epiſcoporum Tranſlatio.

Quæ de Canonicis Tranſlationum cauſis huc uſque dicta ſunt, impugnari poſſent per *Caput* I. SESSIONIS XXIII. *De Reform.* in quo *Concilium* TRIDENTINUM à reſidendo Diſpenſationis quatuor cauſas recenſet; nempe Chriſtianam charitatem, debitam obedientiam, urgentem neceſſitatem, evidentem Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitatem. Sed Objectionis hujus vis facilè retunditur; cauſarum etenim illarum prima & ſecunda ad tertiam & quartam reducuntur, cùm Chriſtiana charitas exigat, ut Eccleſiarum neceſſitati provideatur, utilitative conſulatur; obedientia verò non debeatur, niſi juſta ſint quæ præcipiuntur; juſtum autem non ſit circa Tranſlationes præceptum, niſi neceſſariæ utileſve ſint.

Circa cauſas obſervandum contingere poſſe, vel vitio populi, vel Epiſcopi defectu, ut Epiſcopus magnæ Diœceſis inutilis, vel minùs utilis ſit, parvæ verò profuturus prævideatur. Epiſcopi defectu ob maximam animi dotium mediocritatem; vitio populi, ob iſtius in illum odium, atque ideò ut illius Tranſlationem à magno Epiſcopatu ad parvum neceſſitas, utilitaſque Eccleſiæ poſtulent. Quod de Epiſcopatu dictum eſt, ad Archiepiſcopatum extendendum, ſive cum alio comparetur, ſive cum Epiſcopatu.

Nec obſtare obſervationi expoſtulationem INNOCENTII III. contra Patriarcham ANTIOCHENUM, qui electum & confirmatum in Archiepiſcopatum APPAMIENSEM, in Epiſcopatum TRIPOLITANUM tranſtulerat, his conceptam verbis: *Miramur quod* APPAMIENSEM *electum in* TRIPOLITANAM *Eccleſiam tranſtuliſti, & novo quodam mutationis genere partificaſti majorem, & magnum quodammodo minoraſti; Epiſcopare Archiepiſcopum, imò potius dearchiepiſcopare præſumens*: Expoſtulatio enim hujuſmodi ex ipſo Tranſlationis genere non naſcitur, ſed ex eo quod ſine legitima autoritate facta eſt, & ſine juſta cauſa, imò ex injuſta fortè; nempe ex malitia, aliave ſimili prava animi affectione. Nec etiam obſtare in toto Juris Corpore nullum ejuſmodi Tranſlationis exemplum extare ab eodem probatum: Hinc enim inferre non licet illam nunquam fuiſſe factam, quia non Canonica viſa eſt, cùm aliundè provenire poſſit prædictum Juris circa hanc rem ſilentium, nempè rarum admodùm ſit aliquem reperiri adeò humilem, modeſtumque, ut tali Tranſlationi conſentire velit.

Obſervandum etiam *Concilium* SARDICENSE Cap. 1. *De Cler. non Reſid.* inſinuare, quod ſi ex ambitione Epiſcoporum Tranſlationes non procederent, à majori ad minorem Eccleſiam tranſirent, ſicut à minori ad majorem, nimirum quoties minori Eccleſiæ neceſſarii eſſent, vel utiliores illi quàm ſuæ ſe futuros ſperarent.

Obſervandum quoque neceſſariam eſſe Epiſcopi Tranſlationem, quando in Eccleſia vacante Prælatorum Prædeceſſorum negligentia, aliave de cauſa Hæreſeos peſtis invaluit, atque ad illam extirpandam alius non occurrit æque idoneus, ſive literarum ſcientia, ſive converſationis ſuæ exemplo ac prædictus Epiſcopus: Hoc autem manifeſtè docere INNOCENTIUM III. Cap. 30. *De Elect.* dum Epiſcopi CONVENARUM Tranſlationi conſentit, ſi ſimilis ſubſit transferendi cauſa.

Obſervandum iterum ad Epiſcopi conſecrati Tranſlationem majorem requiri cauſam, quàm ad Epiſcopi non conſecrati Tranſlationem, quia majus eſt vinculum.

Non omittendum quæ de Epiſcopalium Tranſlationum cauſis dicta ſunt, ad alias Tranſlationes etiam Monachales extendenda; ideóque *Caput.* 2. *De Statu Monach.* docere non transferendos Priores Conventuales, niſi pro neceſſitate majoris Officii.

Circa transferendi autoritatem notandum, de Epiſcoporum Tranſlatione non idem eſſe ac de abſolutione à cenſuris Papæ reſervatis: In iſtis enim nonnulli ſunt caſus quorum abſolutio Ordinario permittitur, ut patet in excommunicatione Canonis *Si quis ſuadente*, quorum caſus alii ſoli Papæ, alii Epiſcopo, vel Abbatibus competunt: In illa verò minores caſus ut majores Papæ reſervantur; ad illum enim æque pertinet Tranſlatio electi & confirmati in Epiſcopum, ac Epiſcopi conſecrati, etſi illius vinculum multominus ſit quàm iſtius, eodem planè modo, quo quis minus ligatur Matrimonio rato quàm Matrimonio conſummato, cùm poſt prius liceat in Religionem tranſire, ſecùs poſt poſterius.

Obſer-

Observandum XII. sæculo nondum benè creditum Translationem Episcopi, saltem non consecrati, reservatam fuisse Summo Pontifici, cùm *Cap.* I. *De Translat.* Patriarcha ANTIOCHENUS Episcopum hujusmodi transferat; & *Cap.* 2. *ejusdem Tituli* Archiepiscopus ROTHOMAGENSIS, & Archiepiscopus TURONENSIS, Electum ad Episcopatum ANDEGAVENSEM ad ABRINCENSEM transferant.

REGULA XXIV.

Contra non Canonicè Translatum duplex tantùm pœna à Jure decernitur.

I. A Communione Laïcâ etiam in fine vitæ excluditur. *De Elect.* Cap. 2.

II. Ecclesiâ spretâ & Ecclesiâ ambitâ privatur. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 31. 32. *De Translat.* Cap. 3. *De Elect.* Cap. 25. *in Parte decisa.*

Circa priorem pœnam nota, illam à *Concilio* SARDICENSI anno 347. latam, apud GREGORIUM IX. restringi ad impœnitentiæ casum; sed nec apud DIONYSIUM *Exiguum*, nec in prima antiquarum Collectionum hujusmodi restrictionem legi, rigidæ quoque illius temporis disciplinæ non convenire; huic pœnæ decernendæ causam dedisse Episcoporum ambitionem, qui sine justa causa, improba fraude, seipsos transferebant; illorum enim nonnulli præmio & mercede corruptum populum movebant, ut illos postularent, atque ut ambitiosam excusarent Translationem, illius populi literas producebant, quibus se illos in Pastores expetere significabant. Communione Laica hic intelligi Eucharistiæ participationem inter Laïcos, vel eo modo quo Laïci, ut ostensum dum de Excommunicatione Clericis propria.

Circa posteriorem quoque pœnam nota illius autorem esse Sanctum LEONEM anno 445.; id probat *Can.* 31. citati inscriptio, qui illius primus meminit: à *Concilio* MELDENSI anno 845. renovatam, ut patet ex inscriptione *Canonis* 32. etiam citati: & ab INNOCENTIO III. executioni mandatam contra Episcopum HILDESHEMENSEM, non Canonicè Translatum; cujus rei fidem facit *Cap.* 3. *De Translat.* quoque citatum: Pœnam istam in priore includi, cum probabile nequaquam sit Ecclesiæ Episcopalis administrationem relictam esse Episcopo, qui Communione Laica etiam in morte indignus habebatur: LEONEM tamen illius Autorem esse, quia illam primus expressè decrevit, aliam verò ut duriorem abrogatam voluisse, cùm illius mentionem nullam faciat; verosimillimum esse concupita Ecclesia ita privari ambitiosum, ut illam administrare, nec quoad temporalia, nec quoad spiritualia sibi liceat; si verò illam administret, eo ipso excommunicatus sit *Cap.* 3. *De Translat. prout habetur in integra*: Decretam à LEONE pœnam sub HILARIO non servatam anno 461. *Canone enim* 30. CAUS. VII. QUÆST. I. IRENEO ad BARCINONENSEM Ecclesiam non Canonicè Translato primam Sedem dimisit, contentus ipsum concupita privari, vel potius propter Ecclesiasticarum Legum ignorantiam huic Episcopo pepercisse HILARIUM; quod insinuant ista verba: *Per sacerdotalem modestiam sedatis voluntatibus, quæ per ignorantiam Legum Ecclesiasticarum desiderant obtinere, quod non licet*: Venia autem dignum fuisse, quia à Nundinario Successore expetitus fuerat, & à TARRACONENSI Metropolitano suo, & à Consuffraganeis concessus fuerat.

REGULA XXV.

Nullo sæculo Episcoporum Translationes fuere frequentiores quàm IV. sæculo, si ex Corpore Juris Canonici de hoc judicatur.

Regulæ Fundamentum: Quarto sæculo Episcoporum Translationes à quatuor *Conciliis* prohibitas fuisse docent relati in Corpore Juris Textus. Hæc autem esse *Concilium* NICÆNUM anno 325. *Concilium* ANTIOCHENUM anno 341. *Concilium* SARDICENSE anno 347. *Concilium* CARTHAGINENSE IV. anno 398. Ex quibus duo Generalia sunt, alia duo Particularia; sed celeberrima *Conciliorum* illorum cùm alia sint Ecclesiæ Orientalis, qualia NICENUM & ANTIOCHENUM; alia Ecclesiæ Occidentalis, qualia SARDICENSE & CARTHAGINENSE; alia in Asia, alia in Africa, alia in Europa celebrata sint; alia initio IV. sæculi; alia in medio; alia versus finem; consequens est ut in utraque Ecclesia, ac in qualibet Mundi Parte, toto hoc sæculo, si non eodem saltem diverso tempore, viguerint. Canones non frustra condi, mala subsequi, non prævenire curationem, non præservationem intendere certum est: Locis ergo & tempore de remedio cautum est, morbum invaluisse oporter. Morbi autem hujus causam fuisse creditur ardens quo ARIANI flagrabant studium, suum ubique diffundendi venenum, cui mirum in modum inserviebant Translationes.

Sunt qui existiment XII. sæculo Translationes frequentissimas fuisse, idque ex Decretalibus GREGORII IX. autoritate collectis colligi; sed ex iis tantùm inferre licet INNOCENTII III. tempore complures factas fuisse, quinque enim sunt sub Titulo *De Postulatione* Capitula, & quatuor sub Titulo *De Translatione*, quæ de diversis Translationibus sub INNOCENTIO III. factis mentionem faciunt, ac utraque ad illum Pontificem pertinent: Præterea *Cap.* 23. 30. 40. *De Elect.* ad eumdem INNOCENTIUM III. spectantia de Translatione sermonem faciunt; alia autem in tota GREGORII IX. Decretalium Collectione Capitula circa Translationem non reperimus.

Inter supposititias Summorum Pontificum Epistolas, quæ in favorem Sedis Apostolicæ confictæ, extant nonnullæ, quæ agnoscunt Translationes Episcoporum fieri posse autoritate Metropolitani: Talis est præ cæteris Epistola prima PELAGII II. suprà citata; hæc enim haber, scribens BENIGNO Archiepiscopo: *Episcopum super quo consulere voluisti mutare causa necessitatis aut utilitatis, & alios fratres nostros, quos ad id faciendum necessitas, vel utilitas compulerit, agere doce. Concil.* TOM. 5. *p.* 934. *E.* Hæc de Translatione de qua fusè egimus, quia de illa plurimi Textus Juris.

§. VI.

Regula de erigendis Episcopiis è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *deprompta.

Circa erigenda Episcopia pauca discutienda occurrunt; hæc enim omnia reducuntur ad tria puncta. I. A quo? II. Quibus de causis? III. Quæ in Erectione servanda.

REGULA I.

Nullus est Juris Textus, qui Episcopatuum Erectionem Papæ expressè reservet.

Non obstat *Cap.* 4. *De Offic. Legat.* cùm in illo de Primatiæ Erectione agatur; hîc verò de erigendis Episcopiis, quod multò minus est, etsi istud ex illo inferri posset; non probaret hic Textus Episcopatuum Erectionem in Jure Papæ expressè reservari; cùm majora sine minoribus reservari queant.

Non obstat *Canon* 53. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo GREGORIUS II. Legato suo BONIFACIO *præcipit, ut vigore Apostolicæ Sedis Episcopos constituat*: Is enim Textus probat tantùm Episcopatus Papam erigere posse, sed non probat id sibi reservari: Præterea hoc in Textu agitur de Episcopiis erigendis in Regione, in qua vix alius erat quam Papa,

Papa, vel Legatus illius, qui erigere posset, nempe Germania, cujus BONIFACIUS prædictus Apostolus fuit; vel tamdem dicendum clausulam vigore Apostolicæ Sedis positam ad obstacula cuncta tollenda.

Non obstat *Can.* I. DIST. XXII. in quo NICOLAUS II. ait: *Romanam Ecclesiam cunctas Episcopatuum Cathedras instituisse.* Id enim intelligendum vel de Ecclesia Universali, cujus Caput est Romana Ecclesia, vel deceptus est NICOLAUS ab Epistolis supposititiis, quæ singulas Ecclesias à Romana Ecclesia fundatas dicunt, quod ipsi veræ Ecclesiasticæ Historiæ Tirones nunc falsum esse norunt.

Non obstat *Canon* II. DIST. XI. in quo INNOCENTIUS I. ait: *Manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, ejusque Successores constituerunt Sacerdotes.* In eo enim non agitur de Episcopatuum Erectione, sed de Ecclesiarum fundatione, inter quas enumerandæ sunt Parochiales, sicut & Episcopales; unde si hinc concludere liceret Episcopatus Erectionem ad Papam pertinere, inferri idem posset de Ecclesiis Parochialibus. Præterea ex eo quod quædam ab Apostolicis viris facta sunt, malè concluditur illa reservari ei à quo missi sunt, cùm multa sibi convenirent ut Episcopis, & ut Presbyteris.

Non obstant *Canones* 11. 12. CAUS. II. QUÆST. VI. in quibus VIGILIUS & GREGORIUS IV. aiunt: *Ecclesiam Romanam aliis vices suas commisisse, easque vocasse in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis:* Nam priùs ostendendum esset Episcopatuum Erectionem ad potestatis plenitudinem pertinere, quod nullo Juris Textu fieri potest. Præterea ex eodem facti errore manasse videntur citata verba, nimirum *Aliarum Ecclesiarum Matrem esse Ecclesiam Romanam, ipsa illarum fundatione.*

Nec obstat *Canon* 25. CAUS. XXV. QUÆST. II. in quo GELASIUS Civitatem, quæ Episcopum suum semel & iterum interemit, Dignitate Episcopali exuit; etsi enim major requiratur autoritas ad tollendum Episcopatum quàm ad erigendum juxta INNOCENTII III. effatum, *Cap.* 2. *De Translat.* ex opposito facto nihil concludi potest, nisi in quibusdam locis à Papa erigi posse Episcopatus, sicut in quibusdam tollere potest.

REGULA II.

Apud GRATIANUM extant Textus, qui à *Conciliis* Particularibus Episcopatus erigi posse ostendunt.

Textus hujusmodi sunt *Canones* 50. 51. CAUS. XVI. QUÆST. I. In his enim *Concilium* CARTHAGINENSE II. celebratum anno 390. *Concilium* AFRICANUM anno 424. certis casibus Episcopatus erigendi facultatem prædictis *Conciliis* concedunt, alii renuunt.

REGULA III.

Apud GREGORIUM IX. extat etiam Textus, qui XIII. sæculo Metropolitanum adhuc potuisse Episcopatus erigere evincit.

Habetur is Textus *Capite* 16. *De Major. & Obed.* in eo enim GREGORIUS IX. anno 1229. refert Archiepiscopum COLOCANSEM in Hungaria Monasterium in Episcopatum erexisse, eamque Erectionem probat: nec ullam à Papa commissionem supponere convenit, cùm ex nullo Textu appareat antea reservatam Papæ Episcopatuum Erectionem.

REGULA IV.

Nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO quidquam legitur, ex quo certò inferre liceat Episcopatûs Erectionem Papæ reservari.

Non obstat *Caput* 4. *De Officio Legati.* Ex eo enim quod Primatia à solo Papa erigi possit, certò non concluditur ab ipso solo Episcopatus erigi posse, cùm Primatia sit aliquid longè majus quam Episcopatus simplex.

Nec etiam id colligere licet ex eo quod Episcopatus onire solius sit Summi Pontificis, cùm Episcopatum supprimere, quod vi Unionis fit, Episcopatûs Erectione quid sit præstantius.

Non obstat *Caput* 2. *De Translat.* in quo INNOCENTIUS III. Depositionem & Cessionem Episcoporum Summo Pontifici reservari asserit. Ad illa enim propter Matrimonii Spiritualis dissolutionem major potestas requiritur quàm ad Episcopatum erigendum, *De Translat.* Cap. 2.

Nec obstat *Cap.* 8 *De Rebus Ecclesiæ alien.* in quo CELESTINUS III. scribens Archiepiscopo RAVENNATENSI dicit: *Ex fidelitatis Sacramento teneri sine Sede Apostolica nihil alienare*; unde colligi posse videtur nullam fieri posse inconsulto Pontifice Erectionem novi Episcopatûs ex alienatione rerum ad alium Episcopatum pertinentium. Juramentum siquidem, de quo citato Capite, Archiepiscopo RAVENNATENSI, aliisque similibus Sedi Apostolicæ immediatè subditis, peculiare fuisse videtur, cùm juramentum quod Episcopi communiter præstare tenentur de alienatione inconsulto Papa non facienda, nullam mentionem faciat; hoc autem juramentum refertur *Cap.* 4. *De Jurejurando.*

Præterea cùm in odiosis versemur (Reservationes enim odiosæ sunt) ab alienatione rerum temporalium ad Plebis Cleriquе alienationem, quæ in Episcopatûs Erectione fit, consequentia non valet.

Non obstat *Cap.* 5. *De Præb.* EXTRAVAG. COMM. in quo JOANNES XXII. plures erigit Episcopatus, idque ad suum officium pertinere dicit. Tot enim hoc in facto insititæ implicantur, ut nihil certi concludi queat pro simplici Episcopatûs Erectione; cùm reverà JOANNES XXII. ibidem Episcopatum TOLOSANUM in Metropolim erigat, eumdem Episcopatum quoad spiritualia & temporalia in quatuor Episcopatus dividat, eosdemque tamquam Suffraganeos novo Metropolitano subjiciat, Episcopatus plures præter TOLOSANUM NARBONENSI Archiepiscopo subtrahat, ut THOLOSANO subjiciat, nulla tamen facta NARBONENSI Archiepiscopo indemnitate. Præterea in citato Textu nonnihil fecisse JOANNEM XXII. legitur quod Pontificalem haud dubiè excedat potestatem, Villas quatuor in Civitates erigendo extra Ditionem suam temporalem, & Civitatum nomine insigniendo; undè cùm in illo nimium sibi tribuat, Textus iste invictè probare non posset ad Papam solum Episcopatûs Erectionem pertinere, etsi id expressè diceret. Nec ad id quod de Villarum in Civitates Erectione dictum est, respondere licet JOANNEM id fecisse, consentiente potestate temporali, cujus id erat; nam cuicumque, etiam Regi, ne illorum quæ mandat executionem impediat, prohibet, excommunicatque qui impedierit, nisi intra octo dies resipuerit.

Non obstat *Caput* 1. *Ne Sede vacante*, tùm quia in illo dicitur tantùm à Papa erectum esse Episcopatum, & per Papam fieri posse quod per inferiores effici quoque potest; tùm quia Papa ibidem erigit & unit erectum Episcopatum alteri Episcopatui; Unio autem Episcopatuum Papæ reservatur *De Off. Leg.* Cap. 4.

Ex dictis circa necessitatem ad Episcopatum erigendum potestatem, patet illam Erectionem inter Causas Majores, in Corpore Juris clausas, numerandam non esse.

REGULA V.

In Occidentali Ecclesia jam diu invaluit usus; ut à solo Pontifice Episcopatus erigantur, etiam in Gallia.

Regu-

Regulæ hujus tot habemus testimonia, quot erecti sunt à tribus quatuorve sæculis Episcopatus; quod ex Episcopos confirmandi Jure, quo saltem à XIII. sæculo in Occidentali Ecclesia gaudet Papa, introductum esse videtur.

REGULA VI.

Generales erigendi causæ, ad quas expressæ in Jure reducuntur, non sunt aliæ quàm urgens necessitas, vel evidens utilitas.

Patet ex sequenti.

REGULA VII.

Episcopatus erigendi causæ non aliæ in Jure exprimuntur quàm istæ.

I. Si fide Dei crescente, populus multiplicatus proprium desideret habere Episcopum. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 50. Prout est in Correctoris Romani nota. *Ibidem.* Cap. 53.

II. Quando tàm lata diffusaque Diœcesis, ut unicus Pastor quæ Pastoris sunt implere nequear, populoque durum est ad unum babere recursum. *De Præb.* Cap. 5. Extrav. Comm.

III. Si Episcopatûs latitudini juncta opulentia luxûs mareriam subministret. *Ibidem.*

Hinc colligere licet quautùm hallucinati sint, qui parum adeò necessarios Episcopos senserunt, ut unum io Regno quolibet sufficere existimaverint.

REGULA VIII.

Episcopatum erigentis non alii esse debent fines quam Laus Dei, Ecclesiæ Exaltatio, fidelium Salus. *Ibidem.*

REGULA IX.

Ex his quæ ad erigendum Episcopatum requiruntur, non alia in Jure exprimuntur quàm ista.

I. Ut populus, cui novus dandus est Episcopus, illum desideret. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 50. juncta Cotrectoris Romani nota.

II. Ut Episcopus, cui prædictus populus subest, consentiat; idem dicendum de ipsius Capitulo. *Ibid.* Cap. 51. *de Majorit. &c.* Cap. 17.

III. Locus in quo constituitur Episcopus, is esse debet, ut ex loci qualite oon vilescar Episcopatus Dignitas, ideò non Viculus, non Vicus, non Castellum, non Villa, sed major populus, Civitas frequentior. *Ibid.* Cap. 53. Dist. LXXX. Cap. 3. 4. 5. *De Privil.* Cap 1.

IV. Patronus, cujus interest, consentire debet; Patroni autem interesse potest, si Ecclesia Episcopalis, cujus populi pars detrahitur ut Episcopo novo subjiciatur, Patronata sit, vel si Ecclesia, quæ in Episcopalem erigitur, à Patrono etiam dependeat. *De Ædif. Eccl. Cap.* 3. Etsi loquatur tantùm de Parochiæ Erectione ad Episcopatûs Erectionem Jure extenditur ob tationis paritatem.

V. Si ad Episcopatus erigendi dotationem alicui Ecclesiæ bonorum suorum pars detrahatur, vel Ecclesia cum reditu suo uniatur, tunc quæ ad alienationem vel ad Unionem requituurur, servanda sunt.

VI. Ut Episcopo novo mille ducatorum reditus saltem assignetur. Sess. XXIV. Cap. 13.

VII. Vocandi qootum interest, sed singulorum consensus necessarius non videtur, nec etiam ad hoc ut valeat Episcopatûs Erectio, necessaria apparet hujusmodi vocatio, sed ad solemnitatem tantùm requiri.

Primum insertur ex *Cap.* 16. *De Majorit.* Si enim Archidiaconus Erectioni Monasterii sui Districtûs io Episcopatum consensisset, in illud postea Jurisdictionem sibi non vendicasset, ex *Cap.* 1. *Ne Sede Vac.* Nam si Monasterium Glaston. sui Districtûs in Episcopatum Erectioni assensum præbuisset, dissolvi illam Erectionem deinde non petiisset, nec petitio ejus audita fuisset. Secundum patet ex Clementina II. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, quæ Beneficii Rectoris consensum non requiri declarat, ut illius Unio valeat; ex *Cap.* 3. *De Ædificandis Ecclesiis*, in quo ad Erectionem Parochiæ novæ intra veteris limites, istius Rectoris consensus non exigitur, sed solus Fundatoris assensus; ex *Cap.* 5. *De Præb.* Extravo. Comm. in quo Joannes XXII. Archiepiscopatum Tolosanum erigit inconsulto Archiepiscopo Narbonensi, cui oon solùm Tolosanum Episcopum, sed plures alios Suffraganeos subttahebat. Hoc autem in Gallia non tolerarur.

Secundum ex primo colligitur; nam si inter vocandos sint quorum consensus non requiritur, sequitur quod illotum vocatio non ad actûs substantiam, sed tantùm ad solemnitatem pertineat.

Verùm neuttum pro certo datur: cirati namque Textus, vel de Episcopatu non loquuntur, vel nimium probant, vel non ostendunt aliquorum ex his quorum iotereſt defuisse, quod ex cujusque illorum discussione mox patebit.

Non repugnat Archidiaconnm de quo *Cap.* 16. *De Majorit.* consensisse, ut Monasterium sui Districtûs in Episcopatum erigeretur, & postea priora in in illud jura petere perrexisse, quia Erectioni huic consentiens existimare potuit, ea mutatione, jura sua se non amissurum.

Quidni etiam Monasterium Glaston. de quo *Cap.* 1. *Ne Sede Vac.* potuerit suæ in Episcopatum Erectioni consenrite errore, vel incuria, & postea melius consultum, vel proprin usu expertum, suam in pernitiem hanc vergere Erectionem, contra suum factum, ut relevaretur petere; imò tem ita sese habuisse verosimillimum est, cùm Monasterium exponat quod hac Erectione dissolveretur Religio, fraudaretur Eleemozina, & Hospitalitas rolleretur: Papa verò dicat se ad Monasterii statum relevandum intendere. Nec in hoc novi quidquam est; læsæ namque Ecclesiæ contra acta sua in integrum restitui consueverunr tàm Juris Civilis, quàm Juris Canonici Beneficio *De in integrum Restit.* Cap. 1. 2.

Tantum interest discrimen inrer Unionem Rectore oon consentiente factam, de qua Clementina II. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, & Episcopatûs intra alterius limites Erectionem, inconsulto Episcopo veteri susceptam, ut ab illa ad istam consequentia non valeat. Quid enim ex Unione Rector amittit, nisi resignandi facultatem? Ex Erectione verò de qua hìc Episcopatus portionem sui perdit Episcopus.

Non negandum invito Parochiæ Rectore intra illius limires justa de causa erigi posse, juxta *Cap.* 3. *De Ecclesiis Ædificandis*: Sed hinc non sequitur Episcopatum intra alterius Districtum erigi posse, Episcopo oon consentiente; nam præterquam quod sine personarum acceptione, alia haberi potest de Episcopo ratio, alia de simplici Parochiæ Rectore, sunt Textus, qui Episcopi veteris consensum expresè postulant; talis antem *Can.* 51. Caus. XVI. Quæst. I. sunt etiam qui id non obscurè insinuant; talis est *Cap.* 17. *De Majorit.* quod ad compositionem super Episcopatus Jure non solùm Episcopi, sed & Capituli consensum exigit. Ad eludendos hos Textus oporteret ut extarent, qui his quoquo modo derogarent, eo usque illos suam habere vim justè existimatur.

Multo minùs urget Extravag. V. *De Præb.* Ex illa enim patet Joannem XXII. Archiepiscopatum Tolosanum non erexisse ordinaria via, sive servata forma, sed extraordinaria, sive plena potestate, nullis ligata formis: Undè cùm similis agendi modus multis in Regionibus jam non toleraretur, hinc concludere fas non est, Episcopo non consentiente, Episcopatum novum intra suum erigi posse.

VIII. Ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minimè disjungantur, ne in alicujus ordinatione Episcopi convenire non possint. Dist. LXXX. Cap. 6.

IX. Ut Erectio non fiat vacante Sede Episcopali Diœcesis in qua novus Episcopatus erigitur. *Ne Sede Vac.* Cap. 1.

Nota ex citatis Textibus, qui in Villis, similibusque locis parvis Episcopos institui vetant, clarè colligi falsum esse per quatuor saltem prima Ecclesiæ sæcula non alias fuisse Ecclesias quàm Episcopales, vel si quæ aliæ fuerint, non alios habuisse Rectores quàm Episcopos; nam *Concilium* LAODICANUM ex quo antiquior, nempe *Canon* 5. DIST. LXXX., desumitur, anno saltem 360. celebratum est, non enim ab ullo seriùs collocatur. *Concilium* autem illud citato Canone docet triplex fuisse Ecclesiarum genus, alias nimirum quæ ab Episcopis regerentur, alias quæ à Visitatoribus alias, quæ à Presbyteris. Præcipit enim ut Visitatores instituantur in locis, in quibus Episcopos constitui vetat; hos Visitatores à Presbyteris distinguit, & verosimillimum illos institutos, ut istos visitarent; utrosque etiam Episcopo subjicit, cùm utrisque præcipiat, ne quid inconsulto Episcopo agant; vel saltem Visitatores, isti Ecclesiarum, quas visitare debebant, Rectores erant, vel sub se, qui illas regerent, habebant. Improbabile enim omninò videtur, illas Plebes, quæ ante prohibitionem factam à *Concilio* satis magnæ credebantur, ac à Civitate satis remotæ, ut proprium haberent Episcopum, coactas fuisse cum Civitatis Plebe eidem adesse.

§. VII.

De Translatione Sedium Episcopalium.

His quæ dicta sunt de Translatione Episcoporum & de Erectione Sedium Episcopalium, subjungimus quæ dicenda sunt de Sedium eorumdem Translatione, ob maximam quam ista habet cum utraque affinitatem; nam I. Convenit in omnibus cum Translatione Episcoporum, iis exceptis, quæ pœnas concernunt, cùm sicut illa fieri nequeat nisi autoritate Apostolica, & ob causas publicas Religionis commodum concernentes, quæ ad necessitatem urgentem, & ad evidentem Ecclesiæ utilitatem reducuntur; pœnæ verò nullæ decernantur in Prælatos, qui transferunt Sedes suas, non servatis servandis, & statutæ sint in illos, qui propria autoritate se transferunt ex uno Episcopatu in alium.

II. Eadem Sedium Episcopalium Translatio convenit cum Erectione earumdem Sedium in tribus præcipuis articulis; quorum primus est ipsa autoritas qua facienda est, cùm ad utrumque necessaria sit Papæ autoritas. Secundus spectat qualitatem loci ad quem Sedes transferenda est; is enim esse debet, quo non vilescat Dignitas Episcopalis propter angustiam, aut infructuosa non fiat ob aëris intemperiem, aliamve causam, quæ à Residentia avocare possit; quæ duo necessaria sunt in loco, in quo Episcopatus erigendus est. Tertius attinet ad solemnitates servandas, quæ eædem, tùm quoad vocationem eorum quorum interest, tùm quoad consensum nonnullorum ex vocandis.

Cùm autem Translatio Sedis Episcopalis nocere possit duobus locis; nempè illi à quo facienda est, quique hinc desertionis periculo quandoque exponitur; necnon & loco ad quem transferenda est Sedes, si quæ immunitas Episcopo suæque familiæ concedatur; in hac Translatione utriusque loci Incolæ audiendi sunt, maximè Clerici Ecclesiæ Dignitate Episcopali decoratæ, sive qui in loco remanseri sunt, sive qui Episcopum secuturi sunt; audiendi quoque Patroni Ecclesiæ derelictæ, ut & Patroni Ecclesiæ in Episcopalem ipsa Translatione Sedis erigendæ.

Paululùm immorati sumus in connectendo hoc Titulo cum duobus præcedentibus; ad id coacti sumus, quia non extat Juris Textus, qui de Translatione Sedium Episcopalium expressam mentionem faciat, nisi unus, qui tantùm de una ex illius causis loquitur; ideoque satis explicari nequeunt, quæ illam respiciunt, nisi ex affinitate quam habet cum aliis rebus, de quibus Textus Juris loquuntur, quarumque præcipuæ Translatio Episcoporum & Erectio Episcopatuum, de quibus his duobus Titulis egimus. Notandum ergo fuit quæ & qualis affinitas esset, ut hinc dignosceretur quid sciendum est circa Episcopalis Sedis Translationem. Quod autem dictum est de Juris Textuum silentio circa Translationes Sedium Episcopalium, non destruitur à *Canone* 21. CAUS. VII. QUÆST. I. prohibente Episcopo, ne relicta principali Cathedra ad aliam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferat; etsi enim de Translatione Sedis Episcopalis illum intelligat BALZANO, de illa tamen non loquitur, sed de absentia Episcopi à principali Ecclesia, in qua residere deberet. Hoc patet ex posteriori Canonis Parte, quæ eamdem absentiam respicit, sed ortam ex mora Episcopi apud suos vel aliundè, hæc enim habet: „ Vel in re propria diutiùs quàm oporteat „ constitutum, curam vel frequentationem propriæ „ Cathedræ negligeres „.

Textus exceptus, seu loquens de Sedium Episcopalium Translatione, est *Canon* 44. CAUS. VII, QUÆST. I. in quo duo præsertim notanda: I. Sermonem facit de Translatione, quæ fit propter hostium, Barbarorumve incursiones. II. De illa loquitur, ut de re usitata; nam cùm locus dictus ARANATA, qui erat Sedes Episcopalis Episcopi VELITRANI, turbaretur & molestaretur à Barbaris, illam transfert Sanctus GREGORIUS ad locum ejusdem Diœcesis, Sancti ANDREÆ nomen ferentem, narrato priùs quod in similibus casibus Episcopales Sedes transferri soleant; sed satiùs illum loquentem audire, scribit ad JOANNEM Episcopum VELITRANUM his verbis: *Temporis qualitas admonet Episcoporum Sedes antiquitùs certis Civitatibus constitutas; ad alia quæ securiora putantur, ejusdem Diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum faciliùs declinare; propterea te* JOANNEM *fratrem Coepiscopum nostrum* VELLITRENSIS *Civitatis, Sedemque tuam in loco quondam* ARANATA *ad Sanctum* ANDREAM *præcipimus exindè transmigrari, quatenus ab hostilitatis incursu liberior existere voleas, & illic consuetudinem solemnium festivè dispenat.*

§. VIII.

Regula circa Episcopatuum Uniones & Divisiones, è Corpore Juris Canonici, & ex Concilio TRIDENTINO *desumpta.*

Quæ de Unione vel Divisione Episcopatuum dicenda hic sunt, paucis expedientur; non enim sunt nisi quatuor Textus, qui de illa unione expressè loquantur, & de Divisione nonnisi duplex extat, qui illam proximè spectet; de neutra verò expressam mentionem facit *Concilium* TRIDENTINUM. Præterea memorati Textus clari sunt & legitimi; nihil ergo occurret discutiendum, elucidandumve quod longo sermone egeat; quapropter solitam methodum lubens omitterem, contentus referre Textus ad rem pertinentes, nisi contrarium utilius commodiusque existimarem. Retento igitur consueto tractandi per Regulas more, sequens ordo servabitur: I. Quid & quotuplex Unio? II. Qua autoritate facienda? III. Quibus de causis? IV. Quæ servanda in rescissione Unionis non ritè factæ? V. Undè petenda cætera quæ scienda sunt circa istam Unionem?

REGU-

REGULA I.

Ex Textibus Juris circa Episcopatuum Unionem colligitur nihil aliud esse, quàm actum quo ex pluribus unus fit; id autem non nisi tribus modis effici, nempè suppressivè, accessoriè, vel principaliter.

Prior Pars patet ex *Canonibus* 48. 49. Caus. XVI. Quæst. I.

Posterioe deducitur ex *citatis Canonibus*, & ex *Cap.* 8. *De excessib. Prælat.* sed eget explicatione, quæ sic se habet.

Per Unionem suppressivam intelligitur illa, qua unus ex uniendis Episcopatibus supprimitur, ita ut in provisione Episcopi nulla fiat mentio illius, ac si numquam fuisset; sed ferat tantùm nomen Episcopatûs subsistentis, in favorem cujus alter extinguitur: Hujus generis fuit Unio Episcopatûs Trium Tabernarum cum Episcopatu Veliterno. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 49.

Unio accessoria est illa, qua unus Episcopatus alteri accedit, fitque illius quasi accessorium, seu annexa, ut loquuntur Canonistæ. De illa Unionis specie sermonem facit *Cap.* 8. *De Excess. Prælat.* dum loquitur de Uninne, qua Ecclesia Episcopalis alteri itidem Episcopali subjicitur. Idem dicendum videtur de *Cap.* 1. *Ne Sede Vacante*, quod meminit Monasterii Glaston. erecti in Ecclesiam Cathedralem cum subjectione Ecclesiæ Bathoniensi, jam jam Episcopali.

Episcopatus uniri principaliter dicuntur quando uterque servatur, & neuter alteri subjicitur, cujus signa sunt: I. Provisus utriusque nomen gerit, & ne videatur alius alii præferri conjunctim nominantur in provisione, in contractibus, in subscriptionibus; ut si *verbi gratia* Meldensis Episcopatus unitur principaliter cum Silvanectensi, promotus ad utrumque vocaretur Meldosilvanectensis vel Silvanomeldensis: II. Episcopus utriusque Ecclesiæ optionem habet residendi in alterutra Ecclesia, ita ut modò in una, modò in alia commoretur, prout expedire videbitur animarum saluti. Unionis hujus generis meminit *Canon.* 48 docens Ecclesiam Cumanam Ecclesiæ Misenatensi ita fuisse conjunctam, ut Episcopo ad utramque simul promoto liceret, in qua vellet, Residentiam facere.

REGULA II.

Nullus est Juris Textus, qui loquatur de Unione Episcopatuum ab alio facta, quàm à Papa. Unde factum, ut dictum sit, rem notam esse, hanc Unionem ad illum pertinere.

Ex quatuor Textibus, qui de illa Unione loquuntur, tres sunt, qui narrant illam factam à Papa. Tales sunt autem *Can.* 48. & 49. Caus. XVI. Quæst. I. qui dicunt Sanctum Gregorium fecisse Uniones, quas commemorant: Talis quoque *Caput* 1. *Ne Sede Vacante*, qui docet Unionem, de qua loquitur, factam fuisse à Prædecessore Innocentii III. Quartus verò Textus, qui est *Cap.* 8. *De Excessibus Prælat.* expressè dicit: *Quod unire Episcopatus ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur.*

REGULA III.

Non desunt Canones è quibus inferre licet Uniones Episcopatuum ritè fieri non posse, sine consensu Principis, tùm ob feuda illis annexa, tùm ob alias res immobiles, undè fluunt alii illorum proventus.

Probatur Regula: I. Ex *Cap.* 1. *De Judiciis*, & *Cap.* 3. *De Ord. Cognit.* in quibus Innocentius III. & Honorius III. agnoscunt se nullam supra feuda Jurisdictionem habere, adeòque de illis non posse judicare, etsi annectantur rebus spiritualibus, ut peccatis, vel natalibus dubiis. Hinc enim sequitur illos à fortiori agnovisse etiam se non posse feuda Episcopatui uni annexa, alteri unire cum ipso Episcopatu, Principe non consentiente, cujus est feuda Legibus regere.

Probatur II. ex *Canone* 1. Dist. VIII. qui docet possessiones temporales, etsi ad Ecclesiam pertinentes, Lege Principum regi, & gubernari, quæ illarum dominia & fruitionem transfert; ita ut nullus dicere possit, hæc villa, hæc domus est mea, nisi vi hujusmodi Legis.

III. Probari etiam potest ex *Cap* 1. *Ne Sede Vacante*, quia in illo proponitur voluntas Regis, ut ratio rescindendæ Unionis antea factæ. Hinc enim sequitur quod voluntas Regis justa causa esse possit non faciendæ Unionis.

REGULA IV.

Causæ Unionis Episcopatuum, vel sunt generales, vel particulares: De generalibus nullus Textus expressè loquitur: De particularibus verò duo expressam mentionem faciunt, nempè *Canones* 48. 49. Caus. XVI. Quæst. I.

Causæ generales sunt urgens necessitas Ecclesiæ, vel evidens illius utilitas. Ejusmodi enim Unio proximè respicit publicam Ecclesiæ administrationem, cujus finis est salus populi Christiani, ideoque ut justa sit, oportet ut necessaria vel utilis sit animarum saluti. De hac loquendum, ut *De Lege* & *De Dispensatione*, quarum idem finis, nempe salus publica, at neutra justa est nisi urgens necessitas vel evidens utilitas Ecclesiæ illam requirat. Inferri ergo potest, quæ esse debeant causæ generales Unionis hujusmodi, ex *Can.* 2. Dist. IV. qui exponit causas generales Legum; & ex *Cap.* 20. 23. *De Elect.* quæ loquuntur de causis generalibus Dispensationis Ecclesiasticæ.

Particulares causæ Unionis Episcopatuum, nihil aliud sunt quàm casus, sive circumstantiæ, in quibus occurrit prædicta vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Duo autem sunt casus, qui memorantur in citatis Textibus; alter est is in quo tanta facta est populi defectio in Civitatibus Episcopalibus, ut non conveniat quod quælibet suum habeat Episcopum, quia ab uno impleri rectè poterunt, quæ olim à duobus fieri oportebat. Hujus casus meminit prior Textus citatus; prædicta enim populi defectio, seu clades contingere potest vel bello, vel peste, vel incendio, vel terræ motu.

Alter casus est is, in quo Civitas Episcopalis ab hostibus ita eversa est, ut reparari nequeat, magnaque facta est populi diminutio. Hunc casum commemorat posterior Textus; legendus uterque, historicus est, narratque res notatu dignas. Non omittendum in his duobus Unionis exemplis nullam factam fuisse inquisitionem de commodo & incommodo, quia illius necessitas, utilitasve, notoriæ erant, & de notoriis inquirere superfluum videbatur, aut saltem nullam illius inquisitionis fieri mentionem in citatis Textibus.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt circa Episcopatuum Unionem, sequitur illam vitiosam esse posse, vel defectu potestatis legitimæ, vel defectu justæ causæ, vel defectu solemnitatum requisitarum; cùm autem quodlibet illorum vitiorum grave sit, rescissioni locum, ansamque subministrare potest; quæ etsi vera, certaque sint, nihilominus de secunda tantùm causa rescissionis Canones Corpori Juris inserti meminerunt, nec aliud docent quam quod sequens Regula comprehendit.

REGULA V.

Unicus est Juris Textus, qui de Unionis ritè non factæ rescissione loquatur; nempè *Cap.* 1. *Ne Sede vacante*. Nec indè aliud infertur, nisi non licere

de rescissione agere, pendente vacatione Sedis, etiamsi Unio perniciosa probaretur.

Prior Pars Regulæ admittenda donec contrarium pateat.

Posterior infertur ex eo quod INNOCENTIUS III. Autor hujus Canonis, remiserit Partes ad tempus quo Episcopatus futurus erat plenus, etsi contra Unionem allegaretur: I. Quod per illam dissolveretur Religio, fraudaretur Eleemosina, tolleretur Hospitalitas. II. Quod Rex cum Magnatibus, & Episcopi quidam dissolutam illam cuperent.

Notandum obiter eumdem Pontificem ibi insinuare injustas esse Uniones, quæ fiunt in commodum personæ, quæque ideò *Personales* vocantur, dum aliam adducens causam prædictæ remissionis ait: *Quod cùm ipse à Prædecessore inchoatam Unionem, perfecisset, si rescinderet Unionem non audito Episcopo Successore, videretur plus favisse personæ quàm Ecclesiæ, quod sibi injuriosum foret.* Undè sequitur illo Canone confirmari Articulum 49. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*, quo Uniones personales, sive ad vitam rejiciuntur.

REGULA VI.

Non alii Textus loquuntur de Divisione Episcopatuum quàm *Canon* 51. CAUS. XVI. QUÆST. I. & Caput 5. *De Præb.* EXTRAVAG. COMM.

Prior desumitur ex *Canone* 20. *Concilii* AFRICANI anno 424. & docet multis Conciliis statutum esse, ut non erigatur novus Episcopatus in Districtu alterius, sine consensu Episcopi illius Districtûs.

Posteriorem subministrat JOANNES XXII. ac in eo docet Divisionis causas, tùm exemplo suo, tùm narratione causarum, quibus impulsus fuit ad dividendum Episcopatum TOLOSANUM in quatuor alios Episcopatus, ipso in Metropolim erecto; etenim inter eas recenset: I. Illius tantam latitudinem, ut unus Episcopus non sufficeret ad implenda singula Pastoris Officia erga sibi commissas oves, tàm propter illarum multitudinem, quàm propter nimiam, quæ incolunt ab Episcopali Civitate, distantiam.

II. Inter easdem causas annumerat itidem nimiam redituum abundantiam, quæ luxus, pluriumque aliorum vitiorum occasionem præbet.

Sunt qui ex eodem Textu inferant quod ad Papam pertineat Episcopatuum Divisio, ut patet ex illius summario; id petentes, tùm ex eo quod hanc potestatem sibi ibidem Pontifex attroget, tùm ex eo quod deindè juxta suam doctrinam agens, Episcopatum TOLOSANUM diviserit.

Alii idem colligunt ex *Capite* 8. *De Excessib. Prал.* docente quod Episcopatus plures simul uniendi potestas reservata sit Summo Pontifici, existimantes hinc sequi idem sentiendum de potestate illos dividendi, quia ejusdem esse videtur dividere ac unire.

Nonnulli eamdem rem probant ex Textibus qui, ut putant, ostendunt ad Papam pertinere Episcopatuum erectionem, ac freti ratione quod in qualibet Episcopatûs unius in plures Divisione, fiat novi Episcopatûs erectio.

Quidquid sit de his, aliisque similibus ratiociniis, certum est jamdiù usum invaluisse, quod à solo Summo Pontifice, etiam in Gallia, Episcopatus dividantur. Cæterum in hac Divisione necessaria est inquisitio de commodo & incommodo, sicut in Unione Episcopatuum, & revocatione illius, in Translatione Sedium Episcopalium, in erectione illarum, & in Translatione Episcoporum: Nec sufficit notorietas nascens ex rei evidentia, de ista enim constare debet inquisitione scripto facta.

§. IX.

De Episcoporum Depositione Regulæ, prout inter causas Majores recensetur, è Corpore Juris Canonici desumpta.

Dum *De Censuris* in specie tractabamus, Depositionem inter censuras collocantes illam generatim consideravimus, ideoque illa tantùm examinavimus, quæ circa eam communia sunt, tùm Clericis, tùm Episcopis; nunc autem illam speciatim considerantes, quæ sibi peculiaria sunt, prout Episcopos spectat, discutere agredimur. Hæc autem cùm ad id redigantur quod Episcoporum Depositio inter Causas Majores annumeretur, proindeque soli Romano Pontifici reservetur, idcircò Tractatum hunc inscripsimus *De Episcoporum Depositione*, prout inter Causas Majores recensetur; illum autem intra Corpus Juris continemus, ne delineatis circa alia argumenta Canonica Tractatibus absimilis sit, neve in immensum crescat susceptum opus, ne demùm quod à plurimis jam actum, citra necessitatem iterum agamus. Iisdem de causis non singulas circa prædictam Reservationem, sed præcipuas Quæstiones discutiemus, nimirùm: In quo sita sit? Quo tempore cœperit? Quare facta sit?

QUÆSTIO I.

Quid circa Episcoporum Depositionem Summo Pontifici reservetur?

Antequam proposita Quæstio definiatur quæ proponendi causa exponendum, ne supervacanea Quæstio videatur; hæc autem est: *Textus, qui Depositionem Episcopi Summo Pontifici reservant, plerique sunt suppositıtii, atque ex Epistolis sub nomine Pontificum priorum Ecclesiæ Sæculorum confictis desumpti*; cùm ergo Epistolarum illarum Fabricator, emunctæ naris, exactique judicii vir haud quaquam fuerit, hujusce vitii notam omnibus præ se ferunt dicti Textus effigiem; sed in eo præcipuè, quod inter se non consentiant circa id quod reservant, atque etiam nonnulli sibi ipsis non constant; alii autem Textus illorum doctrinam secuti sunt, atque ideò per illos explicandi videntur. Hinc fit ut quærere cogamur quid circa Depositionem Episcoporum Summo Pontifici reservetur.

Verùm ut quod quærendum est investigari possit, quicumque de illa reservatione loquuntur Textus, referendi sunt, servato temporis ordine, utpote congruentiori, cùm indè alterius Quæstionis definiendæ via facilior aperiatur; ab hoc ordine non excipiendi Textus suppositıtii, etsi eodem tempore, nempè ineunte sæculo IX. tùm quia hinc sine labore discetur quo quilibet illorum quibus suppositi anno creatus sit, & an qui antiquioribus suppositi sunt, minùs faveant, quàm qui posteriorum nomen ferunt.

ANACLETUS ineunte sæculo II ad Pontificatum evectus *Epistola* 1. *Cap.* 3. prohibitis judiciis peregrinis, præcipit ut Episcoporum causæ judicentur à Metropolitano cum duodecim Episcopis, si minores sint, majores verò apud Primatem; sed utroque casu salvam vult esse Sedis Apostolicæ autoritatem; initium hujus citati Textus refertur CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap.* 13. & Pars altera *Cap.* 15.

SIXTUS I. versus annum 130. ad Pontificatum promotus, *Epistola* 1. *Cap.* 2. docet reservata esse ab Apostolis Sedi Apostolicæ Episcoporum judicia, ideoque Episcopos accusatos ad illam recurrere debere, etsi ausi non fuerint, vocatos saltem ab eadem accedere oportere. En evocationis causarum ad Sedem Apostolicam prima mentio & fortè origo. Hujus Capitis Pars citatur CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 4.

HIGINUS circa annum 150. creatus Pontifex *Epistola* 1. *Cap.* 2. præcipit, ut Episcopi à Metropolitano cum Comprovincialibus judicentur, sed salvum vult esse in omnibus Sedis Apostolicæ privilegium; habetur CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 4.

Idem

Idem Higinus *in eadem Epistola Cap.* 4. prohibet judicia peregrina, attamen cuique egenti opem ferre paratum se dicit. Pars illius refertur Caus. III. Quæst. VI. *Cap.* 12. sub nomine Sixti III. qui eadem habet, ut inferiùs videbimus.

Anicetus anno 167. electus *Epistola prima Cap.* 1. præcipit ut Metropolitanus incorrigibilis Sedi Apostolicæ deferatur, quia præceptum est ut huic Sedi Episcoporum judicia omnia referantur; habetur Caus. IX. Quæst. III. Cap. 6.

Eleutherius anno 177. Pontifex factus, Episcopis Galliarum scribit definitivum Clericorum judicium Episcopis dimissum, ne Sedi Apostolicæ oneri esset, Episcoporum verò eidem ita reservatum ut Episcopo à *Concilio* deposito nullus sufficì possit, nisi ab illa confirmata fuerit Depositionis sententia; habetur Caus. III. Quæst. VI. Cap. 7.

Victor anno 194. creatus *Epist.* 1. *Cap.* 3. arguit Theophilum, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum, cui scribit quod inconsulta sua Sede Episcopos deponat, aliosque depositis subroget, docetque definitivam circa Depositionem Episcoporum sententiam huic Sedi pertinere, ita ut quicumque Episcopus se apud Metropolitanum, vel Patriarcham, vel Primatem Diœceseos gravatum putaverit, ad Sedem Apostolicam appellare possit, nec alius sibi substitui queat, lite apud eamdem pendente; quod privilegium nedum ab Apostolis, sed etiam à Deo ipso manare dicit. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 7.

Zepharinus anno 203. creatus *Epistola prima* iterum atque iterum dicit Episcoporum causas ab Apostolica Sede finiendas, idque ita ab Apostolis constitutum fuisse, qua finitione intelligit ultimum judicium Apostolicæ Sedi reservari; agnoscit enim Episcopos à duodecim Episcopis à se electis judicandos, sed vult ut primum judicium executioni non mandetur antequam à Sede Apostolica confirmetur; habetur Caus. III Quæst. VIII Cap 1.

Fabianus anno 238. electus *Epist.* 3. *Cap.* 2. prohibet peregrina judicia, sed salvam vult Sedis Apostolicæ autoritatem; de Episcopis verò sigillatim dicit audiendos in Provincia, si accusentur, quia accusatus alibi quàm in foro suo audiendus non est; sed si Judicem sibi adversum senserit, appellare posse & debere. Capitis illius Partes plures referuntur Caus. II. Quæst. VI. *Cap* 1. 2. 20. 21. Sed præcipua refertur Caus. III. Quæst. VI. Cap. 1. 2. 3.

Sixtus II. anno 260. invitat Episcopos oppressos ut ad Sedem Apostolicam, tamquam ad Matrem, ea Episcoporum judicia Apostolorum & Canonum Institutione illius dispositioni reservantur. Capitis hujus prior Pars habetur Caus. II. Quæst. VI. Cap. 5. & Caus. III. Quæst. VI. *Cap.* 5. in quo additur Episcopis à Concilio depositis alios non subrogandos, dum illorum causas Summus Pontifex denuò agit, quia ultima definitio ad illum pertinet.

Stephanus anno 255. creatus *Epist.* 2. *Cap.* 7. posita Regula *Nullum Episcopum extra Provinciam accusandum*, excipit casum appellationis ad Apostolicam Sedem; refertur *eadem* Caus. III. Quæst. VI. Cap. 4.

Marcellus anno 304. creatus *Epist.* 1. ait Episcopos, qui volunt, vel quibus opus, ad Sedem Apostolicam tamquam ad Caput suffugere posse, illorumque negotia ab illa esse facienda. Pars prior hujus Capitis refertur Caus. II. Quæst. VI. Cap. 6.

Julius I. anno 337. electus *Epist.* 2. *Cap.* 30. inter Sedis Apostolicæ privilegia recenset, quod Episcopos judicet & restituat, si injustè damnati sint; refertur Caus. II. Quæst. VI. *Cap.* 10. Idem Julius *eadem Epistola Cap.* 2. idem dicit quod Marcellus, sed *Cap* 3. & 4. adjicit Episcopo à *Concilio* damnato alium non substituendum, inconsulto Romano Pontifice, & qui gravatus fuerit adire posse Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam, sicut in Primatem Diœceseos. De eodem privilegio meminit Julius Caus. III. Quæst. VI. Cap. 9. *anno* 362.

Felix II. ad Episcopos in *Concilio* Alexandrino congregatos *Cap.* 19. præcipit, ut Episcopi gravati à Concilio Comprovincialium ad Sedem Romanam appellent. Caus. II. Quæst. VI. *Cap.* 16. Antea jusserat ne Episcoporum judicium definiretur absque Romanæ Ecclesiæ autoritate.

Anno 341. *Concilium* Antiochenum *Can.* 14. docet Episcopos criminaliter accusatos ab Episcopis Provinciæ judicandos; si verò isti Episcopi in judicando non convenerint, vocandos aliquos è Provincia vicina, ut controversiam tollant, ac quod per eos simul ac Comprovinciales Episcopos justum visum fuerit approbandum; habetur Caus. VI. Quæst. IV. Cap. 1. *juncta nota Correctoris Romani.* Et *Canone* 15. tradit eosdem criminaliter accusatos, ab Episcopis Provinciæ uno animo condemnatos, ab aliis ulteriùs non judicandos, sed unanimem sententiam ratam, firmamque esse debere. *Eadem* Caus. *&* Quæst. *Can.* 5.

Anno 347. *Concilium* Sardicensa *Can.* 4. probat quamdam appellationis umbram, ut honoretur Sancti Petri memoria, permittit enim ut si Episcopus ab Episcopis Provinciæ damnatus, petat ut judicium suum renovetur, tunc vel ab Episcopis, qui causam examinaverint, vel etiam ab aliis, qui in Provincia proxima morantur, Romano Episcopo scribatur; etsi judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det Judices; si autem probaverit causam esse, ut non refricentur quæ acta sunt, quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. *Eadem* Caus. *&* Quæst. Cap. 7.

Canoni huic addendus ejusdem *Concilii* Canon proximus, tùm propter affinitatem, tùm quia necessarius ad explicationem Textuum allatorum & adducendorum, maximè suppositiorum. In hoc autem Canone legitur post recursum Episcopi damnati ad Romanum Pontificem, sibi alium non subrogandum, donec ab isto sententia confirmata fuerit.

In Canone 7. ejusdem Concilii eadem habentur, quæ in quarto, præter rationes duas, sive vias, quibus recurrenti ad Papam opem ferat. Prima est ut Episcopis finitimæ Provinciæ scribat qui diligenter omnia inquirant, & juxta fidem veritatis definiant. Altera est, ut de latere suo mittat Presbiteros, qui cum Episcopis judicent, quo majoris sit autoritatis judicium. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 36.

Damasus anno 367. creatus *Epist.* 4. *Cap.* 9. insinuat Episcopum posse à Sede Apostolica judicari, dum ait extra Provinciam judicari non posse absque præceptione Apostolica; refertur Caus. III. Quæst. IX. *Cap.* 7. In eadem Epistola *Cap.* 2. expressè dicit à Comprovincialibus judicari posse Episcopum, sed illius causam finiri non posse, nisi ab Apostolica Sede, idque habetur Caus. III. Quæst. VI. Cap. 6.

Anno 390. *Concilium* Carthaginense II. *Cap.* 10. præcipit, ut si Episcopus in aliquem reatum inciderit, pluresque quàm duodecim Episcopi congregari non possint, ab iis audiatur, idque ne in crimine permaneat. Quæ ratio ostendit hujusce *Concilii* Patres non permissuros fuisse Papæ primum de istiusmodi Episcopo judicium, cùm hinc diutiùs in crimine permanendi occasionem sumere potuisset. Eadem ratio ostendit etiam auditionis nomine judicium comprehendi, quia auditio sola non aufert peccandi facultatem, sed ad id opus est ipsa plectente sententia. Hoc autem maximè observandum, quia inter Textus circa Episcoporum Depositionem suppositios, sunt non pauci, qui hac voce, *audiatur*, abutantur, indè occasionem sumentes solam auditionem Episcopis tribuendi. Citatus Canon habetur Cap. 4. Caus. XV. Quæst. VII.

Innocentius I. anno 404. ad Victricium Rothomagensem *Can.* 3. postquam præcepit, ut contentiones inter Clericos, tàm Superioris Ordinis quàm Inferioris exortæ, secundùm Nicænum *Concilium*

Congregatis omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis judicium (meliùs jurgium) terminetur: Addit: *Nec alicui liceat absque præjudicio Romanæ Ecclesiæ ad alios Judices recurrere.* Qua additione docet Episcopos potuisse ad illam confugere, sed postrema ejusdem Capitis Parte docet etiam id fieri nnn debere, nisi post Episcopale judicium. Habetur CAUS. XI. QUÆST. I. *Cap.* 26. Ad id usque quod adjectum esse diximus, habetur etiam inter Decreta INNOCENTII I. *Cap.* 10. collecta à DIONYSIO *Exiguo.*

Anno 416. *Concilium* MILEVITANUM *Canone* 22. permittit Presbyteris, iisque inferioribus Clericis, de Episcoporum suorum judiciis conquerentibus, ut ab aliis Episcopis de suorum consensu audiantur; quod si ab istis etiam provocare voluerint, ne extra Africam provocent sub excommunicatione prohibet. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 35. Cùm in hac prohibitione de Episcopis mentio non fiat, sunt qui inferant Concilium permisisse Episcopis extra Africam appellare, sed non rectè: fieri enim potuit, ut factæ à Presbyteris, iisque inferioribus ultramarinæ appellationes, Canoni causam præbuerint, ideoque de solis Presbyteris, iisque inferioribus meminerit; quæ ratio confirmari potest ex eo quod antea, saltem non legimus, ullum Africanum Episcopum extra Africam appellasse, ac proindè necessarium non fuerit ut appellationes hujusmodi Episcopis prohiberentur.

Si vera sunt, *ut credimus*, quæ circa allatum Canonem conjicimus, locum suum hic postulabat, cùm demonstret in Africana Ecclesia, Episcoporum Depositiones Sedi Apostolicæ tunc reservatas non fuisse.

Non omittendum ex prædicta prohibitione appellationum ultramarinatum videri sumptum, quod toties repetitum legimus in Textibus supposititiis *De Judiciis Peregrinis vitandis*, non tàm ut abhorrerentur illa judicia, quam ut clausula *nisi appellatum fuerit, vel Salva Apostolica autoritate* reciperetur, cùm accuratè adeò prohibitioni illorum judiciorum annectatur, eaque annexione vana fiat hujusmodi prohibitio. Impostoris ergo mens fuisse videtur, ut Disciplinam Africanam, & Antiochenam, his appellationibus contrariam everteret.

BONIFACIUS I. anno 418. ad Pontificatum promotus *Epist.* 2. de MAXIMO VALENTINÆ Civitatis Episcopo variis criminibus accusato loquens, agnoscere videtur ad Episcopos Provinciæ pertinuisse, ut illum judicarent. Hæc enim habet illos alloquens: *Decrevimus vestrum debere esse intra Provinciam judicium, & congregari Synodum ante diem, &c.* Sed cùm in eadem Epistola pluries mentio fiat de cognitione Provinciali delegata, dubium remanet an allata verba de judicio delegato intelligenda sint, an verò de judicio ordinario, quod solvi posse videtur es eo quod in eadem Epistola legatur MAXIMUM sæpiùs subterfugisse judicium. Hinc enim conjicere licet illum appellavisse ad Sedem Apostolicam, ut sententiam meritam protelaret, cujus rei conscii Pontifices causam remisisse Episcopis Provinciæ, ideoque Provincialem cognitionem vocatam fuisse delegatam, sed impropriè; cùm remissio ad eos Judices non sit delegata.

SIXTUS III. anno 432. creatus, *Epistola ad Orientales sibi supposita*, Episcopos prohibet peregrina judicia cum duabus clausulis, quæ ostendunt, ea non obstante prohibitione, posse quem ad Sedem Apostolicam recurrere, etsi primum facta sit ut recursus ille impediretur; hæ autem sunt, *Salva in omnibus autoritate Apostolica*, & *Nisi appellatum fuerit.* Refertur CAUS. III. QUÆST. VI. Cap. 12.

GELASIUS anno 492. creatus JUSTINO Archidiacono & FAUSTO Defensori scribens, præcipit ut Episcopum suum si delinquat, Sedi Apostolicæ denuncient. Refert GRATIANUS CAUS. II. QUÆST. VII. *Cap.* 48. Inscriptio ex IVONE desumpta est PART. III. Cap. 151.

VIGILIUS anno 540. ad Pontificatum promotus *in Epistola ad Eleuterum. Cap. ult.* scribit Romanam Ecclesiam cæteras omnes fundasse, aliisque potestatis suæ partem commisisse, undè majora negotia Sedi Apostolicæ reservata fuisse, & inter alia Episcoporum appellantium judicia. Habetur CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 12. Observandum quæ haber hic VIGILIUS ea partim mutuasse ex Sancti LEONIS ad Vicarium suom THESSALONICENSEM Epistola duodecima postremæ Editionis, iisdem enim verbis utitur, nempè: *In partem sollicitudinis alios vocatos non in plenitudinem potestatis.* Quod convenit Vicariis Apostolicis, qui sunt Delegati, non Episcopis, qui sunt Ordinarii, quibus licet quod non est prohibitum.

PELAGIUS II. anno 577. creatus *Epist.* 1. *omnibus Episcopis*, post determinatum numerum Civitatum ad constituendam Metropolim, vel Provinciam, docet intra illam judicandos Episcopos, nisi fuerit appellatum; cùm autem exceprio hæc bis exprimatur, nullaque hoc sæculo occurrerit necessitas determinandi quot cujusque Provinciæ debeant esse Civitates, verosimillimum hæc conficta fuisse omnia, ut aliquid in favorem appellationis ad Sedem Apostolicam constitueretur, vel potiùs constitutum fingeretur, nam supposititia est ista Epistola. CAUS. VI. QUÆST. III. Cap. 2.

Circa idem tempus MARTINUS BRACHARENSIS pro Ecclesia sua adoptavit Canonem ANTIOCHENUM, quo præcipitur, ut si circa judicandum Episcopum Episcopi Provinciæ dissentiant, aliqui è finitima vocentur, qui cum aliis judicent. CAUS. VI. QUÆST. IV. Cap. 2.

Anno 602. Sanctus GREGORIUS ad JOANNEM Episcopum *Primæ* JUSTINIANÆ Sermonem facit de PAULO DOCLEATINÆ Civitatis Episcopo, propter lapsum carnis Episcopali sententia deposito, & de NEMESIO eadem autoritate ejus loco subrogato, & utrumque probat. Refertur CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 44.

Sub nomine *Synodi* ROMANÆ, circa Episcoporum Depositionem quædam refert GRATIANUS CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap.* 16. quæ in Capitulis HADRIANI leguntur *Cap.* 5. 9. 10. Hæc autem sunt §. 1. *Illa quæ sunt per unamquamque Provinciam; ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut in* NICÆNO *constat Decretum esse Concilio.* Huic Paragrapho additur apud GRATIANUM clausula, salvo Ecclesiæ Romanæ in omnibus Primatu. §. 2. *Ultra Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intrà Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur, nisi Prælatus fuerit, qui accusatur.* Quæ exceptio apud HADRIANUM non extat, neque apud IVONEM, locis citatis in margine *Citati Can.* 16. CAUS. III. QUÆST. VI.

GREGORIUS IV. anno 827. creatus *Epistola* 1. loquens de ALDRICO CÆNOMANENSI Episcopo, qui, apud Comprovinciales accusatus, & ab iisdem judicatus, ad Sedem Apostolicam appellaverat, vetat ne alibi quàm apod eamdem judicetur, præcipitque ut Episcopus maneat, donec illius causam prædicta Sedes definierit; quod utrumque justum esse ut pateat, varia adducit testimonia: De ALDRICO illo mentio fit in *Concilio* SUESSIONENSI II. *anno* 853. *celebrato Cap.* 4. undè patet, aut quibus accusabatur criminum non fuisse convictum, aut ex Indulto Apostolico in sua Sede remansisse. Citat hanc Epistolam GRATIANUS CAUS. II. QUÆST. VI *Cap.* 11. Sed plura ex his quæ retulimus, ex ipsa Epistola TOMO CONCILIORUM VII. inserta desumpsimus *p.* 1571.

In *Canone* 12. CAUS. II. QUÆST. VI. NICOLAUS I. agnoscit Episcopos judicari posse ab Episcopis Comprovincialibus, cùm in causa ROTALDI *Suessionensis* Episcopi ab HINCMARO in *Concilio* SUESSONICO dejecti, de alio non conquetatur, quàm de eo quod post appellationem ad Sedem Apostolicam depositus sit. An autem jure conquereretur NICOLAUS,

Nicolaus, diſcutere inſtituti noſtri non eſt, ſed unum notaſſe ſufficiat, quod *Concilium* Sardicense, quod circa appellationes ſervabatur in Gallia, illas tantùm probavit, quæ ſententiam ſubſequebantur; undè ſi Rovaldus antè ſententiam appellavit, Hincmarus nihil egit contra illud *Concilium*, dum appellationi Rotaloi non detulit.

Idem Nicolaus in *Canone* 10. Caus. III. Quæst. VI. eamdem in Epiſcopis Provinciæ agnoſcit poteſtatem, ſcribit enim Salomoni Britonum Regi, Archiepiſcopum in Concilio Provinciali duodecim Epiſcopis compoſito, Epiſcopos Britones Suffraganeos, criminum gravium convictos Sedibus dejicere, alioſque dejectis ſubrogare potuiſſe.

Gregorius VII. ad Pontificatum promotus anno 1073. in *Epiſtola* ad Herimannum Epiſcopum Metensem (*vigeſima prima eſt libri octavi*) ſupponere videtur Epiſcoporum Depoſitionem Sedi Apoſtolicæ reſervari, dum ait: *Illam poſſe milites à juramento fidelitatis abſolvere, ſicut abſolvit à ſimili juramento ſubditos illorum Epiſcoporum, qui autoritate Apoſtolica à Pontificali gradu deponantur.* Refertur Caus. XV. Quæst. VI. Cap. 3. Concil. Tom. X. *p.* 270. L. C. Præterea idem docet in *Dictatu* 30 quod Papa ſolus poſſit deponere Epiſcopos. *Ibid p.* 110.

Exeunte ſæculo XII. Innocentius III. ſcribens Decano & Capitulo Andegavensi Cap. 2. *De Translat.* Depoſitionem recenſet inter ea, quæ Sedi Apoſtolicæ reſervantur; atque ut oſtendat id ita eſſe debere, ſic ratiocinatur: *Spiritualia difficiliùs diſſolvuntur quàm Carnalia, cùm ergo diſſolutio Matrimonii Carnalis ſoli Deo reſervetur, à fortiori oportet ut ſolus Deus poſſit Matrimonium Spirituale diſſolvere, proindeque ſi Matrimonium Spirituale diſſolvatur, ut diſſolvi experientia tot ſæculorum conſtat, à ſolo Deo in Romano Pontifice, qui eſt Chriſti hominis Dei Vicarius diſſolvatur;* de quo ratiocinio in Quæſtione tertia.

En Textus Corpori Juris incluſi, ex quibus eliciendum quid circa Depoſitionem Epiſcoporum Summo Pontifici reſervetur; ſed priùs advertendum I. In Textibus ſuppoſititiis nonnulla eſſe, quæ à Textibus legitimis mutuata ſunt, eaque eſſe omnia, in quibus conveniunt cum legitimis, quoad illa autem Conciliis Particularibus favere; alia verò eſſe quæ ab Impoſtore addita ſunt. Talia in quibus à legitimis Textus illegitimi differunt, & quoad iſta Sedi Apoſtolicæ ſuffragantur, eamque extollunt.

Advertendum II. Impoſtorem ideò nova veteribus miſcuiſſe, ut eò faciliùs nova reciperentur, quo fraus ſua ea arte minùs pateret; non immeritò timuit ne ſi totam deponendi Epiſcopos poteſtatem Summo Pontifici tribuiſſet, Epiſcopi adulatione nimium ſibi pernicioſa offenſi, rem ſeriùs diſcuterent, eoque examine ſuppoſitionem detegerent; quod haud dubiè eveniſſet ob maximam diſciplinæ quam adinveniſſent cum praxi præcedentium ſæculorum repugnantiam.

Advertendum III. Nihili facienda, quæ ab Impoſtore excogitata ſunt circa Epiſcoporum Depoſitionem in favorem Sedis Apoſtolicæ, in decidenda controverſia, quæ circa hanc rem inter eamdam ac Epiſcopos agitatur, quia lites non dirimendæ falſis inſtrumentis, falſitate detecta. Cætera verò quæ à Textibus legitimis hauſit eò libentiùs admittenda, quò vera & æqua ab ipſo Sedis Apoſtolicæ Exaltatore agnita fuerunt.

His prænotatis ſequentes Regulas colligimus ex allatis ſupra Textibus.

REGULA I.

Inter Juris Textus circa Epiſcoporum Depoſitionem, nullus eſt qui Epiſcopis Provinciæ Collegas ſuos judicare expreſsè prohibeat.

Non obſtant *Textus, qui ſolam auditionem Epiſcopis concedere videntur*: Quia quod de auditione dicunt ex *Concilio* Carthaginensi II. deſumunt, & iſtud *Concilium* ſub auditione (*ut oſtenſum eſt*) judicium comprehendit.

Non obſtant etiam *Textus, qui dicunt definitivum Epiſcoporum judicium Sedi Apoſtolicæ reſervari*: Quia judicio definitivo ultimum judicium intelligere videntur.

Præterea utrique ſuppoſititii ſunt, ac ſi aliter quàm expoſuimus intelligendi ſint, quod dicunt ex nullo vero Textu deſumpſerunt, ideoque non audiendi.

REGULA II.

E contra plurimi ſunt Textus, qui docent Epiſcopos reos à Collegis judicandos.

Hujuſmodi Textus tot ſunt quot extant, qui prohibeant judicia peregrina: Hujus autem generis quamplures ſunt, inter eos multi quidem ſuppoſititii, ſed quod de vitandis judiciis peregrinis dicunt, à Textibus legitimis mutuarunt, nempe à Canone Antiocheno, à Canone Sardicensi, è Canone *Concilii* Carthaginensi II. à Canone Milevitano, ex Innocentio I.

Exceptiones verò quas prædicti Textus ſuppoſititii adjiciunt, ſcilicet *Salva Sedis Apoſtolicæ autoritate*, & *Niſi appellatum fuerit*, in Textibus legitimis non leguntur; præſertim prima. Quoad alteram, ſi reſtringatur ad appellationem poſt judicium, ex *Concilio* Sardicensi deſumitur; ſi verò extendatur ad appellationem ante judicium, de qua nonnulli ſaltem intelligi poſſunt, ex cerebro Impoſtoris deprompta eſt.

Præter Textus peregrina judicia prohibentes, ſunt alii, qui etiam docent Epiſcopos à Collegiis judicandos; ejus generis ſunt, qui facta hujuſmodi judicia Pontifices probaſſe oſtendunt.

REGULA III.

Ante ſuppoſititios Textus nullus eſt, qui dixerit inconſulto Pontifice Epiſcopum deponi non poſſe: Poſt illos verò Textus habemus nonnullos legitimos, qui agnoſcunt id fieri poſſe.

Prior Pars collectos Textus percurrenti patebit. Poſterior conſtat ex Textibus petitis à Gregorio IV. & Nicolao I. qui inſinuant eo tantùm caſu Epiſcopos à Collegis judicari non poſſe, quo Sedem Apoſtolicam appellarunt. Eadem Pars clariùs colligitur ex Textu, in quo Nicolaus approbat factas ab Archiepiſcopo Turonensi in Concilio Provinciæ Epiſcoporum Depoſitionem, ac Depoſitorum loco aliorum ſubrogationem.

REGULA IV.

Si per, reſervari ſoli Pontifici Epiſcoporum Depoſitionem, intelligatur ipſius ſolius eſſe Depoſitionis ſententiam in illos ferre; antè ſæculum XII. nullus extat legitimus Textus, qui eam Depoſitionem Sedi Apoſtolicæ reſervet.

Ex dictis patet: quotquot enim Textus legitimos antea habemus ipſis Provinciæ Epiſcopis primum Collegarum ſuorum judicium dimittunt.

Non obſtat *Prior Textus* è Gregorio VII. *deſumptus*; quia ut verus ſit, ſufficit aliquos Epiſcopos autoritate Apoſtolica deponi, vel primo vel ultimo judicio. Primo, ſi de Epiſcopis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis agatur. Ultimo, ſi de Epiſcopis, qui poſt primum judicium appellarunt, Quæſtio vertatur. Nec poſterior; quia vel ſuppoſititius eſt, vel nimius, ut oſtenſum eſt in everſione ſententiarum ultramontanarum ex ipſis ſuis fundamentis.

Hinc

Hinc credere fas est INNOCENTIUM III. non existimasse Episcoporum Depositionem ita Summo Pontifici reservari, ut ab eo solo proferri possit prima sententia, cùm verosimile non sit à Legibus, quæ ad suum usque sæculum viguisse videntur, recedere voluisse, præsertim cùm dicat hanc Reservationem novum non esse privilegium Constitutione Canonica introductum; sed vetus, Divina Institutione concessum, quod in alio situm esse non potest, quàm quod acceptæ à Christo Capitis Dignitati conveniat, ut propiora sibi membra non resecentur, ipso inconsulto, è Corpore Episcoporum, ad quod sufficit ut ultima sententia ipsi reservetur.

QUÆSTIO II.

A quo tempore Reservatio Episcopalis Depositionis Summo Pontifici facta sit?

In prædicta Reservatione plura sunt distinguenda; Primum quod Depositio Episcopalis una sit ex causis propter quas Vetus Jus permisit, ut Episcopi provocarent ad Summum Pontificem, & hoc antè *Concilium* SARDICENSE visum non est. Undè sequens Regula confici potest.

REGULA V.

Antè sæculum IV. nulla extat Lex, quæ propter Depositionem Episcopis depositis permittat, ut ad Sedem Apostolicam provocent; proindeque nulla, quæ eo modo Sedi huic reservet Depositionem Episcopalem.

Alterum est quod Depositio Episcopalis ex causis fuerit, quas Pontifici licuit olim ad se evocare, & hoc ante Decretales suppositias ignotum fuit. Undè sequens Regula.

REGULA VI.

Antè sæculum IX. quo ineunte suppositæ Summis Pontificibus, præsertim quatuor priorum sæculorum editæ fuerunt, Episcopalis Depositio annumerata non est inter causas, quas ad se evocare iisdem liceat, proindeque nec antea isto altero modo, Episcopalis Depositio Sedi Apostolicæ reservata est.

REGULÆ RATIO: Ante has Decretales nullus est Textus Juris, qui ex Lege prohibente judicia peregrina exceperit autoritatem Apostolicam, his aliisve verbis: *Salvo Primatu Ecclesiæ Romanæ*, vel *Salva Apostolica autoritate*. Hæc autem exceptio si occurrat in eadem Lege cum clausula, *Nisi appellatum fuerit*, significare aliud non potest quàm salvam intelligendam evocandi facultatem.

Tertium est quod lata ab Episcopis Provinciæ Depositionis sententia, inconsulto Pontifice, executioni mandari non potest. Istud etiam ante easdem Epistolas latuit. Unde sequens Regula.

REGULA VII.

Ante mox dictum sæculum visum non fuit quod Episcopalis Depositio Sedi Apostolicæ reservata fuerit, adeò ut sine consensu Pontificis revera deponi non posset Episcopus, etsi ferri posset, eo inscio, Depositionis sententia in eumdem.

Ex dictis patet Regula; jamjam enim observatum est inter adductos Textus quosdam esse, qui non vetant, ut Episcopi Provinciæ Collegam suum judicent, sed tantùm ne inconsulto Pontifice judicium istud finiatur, eosque esse omnes suppositios.

Postremum est quod, nonnisi à Summo Pontifice proferri possit Depositionis Episcopalis sententia. Hic autem articulus, cùm incertum sit an aliquo Juris Textu reservatus fuerit, incertum quoque est quo tempore cœperit reservari.

Forsitan dicet aliquis, quomodo incertum esse potest an, *verbi gratia*, sæculo XII. sententia Depositionis Episcopalis Summo Pontifici reservata fuerit? Cùm illinc constet ex INNOCENTIO III. Depositionem Episcopalem inter reservata Summo Pontifici recensitam fuisse, hinc etiam certum sit eo saltem sæculo ad Sedem Apostolicam etiam in minimis rebus, tàm ex Gallia, ex Anglia, quàm ex Hispania, & ex Italia appellatum fuisse. Hoc enim utroque posito, oportet per *Depositionem Episcopalem reservari*, non intelligi ultimum circa Depositionem judicium reservari, alioquin Depositio hujusmodi à minimis rebus peculiare nihil habuisset; per prædicta ergo verba intelligendum est primum circa Depositionem judicium reservari.

Objecto huic jam factum satis, dum dictum est ab Epistolis suppositiis, jam diù ante INNOCENTIUM introductum, ut, inconsulto Pontifice, Episcopus deponi revera non posset, altero sibi sufficecto. Hoc enim sufficiebat ut Depositio Episcopalis Sedi Apostolicæ reservata diceretur, atque inter minimas & illam Depositionem maximum intercederet discrimen.

Addet alius: *Si tempore* INNOCENTII III. *Depositio Episcopalis ex eo tantùm reservata fuisset Summo Pontifici, quod illo inscio lata hujusmodi Depositionis sententia executioni mandari non posset, impropriè admodum locutus fuisset* INNOCENTIUS, *cùm eo casu non Depositio ipsa, sed Depositionis potius Confirmatio reservata fuisset, ut nonnisi impropriè diceretur reservata Electio, si sola Electionis Confirmatio reservaretur.* Sed hoc nullius roboris, cùm posterior locutio adeò impropria foret, quod loquendi usus invaluit, ut Confirmatio ab Electione distinguatur. Prior verò locutio impropria habenda non esset, cùm per nonnullas, saltem ex Epistolis suppositiis, Depositio & Confirmatio Depositionis pro eodem sumantur; quod patet ex eo quod Summo Pontifici nihil aliud reservet, quàm ut confirmet Depositionem. INNOC. autem credendus sumpsisse locutionem suam ex Textibus, undè sumpsit doctrinam suam.

At utcumque sese res habuerit, certum est eam esse Episcoporum Dignitatem, ut semper decuerit à *Concilio* non minori quàm duodecim Episcoporum numero composito judicari; quò enim major est judicandi Dignitas, eò à pluribus ejusdem Ordinis Judicibus judicandus est, eaque de causa Senator à Senatu judicatur; proindeque præsumendum Episcopos eo modo judicatos fuisse, nisi de contrario consiterit. Undè donec clariùs ostensum sit, tempore INNOCENTII III. Episcopos à solo Papa judicatos, justam credendi causam habebimus id factum in *Concilio* Provinciæ, aliove saltem cui aliquis nomine Papæ præsideret. Quod ad celeriorem processûs hujuscemodi finitionem introductum esset, ultro consentientibus provinciæ Episcopis.

QUÆSTIO III.

Quare Depositio Episcopalis Summo Pontifici reservata sit?

Propositam Quæstionem ad causas in Corpore Juris expressas restingemus, tùm quia potissimæ sunt, tùm quia Instituti nostri ratio id postulat.

REGULA ULTIMA

Quocumque ex prædictis quatuor modis, de quibus in Quæstione secunda, spectetur Episcopalis Depositionis Reservatio, non aliæ in Jure, illius Reservationis causæ exprimuntur, quam quæ sequuntur. I. Depo-

I. Deposirio Episcopalis una est ex Majoribus Caussis, quæ suam ob gravitatem ad primam Sedem reservandæ sunt. *Can.* 9. CAUS. III. QUÆST. VI.

II. Sedes Romana Prima, Caput & Mater omnium Ecclesiarum; ideoque quicumque illius ope egent, ad illam recurrere possunt, debentque. Episcopis ergo qui se gravaros sentiunt, vel ne graventur timent, ad illam confugere fas est. Æquum quoqne ut quæ de omnium Ecclesiarum commodo sollicita esse debet, valeat ab eis malos Pastores removere, bonos coosertare. *Ibid.*

III. Ut honoretur memoria Beati Petri. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 15.

IV. Vinculum Matrimonii Spiritualis quod est inter Ecclesiam & Episcopum, sicut & vinculum Matrimonii Carnalis à solo Deo solvi potest; ideoque à sola Papa, qui primus est Christi hominis Dei Vicarius. *De Translat.* Cap. 2.

Sunt prærerea aliæ causæ, quæ ad prædictas reducuntur. Talis est inter alias, quæ ex eo petitur quod Ecclesia Romana aliis vices suas commisit, easque vocavit in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, & quod ad illam plenitudinem Depositio Episcopalis pertineat. Hæc enim ad secundam reducitur.

Ex prædictis causis una est quæ Depositionem Episcopalem peculatim respiciat; eaque spectata ut ab INNOCENTIO proponitur, Reservarionis justitiam destruere videtur. Cùm enim Episcopi sint Christi Vicarii, sicut & Papa illorum Caput, si Papa ex eo quod sit Christi Vicarius, Depositione Matrimonium Spirituale solvere potest, idem poterunt & Episcopi utpote eodem honore gaudentes: Injustè ergò Depotio hæc Summo Pontifici reservatur. Verùm si consideretur ut à nobis expressa est, sua conservatur Reservationi justitia.

In iis quæ idem Pontifex habet circa hanc Reservationem, alia sunt quæ explicatione etiam egent, nam I. Eo utitur ratiocinio, quod ostendit ipsa Depositione non solvi vinculum, quo Episcopus Ecclesiæ ligatur, cùm comparans Matrimonium Spirituale cum Matrimonio Carnali, ait fortius esse ac difficiliùs solvi. Hinc enim sequitur, quod cùm Matrimonium Carnale sola morte rumpi possit, idem à fortiori dicendum de Matrimonio Spirituali. II. Ex eodem ratiocinio sequitur Matrimnnium Carnale etiam consummatum à Summo Pontifice, ut Christi Vicario, solvi posse, cùm INNOCANTIUS dicat ipsum ut Christi Vicarium solvere posse Matrimonium Spirituale quod est fortius.

Ut ergo vitio duplici laborans ratiocinium vi sua non careat, dicendum comparationem ab INNOCENTIO III. adductam, eò tendere, ut hinc demonstretur difficillimè solvendum Matrimonium Spirituale, nec nisi ex causa gravissimi momenti, ideoque illius Resolutionem præcipuo Christi Vicario reservandam.

§. X.

De Coadjutoribus, præsertim Episcopalibus, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliоque TRIDENTINO *desumptæ.*

Cùm Coadjutores vario sub respectu considerari possint, de illis etiam variis in locis tractari potest; nempè dum *De Causis Majoribus*, cùm Coadjutorum quorumdam Deputatio inter Majores Causas collocetur; dum *De Vicariis*, cùm Vicariorum munus obeant; dum *De Resignationibus*, cùm Coadjutor petitus ab eo cui datur, absimilis non sit Resignatario; dum *De Regulis Cancellariæ*, cùm Coadjutor cùm futura Successione viventis Beneficium obtineat; dùm *De Gratiis Expectativis*, cùm Coadjutoria hujusmodi expectativæ genus sit; dum *De Pensionibus* ob assignandam Coadjutori sustentationem, constituta ad hoc summa.

Verùm quæcumque de Coadjutoribus dicenda sunt, cuique ex prædictis locis non conveniunt, sed quædam tantùm illorum pars; undè si simul illa non colligantur, huc illucque divagari cogetur Lector. Ne id ergo fiat, plenum de Coadjutoribus Tractatum suscipimus, de iis quæ prædictorum locorum nulli cooveniunt fusè; de aliis verò quantum opus erit ad Tractatûs perfectionem.

Coadjutor in Jure dicitur quicumque cum Ecclesiæ Rectore, Rectoris onus vel solus portat.

Coadjutorum alii sunt *propriè*, alii *impropriè* dicti; alii *voluntarii*, alii *necessarii*; alii à *Judice dati*, alii ab *adjuto Electi*; alii *justa de causa dati*, alii *sine hujusmodi causa*; alii *ad temporalia*, alii *ad spiritualia*, alii *ad utraque*; alii *ad Majora Beneficia*, alii *ad minora*; alii *temporales & revocabiles*, alii *perpetui & irrevocabiles*; alii *cum futura successione*, alii *sine tali successione*.

De Coadjutore propriè dicto & necessario, sive ad tempus, sive ad vitam suam, justè vel injustè, tàm ad minora quàm ad majora Beneficia dato, vel ad temporalia, vel ad spiritualia, vel ad utraque simul dato, hìc sermo fit.

Sed ante omnia fundamentales totius Tractatûs Regulæ referendæ sunt, quæ cùm notissimæ sint certissimæque cuique videantur, sine ulla citatione, aliaque nulla quàm punctorum distinctione referentur. Afflicto addenda oon est afflictio. Miseriæ miserendum. Innocens non est puniendus. Animarum periculis providendum est. Qui sine scandalo non possunt mioistrare ut ministrent permittendi non sunt. Nemo ad impossibile tenetur. Qui temporalia subministrant, spiritualia recipere debent. Carnalia è contra metere debent qui spiritualia seminant. Dignus est Operarius mercede sua. Ecclesiasticorum bonorum conservationi consulendum est.

REGULA I.

Coadjutor propriè dictus, is est, qui Rectori, quoad aliquam muneris sui partem vel impotenti vel incapaci, datur. Talis est qui imperito vel ægroto datur. De illo loquitur *Cap.* 57. CAUS. VII. QUÆST. I. Item *Cap.* 6. SESS. XXI. *De Ref. Concil.* TRID.

REGULA II.

Qui Pastori ad totum munus suum impotenti vel incapaci datur, Administrator potius est quàm Coadjutor.

Talis est qui dementi vel paralitico, tàm quoad linguam & manus, quàm quoad reliquas Corporis partes. *De Cler. Ægrot.* Cap. 5.

REGULA III.

Coadjutor vir providus & honestus esse debet, tàm populo quàm Coadjuto utilis.

REGULA IV.

Rectoribus Episcopo subditis Coadjutor ab Episcopo datur ad tempus. SESS. XXI. *De Reform.* Cap. 6.

REGULA V.

Suffraganeis poterat ad tempus dare Coadjutores Metropolitanus. *De Cler. Ægrot.* Cap. 5.

REGU-

REGULA VI.

Episcopis aliisque similibus Coadjutorem dare ad Papam pertinet, sive ad tempus, sive in perpetuum; sed antequam à Papa id fiat, ab ipso Episcopo, si sanæ mentis assumi potest, sin autem à Capitulo eligi potest. *De Cler. Ægrot. in 6.* Cap. 1. Sess. XXV. *De Ref.* Cap. 7.

REGULA VII.

Coadjutores cum futura successione nemini sunt dandi; sed si Cathedralis Ecclesiæ, vel Monasterii urgens necessitas, vel evidens utilitas id postulat, non aliàs dandus est Coadjutor, quàm causa à Papa diligenter cognita, eaque lege, ut qualitates Prælato ipsi necessarias habeat Coadjutor. Sess. XXV. *De Ref.* Cap. 7.

REGULA VIII.

Ad dandum hujusmodi Coadjutorem requiritur Patroni consensus.

Id probant Textus omnes, qui sine Patroni consensu Beneficia Patronata conferri vetant.

REGULA IX.

Ex Coadjuti reditibus Coadjutori congrua assignanda est portio, sive ad tempus, sive cum futura successione detur. Sess. XXI. *De Ref.* Cap. 6. *De Cler. Ægrot.* Cap. 3. *E. T. in 6.* Cap. 1.

Citati Textus de Coadjutore ad tempus dumtaxat dato loquuntur; sed cùm par sit ratio, ad alium extendendi videntur, non enim istius quàm illius minor est labor.

REGULA X.

Coadjutor Episcopi ab alienatione quavis abstinere debet, Coadjuto si sanæ mentis rationem reddere, sin autem Capitulo vel Coadjuti Successori. *De Offic. Judic. Deleg.* Cap. 37. *De Cler. Ægrot. in 6.* Cap. 1. In priori sermo fit de Coadjutore dato dilapidatori, cui, sicut & isti, omne genus alienationis prohibetur. In posteriori agitur de Coadjutore dato ob infirmitatem mentis vel Corporis.

In citatis Canonibus de Coadjutore temporali sermo fit. Ad perpetuum extendi non potest quidquid dicunt; non enim rationem reddere potest Successori. Quantùm ad cætera videtur, quod si Coadjutus sanæ mentis non sit, alienationes quas differre non licet, facere potest, atque à reddenda Capitulo ratione eximitur; si verò Coadjutus sanæ sit mentis, sine illius consensu nihil facere potest, illique rationem reddere tenetur.

REGULA XI.

Ex causis propter quas dandus est Coadjutor, in Corpore Juris istæ dumtaxat exprimuntur.

I. Si Rectores Ecclesiarum usque adeò lepræ macula infecti sint, quòd Altari servire non possint, nec sine magno scandalo illorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi, ipsis dandus est Coadjutor, qui solus Ecclesias administret, ab illarum administratione penitùs amotis prædictis leprosis. *De Cler. Ægrot.* Cap. 3.4.

II. Quando Rector alio gravi & incurabili morbo ita laborat, ut Pastorale Officium exercere non valeat dandus est sibi Coadjutor. *Ibid.* Cap. 5.

III. Qui morbo paralitico laborans linguæ Officium amisit, Coadjutore eget. *Ibid.* Cap. 6.

IV. Si senio vel valetudine gravatus, vel aliàs adeò impeditus perpetuò, ut Officium nequeat exercere, Coadjutor dandus est. Ad impedimentum perpetuum cœcitas, surditas, referri posse videntur. *Ejusd. Tit. in 6.* Cap. 1.

V. Si sanæ mentis non sit, ita ut quæ velit, aut quæ nolit exprimere nesciat. *Ibid.*

VI. Si de dilapidatione suspectus sit. *De Off. Jud. Deleg.* Cap. 37.

VII. Si imperitus sit, sed honestæ vitæ. Sess. XXI. *De Ref.* Cap. 6.

Ex dictis circa Coadjutores dandi causas sequitur ad absolutam, sive totalem, & aliqualem sive partialem suum implendi munus impotentiam, omnes reduci; istam autem oriri vel ex defectu, vel ex culpa; ex defectu qualis quæ ex senectute, ex ægritudine, ex cœcitate, ex surditate, ex dementia; ex culpa, qualis quæ ex dilapidatione, aliove perversæ administrationis vitio.

REGULA XII.

Nullus est Juris Textus, qui Coadjutores dari vel permittat, vel præcipiat, quàm animarum curam habentibus.

Infertur ex eo quod omnes citati Textus loquantur vel de Episcopo, vel de Parocho, vel de Archidiacano.

Cujus rei ratio: Illorum Officium maximè necessarium est, undè cùm ab illis impleri nequit, ab aliis supplendum est. De aliorum verò Officio secùs.

REGULA XIII.

Nullo Juris Textu Coadjutoria cum futura successione probatur, nisi Decreta *Concilii* TRIDENTINI inter Juris Textus collocentur, quod fieri non consuevit.

Exceptio desumitur ex *Cap.* 7. Sess. XXV. *De Ref.*

Nec obstat *Canon* 12. CAUS. VII. QUÆST. I. *in quo* PAULINUS *testatur* AUGUSTINUM VALERIO *ita datum esse Coadjutorem, ut illi succederet:* Nam præterquam quod se ita ordinatum gemit AUGUSTINUS, non factus est propriè Coadjutor cum futura successione, hujusmodi enim Coadjutor non fit Episcopus Ecclesiæ quam Coadministrandam suscipit: AUGUSTINUS verò cum ex PAULINO factus sit VALERIO Coepiscopus, oportet ut HIPPONENSIS ordinatus sit Episcopus, ita ut duo simul essent HIPPONENSES Episcopi, quod cùm Sacris Canonibus vetitum esset *Cap.* 34. CAUS. VIII. QUÆST. I. AUGUSTINO gemendi causa fuit.

Nec etiam obstat *Canon* 17. *ejusd.* CAUSÆ & QUÆSTIONIS *in cujus Epigraphe dicitur dandum esse seni Coadjutorem, qui sibi morienti succedat:* Sensus enim hujus Epigraphes, talem esse debere Coadjutorem, qui dignus esset, ut Coadjuto moriente, in Successorem eligeretur, aliàs Textui non conveniret: In eo enim BONIFACIO Archiepiscopo MOGUNTINO, Germanorumque Apostolo, cedendi aliumque sibi sufficiendi licentiam petenti respondet ZACHARIAS, se id permittere non posse, vetante Canone, sed BONIFACIUM Coadjutorem eligere debere, & morti proximum, si dignum illum arbitratur, Successorem illum eligere.

REGULA XIV.

Ne cum futura successione Coadjutores dentur, variis Juris Textuum generibus prohibetur.

REGULA XV.

Omnia hæc Juris Textuum genera reducuntur.

I. Ad illos, qui in quovis argumento alienæ mortis vel captandæ, vel desiderandæ locum dare prohibent. *De Concess. Præb. in 6.* Cap. 3.

II. Ad illos, qui antequam vacent Beneficia promitti vetant, sive hoc vel illud nominatim, sive nullo nominato primum vacaturum promittatur. *Totis Titulis De Concess. Præb.*

III. Ad

III. Ad illos, qui Beneficia non vacantia concedere, vel impetrare, vel acceptare prohibent. *Ibid.*

IV. Ad illos, qui successionem, imò & successionis umbram in Beneficiis detestantur; successioni enim hæreditariæ via aperiretur, si prædictæ Coadjutoriæ permitterentur. *De Fil. Presb.* Cap. 11. Sess. XXV. *De Ref.* Cap. 7.

V. Ad illos, qui ne Rectori non omninò impotenti vel incapaci alius ordinetur, prohibent, nisi iste cum Superioris licentia cedat. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 13.

VI. Ad illos, qui Rectori Officium implere impedito vel Administratorem dari vel Successorem præcipiunt; Administratorem, si consentire non possit, ut Successor sibi detur, qualis demens. *Cap.* 14. Caus. VII. Quæst. I. Successorem, si consentire possit, & revera consentiat, qualis qui lucida habet intervalla & dùm sanæ mentis est, cedit.

VII. Ad illos, qui duos ejusdem loci ordinari Episcopos vetant; nam Coadjutor cum futura Successione, Ecclesiæ cujus est Coadjutor, quodammodo Episcopus est. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 12.

VIII. Qui Successores sibi eligere Prælatis vetant, cùm per Coadjutorias cum futura successione Prælati soleant Successores sibi eligere. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 3. 4. 5.

REGULA XVI.

Coadjutorias cum futura successione quoad inferiora Episcopatibus & Abbatiis Beneficia absolute prohibet *Concilium* Tridentinum *Cap.* 7. Sess. XXV. *De Ref.* Quoad Episcopatus & Abbatias permittit, si illas urgens necessitas, evidensque utilitas postulent. *Ibid.*

Ex quatuor præcedentibus Regulis sat patet non vituperandos esse, qui Coadjutorias detestantur, vel detestandas esse dicunt, cùm ostendant Veteri Jure variis modis damnari, *Conciliumque* Tridentinum unum tantùm excipere casum, nempè, quo maximè necessaria est Dispensatio, idque tantùm in favorem Episcopatuum & Abbatiarum. Undè inferre licet numquam permitti, nisi ex Dispensatione, eamque locum non habere extra Episcopatus & Abbatias.

Hinc etiam patet exceptum casum rarissimum esse debere, cùm Episcopatibus & Abbatiis, quæ propter aliquod impedimentum vel infirmitatis, vel senectutis, à Prælatis administrari, ut par est, non possunt, per Coadjutores ad tempus datos, sufficienter provideri soleat.

Præterea, quæ alia urgens necessitas fingi potest, nisi ea, qua imbecillæ mentis Episcopus Coadjutorem sibi dari consentire non vult, nisi cum futura successione, electumque à se virum alioquin ad id maximè idoneum. Quæ evidens utilitas concipi alias potest quàm quæ contingeret, si quis scientia, pietate, prudentia clarus è Regno egressurus, in eo retineretur Coadjutoria cum futura successione; quæ aliàs justè speraretur Ecclesiæ, cui datur Coadjutor mirum in modum profutura. Hi autem casus sunt maximè infrequentes.

Regulis, quibus circa Coadjutores quæ certa sunt collegimus, addendæ Quæstiones, Observationesque, quibus circa eosdem quæ dubia sunt, discutiamus.

Quæstio I.

Quæritur I. An Coadjutor Beneficia conferre possit?

Certum est, datum quoad temporalia tantùm Coadjutorem Beneficia conferre non posse; conferendi siquidem potestas spiritualium Pars est, ideoque Prælatis dimissa sicut & cætera spiritualia. Nec obstat *quod sequatur quandoque temporalia, ut eorum ergo sit qui vacationis tempore fructus Prælaturæ temporales percipiant.* Glossa in *Verbo fructus* Cap. 3. *De Elect. in 6.* tunc enim nullus est qui conferat, nisi custos, qualis est, qui prædictos fructus percipit; tunc temporalia, tamquam feudum, cui præsentandi vel conferendi jus annectitur, considerantur. Jura autem honorifica, qualia mox dicta, fructus sunt possessionem feudi sequentes.

Certum est Coadjutorem quoad spiritualia ob inordinatam Coadjuti vitam, perversamque in spiritualibus administrationem Beneficia conferre posse, ad id enim partim datus est.

Certum est Coadjutorem quoad spiritualia ob solam Corporis infirmitatem conferre Beneficia non posse, nisi ad id Coadjutus consentiat; quid enim hic potest, non consentiente Coadjuto, qui cum illo, onus portandi causa, sub illius jussione datus est? Huc faciunt Zachariæ, ad Bonifacium Moguntinum circa Coadjutorem, quem sibi eligere permiserat, sequentia verba, quæ in *Canone* 17. Caus. VII. Quæst. I. §. 3. *in fine* leguntur, *Volumus ut tibi ministret, & sit in Evangelium Christi Adjutor.*

De Coadjutore, qui ad tempus Prælato non sanæ mentis datur, dubitandi locus est, an Beneficia conferre possit; hujusmodi siquidem Episcopus haberi potest ut mortuus; Episcopo autem mortuo, Beneficiorum Collatio futuro Successori reservatur, nisi conjunctim à Capitulo conferrentur, quo casu Capitulum solum confert. Ex alia parte, id Coadjutoris genus est velut Administrator à Papa datus, cùm à solo Papa dari possit, & plenam administrandi habeat potestatem. Administrator verò à Papa datus vacante Sede conferre potest. *De Suppl. Negl. Præl. in* 6. Cap. 4. §. 1.

Verùm secunda sententia primæ prævalere debet; nam si toto tempore, quo Prælatus demens est, vacantia Beneficia Successori reservarentur, diutiùs vacarent; ideoque cùm tunc alius non sit qui conferre possit, ad Coadjutorem id videtur pertinere.

Quoad Coadjutorem cum futura successione sanæ mentis Prælato datum, certum est conferre non posse, nisi ipso consentiente Prælato; non enim ex spe futuræ successionis illi minus subest, quàm si ad tempus datus esset. Quod si non sanæ mentis Prælato datus sit, certum est conferre posse, cur enim hic minori polleret potestate, quàm si ad tempus datus esset?

Quæstio II.

Quæritur II. an cuivis Coadjutorum generi alienatio prohibeatur?

Certum est Coadjutori dilapidatoris alienationem simpliciter non prohiberi, sed cum hac clausula, *sine Papæ licentia.* De Offic. Jud. Deleg. *Cap.* 37.

Certum quoque videtur, alienationes adeò urgentes, quæ differri non possunt, Coadjutori Prælati non sanæ mentis permitti, maximè si cum futura successione datus sit, cujus rei causa, plenus Administrator, qualis hic Coadjutor, necessariam rectæ Administrationis potestatem habere debet; prædicta autem alienandi facultas ad hujusmodi potestatem videtur pertinere.

Quæstio III.

Quæritur III. An & in quibus conveniat, vel differat cum Expectativa, Coadjutoria futuræ successioni conjuncta?

Certum est aliam cum alia convenire, atque in hoc saltem. I. Quod vi utriusque ad Beneficium vacaturum spes certa detur. II. Quod ab alia neutra dari soleat quàm à Papa, propter captandæ, procurandæque alienæ mortis, cui exponunt periculum. III. Quod sicut expectanti, ita & Coadjutori locus assignetur à die obtentæ possessionis, non à die concessæ gratiæ.

Certum est quoque alteram ab altera differre, sed in his præcipuè. Expectativa ad nullum determinatum Beneficium dabatur; Coadjutoria ad Beneficium deter-

determinatum. Expectativa Beneficium non conferebat, sed promittebat; Coadjutoria confert. Undè quando expectatum vi illius Beneficium vacabat, expectanti ut conferretur opus erat, & cùm speratum vi Coadjutoriæ Beneficium vacat, nova Collatione non indiget Coadjutor, sed sufficit quod de novo in possessionem mittatur. In Expectativa Expectantis commodum inspiciebatur: In Coadjutoria cum futura successione Coadjuti ut Coadjutoris utilitas non perpenditur, sed solum Ecclesiæ bonum.

QUÆSTIO IV.

Quæritur IV. An de quovis Coadjutore dici queat easdem in illo qualitates requiri, quæ in Prælato requiruntur?

Dubitandi Ratio: Quando homini peritissimo prudentissimoque ob corporis debilitatem ex morbo, vel ex senectute nascentem, ad tempus Coadjutor datur, in isto sufficere videtur corporis vigor, cùm sibi necessarias scientiam & prudentiam in Coadjuto habeat.

Eo tamen non obstante eædem etiam in isto qualitates quoad Sacra Munia obeunda, quæ in Coadjuto, requiruntur. Qualitates etenim hujusmodi ratione munerum requiruntur, quæ Coadjutoris ergo æquè gravia, æquè Sancta, æquè difficilia ac Coadjuti respectu. Esto quod in his, in quibus alieno egebit consilio, quæque adeò differre possit, ut illud sine periculo expectare liceat, in Coadjuto quo eget, reperiat. Esto quod Coadjutoris dubia Coadjutus resolvere possit, quodque uno verbo scientiam, maturitatem à Coadjuto Coadjutor, dum opus erit, interdum mutuari possit; id tamen semper non poterit; nam, prædicanti, examinanti ordinandos, Confessores aliosque hujusmodi, visitantive, poteritne adesse Coadjutus? Præterea si illa valeret ratio, imperitum & imprudentem ad Prælaturas eligere & promovere liceret, dummodo virum & peritum & prudentem secum habere posset, qui scientiæ prudentiæque defectum suppleret; imò qui secum viros pios habere posset, etsi ipse impius esset, eligi posset; hæc autem quàm absurda sint, quàm carni faventia, nemo non videt.

Si in Coadjutore ejus generis quæ dicta sunt, vera habeantur, ut haberi debent, de aliis nullum remanet dubium, præsertim de Coadjutore cum futura successione. Nam ex quo iste Coadjutor est, ex hoc adeò Prælatus est, ut si Coadjutus vel cederet vel decederet, sine nova provisione Prælatura ipsa frueretur. Idcirco *Cap.* 7. SESS. XXV. *De Ref.* pluries laudatum de hoc Coadjutore expressè docet, ipsum hujusmodi qualitates omnes habere debere.

QUÆSTIO V.

Quæritur V. An Coadjutoria cum futura successione propter easdem prohibeantur causas, propter quas aliàs vetabatur, ne quis suum eligeret Successorem?

Certum est causam proximam eamdem non esse, cum prior prohibitio proximè fieret, ne quod consilio *Synodi*, Episcoporumque judicio pertinebat, vel quod Dei esse credebatur, privatus quis sibi vindicaret. Sic enim loquuntur Canones, qui Electionem hujusmodi prohibent, dum prohibitionis causam afferunt. *Cap.* 3. 4. 5. CAUS. VIII. QUÆST. I.

Tempore autem nostro, cùm per Resignationes in favorem successoris Electio permittatur, ob prædictam causam Coadjutoriæ prohiberi non possunt, sed potius ne captandæ procurandæque mortis alienæ occasio detur: Hinc tamen non sequetur prohibitionem, *Ne quis assumeretur Coadjutor cum futura successione*, eamdem habuisse causam ac prohibitionem, *Ne quis Successorem sibi eligeret.* Agitur enim de tempore, usuque præterito, non de præsenti.

QUÆSTIO VI.

Quæritur VI. Quo tempore inter Causas Majores annumerari cœperit Coadjutorum Episcoporum Datio.

Exeunte sæculo XIII. id factum colligitur ex *Cap. unico. De Cler. Ægrot. in 6.* in eo enim anno 1298. condito, sic loquitur BONIFACIUS VIII. *Pastoralis officii debitum exequentes, declaramus atque statuimus Coadjutorum Episcoporum & Superiorum Prælatorum Dationem intelligendam esse de Causis Majoribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, & ab eâ, non obstante Consuetudine contraria, tantummodo postulandam.* Undè evidenter patet à BONIFACIO Jus Novum condi, tàm propter illa verba: *Declaramus atque statuimus intelligendam esse de Causis Majoribus*, ex quibus clarè infertur ita antea intellectum non fuisse, tùm propter ista: *Non obstante contraria consuetudine*, quæ manifestè ostendunt huc usque rem aliter fieri consuevisse.

QUÆSTIO VII.

Quæritur VII. An quod de Episcoporum Coadjutoribus à BONIFACIO *constitutum est, ad Abbatum Coadjutores extendendum sit.*

Rem ita se habere inferri potest, ex eo quod Abbates Episcopis æquiparantur; unde ab istis ad illos valere consequentiam quoad res ad Dignitatem pertinentes. Nihilominus contrarium tenendum videtur, quia si BONIFACIUS in Constitutione sua Abbates comprehendere voluisset, de his expressam mentionem fecisset, vel saltem Prælatorum nomine Abbatibus cum Episcopis communi usus fuisset. Non obstat quod dictum est *Abbates Episcopis æquiparari*: Quia in quibusdam tantùm id verum est; nempe in casibus in Jure expressis, similibusve. Hic autem de quo agitur, in eo non exprimitur. Præterea in odiosis, qualis Reservatio, ab expressis ad non expressa non fit extensio, præsertim quando non est similis ratio, qualis non occurrit in casu præsenti; Episcopatus siquidem longè major Dignitas est quàm Abbatia, ideoque Episcopis Coadjutores dare multo majus negotium est quàm Abbatibus Coadjutores itidem dare in simili materia. *Cap.* 4. *De Sent. Excom. in 6.* exemplum subministrat ad rem maximè appositum: in illo Episcopi à censuris sententiæ latæ declarantur exempti, nisi in his nominatim exprimantur; nec ausus est quisquam privilegium hoc ad Abbates extendere, etsi erga Monasteria Abbatum munus necessarium minus non sit quàm Episcoporum munia erga sibi subditos.

Dici non potest *Concilium* TRIDENTINUM BONIFACIANAM Constitutionem aliter interpretatum fuisse, dum Papæ reservans Episcoporum Coadjutorum Dationem, Abbates Episcopis jungit. SESS. XXV. *De Ref. Cap.* 7. Nam I. *Concilium* loquitur de Coadjutore cum futura successione; BONIFACIUS verò de Coadjutore temporali; Coadjutorem autem perpetuum dare longè majus negotium quàm temporalem tantùm dare. II. *Concilium* non interpretatur hic BONIFACII Constitutionem, sed Novum Jus constituit.

QUÆSTIO VIII.

Quæritur VIII. An Coadjutorum Datio inter Causas Majores apud Gallos recenseatur.

Certum est non recenseri si de aliis agatur quàm de Coadjutoribus cum futura successione, istos verò dari non posse, nisi à Papa quoad Episcopatus, & Abbatias, aliaque Beneficia nominationis Regiæ, cùm à Rege nominari debeant, & Papæ præsentati.

Quæstio IX.

Quid concludendum ex Regulis supra collectis circa Causas Majores invicem comparatas.

Post explicatam seorsim quamlibet ex Causis Majoribus, singulos Tractatus conferendos inter se duximus, ut quæ hinc notatu digniora consequantur insimul colligamus.

Primum ac præcipuum est, quod plurimæ ex confictis sub nomine veterum Pontificum Epistolis, Causas Majores respiciant, Sedique Apostolicæ hac in re faveant; indeque consequens sit ea mente illas confictas fuisse, ut Sedes hæc exaltaretur.

Secundum est, quod ex Causis Majoribus nulla sit circa quam plures conficti sint Textus, quàm ipsa Episcoporum Depositio, quod ortum videtur ex duplici Capite. I. Quandò facta est prædicta suppositio jamjam extabant plurimi Canones legitimi, atque ipso diuturno usu confirmati, qui *Conciliis* Provinciæ adscribebant judicium Episcoporum, etiam in casu depositionis. Undè necessarium existimatum ut illis opponeretur major adhuc numerus falsorum Canonum, confingereturque sub venerabili nomine Pontificum quatuor priorum Sæculorum, qui illud ad Papam pertinere dicerent; indeque speratum fore ut conjunctis simul, autoritate & numero, isti aliis prævalerent.

II. Posito, statuto, firmatoque quod judicium Episcoporum depositioque ad Summum Pontificem pertineat, consequi videtur idem dicendum de cæteris negotiis, quæ Episcopos spectant, ut illorum Translatio, Electionum Confirmatio, Postulatio, Cessio; quia Reservatio petitur ex Dignitate Personarum, quæ eadem est in omnibus Episcoporum negotiis. Sperare ergo potuit Impostor futurum ut Textus, quos confingebat circa Episcoporum Depositionem, ad alia Episcoporum negotia extenderentur propter rationis paritatem.

Hinc fortè factum quod nullos Canones supposuerit circa mox recensita negotia Episcoporum, excepta Translatione; quod autem speravit, vel sperare potuit, evenisse videtur, cum prædicta negotia inter Causas Majores collocata fuerint, nullo antiquo Canone ad id cogente, sed potiùs ducto argumento ex depositione Episcopali, juncta rationis paritate.

Tertium quod notandum est, in eo potissimùm consistit, quod nonnullis Epistolis suppositiitiis, quæ *Conciliis* tribuunt facultatem transferendi Episcopos, additæ sint clausulæ, quæ illam pertinere ad Sedem Apostolicam insinuant. Hæ autem sunt: I. *Autoritate Sedis Apostolicæ.* II. *Non tamen sine hujus Sedis Autoritate.* Hujus rei exemplum allatum est ex Epistola pseudo Anteri *Cap.* 34. Caus. VII. Quæst. I. Huic additioni fortè locum dedit Epistola pseudo Calixti *Cap.* 19. *Ead.* Caus. & Quæst. dicit enim Translationem faciendam autoritate Sedis Apostolicæ: Undè sequitur non solùm Autorem suppositarum Epistolarum Summis Pontificibus quatuor priorum sæculorum, falsi crimen commisisse ad exaltationem Sedis Apostolicæ; sed & alios in idem crimen incidisse.

Quod quarto loco notandum venit, estquod inter allatos Textus in favorem Episcoporum circa Causas Majores, nullus suppositiitius sit, etsi tot conficti sint in favorem Pontificum; neque id mirum cùm major semper fuerit hominum Zelus erga Sedem Romanam exaltandam quàm circa alias. Præterea spes erat maxima fœlicis futuri exitûs suppositionis favorabilis Summis Pontificibus, propter summam illorum autoritatem; è contra timendum erat ne suppositio quæ faveret Episcopis incassum fieret, prævalente admodum hâc autoritate, supra autoritatem Episcoporum. Ad hæc si de consensu Curiæ Romanæ ut nonnulli suspicantur, facta fuerit prædicta suppositio, facile concipitur ratio discriminis observati inter Papam & Episcopos, cùm ille habuerit Officiales qui Impostorem locarent vel largitione, vel promissione præmii, Episcopi verò simile quid etiam sperare non potuerunt, cùm nullum unquam habuerint, qui nomine omnium ageret.

Notatu etiam dignum est quod Textus, qui dicunt Causas Majores Jure Divino Papæ reservari, innitantur loco Deuteronomii *Cap.* 17. ut videre est in *Capite* 13. *Qui Filii legitimi*; is autem id non probat: Nam I. Is locus pertinet ad præcepta vel ceremonialia, vel judicialia, cùm determinet modum finiendarum controversiarum tàm circa Religionem, quàm circa alias res, in quibus decidendis Judices Inferiores dissidebant. Hæc autem præcepta jamjam à primo Ecclesiæ sæculo abolita sunt. Non obstat *quod Summus Pontifex veteris Legis nihil aliud fuerit quàm figura Summi Pontificis novæ Legis, atque ideò cùm veritas longè potioris sit conditionis quàm figura, si privilegio prædicto potitus est antiquus, à fortiori illo gaudere debet novus Pontifex*: Non obstat, *inquam*, hæc ratiocinatio, quia in his quæ pendent ex mera Dei voluntate, hujusmodi ratiocinatio à majori non habet locum.

II. Objectus locus loquitur de Sanedrio, sive Supremo Judæorum Tribunali, cujus Caput erat Summus Pontifex; quæ enim sequuntur verba, id docent: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram, causam & causam, & judicium inter portas videris variari, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & Judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcumque dixerint tibi.* Hæc sunt ipsa verba, quæ leguntur in *Cap.* 13. *Qui Filii Legitimi, suprà citato.* Hæc autem clarè ostendunt hîc agi de Supremo Tribunali, quod post constructum Templum resedit in Civitate Jerosolimitana. Nec dicas cum Autore hujus Textûs quod Deuteronomium interpretur secunda Lex, ideoque vi verbi comprobetur, ut quod ibi decernitur, in Novo Testamento debeat observari; quia ipsi Tirones in Sacris Literis norunt quod Deuteronomium dicatur secunda Lex, quia continet Legem dennò datam post fractas primas Tabulas.

Expositio Dispensationum Summo Pontifici reservatarum, per Regulas è Corpore Juris Canonici & ex Concil. Trid. *desumptas.*

Regula I.

Paucissimæ sunt in Corpore Juris Dispensationes Summo Pontifici reservatæ, eæque respiciunt impedimenta vel ad Ordines, vel ad Matrimonium, vel vota Ultramarina, vel Causas Majores.

Patebit Regula ex sequenti Collectione hîc repetita, ob Lectoris commodum, ex Tractatibus quos circa irregularitates circa Dispensationes Matrimoniales, circa vota & circa Causas Majores delineavimus.

Regula II.

Quæ dicunt Canones de Dispensationibus circa Ordines, locum habent in Dispensationibus circa Beneficia.

Regula III.

Non aliæ reservantur Summo Pontifici Dispensationes circa Ordines quàm istæ.

I. Solus Papa dispensat cirà Ordinationum tempora. Infertur ex *Capitibus* 1. & 3. *De Temporibus Ordin.* In iis legitur solum Summum Pontificem posse Sacros Ordines conferre extra statuta tempora, & indè sequitur solum posse id alicui permittere. Addere fas est *Caput* 8. *Eod. Titulo*, in quo punitur Episcopus ob usurpatam hanc potestatem.

II. Qui à Papa ad Sacrum Ordinem promotus est, ab nllo Episcopo ad alios evehi nequit sine Papæ licentiâ. *Eod. Tit.* Cap. 12.

III. Prohibetur Episcopis, ne permittant subditis, ut uno die duos Sacros Ordines recipiant. *Eod. Tit. Cap.* 15. Sunt qui idem inferant ex *Capite* 13. *Eod. Tit.* in eo freti, quod puniatur Episcopus BONONIENSIS propter collatos uno eodemque die duos Sacros Ordines; sed id non est certum, nam puniri potuit, quia absque urgentissima necessitate, qualis eo casu requiritur, ad duos Ordines eodem die promoverat. Non negandum tamen probabile esse, quia Papa prioris causæ tantùm meminit.

IV. Insinuatur vetitum Episcopo, ne dispenset cum promoto scienter ad Sacros Ordines per Episcopum, qui Ordini Episcopali renuntiavit. *De Ordinat. ab Episc. qui renuntiavit &c. Cap.* 1. idque dum declaratur Episcopum posse dispensare cum promoto hujusmodi, si ignoranter promotus fuerit, modo probabilis fuerit ignorantia. Casus hic in Gallia non accidit, cùm ibi nemo renuntiet Ordini Episcopali.

V. Simile quid insinuatur circa eum, qui sciens promotus est ab Episcopo excommunicato, dum declaratur posse Episcopum cum hujusmodi promoto dispensari, si excommunicationem ignoraverit. *Eod. Tit. Cap.* 2. Casus hic rarus admodum est, quia communicare nunc licet cum Episcopo non denunciato; rarissimum autem est ut denuncietur Episcopus; rariusque adhuc quod Episcopus excommunicatus denunciatus Ordines conferat.

VI. Circa ætatem ad Ordines, vel Beneficia requisitam solus Papa dispensat, paucis exceptis casibus.

Sunt qui id inferant ex *Capite* 14. *De Temporibus Ordin.* & ex *Capitibus* 2. & 3. *De Ætate.* In priori punitur Episcopus, qui puero tredecim annorum Diaconatum contulerat. In altero punitur Episcopus, qui Ecclesias donarat pueris decem annorum, & irritas decernit, quæ fient in posterùm, similes Collationes. In postremo prohibetur Episcopis, ne minoribus quatuordecim annorum conferant Ecclesias, sub pœna quòd Collationes factæ hujusmodi irritabuntur, & Collator graviter punietur.

Consequentiam iidem fundant in eo quod Episcopi prædicti, si potuissent dispensare circa ætatem, excusationem paratam habuissent, se nempè dispensasse circa ætatem; sed responderi potest, in primo & secundo casu pœnam infligi, quia nimiæ erant Dispensationes; in postremo, quia indecens, cùm, ut ibidem dicitur, indecorum sit Ecclesias regendas tradi, qui se ipsos regere nesciunt.

His Textibus adjici potuisset *Caput* 4. *De Temporibus Ordin.* puniens Episcopum infanti tonsuram conferentem, & similis solutio afferri.

Meliùs deducitur prædicta Reservatio ex *Capite unico De Ætate. in* SEXTO. BONIFACIUS VIII. concedit Episcopis, ut possint dispensare cum habentibus vigesimum annum completum, ut obtineant Personatum & Dignitates, quibus animarum cura non imminet. Hoc enim supponere videtur hanc Dispensationem antea Episcopis vetitam, solique Pontifici reservatam. Nullus autem Textus Juris est, qui hanc nominatim Dispensationem Episcopis vetuerit; undè inferre est illam probibitam fuisse ipsa Consuetudine Dispensationes circa ætatem Summo Pontifici reservante, quæ tamen in tota Occidentali Ecclesia nondùm recepta erat anno 1365. cùm eo anno celebratum ANDAGAVENSI *Concilium Can.* 8. declaret Episcopum posse dispensare circa ætatem ad Beneficia necessariam, ex evidenti Ecclesiæ necessitate. Hæc enim habet post prohibitas hujusmodi Collationes: *Nisi ex causa evidenti per Ordinarium fuerit dispensatum.*

VII. Nec ad Beneficia, nec ad Ordines admittendus homicida voluntarius absque Summi Pontificis Dispensatione.

Infertur ex *Capite* 4. *De Judiciis*, docente non posse Episcopum cum Clericis homicidis, etiam post peractam pœnitentiam, dispensare, dum declarat posse tantùm dispensare cum adulteris, aliisque, qui minoribus criminibus obnoxii sunt; id insinuat *Caput* 1. *De Cler. Pugn. in duello*, cùm enim dixerit Episcopum dispensare posse cum Clerico monomachiæ seu duelli reo, excipit casum quo in duello vel occidit vel mutilat.

Concilium TRIDENTINUM Sess. XXIV. *Cap.* 6. idem supponit tamquam constans, dum permittens Episcopo, ut dispenset ab omni irregularitate occulta Sedi Apostolicæ reservata, excipit eam, quæ ex homicidio voluntario nascitur.

VIII. Cum Prælato per simoniam electo, ut ea vice Prælaturam habeat, solus Papa dispensare potest.

Infertur ex *Capite* 27. *De Simon.* dicente Episcopum de jure non posse hujusmodi Dispensationem concedere. Idem habet *Caput* 59. *De Elect.* confirmatque, addens Episcopi Dispensationem circa Beneficium simplex tolerari. Eadem exceptio Regulam confirmans, infertur ex *Cap.* 27. *De Simonia*, Reservationem restringente ad Prælaturas. GONZAL. *in illud. n.* 3.

IX. Qui furtivè duos Ordines Sacros uno die suscepit contra expressam Episcopi prohibitionem, sub pœna anathematis non potest susceptos Ordines exercere sine Papæ Dispensatione, etiam post peractam pœnitentiam in statu Religioso. *De eo qui furtivè &c.* Cap. 3.

Casus iste differt à tertio, in eo quod Papæ Dispensatio reservatur etiam post ingressum Religionis adeò favorabilem circa Dispensationes ab irregularitate, ut Reservationi prædictæ finem imponere debuisse videretur.

Ex inscriptione *hujus Capitis* 3. colligitur ante creationem HONORII III. jam prohibitam fuisse Episcopo Dispensationem cum iis, qui duos Ordines Sacros eodem die susceperant; nam ex illa patet CÆLESTINUM III. illius Textûs esse Autorem: CÆLESTINUS autem creatus est anno 1198. & HONORIUS creatus anno 1216. Undè consequitur quod cùm citatus in tertio casu HONORIUS III. dicit *Cap.* 15. *De Tempor. Ordin.* non potuisse Metropolitanum permittere, ut quis uno die duos Ordines susciperet, quia à Canone sibi permissum non erat, non permissum ponit pro *vetito*, ideoque ex hoc Textu malè concludi Episcopos non posse dispensare, nisi in casibus, in quibus Dispensatio sibi à Canone expresse permittitur.

X. Reservat BONIFACIUS VIII. Sedi Apostolicæ Dispensationem à defectu natalium, quoad Ordines Sacros, & Beneficia curam animarum habentia. *De Filiis Presbyt. in* 6. Cap. 1. GREGORIUS IX. jam eidem reservaverat eamdem Dispensationem. *De Filiis Presbyt.* Cap. 18.

XI. Declarat HONORIUS III. quod etiam Legatus Sedis Apostolicæ non potest dispensare cum filio, ut habeat Ecclesiam, quam pater nullo medio habuit, quodque illa Dispensatio Sedi Apostolicæ reservatur. *De Filiis Presbyt.* Cap. 17.

XII. GREGORIUS IX. *Capite* 54. *De Elect.* præcipit cassari Electionem habentis plura Beneficia incompatibilia, si illa absque Dispensatione Sedis Apostolicæ teneret, quando electus est; eoque modo docet hanc Dispensationem Sedi Apostolicæ reservatam fuisse. Quæ doctrina certa est, ut patet ex *Concilio* LATERANENSI 1216. celebrato; ideoque ante creationem GREGORII IX. factam anno 1227. Postquam enim vetuit *Cap.* 28. *De Præbendis*, ne quis plures Dignitates, Personatus, Parochiales Ecclesias simul habeat, eximit à Regula Personas sublimes, & Literatas Personas, si per Sedem Apostolicam cum illis dispensetur. Idem supponunt

pónunt *Cap.* 3. *De Officio Ord. in* 6. Cap. 4. *De Præb.* EXTRAV. COMM.

XIII. Nonnulli colligunt ex *Cap.* 20. *De Elect.* Summum Pontificem posse dispensare circa irregularitates à Predecessoribus suis, vel à *Conciliis* Generalibus statutas; idque inferunt ex eo quod INNOCENTIUS III. asserens se posse dispensate cum eo, qui patitur defectum natalium, ut ad Dignitates ascendat, potestatem fundet in eo quod eadem potestate gaudeat, quâ ALEXANDER III., qui in *Concilio* LATERANENSI 1179. vetuit ne illegitimus ad Episcopatum, aliasve Dignitates promoveatur, & par in parem non habeat Imperium. Undè sic discurrunt: *Si* INNOCENTIUS III. *existimat se posse dispensare à prædicta Lege, quia ejusdem sit potestatis, ac qui illam tulit, consequens est, ut senserit eum qui minoris est potestatis quàm Legislator à Lege illius non posse dispensare.* Verùm quam maximè vacillar hujusmodi generalis Reservatio, eodem planè modo, quo illius fundamentum quod suprà eversum est, dum monstrabamus posse quem à Lege dispensare, quin sit superior illam condente, vel par ipsi, tum quia Papa dispensat à *Conciliis* Generalibus, in locis, quæ tenent eum esse inferioris quàm ista autoritatis: Episcopi quoque dispensant à Decretis *Concilii* Provincialis quo sunt inferiores; tum quia dispensandi potestas oritur ex potestate gubernandi, proindeque qui à Spiritu Sancto positi sunt ut regant Ecclesiam Dei, ab eodem immediatè vel mediante Ecclesia habent, ut possint à Legibus Ecclesiasticis dispensare, quoties utilitas Partis quam regunt id postulat: His addere possem plurima exempla, quibus patet *Concilia* Provincialia non pauca existimasse Episcopos posse dispensare à Decretis *Conciliorum* Generalium, id exigente justa causa; exemplorum illorum pleraque collecta sunt, tàm in Tractatu *De Dispensationibus Matrimonialibus*, quàm in Tractatu *De Irregularitatibus*; undè, ne quod jam actum est iterum agamus, sufficiet unum alterumve aliundè petitum hîc adducere: Subministrat primum citatus ANDEGAVENSIS Canon, qui docet urgente necessitate posse Episcopum dispensare circa ætatem ad Beneficia necessariam, quæ à *Concilio* III. LATERANENSI inter Generalia collocato statuta aut confirmata *Cap.* 3. Alterum desumo è *Concilio* NARBONENSI 1551. *Cap.* 53. in quo consentit, ut Episcopus permittat una tantùm vice Matrimonium publicari, licèt Concilium LATERANENSE sub INNOCENTIO III. per antonomasiam Generale nuncupatum, pluries promulgari jusserit, & Dispensationem Episcopis expressè non concesserit.

XIV. Ex *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6. patet Summos Pontifices concessisse aliàs Dispensationes perpetuas à Residentia, & BONIFACIUM VIII. illas revocasse, nisi in favorem Ecclesiarum concessæ fuissent media Unione Beneficiorum Residentiam exigentium cum aliis similibus, de Dispensationibus hujus generis ab Episcopis concessis mentionem ullam fieri: Unde colligere licet concessionem hujusmodi Dispensationum Sedi Apostolicæ tunc reservatam, cùm à verisimilitudine longè alienum sit BONIFACIUM VIII. duriùs acturum fuisse cum Pontificibus, quàm cum Episcopis. Id genus Dispensationum in Gallia non toleraretur.

REGULA IV.

Non alii deducuntur è *Concilio* TRIDENTINO Dispensationum casus Summo Pontifici reservati, quàm isti circa Ordines & Beneficia.

I. Facultates de promovendo, *id est*, recipiendo Ordines à quocumque. *Cap.* 11. SESS. VII. Non recipiuntur in Gallia.

II. Facultas de non promovendo, intra tempus à Jure præfixum, petitur à Summo Pontifice, annalis esse debet, si ex legitimo impedimento postuletur. *Ead.* SESS. *Cap.* 12. Non video, cur Episcopus illam concedere non possit, cùm tempus non currat legitimè impedito. Proindeque hinc Dispensatio aliud non sit quam impeditum ad promotionem non teneri: Ad hæc *Conc.* VAR. exipit casus in Jure expressos, quibus ille annumeratur.

Si ex alia causa quam ex legitimo impedimento petitur, haud justa videtur.

III. Confirmat Reservationem Dispensationum circa incompatibilia Sedi Apostolicæ factam. *Cap.* 5. *Ibid.*

IV. Supponit Summum Pontificem posse dispensare à tota pœna ab Episcopo justè inflicta, vel à parte illius. *Cap.* 5. SESS. 13. Sunt qui dicunt id Dispensationis genus non admittendum in Gallia, quia eo admisso aperitur via latissima deferendi causas ad Sedem Apostolicam, omisso medio, & enervandi disciplinam Ecclesiasticam ob facilitatem Officialium Curiæ Romanæ in concedendis Dispensationibus.

V. Loquitur de Dispensatione ab homicidio casuali, & à necessario ad sui defensionem perpetrato, tamquam de re Sedi Apostolicæ reservata, cùm præcipiat ut committatur Ordinario loci; sed sensus *Concilii* Cap. 7. SESS. 14. est quod si hujusmodi Dispensatio petatur à Sede Apostolica, in forma commissoria concedatur, propter rei gravitatem. Interpretationi huic favet ratio; nam in reservatis Summo Pontifici, quæ ad rem reservatam certo & perfectè non pertinent, Reservationi non subjacent; exemplum habes in votis Castitatis, quæ etsi reservata Sedi Apostolicæ, attamen si dubia sint, aut imperfectè emissa, qualia quæ minus deliberatè, vel minus liberè, vel in alio voto ut vota inclusa non nubendi, vel ingrediendi Religionem, Dispensationi Episcopali obnoxia sunt. Unde cùm homicidia casuale & necessarium sint imperfectè voluntaria, Summo Pontifici reservata non sunt censenda, etsi homicidium voluntarium eidem reservatum sit.

VI. Insinuat Sedi Apostolicæ reservari Dispensationem cum promoto, per saltum qui susceptum Ordinem exercuit, cùm Episcopus nolit dispensare, nisi cum iis, qui non ministraverint in Ordine per saltum recepto. SESS. XXIII. Cap. 14.

VII. Conservat Sedi Apostolicæ omnes Dispensationes, quæ sibi tunc reservabantur circa irregularitates ex delicto, quando ex delicto publico natæ sunt; vel si ex occulto profectæ sunt, delictum factum est publicum, quia delatum est ad Tribunal contentiosum cum effectu; ita ut de illo, vel accusati ipsius confessione in judicio facta constiterit, vel convictione per testes, per indicia juncta depositionibus, vel responsionibus ipsius rei, coram Judice factis, patuerit. Conservat Reservationem Dispensationis ab irregularitate orta ex homicidio occulto voluntario. SESS. XXIV. Cap. 6.

Cùm autem hæc Reservatio restringatur ad homicidium voluntarium, inferre licet *Concilium* permisisse, vel dimisisse Episcopis Dispensationes circa irregularitatem provenientem ex homicidio casuali, vel necessario culpæ obnoxio; utrique enim homicidium voluntarium opponitur, ut pote ab utroque maximè distans; quod utique confirmat observationem factam numero quinto contra Reservationem Dispensationis ab homicidio casuali, vel necessario, in favorem Papæ prætensam.

REGULA V.

Factæ Reservationes, circa Dispensationes matrimoniales in favorem Sedis Apostolicæ nullæ leguntur, nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO.

Prior Pars patet ex eo quod duo tantùm Textus in Corpore Juris extant, qui de Dispensationibus Matrimonialibus autoritate Apostolica concessis agant: uterque est in *Titulo De Consanguinitate.* LIB. IV. DECRETAL. *Tit.* 14. Alter in *Capite* 3.; In eo COELESTINUS III. refert à Legato Sedis Apostolicæ cum In-

colis Norwegiæ dispensatum circa sextum & septimum gradum: Hinc enim non sequitur Sedi Apostolicæ reservatas fuisse Dispensationes à sexto aut septimo gradu; agebatur enim de ingenti populo, & de Dispensarione perpetua; ideoque potuit populus ad Legatum potius quàm ad Episeopos recurrere. Alter verò in *Capite 6.*; In isto scribit INNOCENTIUS III. Nobilem contraxisse Matrimonium cum propinqua in quinto gradu, & post contractum petiisse à Sede Apostolica facultatem remanendi cum uxore sua, atque ut illam obtineret exposuisse quod utiliras prolis hoc exposceret, & proles jam obierat. Deinde Episcopum subreptionis prædictæ certiorem factum Sedem Apostolicam consuluisse, quæ respondit, dissimulandum hujusmodi Matrimonium si Partes sine scandalo separari non possint: Textus autem hic nullam habet inscriptionem; & in antiquis Collectionibus ab ANTONIO AUGUSTINO editis non reperitur; undè oescitur cujus Regionis essent Partes, quæ ad Pontificem recurrerant, & fortè ex qualitate Regionis nascebatur causa recursûs; ad hæc solus recursus ad Pontificem propter aliquam rem, non evincit illam fuisse sibi reservatam, ut suprà ostensum est, ex co quod in gratiis concedendis Papa concurrat cum Ordinario, ideoque ab eo peti potest, quod & ab Ordinario impetrari licet.

Extat quidem alius Textus, qui de Dispensarione Matrimonii concessa autoritate Sedis Apostolicæ loqui videtur. Habetur *Capite 9. De Divortiis.* In eo INNOCENTIRUS III. dicit non separandos Livonienses noviter conversos ad fidem, qui antè conversionem contraxerant ritu Mosaïco, cum relictis fratrum sine prole defunctorum; at non permittendum in posterum ut conversi ad fidem talia Matrimonia contrahant. Videtur autem Pontifex dispensare, quia utitur his verbis: *Propter infirmitatem gentis concedimus ut Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur*; quorum verborum sensus est: *Declaramus licitum esse usum talium Matrimoniorum*; alioquin vanam Dispensationem dare voluissec INNOCENTIUS, cùm Matrimonia hujusmodi valida essent, nec conversione ad fidem invalida fierent, eodem planè modo, quo Matrimonia in gradu prohibito tantùm à Jure Canonico contracta valebant, nec conversione ad fidem irritabantur, ut idemmet Papa decidit. *Cap.* 8. *Eod. Tit.* & Cap. 4. *De Consang.*

Alinm Testum citant Canonistæ Ultramontani; nempè *Caput* 2. *De eo qui cognovit*, &c. quo probare prætendunt Summum Pontificem dispensare posse à Matrimonio contracto, non consummaro, ipsique soli id reservari, sed infausto conatu; cùm ALEXANOER III. in eo tantùm dicat hanc Dispensationem concedi posse; undè sequitur tàm ad Episcopos quàm ad Summum Pontificem pertinere; cùm jam suprà ostensum sit, quod quoties Canon dicit permissam esse Dispensationem, Episcopi ut & Papa illam concedere possint.

Idem Titulus IV. alios Textus *6. 9. 10. 11.* continet, qui videntur docere Dispensationem ab affinitate contracta post Matrimonium ad Papam pertinere, idque quia Partes ad illum recuretunt ad ejus impetrationem; sed non docent, cùm recursus (*ut pluries dictum est*) ad Summum Pontificem ob certam rem non evincat, illam sibi reservari; cumque præterea in his Testibus INNOCENTIUS III. & GREGORIUS IX nihil alind dicant, nisi permittendum, ut non obstante affinitate sic contracta Partes simul coeant; idque quia Pars, quæ culpa vacat, punienda non est: Undè agitur de Juris declaratione circa dubium propositum à Papa interrogato facta, & non de Juris relaxatione ad supplicantis preces concessa.

Inter Epistolas Decretales, quæ in antiquis Collectionibus Decretalium habentur, & prætermissæ sunt in Collectione GREGORII IX. extat una *Cap.* 4. *Qui Clerici vel vov. Collect.* 1. quæ meminit Dispensationis concessæ ab ALEXANORO III. ab impedimento Ordinis Subdiaconatûs; sed in illa ne verbum legitur quod ostendat hanc Dispensationem à solo Pontifice concedi potuisse.

REGULA VI.

Nullum habes in *Concilio* TRIDENTINO locum, qui doceat Dispensationes Matrimoniales Sedi Apostolicæ reservari.

Regula patet ex eo quod *Concilium* non loquatur de Dispeosarionibus Matrimonialibus, nisi in *Capitibus* 1. & 5. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.* In priore autem declarat permissum Episcopo, ut à denunciationibus dispenset. In posteriore Regulas præscribit circa Dispensationes ab impedimentis, quæ gradus habent communes Summo Pontifici & Episcopis.

REGULA VII.

Nullus est apud GREOORIUM IX. Textus, qui doceat Dispensationem à votis substantialibus Religionis, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, Summo Pontifici reservari.

Patet Regula ex co quod unicus sit apud eum Textus, qui de hujusmodi Dispensatione loquatur, & is docet illam concedi non posse etiam à Sede Apostolica. *Cap. 6. De Stat. Regular.* Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, ita annesa est Regulæ Monachali, ut contra illam, oec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

REGULA VIII.

Si EXTRAVBGANTES COMMUNES collocentur inter Partes Corpotis Juris, non dubium quin in Cotpore Juris reservatæ dicantur Sedi Apostolicæ Dispensationes à voto Castitatis. à votis Religionis, & à votis Ultramarinis, seu eundi Jerusalem, vel ad Sanctum Jacobum, vel ad limina Apostolorum.

Regula patet ex *Capite* 5. EXTRAVAG. COMM. *De Pœniteut.* in quo SIXTUS IV. loquitur de hac Reservatione, tamquam de re jam constituta, ibi enim declarat se nolle, ut, in commissione generali dispensandi à Sede Apostolica concessa, Dispensationes prædictæ comprehendantur.

Per vota Religionis intelligenda videntur vota substantialia Religionis jam emissa, non votum Religionis amplectendæ, cùm in voto isto Religionis votum Castitatis comprehendatur. Et SIXTUS IV. votum Castitatis à votis Religionis expressè distinguit, quæ distinctio optimè quadrat, si per vota Religionis intelligantur vota substantialia Religionis; quia votum Castitatis jure ab illis distinguitur, cùm sit simplex & ista solemnia, Matrimonium dumtaxat impediat, ista verò illud dirimant.

Reservatio voti Ultramarini non viget, saltem in Gallia; dispensant siquidem ab hoc voto Episcopi Gallicani.

REGULA IX.

Dispensationes Summo Pontifici reservatæ; quæ inter Majores Causas recensentur, non aliæ sunt qoam istæ.

Postulatio ad Dignitates, si admittatur. *Toto Titulo De Postulat.*

Cessio Episcopatûs, si approbetur. *De Renunt.* Cap. 10. *De Translat.* Cap. 2.

Idem de Abbatia Exempta. *De Renunt.* Cap. 15.

Translatio Episcopi ab uno Episcopatu ad alium si permittatur. *De Translat.* Cap. 2.

Idem dicendum de Abbate Esempto, si admittatur ejus Translatio ab una Abbatia ad aliam. Infertur ex *Capite* 15. *De Renuntiat.* Nam si Abbas

Ex-

Exemptus egeat gratiâ Sedis Apostolicæ, ut dimittat Abbatiam, eadem eget ut ad aliam transeat, cùm ad id Dimissio sit necessaria.

REGULA X.

Nonnullæ sunt Dispensationes Sedi Apostolicæ reservatæ, quæ in Jus Commune transierunt.

Regula patet ex usu Gallicano circa Resignationes in favorem, quæ à Papa rejici non possunt, nisi conditiones insolitas contineant.

REGULA XI.

Extant quoque ejusdem generis Dispensationes, quæ concedi non consueverunt.

Colligitur ex Decreto *Concilii* Tridentini Sess. XXII. *Super Petitione Calicis*, quo ejusdem Calicis concessio justo permittitur Pontificis arbitrio, & hujusmodi Dispensatio nemini hactenus à Sede Apostolica concessa est.

REGULA XII.

Rescripta ad reclamandum contra Professionem, vel Sacri Ordinis Subdiaconatûs, vel Diaconatûs susceptionem, vi factam, non sunt Dispensationes.

Ratio Regulæ: Reclamatio hujusmodi Jure Communi permittitur. Sess. XXV. *De Regular.* Cap. 19.

Idem dicendum de Relevatione à lapsu quinquennii, si impetrans à reclamatione legitimè impeditus fuerit, *cùm tempus non currat legitimè impedito.*

TITULUS VIII.

De Canonicis, ubi quæcumque illos spectant explicantur: I. Per Decisiones Juris propriis ipsius verbis relatas. II. Per Regulas indè desumptas. III. Per Canones aliundè quàm ex Corpore Juris depromptos.

SECTIO I.

Quomodo, & qua ætate admittantur.

I. Canonici Fratres dicuntur Episcopi. *De his quæ fiunt à Prælatis, &c.* Cap. *Quantò.* Lib. III. Decr. *Tit.* 10. Cap. 5.

II. Canonici Ecclesiæ Senatus dicitur. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 12. *fin.*

III. In omnibus Ecclesiis duo vel tres faciunt Congregationem seu Collegium. *De Electione.* Cap. *Nullus. cum Glossa.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1.

IV. Ad Episcopum pertinet Collatio Beneficii seu Præbendæ, ad Capitulum & Decanum institutio in Capitulo & Stallo. *Glossa* Verbo *Ordinatione.* Hinc Installario vulgò *Prise de Possession.*

V. Origo Canonicorum Regularium. *Concil.* Turon. III. *anno* 813. *Can.* 24. Tom. VII Conc. *pag.* 1264. Ibi fit mentio Abbatum Monasteriorum, in quibus Canonica vita antiquitùs fuit, vel tunc esse videbatur, præcipiturque ut in illis regularis vita servetur.

VI. *Concil.* Meldan. 845. Cap. 53. Tom. VII. Conc. *p.* 1835. providetur ut Claustra pro Canonicis construantur ad vitam Regularem ducendam.

VII. Presbyteri & Clerici cujuscumque Ecclesiæ non sunt unum Corpus, ita quod Capitulum appellentur. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Dilecta. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 14.

VIII. Præbenda Canonica dicitur. *Conc.* Turon. *anno* 1060. Cap. 2. Tom. IX. Conc. *p.* 1109.

IX. Canonicus est quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari Ecclesia Divinis mancipatus est Officiis. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 4. *init.* Clementina II. *De Ætate & Qualit.*

X. Provisi de Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform.* Cap. 12. *med.*

XI. Obtinentes in Cathedralibus Ecclesiis, vel Collegiatis, Canonicatus & Præbendas, sunt Canonici. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Reform.* Cap. 12. *med.*

XII. Ad Ordinationem Canonicorum necessè est idonea & honesta persona, cui Episcopus vacante in Ecclesia Præbenda, duxerit conferendam, præsentetur Decano & Capitulo. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Post Electionem. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

XIII. In Literis Episcopi directis Capitulo, de Decano mentio habeatur, per cujus manum debet Canonicus in Capitulo investiri. *Ibid.* §. 1. *Cùm igitur.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

XIV. Capitulum investit Canonicum de Canonicatu, & solemniter installat. *Ibid.* §. 3.

XV. Quæ signa Possessionis, vel quasi possessionis Canonicatus admittere in Canonicum, & recipere in Canonicum, & ea quæ ad Canonicatum pertinent cum Stallo Chori, & loco Capituli alicui assignare. *De Preb.* Cap. *Pro illorum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 22.

XVI. Existit in Canonicatûs possessione, vel quasi, habendo Stallum in Choro, locum in Capitulo, legendo & cantando ut Canonicus, & cùm ad tractatus ac Electiones Dignitatum Personarum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, tanquam Canonicus est vocatus. *De Electione.* Cap. *In Genesi.* §. 1. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 55.

XVII. Episcopi nemini infrà annum 14. constituto, Personatum cujuslibet Ecclesiæ concedere præsumant; quod si contraria præsumpserint, quod fecerint irritabitur. *De Ætate & Qualibet.* Capite *In decorum.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 3. *Append. Concil.* Lateran. *Parte* 25. Cap. 2.

Personatus hìc accipitur pro Rectoria, vel Rectoratu cujusque Ecclesiæ non Collegiatæ, non autem pro Præbenda habente administrationem, cujus generia & nominis sunt quædam Præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis ac præeminentiam conferente.

SECTIO II.

De Dignitatibus, ut vocant, Ecclesiarum Cathedralium, ad quid instituta sint, cujus ætatis, & quales esse debeant, qui ad illas assumuntur?

I. Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam Disciplinam fuerunt institutæ, ut qui eas obtinerent pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos operâ & officio juvarent. *Concilio* Tridentino. Sess. XXIV. *De Refor.* Cap. 12.

II. Meritò qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. *Ibid.*

Nemo ad Dignitates quascumque, quibus aliarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur. Juxta Constitutionem Alexandri III. in *Concilio* Lateranensi promulgatam, quæ incipit: *Cùm in Cunctis. Concil.* Trid. *Ibid.* Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 12.

III. Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, nisi qui jam 25. ætatis annum attigerit, & scientia & moribus commendandus existat. *De Electione.* Cap.

 Cùm

Cùm in cunctis. §. 2. *Inferiora.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

IV. Ad cæteras Dignitates, vel Personatus, quibus aliarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei & 22. annis non minores adscifcantur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 12. *post. initium.* Permittitur ut Episcopi cum his qui 20. annum compleverint, quod Dignitates, vel Personatus, quibus aliarum cura non imminet, valeant obtinere, possint (si aliud non obstat Canonicum) liberè dispensare. *In 6. De Ætate & Qualitate.* Cap. unico. LIB. I. *Tit.* 10. Cap. unico.

V. In Cathedralibus, Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, in quarum Statutis cavetur expresse, quod nullus ibidem Dignitatem, Personatum, Administrationem, vel Officium obtinere possit, nisi in illis actu Canonicus existat, Canonicos ad effectum duntaxat inibi obtinendi Dignitatem, Personatum, Administrationem vel Officium, sed non consequendi primam Præbendam vacaturam creat Romanus Pontifex. *Concordatorum. Tit.* 2. *med.*

Si verè non sunt Canonici debent petere à Summo Pontifice Canonicatum ad effectum tantùm, ubi statuta Ecclesiæ volunt illos esse Canonicos.

SECTIO III.

Quoscumque qui ad Canonicatum, seu Dignitatem, admittuntur, teneri professionem fidei emittere, ac solita præstare juramenta, aliasque honestas duntaxat consuetudines servare?

I. Provisi de Canonicatibus & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solùm coram Episcopo sen ejus Officiali, sed etiam in Capitulo orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem teneantur. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXIV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 12.

II. Contingit in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, quod Canonici, cùm de recipiendis ibidem novis Canonicis agitur, aliter non recipiantur in ipsis, nisi jurent Statuta & Consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta & non scripta, inviolabiliter observare. *In 6. de Jurejurando.* Cap. *Contingit.* LIB. II. *Tit.* 11. Cap. 1. NICOLAUS III.

III. A quibuscumque scientibus contineri in prædictis Consuetudinibus & Statutis, illicita, impossibilia, vel Libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus præstari non debent; & talia juramenta ea intentione facta, cùm etiam sub tali intentione præstari non possint absque Divinæ Majestatis offensa, in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu Libertati Ecclesiasticæ obviantibus, non sunt servanda. *Ibid. in 6.* LIB. II. *Tit.* 11. Cap. 1. *med.*

IV. Si sub forma prædicta, vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel Libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigerit, ad observanda duntaxat licita, possibilia, & non obviantia Libertati Ecclesiasticæ, jurantium referri debet intentio. *Ibid.*

V. GREGORIUS III. innovavit hanc Constitutionem NICOLAI Papæ III. *Bulla* 93. *inter Apostolicas anno* 1584. BULLARII TOM. II. *p.* 478.

VI. Juramenta sub omni generalitate qualitercumque, & sub qualicumque verborum forma præstita vel præstanda, ad licita, possibilia, & Libertati Ecclesiasticæ non obviantia, tantùm extenduntur, ipsique jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non tenentur. *In* SEXTO *De Jurejurando.* Cap. *Contingit.* LIB. II. *Tit.* 11. Cap. 1. §. *Declaramus.*

VII. Clericus, qui juravit se Statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens postea Statutum quod post nodum subsecutum est, fideliter observare, non tenetur ad illius observationem ex debito præstiti juramenti. *De Jurejurando.* Cap. *Clericus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 35.

VIII. Canonicus, qui jurat se servaturum Statuta edita, non tenetur vi illius juramenti servare Statuta postmodum edita, licèt promittat illa se servaturum, per idem juramentum tenetur illa servare ex sua promissione, non ex debito juramenti. *Glossa.*

IX. Transgredi tamen non debet quod promisit. *Ibidem.*

X. Sancta *Synodus* TRIDENTINA detestatur quod in pluribus Ecclesiis, tàm Cathedralibus quàm Collegiatis, ex earum Constitutionibus, aut ex prava Consuetudine observari intelligitur in admissione ad possessionem Canonicorum, aut Præbendarum certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes, vel illicitè interponantur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 14. *initio.*

Huc attinet nota GUIMERICI *in Tit. De Annatis* PRAGMATICÆ SANCTIONIS, nempè Reservatio fructuum vacantium Beneficiorum in utilitatem privatorum non valet, in utilitatem verò Ecclesiæ servanda.

XI. Episcopi quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis ob sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive Consuetudinibus, super prædictis cognoscant, & illis tamen, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant & aboleant; non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostoli auctoritate firmatis. *Ibid. Concilio* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 14.

XII. Si fructus Beneficiorum, quæ in sua Diœcesi vacabunt, Ecclesiæ Fabricæ, seu alteri usui, de speciali Consuetudine, Privilegio, vel forsitan Statuto debeantur, præjudicium aliquod huic speciali non generatur. *De Rescript. in 6.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 10.

XIII. Ad restaurandam Fabricam Ecclesiæ statutum est, ut quilibet Canonicórum aliquam suorum redituum portionem deputet. *De his, quæ fiunt à majori.* Cap. *fin. Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. Cap. 4.

XIV. Pro relevatione oneris debitorum, fructus Beneficiorum, quæ vacare contigerit, liceat retinere. *De Verbor. Signif.* Cap. *Tua nobis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 32.

XV. Etsi Canonici quamdam Consuetudinem prætendant, quod prandium habere debeant, à Canonico recepto de novo, tali Consuetudine non obstante, ei qui receptus est in Canonicum, sicut uni ex aliis, in proventibus & Præbenda providere debent. *De Sim.* Cap. JACOBUS. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 44.

SECTIO IV.

Canonicatus & Dignitates exigere certos Ordines Sacros, quos statuto tempore semper suscipere tenentur, qui illa obtinent, & quid requirant, ut Canonici vocem habeant in Capitulo.

I. Clerici, qui Ecclesias, seu Beneficia habent Ecclesiarum, & ordinari, quo liberiùs vivant, subterfugiunt. Cùm ab Episcopis invitati fuerint, si ad Ordines promoveri contempserint, Ecclesiis & Beneficiis eorum priventur. *Concilium* LONDIN. *anno* 1125. *Can.* 6. TOM. X. *Conc. p.* 915.

II. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs. *Conc.* TRIDENT. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 12. *med.*

III. Dimidia saltem Pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi. *Ibid.*

IV. Ubi

IV. Uti Consuetudo habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, conditio observetur. *Ibid.* Qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones, ac quælibet alia Officia in Cathedrali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari Ecclesia obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent, quorumque privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infrà annum Ordines suscipere requisitos. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. 4. *med.*

V. Qui Dignitates, Personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi Ordines sunt annexi, pacificè obtinent in Cathedralibus, vel Collegiatis, Sæcularibus, vel Regularibus Ecclesiis, vel obtinebunt in futurum, nisi (justo impedimento cessante) ad omnes Ordines promoveri se fecerint intra annum, ex tunc, (*id est* anno elapso. *Glossa.*) donec ad eos promoti fuerint nullo modo vocem in Capitulo habeant earumdem. Clementina. *Ut ii. De Ætate & Qualitate &c. §. 1. init.* Clementinarum Lib. I. *Tit. 6. Cap.* 2. Ipsis distributionum, quæ dantur his, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus vel Statutis: Pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad Ordines recusantes statuuntur in Jure, nihilominus in suo robore permansuris, *Ibid. fin.* Clementina. *Ut ii. De Ætate & Qualitate.* Clementinarum Lib. I. *Tit. 6.* Cap. 2.

VI. Hanc Constitutionem *Concilii* Viennensis, quæ incipit, *Ut ii qui*, Decreto suo innovat Sancta *Synodus* Tridentina, ut illas pœnas incurrant, qui infrà annum Ordines non susceperint requisitos *Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 4.

VII. Capitulum neminem ad Dignitatem Canonicatûs, aut Portionem recipiat, nisi qui eo Ordine Sacro, aut sit initiatus, qui illa Dignitas, aut Præbenda, aut Portio requirit, aut in tali ætate, ut infrà tempus à Jure statutum initiari valeat.

VIII Ut ii, qui Divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis Sæcularibus, vel Regularibus Ecclesiis sunt mancipati Officiis, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos Sacros Ordines propensiùs inducantur, nullus in omnibus Ecclesiis vocem in Capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur) nisi saltem in Subdiaconatûs Ordine fuerit constitutus. Clementina. *Ut ii. Qui de Ætate &c. init.* Clementinarum Lib. I. *Tit. 6.* Cap. 2.

IX. Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, Seculari, vel Regulari Ecclesia Divinis mancipatus Officiis in Subdiaconatûs Ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 4. *init.*

SECTIO V.

Teneri eos, qui Canonicatus, seu Dignitates obtinent, per se implere Officia illis annexa, atque bono ubique exemplo esse.

I. Omnes obtinentes in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, Divina per se & non per substitutos compellantur obire Officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, Himnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 12. *post med.*

II. Cogant Episcopi eos, qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones, ac quælibet alia Beneficia, in dictis Ecclesiis obtinent, diebus statutis Ordines requisitos per se ipsos exercere, ac cætera omnia Officia, quæ debent in Cultu Divino præstare. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 4. *fin.*

III. Vestitu insuper decenti tàm in Ecclesia quàm extra assiduè utantur. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr II. *De Reform.* Cap. 12. *fin.*

IV. Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ Senatus dici possit. *Ibid.*

Conc. Aquisgran *ann.* 816. *Cap.* 125. damnat Canonicos, qui relicta veste, quâ à Monachis discernebantur, induebat cucullas, quæ istorum propria vestis erat, ac damnationis causas plures refert.

His quæ hic colliguntur circa vestitum & mores, addi possunt quæ suprà collecta sunt circa vitam & honestatem Clericorum, quia Canonici sunt nunc illorum præcipui, ex eo scilicet quod sint, vel esse debeant Senatus Conciliumque Episcopi.

SECTIO VI.

Capitula Cathedralium, seu Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad persolvendum, ac celebrandum Divinum Officium, & qua ratione id præstari debeat?

I. In Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis devotè psallatur. Clementina. *Gravi. De Celebrat. Missar. §. ult. med.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

II. Septem Synaxes Sancti Patres canendas constituerunt exceptione. *Cap.* 28. Tom. VI. Conc. *p.* 1588. Vide *Concil.* Aquisgran. *anno* 813. Cap. 126. Tom. VII. Concil. *p.* 1395. *Cap.* 131. ubi multa notanda circa modum celebrandi bas horas, & explicationem misteriorum, illarum numero comprehensorum.

III. Ecclesia debito tradatur Clericorum servitio, cùm Præbendæ vacant. *De Clerico Excommunicato.* Cap. *Proposuit. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27 Cap. 8.

IV. In cunctis Cathedralibus, ac Collegiatis, Ecclesiasticis horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, Laudes Divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet Versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solemne & feriale Officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur. Pragmatica Sanctione. *Tit.* 10.

V. Qui occasionem cessationi à Divinis dedit, Ecclesiæ debitum Officium ejus est culpa substractum. *In 6. De Officio Ordin.* Cap. *Si Canonici.* §. 2. *init.* Lib. I. *Tit* 16. Cap. 2.

VI. Propheta dicente: *Septies in die Laudem dixi tibi*; septenarius numerus impletur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore, nostræ servitutis Officia persolvamus. *De Celebrat. Missar.* Cap. *Presbyter. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 1. Vide *Concil.* Agatense, anno 506. *Canon* 30. unde desumptus est relatus Textus. Tom. IV. Concil. *pag.* 2388. *Concil.* Tarascon. *anno* 516. *Canon.* 7. Tom. IV. Concil. *p.* 1564. qui jubet ut Diaconi cum Presbyteris, alterna Hebdomada Officium Divinum celebrent, dieque Dominica omnes Clerici ad illud coeant.

VII. Cathedrales, & Conventuales Ecclesiæ, prætextu Missæ semel in die pro anniversario celebrandæ, Sacra Missarum Solemnia, quæ ratione diei, vel festi, solent solemniùs celebrari, prætermittere non debent. *De Celebrat. Missar.* Cap. *Cùm Creatura. init. ex Collectione* Gunzalis. Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 11. Vide *Concilium* Vasense vulgò III. verè II. *anno* 529. *Cap.* 5. ubi præcipitur post *Gloria Patri* addi *sicut erat.* Tom. IV. Concil. *p.* 1680.

VIII. Nullum in se torporem negligentiæ obrepere per-

permittant, quominus & pro anniversariis defunctorum, & pro festo vel feria, secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebrent. *Ibid. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 11. Vide *Concil.* AURELIANUM III. *anni* 578. *Canone* 14. TOM. V. CONCIL. *p.* 299. jubente Missam celebrari hora tertia, quo faciliùs Officio expedito intra horas competentes, Sacerdotes possint ad Officia Vespertina convenire. Vid. *Conc.* BRACARENSE II. *anni* 563. Cap. 1. 2. & 12. CONC. TOM V. *p.* 840. Præcipiunt, ut eædem lectiones in Vigiliis, & Missis legantur, & eodem modo Episcopi & Presbyteri salutent populum, dicentes: *Dominus vobiscum*: nihilque psallatur quam ex Divinis scripturis. *Cap.* 12. *Concil.* TOLET. IV. anno 633. *Can.* 2. TOM. V. CONCIL. *p.* 1704. ubi veterem disciplinam jubet, ut una quaque Provincia psallendi, & ministrandi, parem consuetudinem teneant, ne sit aliqua species schismatis, vel scandali.

IX. Institutio Missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omnibus Provinciis, tàm ipsius Missæ ordo, quàm psallendi, vel ministrandi consuetudo servetur. *De Consecrat.* DIST. II. Cap. 31. *Institutio.* In Concilio legitur in Provincia TARRACON. Collectores ad omnes Provincias extenderunt.

X. Olim omnes Clerici Civitatis diebus solemnibus conveniebant ad Officium in Canonicis. Vide *Regulam* CHRODOG. Cap. 8. TOM. VII. CONCIL. *pag.* 1450. ubi hæc habet: *In diebus Dominicis & Festivitatibus, omnis Clerus, qui extra Claustra est, ad Nocturnas & Matutinas veniat.*

XI. Ad celebranda Divina Officia Ordinem, quem Metropolitani tenent, Comprovinciales observare debebunt. *De Consecrat.* DISTINCT. II. Cap. 31. *Altarin. fin.*

XII. Ut omnes Ecclesiæ publicæ Canonicis horis cursum suum habeant cum reverentia. *Concilium* CALCHUTENSE *anno* 787. Cap. 7. TOM VI. CONC. *p.* 1865.

XIII. Divinæ Laudis Officia, debitæ servitutis obsequio exhibentur. EXTRAVAG. JOANNIS XXII. *inter Canones. Docta Sanctorum. init. De Vita & honestate.* LIB. III. EXTRAVAG. *Tit.* I. *Cap. unico.* Docta Sanctorum Patrum decrevit auctoritas, ut Divinæ Laudis Officiis, quæ debitæ servitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non cespitet, & modesta psallentium gravitas placida modulatione decantet. *Ibid. init.*

XIV. Inde in Ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur: In hoc nocturnum diurnumque Officium, & Missarum celebritates assiduè Clero ac populo, sub maturo tenore, distinctaque gradatione decantentur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. *Ibid.*

XV. Non est prohibitum, quibus interdum diebus Festis præcipnè, sive solemnibus in Missis, & Divinis Officiis aliquæ consonantiæ, quæ melodiam sapiant, supra cantum Ecclesiasticum simpliciter profetantur: maximè cùm hujusmodi consonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & Psallentium Deo animos torpere non sinant. *Ibid. fin.*

XVI. Quæ necessaria erunt Ministris, & si qua hujusmodi *Synodus* Provincialis, pro cujuscumque Provinciæ utilitate, & moribus, certam cujuscumque formulam præscribet. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXIV. DECR. *De Reform. Cap.* 12. Constitutionum GALLERI Archiepiscopi SENON. mortui *ana* 923. Cap. 8. TOM. IX. CONCIL. *pag.* 578. ubi statuit, quæ Capitula facere teneantur circa Officium Divinum, secundùm numerum institutorum, & facultates Ecclesiarum.

XVII. Inter ea verò Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit providere *Concil.* TRID. *Ibid.* SESS. XXIV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 12.

SECTIO VII.

Canonicos omnes teneri interesse Divino Officio; & quomodo, & an cantare illud teneantur?

I. In cunctis Cathedralibus, & Collegiatis, ac Ecclesiis non cursim, ac festinanter, sed tractim & cum pausa dicent. Laudes Divinæ, per singulas horas reverenter ab omnibus persolvantur. PRAGMATICA SANCTIONE. *Tit.* 10.

II. Omnes compellantur per se, & non per substitutos in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter distinctè, devoteque laudare. *Concil.* TRID. SESS. XXII. DECR. II. *De Reform.* Cap. 12. Vide *Concil.* VENETICUM. *anno* 465. *Canon* 14. & 15. TOM. IV. CONC. *p.* 1057.

III. Ecclesiarum Ministri offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ, & animi devotione debent, boras Canonicas dicere, seu psallere, non transcurrendo, non syncopando, non extranea & plerumque vana, profana, & inhonesta intermiscendo colloquia. CLEMENTINA *Gravi. De Celebrat. Missar. init.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

IV. Non tarde ad Chorum conveniendo, non Ecclesiam ipsam ante finem Officii exeundo, in corona, vestibus, & tonsura, Divina celebrare aut eis interesse debent. *Ibid.*

V. Cùm psallendi gratia ibidem conveniant, mutæ aut clausa labia tenere non debent, sed omnes præsertim qui majori funguntur honore, in Psalmis, in Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur. PRAGMATICA SANCTIONE *Tit.* 10.

VI. Horas Canonicas dicturi cum Tunica, Talari, ac Suppelliciis mundis ultra medias Tibias longis, vel Cappis, juxta temporum & Regionum diversitatem, Ecclesias ingrediantur. *Ibid.*

VII. Cùm in Choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & Officium exigunt, non insimul aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut literas, seu scriptuas alias legentes. *Ibid.*

VIII. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia Officium est, Deo non voce sed corde cantandum. DISTINCT. XCII. Cap. 1. *Cantantes.*

IX. Numquid verborum multitudine flecti Deus ut homo potest. Non verbis tantùm, sed corde orandus est Deus. *De Consecratione.* DIST. V. Cap. 24. *Non mediocriter. med.*

X. Cùm dicitur *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, omnes consurgant. Cùm nominatur illud nomen gloriosum JESUS, in quo omne genu flectitur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, omnes caput inclinent. PRAGMATICA SANCTIONE. *Tit.* 10.

XI. Nemo ibidem dum horæ in communi cantantur legat, vel dicat privatim Officium, nam non solùm obsequium, quo obnoxius est, Choro substrahit, sed & alios psallentes perturbat. PRAGMATICA SANCTIONE. *Tit.* 10.

XII. Super his debitè observandis, aliisque ad Divini Officii prosecutionem, ac Chori disciplinam spectantibus, cui onus incumbit diligenter invigilet, inde ne quid inordinatè fiat circumspiciens. PRAGMATICA SANCTIONE. *Tit.* 10.

XIII. Si quis Principem sæculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente, se ipsum ac verba studeat componere; quanto diligentiùs in hoc Sacro loco Omnipotentem oraturus Deum, hæc omnia facere curabit. *Ibid.* PRAGM. SANCT. *Tit.* 19. *init.*

XIV. Horum transgressores, illius horæ Distributores, in qua circa prædicta excesserint, vel alia majori, prout transgressionis gravitas exegerit, plectantur pœna, salvis tamen laudabilibus consuetudinibus, statutis, ac observantiis specialibus Ecclesiarum singularum Regni, & Delphinatùs. *Ibid.* PRAGM. SANCT. *Tit.* 10.

SEC-

SECTIO VIII.

Canonicis, qui interſunt Officio, dandas eſſe diſtributiones peculiares, aut aliquid quod illas ſuppleat, & quo tempore intereſſe debeant, ut illas lucrentur?

I. Diſtributiones quotidianæ, aliàs manualia Beneficia, ſeu victualia nuncupantur. *In 6. De Clericis non Reſid.* Cap. unico Lib. III. *Tit.* 3. *Cap. unico.* In quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, qui Divinis Officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. *In 6. De Clericis non Reſidentibus.* Cap. unic. §. *Statnimus.* Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

II. Etiam victualia appellantur. *De Clericis non Reſidentibus.* Cap. *De cætero.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 2. 3. Appellantur etiam portiones quotidianæ. *De Præbend.* Cap. *Dilectus.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 19.

III. Diſtributiones quotidianæ illis, qui horis interſunt, Canonicis tribuuntur. *In 6. De Sententia Excommunic.* Cap. *Alma Mater.* §. 2. *Adjicimus. med.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 24.

IV. Recepto in Canonicum & conceſſo ſibi ſtallo in Choro, cùm Officio adeſt, portiones quotidianæ quæ fiunt in Eccleſia, ſine diminutione qualibet, debeot aſſignari. *De Præbendis.* Cap. *Dilectus.* §. *ultimo fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 19. Diſtributiones, qui ſtaturis horis interfuerint, recipiant. *Concil.* Trident. Sess. XXIV. Decreto II. *De Reformat.* Cap. 12. *med.*

V. In illis Eccleſiis, in quibus ſingulis horis diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omninò eam de groſſis fructibus, ſi opus ſit, depurentur, ut juxta menſuram laborum, plus minuſve quiſque capiat emolumenti. Pragm. Sanct. *Tit.* 10. *fin.*

VI. In Eccleſiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur; tertia pars fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tàm Dignitatum, quàm Canonicatuum, Perſonatuum, Portionum, & Officiorum, ſeparari debet, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis intereſſentes Officiis proportionaliter, juxta diviſionem ab Epiſcopo, eam tanquam applicato Apoſtolicæ Sedis Delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda dividentur: Salvis tamen Conſuetudinibus harum Eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt; non obſtantibus Exemptionibus, ac aliis Conſuetudinibus, etiam immemoralibus, & appellationibus quibuſcumque. *Concil.* Trident. Sess. XXI. Decr. *De Reform.* Cap. 3.

VII. Illa bladi quantitas, & pecuniæ Summa, quæ pro quolibet menſe, vel hebdomada, Canonicis miniſtrantur, non debent pro quotidianis diſtributionibus computari, ſed illa tantùm, quæ præfatis Canonicis pro diurnis & nocturnis horis diſtribuuntur ſine fraude. Extravag. Comm. *Cùm Nonnullæ.* §. 2. *fin. De Præbend.* Lib. III. Extravag. *Tit.* 2. Cap. 11.

VIII. Epiſcopi etiam tanquam Delegati Apoſtolici, ex fructibus & proventibus quibuſcumque omnium Dignitatum, Perſonarum, & Officiorum, in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis exiſtentium, tertiam partem in diſtributiones eorum arbitrio aſſignandas dividere poſſint. *Concil.* Tridant. Sess. XXII. *De Reformatione.* Cap. 3. *init.*

IX. Qui Matutinis, ante finem Pſalmi *Venite Exultemus;* in aliis horis ante finem primi Pſalmi; in Miſſa ante ultimum *Kirie eleizon*, uſque in finem Divino Officio non interfuerit, niſi fortè neceſſitate cogente, ac petita & obtenta à Præſidente Chori licentia diſcedere oporteat, pro illa hora abſens cenſeatur, ſalvis Eccleſiarum Conſuetudinibus, ſi quæ fortè circa hæc arctiores exiſtant. Pragmat. Sanct. *Tit.* 11. 12.

X. Idem in his obſervetur, qui à principio uſque ad finem in proceſſionibus non permanſerint. *Ibid.*

XI. Pro uſus rei executione deputetur aliquis onus habens notandi perſonas ſingulas, ſtatuto tempore non convenientes, juramento adſtrictus agere fideliter & nulli parcere. *Ibid.* Pragm. Sanct. *Tit.* 10.

SECTIO IX.

Diſtributiones non ſolùm negandas eſſe iis, qui non reſident in ſuis Eccleſiis, ſed etiam qui licèt reſideant, Divino Officio non interſunt.

I. Victualia non conſueverunt abſentibus exhiberi. *De Clericis non Reſidentibus.* Cap. *De cætero. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.* 4. Cap. 7.

II. Diſtributiones quotidianæ tantùm reſidentibus tribuuntur. *In* Sexto. *De Clerico non Reſidente.* Cap. *Conſuetudinem.* Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

III. Quotidianæ diſtributiones tantùm reſidentibus in Eccleſiis, eis qui interſunt horis Canonicis, exhibentur. *De Præbendis.* Cap. *Licet. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 32.

IV. Conſuetudo, qua Canonici, & alii Beneficiati, ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, diſtributiones quotidianas qualitercumque in Civitatibus, ſeu aliis locis (in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ) ſint præſentes, licèt Divinis Officiis non interſint, ex integro percipiunt, ac ſi continuè ipſis Eccleſiis in iiſdem Officiis deſervirent, penitùs improbanda eſt. *In 6. De Clericis non Reſidentibus.* Cap. unico. *init.* Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

V. Tollendus prorſus abuſus ille, quo in una duntaxat hora præſens, totius diei diſtributiones uſurpat. Pragmat. Sanct. *Tit.* 10. *fin.*

VI. Tollendus etiam ille abuſus, quo Præpoſiti, vel Decani, aut alii Officiales, ex hoc ſolùm quod Officiales ſunt, licèt actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt. *Ibid.* Pragmat. Sanct. *Tit.* 10. *fin.*

VII. Qui aliter de diſtributionibus quicquam receperit, cùm Divinis Officiis in ipſis Eccleſiis abfuerit; rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; imò ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi Conſtitutionem receperit, teneatur. *In 6. De Cleric. non Reſident.* Cap. *Conſuetudinem.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

VIII. Qui ſtatutis horis non interfuerint, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, diſtributionibus careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit *Conſuetudinem*, quod Sancta *Synodus* Tridentina in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque Statutis & Conſuetudinibus. *Concil.* Trident. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reformat.* Cap. 12.

IX. Qui Dignitates, Perſonatus, & Officia in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, obtinent, ſi perſonaliter competens ibi ſervitium quolibet die ſtatuto non impleverint, illius diei diſtributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, ſed Fabricæ Eccleſiæ quatenus indigeat applicetur. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 3.

SECTIO X.

Quinam percipere poſſint Diſtributiones, etiamſi Officio non interſint, & quomodo procedi poſſit contra eos, qui ſine cauſa non interſunt?

I. Qui Divinis Officiis in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, non adfuerit, diſtributionum dominium non acquirit, exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret. *In 6. De Clericis non Reſidentibus.* Cap. *Conſuetudinem.* Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

II. Quotidianæ diſtributiones tantùm conceduntur intereſſentibus Divinis Officiis, niſi talis Canonicus

eſſet

esset infirmus; qui debet etiam habere quotidianas distributiones, licèt sit absens, ut *in Cap.* 1. *De Clerico Ægroto. Glossa in* Cap. 30. *De Elect. in* 6. *circa finem casûs.*

III. Sancta *Synodus* TRIDENTINA BONIFACII VIII. DECR. quod incipit *Consuetudinem*, in usu revocat. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 12.

IV. Crescente non servientium contumacia, liceat contra eos procedere, juxta Juris ac Sacrorum Canonum dispositionem. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Reform.* Cap. 3.

V. Crescente contumacia eorum, qui personaliter competeos in Ecclesiis servitium non impleverint, contra eos juxta Sanctorum Canonum Constitutiones procedatur. *Concil.* TRID. SESS. XXII. *De Reform.* Cap. 3. *med.*

VI. Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si intra Civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi Officium, Matutinis, Vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à Clero, si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri. DIST. XCII. *Cap.* 9. *Si quis Presbyter.*

SECTIO XI.

Teneri Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum ad residendum in Ecclesiis suis, ut per se Ministeria Ecclesiastica exerceant, & quanto tempore impunè abesse possint?

I. Cùm Ecclesia vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus valeat per se ipsam exercere. *De Cler. non Resid* Cap. *Quia nonnulli.* §. *Cùm igitur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 3. *ex Concilio* LATERAN. *ex* Cap. 4. sequenti. *Relatum est.* Ut Episcopi in Civitatibus suis Sacerdotes suos ad hoc constringant, ut Ecclesias suas non derelinquant, & alicubi habitare præsumant. *Concil.* PONTIGON. *ann.* 876. Cap. 8. TOM. IX. CONCIL. *p.* 287.

II. Episcopus jus habet monendi Ecclesiæ suæ Canonicum, ut debitam in eadem Ecclesia Residentiam faciat, quoniam indignum est per ejus aliorumve subterfugium prædictam Ecclesiam debitis obsequiis defraudari. *De Appellationibus.* Cap. *Pervenit. juxta Collectionem* GONZALIS. LIB II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 18.

III. Singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigunt personarum. *De Præbendis.* Cap. *Ad hæc. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 13.

IV. Qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *De Reform.* Cap. 1. *med.*

V. Obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti aut Consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 12. *med.*

SECTIO XII.

Quomodo procedi possit contra Canonicos non residentes, & quæ pæna in eos decerni debeant?

I. Episcopis inferiores quævis Beneficia Ecclesiastica personalem Residentiam de Jure, sive Consuetudine exigentia in Titulum sive Commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis, pro bono Ecclesiarum Regimine & Divini cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis Juris remediis residere cogantur. *Concil.* TRID. SESS. VI. *De Reform.* Cap. 2. *init.*

II. Episcopus Canonicum diligenter & studiosè commoneat, ut in sua Ecclesia debitam, omni mora postposita, Residentiam faciat. *De Appellationibus.* Cap. *Pervenit. juxta Collectionem* GONZALIS. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap 28.

III. Scribat Episcopus Decano, quod suum ibidem Officium debeat exercere. *De Cler. non Resid.* Cap. *Ex parte.* §. *Quia ergo.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 8.

IV. Cùm Canonici Ecclesiæ, qui reditus ex ea percipiunt & Præbendas, in ipsa Residentiam non faciunt quam deberent, propter quod Ecclesia debito fraudatur obsequio servitiorum, Episcopus eos ad faciendam Residentiam, sicut Jus & Ecclesiæ Consuetudo deposcit, per censuram Ecclesiasticam compellere potest. INNOCENTIUS III. *Epistolar.* LIB. I. *Epistola* GONZALES TOM. II. *ad Tit.* 4. *De Cler. non Resid.* Cap. 4. *in Commentario. init.*

V. Qui ultra tres menses ab Ecclesiis suis abfuerint, primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac Residentiæ fecit suos. *Concil.* TRID. SESS XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 12.

VI. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. *Ibidem.*

VII. Crescente verò contumacia contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur. *Ibid.*

VIII. Contra eos procedatur, ut ipsos per suspensionis & excommunicationis sententiam Episcopus ad obedientiam suam venire compellat. *De Cler. non Residen.* Cap. *Ex tua.* §. *Contra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 11.

IX. Cùm Ecclesia, multis è servitoribus ejus absentibus, est ferè destituta Ministris, Episcopus debet absentes Canonicos revocare ad residendum in sua Ecclesia, & si non venerint, de ipsorum Beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi Ecclesiæ faciat congruè deserviri, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis Beneficiis superfuerit, convertendo. *De Cler. non Resid.* Cap. *Cum sint.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 16.

X. Clerici absentantes se citandi sunt, & expectandi congruo tempore, antequam priventur suis Beneficiis. *Glossa.*

XI. Quod si nec sic eorum malitia poterit emolliri, à Spiritualium administratione removeantur, & quibus præsunt Ecclesiis de personis idoneis faciat Episcopus provideri. *Ibid. De Cler. non Resid.* Cap. *Ex tua.* §. *Contra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 11.

XII. Clerici, qui Ecclesias, vel Præbendas sibi concessas, sine justa & necessaria causa deserunt (Episcopi præsertim non accedente consensu) postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas possunt eis justè privari, dummodo non sint justo impedimento detenti. *Ibid. De Cler. non Resid.* Cap. *Inter quatuor.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. *Cap.* 10. Justo impedimento detenti non debent suis Beneficiis spoliari. *Glossa.*

XIII. Clericos suæ Jurisdictionis Beneficia, quæ Residentiam exigunt, assecutos, si ad alterius Diœcesim absque licentia sua morandi causa transierint, liceat Episcopo, si moniti non redierint, dictis Beneficiis (nisi excusationem rationabilem ostenderint) spoliare. *De Clericis non Resid.* Cap. *Clericos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 17.

XIV. Clerici in Ecclesia sua, sive cum licentia, sive absque licentia, non residentes, priùs monendi sunt quàm contrà ipsos procedatur. *Glossa hoc verbo.* Et si excusationem rationabilem, quare venire non possint, ostenderint, non puniantur. *Glossa.*

XV. In Ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum faciat Episcopus publicari. *De Cler. non Resid.* Cap. *Ex tua. init.* LIB. III. DEC. *Tit.* 4. Cap. 11.

XVI. Si nec sic curaverint obedire, & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, juxta Sanctiones Canonicas, eis debent meritò spoliari. *Ibid.* Cap. *Ex tua.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 11.

XVII. Cùm Canonicus frustratoriæ dilationis causa videbitur appellasse, studiose moneatur, ut in Ecclesia

Residen-

Residentiam faciat, vel intra terminum appellationem suam prosequatur. *De Appellationibus.* Cap. *Pervenit.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 28.

XVIII. Quod si præfatus Canonicus alterum istorum adimplere neglexerit, Episcopus Præbenda sua privet eumdem, & eam alii idoneæ personæ concedat. *Ibid. fin.* Lib. II. Decret. *Tit.* 28. Cap. 28.

SECTIO XIII.

Canonicos, qui absunt propter utilitatem suæ Ecclesiæ, posse percipere fructus Præbendæ suæ, & quot modis sic abesse possint?

I. Quia dignum est, & conveniens ut Ecclesiæ Canonici, donec circa Episcopum in ejus servitio morantur, communitatis portionem recipiant, statutum est, ne Canonicis, donec in servitio Episcopi fuerint, quidquam subtrahi vel auferri debeat quod sibi de Beneficio communitatis debetur, nisi fortè victualia sint, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. *De Cler. non. Resid.* Cap. *De cætero. juxtà Collectionem* Gonzalis. Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 7.

II. Canonici, qui sunt in servitio Episcopi non tenentur residere, cùm Canonici Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debent residentes, fructus Beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur, & etiam aliorum, quos reciperent, aut possent recipere in ipsis Ecclesiis residendo, integrè quotidianis distributionibus duntaxat recipiant exceptis. *In 6. De Electione.* Cap. *Cùm non doceat. med.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 30.

III. Duo tantùm ex Canonicis possunt esse in servitio Episcopi, quod enim conceditur de duobus, intelligitur prohiberi de pluribus *Glossa* Verbo *Ut duo.*

IV. Duo ex Canonicis Ecclesiæ in Episcopi servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant Præbendarum, non obstante Constitutione peculiari illius Ecclesiæ, vallata juramento, & autoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici qui non resident in eadem suarum priventur fructibus Præbendarum, illis exceptis, quos infirmitas excusaret, sive in Apostolicæ Sedis servitio contingeret detineri, quos jure peregrinationis labor, aut studia traherent literarum. *De Cler. non Resid.* Cap. *Ad audientiam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 15. *Juxta Collect.* Gonzalis.

V. Absentes dici non debent sed præsentes, qui cum Episcopo, pro suo & ipsius Ecclesiæ servitio, commorantur. *Ibid. fin.*

Censentur præsentes qui sunt in servitio Episcopi & Ecclesiæ. Canonicus, qui præstitit de facienda Residentia in Ecclesia, in qua Præposituram obtinet, juramentum, cùm prosequendo Præposituræ jura, residere interdum non possit, si se non absentando in fraudem Præposituræ suæ jura fideliter prosequatur, (cùm ex hoc censeri debeat residens) perjurium non incurrit. *Ibid. De Cleric. non Resid.* Cap. *Ex parte. Juxtà Collectionem* Gonzal. Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 13.

VI. Qui abest pro tuendis Præbendæ suæ juribus, censetur residere. Qui absens est pro utilitate Ecclesiæ suæ præsens reputatur. *Glossa.*

VII. Cùm Canonicus alicujus Ecclesiæ Sedi Apostolicæ jugiter impendit obsequia, non minùs si sit absens quàm præsens eidem Ecclesiæ utilis habetur. *De Cler. non Resid.* Cap. *Cùm dilectus. Juxtà Collectionem* Gonzalis. Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 14. *init.* Qui est in servitio Domini Papæ, Ecclesiæ suæ deservire dicitur. *Glossa.*

VIII. Eidem Canonico in Romani Pontificis servitio commoranti, ob reverentiam Apostolicæ Sedis, annuatim fructus Præbendæ suæ integraliter assignandi sunt, non obstante Constitutione, quæ contra absentes Canonicos emanaverit. *Ibidem.* Percipere debet omnes fructus suæ Præbendæ, exceptis distributionibus, de quibus hic Papa non mandat.

IX. Familiares Papæ, qui circà eum se obsequiales exhibent universis, minori non debent prærogativa gaudere, quàm aliorum Canonicorum singuli, quorum negotia per se ipsos sæpiùs promoventur. *De Cleric. non Resid.* Cap. *Cùm Dilectus. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap 14.

X. Dicuntur præsentes qui in servitio Papæ sunt. *Glossa* Verbo *Obsequiales.*

Qui ad Apostolicam Sedem venerint, eam circà Ecclesiarum negotia instructuti (cùm tales Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem, censeri debeant residentes) fructus Beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur, & etiam aliorum, quos reciperent, vel possent recipere in ipsis Ecclesiis residendo, integrè (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) recipiant, ad Sedem propterea veniendo eandem, ibidem hac de causa morando, & ad ipsas Ecclesias redeundo, ac si personaliter in iisdem Ecclesiis residerent; non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus, vel Statutis Ecclesiarum ipsarum contrariis, seu Privilegiis quibuscumque, per quæ præmissorum effectus posset quomodolibet impediri. *In 6. De Electione.* Cap. *Cùm non deceat.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 30.

SECTIO XIV.

Canonicos, qui docent Theologiam, vel illi student in celebri aliqua Studiorum Universitate, censeri residentes, ac percipere posse fructus Præbendæ suæ.

I. Docentes in Theologica Facultate, dum in Scholis docuerint, percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia Consuetudine vel Statuto, cùm denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. *De Magistris.* Cap. *Super specula.* §. *ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 5. In universis Episcopis, subjectisque Plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omninò cura, & diligentia adhibeatur, ut Magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum, Liberaliumque Artium dogmata assiduè doceant; quia in his maxime Divina manifestantur atque declarantur Mandata. Dist. XXXVII. Cap. 12.

II. Docentes Theologiam, vel Sacram Scripturam non tenentur residere, quamdiù docuerint in Universitate. *Concil.* Trid. Docentes ipsam Sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à Jure Communi concessa planè gaudeant & fruantur. *Concil.* Trid. Sess. V. *De Reform.* Cap. 1. *fin.*

III. Studentes in Theologica Facultate integrè per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia Consuetudine vel Statuto. *De Magistris.* Cap. *Super specula.* §. *ult. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 5. Studentes in Theologica Facultate per quinque annos non teneantur residere.

IV. Studentes in Scholis, ubi generale regitur studium, recipiunt integrè proventus suos Ecclesiasticos. *In 6. De Privil* Cap. 2. Lib. V *Tit.* 7. Cap. 2. *fin.*

V. Cùm Canonici, quibus studiorum gratia est indultum, ut in absentia sua fructus percipiant Præbendarum suarum, se ad Villas trasferunt vel Castella, in quibus nullum est, vel minùs competens studiorum exercitium, eis, qui hujusmodi fraudem committunt, præfata indulgentia competere non debet, nec Præbendarum suarum fructus sunt conferendi. *De Cler. non Resid.* Cap. *Tuæ fraternitatis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 12. modo studeant in Universitate celebri.

VI Licèt concesserit Summus Pontifex ut Canonico in sacra pagina cupienti studere, proventus sui Ecclesiastici ministrentur; non vult tamen, ut quotidianæ Distributiones ei tribuantur. *De Præbendis.* Cap. *Licèt.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 32. Recipere non possunt distributiones.

VII. Scholares, qui in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à Jure Communi concessa, plene gaudeant & fruantur. *Concil.* TRID. SESS. V. *De Reform.* Cap. 1 *fin.*

SECTIO XV.

Canonicos ægrotantes censeri residentes, ac posse percipere fructus Præbendæ suæ quacumque ex causa oriatur mala seu mentis, seu Corporis, habitudo.

I. Clericum ad percipienda quæ consueta sunt ab Ecclesia sua, ægritudo sua non debet impedire; quia si alii ejus essent exemplo deterriti, fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri. *De Cler. Ægrotante.* Cap. *Cùm percussio.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 1. *init.* Clerici in ægritudine stipendiis suis privati non debent. *Glossa* Verbo *Ægrotanti.*

II. Clerico secundùm ejus Ordinem, quæcumque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, præbeantur ægrotanti. *Ibid. De Cler. Ægrot.* Cap. *Cùm percussio. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 1. Infirmus servire intelligitur Ecclesiæ, & omnia percipere debet, ac si sanus esset; satis enim affligitur ipsa infirmitate. *Glossa.*

III. Afflicto afflictio non est addenda, imò potiùs ipsius miseriæ miserendum. *Ibid De Cler. Ægrot.* Cap. *Ex parte.* §. *Verum. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 6 Cap. 5.

IV. Cùm percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, & ideò non debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos (*quod absit*) offensa respiciat. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 2. *Cùm percussio.* Unde proveniat ægritudo ignoratur, ideò non est afflictis addenda afflictio.

V. Satiùs arbitratur Ecclesia quamlibet infirmitatem ad pœnam peccati, quàm ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, & compatiendum, quàm puniendum, vel aliquo modo feriendum. CAUS. III. QUÆST. IX. Cap. 14. *Indicas. fin.*

VI. Per hoc quod invitus patitur justum non est, ut Ecclesiæ stipendio privetur. Colligitur ex DIST. V. Cap. 4. *Ad ejus. med.*

SECTIO XVI.

An & quomodo Indulgentiæ ad non residendum concessæ valere possint?

I. Omnes indulgentiæ perpetuæ personis, non Ecclesiis, vel Dignitatibus, datæ a BONIFACIO VIII. vel Prædecessoribus, de percipiendis fructibus Beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis duntaxat exceptis, seu in Scholis, seu alio certo loco, seu ubicumque residerent, penitùs sunt revocatæ. *In 6. De Rescript.* Cap. *Quia per ambitios.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 15.

II. Nulli Privilegia seu Indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragantur. *Concil.* TRIDENT. SESS: VI. *De Reform.* Cap. 2. *med*

Ex his insolentiæ oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur Cultus Divinus, quem Ecclesia desiderat augeri, & officium plerumque omittitur. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Quia per ambitiosam.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 15. *fin.*

III. Indulgentiæ & Dispensationes temporales ex veris & rationabilibus causis tantùm concedantur, & coram Ordinario legitime probentur. *Concil.* TRID. SESS. VI. *De Refor.* Cap. 2. *fin.*

SECTIO XVII.

Quomodo suffi ciendus sit vel minuendus antiquus Canonicorum numerus, cum Ecclesiæ non suppetunt facultates?

I. Cùm Laici non debeant in Canonicorum numero computari, nec differri debeat quominùs statutus numerus de aliis Clericorum personis idoneis suppleatur, tales ad supplendum numerum inveniri curentur, per quos Deo in Divinis Officiis, per Ecclesiasticos Ordines, congrue serviatur. *De Institutionibus.* Cap. *In Ecclesia.* §. *Cùm Laici.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2.

II. Non ampliùs suscipiantur in Monasterio Clericorum, quàm quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possint. *Ibid. De Institutionibus.* Cap. *Non.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 1. Clarius apud GONZAL. ubi hæc leguntur: *Nisi quantùm ratio permittit, & eodem Monasterio, absque necessariarum rerum penuria degere possunt.* Numerus Clericorum debet institui in Ecclesiis Collegiatis secundùm facultatem ipsarum. *Sutriana.*

III. Nullus in Ecclesiis, ultrà quam facultates earum sustineant, Clericis instituatur invitis. *Ibid.* Cap. *Autoritate.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4.

IV. Cùm quædam Præbendæ in aliqua Ecclesia vacant, in qua non sunt distinctæ Præbendæ, nec Canonicorum numerus certus, si Ecclesiæ suppetant facultates, secundùm Consuetudinem hactenus observatam, Clerici à legitimo Collatore instituti pro Canonicis haberi debent. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Ex parte* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 10.

V. Si constiterit olim Canonicos, ne ulterius in sua Ecclesia aliquod esset Officium, communiter statuisse, ac Statutum ipsum autoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodum confirmatum, debet illud in suo robore permanere; nisi posteà dicti Canonici contravenerint, aliquem videlicet in illud Officium eligendo. *De Constitutionibus.* Cap. *Cùm accessissent.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8.

VI. Olim de Communi tàm Canonicorum, quàm Episcopi consilio provida fuerat deliberatione statutum, & Apostolicæ protectionis præsidio roboratum, quod si Canonici, ut eò amplius suos reditus augmentarent, quo proventus Ecclesiæ, (qui dividi consueverant inter plures) in usus cederent pauciorum, minorem Præbendarum numerum in sua Ecclesia contra antiquam Consuetudinem statuerent; in Constitutione prædicta & Confirmatione Sedis Apostolicæ, vel fuit, vel esse debuit, sicut consuevit, expressum, nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates, quod pluribus possent sufficere competenter. *Ibid. De Constitut.* Cap. *Cùm M.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 9.

VII. Si postmodum iidem Canonici ad Præbendas alios receperunt ultra numerum constitutum, etiamsi illos sine præjudicio dictæ Constitutionis in Canonicos receperint voluntarie contra Constitutionem suam venisse, & in derogationem ipsius recepisse. *Ibid. De Constitution.* Cap. *Cùm M.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 2. Cap. 9.

VIII. Si Canonici propriis commodis inhiantes, sine consensu sui Episcopi, Præbendarum numerum ab antiquo in Ecclesia sua statutum (licèt non sint ejus diminuti reditus) restrinxerint; quia Divini Numinis Cultus minui non debet, sed potiùs augmentari, antiquus Canonicorum numerus servandus est, & Præbendæ, quas à tempore ultimi Statuti contigerit vacasse in Ecclesia, (non obstante aliqua Constitutione super hoc à Canonicis ipsis facta, vel Confirmatione à Sede Apostolica ab eisdem obtenta) personis idoneis cum consilio Episcopi conferri debent. *De Constitut.* Cap. *Ex parte.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 2. Cap. 12.

IX. In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt Præbendæ, scilicet cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, aliquot simplicia Beneficia, non tamen Regularia, iis unire. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 15. *init.* Si hac ratione provideri non possit, liceat aliquot ex iis suppressis, cum Patronorum consensu (si de jure Patronatus Laicorum sint) quarum fructus & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem

ciorem numerum reducere; ita tamen ut tot supersint, quæ Divino Cultui celebrando ac Dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere; non obstantibus quibuscunque Constitutionibus aut Privilegiis. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decret. II. *De Refor.* Cap. 15.

X. Prædictæ Uniones, aut suppressiones tolli, seu impediri non possint ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore Resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus. *Ibid. fin.*

SECTIO VIII.

An & quomodo augeri possit Canonicorum numerus in aliqua Ecclesia?

I. In Ecclesia, in qua non est certus numerus Præbendarum, nulla etiam vacante, in Canonicum quis potest assumi; cùm intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex Electorum assensu de novo creatur; & cùm Electo in Canonicum nascitur, & desinit cum defuncto. *De Præbendis.* Cap. *Dilecto.* §. 4. *Præterea. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25.

II. In Ecclesia, quæ determinatum habet numerum Præbendarum, uno individuo jure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud, eò quod hujusmodi Spirituale Jus dividi, seu communicari nequeat inter eos. *Ibid.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25. §. *Præterea.*

III. Si duo unicam Præbendam haberent, id esset contra Turonense *Concilium* (*eodem Titulo de Præbendis.* Cap. *Majoribus.* Lib. III. Decret. *Tit.* 5. Cap. 8.) quod Præbendarum inhibet sectionem. *Ibid.* §. 3. *Procurator.*

IV. Interdum hi, ad quos spectat Electio, de communi assensu augmentare valent numerum Præbendarum, quoddam Jus Spirituale de novo creando, nisi fortè Statutum aliquod obviet, quod sit juramento firmatum, vel cui Sedis Apostolicæ confirmatio accesserit, hujusmodi clausula prohibitionis adjecta: *Ut si quicquam contra id fieret, non valeret.* Ibid. *De Præbendis.* Cap. *Dilecto.* §. *Præterea. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25. Ubi Princeps confirmat idem est ac si sententiam ferat. *Glos.* Verbo. *Hujusmodi clausula.*

V. Cùm in Ecclesia certus est Præbendarum numerus, etsi Capitulum post liberam alterius Canonici resignationem duobus Canonicis stallum in Choro, & locum in Capitulo assignet, suum tamen numerum augmentare minimè intendit, vel jus aliquod de novo creare. *Ibid. fin.*

VI. Si constiterit Ecclesiam habere certum Numerum Canonicorum juramento firmatum, hujusmodi exceptio est legitima ad non recipiendum novum Canonicum. *De Appellationibus.* Cap. *Dilecto.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 63. §. *Quoniam.*

VII. Cùm per Canonicorum industriam fuerit procuratum, ut Canonicorum reditus non modicùm augmentarentur, super excrescentes reditus, vel novis Canonicis assignabuntur, vel in communes Canonicorum usus, sive aliter prout melius videbitur convertentur. *De Constitutionib.* Cap. *Cùm. med.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 9.

SECTIO XIX.

Non posse Canonicos pro lubitu decernere de Præbendarum proventibus.

I. Non valet novum, quod Canonici propriis inhiantes commodis, & aliorum profectibus invidentes, fecerunt in sua Ecclesia Constitutum, ut eis tàm in præsentia sua, quàm in absentia reditus suos ex integro percepturis, qui in eadem Ecclesia post illam Constitutionem fuerint instituti, reditus in absentia non recipiant, sed tunc solùm, cùm fuerint residentes; si secundùm ipsius Ecclesiæ Consuetudinem omnes in hoc consueverint esse pares. *De Constitutionib.* Cap. *Cùm omnes.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 6.

II. Si Consuetudo fuit quod omnes Canonici æquales haberent Præbendas, & est immutata, debet ad statutum pristinum reformari. *Glossa.*

III. In absentia potest quis percipere Beneficium sine peccato, si Consuetudo sit; secùs est de Jure Communi. *Gl.* Verbo *Consuetudinem.* Nunc non potest propter *Conc.* Trid. quod cuivis Consuetudini expressè derogat.

IV. Non valet etiam Statutum, quo Canonici statuunt, ut (cùm singulis Præbendis annexæ sint vineæ) ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vineæ decedentium ad Successores non transeant, sed proventus earum inter singulos dividantur. *Ibid.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 6.

V. Antiqui Canonici Junioribus in perceptione fructuum tàm Præbendarum, quàm vinearum coæquari, vel præferri debent, secundùm priorem Ecclesiæ Consuetudinem. *Ibid.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 6. In præbendis percipiendis æqualiter vel inæqualiter Consuetudo attenditur. *Glossa.*

VI. Cùm in Ecclesia (in qua Consuetudo habetur, quod antiquiores Canonici gradatim meliores, si voluerint, possint, cùm vacant per se, vel per alios optare Præbendas) poterunt ipsi antiquiores juxta Consuetudinem eamdem optare, cùm Præbenda vacabit. *In 6. De Consuetudin.* Cap. *Cùm in tua. init.* Lib. I. *Tit.* 4. *Cap.* 4. Valet Consuetudo ut antiquior Canonicus possit optare Præbendam vacantem, & suam dimittere. *Glossa.*

VII. Cùm forsan est Ecclesia in qua Canonicorum non autem portionum numerus, vel Præbendarum distinctio habetur, quantò inter pauciores cujusvis Ecclesiæ dividuntur proventus, tantò majores fieri possunt singulorum percipientium portiones. *In 6. De Concess. Præb.* Cap. *Quoniam.* §. *Cùm.* Lib. III. *Tit.* 7. *Cap.* 8. In Ecclesia in qua est certus numerus Canonicorum, putà viginti, sed non est certus numerus Præbendarum, mortuo uno de Canonicis numerariis, portio superstitum est augenda. *Glossa in casu.*

SECTIO XX.

Quandonam Canonicis Prohibitum sit Capitula celebrare, & quando valeant Constitutiones ab illis facta?

I. Prohibitum est ut tempore Missæ Majoris, præsertim diebus solemnibus, Capitula, seu actus Capitulares, aut alii Tractatus per Canonicos non celebrentur, ni fortè urgens & evidens ingrueret necessitas. Pragmatica Sanctione. *Tit.* 17.

II. Quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere docetur. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis. post med. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 19.

III. In cunctis Ecclesiis, quod pluribus & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debet observari. *De his quæ fiunt &c.* Cap. *Cum in cunctis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 1. *init.*

IV Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum, appellatione remota, prævaleat semper & suum consequatur effectum, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. *Ibid. De his quæ fiunt.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 1.

V. Si quis majoris & sanioris partis Capituli Statutis duxerit resistendum, obtineat sententia plurimorum. *Ibid. De his.* Cap. *Ex parte.* §. *Statuimus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 4.

VI. Inhibitum est, ne Capitulum absque Episcopi sui consensu immutet Ecclesiæ suæ Constitutiones, & Consuetudines approbatas, vel novas etiam inducat. *De Consuetudin.* Cap. *Cùm Consuetudinis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 9. Si quas fortè Capitulum fecerit, irritæ decerni debent. *Ibid. fin.*

VII. Capitulum querimoniam deferre potest, cùm Ecclesiæ suæ præjudicium generari conspicit. *De Majorit.* Cap. *Dilecti. init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 13.

VIII. Canonici, qui literas sub nomine majoris partis Capituli destinant, cùm constet per attestationes, longè majorem partem Capituli non fuisse conscìam hujusmodi literarum, tanquam falsarii sunt puniendi. *De Testib.* Cap. *Tàm literis.* §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 33. *juncta Glossa* Verbo *fin.*

IX Quæ in Capitulo aguntur, non facile possunt, nisi per Canonicos ipsos probari. *Ibid. De Testib.* Cap. *Veniens.* §. *ult. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 38.

X. Quod totum Capitulum, aliquibus exceptis, affectat, nec ab illis aliquid rationabile objectum est & ostensum, tenere debet. *De Concess. Præb.* Cap. *Ex parte.* §. *Nos igitur. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 10.

SECTIO XXI.

Quomodo Canonici Jure Ordinario corrigi possint ac debeant?

I. Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, quæ talem hactenus Consuetudinem habuerunt, ad commonitionem vel jussionem Episcopi corrigantur, intra terminum competentem ab eo præfigendum. *De Officio Jud. Ord.* Cap. *Irrefragabili. in init. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31, Cap. 13.

II. Alioquin extunc Episcopus Deùm habens præ oculis, ipsos, ut animarum cura requirit, per censuram Ecclesiasticam corrigere non postponat. *Ibid. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

III. Ex declaratione Cardinalium, Episcopus sua Capitula visitare potest & corrigere, si non essent exempta. *De Accusationibus. Tit.* 7. Cap. 2. *p.* 116.

IV. Si verò exempta essent, servanda præscripta à *Concilio.* SESS. XXV. *Cap.* 6. *De Reform. Ibid.*

V. Ex declaratione Cardinalium Congregatio censuit hoc procedere in Capitulis exemptis tantùm. *De Accusationibus. Tit.* 7. Cap. 20. *p.* 141.

VI. Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ, nullis Exemptionibus, Consuetudinibus, Concordiis, quæ suos tantùm obligent Autores, etiam Successores, tueri se possint, quominus à suis Episcopis & aliis majoribus Prælatis, per se ipsos solos, vel illis quibus videbitur adjunctis, juxta Canonicas Sanctiones, toties quoties opus fuerit visitari, corrigi, & emendari, etiam autoritate Apostolica, possint & valeant. *Concil.* TRID. SESS. VI. *De Reform.* Cap. 4.

VII. Statuit Sancta *Synodus* TRIDENTINA, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, Decretum sub Felicis recordationis PAULO III. quod incipit *Capitula Cathedralium*, observetur, non solùm quando Episcopus visitaverit, sed & quoties ex Officio, vel ad petitionem alicujus contra aliquem, ex contentis in dicto Decreto procedat. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXV. DECR. II. *De Reformatione.* Cap. 6.

VIII. Sacerdotes sint subjecti Episcopo proprio, secundùm Canonicam autoritatem, nec per contumaciam, ab Episcoporum potestate dissiliant, neque Sæculari potestati ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, ut extra Canonicas Leges, & debitam Episcopi potestatem, quodam modo defensentur hujusmodi Sacerdotes, Episcopalis illicò censura disciplinis Ecclesiasticis subdat. *Concilium* PONTIGON, *anno* 876. Cap. 8. TOM. IX. CONC. *p.* 287.

SECTIO XXII.

Quomodo Capitulum Ecclesiæ Cathedralis succedat Episcopo in Jurisdictione, & in quibus ejus vices supplere possit, ubi Sedes Episcopalis vacaverit?

I. Vacante titulo succedit Capitulum illius Ecclesiæ, nisi pro bono pacis, aliquid sit exceptum. *Sutriana.*

II. Vacante Ecclesia Capitulum exercet vicem Prælati. *Glossa.*

III. De Jure Communi vacante Ecclesia Prælato, transfertur potestas ad Capitulum, & ita vacante, potest Capitulum judicare, absolvere & excommunicare. *Glossa* Verbo. *Pro bono pacis.*

IV. Quando Ecclesia habens Jurisdictionem quasi Episcopalem ipsa vacabit, Capellani & Clerici manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem, ac cætera, quæ Prælato debebant, eidem Ecclesiæ reverenter, nisi sit aliquid Jure Particulari exceptum, exhibeant. *De Majoritate.* Cap. *Hisque.* §. *Quando. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 11.

V. Clerici ipsi, Sede vacante, Hæreticos judicare possunt. *De Hæreticis.* Cap. *Ad abolendam.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9.

VI. Capitulum, Sede vacante, Officialem, seu Vicarium, infrà octo dies post mortem Episcopi, constituere, vel existentem confirmare omninò teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantùm fieri poterit, idoneus. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 16. *post init.*

Si Secùs factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. *Ibid.*

VII. Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infrà annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tàm ex Juris Communis dispositione, quàm etiam cujusvis Privilegii, aut Consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione, arctatus non fuerit, concedere. *Concil.* TRID. SESS. VII. *De Reform.* Cap. 10. Vide *De Ordinibus.* SESSIONE 14.

VIII. Episcopali Sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis Jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus potest Episcopus si viveret, ab excommunicationis sententia, sive Juris, sive hominis fuerit, absolutionis Beneficium impertiri: Nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas. *In* 6. *De Majoritate.* Cap. unico. LIB. I. *Tit.* 17. Cap. unico.

IX. Capitulum, Sede vacante, potest excommunicare.

X. Capitulum, quocumque modo vacet Ecclesia, supplet vicem Episcopi in Jurisdictione. *Glossa.* Verbo *Sed Capitulum.* Si Episcopus à Paganis, aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus, & temporalibus, ministrare debebit, donec eum libertati restitui contigerit. *In* 6. *De Suppl. Negl. Prælat.* Cap. *Si Episcopus.* LIB. I. *Tit.* 8. Cap. 3.

SECTIO XXIII.

An & quomodo Capitulum, Sede vacante, conferre possit Beneficia?

I. Nusquam invenitur cautum in Jure, quòd Capitulum, vacante Sede, fungatur vice Episcopi in Collationibus Præbendarum. *Ne Sede Vacante.* Cap. *Illa. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

II. Nec Sede vacante potest dici potestas conferendi Præbendas, ad Capitulum per Superioris negligentiam devoluta, cùm non sit ibi Superior, qui eas possit de facto vel de jure conferre. *Ibid. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2.

III. Capitulum non potest conferre Beneficia, quod est Jurisdictionis Voluntariæ. Capitulum, Sede vacante, Bene-

Beneficia, quæ ad Collationem Episcopi pertinent, conferre non potest. *In 6. De Institutionibus.* Cap. *Etsi.* Lib. III. *Tit. 6.* Cap. 1.

IV. Potest Capitulum instituere ad præsentationem Patroni, quod est Jurisdictionis Necessariæ. *Ibid.*

V. Præsentatos à Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in Beneficiis, ad quæ fuerint præsentati, licèt ad Episcopum (si superesset) admissio & institutio hujusmodi pertineret. *Ibid. in 6. De Institutionibus.* Cap. *Etsi. med.* Lib. III. *Tit. 6.* Cap. 1.

VI. Ecclesia vacante Capitulum supplet vicem Episcopi in confirmationibus Prælatorum. *Glossa.*

VII. Cùm Ecclesia Cathedralis vacat, Electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel eam infirmandam, præsentent Capitulo Prælati inferiores, qui indigent Episcopi Confirmatione. *De Majoritate.* Cap. *Cùm olim.* §. 1. Lib. I. Decret. *Tit.* 33. Cap. 14.

VIII. Capitulum est necessarius non voluntarius Administrator. *Glossa in* Clementina I. *De Hæreticis.* Verbo *Capituli.* Lib. V. Clement. *Tit.* 3. Cap. 1.

IX. Incertum, an Capitulum possit admittere permutationes Beneficiorum. Vide Choppinum. Lib. I. *De Sacra Politia. Tit. 6. num. 4.*

X. Episcopali Sede vacante, potest ad alium quàm ad Capitulum Episcopalis Jurisdictio tunc temporis pertinere. *In 6. De Majoritate.* Cap. unico. *Glossa colligit* Lib. I. *Tit.* 17. Cap. unic. *init.*

XI. Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertineat Collatio Præbendarum, mortuo Episcopo, vel à Beneficiorum Collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas; etiamsi Episcopus interesse habeat in Collatione hujusmodi, ut Prælatus. *In* Sexto. *Ne Sede Vacante.* Cap. unic. *init.* Lib. III. *Tit.* 8. Capite unico.

XII. Cùm verò ad solum Episcopum Præbendarum spectat Collatio cum consilio sui Capituli vel assensu, defuncto Episcopo vel suspenso (nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis hujusmodi sit in mora) Capitulum se non potest intromittere de eisdem. *Ibid. In 6. Ne Sede Vacante.* Cap. unico. §. 1. Lib. III. *Tit.* 8. Cap. unic.

SECTIO XXIV.

Regulæ de jure optandi ex Corpore Juris Canonici Desumptæ.

REGULA I.

Optandi jus, de quo hic, in hoc positum est quod antiquiores Canonici, meliores si velint, possint, cùm vacant, optare Præbendas, nisi vacanti simul Beneficio inseparabiliter annectantur. *De Consuet. in 6.* Cap. 4.

Ad Regulæ primæ intelligentiam, Præbendarum genus duplex distinguendum: Aliud illarum, quæ Dignitatibus, vel Personatibus, adeò annexæ, ut cum illis semper transeant: Aliud illarum, quæ Canonicis quidem nulli Canonicatui ita annexæ, ut cum illa semper transmittantur, quin imò unus idemque Canonicus singulas successivè possidere possit.

REGULA II.

Quot Juris Textus extant, qui doceant, posteriores prioribus culpa vacantibus non præferendos, majora superioribus largienda commoda, diuturnius servitium ampliorem manere debere mercedem, aliave similia, tot sunt qui optandi juri faveant. Textus hujusmodi sunt *Cap. 5. 9.* Dist. LXXIV. Cap. 45. 66. 67. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 1. *De Sepult.* Cap. 5. 11. *De Majorit. & Obed.*

Patet Regula ex eo quod optandi jure, qui priùs recepti sunt Canonici in perceptione Præbendarum, posterioribus præferuntur ordine seu sessione, superiores majoribus gaudent commodis: denique, qui diutiùs servierunt potiorem habent mercedem: Ex his Juris optandi fundamentis colligitur non esse odiosum, sed favorabile, utpote Juris Communis Regulis valdè consonum.

Circa Textus, qui tamquam Juris optandi fundamenta indicati sunt, notandum, Primum à *Conc.* Agath. desumi; in illo prohiberi, ne posterior sive ordine, sive receptione, quoad promotionem ad honores majores, priori præferatur.

Secundum subministrare Gelasium Vetorum Episcopo scribentem; præcipit in illo Gelasius, ut si quando Diaconi ad Presbyteratum promoveri nolunt, etsi Presbyteris egeat Ecclesia, Subdiaconi ad illum evehantur, eo fine, ut dum videtint Diaconi Subdiaconos sibi inferiores & ordine, & commodis, in utroque sibi Prælatos promotioni suæ, dum opus erit, non resistant.

Tertium & Quintum desumi ex S. Greg.

Quartum verò ex *Conc.* Tolet. IV. In illis docetur, justum esse, ut qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, consequantur stipendium, ac promissa in benemeritorum Clericorum remunerationem esse servanda, quia dignus est Operarius mercede sua; Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica dignos esse remuneratione: Hæc autem, eùm ita intelligenda sint, ut pro labore merces tribuatur, ostendunt eos, qui præ cæteris laboris servitiique onus senserunt, præ cæteris quoque remunerationis commodum sentire debere.

Sextum peti ex Leone III. In illo dicit Leo consolationum socium esse debere, qui passionum socius fuit; ideòque Pastorem, qui alibi quàm in Parochia sepulturam eligenti per vitam sacramenta ministravit, tertiam pro sepultura relictorum partem habere debere; unde etiam sequitur, quod qui præ aliis laboris socius est, præ aliis mercedis esse debet.

In Septimo Honor. III. docere denario suo defraudandos non esse in vinea Domini laborantes; unde cùm denarius, sive stipendium pro labore dari debeat, sequitur diuturniori servitio majus subsidium deberi.

In Octavo S. Greg. præcipere ut prior & major habeatur, qui prius ordinatus est. Et in Nono Greg. III. jubere ut Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium, & sic de cæteris, etiam si posterius admittantur; atque ut qui major est ordine potior sit quoque in percipienda portione, quæ postrema verba clarè docent, qui alios sessione præcedunt Præbendas habere debere pinguiores.

Contra juris optandi æquitatem, quam hactenus dicta commendant, objicere licet: En jure remunerationes dari cæco modo fortuito, sine certa meritorum cognitione, indèque sæpè contingere, vel contingere posse pinguiores sortiri Præbendas, qui suæ Ecclesiæ nedum minus utiles, vel inutiles, sed etiam perniciosi fuere.

Cui objectioni respondetur: Leges in se utiliores quandoque exitiosas esse; non propterea tamen optimas minùs haberi: Hujus generis esse optandi Legem, interdum quidem exitiosam esse minusve commodam, sed non ideò minoris faciendam; non enim de rebus judicandum ex raro illarum eventu, sed ex iis quæ ut plurimùm efficiunt.

Non diffitendum quod si quæ pinguiores sunt Præbendæ dignioribus conferri vel resignari solerent, satius futurum, ut per Collationem, vel Resignationem, potiùs quàm per optandi jus acquirerentur; sed cùm ex carnali affectu & resignentur & conferantur, præstat ut antiquiori optandi jus illas acquirat, quàm ut alii vel Collatione vel Resignatione compararentur.

Adde quod juris optandi ex charitatis benè ordinatæ præceptis in Corpore Juris inclusis, ac dum de eleemosina collectis, commendari possit; ibi enim dictum pro proximi indigentia proximo succurrendum, hoc autem optandi jus optimè facit; crescente enim hominum ætate humanarum miseriarum numerus crescit, cui ut fiat satis antiquiores Canonici majori egent subsidio.

Dici non potest optandi jus ex eo odiosum videri quod

quod desiderandæ mortis alienæ occasionem præbeat; nam si quæcumque talem præbent occasionem odiosa sint, naturalis ab intestato successio odiosa erit; Testamenta, Donationes causâ mortis, odiosæ erunt; tam decantata Ecclesiæ Africanæ Consuetudo, qua antiquior Provinciæ Episcopus illius Primas erat, odiosa fuit; Decanatus omnis antiquiori debitus odiosus erit, maximè quando præter honorem emolumenti aliquid ipsi annexum est.

REGULA III.

Optandi jus nullo Juris Canonici Textu reprobatum est.

Nec obstat *Cap. 6. De Constitutionibus* in quo INN. III. Archiepiscopo SENON. & Episcopo TRECENSI scribens, damnat introductam in favorem seniorum inæqualitatem, circa illam, inter alia dicendo: *Non debere Majores Minoribus, Seniores Junioribus, invidere.* Non obstat is Textus; nam si jure optandi pinguioribus Præbendis gaudeant seniores, id nascitur ex bono justæ inæqualitatis usu, non ex injusta inæqualitate, quam damnat INNOC. quæque in hoc posita erat, quod antiquiores non residendo fructus lucrarentur, juniores non item; antiquiores vineas Præbendis annexas retinerent dum victuri essent, ad Successores verò non transirent, sed illarum proventus inter singulos dividerentur; utrumque autem contra Consuetudinem, qua pares erant omnes Canonici. Hunc autem esse INNOCENTII sensum, patet ex fundamento decisionis suæ, quod est: *Quemque debere uti jure quod in alium statuit, & pati legem quam tulit.*

REGULA IV.

Sunt Textus qui optionem præcipere expressè videantur.

Hujusmodi est *Cap. 15. De Major.* & Cap. 13. *De Constit.* Sed maximè primum quod ad illius Declarationem factum est: In his enim præcipitur ut ordine majores potioribus gaudeant portionibus, etsi posteriùs recepti sint, quod sine optione fieri non potest, nisi in pecunia, aliave similive portiones positæ sint, atque ex distribuendo summo plus detur Presbyteris singulis, quàm Diaconis, plus istis quoque quàm Subdiaconis: Hunc autem ad casum restringere suam Constitutionem voluisse GREG. IX. non est probabile, cùm indistinctè loquatur.

REGULA V.

Consuetudine particulari introductum est jus optandi.

BONIFAC. VIII. solus est qui de illo loquatur, idque duntaxat in *Cap. 4. De Consuetudine in 6.* Talibus autem verbis illius meminit, ut ex peculiari Ecclesiæ, ad cujus Prælatum scribit, Consuetudine natum insinuet.

Nonnullis mirum accidere posset, quod jus hujusmodi adeò æquum, communibusque Juris Regulis conforme, peculiari tantùm usu introductum sit: sed præterquam quod plerumque contingat, ut res optimæ particulari Consuetudine introducantur, Lege Communi optandi jus institui non potuit, eo saltem tempore, quo patere cœpit, cùm in plurimis Ecclesiis, vel Præbendæ non essent distinctæ, vel si distinctæ æquales essent.

Dicet aliquis, si Consuetudine particulari optandi jus introductum sit, favorabile esse non potest; quidquid enim sic introducitur Juri Communi contrarium est, quod autem Juri Communi adversatur, æque odiosum est ac Commune Jus favorabile est.

Ad id respondendum: I. Consuetudinum particularium duplex esse genus. Alias nempe, quæ Juri Communi jam constituto ac in integritate sua vigenti derogant, has autem favorabiles esse non posse, cùm Juri maximè favorabili contrariæ sint. Alias autem esse particulares Consuetudines, quæ nulli hujusmodi Juri derogant, sed quod Jus Commune esse deberet introducunt. Consuetudinem autem qua optandi jus introductum est, posterioris generis esse, cùm Jus illud rationi, æquitati, justitiæ consonum adeò esse ostensum sit, ut Jus Commune esse debere, nemo negare possit.

II. Ex Regula 3. & 4. patere nullo Juris Textu optandi jus reprobari, imò à nonnullis confusè præcipi, ac consequenter prohibenti Juri Communi non repugnare, præcipienti verò eidem Juri Communi conforme esse.

III. Particularem initio Consuetudinem, succedente tempore, generalem interdùm fieri agnita Consuetudinis æquitate, eaque probata, id autem illi, quæ induxit optandi jus, Consuetudini contigisse videri; nam si Capitulorum, in quibus inæquales Præbendæ sunt, usus disquiratur, in majori illorum parte optandi jus vigere patebit.

REGULA VI.

Consuetudo, qua introductum est optandi jus, est Canonica, utpote rationabilis & legitimè præscripta.

Infertur partim ex *Cap. 11. De Consuet.* quæ duo hæc requirit ad Canonicam Consuetudinem, partim ex suprà dictis, quibus patet illam rationi conformem esse, eaque propter Jure Canonico probari tacitè locis citatis sub Regula 2. & expressè *cit. Cap. 4. De Consuet. In 6.* Necnon ut legitimè Consuetudo sit legitimè præscripta, quatuor annorum possessio non turbata, dùm de re Ecclesiastica agitur, tantùm requiritur, & optandi Consuetudo jam à multis sæculis pacificè viget.

REGULA VII.

Indulta, quibus ad Beneficia vacatura jus datur, optandi Juri non derogant.

Cit. Cap. 4. De Consuet. In 6. id expressè dicit de Mandatis Apostolicis, quæ cùm sint illorum Indultorum præcipua, si optandi juri non derogant, cætera multo minus derogare debent: Adde quod Mandatarii recipiebantur in Canonicos ante vacationem Præbendæ, expectantes primam vacaturam, quo jure non gaudent hodierni expectantes; plerumque enim isti non recipiuntur in Canonicos, nisi post optionem jam factam, cùm plusquam 20. dies intercedere soleat inter vacationem Præbendæ jam factam, & illius Collationem in favorem expectantium; ipsis enim non confertur, nisi post requisitionem à vacatione aliquot dies distantem, nec immediatè post illam, Collatoribus nonnisi coactè illis conferentibus: Præterea ipsa vacatione acquiritur jus illam optandi, Canonicis receptis, ideoque Indultarii illam petere non possent, & obtinere in præjudicium optare volentium, absque violatione Regulæ, *de non tollendo jure alteri quæsito.*

REGULA VIII.

Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium Reservatio optioni obstat.

Cit. Cap. 4. Beneficia hujusmodi ab optione nominatim excludit. Usus Galliæ hoc extendit ad Beneficia, durante Regalia, vacantia.

REGULA IX.

Hunc ad effectum apud Sedem Apostolicam vacare dicuntur, quæ in Curia per obitum vacant.

Fundamentum hujus explicationis: Tempore BONIF. VIII. non alia dicebantur apud Sedem vacare, quàm quæ per obitum in Curia vacabant: Explicanda autem sunt BONIFACII verba prout tempore suo intelligebantur, cùm justus & legitimus sit hic interpretandi modus, utpote restringens rem odiosam ad statum, in quo erat tempore quo excepta est.

REGU-

REGULA X.

A vacatione per obitum apud Sedem Apostolicam, ad vacationem per alium modum apud eamdem, extendenda non est prædicta exceptio, nec ab hoc genere Reservationis ad alia Reservationum genera.

Infertur utraque Regulæ Pars ex *Cap.* 15. *De Reg. Jur. In* 6. quod docet odia restringenda, ac consequenter ultra casus expressos non extendenda; nam quæ optioni derogant odiosa sunt, cùm, ut suprà ostensum est, favorabilis sit, utpote æquitati & charitati valdè consona.

Nec dici potest in hoc saltem optandi jus Communi Juri contrarium, quòd vi Juris illius Beneficium novum sine titulo novo acquiritur; nam Præbenda Beneficium non est, cùm Beneficium jus sit ad reditus Ecclesiasticos ratione Officii Spiritualis non commissi, sed nomine proprio exercendi; sed Beneficii reditus, cùm ratione Canonica, quæ Officium est Spirituale, non commissum, sed proprio nomine obeundum percipiatur.

Contra utramque Regulæ Partem objici posset Bonifacium exceptionis quam facit rationem afferre, nempe quod de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus, per Romanum Pontificem ordinetur: Illam autem rationem extendi tùm ad alios quàm per obitum in Curia vacandi modos, tùm ad alia Reservationum genera. Cui Objectioni respondere fas esset, hujus exceptionis nullam afferri rationem à Bonifacio, si Textus, ut est apud Molinæum in suis circa illum annotationibus legatur: Mutatio nempè *cùm*, in *ubi*; sed ut differentia faciliùs concipiatur, clariùsque pateat, referenda utraque lectio: Apud Pithæum legitur per modum clausulæ vel parenthesis(cùm de illis per Romanum Pontificem ordinatur) apud Molinæum verò sine parenthesi *ubi*, nempe in Sede Apostolica, de illis Beneficiis per Romanum Pontificem ordinatur: Unde in isto nulla est, quæ causam designet, vox, seu, ut aiunt, particula causalis: In illo verò extat vox hujusmodi. Dici etiam posset, & melius, nec apud Pithæum particulam *cùm* esse Causalem, sed pro *quando* poni, ita ut sensus sit, non semper Beneficia in Curia vacantia ab optione excipi, sed tunc tantùm quando à Papa conferuntur; idque quia post mensem conferri possunt ab Ordinario, eoque casu optioni subsunt.

REGULA XI.

Ex Jure scripto, in quovis vacationis genere, optio locum habet.

Infertur ex *eod. Cap.* 4. *cit.* indistinctè enim dicit optionem aperiri cùm vacant Præbendæ; sed non sola Juris litera, imò ipsa quoque illius mens, quodlibet vacationis genus respicit, ut patet ex allatis suprà optandi juris fundamentis.

Ad Jus scriptum restringitur Regula, quia Consuetudo introducere potuit & potest, ut Beneficia, quæ permutationis causa vel Resignationis in favorem vacant, optioni obnoxia non sint.

REGULA XII.

Optandi Jus antiquiori non ita competit ut isto nolente vel negligente sequens optare nequeat.

Infertur ex *cit. Cap.* 4. in quo antiquioribus jus illud pertinere dicitur; nam cùm succedens antiquiori nolenti vel negligenti, aliorum ergo antiquior sit, comprehendi videtur in antiquioribus qui optare posse dicuntur.

REGULA XIII.

Dicendum de incapaci quod de nolente, vel negligente dictum est. Idem est istius ac præcedentis Regulæ fundamentum.

Hinc si Præbendæ, quæ vacant, Subdiaconales vel Diaconales sint, & qui antiquior est Canonicus Subdiaconus non sit &c. nec intra 20. dies esse possit, qui Subdiaconus erit, etsi posteriùs receptus, optabit. Idem dicendum de irregulari vel suspenso, si antiquior sit, & intra dictum tempus absolvi nequeat, tunc proximus non impeditus optabit.

REGULA XIV.

Intra viginti dies, Jure optandi utendum est, alioquin amittitur.

Id expressè dicit *cit. Cap.* 4. *De Consuet. in* 6.

Nec obstat quod terminus hic præfigatur in favorem expectantium, ne scilicet optare volentes nimia optionis dilatione expectantibus molesti forent & noxii; etsi enim hæc fuerit præfixi termini causa, hoc non impedit quin ad alios quàm ad expectantes extendi debeat ista determinatio, cùm ad alios extendatur determinationis causa.

Excipiendus casus legitimi impedimenti, quale morbus; nam tempus non currit legitimè impedito.

REGULA XV.

An à die vacationis, an à die notitiæ numerandus sit prædictus terminus, nullo Juris Textu expressè definitur, sed à die notitiæ numerandum inferre licet ex Textibus similes negligentiæ casus concernentibus.

Præcipuus ex cit. Textibus est *Cap.* 3. *De Suppl. Negl.* in quo semestre tempus ad conferendum concessum non currit, nisi à die notitiæ contra negligentes illo uti, cujus rei ratio in ignorante circa rem ignoratam negligentia nulla esse potest.

REGULA XVI.

Cuilibet optandi Jure gaudenti idem ad optandum tempus concedi ex cit. mox Textibus colligi videtur.

Dubitandi Ratio: Cùm optandi Jus pluribus successivè competat, si idem cuivis detur terminus, iterum atque iterum crescet expectantium molestia, ad quam minuendam brevis 20. dierum terminus præfixus est: Præterea intra idem tempus quilibet prævidere facilè potest, quæ sibi optanda Præbenda contingit, ac dijudicare an sibi conveniat. *Decidendi causa*: Ex dilatione Collationis majus nascitur incommodum quàm ex dilata optione; cùm ista dilatio privato tantùm noceat, illa verò Ecclesiæ, cui Rector Collatione dandus: nihilominus Collatores, quorum alii aliorum negligentiam gradatim supplent, semestre quilibet successivè habent ad conferendum: Hæc autem decisio pro certa non datur, quia Textus loquentes de devolutione Collationis expressè docent cuilibet Collatori semestre competere ad conferendum: Textus verò loquens de optione generatim dicit quod optare volentes per 20. dies expectandi sint. Sed de hoc fusiùs in Quæstionibus circa optionem mox subjiciendis. *Cap.* 3. *De Suppl. Negl. Prel.*

REGULA XVII.

Quibus optare competit, per alios ut per se optare possunt.

Expressè habetur in *cit. Cap.* 4. *De Consuet. in* 6.

REGULA XVIII.

Concessa circa Canonicatum Coadjutoria cum futura successione non impedit ne Coadjutus optet, si optioni locus detur.

Colligitur ex *eod. Cap.* 4. *De Consuet. in* 6. nam ex illo antiquiori optandi facultas datur, ex Coadjutorio verò hujusmodi Canonicus cui datur Coadjutor antiquitatem suam non amittit.

REGULA XIX.

Quamvis Naturali Divinoque Juri innitatur optandi facultas, attamen si qua Lege Ecclesiastica constituatur, ut Majores optare possint Præbendas pinguiores, Constitutio ista futurum tantùm respicit non prætetitum, nisi de illo expresśè caveatur.

REGULÆ RATIO: Hujusmodi Lex novam obligationem inducit; Jus enim Naturale Divinumque est quidem fundamentum illius obligationis; sed sola Lege inducitur.

Divinum Jus non sumitur pro Positivo Juri Naturali pro voluntate sua à Deo adjecto, sed pro naturali ab ipso Deo explicato, quale in axiomate, *Dignus est operarius mercede sua, vel cibo suo*, continetur; id enim axiomatis ex Juris Naturalis fonte fluens erga Ministros suos Christus servandum declaravit, eaque de causa quodammodo Divinum dici potest.

SECTIO XXV.

Quæstiones circa Jus optandi.

Supersunt nonnullæ difficultates circa optionem subsequentibus elucidandæ Quæstionibus.

QUÆSTIO I.

Quæritur an Præbendæ quæ vacant tempore quo Regalia aperta est optioni subsint?

Subesse huic juri videntur, quia citatus circa optionem Textus excipit ab illa solas Præbendas, quæ apud Sedem Apostolicam: Hic autem Textus, cùm unicus sit, pro Regula in hac materia habendus. Adde quod Edictum circa Regaliam 1682. declaret, Regem non aliud jus exercere velle, quàm quod Episcopus vel Archiepiscopus exerceret, si Sedes plena foret, quæ autem sede plena vacant, Præbendæ optioni subsunt.

Tenendum nihilominus, cum Jurisconsultis Gallicanis, Præbendas Regaliæ subjectas ab optione excipi, tùm quia Regalia longè anterior est quàm Canones qui optionem expresśè probarunt, ideoque illam restringere non potuerunt, Rege non consentiente, & Regem huic restrictioni consensisse non apparet; tùm etiam quia Regalia non minori favore præsequenda est quàm Reservatio Præbendarum vacantium in Curia, cùm sit veluti quædam Reservatio titulo oneroso ad Regem spectans, nempe ex dotatione Episcopatuum: Reservatio verò in Curia nullo titulo oneroso ad Papam pertineat. Hinc patet Textum objectum contra Regaliam non militare quoad Edictum objectum. Dicendum quod in loco citato loquatur, de jure concernente modum providendi Beneficiis vacantibus, tempore apertæ Regaliæ, ita ut sensus sit quod Rex nolit his providere aliis viis quàm provideret Episcopus Sede plena, nempe vel Præsentatione, vel Institutione, vel Collatione.

QUÆSTIO II.

Quæritur II. An Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ minor annis 14. *posset petere restitutionem in integrum, si intra tempus præfinitum optare negligeret.*

Videtur quod non posset, quia Jure communiter recepto, qui major est annis decem idoneus habitus ad Canonicatum possidendum in Ecclesia Collegiata, proindeque ad administranda jura huic annexa, inter quæ jus optandi annumeratur.

Contrarium tamen infertur ex *Cap.* 3. *De Judiciis. in* 6. in quo BONIF. VIII. præcipit, ut *qui minor est annis* 14. *per se agere non possit in judiciis, sed tantùm per Curatorem ab Ordinario sibi datum*: Hinc enim sequitur quod ut minor in Beneficiis habeatur, ideoque admittendus sit ad utendum Beneficio minorum; istud autem est, quod possint petere restitutionem contra ea, in quibus læsionem passi sunt.

Non obstat *Ratio objecta*, cùm Textus citatus supponat minores annis 14. aptos ad Beneficia possidenda per se, declaretque tamen incapaces administrandi per se jura Beneficiorum suorum.

QUÆSTIO III.

Quæritur III. An optio locum habeat contra devolutarios, qui Beneficium obtinuerunt, ut vacans, ob in capacitatem Possessoris quæ antecessit istius provisionem, vel ex nullitate tituli provenientis ex defectu formæ.

Sunt qui sentiant neutro casu admittendam esse optionem; idque I. Ne retardetur diligentia devolutariorum in accusando injusto Possessore. II Quia eo tempore quo devolutarius obtinet Beneficium Canonici, qui potuissent optare jamjam amiserunt optandi jus ob negligentiam illo utendi intra terminum præfixum.

Verùm hæc sententia non tenetur, quia adversatur Textui citato, quo jus optionis regitur; iste enim neutrum casum ab optione excipit & versamur in materia odiosa, cùm devolutarius vices delatoris agat, qui accusati spolia persequitur, quod certè odiosum est; undè non æquum videtur ut à Lege eximatur, quæ illum comprehendere præsumitur, dum illum nominatim non excipit.

Eadem sententia repugnat fini juris optandi, qui alius non est, nisi ut juniores antiquioribus non præferantur; hoc enim accideret, si *v.g.* devolutarius obtineret Canonicatum ejus, qui quintum locum habet, cùm eo casu in Præbenda præferendus esset illis quatuor Canonicis ipso devolutario antiquioribus.

QUÆSTIO IV.

Quæritur IV. An Præbendæ Theologi, vel Præceptoris, vel Pœnitentiarii, juri optandi obnoxiæ sint; ipse verò Theologus, Præceptor, Pœnitentiarius, vicissim gaudeant illo jure erga alias Præbendas.

Proposita Quæstio pendet ex alia, nempe ex ista *An Præbendæ, quibus gaudent isti Beneficiarii inseparabiliter unitæ sint illorum Beneficiis*, sicut in pluribus locis nonnullæ Præbendæ eo modo uniantur Dignitatibus Capitularibus. Posterior autem Quæstio deciditur ex illorum Beneficiorum institutione, necnon & subsequenti usu, utrimque enim patet Canonicatibus Theologi, Præceptoris, & Pœnitentiarii unitas fuisse, ita ut qui illas possident, istis quoque potiri debeant; de hoc fidem facit PRAGMAT. SANCT. *Tit. de Collat. C.* 2. *§.* 10. *Concord. Tit.* 5. *Ordinatio* AURELIAN. 1560. *Art.* 8. *Ordin.* BLESENS. 1579. *Art.* 34.

Non obstat, quod hoc posito, *Theologus, Præceptor, & Pœnitentiarius sint pejoris conditionis quàm cæteri Canonici, cùm plerumque Præbendæ annexæ ipsorum Canonicatibus sint minoris redituùs quàm multæ ex reliquis, ac aliunde isti Beneficiarii ob gravitatem munerum sacrorum sibi commissorum speciali favore sint prosequendi.*

Non obstat, *inquam*, hoc incommodum, cùm vix vitari poterit, forte seu potius Providentia Divina id ita esse volente; placuerat enim *Conc.* BASILEENSI sub EUGENIO IV. & CAROLO VII. & *Conc.* LATERAN. V sub LEONE X. & sub FRANCISCO I. ut prima vacatura Præbenda assignaretur Theologo: Idem quoque placuerat Autoribus Ordinationum suprà laudatarum, unde ubicumque inæquales erant Præbendæ, necesśè erat ut Theologus exponeretur ad habendum hic minimam, illic mediocrem, sicuti alibi maximam; quod dictum de Theologo, dicendum de Præceptore & de Pœnitentiario; sed si quid sit incommodi, ut *v. g.* Theologus, qui minimam habet Præbendam, numquam majorem habere possit, & qui mediocrem, numquam maxima potiri queat, non contemnendum commodum est, ut quis incipiat à Præbenda mediocri, vel etiam à maxima, numquam obnoxius minimæ possidendæ, quod contigit iis Theologis, qui mediocrem vel maximam sortiti sunt Præbendam eo tempore, quo institutum est illorum Beneficium.

QUÆST.

Quæstio V.

Quæritur V. An liceat Legato, vel etiam Summo Pontifici derogare Statuto vel Consuetudini optionis jus concedenti.

Inferre est ex *Cap. 1. De Constit. in 6.* quod utrique liceat hujusmodi Derogatio; docet siquidem non præsumendam ex eo quod alteruter facit Constitutionem huic Statutu vel Consuetudini repugnantem; sed necessarium, ut declaret se velle derogare, facta mentione de Statuto vel Consuetudine hujusmodi.

Adde quod uterque derogare possit Constitutioni Pontificis optionem approbanti ac autoranti, à fortiore ergo derogare valebit Statutn vel Consuetudini optandi jus tribuenti, cùm longè minoris sit autoritatis hujusmodi Statutum, vel Consuetudo, quàm Constitutio Pontificia.

Verùm in Gallia non liceret hujusmodi Derogatio, eam vetante *Art. 62. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ;* Consuetudo namque jus optandi concedens, est profectò ex his Consuetudinibus, quæ laude dignæ habentur, in Francia receptis, Papæ autoritate probatis, quibus Papa nequit derogare, absque abusu.

Quæstio VI.

Quæritur VI. Num referat ad praxim scire si extent Ecclesiæ, in quibus optantes mutent Canonicatum cum Præbenda.

Id inferre videtur, quia ubicumque optio extenditur ad Canonicatum sicut & ad Præbendam, ita ut optans acquirat novum Canonicatum quemadmodum & novam Præbendam, ibidem etiam optans suspensus sit, vel excommunicatus, ab optione excluditur, cùm hujusmodi censuræ inhabilem efficiant ad obtinenda Beneficia; ubi verò optans acquirit tantùm novam Præbendam suspensus vel excommunicatus ab optione excludendus non videtur, cùm censuræ istæ non reddant incapacem acquirendi rem temporalem; qualis est Præbenda optionum prioris generis: Exemplum habes in optione titulorum Cardinalium. Solier *in Titulum ultimum.* Lib. II. *Pastor. De Benef. Ecclesiast.* supponit extare Ecclesias, in quibus Præbendæ ita annexæ sunt Canonicatibus, ut optari nequeant, quin etiam optentur Canonicatus.

Quæstio VII.

Quæritur VII. An optio secum inv.hat quadam incommoda.

Respondetur nonnullis obnoxiam esse ex culpa optantium *v.g.* Si Præbendæ consistant in agrorum quorumdam, vel domorum fruitione, qui minores Præbendas possident, negligunt meliorare agros domosve, nolentes pro aliis laborare, nisi ea sit optionis faciendæ Lex, ut quis ad illam non admittatur, nisi fidem fecerit, se agros domosve Præbendæ suæ meliorasse. Idem simileve incommodum locum habet, quando Præbendæ consistunt in perceptione decimarum hujus vel illius Parochiæ; eo enim casu, jus optionis ansam præbet, negligendi reparationem & decorationem Ecclesiæ loci, ex quo decimæ præcipiuntur; Possessores enim Præbendarum inferiorum, dum attendunt se pro aliis sibi mox successuris, expensas facturos, à restauranda decotandaque Ecclesia avocantur; sed hoc præcaveri potest, vel præfigendo annuam summam solvendam à quolibet Præbendato ad hujusmodi reparationem vel decorationem, vel compellendo optare volentem, ut his provideat ante optionem.

Quæstio VIII.

Quæritur VIII. An tempus 20. dierum præfinitum ad optionem in Cap. 4. De Consuetud. in 6. *respiciat omnes optionis casus.*

Restringendum statim videtur ad eum similemve Casum, de quo expressè loquitur, hic est nimirum, in quo Mandatarius Apostolicus expectat Præbendam vacaturam; sunt enim in illo Capite nonnulla verba, quæ insinuant Summum Pontificem adeò breviasse tempus, ne expectans jamdictus majori dilatione molestaretur: Hæc autem sunt: *Ne prætextu ejusdem Consuetudinis Provisiones autoritate Apostolica faciendæ, ultra debitum differantur: Statuimus, ut executores super ipsis Provisionibus deputati optare volentes per 20. dies duntaxat expectent.*

In confirmationem hujusce observationis adduci possent duo Textus, qui tribuunt mensem integrum ad acceptandum Beneficium. *Cap. 6. De Elect. in 6.* Clem. *Unica. De Concess.* In priore sermo fit de Electo ad Dignitatem: In posteriore de Mandatario: Utrique autem datur mensis ad deliberandum an accepturus sit: Hinc enim deduci videtur, quod dandus fuisset mensis ad optandum, præsertim respectu Ecclesiarum, in quibus Canonicatus optatur simul cum Præbenda, cùm ubi Præbenda tantùm optatur, acquiratur pars non modica Beneficii; & in prædictis Ecclesiis, in quibus optatur Canonicatus cum Præbenda, acquiratur Beneficium integrum.

Verùm etsi *citatum Caput De Consuetud.* loquatur de casu speciali circa optionem quoad tempus ad id præfinitum, ad omnes tamen optionis casus extendi solet, non obstantibus Textibus objectis.

Circa idem tempus est alia difficultas suprà primum delibata, nunc definitè resolvenda, nempe an 20. dies cuilibet optare volentium & valentium dentur, ita ut si vacet, *v.g.* Præbenda, quæ est ordine quarta, dentur 60. dies, viginti scilicet pro quolibet illorum Canonicorum, quibus optare competit vacantem Præbendam; nonnullas utriusque sententiæ rationes suprà attulimus.

Nunc addendum quod ex solutione hujus Quæst. VIII. sequatur intra eosdem 20. dies quemlibet ex optare volentibus & valentibus optare teneri, cùm certum sit, *citato Capite.* non majus dari tempus optantibus in casu de quo expressè meminit, ac aliundè observatum sit ad omnes alios optionis casus præfinitum hoc tempus extendi solitum esse, ac si de singulis illis casibus expressam mentionem fecisset.

Quæstio IX.

An jus optandi vim habeat contra Graduatos.

Colligi videtur ex dispositione *Cap. 4. De Consuet. in 6.* id ita esse cùm ex eadem locum habeat in præjudicium Mandatariorum; & juxta Concordata Gallica Mandatarii Graduatis præferantur. Contrarium tamen sentit Pastor Lib. II *C. 18. n. 5.* ad id adductus, quod Beneficia reservata generali Reservatione optioni non sunt obnoxia, quia hujusmodi Reservatio vim Legis habet optioni derogantis: Beneficia autem Graduatis affecta ipsis generali Reservatione reserventur. Sed huic sententiæ obstat quod suprà ostensum est in *citato Capite* 4. ab optione non alia excipi Beneficia reservata, quàm quæ in Curia vacant per obitum.

TITULUS IX.

De Dignitatibus Ecclesiarum in particulari.

SECTIO I.

De Decano.

I. Decanatus curam animarum habet annexam, *De Electione.* Cap. *Cùm in Cunctis. §. Inferiora.* Lib. I. Decr. *Tit.* VI. Cap. 7.

II. Decanatum nullus omninò suscipiat, nisi qui jam 25. annum attigerit, & scientia & moribus commendandus existat. *Ibid.*

III. Decanus decertare potest cum Episcopo. super Jurisdictionem Contentiosam, cùm aliquem ad Jurisdictionem suam spectare firmiter asserit. *De Appell.* Cap. *Dilectis. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* XXVIII. Cap. 55.

IV. Ec-

IV. Ecclesia Decani Officio defraudari non debet. *De Clericis non Residentibus.* Cap *ex Parte.* §. *Quia igitur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 8.

V. Quod sit Officium Decani ex Consuetudine colligitur. *Glossa* Verbo *Officio.*

Suum ibidem Officium, ut Decanus debet exercere, tenetur ad Residentiam. *Ibid. Glossa.*

VI. Si Decanus admonitus non fuerit præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus; ab illo removeatur Officio & alii conferatur, qui velit & possit illud convenienter implere. *Ibid. De Electione.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. *Inferiora.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 7. De hac promotione loquuntur plura *Conc.* anteriora ejusdem sæcul. XII. Sed præcipuè *Concil.* TOLOS. *ann.* 1119. *Can.* 2. *Conc* LATERAN. *ann.* 1123. *Can.* 2. *Concil.* LONDINENSE. *ann.* 1125. *Can.* 7. *Concil.* LONDIN. *ann.* 1127. *Can.* 4. *Conc.* REMENSA. *ann.* 1131. Cap. 8. CONC. TOM. X.

VII. Decanus potest interdictum hujusmodi promulgare, ut Episcopo in Civitate præsente à Divinis in Ecclesia cessetur. *De Appellat.* Cap. *Dilectis* §. *Verùm,* LIB. II. DECR. Cap. 55.

VIII. Si per decem annorum spatium Ecclesia Decani præsentiam tenere nequivit, scribi eidem debet quod suum debet Officium exercere. *Ibid. De Cler. non Resid.* Cap. *Ex Parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. *Cap.* 8. Si non residet citari debet.

IX. Quod si vocatus venire noluerit, eligendi alium, qui præesse Ecclesiæ valeat, & prodesse, Canonicis concedi debet libera facultas. *Ibid. fin.*

X. Nec prosit ei Appellationis refugium, si fortè in Constitutionis istius transgressione per appellationem voluerit se tueri.

XI. Si Canonici à Divinis cessare voluerint, pro ut in Ecclesiis aliquibus sibi ex Consuetudine, vel alias vendicant, antequam ad cessationem hujusmodi quoquomodo procedant in instrumento publico, vel patentibus literis sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratis, cessationis ipsius causam exprimant, & illud instrumentum, vel illas literas ei contra quem cessare intendunt, assignent. *In* 6. *De Officio Ordin.* Cap. *Si Canonici. init.* LIB. I. *Tit.* 16. Cap. 2. *Glos. in* Verbo *Ecclesiis* hæc habet: Ut LUGDUNENSI, VIENNENSI, CLAREMONTENSI, ATREBATENSI, & aliis.

XII. Si Canonici absque manifesta & rationabili causa, maximè in contemptum Episcopi cessaverint à Divinis, Episcopus, si voluerit, nihilominus celebret in Ecclesia Cathedrali. *De Officio Jud. Ord.* Cap. *Irrefragabili.* §. 3. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

XIII. Metropolitanus ad querelam Episcopi, tanquam super hoc delegatus à Sede Apostolica, taliter Canonicos per censuram Ecclesiasticam, cognita veritate, castiget, quod metu pœnæ talia de cætero non præsumant. *Ibid.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 13. Ratio hujus Delegationis propter Canonicos exemptos necnon necessitatem promptiùs amovendi scandalum

Usus obtinuit Decanos vocari Præpositos &c. *Conc.* AQUISGR. *anno* 813. Cap. 139. TOM. VII. CONC. *pag.* 1402.

SECTIO II.

DE THEOLOGO.

I. Ordinarius Collator in una quaque Cathedrali ac etiam Metropolitana Ecclesia, Canonicatum & Præbendam Theologalem ibi consistentem conferre teneatur uni Magistro, seu Licentiato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in Universitate studiorum gratiâ privilegiata studuerit, ac onus Residentiæ Lecturæ & Prædicationis actu subire valuerit. *Concordatorum. Tit.* 3. *De Collationibus. init.* PRAGMAT. SANCTION. *De Collat.* Cap. 2. §. 10. *Primum.*

II Metropolis Ecclesia habeat Theologum, qui Sacerdotes & alios in Sacra pagina doceat & in his præ-tertia informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. *De Magistris.* Cap. *Quia.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 4.

III. Statutum in *Concilio* Generali de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inviolabiliter observetur. *De Magistris.* Cap. *Super specula. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 5.

IV. Præbenda, Præstimonium, aut Stipendium hujusmodi, non nisi personis idoneis, & quæ per se ipsas id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit & invalida. *Concil.* TRID. SESS. V. *De Reform.* Cap. 1.

V. Is Theologus bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat; & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli per substractionem distributionum totius hebdomadæ puniri possit. *Concordat. Tit.* 3. *post init.*

VI. Ut liberiùs studio vacare possit, etiam si absens fuerit à Divinis, habeatur pro præsente, ita ut nihil perdat. *Ibid.*

VII. Et si Residentiam deseruit, de illis Canonicatu aut Præbenda alteri provideri debeat. *Ibid.*

VIII In illis Ecclesiis, in quibus Præbenda aut Præstimonium pro Lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates & alii locorum Ordinarii, eos, qui Præbendam aut Præstimonium hujusmodi obtinent, ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem & interpretationem per se ipsos si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per substractionem fructuum cogant & compellant. *Concil.* TRID. SESS. V. *De Reform.* Cap. 1.

SECTIO III.

DE POENITENTIARIO & de CANCELLARIO

Canones de Pœnitentiario.

I. In omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum Unione Præbendæ ab Episcopo instituatur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 8. *fin.* DECR. II. *De Ref.*

II. Is Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur. *Ibid.*

III. Is dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur. *Ibid. fin. Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 8.

Hæc Decreta à *Conciliis* Gallicanis celebr. in executionem hujus *Conc.* patet per extracta illorum in I. TOM. data. De Pœnitentiariis sermo fit in *Cap.* 1. *De Tempor. Ordinat. in* 6. ubi hæc leguntur: *Omnibus Pœnitentiariis nostris inhibentes districtè, ne absque licentia nostra speciali, cum taliter Ordinatis dispensent, vel suas tradant literas, per quas ab aliis dispensentur. Agitur de Clericis alienis ab Episcopis Italiæ Ordinatis absque legitima potestate.*

Canones De Cancellario.

Cancellariæ Officium Spirituale, vel Spirituali annexum videtur existere, cùm Cancellarius ex Officio suo multa facere debeat, quæ Spiritualia esse noscuntur. *De Officio Archid.* Cap. *Ut nostrum. med. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 23. Cap. 9.

Non MEDIOLANENSIS Archiepiscopi, sed MEDIOLANENSIS Ecclesiæ Cancellarius esse scribitur, nec vacante Sede Cancellarii perdit Officium. *Ibid.*

Cantor, Præcentor, seu Primicerius. Vide GONZALES ad Titulum. *De Officio Primicerii Succentoria de Excessibus Prælat.* Cap. *Inter.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 11. Sed priùs lege Textus sub *Tit.* 25. 26. 27. LIB. I. DECR. spectantes Primicerium, Sacristam, & Custodem, qui erant Ministri Archidiaconi, quorumque Officium describitur. *Ibid.*

SEC-

SECTIO IV.

Quid sit Archidiaconus, & qualis assumi debeat, & quale generatim sit ejus Officium?

I. De Archidiaconatu nullatenus dubitatur quin sic Dignitas & Officium Spirituale. *De Officio Archid.* Caput. *Nostrum. in int.* Lib. I. Decr. *Tic.* 23. Cap. 9.

II. Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet; nisi adeò fuerint ardua negotia quod absque Majoris sui præsentia nequeant terminati. *De Officiu Archid.* Cap. *Ad hæc. §. 4. In quadam.* Lib. I. Decr. *Tic.* 23. Cap. 7.

III. Archidiaconus de Archidiaconatu in aliquibus locis per annulum investiebatur. *De Sententia & Re Jud.* Cap. *Cùm olim. inic.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 12.

IV. Negari non potest quin Archidiaconatus Personatus existat. *De Electione.* Cap. *Dudum. §. 4. med.* Lib. I. Decr. *Tit. 6. Cap.* 54. Personatus hic sumitur pro Dignitate, cùm jam à benè multis sæculis Jure Communi sit major post Episcopatum Dignitas.

V. Qui contra justitiæ Regulam in Archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusdem Archidiaconatûs honore deponitur. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 4. *Cùm qui. inic.*

VI. Archidiaconi, qui oculi Episcopi sunt, in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poteric, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico sint. *Concil* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 12. *post inic.*

VII. Archidiaconatum nullus omninò suscipiat nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat. *De Collect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 3 Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 7.

VIII. Archidiaconatus curam animarum habet annexam *Ibid. De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis. §. 3.* Lib. I. Decr. *Tic.* 6. Cap. 7.

IX. Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tàm in Urbe positorum, quàm eorum qui per Parochias habitare noscuntur, ad se pertinere) sive de eorum conversatione, sive honore, & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina Ecclesiasticorum vel cæterarum rerum studio; & delinquentium rationem coram Deo redditurus est. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Uc Archidiaconus. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 1.

X. Evidenter apparet quod Archiadiconatus curam habeat animarum annexam. *Ibid. De Elect.* Cap. *Dudum.* §. 4. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54.

XI. Jure cautum est, ut Archidiaconus non Presbyter, suæ Jurisdictionis obtentu, Archipresbytero præferatur. *Bulla* 25. Eugenii IV. *Non mediocri §.* 13. *post init. anno* 1439. Bullarii Tom. I. *p.* 352. *Concil.* Emeri *anno* 666. Cap. 10. *p.* 503. *Concil.* Aquisgran. II. *anno* 836. Cap. 3. *Can.* 4. Tom. VII. *pag.* 1710. *Concl.* Londin. II. *anno* 1127. *Can.* 6. Tom. X. *pag.* 921.

XII. Secundùm Romani Ordinis Constitutionem Archidiaconus major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur, omnem solicitudinem & curam, tàm in Clericis quàm in Ecclesiis eorum, prout meliùs secundùm Deum poterit, impendendo, cùm super his sit redditurus rationem in districti examinis judicio. *De Officin Archid.* Cap. *Ad hæc* Lib. I. Decr. *Tic.* 23. Cap. 7. *§.* 2.

XIII. De Jure Communi ad Archidiaconi spectat Officium repræsentare ordinandos Episcopo. *Ibid. De Officio Archidiaconi.* Cap. *Ut nostrum. med.* Lib. I. Decr. *Tic.* 23. Cap. 9.

XIV. Solicitudo Parochiarum & jurgia ad Archidiaconi pertinent curam: Pro reparandis Diœcesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti seu Episcopo: Ipse inquirit Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta vel res Basilicarum Parochiarum: Gesta Libertatum Ecclesiasticarum idem Episcopo refert. Dist. XXV. *Cap.* 1. *Perlectis. §.* 11. *Archidiaconus. med.* In originali babetur Parochianorum. Pithæus.

SECTIO V.

An & quomodo Archidiaconus visitare possit Parochias sibi subjectas.

I. Jurisdictio, Correctio, & Visitatio ad jus Archidiaconale spectant. *De Officio Archid.* Cap. *Dilectis.* §. 2. *Coram.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 10.

II. Archidiaconus visitat & inquirit, quæ viderit inquirenda, & Procurationes ratione Visitationis recipit. *De Elect.* Cap. *Dudum. §. med.* Lib. I. Decret. *Tit. 6.* Cap. 54.

III. Archidiaconi in iis Ecclesiis ubi hactenus Visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant quidem assumpto Notario, de consensu Episcopi per se ipsos tantùm ibidem visitare. *Concil.* Trident. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 3. *post init.*

IV. Archidiaconi Visitationis factæ intra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta Episcopo exhibere teneantur. *Ibid.* Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 3.

V. Parochiam universam circumeat Archidiaconus, & cuncta, quæ emendatione indigenc, ad vicem sui Episcopi, corrigac & emendet. *De Officin Archidiaconi.* Cap. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 1.

VI. Prohibeatur Archidiacono, ne ad Ecclesias sui Archidiaconatus visitandas, nisi semel in anno accedar, nisi fortè talis causa emerserit, propter quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpiùs visitare. *Ibid. De Officin Archid.* Cap. *Mandamus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 6.

VII. Archidiaconi Presbyteros, qui sunt in Jurisdictione sua constituti, quasi filios & fratres benignè ac summa caritate fovere debent. *Append. Concil.* Later. III. *sub* Alex. III. Cap. 7. *De Simonia.* Tom. X. Conc. *p.* 1562.

VIII. Archidiaconi Parochias visitantes ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu quærere videantur; nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè ac competenter illis fuerit ministratum. *De Censibus.* Cap. *Cùm apius. §. 1. Qum circa.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 6.

IX. In prædictos Presbyteros tallias & indebitas exactiones exercere non præsumant, nec eos inviolabiliter gravent vel inhonestè extractent. *Ibid. Conc.* Cabillon II. *anno* 813. *Can.* 15. Tom. VII. Conc. *pag.* 1275.

X. Archidiaconi nullas exactiones, sive tallias in Presbyteros seu Clericos exercere præsumant. *Ibid. De Censibus.* Cap. *Cùm Apostolus. §. 2. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 6.

XI. Injunctum est ut cùm Archidiaconi Ecclesias ipsas visitaverint, secundùm quod Canones præcipiunt Visitatoris officium exerceant, nec Ecclesias Visitatione sua gravent, ut magis instituto informationis & correctionis quàm affectu comessationis videantur visitare. *Appendice Concil.* Lateran. III. *Cap. 6.* Tom. X. Conc. *p.* 1562.

XII. Si juxta Apostoli sententiam Episcopi non debent esse dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo, multò minus facere Archidiaconi hoc debent, sed contenti sint Regularibus Disciplinis, & teneant propriam mensuram, & quod ab Episcopis eis injungitur hoc per Parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præsumentes. Dist. XCIV. Cap. 3. *Dictum est §. Si enim.*

SECTIO

SECTIO VI.

An & qualis Jurisdictio Archidiaconis competat?

I. Episcopus non potest Ecclesias à Consuetudine & obsequio Archidiaconorum liberas constituere & immunes, per quod reditus diminuat eorumdem. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Ad hæc. init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 2.

II. Episcopus Ecclesias Archidiaconis subjectas ab eis liberare non potest *Glossa.* Episcopi jura Diaconorum diminuere non possunt. *Glossa.*

III. Attendi debet Consuetudines esse super Archidiaconi Jurisdictione diversas. *De Officio Archidiaconi.* Cap *Dilecto. med. juxtà Collationem* GONZAL. LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 10.

IV. Si Archidiaconus petat, ut cùm Monasterium infrà metas sui Archidiaconatûs situm sit, Abbas & Monachi sibi obediant in his, quæ Archidiaconi solent & debent rationabiliter injungere, nisi constiterit Archidiaconum, vel Prædecessores ipsius de pacifica sic obtenta Consuetudine Jurisdictionem aliquam in Monasteria hactenus habuisse: Monasterium ab Archidiaconi impetitione penitus absolvi debet, & perpetuum super hoc ipsi Archidiacono silentium imponitur. *Ibid. De Officio Archidiac.* Cap. *Dilecto.* §. 4. LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 10.

V. Si de præmissis constiterit, eadem Jurisdictio duntaxat adjudicetur eidem Archidiacono, in Monasterio ipso, quam ipsum, vel Prædecessores habuisse constiterit, super aliis perpetuum ei silentium imponatur. *Ibid.* §. *ult.* 6.

VI. Jurisdictio Archidiaconi potiùs ex Consuetudine quàm ex Jure juvatur. *Glossa in* Cap. *Ad hæc. De Excessibus Prælatorum.* Verbo *Consuetudines.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 2.

VII. Per majores Ecclesiæ Cathedralis Canonicos, qui habere debent de hujusmodi Consuetudine notitiam pleniorem, sollicitè super ea Jurisdictione veritas inquiri debet. *Ibid.* §. 4.

VIII. Archidiaconis Consuetudines, quas Presbyteri in Ecclesiis suorum Archidiaconatuum debent, plenariè conserventur, & illis debitam reverentiam exhibeant & honorem. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Ad hæc. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 5.

IX. Jurisdictio Archidiaconi potiùs ex Consuetudine quàm ex Jure juvatur. *Glossa* Verbo *Consuetudines.*

X. Archidiaconus Presbyterum eo quod ad præsentiam suam vocatus venire contempsit, vinculo excommunicationis adstringit. *De Præbend.* Cap. *Referente.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 5. Cap. 7. *Glossa in* Verbo *Adstrinxit.* infert Archidiaconum posse excommunicare; quod confirmat per *Cap.* 1. *De eo qui furtivè, proximè citandum.*

XI. Ab aliquo Archidiaconorum, vel Prælatorum sub Anathematis interminatione prohibetur ab Ordinibus suscipiendis. *De eo qui furtivè, &c.* Cap. 1. LIB V. DECRET. *Tit.* 30. Cap. 1.

XII. Consuetudines super Archidiaconi Jurisdictione diversæ sunt. *De Officio Archidiac.* Cap. *Significasti. in init. fin.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 8.

SECTIO VII.

An Archidiaconi habeant Jurisdictionem Contentiosam & quomodo illam aliquando exerceant?

I. Archidiaconis non videtur de Ecclesiastica Institutione licere (nisi autoritas Episcoporum accesserit) in aliquos sententiam promulgare. *De Officio Archidiac.* Cap. *Archidiaconis* LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 5. *Appendice Concilii* LATERAN. XXXVI. Cap. 4. *Glos. in* Verbo *Promulgare*, ait: Id de Jure Communi verum, non de Consuet. & interpretatur de Sentent Excom.

II. Archidiaconus aliquis de Consuetudine suspendit, excommunicat, & absolvit Presbyteros & Priores, & Parochiales Ecclesias interdicit. *De Elect.* Cap. *Duduum.* §. 4. *Tandem. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 54.

III. Possunt excommunicare de Consuetudine, aliisque censuris uti. *Glos. in* Verbo *Suspendit.*

IV. Possunt habere Officiales qui excommunicent, & eorum sententias Episcopus non potest immediatè relaxare. *Cap.* 3. *De Appellat. in* 6.

V. Interdicti, Suspensionis, vel Excommunicationis sententias latas ab Officialibus Archidiaconorum, Episcopus & ejus Officialis (omissis ipsis Excommunicatoribus) non relaxent, salvâ contrariâ super hoc Consuetudine si quam habent. *in* SEXTO. *De Sententiis Excommunicationis.* Cap. *Romana, init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 11. Cap. 5.

VI. Ab Officiali Archidiaconi ad Episcopum appellari debet, non ad Archiepiscopum, omisso medio.

VII. Ab Archidiaconis, & eorum Officialibus, ad Suffraganeos ipsos debet, & non ad Curiam Archiepiscopalem (omissis dictis Suffraganeis) appellari; nisi aliud Metropolitanæ Ecclesiæ de Consuetudine competat in hac Parte. *In* 6. *De Appellationibus.* Cap *Romana.* §. 1. LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

VIII. Archidiaconus aliquis quempiam eo quod ad præsentiam suam vocatus venire contempsit, vinculo excommunicationis adstrinxit. *De Præbendis.* Cap. *Referente.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 5. Cap. 7.

IX. Officialis Archidiaconi RHEMENSIS excommunicationis sententiam promulgavit. *De Solutionibus* Cap. ODOARDUS. *init.* LIB III. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 3.

X. Presbyteros, qui sunt in Jurisdictione sua constituti, sine ordine judiciario excommunicare non præsumant. *Appendice Concil.* LATERAN. III. *sub* ALEXAND. III. *De Simonia.* Cap. 7. TOM. X. CONCIL. *p.* 1562.

Archidiaconus non præsumat personas suspendere, vel Ecclesias interdicere. *De Officio Archidiacon.* Cap. *Mandamus. in int. med.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap. 6. *prout est apud* GONZAL. Adde *Absque justa causa*: Hæc verba: *Pro annua & indebita exactione* id insinuant.

SECTIO VIII.

De Custodia Ecclesiarum vacantium, quæ aliquando pertinet ad Archidiaconos, & de Investitura eorum, qui iisdem Ecclesiis præficiuntur.

I. Jus Custodiæ Ecclesiæ, defunctâ personâ Ecclesiæ, tantùm datur. *De Appel.* Cap *Bona memoria.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

II. Jus Custodiæ differt à Jure Dominii & Possessionis. *Ibid. eod.*

III. Aliquibus in locis defunctâ personâ Ecclesiæ Archidiacono tantùm ejus Custodia datur. *Ibid. De Appell.* Cap. *Bona memoria.* §. 1 LIB. II. DECRET. *Tit.* 28. Cap. 51.

IV. Archidiaconus neminem gravat, cùm Ecclesiam vacuam cujus custodiendæ jus habet, imò quam ex Officio custodire tenetur, custodiendam suscepisse noscitur *Ibid. post. med in int.*

V. Cùm Archidiaconis, qui fuerunt pro tempore, tàm de Jure Communi, quam de generali Consuetudine Provinciæ, in Ecclesiis Universis, ejusdem Diœcesis jus est Custodiæ, fuisse semper usos, fuit sufficienter probatum, illi utendo jure suo nemini injuriam facere videntur. *Ibid. post. med.*

VI. Parochus non censetur nomine Archidiaconi Ecclesiam possidere, qui Archidiacono aliquam Procurationem, & certam pensionem nomine Ecclesiæ annis singulis exsolvit nec indè probat jus Custodiæ in illam Ecclesiam. *Ibid junctâ Glossa. De Appell.* Cap. *Bona memoria.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

VII In Cap. *Cùm venissent. De Institutionibus.* agitur de jure Custodiæ, an Episcopo, an Archidiacono competat. LIB. III. DECRET. *Tit.* 7. Cap. 6. Vide *integram apud* GONZAL. Vide *Appendic in Concil.* LATERAN. XXIV. *Cap.* 1. Jus Custodiæ Episcopo pertinere potest, illudque ab illo accipere Archidiaconus, vel commissione soli personæ concessa, vel Dignitati ilius annexa.

VIII. Si Archidiaconi se in Ecclesias, quæ in suis Archidiaconatibus vacant, autoritate propria intrudere non verentur, eos, qui tali modo Ecclesias occupant, vel occupatas detinent, Episcopus ad eas dimittendas Censura Ecclesiastica compellere debet. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Ad Aures.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 31. Cap. 5.

IX Cùm ex parte Episcopi fuit propositum, quod quidam Prædecessores ipsius quibusdam Archidiaconis, tàm institutionem, quam Custodiam Ecclesiarum vacantium personaliter commiserunt, & Archidiaconus videt quod Episcopus tàm institutiones, quàm Custodias, non personaliter Archidiacono, qui tunc erat, sed perpetuò de consensu Capituli Archidiaconatui, reali concessione donavit; & Archidiaconatus ipse in continua possessione istarum libertatum, multorum Episcoporum & Archidiaconorum temporibus extiterit; Archidiaconus est in plena libertatum ejusdem Archidiaconatûs possessione suendus, donec probatum legitimè fuerit ex adverso, libertates ipsas Archidiaconis ab Episcopia personaliter fuisse concessas. *De Institutionibus.* Cap. *Cùm venissent.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 6.

X. Institutio corporalis tàm super Beneficiis, quàm etiam Dignitatibus ad Archidiaconum debet pertinere. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Ad hæc.* §. 4. LIB. I. DECRET. *Tit.* 23. Cap 7.

Prava illa Consuetudo debet aboleri, per quam pro Ecclesiarum investitura Archidiaconi aliquid sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem. *De Simonia.* Cap. *In tantùm.* §. *ult. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 3. Cap. 36.

SECTIO IX.

De ARCHIPRESBYTERIS.

I. Ut singulæ Plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga Populum Dei curam, qui non solùm imperiti vulgi solicitudinem gerat, verùm etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, & qua unusquisque industria Divinum Opus exerceat, Episcopo suo renuntiet. *De Officio Archipresbyteri.* Cap. *Ut singulæ, init.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 24. Cap. 4. *ex Synodo* RAVEN. *anno* 85. Cap. 13. TOM. VIII. CONC. *p* 66.

II. Vide GONZAL. *in Notis.* Habetur inter Canones quos ANTONIUS AUGUSTINUS tribuit *Concilio* ROM. *sub* JOANNE IX. *anno* 904. TOM. IX. CONCIL. *p.* 507. Cap. 12.

III. Nec contendat Episcopus non egere Plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia etsi valdè idoneus sit, decet tamen ut sua onera partiatur; & sicut ipse Matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint Plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo. *Ibid.* §. 1.

IV. Archipresbyteri cuncta referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus Decretum ordinare præsumant. *Ibid. fin.*

V. Chrismatis & Olei distributio à Decanis summâ diligentiâ & honestate fiat. *Concilium* ROTHOMAGENS. *anno* 682. *Can.* 3. TOMO IX. CONCIL. *p.* 1226.

VI. Oportet ut tales Decani eligantur, qui sciant subditos redarguere & emendare, quorum vita non sit infamis, sed meritò præferatur subditis. *Ibid. Can.* 15. *fin. pag.* 1228.

Decani, de quibus hìc, iidem sunt ac Archipresbyteri, à quibus longè differunt Decani Ecclesiarum Cathedralis vel Collegiatæ, qui Canonicis præsunt, de quibus suprà actum est.

Finis Prioris Tractatûs de Ecclesia.

EXPO-

EXPOSITIO
JURIS CANONICI,
IN SPECIE CONSIDERATI,
PER
REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,
EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.

PARS PRIMA,

DE ECCLESIA.
TRACTATUS POSTERIOR.
DE CANONICIS, ALIISQUE ECCLESIAM COMPONENTIBUS PERSONIS.

REGULÆ *circà Capitula deprompta è Jure Canonico quemadmodum observatur in Gallia.*



OSTQUAM observatum fuerit, verbum *Capituli* accipi pro Corpore Canonicorum, aut pro eorumdem Conventibus, aut pro loco in quem congregantur, monendum est, idem hîc accipi in primo & secundo sensu.

Monendi sunt adhuc omnes, omnia, quæ docentur à Jure Canonico quoad Capitula, redigi ad Capita sequentia.

I. *Ad originem & vetustatem nominis Capituli.*
II. *Sciendum est, quænam alia nomina in Jure habeant?*
III. *Quid requiratur ad Capitulum faciendum?*
IV. *Quot sint Capitulorum genera?*
V. *Quid hæ variæ Capitulorum species commune habeant, & particulare?*
VI. *Quænam sint Jura Capitulorum spectatorum aut in corpore, aut in membris?*
VII. *Ad quænam ipsa teneantur?*
VIII. *Quæ necessaria ad validitatem Actorum Capitularium?*

Debent adhuc moneri omnes, quorum interest, Libros Juris, ex quibus hæ Regulæ depromentur, illos esse, qui componunt Corpus Juris Canonici; nempè DECRETUM, DECRETALES, SEXTUM, CLEMENTINAS, EXTRAVAGANTES, quibus additur *Concilium* TRIDENTINUM, ex quo partim factus est VII. DECRETALIUM Liber.

Tandem notum esse debet omnibus, quòd quemadmodùm Praxis est finis Studii Juris, annotabitur accuratè usus Galliæ, quotiescumque Juri Communi adversabitur.

TITULUS PRIMUS.

Unde impositum sit nomen Capituli Corpori Canonicorum, & ipsorum Synodis, & à quo tempore illud factum sit?

Quamvis inutile prorsùs videatur, si noverint ob quam causam Corpus Canonicorum vocetur Capitulum, unum tamen verbum proferetur in gratiam illorum, qui delectantur non ignorare, quæ hac de re dicuntur. En igitur ea, quæ verisimiliora hac de re sciuntur, & cognoscuntur. Hoc nomen Capituli datum est Monachorum Conventibus, propter eorum conditionis ac status exercitia, ut legitur in *Capitibus 69. 70. additionis primæ ad Capitularia*. TOM. I. *Capitul. p. 587.* LUDOVICI PII. Posteà transiit ab iis Capitulis congregatis ad Corpora, quæ eadem congregabant, aut ad alia similia, & quemadmodum sunt præcipua ex istis Corporibus Canonicorum Corpora, illud iisdem remansit nomen. Quantùm ad ejus originem, creditur illud ortum fuisse ex eo, quòd initio aut fine illorum Conciliorum legebatur una ex his parvis LectionibusOfficii, quæ appellantur Capitula.

Quoad tempus, quo Corpori Canonicorum, nomen Capitulorum primò impositum est, nihil aliud dicendum mihi incumbit, nisi quod nullum reperetim in Jure locum antiquiorem, in quo Corpus Canonicorum sic nominetur, præter *Decretalem* ALEXANDRI III. quæ circà dimidium XII. sæculi sancita est; & legitur *in 3. Capite. Tit. 10.* LIBRI III. DECRETALIUM, ex quo potest hæc Regula fieri.

REGULA.

Minimè est improbandum, quod nomen Capituli à Corporibus Monachorum ad Corpora Canonicorum transivisse fuerit, sed ante XII. sæculum non videtur in Jure, quòd hoc nomen illis datum fuerit.

Regula CRODEGANGI Episcopi *Metensis* in gratiam Canonicorum facta, & aliorum hujus urbis Clericorum, regnante Rege PEPINO, præscribit Canonicis in Claustro manentibus, ut uno quoque die Capitulum adeant, audituri ibi legentes aliquid, quod pietatem edificet, & accepturi consilia, quibus opus habent; illa idem etiam Clericis injungit, qui extra Claustrum morantur, sed solùm Diebus Dominicis.

TITULUS II.

Quænam alia nomina à Jure imponantur Corpori Canonicorum?

REGULA I.

Nulla alia in Jure nomina dantur Corpori Canonicorum præter nomen Capituli, quàm sequentia.

I. Vocatur Clerus simpliciter. *Cap. 48.* CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 7. *De his, quæ fiunt à Prælato.*

II. Clerici simpliciter. Cap. 7. *De his quæ fiunt à Prælato.* Inscriptio hujus Tituli concipitur his verbis in prima Collectione: *De his quæ conceduntur ab Episcopo sine consensu Clericorum.* Cap. 47. 48. *Can.* 12. QUÆST. II.

III. Clerici de Corpore Ecclesiæ *Cap.* 5. *Eod. Tit.*

IV. Presbyterium aut Cœtus Presbyterorum. *Cap.7.* CAUS. XVI. QUÆST. I.

V. Ecclesiæ Senatus. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 12.

VI. Collegium. *Cap. 6. De his quæ fiunt à Prælatis.*

VII. Fratres. *Passim. C. 5. De his* In quo Capitulum vocatur etiam Corpus Episcopi, *in parte resecta.*

VIII. Major Ecclesia. *Cap.* 8. *De his quæ fiunt.* Cap. 1. *Collect.* 3. *De his quæ fiunt sine consensu Capituli.*

IX. Consilium Episcopi. C. 1. *De his quæ fiunt à Maj.*

X. Concilium. *In antiquis Collect.* 2. verbum *Concilium* jungitur verbo *suum*, quæ non fieret unio, nisi acciperetur ut Synodus Corporis Episcopi. *Cap.* 73. CAUS. XII. QUÆST. II.

Annotandum est super hæc nomina, quòd, quamvis digniora rarùm conveniant Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, non malè sit, si ea aliis juncta fuerint, colligendo nomina quæ à jure dantur Corpori Canonicorum; nam hic considerantur Capitula in generali: at quemadmodum quæ speciebus propria sunt, consentanea sunt quoque generi, quòd eas conriner in se; ita pariter omnia, quæ peculiaria sunt variis Capitulorum generibus, accommodari debent Capitulis generatim spectatis, quorum hæc diversa genera sunt tantùm partes.

Observandum adhuc est, quod cùm mentio facta est, nuncque fit, de Ecclesia in qua est Capitulum, per verbum Ecclesiæ Capitulum intelligitur. *Cap.* 2. *De Testam.* Cap. 19. *De Verb. Sign.*

TITULUS III.

Quid requiratur ad faciendum Capitulum? Quis possit illud constituere?

Errat LOTTERIUS cùm dicit *Cap.* 1. *De Elect.* loqui tantùm de numero requisito ad Electionem; nam cuique legenti patebit, illud requirere tantùm numerum duorum aut trium ad Electionem, quia saltem duo aut tres homines necessarii sunt, ut Corpus efficiant.

REGULA I.

Numerus hominum sufficiens in Capitulo est, si adsint duo aut tres.

Quod in hac prima Regula præscribitur, fundatur in [illegible] 20. Cap. 18. S. MATTH. Cap. 1. *De Elect.*

REGULA II.

Non sufficit, ut Capitulum fiat, quòd multi homines uni subjiciantur, sed præterea par est, ut unum Corpus efficiant, & armis communibus & sigillo eodem utantur. *Cap.* 14. *De Excess. Prælat.* PANORMITANUS *in illud Caput.*

Hæc subjectio multorum hominum alteri eo minùs hodiè sufficit, quòd pleraque Galliæ Capitula illam præscripserint contra suos Decanos aut Præpositos.

REGULA III.

Juxta Canones in Corpore Juris contentos, autoritas Papæ non est necessaria ad Constitutionem Capituli; licentia Episcopi sufficit. *Cap.* 15. *De Jure Patr.* Cap. 73. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 12. 13. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 9. *De Vit. & Honest.*

Canones citati videntur formales; nam hoc legitur in primo, quòd, *Ecclesia Conventualis, sola autoritate Episcopi constituta*; in tribus qui sequuntur, *Episcopi consensus sufficit in stabiliendis Monasteriis*; in eo qui posteà subjungitur, Papa Præscribit Episcopis, *ut Capitula confirment, in quibus membra vivunt in communi.* Præterea ne unum quidem è conditionibus requisitis ad Capitulorum Constitutionem, potestatem Episcopi transgreditur. Quæ dixi, spectant ad Constitutiones Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, quemadmodum & aliarum, si erigerentur separatim ab Episcopatibus, ut fieri posset in Italia, in qua multi sunt Episcopatus absque Capitulo. Post citatos Canones nulla videtur Reservatio in gratiam Papæ, quæ hos Canones abrogaverit.

TITU-

TITULUS IV.

De Diverſis Capitulorum Speciebus, de quibus in Jure mentio fit.

REGULA I.

OMnia Capitula in Jure expoſita, ad duplex genus reducuntur, nempe ad Capitula Eccleſiarum Cathedralium, & ad Capitula Eccleſiarum non Cathedralium.

Hæc duo Capitulorum genera clarè videntur in *Cap. 9. De Magiſtr.* & multis in locis, quæ poſteà citabuntur.

Ratio eſt: Quòd, ſi in Eccleſiis, in quibus ſunt Canonici, extet & Epiſcopatus, Cathedrales habentur; ſin verò minùs, non Cathedrales appellantur; & quòd præterea Capitula utrarumque, nihil diverſum habeant, unde debeant diſtingui alia ab aliis; nam omnia Capitula Eccleſiarum non Cathedralium differunt tantùm in eo, quòd alia ſunt in Eccleſiis Parochialibus, & alia in aliis Eccleſiis non Parochialibus, & hæc differentia non ſufficit, ut diverſæ ex illis ſpecies fiant, nam jura & obligationes, quæ ex iis oriuntur, non ſunt gravis momenti, & incognita ſunt Juri Communi. Cap. 22. *De Elect. in 6.* loquitur de Eccleſiis Collegiatis Parochialibus. Mentio fit de Capitulis Eccleſiarum non Parochialium in *Cap. 16. De Privileg.*

Capitula Cathedralium differunt tantùm in illis, in quibus Eccleſiæ eorum diſcrepant; nempè quod aliæ ſint tantùm Epiſcopales, aliæ Archiepiſcopales, Primatiales, Patriarchales, &c. Hoc verò non ſufficit, ut ſtatuantur diverſæ Capitulorum ſpecies in Cathedralibus. *Cap. 14. De Major. &c.* loquitur de Capitulis Metropolitanarum; & *Cap. 17. Ejuſdem Tit.* loquitur de Capitulo Primatiarum. *Cap. 20. De Elect.* differit de Capitulo Patriarchali ſub nomine *Canonicorum Conſtantinopolitanorum.*

REGULA II.

Utraque ſunt aut Sæcularia aut Regularia.

Sermo habetur de Capitulis Sæcularibus in pleriſque Textibus *Titulor. De Elect. De Præb. De Conceſſ. Præb. De his, quæ fiunt à Prælato &c. De his quæ fiunt à majori parte Capit.*

Tres primi Canones Quæst. III. *Can. 19.* loquuntur de Capitulis Regularibus, prohibent Tranſlationem Canonicorum Regularium in Monaſteriis, præter quoſdam caſus. Primus illorum Canonum eſt ex *Concilio habito* Augustoouni *ſub* Gregorio VII. *ann.* 1077. Mentio adhuc de hoc fit *Cap. 12. De Ætat. & Qualit.* Cap. 10. *De Majorit. &c.* Cap. 4. & 5. *De Statu Monach.* & in inſcriptione *hujus. Tit.* hoc intelligitur ex his verbis, *& Canonic. Regularium.*

REGULA III.

Omnes Textus Juris ſpectantes ad Capitula debent intelligi de Capitulis Sæcularibus, niſi horum verba ad contrarium compellant.

In hoc de Capitulis idem eſt, ac de Beneficiis, quæ cùm omnia in prima origine fuerint Sæcularia, præſumuntur Sæcularia, donec contrarium probetur; nam omnes Canonici, Sæculares fuerunt à prima origine, quamvis in communi viverent; cùm Regula Croorganoi, Epiſcopi *Metenſis*, quæ prima in ipſorum gratiam facta fuit, non cogebat illos, ut proprium ſibi non amplius vindicarent; & idem eſt de illa, quæ definita eſt à *Concilio* Aquisgranensi. Tantùm ſæculo XI. viſi ſunt primùm Canonici Regulares, ſic vocati, quia Religioſorum vota faciebant, & ea vitæ Clericali adjiciebant.

TITULUS V.

In quo Capitula Cathedralium conveniant & differant cum aliis Capitulis.

REGULA.

CApitula Eccleſiarum non Cathedralium, non habent tanquam Capitula, neque jus, neque obligationes, quæ alia quoque non habeant, & hæc nullum habent particulare jus, niſi ratione Dignitatis Eccleſiarum, quarum ſunt Capitula.

Veritas Reg. demonſtrabitur per Canones, quibus ſtatuuntur jura & obligationes Capitulorum.

Regulæ Ratio eſt: Quia idem eſt de Capitulis Eccleſiarum non Cathedralium erga alia, ac de Epiſcopis erga Archiepiſcopos, qui cum præſint Epiſcopis, habent omnia jura & omnes obligationes Epiſcoporum, & in re nulla diſcrepant ab illis, niſi propter Dignitatem Archiepiſcopi, quâ Superiores illis ſunt; nam Capitula Eccleſiarum Cathedralium ſunt in gradu eminentiori, quàm alia, quemadmodum Archiepiſcopi ratione Epiſcoporum, & hanc ab cauſam debent habere omnia jura & omnes obligationes aliorum, & diverſa, ſi habeant, oriuntur à Dignitate ſola, quam poſſident, & quam debent qualitati Eccleſiarum, quarum ſunt Capitula. Revera ſi ſint Corpus, Conſilium, Senatus, Fratres; Epiſcopi ſi ejus Juriſdictioni ſuccedant, cùm Sedes vacat aut facto aut Jure; ſi quibuſdam in rebus Epiſcopi indigeant eorum conſenſu; ſi eorum Canonici poſſint à Sancta Sede delegari; ſi quis, ut in illis recipiatur, debet eſſe & ætate provectior & peritior, omnia hæc oriuntur ex eo, quòd ſunt Capitula Eccleſiarum Cathedralium; attamen hæc ſunt (ut mox videbimus) præcipua jura & obligationes ipſis peculiares & propriæ.

TITULUS VI.

De Juribus Capitulorum.

MUltis rationibus adducor, ut dividam hunc Titulum & illum ſubdividam diverſas in Partes: I. Materia illius ampliſſima eſt: II. Par eſt, ut ſeparetur, quod convenit in hoc puncto tùm Capitulis Eccleſiarum non Cathedralium, cùm aliis, ab iis quæ ſunt illis propria: III. Sunt exceptiones ſuper quædam jura, quas explicari ſeparatim neceſſe eſt. In prima Parte diſſeram de juribus, omnibus Capitulis communibus, ea ſubdividens cùm res expoſtulabit. In ſecunda tractabo de juribus propriis Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, ea etiam dividens, ſi neceſſe fuerit. In tertia de juribus membrorum Capitulorum in particulari ſpectatorum, ſeu ut membra ſunt, ea etiam, ſi opus fuerit, ſubdividens.

Pars I.

De Juribus Capitulorum, in qua mentio fit de Juribus Communibus Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, & Eccleſiarum non Cathedralium.

REGULA I.

Nulla leguntur in Corpore Juris Canonici alia jura communia Capitulis, quàm ſequentia juxtà Jus Decretalium.

I. Poſſunt providere conjunctim cum ſuis Capitibus, Beneficiis ſuæ dependentiæ, niſi antiqua Conſuetudo aut aliquod Privilegium hoc reſervet Conductori ſuo, aut alicui alteri. *Cap. 6. De his quæ fiunt à Præl.* Cap. 4. *De Reſcrip. in 6.* Cap. *Omnes Baſilicæ. De Conſecr.* dat proviſionem omnium Beneficiorum Epiſcopo.

II. Possunt inconsulto Episcopo mutare Statuta sua & usus in rebus, quæ pertinent tantùm ad Capitula; non possunt autem in iis, quæ ad Episcopum spectant. *Cap. 9. De Consuetud. quemadmodum est in quinta Collectione.* Cap. 30. *de Elect.* Cap. 11. *De Renunt.* Hic Articulus tantùm verus est quoad bona temporalia, ut solutiones distributionum, locationum, &c. Præterea requiritur consensus Episcopi ad alienationes. Regula est, quòd Capitula possint statuere circa fructus & usus, non autem circa fundum sine consensu Episcopi.

III. Possunt per compromissum transmittere aliquibus personis suam potestatem eligendi, aut aliud simile faciendi.

IV. Literæ Capitulorum tanto in pretio habentur, ut illi, qui Beneficia possident, si has literas adulterent & corrumpant, debeant denuntiari, ut suspensi ab Officio suo & Beneficio, donec obtinuerint absolutionem à Sancta Sede. *Cap. 33. De Testib.*

V. Eorum Præpositus non potest facere alienationes rerum, quæ ad ipsa spectant sine eorumdem Capitulorum consensu. *Cap. 15. De Simon.*

VI. Decanus Capitulorum, cum maxima & sincerissima parte eorumdem Corporis, potest ordinare, ut quisque Canonicus conferat ad reparationem Ecclesiarum eorumdem Capitulorum, non obstante oppositione portionis eorum minoris. *Cap. ultimo. De his quæ fiunt à Majori Parte Capituli.*

VII. Dignitas Capitulorum facit, ut quandò aliqua instituuntur in gratiam Ecclesiarum, in quibus sunt Capitula, Capitula intelligantur per Verbum Ecclesiæ absolutæ sumptum. *Cap. 12. De Testam.* Cap. 19. *De Verbor. Signif.*

VIII. Licet Canonicis seorsim, non simul junctis, habere Ecclesias Parochiales. *Cap. 16. De Privileg.* Hic Canon loquitur procul dubio de Parochiis unitis Canonicatibus, aut qui ab eis aliquomodo pendent. In Gallia Canonici non possident Parochias unitas Canonicatibus, nisi tanquam Curati Primitivi; & tenentur in eis habere Vicarios perpetuos; præterea in Gallia opus habent Literis Patentibus.

IX. Possunt cum autoritate Episcopi augere aut minuere numerum Canonicatuum, ut eorum reditus augetur aut minuitur. *Cap. 8. 9. & 10. De Constit. & Glossa in* Verb. *Diminuti.* Cap. 25. *De Præb.*

X. Possunt statuere, modo faciant juxta Regulas justitiæ, servando æqualitatem inter homines æquales. *Cap. 6. De Constit.* Possunt statuere servata proportione præscripta. *Num. 2.*

XI. Possunt supprimere Personatum, aut aliquam Dignitatem, & reditum partiri illius inter Canonicos, & quamvis hæc suppressio sit postea confirmata à Sancta Sede, possunt eidem derogare, & revera faciunt, si quem eligant ad Personatum suppressum. *Cap. 8. De Constit.* Vide Cap. 4. *Tertia Collect. eod. Tit. Tit.* Hæc suppressio deber fieri ab Episcopo, consentiente Capitulo, Jussu Regis, & causa cognita, sine quo non staret. Idem dicendum est de restitutione Dignitatis suppressæ.

XII. Sex menses concessi sunt ad conferenda Beneficia suæ Collationis, qui non currunt, dum legitimè impediuntur; si verò post sex menses conferant, Collatio eorum vana est, nisi toleretur à Superiore, cui est devoluta. *Cap. 2. De Elect. in Collect. quinta* Cap. 3. & 4. *De Supplenda Negl. Prel.*

XIII. Ad eos pertinet corrigere Canonicos in locis, in quibus ille usus invaluit, si verò negligant eos emendare intra tempus definitum ad hoc ab Episcopo; hoc jus devolutum est Episcopo. *Cap. 13. De Offic. Judic. Ordinarii.* Hoc tantùm habet locum in Capitulis exemptis, & nulla est in Gallia immunitas nisi cum Titulo, Consuetudo non sufficeret.

Hic locus loquitur de Capitulis Cathedralium, extendo illum ad alia, quia cùm longè distent à conspectu Episcopi, magis conveniens est ut jus habeant correctionis in Canonicos. Possunt habere Jurisdictionem Contentiosam in Clericos addictos Officio eorum Ecclesiæ. *Cap. 13. De Foro Compet.*

XIV. Poterant ordinare cessationem Officiorum Divinorum propter causas manifestas & justas, & tunc Episcopus debebat servare hanc cessationem, aliter non debebat. Manifestum est, hunc locum loqui de Capitulis Cathedralium propter illa, quæ de Episcopo dicit; potest tamen ad alia extendi, quia cessatio à Divinis olim ad omnes Ecclesias pertinebat. Hic Articulus restringitur in Gallia ad Capitula, quæ habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Capitulum aut Thesaurarius Sanctæ Capellæ PARISIENSIS: *Cap. 8. de Offic. Ord. in 6.* CLEM. I. *De Excomm.* loquuntur de potestate faciendi cessare Officia Divina tanquam de re omnibus Capitulis Communi. Hæc pœna, qua ratione differt ab Interdicto majori, non habetur in usu à diuturno admodum tempore.

XV. Antequam comprobaverint pactiones à suo Præposito factas sine suo consensu, possunt eas infringendas mandare, atque pro irritis habere.

XVI. Possunt per Privilegium aut Consuetudinem, jus habere judicandi in materia criminali Clericos addictos servitio suo. Inde potest inferri quod Jure Communi id tantùm quoad Civile valeat. *Cap. 13. De For. Compet.* Hic Articulus supponit Exemptionem, quæ, ut dictum est, supponit Titulum.

XVII. Possunt Jurisdictionem habere in Laicos. *Cap. 13. De Testib. & Attest.* In Gallia nulla est Jurisdictio in Laicos, nisi in materia merè Spirituali; Capitulis non major gratia quàm Episcopis. *Artic. 2. Ordination. 1539.* Excipiendi sunt Mansionarii, qui licèt Laici, tamen Episcopo subjiciuntur pro negotiis Fabricæ temporalibus. *Cap. 3. De Transacti.*

XVIII. Decanus cujusdam Capituli potest esse omninò exemptus à Jurisdictione Episcopi, & aliquam habere in Ecclesiam & Sacerdotes, qui sunt ipsi subjecti, & potest ideò censuras ferre. *Cap. 55. De Appel.*

XIX. Capitula, in quibus numerus Canonicorum determinatus est, possunt rejicere aliquem provisum à Papa præter numerum, si per hujus literas mentio hujus numeri non habeatur.

Quod oritur ex eo, quod hæc omissio faciat illas Literas Pontificias subreptitias. *Concil.* TRID. Cap. 19. SESS. XXIV. hunc articulum irritum facit abolendo Mandata.

XX. Possunt imponere honesta munera Præbendis vacantibus. *Cap. 11. De Præb.* In Gallia non possunt alia constituere quam transitoria; præterea opere prætium est, ut ea collocentur ad bonum Ecclesiæ, non vero ad commodum privatorum. *Cap. 20. 25. 26. De Præb.*

XXI. Possunt concedere Præbendam duobus, postquam divisa fuerit, consentiente Episcopo; aliter id non possunt validè facere. *Cap. 20. 25. 26. De Præb.* Apud Gallos requiritur adhuc Regis licentia.

XXII. Possunt injussu Papæ derogare alicui Consuetudini, Statuto, quod definit numerum Canonicorum, quamvis à Papa confirmatum fuerit. *Cap. 9. 10. De Constitut.*

XXIII. Cùm multi impetrantes sese offerunt ad eumdem Canonicatum, & non apparet cujus sit jus potius, Capitula, ad quæ pertinet accipere Canonicos, liberè possunt eligere inter Competitores quem voluerint; posito tamen quod sint virtute pares & scientia, alio modo dignior foret anteponendus. *Cap. 14. De Rescript. in 6. §. Quod si.* Hic Articulus verus est usque ad primum judicium vindiciatum.

XXIV. Ubi jus optionis constitutum est à Consuetudine, aut aliquo alio titulo, antiquiores Canonici possunt sibi sumere Præbendas commodiores, si voluerint. *Cap. 4. De Consuet. in 6. Idem Ibidem.* Mandata Apostolica, quibus prima Præbenda vacans tribuitur Mandatario, non derogant huic Juri. *Idem ibid.* habent vinginti dies ad deliberandum.

Hic locus potest adhiberi tanquam ratio contra Indultarios, Mandatarios Regis, cùm non debeant esse

esse majori donati privilegio, quàm qui à Papa veniunt. *Idem. Ibid.* Hæc consideratio maximè solida est; & cùm Capitula obtinuerunt Literas Patentes, quibus confirmatur eorum optandi modus, Regalia ad eum non derogat, alio verò modo, secùs.

Est in hoc puncto exceptio quoad Præbendas vacantes in Curia, fundata in eo, quòd ipse Papa illas conferat; habet etiam locum quoad Regaliam, quæ cùm sit ipso optionis jure antiquior, ipsi subesse non debet. Juxta *Glossam* adhuc una est exceptio quantùm ad Præbendas vacantes in casu permutationis. *Glos.* Cap. *Cit. in Cas.*

XXV. Canonici possunt in Electionibus suum dare suffragium per Procuratorem: sed ad hoc par est, 1. Ut hic Procurator non sit alienus, nisi Capitulum consentiat: 2. Oportet ut si velit nominare aliquem illius nomine cujus est Procurator, & alterum suo proprio nomine, in Procuratione, persona, quam vult nominare loco absentis, ipsi sit determinata: 3. Si cum aliis Procurator constituatur, debet à Capitulo eligi, si alii sese cum illo præsentent, aut sese prior offerat. *Cap. 46. De Elect. in 6.* Hic Articulus erat verus quoad Electiones solemnes Episcoporum, non autem quoad Electiones aut Collationes aliarum Dignitatum & Canonicatuum: Judicatum illud fuit Senatusconsulto Parlamenti Parisiensis 20. *Julii* 1617. Mornac. *in L. 39. §. De adoptione.* Verus adhuc est quoad easdem Electiones Episcoporum in Regionibus, in quibus illæ adhuc sunt in usu; quemadmodum in Germania observatur quoque in Electione Superiorum Generalium Ordinum Regularium, aut Congregationum sive Regularium, sive Sæcularium; adhuc adhibetur in Electione Decanorum aliquarum Ecclesiarum.

XXVI. Cùm Rector Capituli aut Collegiatæ Ecclesiæ Jurisdictionem habet, eadem ipsi succedit in hoc puncto, dum vacat Dignitas; quemadmodum Capitulum Cathedralis Episcopo eodem in casu succedit, necnon & in eadem materia. *Cap. 11. De Majorit.*

XXVII. Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, qui nullam exercent Jurisdictionem, aut administrationem, nullumque recitant in Ecclesiis Officium, sed qui cùm habeant in Diœcesi Parochias suæ Dignitati addictas, possunt considerari Curas administrando, quasi si iisdem Ecclesiis servirent, posito tamen quod aliqua Consuetudine aut Statuto non priventur tertia parte reditùs, quem ex iis percipiunt. Sess. XXII. *Cap.* 3. Multa erant in Gallia Capitula, quorum Cantores similibus privilegiis frui se debere asserebant; declarata sunt abusiva; & statim atque Cura reperta est separata ab Ecclesia eorum Residentiæ & commorationis, omnia Senatusconsulta, quæ sunt innumera, sex menses ipsis concesserunt, & aliquando annum integrum, ut eligerent aut Curam, aut suam Dignitatem, cujus defectu declarabantur impetrabiles.

XXVIII. Dignitates aut Personatus possunt esse 1. Conservatores privilegiorum concessorum à Sancta Sede quibusdam personis. 2. Possunt deputari ab eadem Sancta Sede. *Cap. 15. De Judi. Deleg. in 6.* Cap. 11. *De Rescript. in 6.*

XXIX. Possunt habere signum & sigillum commune *Cap. 24. De Excess. Prœl.*

Pars II.

De Juribus Capitulorum, in qua mentio fit de Juribus peculiaribus Capitulis Cathedralium.

Materia hujus Secundæ Partis Jurium Capitulorum tàm ampla est, ut cogamur illam subdividere in multos Paragaphos.

§. I,

Continens Regulas Generales quoad Jura Capitulorum Cathedralium.

Regula I.

Jura nobiliora & generaliora Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium sunt, quòd multa non valeat Episcopus exequi sine eorum consensu, & alia quæ nequit sine cujusdam consilio agere.

Regula II.

Duo hujusmodi Jura differunt tantùm in duobus punctis.

I. In rebus, in quibus consensus Capituli necessarius est; quæ fiunt ab Episcopo sine hoc consensu, nulla sunt: In illis autem in quibus solùm indiget consilio Capituli, quæ facit absque hoc consilio, valida sunt, quamvis hæc sint illicita.

II. Canones, quibus Episcopus cogitur consilium exposcere Capituli, quibusdam in punctis, non observantur: Alii, quibus Episcopus tenetur consensum ejusdem habere quibusdam in casibus, partim adhuc habentur in usu.

Regula III.

Episcopus non deberet opus habere consensu Capituli, nisi in rebus, quas Episcopus cum eodem Capitulo in communi possidet; tales sunt plerumque illæ, quæ à Jurisdictione pendent; & consilium Capituli non deberet Episcopo sufficere, nisi in iis, quæ in proprio possidet; talia sunt illa quæ spectant ad ordinem.

Tertia Regula potest fundari in 29. *De Reg. Juris in 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*: Ex quo colligitur ex una parte, quòd in iis, quæ in communi possidentur, requiritur consensus illorum omnium, quorum hæc sunt; & ex altera, quòd in illis, quæ alicui peculiaria sunt, ejus sufficit consensio.

Regula IV.

Nulla alia sunt ab Episcopo facienda, in quibus consensus Capituli expressè requiratur à Canone, quàm hæc.

I. Si intendat vendere, dare, mutare, aut alienare quovis alio modo bona Ecclesiæ.

II. Si voluerit tribuere Religiosis reditus Parochiæ reservando Curato portionem congruam.

III. Si in animo habeat Prælatus dare in perpetuum Ecclesias Baptismales aut Parochias Monasterio, aut alicui alteri Ecclesiæ, quibus Jus Patronatus earumdem concessum est.

IV. Si detur Parochia, aut alia Ecclesia Diœcesis ut in Monasterium convertantur *Cap.* 2. 3. 7. 8. Cap. 1. *De his quæ fiunt à Prœl.* Cap. 2 *&* 7. *De Donat.* Cap. 9. *Eod. Tit.* Cap. 8. *Eodem. Tit.* Cap. 73. Caus. XII. Quæst. II.

Regula. Omnes casus in quibus Episcopus indiget consensu Capituli, ad unum reducuntur, scilicet ad illum, in quo de re agitur ad Capitulum, ut Capitulum, propiis contingente; qualis occurrit in eorum, quæ ad Mensam Capitularem spectant proximè vel remotè, alienatione, in Collatione Beneficiorum communi Capitulo & Episcopo, in Unione aut suppressione Beneficiorum Capituli.

Episcopus potest tamen erigere Parochias sumptibus Capitulorum, quæ sunt Summi Decimatores, sine eorum consensu; potest etiam sine eodem consensu, unire aliqua Beneficia eorum Collationis.

Ecclesia de qua loquitur Canon, vocatur *Parochiana*, ex quo verbo intelligere licet, unum ex duobus, quæ inserta sunt in Collectione, quæ ex eodem facta est; quia circa VI. sæculum, & etiam multa retrò posteriora sæcula, verbum *Parochia* significavit Diœcesim, necnon & Parochiam.

V. Si concederetur Religiosis tota & integra Ecclesia, consentiente Patrono, aut nova illius portio tribueretur. *Cap. 9. Eod. Tit.*

Hi quinque casus rediguntur ad alienationem: in iis requi-

requiritur consensus Capituli, non solùm ut reddatur alienatio difficilior, quia vergit in præjudicium & incommodum Ecclesiæ, sed etiam ut servetur Regula Juris, quæ docet illud debere aprobari ab iis, ad quos hoc pertinet; nam alienatio bonorum Episcopatus ad Capitulum spectat, aut directè, posito quòd Episcopus hæc bona possideat in communi cum Capitulo, aut indirectè, posito quod propria sint Episcopo, cùm faciat totum cum illo, & Corpus sit Episcopi, quemadmodum Episcopus est Rector Capituli. *Cap.* 4. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. 5. *Ibidem.*

VI. Si conferantur Beneficia, quorum Collatio pertinet ad Capitulum, necnon ad Episcopum. *Cap.* 13. *De Rescript. in* 6.

VII. Si quis instituatur, aut promoveatur ad Dignitates, aut deponatur ab iisdem Dignitatibus. *Cap.* 4. *De his quæ fiunt à Prælat.*

VIII. Si ferendæ sint censuræ in Sacerdotes. *Cap.* 1. *De Excess. Præl.*

IX. Si unienda sint Beneficia pauperibus Canonicatibus, aut aliqui Canonicatus supprimendi, & assignandus & distribuendus aliis eorum reditus. *Cap.* 15. §. 24. *De Refor.*

X. Si Episcopus velit assumere Coadjutorem. *Cap. unico. De Cler. Ægrot. in* 6. Cùm Electiones solemnes subsistebant, Coadjutor cum futura successione non poterat aliter dari. Episcopi præscripserunt contra Capitulum suum in omnibus, in quibus requirebatur hujus Consilium.

Consensus Capituli non sanè necessarius est in Gallia ad deponendum a Dignitatibus, aut censuris notandum Sacerdotes, si aliundè Episcopus illis litem inferendam jusserit, & hanc pati pœnam mereantur.

REGULA V.

Non videntur in Canone alii Casus, in quibus Episcopus debeat consilium exposcere à Capitulo, præter illos.

I. Si agatur de Collatione Beneficiorum, quæ propria est Episcopo, qualis est illa, quæ spectat ad Beneficia, quæ sunt extra Cathedralem. *Cap. unico. Ne Sede Vacante. in* 6.

II. Si necesse sit, ut confirmentur Electiones. *Cap.* 5. *De his quæ fiunt à Præl.*

III. Si de aliis rebus magni momenti agatur. *Idem.* Hic casus videtur esse in *Cap.* 6. Sess. XXV. in quo licentiam habet Episcopus convocandi Capitulum propter Ecclesiæ negotia.

IV. Si statuendum sit. *Ibidem.*

V. Si corrigendi sunt abusus, aut homines. Hic casus ut & VI. & VII. possunt fundari in *Cap.* 6. Sess. XXV. in quo legitur duos Canonicos eligendos esse, qui sint Assessores Episcopi in judiciis contra Canonicos. *Cap* 3. *De Consuet. in* 6.

VI. Si aliquis puniendus sit. *Eadem.*

Hi sex Articuli expressè colliguntur è *Cap.* 5. *De his quæ fiunt à Præl.*

VII. Si Sacerdotes censuris sint percutiendi. *Cap.* 1. *De Excess. Præl.*

VIII. Si qui sint ad Dignitates promovendi, aut aliqui in Dignitate constituti destituendi. *Cap.* 4. *De his quæ fiunt à Præl.*

IX. Si providendum sit Theologalis cultui, seu sustentationi.

X. Si eligendus sit Præceptor, qui debeat Pauperes Grammaticam docere. Cùm Præbenda assignata est victui & vestitui alicujus Pædagogi, eligitur per Episcopum & per Capitulum consiliis vocatis; aliter solus Episcopus illa re sese implicat. *Cap.* 1. §. 5. *De Ref. Ead.*

XI. Si necessitas cogat applicare ad quædam opera, quod destinabatur ad alia: In hoc casu Episcopus tenetur tantum petere Consilium à duobus Capituli. Colloco pro notionem ad Dignitatem & depositionem eorumdem honorum sub duabus Regulis; quia Decretalis, in qua nitor, mentionem facit solùm de consilio in Compilatione GREGORII IX. & mentionem ad huc facit de consensu, quemadmodum extat in prima antiquarum Collectionum.

Hac de re animadvertendum est, quod quemadmodum hæc Decretalis in utroque loco, irritam declarat depositionem Dignitatis, factam absque consortio Capituli, inferri potest, illam non solùm consilium requirere, sed etiam consensum: nam consilium ideò capitur, ut aliquid rectiùs agatur; itaque valet, quamvis consilium assumere omissum sit, nisi irritetur illud à Canone, cùm factum est absque consilio requisito; consensus verò hominum exposcitur, ut plena habeatur illud faciendi potestas, atque ideò valere non potest absque assensu, si quando requiritur.

Ut Verbum, *Judicium*, potest significare consilium aut consensionem, pono sub utroque VII. Articulum.

Canones, quibus cogitur Episcopus a Capitulo consilium petere in casibus, quos modo collegi, non amplius observantur; quod oritur ex eo, quòd Consuetudine contraria valuerint aboleri. *Cap.* 3. *De Consuet. in* 6. agnoscit hanc Consuetudinis potentiam, & docet adhuc illam abrogasse Canones, quibus tenetur Episcopus consilium a Capitulo exposcere, ut inquirat, puniat, emendet. *Concilium* TRIDENT. videtur voluisse in loco citato nonnullos restituere, sed eadem Consuetudo hoc consilium inutile fecit.

Cap. 5. *De his quæ fiunt.* ostendit quòd, in omnibus casibus, in quibus Episcopus capere consilium à suo Capitulo compellitur, sufficit ut illud à sincerissima parte assumat.

Quamvis plerique Canones collecti sub hoc §. abrogati sint, eorum notitia non est inutilis, non solùm ad Historiam, sed etiam ad praxim; quia locus est credendi exemptionem Capitulorum causam esse hujus abrogationis; ex quo colligitur, majus malum, quàm bonum exùnde exortum fuisse; nam jura, quæ ipsis acquisivit, nihil sunt præ illis, in quorum jacturam ipsa induxit.

Ex eadem Collectione adhuc intelligitur, quanto in pretio haberentur Capitula Cathedralium; quod demonstrat etiam Regula asserens, quòd in rebus odiosis Ecclesia Cathedralis non comprehendatur sub expressione generali Ecclesiarum Urbis. *Cap.* 4. *De Præbend. in* 6.

§. II.

Continens Regulas particulares quoad Jura propria Capitulis Cathedralium.

REGULA I.

Nulla depromuntur è Corpore Juris alia Jura propria Capitulis Cathedralium, præter hæc.

I. Quod ad illa pertineat Episcopum eligere. Sed nunc fruuntur tantùm hoc Jure in Germania. *Passim in Tit. De Elect.*

II Possunt comparare Consuetudine legitimè præscripta jus eligendi Canonicos injussu Episcopi; quamvis hæc Electio ad Episcopos spectet, ut & ad Capitula. *Cap.* 3. *De Elect.* Cap. *Dilecto. De Supl. Negl. Præl.* Cap. 2. *De Conc. Præb.* Cap. 15. *Eodem Tit.*

III. Episcopi non possunt facere alienationes gravis momenti sine eorumdem consensu expresso aut tacito, anteriori aut posteriori.

Dico res gravis momenti, quia possunt alienare res parvas sine hoc consensu. *Cap.* 1. 2. 3. 7. 8. 9. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. 3. *De Exempt.* Cap. 2. & 7. *De Donationib.* Cap. 6. *De Institutionibus.* Cap. 12. QUÆST. II. Cap. *Terrulas.*

Dico sine consensu expresso aut tacito, quia sufficit ut Capitula cognoscentia alienationes factas ab Episcopis, sileant. *Cap.* 2. *De his quæ fiunt à Prælatis.*

Dico sine consensu anteriori aut posteriori, quia alienatio valet, modo Capitulum consentiat eidem, postquam facta est. *Cap.* 3. *Ead. Tit.* Cap. 7. *De Donationibus.*

Exceptio

Exceptio est in hoc puncto, nempè si agatur de alienatione boni Ecclesiastici à Laico possessi, qui renuit illud dare alteri Ecclesiæ, quàm cui idem pertinet; nam in hoc casu consensio Episcopi sufficit, ut reditus illius boni ad Ecclesiam faciliùs transeat. *Cap. 7. eod. Tit.*

IV. Episcopi non debent instituere aut destituere personas in Dignitate constitutas, aut alias res gravis momenti facere sine consilio & approbatione sui Capituli; quòd si agant, Sanctos Canones violant, & quæ faciunt irritantur.

V. Mittunt Deputatos ad Concilia Provincialia. *Cap. 4. & 5. eod. Tit.* quemadmodum extant in prima Collectione. Hoc deberet esse; tamen in nostris ultimis Conciliis Provincialibus nulli videntur; fortasse illis aderant & non hoc fuit expressum in actis; hujusce fit mentio expressa in Actis *Concilii* RHEMENSIS *ann.* 1564. Cap. 10. *& ultim. eod. Tit.* Cap. 2. *De his quæ fiunt à Par. majori &c.*

VI. Potuerunt ferre censuras, & nonnulli ex eorum Corpore id quoque valuerunt unanimi omnium consensu; aliter nullo modo potuerunt. Hoc verum est, si habeant Jurisdictionem.

Hoc jus approprio Capitulis Cathedralium, quia Caput, in quo fundatur, loquitur de Capitulis, in quæ Episcopus intrat tanquam Canonicus, & quia hic honor, quo habent Episcopum ut corporis membrum non convenit aliis Capitulis. *Cap. 15. De Conc. Præb.* Loquitur de Capitulis, quæ Episcopus adit tanquam Canonicus. *Cap. 11. De Appell. in 6.* idem agit *Cap. 16. De Priv.*

VII. Institutio ad Beneficia Patronatus pertinet ad Capitula, Sede vacante. In Gallia Patronus præsentat Regi; excipe quod spectat ad Curas simplices.

VIII Si Episcopus eligat contra formam Capituli, *Cùm in cunctis*, jus eligendi devolutum est Capitulis. *Cap. 7. De Elect.* Hic Articulus non verus est in Gallia, certum autem est, quòd ab Episcopo non fit devolutio ad Capitulum, sed ad Archiepiscopum; hoc reperitur in omnibus nostris Diœcesibus. Jus devolutum consideratum est tanquam jus superioritatis, quia est constitutum in pœnam negligentiæ eorum, qui in tempore præscripto non conferunt; aut malitiæ & imprudentiæ, in providendo homine indigno.

Canon tribuens jus devolutum Capitulo, si quando Episcopus Officio suo deerat in provisione Beneficiorum, illud reputavit, quasi jus Societatis, ex eo, quòd Capitulum & Episcopus unum & idem sint Corpus, cujus Episcopus Caput est & Capitulum membra, & quemadmodum Caput supplet membrorum defectui, ita pariter membra supplere debent Capitis defectui.

Quod debet restringi ad casum, in quo Capitula nullam partem habuerunt Electioni nullæ & irritæ ab Episcopo factæ.

IX Capitula Cathedralium succedunt Jurisdictioni Episcopi, cùm Sedes vacat, in rebus etiam ad Hæreticos pertinentibus, & quoad illa, quæ sunt immunia, & contra quæ Episcopus procedere non valet, nisi tanquam Delegatus à S. Sede. *Cap. 9. De Hæret.*

X. Pertinet ad Capitula Cathedralium, aut Metropolitanarum vacantium, confirmare Electiones, quas Episcopi earumdem approbarent, si Sedes repleretur. *Cap. 14. De Major. & Obed.*

XI. Episcopus non poterat ferire Sacerdotes censuris, neque eorum Ecclesiam interdicere sine judicio Capituli; quod possunt interpretari de consilio aut consensu. *Cap. 1. De Excess. Prel.*

XII. Capitula succedunt Jurisdictioni Episcopi, dùm Sedes vacat, in omnibus quæ non prohibentur ipsis, excepta Collatione Beneficiorum, quæ deberet illis expresse permitti, ut loco Episcopi conferre valerent. Ratio exceptionis est, quòd hæc Collatio sit unus è fructibus, qui possunt reservari Episcopo, & quòd hi omnes fructus ipsi conservari debeant. Cum hac distinctione conciliantur Canones, qui hac de re videntur contrarii. *Cap. His quæ.* Cap. *Cùm olim. De Majorit.* Cap. 2. *Ne Sede Vacante.* Cap. 16. *De Priv.*

XIII. Cùm Episcopus mortuus est aut suspensus, Capitulum potest conferre Beneficia, quæ conferret conjunctim cum illo, nisi mortuus aut suspensus foret; necnon & illa, quæ debebat conferre unà cum suo consilio. *Cap. unico. Ne Sede Vacante in 6.*

XIV. Requirebatur in Gratiis Expectativis, quoad Canonicatus, consensus Capitulorum, quemadmodum & Episcoporum, quia receptio Canonicorum conjunctim spectat ad utrosque. Requiritur adhuc hodiè in eadem circumstantia, ut perficiatur Indultum Dominorum Curiæ PARISIENSIS, & pro Diplomatibus jurisjurandi fidelitatis aut læti adventus. *Cap. 13. De Rescript. in 6.*

XV. Episcopus olim coactus est consilium petere à suo Capitulo, cùm agebatur de informatione, punitione, aut correctione. Nisi ampliùs ad id teneatur, hoc oritur à Consuetudine legitimè præscripta, aut ab aliquo alio simili titulo, si liberetur ab hac obligatione. *Cap. 3. De Consuet. in 6.*

XVI. In genere Collationis supplere possunt Episcopi negligentiam. CLEM. V. *De Præb.* Suprà dictum est negativè, nisi Episcopus & Capitulum essent Collatores Communes; nam tunc, uno inhabili facto, aut negligente, alter confert. Capitulum administrabat Ecclesiam vacantem per se, sine Magno Vicario. *Cap. 13. De Sponsalib.*

XVII. Dùm Sedes vacat, absolutio ab Excommunicatione, sive à jure, sive ab homine, spectat ad Capitulum: Quemadmodum hæc censura omnium major est, ex hoc inferri potest, quòd Capitulum hoc in eodem casu tantam habeat potestatem quoad aliorum absolutionem.

XVIII. Administratio Cathedralium, tàm in Temporali, quàm in Spirituali, pertinet ad Capitula, cùm Episcopus, aut defunctus, aut captivus est. *Cap. 3. De Suppl. Negl. in 6.*

Temporale ad Regem spectat. Si quis Episcopus apprehensus fuisset à Germanis aut ab aliis Christianis, Capitulum hoc jure non frueretur: Textus Juris veram designat servitutem inter infideles. In primo casu Ministri Episcopi continuarentur in suis muneribus, aut Episcopus haberet licentiam aliquos instituendi. Schismatici, de quibus loquitur adhuc Textus citatus in hoc Articulo possunt non esse infideles.

XIX. Eadem possunt dare Coadjutorem Episcopo suo, mente capto & dementi.

XX. Episcopus non potest absque eorum approbatione Coadjutorem sumere.

XIX. & XX. neutrum est in usu ab extinctione Electionum, in Regionibus in quibus extinctæ fuerunt. *Cap. unic. De Cleri. Ægrot. in 6. Idem.*

XXI. Eorum Canonici possunt à Sancta Sede delegari, quamvis non valeant esse Conservatores privilegiorum ab eadem Sancta Sede concessorum. *Cap. 11. De Rescript. in 6.* Cap. 15. *De Leg. in 6.*

XXII. Nulla potest illis inconsultis accommodatio fieri quoad jus Primatiæ. *Cap. 17. De Major.*

XXIII. Pacta Episcopi olim ad Capitulum suum pertinebant. *Cap. 15. De Testam. §. Secùs.*

XXIV. Episcopus debet cum consilio Capituli eligere Præceptorem qui docere debeat Grammaticam pauperes. *Cap. 1.* Sess. V. *De Ref.* Suprà de illo mentio facta est.

XXV. Episcopus debet consulto Capitulo providere cultui & victui Theologalis. Idem 25. Ordinationes ad id providerunt.

XXVI. Cùm funda alicui operi destinata non possunt ad id applicari ob justas rationes, Episcopus potest cum consilio duorum de Capitulo, quos ipse eliget, ea ad aliud applicare. *Cap. 8.* Sess. XXV. Hic casus non est in usu.

XXVII. Indulgentiæ, quæ promulgari debebant à Mendicantibus, debent examinari ab Episcopis, comitantibus ipsos duobus de Capitulo. *Cap. 9.* Sess. XXI. Hic casus non est in usu, neque duo sequentes.

XXVIII. Episcopus debet sumere duos adjunctos Capituli in illis, quæ spectant ad erectionem, fundationem, aut assignationem reditûs necessarii ad sustentationem Seminarii, aut si accipiat rationes collocationis hujus reditûs. *Cap.* 18. SESS. XXIII.

XXIX. Episcopus non potest procedere ad correctionem Canonicorum Exemptorum sine consensu unius è duobus Cannnicis, quos Capitulum debet eligere, ut sint adjuncti Episcopi in hoc litigio. *Cap.* 6. SESS. XXV.

XXX. Si quis eotum, quos Concilium Provinciale aut Synodus Diœcesana eligit, ut committatur in negotiis, quæ debent tractari in partibus super loca, moriatur, Episcopus alterum debet subrogare, consulto Capitulo usque ad primum Concilium Provinciale aut Synodum Diœcesanam. *Cap.* 10. SESS. XV.

REGULA II.

Jus exprimit tantùm casus sequentes in quibus administratio Cathedralium pertinet ad Capitula illatum Ecclesiarum.

I. Cùm Episcopus fato functus est. *Cap.* 9. *De Hæret.* Cap. 3. *De Suppl. Negl. Præl. in* 6.

II. Quando est suspensus. *Cap. unic. Ne Sede. in* 6.

III. Quando est captivus. *Cap.* 3. *De Sup. Negl. in* 6.

IV. Cum incidit in dementiam. *Cap. unic. De Cler. Ægrot. in* 6.

§. III.

Continens Exceptiones Regulæ quoad Jura propria Capitulorum Cathedralium.

EXCEPTIO I. Episcopus potest alienare sine consensu Capituli.

I. Si de re levi agatur. *Cap. Terrulas.* CAUS. XII. QUÆST. II.

II. Si ipsi Papa hanc facultatem concesserit, posito tamen quòd hæc licentia data fuerit cum cognitione causæ. *Cap.* 9. *De his quæ fiunt à Præl.*

III. Si agatur de operibus piis, in quorum gratiam potest tribuere usque quinquagesimam partem bonorum suæ Ecclesiæ. *Ibid.* Quod secundus & tertius Articulus continent, hodiè fieri non potest injussu Regis, tanquam Protectoris bonorum Galliæ Ecclesiarum.

IV. Si agatur de recuperatione boni Ecclesiastici à Laïco possessi, qui negat illud restituere; nisi ea lege ut detur alteri Ecclesiæ, ad quam illud non pertinet. *Cap.* 7. *Eod. Tit.*

EXCEPTIO II. Capitula non omnia succedunt Jurisdictioni Episcopi, dùm Sedes vacat. *Cap.* 3. *De Tempor. Ord. in* 6. Cap. 10. SESS. XXIII. *De Reform.*

§. IV.

Continens Jura certa Capitulorum Cathedralium dum Sedes vacat:

Jura hîc certa appello, quæ clarè exprimuntur in Jure.

REGULA I.

Inter jura attributa Capitulis, Sede vacante, recensentur tantùm sequentia, quæ clarè in Jure exprimuntur.

Sunt qui credant Capitulum, Sede vacanre, nihil posse quàm quod Vicarius Generalis valet exequi pro sua Commissione generali: Hæc Regula videtur falsa; nam Capitulum potest concedere dimissorias arctatis & aliis saltem post quoddam definitum tempus; Vicarius Generalis opus habet speciali ad hoc porestate.

I. In Jure exponitur Electio Episcoporum. *Tota Tit. De Elect.*

II. Confirmatio & Cassatio Electionum. *Cap.* 14. *De Majorit.* supponit Capitulum, Sede vacante, Jus habere exercendi Jurisdictionem Necessariam.

III. Institutio & Promotio ad Beneficia, & hoc sine distinctinne casuum, in quibus Gratificatio locum habet inter alios. *Cap.* 1. *De Instit. in* 6. Regalis causa fuit, cur amissa fuerint tria prima ex istis juribus, & fermè etiam quintum in Gallia.

IV. Jurisdictio etiam contra Hæreticos, licet exemptos. *Cap.* 9. *De Hæret.*

V. Collatio Beneficiorum, quæ conjunctim cum Episcopo ante conferebant, quùm Sedes vacaret. *Cap. unica. Ne Sede Vacante. in* 6.

Aliorum verò Beneficiorum Collatio reservatur Successori, quasi fructus ipsi peculiaris & proprius, necoon & alia, quæ possunt conservari, commoda.

VI. Possuot ferre censuras etiam Majores. *Cap.* 11. *De Majorit.*

VII. Absolutio ab Excommunicatione ad ipsa pertinet. *Cap. unic. De Majorit. in* 6.

VIII. Valent concedere dimissorias, post, & per annum, urgentibus & opus habentibus; per quos intelligendi sunt illi, qui Beneficio suo ita tenentur promoveri ad quosdam Ordines, ut sine iisdem Ordinibus, præcipuas ejusdem Beneficii functiones facere non valeant. Canonici, qui per suos Canonicatus aut esse Sacerdotes coguntur, aut Diaconi aut Subdiaconi, sunt in numero opus habentium computandi, de quibus loquitur *Concil.* TRIDENT. VII. Sunt in Gallia Capitula, *Verbi gratia*, AUGUSTODUNENSE, quæ etiam post Concilium se continuarunt, & adhuc stant, ut dent dimissorias ad Ordines etiam non arctatis primo anno. Concilium non est Lex Universalis pro omoibus Regni Ecclesiis.

IX. Licentiam habent nominandi Oeconomum propter bona Episcopatûs, cùm habent administrationem illorum bonorum. *Cap.* 16. SESS. XXIV. Regalis causa fuit, cur Capitula Galliæ amiserint Œconomatum temporalis Episcopatuum. Ante *Concilium* TRIDENTINUM Capitula regebant Ecclesias vacantes per Magnos Vicarios. *Concil* TOLET. 1347. Cap. 3.

X. Eligere valent Magnum Vicarium & Officialem. *Eadem* SESS. XXIV.

XI. Accipere demissionem Beneficiorum incompatibilum.

Inter illos casus collectos, cùm sint multi spectantes ad Jurisdictionem Voluntariam, errat qui dicit, Capitulum non posse exercere hanc Jurisdictionem. EXTRAVAG. *Unic. De Præb.* JOANNIS XXII.

REGULA II.

Sedes Episcopalis pluties vacat, quin Episcopus moriatur; & illud evenit, quoties haberi potest ut mortuus quoad suæ Administrationem Ecclesiæ.

Prima Pars expressè inseritur *in Cap. unic. Ne Sede Vacante. in* 6. in quo BONIFACIUS VIII. ponit suspensionem Episcopi in eodem ordine ac mortem, habita ratione Sedis vacantis.

Secunda depromitur ex *eodem Capite*; nam si Sedes vacet cùm Episcopus est suspensus, hoc oritur ex eo, quòd suspensione efficitur quasi mortuus quoad Administrationem suæ Ecclesiæ. Par est igitur, ot in aliis casibus, in quibus haberi potest velut mortuus qoantùm ad suam Ecclesiam, Sedes censeatur vacans. *Cap.* 1. *De Supplen. Neglig. in* 6. ad rem etiam spectat. Secunda Regula noo potest tradi ut certa. FAGNANUS *in Cap. Quia Diversitatem De Concess. Præbend.* probat in hoc casu recurrendum esse ad Papam; hoc ego sic existimo, & in casu necessitatis urgentis, ad Metropolitanum, quia tunc impedimentum non veretur perpetuum, sicut reputatur in servitute apud Barbaros: Opponi potest hanc contra rationem impedimentum suspensionis non esse perpetuum, & tamen BONIFACIUM VIII illud collocare in ordine mortis, quæ est plus quàm impedimentum perpetuum.

Nullus porest objicere *Caput citatum* loqui solùm de casu particulari, & ex eo casu non posse colligi consequentiam generalem; oam certo constat, quod in hoc Capite agitur tantùm de Collatione Beneficio-

rum

rum, quæ Episcopus confert conjunctim cum Capitulo, & in eo dicatur solùm, si Episcopus suspensus fit à Collatione Beneficiorum, Capitulum posse per hanc suspensionem hæc Beneficia conferre; sed illud non impedit, quin ex eo possit inferri suspensionem facere Sedem quasi vacantem quoad Capitulum; nam quare suspensio Collationis Beneficiorum reddit Sedem vacantem, quoad illam, quæ spectat conjunctim ad Episcopum & ad Capitulum; & quare suspensio totalis vacantem eamdem non reddet, quoad alias functiones, quibus Capitulum succedit Episcopo? Minusne valet suspensio totalis quoad totum quàm partialis quantùm ad partem? Præterea si, quia suspensus Episcopus est à Collatione Beneficiorum, Capitulum possit illa conferre, quæ conferebat conjunctim cum Episcopo, id oritur ex eo quod Episcopus suspensus est quasi mortuus quoad functionem, à qua est suspensus, quòd cùm ita sit, par est, ut Episcopus suspensus ab omnibus suis functionibus censeatur & reputetur ut mortuus, quoad omnes & singulas, atque ita, qui ipsi succedit in casu suspeusionis partialis, ipsi etiam succedat in casu suspensionis totalis.

Non potest objici. *Cap. 9. De Tempor. Ordin. in 6.* in quo Episcopus, cùm sit suspensus à Collatione Ordinum, Capitulum non illi succedit in potestate concedendi dimissorias; nam id fit, ex eo quòd jus permittat in hoc casu Ordinandis, ut ab Episcopis vicinis ordines accipiant sine dimissoriis; & hoc fit, ut pœna Episcopi suspensi suæ culpæ sit proportionata, & quemadmodum ordinavit Diœcesanos alterius absque illius licentia, ita pariter alii etiam ordinent, qui pertinent ad illum sine ipsius facultate, & sine potestate etiam ipsorum, qui exercent ejus Jurisdictionem.

Aliquis posset quærere an Bonif. VIII. in *Cap.* 10. *Nec Sede Vacante. in 6.* introduxerit Jus Novum, & meritò posset, ex eo quod in *Cap. 5. De Concess. Preb.* Capitulum non succedit Episcopo suspenso à Collatione Beneficiorum. Ad quod respondendum est, nihil videri in hoc Capitulo quod significet illud, quod statuit esse novum; nihil posse dare locum credendi contrarium, præter contradictionem apparentem, quæ est inter hoc *Caput* & *Caput* 5. *De Concess. Preb.* Sed si conferantur hæc duo loca, convincemur, illa nullo modo esse contraria; casus de quibus loquuntur, esse diversos. In *Cap. De Concess. Prebend.* mentio fit de Collatione Beneficiorum, quæ pertinet ad solum Episcopum, & in eo dicitur quòd, cum Episcopus est suspensus à Collatione Beneficiorum, Capitulum non potest conferre. In 2. *Capite* mentio fit de Collatione, quæ spectat ad Episcopum & ad Capitulum, & in eo dicitur, quòd, dum Episcopus suspenditur à Collatione Beneficiorum, Capitulum valet conferre Beneficia, quæ pendent à Collatione Episcopi & Capituli. Quòd si, cum Episcopus suspenditur à Collatione Beneficiorum, quæ ipsi peculiaris est, Capitulum non conferat hæc Beneficia, illud oritur inquit Honorius III. *Cap. 2. Ne Sede vacante*, quia nullo Canone expressè permittitur Capitulo Episcopi munere fungi in genere Collationis, Episcopo propriæ, licèt Sedes vacet; unde fit, ut quamvis Capitulum non possit conferre Beneficia pendentia à sola Collatione Episcopi suspensi, possit tamen exercere ejusdem Jurisdictionem in aliis punctis per eamdem suspensionem. Adde quòd si Capitulum Jurisdictionem non habeat Episcopi suspensi, nullus potest eam exercere; nam I. Cùm Episcopus sit suspensus, Magnus ejus Vicarius quoque suspensus est: II. *Cap. 1. De Supplend. Negl. Prel. in 6.* declarat, quòd in hoc casu Jurisdictio ad Metropolitanum non transeat; ex quo sequitur, quod neque ad Primatem, neque ad Papam transmittatur, quia devolutum non habens locum in Metropolitano Superiori immediato, longè minùs par est, ut fiat devolutio ad Superiores remotos. Gonzalez in *Cap.* 5. *De Concess. Preb.* penitùs aufert prædictam contradictionem, ostendendo suspensionem, de qua hic Textus, esse suspensionem facti, provenientem ex exilio Episcopi, quo impediebatur uti juribus suis, etiam spiritualibus, ideoque per illam nulla fiebat devolutio.

§. V.

Continens necessaria ad intelligentiam eorum, quæ Jura dubia Capitulorum Cathedralium, Sede Vacante, reddunt.

REGULA I.

Inter jura attributa Capitulis Cathedralium, nonnulla quoad Sedem Vacantem iisdem non arrogantur, imò disputantur.

Talia sunt I. An succedant Jurisdictioni, quam habent Episcopi, tanquam Delegati à Sancta Sede: Quemadmodum prætendunt Galli & asserunt, Episcopos uti sua potestate ordinaria in casibus, in quibus Concilium exoptat, ut procedant tanquam Delegati? Existimamus ipsis Capitula succedere.

II. An valeant accipere permutationes & resignationes simplices. Suprà negatum est.

III. An possint Visitationem facere, concedere Beneficia, dare in Commendam, tribuere indulgentias, absolvere à Censuris. Dubium est quoad indulgentias; non verò quoad censuras.

Agitur unum, ut sciamus quare hæc Jura disceptentur; in quo notandum est. 1. Omnes convenire, quòd Sede Vacante Capitula succedant Jurisdictioni Ordinariæ Episcoporum. 2. Quod post ipsos sint præfecti in rebus necessariis, *id est*, illis, quæ non possunt differri absque præjudicio tertiæ Partis, aut Ecclesiæ.

Quod de primo nulla controversia habeatur propter *Capita* 11. *His quæ.* & 14. *Cùm olim de Major*; sed præsertim ob *Capita* 10. Sess. VII. Cap. 10. Sess. XXIII. Cap. 16. Sess. XXIV.

Quod de secundo quisque conveniat ratione locorum Capitulis tribuentium Confirmationem Electionum, & ad Beneficia promotionem: Hæ res necessariæ. Citati Textus in loco, in quo collecta sunt Jura Capitulorum Cathedralium.

4. Quod apud omnes constat, in iis, quæ non sunt necessaria, Capitula non succedere, cùm fundentur in *Cap. 3. Ne Sede Vacante*, & Cap. unic. *Eodem Tit. in 6.* in quo Collatio Beneficiorum, spectans ad Episcopos, reservatur eorum Successoribus, cùm vacant, Sede Vacante. Animadvertendum adhuc est, Jurisdictionem, quam habent Episcopi tanquam Deputati à Sancta Sede, aut esse Dignitati Episcopali addictam, aut commissione particulari traditam; & hanc haberi posse ut Ordinariam, cùm omnes Episcopi pro sua Dignitate illam possideant. Tandem annotandum est, quod in punctis secundi & tertii numeri quædam accedat necessitas, quædam gratia; *Verbi gratia* in permutatione existit necessitas, in eo quod Beneficia solùm tribuantur compermutantibus: Est gratia, in eo quòd solvantur compermutantes à loco, in quo alligantur Ecclesiis, quas derelinquunt. Est aliquando necessitas in simplici resignatione tùm ex parte recipientis, cùm ex parte resignantis, in eadem reperitur & gratia; nam per hoc resignans levatur. *Cap. 5. De Concess. Preb.* non adversatur *Capit. 1. Ne Sede Vacante in 6.* quia loquitur de Collatione Beneficiorum Episcopo peculiari, illud autem differit de Collatione Beneficiorum communi & Episcopo & Capitulo, quòd Visitatio sit generalis aut particularis, & sunt casus, in quibus hæc non possit differri sine præjudicio locorum, in quibus debet fieri.

Quod Commenda fiat, aut ad totam hominis vitam, aut solùm ad aliquot menses, & hæc sit aliquando necessaria, Sede Vacante: Commendæ temporales non agnoscuntur in Gallia, quia in eadem Regione,

gione, præventione irritantur; quòd nonnulli etiam casus eveniant, in quibus est necessaria indulgentiarum concessio, & absolutio à censuris; & nonnulli sint, in quibus utrumque horum non sit necessarium. Semper operæ pretium est, ut ad pœnitentiam & absolutionem pœnitens humiliatus admittatur: Itaque nulli Autores in dubium revocarunt, quin Vicarius Capituli possit à censuris absolvere. Aliqui videntur in compilatione insignium Tractatuum Juris Canonici & Civilis facta jussu GREGOR. III.

His ita annotatis facilè intelligitur, quòd si jura, de quibus mox disseruimus, in controversiam vocentur, illud oritur ex eo, quòd alii ea non considerent per eandem faciem; sed alii per unam, alii per alteram: *Verbi gratia*, qui negant Capitula succedere Jurisdictioni, quam Episcopi habent tanquam Delegati à Sancta Sede, eam respiciunt, ut Delegata est, & confundunt illam cum ea, quam habent per commissiones particulares; alii sentientes contrarium considerant hanc Jurisdictionem eo modo quo addicta est Dignitati Episcopali: Quoad alia jura, quædam Capitulis disputantur à quibusdam, quia ea reputant ut continentia aliquam gratiam, aut habentia aliquid, quod potest differri: Qui eadem ipsis arrogant, ea considerant ratione eorum, quæ habent necessaria, & quæ non debent in longum protrahi.

Omittendum non est observare, quòd, si Capitula in locum Episcoporum sufficiantur quibusdam in rebus, id fit, quia eas possident, aut possidebant olim in communi; quod legitur in *Cap. unico. Ne Sede Vacante. in 6.*

Ad hæc jura dubia Capitulorum (*Sede Vacante*) potest adjungi jus conferendi Parochias Collationis Episcopi: Hoc jus factum est certum per usum, quod videtur aptissimum ex observationibus sequentibus.

Hoc jus dubium efficitur ex eo, quòd ex una parte *Cap. 35. De Præb. in 6.* statuit, Curas, quæ vacabunt in Curia, Sancta Sede vacante, ab Ordinario tradendas esse, nonobstante Reservatione Beneficiorum vacantium in Curia, quæ illud ordinat, quia longa vacatio Parochiis nocet: *Ne diutina illarum Ecclesiarum vacatio animabus periculum valeat afferre*; & quia eadem ratio locum habet erga easdem Curas, cùm vacant, Episcopali Sede vacante, & quod aliunde omnia non sint æqualia; nam in casu *Capitis citati* agitur de jure Reservationis quod est odiosum, & in hoc de jure ordinario, commodo, & opportuno; præterea provideri potest animarum saluti, si dentur Curæ in Commendam, donec Sedes repleatur, ut observatur in locis, in quibus Parochiæ dantur in concursu, juxtà ordinem præscriptum à *Cap.* 18. SESS. XXIV. *De Reform.* Prima ratio aliis est anteponenda, sive quia Commenda temporali exponuntur Beneficia præventioni Papæ, quod adversatur proposito ea conservandi Ordinario; sive quia bonum animarum præponendum est conservationi Collationis in gratiam Ordinarii.

Quoad jura Capitulorum, Sede vacante, quædam est præclara Quæstio examinanda; nempe an certò constet, Illa nihil aliud valere, nisi quod expresè ipsis à Jure permittitur. HONORIUS III. occasionem præbet huic Quæstioni, quæ est in *Capite* 2. *Ne Sede Vacante &c.* in quo decidit, quòd, Sede Vacante, Capitulum non possit conferre Prabendas Collationis Episcopi, super hoc fundamentum, quod in Jure non exprimatur in hoc puncto & casu Capitulum facere functionem Episcopi.

Hac de Quæstione validæ rationes redduntur pro & contra: Omnes & singulæ mox exponentur, ut quisque per se judicare valeat, quid de hac Quæstione cogitare debeat.

Hæc Quæstio à prima fronte videtur inutilis; nam dicere potest aliquis, quid proderit decisio HONORII III. nonne subruitur ad fundamenta, cùm asseritur, à Capitulo fieri hæc posse, quæ non expresè permittuntur eidem? Nonne illa nutat, cum illis, in quibus fundatur? Si quæ prætenduntur, inveniantur vera? HONORIUS supponit tanquam certum, quòd in hoc loco revocatur in dubium. Hoc dubium nonne injuriosum est huic Summo Pontifici? Nonne temerarius est ille, qui perpendit certitudinem alicujus sententiæ à Papa datæ tanquam certæ? Oportet, ut accedat aliqua Regula, quá discernatur quid possit Capitulum, Sede vacante, ab eo, quod non potest facere: HONORIUS hanc dedit, aut potiùs eam supposuit. Quare ab ea quis discederet? In quodnam opprobrium non incurrit, qui eam rejicit? Quodnam incommodum metuendum est, si hæc accipiatur?

Aliundè nonne dici potest, sententiam HONORII spectare solùm ad casum, ad quem eamdem applicat? Nonne fieri hoc debet? Sunt-ne alia puncta tam gravi momenti? Agitur-ne de gratia, quæ pendeat à sola voluntate illam concedentis, quemadmodum in puncto præsenti? Sunt-ne Canones contrarii aliis punctis, quemadmodum sunt huic oppositi? Nonne fructus debent reservari futuro Successori? Nonne libera Collatio fructus est pretiosus? Justum-ne est Innocencentem punire? Nonne autem aliquomodo punitur Innocens, cùm privatur Collatione homo, qui nondum potest conferre? Quo Titulo conferret Capitulum? An in qualitate Consociati? Hoc fieri non potest, cùm supponatur Collatio spectare tantùm ad Episcopum. An tanquam Custos? Hoc minimè valet, cùm custodis munus sit fructus conservare, qui possunt conservari, qualis est libera Beneficiorum Collatio. Quidnam est Capitulum, Sede vacante, nisi Vicarius à jure constitutus? Potest-ne autem Vicarius conferre, nisi expressam habeat facultatem id faciendi? Cùm sit igitur tanta inter hoc punctum & alia differentia, & Episcopi functio in libera Beneficiorum Collatione prohibita Capitulo videatur tot ex locis, par erat, ut Collatio Præbendarum expresè permitteretur Capitulo, ut posset dici eandem ad illud pertinere: Itaque sententia HONORII in aliquo puncto valebit, & locum non habebit in aliis; certò constabit, quòd, cùm functio generatim prohibetur Capitulo, pars hujus functionis non potest ad illud spectare, nisi hæc expresè eidem permittatur; falsum erit quòd in genere functionum, quæ non generatim vetitæ, aut in se ipsis, aut in suis principiis, Capitulum nihil aliud possit, quàm cujus expressam habet facultatem: Reverà ex omnibus punctis Capitulo concessis, quorum Jus mentionem facit antè aut post HONORIUM, ne unum quidem est, quod à Jure non supponatur permissum; quo ut convincamur, Canones suprà citati percurrendi sunt. §. 4. *Regul.* 1. Nam nullus reperitur qui dicat, idem jus permittere talem aut talem rem Capitulo, aut aliquid simile: & quomodo posset hoc in eodem reperiri, cùm unus tantùm colligatur è Constitutione? omnes autem alii depromantur è literis Consultationum, in quibus plerumque solùm applicatur Jus jam constitutum ad casus particulares. Quoad Constitutionem, quæ est EXTRAVAG. UNICA. *De Præbendis.* JOANNIS XXII. nedum non statuit ullum jus novum in favorem Capituli; sed clarè supponit, illud posse, quod ordinat; nam illud expresè ponit inter Ordinarios, qui possunt accipere demissiones, quas ipsa statuit; & hoc suppeditat novam rationem credendi, quòd, Sede vacante, Capitulum omnia possit, quæ non ipsi prohibentur; cùm in omnibus, quæ sunt Juris Communis, quæ non expresè vetantur Ordinario, censentur eidem permitti.

Si, Sede vacante, Capitulum non possit, quàm ea, quorum expressam habet potestatem (addi potest in confirmationem sententiæ qualis propugnatur) potestas Capituli erit incerta, & in casu posito non valebit facere functiones, quas necesse est ut faciat; sed nullas habebit exercendas, quàm illas, in quibus ortæ fuerint difficultates; nam in Corpore

re Juris nulla Constitutio facta est ea mente, ut potestatem Capituli definiat; nulla in eo hac de potestate, nisi per occasionem, leguntur; quædam in eo puncta exprimuntur, eò quòd casus propositi sint Summis Pontificibus super hæc puncta; talia & talia non in eodem inseruntur, quia Papæ non fuerint de his consulti; eventu sanè feliciori Consultationes factæ diversis in locis & temporibus à variis hominibus, ordinavissent ea, quæ Capitulum potest, & quæ non potest, Sede vacante: Magnus igitur locus est credendi talem non evenisse casum.

Nihil prodest dicere Gregor. IX. inseruisse in sua Compilatione locum collectum ex Honorio III. postquàm vidisset omnia, quæ Capitulum debet facere, Sede vacante, includi in *Decretalibus*, quas colligebat, aut in *Decreto* Gratiani; nam, qui ita loquitur, ille divinat. Si Gregorius nunc accuratè examinasset, an omnia puncta Jurisdictionis Episcopalis, quæ par est Capitulum exerceat, Sede vacante, in jure inserantur, hujus curæ probationes dedisset, colligendo, in *Tit. Ne Sede Vacante*, Textus Juris qui differunt de iis, quæ potest Capitulum, Sede vacante, & ex Canonibus citatis intelligere est multos esse inter illos Textus extra Titulum *Ne Sede Vacante.*

§. VI.

Jura Episcopalia à quibus Capitula expressè excluduntur, Sede vacante.

REGULA.

Neque in Corpore Juris, neque in *Concilio* Tridentino legitur, Capitula exclusa esse ab aliis Juribus Episcopalibus, Sede vacante, quam à sequentibus.

I. Nullam possunt facere innovationem. Unde sequitur illa non posse consentire, Unionem factam Episcopatui per vitam Episcopi infringi post ejus mortem, dum Sedes vacat. Ex eo adhuc sequitur non posse quidem per hoc tempus alienari propria eorum funda. Sequitur etiam illis non licere pati Ecclesiam suam uniri alteri, aut erectione alterius Episcopatus divelli, aut Suffraganeos Sedis eorum alteri dari per Constitutionem novæ Metropolis, aut ad judicium litium Episcopatus procedi.

Titulus quidam expressus in Decretalibus Gregorii IX. prohibet innovationem, Sede vacante. Est alius similis in Sexto. Aliundè primus ex his duobus Titulis suppeditat duo Capita formalia, scilicet *Caput* 1. & 3. quæ confirmant consequentias ex hoc principio depromptas; quæ verò spectat ad alienationem confirmatur etiam à *Cap.* 42. *Can.* 12. Quæst. II.

II. Non possunt providere Beneficiis liberæ dispositionis Episcopi, atque ideò nec ea conferre, quæ sunt ex ejus Collatione, neque præsentare ad ea, ad quæ ipse præsentat, præter quàm quod agatur de Curis. *Cap.* 2. *Ne Sede Vac.* & Cap. 1. *Ne Sede Vac. in 6.* Hic Articulus non potest esse in usu apud Gallos, nisi in eo casu, in quo Episcopus habeat Beneficia Regularia conferendi, ratione Unionis alicujus Abbatiæ aut Prioratûs Episcopatui; solet enim hic Rex, Sede vacante, providere Beneficiis, quæ ad dispositionem Episcopi pertinent.

III. Non possunt permittere Clericum Diœcesis in aliam transferri. *Cap.* 5. Dist. LXXI.

Si agatur de Translatione perpetua per Beneficium, consensus Capituli non est necessarius ad validitatem, requiritur tantùm ad decorum; sed si quæstio sit, Clericum Ecclesiæ commodare ad tempus Literis vocatis *Exeat*, procul dubio requiritur consensus Magni Vicarii Capituli, & licentiam habet illum tribuendi. Denique si in perpetuum sit commodandus, hoc transit Capituli potestatem.

IV. Non possunt judicare causas Feudorum in clientela Episcopatûs, aut eidem addictorum. *Cap.* 7. *De Foro Compet.* Hic Articulus non usitatur in Gallia, quia Capitula in ea Regione non habent administrationem bonorum Episcopatuum vacantium.

V. Non possunt exercere per se Jurisdictionem Episcopi, sed intra octo dies debent eligere Magnum Vicarium. *Conc.* Trident. Sass. XXIV. Cap. 16.

VI. Non possunt dare dimissorias, anno primo vacante, nisi illis, qui necessitate astringuntur, ut Ordines recipiant ratione Beneficii quod jam habent, aut quod ipsis offertur. Sess. VII. *Cap.* 10.

Usus est Romanæ Curiæ, ut nullum mittatur Rescriptum ad Ministros Capituli, Sede vacante, sed ad Episcopum proximiorem. Hæc praxis videtur contraria principiis explicatis in nostra praxi Episcopali in Institutiones posteà versa, loquendo de Officiis Episcopi quoad Dispensationes. Hæc sunt, quod Episcopus præsit tanquam Ordinarius in executione Dispensationum spectantium ad suam Diœcesim, quia si agatur de Dispensatione reservata Sedi Apostolicæ, commissio removet Reservationem, quæ impediebat ne Episcopus procederet; si verò agatur de Dispensatione, quæ poterat ab Episcopo quemadmodum à Papa concedi, Deputatio solùm est remissio ad Ordinarium; nam exinde sequitur, Capitulum cùm succedat Jurisdictioni Ordinariæ Episcopi, hæc Rescripta Curiæ Romanæ spectantia etiam ad Dispensationes, mittenda esse ad Ministros Capituli, Sede vacante.

Pars Tertia.

Versans circa Jura membrorum Capitulorum in particulari spectatorum.

Materia hujus Tertiæ Partis, quemadmodum & Secundæ, requirit, ut illam subdividam in Paragraphos.

§. I.

Quænam sunt membra Capitulorum.

REGULA.

Quamvis in Capitulis sint alii viri (quales Beneficiarii) quàm Canonici, isti tamen tantùm sunt membra Capitulorum. *Cap.* 16. *De Cler. non resid.* vocat illos Assisios. *Cap.* 6. Sess. XXV. *De Ref.* loquitur de illis qui adsunt Capitulis, nec tamen ex Capitulo sunt.

Quod dictum est de Beneficiariis, extendendum est ad Cappellanos, qui sunt iisdem inferiores.

§. II.

Continens enumerationem Jurium membrorum Capitulorum.

REGULA.

Canones contenti in Corpore Juris Canonici nulla videntur attribuere jura membris Capitulorum, quàm ea quæ mox notabimus.

I. Consident in Choro. *Cap.* 9. *De Præb.*

II. Aditum habent & suffragium in Cœtibus Corporis, quæ vocantur Capitula. *Ibid.*

III. Debetur illis una Præbenda. *Ibid.*

IV. Participatio distributionibus ad eadem quoque pertinet. *Cap.* 3. *De Elect. in 6.* Cap. unico. *De Cleric. non Resident. in 6.*

Bonif. VIII. *in Capite collecto à* Sexto, distinguit Distributiones duplicis generis; aliæ sunt pro Officiis; aliæ pro funerum justis & anniversariis; & statuit ut ea serventur quoad istas, quæ præscripsit, quoad alias; unde sequitur, quòd Canonici jus idem habeant in distributiones pro funerum justis, quàm in alias.

§. III.

§. III.

Continens conditiones necessarias, ut Canonici, sola Capitulorum membra, fruantur suis Juribus.

REGULA De Suffragio.

Ut Canonicus habeat Suffragium, Canon nil aliud requirit, nisi

I. Ut sit in possessione, aut quasi possessione. *Cap. 35. De Elect.*

II. Ut sit præsens Electioni per se aut per Procuratorem, si agatur de Electione solemni; aut in propria persona solùm, si agatur de alia Electione. *Cap. 18. 19. 28. De Electione.*

III. Ut non sit impubes. *Cap. 32. De Elect. in 6.*

IV. Ut neque sit excommunicatus, neque suspensus ab Officio. *Cap. unic. Ne Sede Vac. in 6.*

V. Ut sit saltem Subdiaconus. Hæc conditio tertiam includit. CLEMENT. II. *De Ætate &c.* SESS. XXII. *De Reform. Cap. 4.*

VI. Ut sit in ordine annexo suo Canonicatui, posito quòd tempus, ipsi concessum ad suscipiendum illud, elapsum sit. CLEMENT. II. *De Ætate &c. Concil.* TRID. *Ibid.*

REGULA

Quoad participationem ad Distributiones.

Distributiones sunt tantùm pro illis, qui adsunt Officiis, exceptis tribus casibus. *Cap. unic. De Cler. non resid. in 6.*

In quibusdam Ecclesiis Canonici lucrabantur distributiones, modò essent in locis, in quibus sitæ erant eorum Ecclesiæ. Contra hanc Consuetudinem BONIF. VIII. Constitutionem sancivit contentam in *Cap. unico. De Cler. non Resid.*

I. Propter morbum, quo quis impeditur, ne exeat aut habeat attentionem quæ requiritur, cùm Officio interest. *Eodem in Capite.*

II. Ob justam & rationabilem necessitatem corporis, qualis est in detentis, & captivis. *Eodem in Cap.*

III. Propter evidentem utilitatem Ecclesiæ; qualis est in illis, qui per Officia applicantur administrationi Sacramentorum, ut evenire potest Pœnitentiariis & Parochis; aut cùm sese ad functiones suas præparant, ut potest accidere iisdem Curatis & Theologalibus. *Eodem in Capite. Monumenta Cleri* TOM. IV. *p. Eod. 166.* quoad Pœnitentiarios. *Cap.* 8. SESS. XXIV. *De Ref.* Ratione ejusdem utilitatis, duo Canonici de Comitatu Episcopi *C. 15. De Cler. non Resid.* deputati ad negotia Capituli aut Cleri lucrantur pariter suas distributiones, necnon & Consiliarii Clerici, & Sacri Ministri Regis, & Infantium Galliæ, usque ad illum vocatum primum Principem Regii sanguinis, inclusivè Capellani, Musici & Regis Cantores. Mentio fit de Canonicis, qui sunt de Comitatu Episcopi, qui dicuntur Commensales. *Cap. De Sacr. politia.* LIB. III. *Tit. 5. p. 504.* LIB. II. *Monast. n. 14. p. 217. memor.* TOM. II. *Tit 4. n. 11.* .... Usus non est uniformis quoad Consiliarios Clericos: Nonnullæ Ecclesiæ dant ipsis distributiones; quædam illis denegant; non debentur jure iisdem.

Prima & secunda ex his tribus exceptionibus fundantur in impotentia involuntaria Officiis interessendi, aut ut par est. Tertia depromitur ex eo, quòd occupatio illorum hominum, ad quam illa spectat exceptio, utilior est Ecclesiæ, quàm si adessent Officiis.

Eamdem ob causam includendi essent in tertia exceptione Canonici Professores, & Canonici Studentes; sed si ratio illis faveat, usus adversatur nonnullis in Regionibus.

Quæri potest per transennam, an tres hujus Regulæ exceptiones debeant extendi ad distributiones pro funerum justis, ut ad distributiones pro Officiis. Respondendum est, *Caput citatum* non distinguere in hoc puncto distributiones pro funerum justis ab aliis; imò verò expressè dicere, ea servanda esse quoad easdem distributiones, quæ antea quoad alias præscripta sunt. *§. De Distributionibus.* Benemultis in Ecclesiis dantur distributiones in funerum justis, illis tantùm qui eisdem adsunt anniversariis.

REGULA.

Unus tantùm in Jure exprimitur casus in quo illi, qui Officiis intersunt, omnibus non fruuntur distributionibus.

Inferitur in II. CLEMENT. *De Ætate &c.* quæ statuit, ut priventur dimidia parte distributionum ii, qui anno post tranquillam possessionem non promoventur ad Ordinem suo Canonicatui addictum; Accusari debent isti Canonici & contraillos procedendum. ut teneantur Ordines accipere, & usque ad sententiam non possunt privari suis distributionibus.

Hæc est Regula generalis in Gallia, ut in foro exteriori pœnæ juris, habentes effectus exteriores, eosdem non producant, nisi post sententiam, quâ declaratur illas pœnas fuisse incursas.

Per hanc præcautionem prævenitur turba conscientiarum timoratarum; *Verbi gratia*: Si Jus Commune aut Particulare cuidam actioni addixit privationem ab Officio, Judex Superior qui hoc agit, aut ejus subjecti, qui hanc fieri actionem vident, aut ab ipso factam norunt, possunt turbari absque justa causa; quia fieri potest, ut actio in circumstantiis Legis non facta fuerit: Posset etiam accidere, ut Minister præfectus vere inciderit in casum Legis, & nihilominus pergat exercere suum Officium, & qui rem cum illo haberent, metuant ne culpæ ejus participent, aut injuriam ipsi inferant, si ab ejusdem communione abstineant. Super hoc fundamentum nonnullarum Congregationum Ecclesiasticarum Constitutiones expresse declarant, pœnas ipso facto incurrendas effectum suum tantùm habituras post sententiam, quæ pronunciaverit illas fuisse incursas. Unum quoddam exemplum depromitur in illis, quæ spectant ad Congregationem Doctrinæ Christianæ. LIB. III. C. 3. 4. *Declaramus pœnam ipsam ex transgressione prædictorum nunquam incurri ante sententiam vel declarationemSuperioris, etsi in Constitutionibus vel Capituli Ordinationibus diceretur, pœnam aliquam ipsa facto incurrendam; quod etiam intelligi debet de pœnâ privationis ab Officio, in quam incurri nolumus, nisi ubi eam incurrentes convicti fuerint coram Superiore, & per ejus sententiam condemnati.*

Simile aliquid videtur in Constitutionibus Carmelitarum Reformatorum: Collectionem eorum feci in casibus ad censuras pertinentibus, necnon & ad satisfactionem.

TITULUS VII.

De Obligationibus Capitulorum.

Ateria hujus Tituli Septimi requirit, ut dividatur in Paragraphos.

§. I.

Obligationes communes omnibus Capitulis.

REGULA.

Nullæ aliæ in Jure videntur obligationes communes omnibus Capitulis, quàm istæ.

I. Non debent eadem observare consuetudines rationi & Sacris Canonibus contrarias; quamvis juraverint, se easdem servaturas; debent alias observare. *Cap. 10. De his, quæ fiunt à major.*

II. Non tenentur solvere debita contracta sine consensu majoris & sanioris partis, & quæ non conversa fuerunt in utilitatem Capitulorum; alia debent persolvere, *Cap. 9. Collect. 5. De his quæ fiunt a Prælat.*

III. Ca-

III. Capitula debent accipere Canonicos habita proportione eorum reditus; quod propriè illis convenit, quorum numerus non est determinatus, aut quorum bona non sunt partita; illud nihilominus Capitulis convenit, in quibus numerus Canonicorum definitus est; in quorum gratiam concludi potest, in iis posse & debere minui hunc numerum Canonicorum, cùm eorum reditus non sufficit ad eos alendos. *Cap. ult. De Verb. Signif.* Cap. 4. *De Instit.*

IV. Capitula debent convertere in commodum suæ Ecclesiæ reditûs sui incrementum; & non licet illis illud inter Canonicos partiri. *Ead.* Senatusconsultum mensis Junii ultimi in gratiam Massiliæ adversatur huic Regulæ; fortasse etiam non est aptum.

V. Eadem debent constituere in sua Ecclesia Magistrum docentem gratuitè Clericos & Scholasticos pauperes, & ipsi assignare reditum unius Præbendæ per omne tempus, quo docebit. *Cap. 1. & 4. De Magistr.*

Hic omnes debent moneri, has omnes Constitutiones non esse in usu in Gallia: in quibusdam Ecclesiis Capitula Præbendam dereliquerunt pro mercede Præceptoris, & Episcopus hujus Capituli illum nominat Consulibus vocatis.

VI. Debent dare gratis facultatem docendi, non solùm Magistris, quos tenentur solvere, sed etiam aliis. *Cap. 1. 2. 3. De Magistris.*

In aliis Ecclesiis Scholarum Magister, in Dignitate constitutus, hanc habet nominationem & inspectionem in parvos Regentes. Imponimus hanc obligationem inter illas, quæ spectant ad Capitula; quia debent invigilare in Magistros, quos constituunt in Ecclesia sua, contra quorum avaritiam hic Canon videtur sancitus. In Gallia Episcopus in Præceptores invigilat.

In aliis Ecclesiis assignatur Præbenda onerata pensione Urbi facta, pro mercede parvi Regentis; quod cùm ita fiat, Capitulum & Canonici liberantur cura cognoscendi de Regente, qui ab Episcopo, juxta Ordinationes, pendere debet.

VII. Debent restituere, quæ exegerunt pro facultate docendi, iis, à quibus illa exegerunt. *Cap. 2. De Magistr.* ..... Tandem nonnullæ sunt Ecclesiæ, in quibus hæc institutio facienda est.

VIII Non illis licet prohibere, ne erudiantur illi, qui ad studium literarum apti sunt, aut eosdem à proposito avertere: Aliter qui ex illorum Corpore utrumque faciunt, digni sunt, qui priventur omni Officio, Beneficio, & Dignitate Ecclesiastica. *Cap. 3. De Magistris.* Mentio fit de Præceptore in Ordinatione Blesensi *Art.* 33. Aurelianense *Artic.* 9.

IX. Debent tribuere fructus majores Canonicis docentibus in Universitatibus, dùm in iis docent, non obstante omni Consuetudina & Statuto contrario. *Cap. ultimo. De Magistris.* Sess. V. Cap. 1. *De Ref.* Cùm reditus Canonicorum omnes consistunt in distributionibns, datur exemptis à Residentia tertia pars illarum distributionum.

X. Debent etiam dare per quinque annos majores fructus Canonicis, qui student Theologiæ in Universitatibus, non obstante omni Consuetudine & Ordinatione contraria. *Ead.* In Francia eos concedimus fructus, iis etiam, qui dant operam humanioribus literis, & Philosophiæ, &c. Reduffus *in Concord.* Verbo *Onus resident.* Papon. *Tit.* 3. *p.* 32. Lovat. Lib. III. & VI. *Monum. Cler.* Tom. I. Cap. 2. *n.* 21. Hos illis concedimus, necnon & aliis, dùm student.

XI. Non debent negligere Canonicos emendare in locis, in quibus hæc correctio ad illos pertinet. *Cap. 13. De Off. Jud. Ordin.*

XII. Debent formare subjectos, qui possint adjuvare Episcopum in Prædicatione & in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ. *Cap. 15. De Offic. Jud. Ord.*

XIII. Debent dare primam Præbendam, quæ vacat, illi, qui receptus est in Canonicum, nec tamen ullam assignaverunt Præbendam eidem. *Cap. 9. De Præb.*

XIV. Cùm reditus Canonicatuum non sufficit Canonicorum victui & vestitui, Capitula debent curare, ut illi augeantur per Unionem Beneficiorum simplicium, ex quibus colligitur fructus suprà illam, qui est necessarius ad Officium, seu servitium, quod fiet illorum cura, quibus reliquum fructuum illorum Beneficiorum proderit. *Cap. 31. De Præb.*

XV. Debent tantùm dare Canonicatus illis viris, qui tribuant illis locum sperandi, se omnia, ut par est, eorum Officia impleturos; quod rectè his verbis exprimitur: *Per quos Deo in Officiis Divinis per Ecclesiasticos Ordines congruè serviatur.* Cap. 2. *De Instit.*

XVI. Capitula non tenentur de deposito facto uni ex eorum membris, nisi conversum fuerit in eorumdem commodum; quo in casu actio debet adhuc intentari contra sequestrum. *Cap. 1. De Deposito.* Hæc decisio non est multum utilis, nisi considerentur Capitula, tantùm in hoc casu, nam hic casus est rarus; sed si considerentur Capitula, prout sunt Corpora, res alio modo se habet, nam casus potest esse frequens.

XVII. Canonici, qui componunt Capitula, debent vivere Canonicè juxta Regulas Scripturæ & Sanctorum Patrum. Expedit, ut manducent & dormiant unà secum in unoquoque Episcopatu, quantùm fieri potest; nihil debent agere injussu Episcopi; imò par est, ut vacent lectioni, & Capiti suo pareant. *Can.* 34. *De Cons.* Dist. V. Hic locus qui depromitur è *Lib.* V. *De Capitul. Cap.* 115. est antiquissimus ex illis, qui sunt in Corpore Canonico, qui loquuntur de Canonicis.

XVIII. Cùm Mandata Apostolica erant in usu, Capitula, quibus illa mittebantur, ea debebant exequi; si verò acceptio Canonicorum ad illos pertineret, quos recipiebant in executione horum Mandatorum, autoritate ordinaria accipiebantur; si verò ad illos non pertineret, aut Papa juberet, ut illi admitterentur ejus autoritate, autoritate Apostolica recipiebantur. *Cap. 4. De Rescript. in 6.* Sunt qui dicant, esse adhuc in usu in Italia, quod si ita sit, id quod continetur in hoc Articulo ibi observatur aut saltem servari potest.

XIX. Debent recusare majores fructus Canonicis, qui sine justa causa & Dispensationa non resident, saltem novem menses, & Distributiones illis, qui non intersunt Officiis, etiam cùm ea Dispensatio, quæ immunes illos facit à residendo, concedit ipsis perceptionem fructuum Beneficiorum suorum; quia distributiones semper in hoc excipiuntur. *Cap. ult. De Rescript. in 6.* Cap. 30. *De Elect. in 6.* Sess. XXIV. Cap. 12.

XX. Non debent pati, ut quis sine Dispensatione Papæ occupet ultra Personatum, Dignitatem, Officium perpetuum cum Præbenda. *Cap. 1. De Consuet. in 6.* Non recipitur in Gallia Dispensatio pro pluralitate Canonicatuum; sed ibi permittitur ut quis sine Dispensatione habeat Dignitatem, vel Personatum, vel Officium cum Canonicatu, etsi illi iste non annectatur.

XXI. Qui eliguntur ad Ecclesias Collegiatas, & Parochiales, obligantur intra annum promoveri ad Sacerdotium: Si hoc non impleant, non ob hoc solùm privantur suo Beneficio, sed merentur solùm eodem privari: in quo jus illis favet, cùm illi, qui promoventur ad Ecclesias Parochiales, quæ non sunt Collegiatæ, eodem priventur ipso facto, nisi intra annum sint Sacerdotes. Hic favor oritur fortasse ex eo, quòd illi non exerceant per se ipsos functiones curiales, aut habeatur ratio eorum Dignitatis, propter quam minus severè tractantur: Hæ duæ rationes locum præbent extendendi hunc favorem Dignitatibus Capitulorum, quibus animarum cura annexa est. *Cap. 22. De Elect. in 6.* Hæc differentia non observatur in Gallia, ubi Canonici Curati privantur suo Beneficio ipso facto, si non promoveantur in tempore à Jure definito. In Gallia tenentur promoveri in utroque casu intra annum & diem tranquillæ possessionis, *id est*, intra duos annos, si quieti fuerint. Vide *Art.* 27.

XXII. Debent convertere in utilitatem suæ Ecclesiæ bona derelicta à Prælato, aut ea conservare pro Successoribus suis; ex eorum Corpore illa capiunt; sunt suspensi ab omni Officio, & Beneficio, donec plenè restituerint. *Cap.* 40. *De Elect. in* 6. Non est in usu in Gallia, ubi parentes succedunt ab intestato.

XXIII. Canonici ita tenentur residere & ministrare, ut, nisi hoc faciant, nihil de suo Beneficio percipere debeant, aut minus quàm tertiam partem; quòd si perseverent non residere, postquam juridicè moniti fuerint, post privationem partis dimidiæ fructuum primo anno, omnium secundo anno, Beneficio privandi sunt tertio anno. Colligit FAGNANUS ex *Conc.* TRID. SESS. XXI. *Cap.* 3. SESS. XXIV. Cap. 12.

Possunt iidem puniri aut per censuram, aut sequestrationem & substractionem fructuum, per privationem ejusdem Beneficii. SESS. XXIII. Cap. 1.

XXIV. Cùm adsunt Choro ad cantandum destinato, laudare debent Sanctum Dei nomen cum reverentia, distinctè & piè. SESS. XXIV. Cap. 12.

XXV. Debent semper indui vestibus aptis, suoque statui congruis, tùm extra Ecclesiam, cùm in Ecclesia. *Ibid.*

XXVI. Debent ipsi Officium celebrare, nec satis habere, si viri substituti illud faciant. *Ibid. & Sess.* XXII. Cap. 4. *&* Cap. 12. SESS. XXIV. Idem est de exercitio Ordinum suo Beneficio alligatorum. *Eadem* SESS. XXII. Cap. 4.

XXVII. Canonici & alii similes debent intra annum ad Ordines requisitos à suo Beneficio promoveri, aliter privantur dimidia suarum distributionum parte. *Cap.* 12. SESS. XXIV.

Hic annus numeratur à die, quo reputantur quieti Possessores, *id est*, à primo secundi anni die, posito quod in primo anno non fuerint turbati in sua possessione. Hoc infertur ex CLEMENT. I. *De Ætate. in hoc loco renovata à Concilio* TRIDENTINO, quæ præscribit tantùm pœnam, de qua loquitur, contra tranquillos Possessoros, qui negligunt ad Ordines intra annum promoveri. *Cap.* 4. SESS. XXII. Confer hunc Articulum cum Articulo XXI.

XXVIII. Debent, ubi primùm Beneficia ipsis conferuntur, habere ætatem, scientiam, & alias, quæ requiruntur, conditiones & qualitates; aliter eorum provisio nulla est & irrita. *Ibid.*

Ætas Dignitatum, quibus animarum cura credita est, est 25. annorum inceptorum. SESS. XXIV. *Cap.* 12. Ætatem alii debent attigisse 22. annorum inchoatorum. *Ibid.*

Scientia debet accommodari ad munus uniuscujusque. Per Concilium alia ætas requiritur, qua promoveatur aliquis intra primum annum, ad Ordinem requisitum à Beneficio. *Ibid.* §. *Neminem.* Sed hic Concilii locus spectat tantùm ad Beneficia quorum ætas non determinata est, vel meliùs respicit dumtaxat Canonicatus, quibus aliquis Ordo Sacer annexus est, quique obligant ad ætatem habendam Ordinis ipsis annexi. Vide *usum Galliæ in nostro Tractatu De Irregularitate.* 2. *part. Tit. De Defectu ætatis.*

XXIX. Operæ pretium est, ut in Cathedralibus, & famosis insignibusve Collegiatis, Canonici pro dimidia parte sint Doctores in Theologia aut in Jure Canonico.

XXX. Debent bona exempla tradere, & esse vitæ morumque integri. *Circa initium & sub finem hujus* Cap. 12.

XXXI. Debent abstinere à rebus vetitis, & particularim ab iis, quæ fiunt in volatibus avium, in saltationibus, cauponis, & aleis. *Sub finem hujus Cap.* 12. Debent abstinere à frequentationibus cum mulieribus suspectis. SESS. XXV. Cap. 14.

XXXII. Debent vivere in communi, cùm Episcopus illud ipsis præscribit, & iste potest ad id illos compellere per censuras. *Cap.* 9. *De Vita & hon.* exolevisse videtur.

XXXIII. Non debent derogare oneribus addictis Beneficiis per fundationem suam, aut aliam aliquam causam justam, si vero in dispositione, quam faciunt de Beneficiis, his derogent oneribus, censetur subreptitia. *Cap.* 5. SESS. XXV. *De Reform.*

Sessio Canonicorum Ordinis diversi debent ordinari pro Dignitate suorum Ordinum, & non per tempus eorum receptionis. *Cap.* 14. 20. 24. 26. DIST. XCIII. Cap. 1. 15. *De Majorit.*

§. II.

Obligationes propriæ Capitulis Cathedralium.

REGULA

Nullæ aliæ in Jure Canonico videntur obligationes propriæ Capitulis Cathedralium præter illas.

I. Capitula Metropolitanarum debent constituere Theologum in sua Ecclesia, qui doceat Sacerdotes, & alios Scripturas Sacras, & ea omnia, quæ cognosci debent quoad animarum curam, & assignare illi Theologo reditus unius Præbendæ, quamdiu docebit. *Cap.* 4. *De Magistris. Concilium* TRIDENTINUM extendit hoc Statutum ad Cathedrales, necnon ad Collegiatas locorum amplorum, & in quibus numerosus est Clerus.

II. Capitula Cathedralium, sive Metropolitanarum, sive aliarum, tenentur, Sede vacante, eligere intra octo dies Magnum Vicarium, aut Officialem aliquem, aut confirmare seu continuare illum, qui erat anteà. *Concilium* TRIDENT. SESS. XXIV. Cap. 16.

III. Debent nominare Oeconomum pro bonis Episcopatûs, si hujus administrationem babeant. *Ibid.*

IV. Rationem reddere de Scripturis Episcopatûs, si quas habeant illius, qui ad hoc munus eligitur. *Ibid.* Tertius & Quartus Articulus non sunt in usu in Gallia, ubi Regis Ministri occupant omnes effectus ad Episcopatum pertinentes.

V. Abstinere à dandis dimissoriis primo anno Sedis vacantis, aliis quàm arctatis ratione sui Beneficii, sub pœna incurrendi Interdicti ipso facto. SESS. VII. *Cap.* 10. De eo supra mentio facta est dum *De Juribus Capitulorum.*

VI. Pati debent, ut Episcopi & alii eorum Superiores eadem visitent, quoties necessarium illud censebunt, non obstante omnis generis exemptione. SESS. VI. Cap. 4.

VII. Coguntur pati adhuc, ut Episcopus illa convocet in negotiis, quæ non spectant sua, neque parentum suorum commoda, colligat & excerpat eorum suffragia, & juxta eadem concludat. SESS. XXV. *Cap.* 6. Artic. Septimus, Octavus & Nonus non accipiuntur in Gallia.

VIII. Par est ut eligant, ineunte uno quoque anno, duos Canonicos, qui sint Assessores Episcopi, aut sui Vicarii quibusdam in judiciis, in quibus unam tantùm vocem habent, ita ut, nisi cum Episcopo consentiant, par sit ut eligant eum illo tertium. *Ibid.*

IX. In Ecclesiis Cathedralibus Ordo Sacer debet addici cuique Canonicatui, in iis debent Canonici pro dimidia parte ad Sacerdotium promoveri. SESS. XXIV. *Cap.* 12. Distributio fieri debet ab Episcopo cum consilio Capituli prout expedire videbitur.

X. Coguntur administrare suam Ecclesiam, si vacet, diligenter & fideliter; quod nisi agant, Archiepiscopus potest, postquam illos vocaverit & culpam eorum agnoverit, dare Visitatorem, qui illos emendet. *Cap.* 4. *De Suppl. Negl. Præl. in* 6. Archiepiscopus non se implicat in Galliæ suæ Provinciæ Diœcesœu negotiis, nisi in appellationis, non verò Officii casu. Juxta hoc consilium posita est in Tractatu Magni Vicarii una Regula quoad potestatem Archiepiscopi in Gallia.

XI. Dignitares necnon & Canonici tenentur profiteri Fidem Catholicam, & promittere se mansuros usque ad mortem in Ecclesiæ Romanæ obedientia, ante Epis-

Epiſcopum aut Magnum ejus Vicarium, necnon & in Capitulo. *Cap.* 12. Seis. XXIV.

XII. Debent relinquere Epiſcopi licentiam eligendi locum, quem voluerit, non ſolùm in Choro, & in proceſſionibus, ſed etiam in Capitulo, cùm jus habet illud adeundi. Marechall. *De Jurib. honorif. p.* 101. 102. refert Senatuſconſulta, ex quibus intelligitur (*Cap.* 6. Sess. XXV.) Curatum poſſe ſemper eligere locum honorificentiſſimum ſuæ Eccleſiæ, quod concludit à fortiori pro Epiſcopo.

Annotationes *quoad Præceptorem de quo ſuprà facta eſt mentio §.* 1. *n.* 5. *deprompta è Corpore Juris Canonici, & è Concilio* Tridentino.

In ſæculo IX. Eugenius II. Papa conſtitutus *ann.* 814. ſtatuit *Cap.* 12. Dist. XXXVII. in Eccleſiis Magiſtros eligi, qui docerent Literas & Artes Liberales, declarans, ſe adduci ad faciendam hanc Ordinationem, quia audivit, Magiſtros non reperiri, Literas negligi, etſi adeò neceſſarias, ut præcipuè Literarum adjumento Mandata Divina, uti par eſt, intelligantur.

Hic locus videtur eſſe antiquior Juris Canonici, qui pertineat ad Præceptores; in iis non providetur ſuſtentationi Pædagogorum, quorum Conſtitutio in iis ordinatur; hæc cura Epiſcopis relinquitur, quibus mandata eſt Canonum executio.

Circà medium ſæculi XII. videtur ex Epiſtola Alexandri III. Papæ electi *ann.* 1199. (*hæc Epiſtola eſt in ſecunda Collect. Tit. De Magiſtr.*) quòd à longo tempore Præceptores eſſent conſtituti in Eccleſiis Laudunensibus & Tornacensibus, & in pleriſque magnis Eccleſiis Galliæ; quod affectatum fuiſſet Beneficium, *id eſt* quædam penſio, aut aliquod terræ fundum, ut alerentur illi Magiſtri; nam hanc ſignificationem videtur in hoc loco habere hoc verbum, *Beneficium*, ſed quod ab aliquo jam tempore avaritia Eccleſiaſtici adducti fuerant ad convertendum hoc Beneficium in uſum ſuum communem; undè acciderat, ut Magiſtri carentes honorariis non ampliùs docerent, atque ideò ignorantia introducta fuerat in Eccleſiis Galliæ. Alexander III. hoc malo commotus, & volens huic mederi, mandat Archiepiſcopo Rhemensi, ad quem ſcribit, ut viſitet has Eccleſias Laudunenses & Tornacenses, ut in iis executioni mandet Decretum *Concilii* Lateranensis, quoad modum conſulendi ſuſtentationi Pœdagogorum, aut per reſtitutionem antiqui fundi Magiſtro affectati, aut aſſignationem novi, unde oriretur magnum bonum, tùm Divitibus, qui ſtudere defectu Præceptoris non poterant, tùm pauperibus, qui pecunia deficiente non valebant Literis operam dare.

Epiſtola mox citata ſcripta fuit poſt *Concilium* Lateranensa ſub Alexand. III. mentionem illius facit. Hoc Concilium celebratum fuit *ann.* 1179. Ejus Decreto ſancitur *Cap.* 1. *De Magiſtr.* ut Præceptores conſtituendi ſint in una quaque Cathedrali, & cuique concedendum ſit Beneficium ſufficiens, & ut hic Præceptor gratis docturus ſit Clericos Eccleſiæ Cathedralis, & alios Scholaſticos pauperes. Cùm terminus generalis pauperis Scholaſtici non reſtringatur, neque ad Cathedralis, neque ad Urbis pauperes, neque Diœceſis, locus eſt credendi Concilium voluiſſe cogere Magiſtrum, ut acciperet indifferenter & promiſcuè omnes pauperes, qui ſeſe offerrent; hac conſtitutione Concilium ſibi proponit tribuere Magiſtris, unde alantur, & Scholaſticis unde doceantur. Canon *Concilii* Lateranensis habiti ſub Alexand. III. confirmatus fuit ab altero *Concilio* Lateranensi celebrato ſub Papa Innocent. III. *ann.* 1215. productus etiam fuit ab eodem Concilio (*Cap.* 4. *ejuſd. Tit.*): Nam cum primus tantùm præſcriberet conſtitutionem Præceptorum in Cathedralibus, ultimus illam definit in omnibus Eccleſiis fieri, quæ facilè poſſunt hunc ſumptum facere: In omni reliquo hæc duo Concilia ſunt conformia quoad Præceptorem, niſi in tribus caſibus. Primus eſt, quòd *Concilium* Lateranensa ſub Innocent. III. expreſsè jubet, ut Præceptor non ſolùm Eccleſiæ Clericos docturus ſit, in qua conſtituetur, ſed etiam alios, quantùm poterit fieri; alter autem nihil ſimile præſcribit, niſi ſub nomine Scholaſtici Clericos comprehendat: Secundus eſt, quòd Concilium ſub Innocent. III. annotat, quomodo Magiſter ſit eligendus, nempè per Epicopum & per majorem & ſaniorem Capituli partem; alter verò illum non obſervat modum: Tertius eſt, quòd *Concilium* Lataranensa ſub Innocent. III. explicet, quid intelligat per Beneficium ſufficiens, ſtatuendo dandum eſſe Præceptori reditum unius Præbendæ, nec tamen intelligit ex hoc illum fieri Canonicum; alter illud minimè explanat.

In aliis Libris, ex quibus conſtat Corpus Juris Canonici, ne unum quidem verbum de Magiſtro profertur; quod oritur, aut ex eo, quòd Decreta *Conciliorum* Lateranensium cùm executioni ſint mandata, non amplius neceſſe fuit, ut Leges quoad Præceptores fierent, aut ex eo, quòd Conſtitutio Collegiorum multis in locis avertit ab ordinandis rebus novis hac de materia.

Quod ſpectat ad *Concilium* Tridentinum, hac de re *Cap.* 1. Sess. XXV. *De Ref.* nihil aliud ſtatuit, niſi, ut in Eccleſiis, quæ non poſſunt nec debent habere Theologum, ſive quia ſunt pauperiores, ſive quia pauciores ſunt Clerici, & paucior populus, ſaltem Præceptor conſtituatur, qui doceat Clericos & alios pauperes Scholaſticos; ut hic Magiſter eligatur ab Epiſcopo & à Capitulo; & illi detur pro ſuſtentatione ſua reditus Beneficii ſimplicis, quo fruetur tantùm, quamdiù docebit: Quod ſi hoc non poſſit fieri, ſtatuit *Concilium* Trid. ut provideatur cultui & veſtitui ejuſdem Præceptoris, ſi aut aſſignetur illi aliqua portio reditus Manſæ Capitularis, aut Epiſcopi, aut alio aliquo modo quem Epiſcopus judicabit convenientem ſuæ Diœceſi: Ordinat etiam idem Concilium, ut in locis in quibus ſunt Præceptoriales, eædem conferantur tantùm Doctoribus, aut Licentiatis Theologis aut in Jure Canonico, ſub pœna nullitatis; & ut in neceſſitate teneantur docere in Seminariis pauperes Clericos, (*ſi Epiſcopo placuerit*) Cap. 18. Sess. XXIII. *De Ref. §. Deindè. & §. Quod ſi.*

Conſequentiæ colligendæ ex his Annotationibus *cum aliquibus Conſiderationibus hac eadem de re.*

Sequitur ex his Annotationibus, quòd in omni Corpore Juris, juxta modum quo in eo comprehenditur *Concilium* Tridentinum, ſex tantùm ſint Conſtitutiones quoad Præceptorem; duæ ex duobus Summis Pontificibus; aliæ ex tribus Conciliis Generalibus: In nulla probatur, Magiſtrum eſſe Canonicum, excepta ultima. *Concilium* etiam Lataranense ſub Innocentio III. hoc expreſsè vetat, in una quaque potiùs reputatur Penſionarius, quàm Beneficiarius, ſi excipiatur ſeptima. *Concilium* Lateranense modò citatum, necnon & *Concilium* Tridentinum, terminant penſionem Præceptoris ad tempus quo docebit; idem debet judicium ferri de aliis Conſtitutionibus, quamvis iſtæ in ſuprà dictis Annotationibus non inſerantur. Magiſter, cui ſola aſſignatur penſio, compellitur Officio ſuo ſatisfacere, metuens, ne eadem ab ipſo auferatur: Cui verò conceditur Beneficium, immunis ab hoc timore, ille non eſt tàm attentus, ut ſuis muneribus fungatur; niſi in illo charitas, quòd in aliis cupiditas, faciat. Præterea Præceptor abſque Beneficio liberior eſt, & fortaſſe utilior. Cùm functiones Canonici, fere

omninò illum detineant, jure & meritò statutum est, ut Præceptor non esset Canonicus; reditus Præbendæ Præceptoris sustentationi destinatus, dat locum, ut ipse Canonicus evadat: Si Magistro tribuatur Beneficii cujusdam reditus, satius est, si detur ipsi reditus & fructus Beneficii simplicis, quàm fructus Præbendæ, cùm onera hujusce ab altero quàm Præbendæ cura, faciliùs repleantur.

TITULUS VIII.

Quæ requirantur ad validitatem Actuum Capitularium?

REGULA.

JUs tantùm requirit quæ sequuntur, ut validi sint Actus Capitulares.

I. Par est, ut ii omnes, qui jus habent suffragii, vocentur, nisi absint. *Cap.* 18. & 28. *De Elect.*

II. Oportet, ut pars major & sanior illorum, qui congregantur, iis antè vel post consentiat. *Cap.* 18. & 21. *De Elect.* Cap. 3. *De Transactionibus.* Cap. 7. *De Donationibus.*

III. Necesse est, ut in Actibus, qui spectant ad personas, in iis non agant inæqualiter de personis æqualibus, ut accideret, si in Constitutione quadam præciperent: 1. Ut Canonici recepti fructus suæ Præbendæ sint percepturi, sive absint, sive intersint; & ut illi, qui posteà admittentur, non sint fruituri fructibus & emolumentis suæ Præbendæ, nisi cùm aderunt: 2. Ut Præbendæ, quæ vacabunt, non assignandæ sint illis, qui Canonicatibus succedent, sed fundum earum inter Canonicos jam receptos dividendum sit. *Cap.* 6. *De Constitut.*

IV. Operæ pretium est, ut suffragia sint libera. *Cap.* 10. *De Elect.* Cap. 43. *Eod. Tit.*

V. Ut ad hæc non accedat simonia. *Cap.*17. *De. Sim.*

EXCEPTIONES REGULÆ

De iis quæ requiruntur ad validitatem Actuum Capitularium.

EXCEPTIO I. Si qui non sunt vocati ad Actum, ad quem debebant vocari, de illo consentiant postquam illud norunt, Actus subsistit; quia illo modo recipit quod ipsi deest, nempè approbationem eorum, qui jus habent illum faciendi irritum. *Cap.* 28. *De Elect.* Cap. 3. *De His quæ fiunt à Prælatis.* Cap. 10. *De Reg. Jur. in* 6. MOLINÆUS *in Reg. De Infirmis.n.*53. circa hunc articulum legendus.

EXCEPTIO II. Major & sanior pars convocatorum non prævalet minori. *Cap.* 19. *De Elect. in coll.* 3. Cap. 1. *De His quæ fiunt à Major.*

I. Si quod ista opponit, æquum sit, & tale illud esse ostendat, ut accidit, quando major pars elegit hominem indignum.

II. Si vetus quædam Consuetudo hactenùs observata & confirmata à Sanctâ Sede, contrarium persuadeat, aut eidem faveat, in iis quæ major pars statuit; videtur ille esse horum verborum sensus, *aliud suaserit observandum*, quæ possunt adhuc ita explicari, ut majorem partem sequi necesse sit, nisi aliqua legitima Consuetudo consensum omnium requirat, ut necessarium est in casu alienationis. *Cap.* 1. *De His, quæ fiunt à Major. &c. in* 2. *Coll.*

EXCEPTIO III. Si illi, qui liberè suffragium non dederunt posteà liberè aliis assentiant. *Cap.* 1. *De His quæ vi metusve causâ.*

Canones citati quoad primam Exceptionem, ad istam quoque pertinent; nam si defectus consensus dandi tempore Actus reparatur per consensum posteà datum, defectus assensus vi extracti potest reparari; per consensum consequentem datum cum libertate.

EXCEPTIO IV. Actus, cui simonia intervenit, bonus est, si ille in cujus gratiam factus est, nullam habeat partem eidem Actui, & simonia fiat ad nocendum illi. *Cap.* 27. *De Simon.*

EXCEPTIO V. Appellandi sunt absentes ad receptionem Canonicorum & ad Beneficiorum collationem, cùm illud commodè potest fieri; ut *verbi gratia*, si non longè distent, & possit utraque differri sine præjudicio jurium Capituli; quod si id non possit commodè fieri, aut Consuetudo contraria legitimè constituatur, non sunt appellandi. *Cap.* 33. *De Præb. in* 6.

TITULUS IX.

Jura & Obligationes Episcoporum, contenta in Corpore Juris & in Concilio TRIDENTINO, *quoad Capitula, de quibus hactenùs actum est.*

IN Regulis præcedentibus collegimus jura & obligationes Capitulorum, & per hanc recollectionem multa observata fuerunt, quæ spectant ad Capitula considerata quoad Episcopos; operæ pretium est, ut nunc mentionem faciamus de juribus & Episcoporum obligationibus quoad Capitula, ut animadvertantur aliæ res, quæ spectant ad Capitula considerata ex parte Episcoporum; aliter hæc monumenta circa Capitula, manerent imperfecta; jungimus jura & obligationes Episcopales quoad Capitula, ut vitemus repetitiones, cùm quædam ex his juribus possint annumerari inter obligationes, & aliquæ obligationes in numerum jurium valeant adscribi.

REGULA.

Jura aut Officia Episcoporum quoad Capitula, contenta in Corpore Juris & in *Concilio* TRIDENTINO, non alia sunt, quàm sequentia.

I. Possunt & debent eadem emendare; unde fit, ut si illa negligant conferre Beneficia, aut si personis indignis conferant, Episcopis detur facultas conferendi, & id teneantur facere: Idem dicendum est, si Capitula ipsa, cùm habeant jus correctionis in sua membra, negligant eodem uti in tempore ab Episcopo præscripto. Quare Canonicus immunis emendatur ut Monachus exemptus delinquens extra Claustrum. *Cap.* 13. *De Off. Jud. Ordin.*

II. Possunt judicare Prælati causas Canonicorum tàm criminales, quàm civiles. *Cap.* 13. *De Foro Compet.*

III. Si Episcopus Capitulum adeat ut Canonicus, & Capitulum desit alicui ex suis Officiis, potest reparare culpam Capituli. *Cap.* 15. *De Concess. Præbend.* Cap. 11. *De Appellat. in* 6.

IV. In rebus, quas Episcopus jus habet faciendi conjunctim cum Capitulo, Episcopus solus valet eas facere, si Capitulum sit suspensum, aut omnia ejus membra sint excommunicata; à fortiori ratione hoc jus haberet, si teneretur tantùm petere consilium à Capitulo. *Cap.* 1. *Ne Sede Vacante. in* 6.

V. Episcopus potest augere reditum Præbendarum pauperum, per unionem Cappellarum ad Præbendas, aut suppressionem nonnullarum, & unionem reditus ad alias. *Cap.* 33. *De Præb.* Cap. 15. SESS. XXIV. *Conc.* TRID.

VI. Episcopus jus habet impediendi, ne Capitulum concedat indulgentias. *Cap.* 14. 15. *De Pænit.* Cap. 1. 3. *E. T. in* 6. CLEMENTINA II. *E. T.* ostendunt, concessionem Indulgentiarum pertinere ad potestatem Episcopalem.

VII. Po-

VII. Potest accipere duos Canonicos, quos adhibeat juxta necessitates Diœcesis, & hac de re eos dispensare non solùm à præsentia ad Officium, sed etiam à Residentia, si illos secum ducat ad Visitationem; aut ipsos deputet, ut ipsi visitent; aut propter alia negotia Ecclesiastica. *Cap.* 7. 15. *De Cler. non Resid.*

VIII. Potest revocare Canonicos absentes, quamvis dispensatos à Residentia à Sancta Sede, nisi alii sufficientes sint, qui celebrent Officium Divinum cum decentia necessaria. *Cap.* 16. *De Cler. non Resid.*

IX. Si Capitulum statuat in materia gravi sine consensu Episcopi, Statutum est nullum. *Glos. in* Cap. 6. *De Constitut.* Cap 19. *De Præb.*

X. Cùm receptio Canonicorum pertinet ad Episcopum & ad Capitulum, & Episcopus consentit receptioni cujusdam supernumerarii, debet eidem conferre primam, quæ vacabit, Præbendam: decet, ut idem faciat in gratiam illius, cui Præbendam concessit, affectatam alteri, & qui eam hac de causa amisit. *Cap.* 17. *De Præb.*

XI. Potest unam Præbendam in duas partiri, cùm sufficit pro honesta sustentatione duorum hominum, & cùm causa justa hanc divisionem requirit, ut si Canonicorum numerus sufficiens non sit à quibus decenter Officium celebretur Divinum. *Cap.* 26. *De Præb.*

XII. Potest illos compellere, ut adsint Synodo quamvis sint exempti. *Cap.* 2. Sess. XXIV. §. *Synodi.* Cap. 5. *De Concess. Præb.*

XIII. Episcopus absolutus à suspensione potest conferre Præbendas suæ Collationis, quæ vacaverunt, dùm suspensus erat; licèt collatæ fuerint à Capitulo, in Regionibus etiam in quibus devolutum ab Episcopo ad Capitulum non rejicitur; quia locum non habet in hoc casu, nisi agatur de Præbendis, quas Capitulum confert conjunctim cum Episcopo. *Cap.* 9. *Ne Sede Vac. in* 6. Cap. 2. *De his quæ fiunt à Major. part. Capituli.*

XIV. Fundatur in jure quod dantur Confessores illis, qui componunt Corpus Capituli. *Cap.* 17. *De Pœnit & Remiss.* Cap. 2. *De his quæ fiunt à Majori &c.*

XV. Si qui Canonici interdicant Ecclesiam Cathedralem sine consensu Episcopi, quamvis id faciant ad bonum Capituli, Episcopus non debet servare Interdictum, nec pati ut illud servetur.

XVI. Episcopus jus habet impediendi, ne Capitulum det Monitoria, & idem faciendi quoad Archidiaconos. *Cap.* 3. Sess XXV. *De Ref.* Cap. 4. Sess. VI.

XVII. Potest Prælatus visitare Capitula etiam exempta, non obstante omni transactione, judicio, Consuetudine. Concilium non derogat præscriptioni, quia supponit Capitula non posse præscribere exemptionem Visitationis.

XVIII. Potest relinquere in suspensione, quandiu aptum judicabit, Canonicos, qui intra primum annum vacationis Episcopatûs, Sacros ad Ordines promoti sunt super dimissorias Capituli. *Cap.* 10. Sess. VII.

XIX. In locis, in quibus Capitula jus habent visitationis, Visitatores eorum opus habent approbatione Episcopi, & loca, quæ eadem Capitula visitaverint, poterunt adhuc ab Episcopo visitari, aut ab iis quos ad hoc eliget. *Cap.* 3. Sess. XXIV. Cap. 16. Sess. XXIV.

XX. Episcopus recenter promotus valet rationem postulare administrationis Ecclesiæ vacantis à Ministris deputatis à Capitulo, quamvis jam eamdem reddiderint Capitulo, & ab eodem receperint approbationem gestionis & liberationem; potest adhuc petere à Capitulo rationem Titulorum sive Documentorum Episcopatûs.

XXI. Potest etiam procedere extra tempus Visitationis contra Canonicos immunes; modò id faciat cum Canonicis duobus adjunctis, Electis anno ineunte à Capitulo, qui unum tantùm habeant Suffragium: si verò aliter sentiant ac Episcopus, debent eligere tertium cum eodem Episcopo; quod si non conveniant in Electione hujus tertii, Episcopus vicinus jus habet id faciendi. *Cap.* 6. Sess. XXV.

XXII. Jus habet occupandi primum locum in Choro, in Capitulo, in Processionibus, & in omnibus aliis actibus publicis, & habendi principalem partem, & autoritatem in omnibus negotiis Ecclesiasticis. *Ib.*

XXIII. Si quid proponendum habeat Episcopus Canonicis, quod neque ad sua, aut parentum commoda spectet, jus habet Capitulum convocandi, colligendi suffragia, & concludendi. *Ibid.*

XXIV. Ad Episcopum pertinet constituere distributiones quotidianas in Ecclesiis, quæ carent iisdem, & eas augere, si quibusdam sint in locis tam parvæ ut contemnantur, applicare ad illas tertiam partem redituum cujusque Dignitatis & Præbendæ, & ordinare ea, quæ Dignitates & Canonici lucrari debent unâ quaque horâ. *Cap* 3. Sess. XXI.

XXV. Si Dignitates, Personatus, Officia Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, nullam habeant functionem convenientem in iisdem Ecclesiis, potest iisdem aliquam addicere faciendam, ut ipsi videbitur opportunum, & convertere tertiam partem reditus horum Benificiorum in distributiones, quas Possessores amittent, quoties omittent functiones suas præscriptas adimplere. *Cap.* 3. Sess. XXII.

XXVI. Potest adhibere Clericos Seminarii in administrandis Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, diebus Dominicis & Festis. *Cap.* 18. Sess. XXIII.

XXVII. Si teneatur Seminarium suum alere, per pensiones in Clerum Diœcesis, potest & debet comprehendere Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus, in taxa imponenda ad Constitutionem harum pensionum. *Ibid.*

XXVIII. Potest cogere Canonicos omnes dispensatos à Residentia, ut Dispensationem ostendant, & hujus probent expositum. *Cap* 2. Sess. VI.

XXIX. Idem valet exigere ab omnibus Canonicis qui habent aliud Beneficium incompatibile; sive quia in altero loco est, & cogit ad Residentiam, sive quia extat in eodem loco, & functiones habet adimplendas, quæ simul cum illis, quæ ad Canonicatum spectant, fieri nequeunt.

XXX. Episcopi est approbare Imagines, Reliquias, Miracula, quoad omnem Ecclesiam etiam exemptam. *De Invocat. Sanctorum.* Sess. XXV. ac proinde quoad illam, in qua extat Capitulum.

XXXI. Jus habet visitandi Parochias unitas Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, & providendi ut illæ administrentur à Vicariis, dotibus requisitis ornatis, & potest assignare portionem Vicariis, quam censebit congruam. *Cap.* 7. Sess. VII.

XXXII. Jus habet Episcopus solus ordinandi Clericos Sæculares subjectos Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, atque ideò solius est Episcopi dare ipsis literas dimissorias. *Cap.* 10. Sess. XXIII.

XXXIII. Jus habet exigendi professionem fidei ab omnibus illis, quibus collatæ sunt Dignitates, necnon & collati Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium. *Cap.* 12. Sess. XXIV.

XXXIV. Spectat ad Episcopum, ut cum Capituli consilio determinet Ordinem Sacrum, qui debet addici cuique Præbendæ, & ordinet numerum Subdiaconorum, Diaconorum & Sacerdotum, qui debent esse in Capitulo. *Ibidem.*

XXXV. Potest cogere Canonicos, etiam in Dignitate constitutos, ipsi ministrare, cùm celebrat Pontificaliter, & celebrare hoc modo in locis immunibus à dependentia Capitulorum. *Cap.* 12. Sess. XXIV. Clementina II. *De Privil.*

XXXVI. Potest impedire, ne Canonici audiant peccata sine sua approbatione, nisi sint Curati aut Pœnitentiarii, & isti coguntur habere literas vulgò dictas *Visa* ab Episcopo. *Cap.* 15. Sess. XXIII.

XXXVII. Jus habet impediendi, ne Canonici Capitulorum etiam immunium prædicent contra ejus voluntatem, necnon & jus habet nominandi Prædicatores in sua Cathedrali, quemadmodum in aliis omnibus Diœcesis suæ Ecclesiis. *Cap.* 4. Sess. XXIV.

XXXVIII. Jus habet illos examinandi ad Ordines, quemadmodum & ad alia omnia, in quibus opus habent ejus approbatione. *Cap.* 11. SESS. XXIII. Subjicit expressè huic examini immunes Regulares, quorum exemptio est opportunior.

In Gallia Episcopus non potest supprimere, neque dividere Præbendas, & nullum iisdem onus imponere temporale absque autoritate Principis; quia hæ mutationes quoad temporale fieri non possunt, nisi à potentia temporali, quæ residet in Principe; aliunde Princeps habet notabile incommodum in his mutationibus, ratione sui Juris Regalis. Ob hanc ultimam rationem Episcopus non potest attribuere & addicere Ordinem Sacrum Præbendis sine approbatione Regis; si cogeret tantùm ad Ordinem Sacrum promoveri illum, qui promotus attigisset ætatem requisitam, ita ut Canonicatus possent adhuc conferri illis, qui sunt 14. annos nati. Episcopus non præsidet in Urbe METENSI, sed primum locum occupat; utrumque illi denegatur AUGUSTODUNI.

Sunt etiam nonnulla Capitula in Gallia, quæ non reddunt Episcopo honores, qui ipsi videntur debiti: Talia sunt illa, quæ neque primum illi locum tribuunt, neque Præsidentiam in Capitulo, quia Capitulum adit quasi Canonicus. Hæc ratio non est sufficiens; nam 1. *Concilium* TRIDENTINUM hos duos tribuit honores sine ulla distinctione: 2. Episcopus CASTRENSIS, cùm turbaretur & non posset frui his honoribus, *Sanctius Consilium* prohibuit, ne hac de re sollicitaretur, & in aliis honoribus à Præsidentia pendentibus, ut jure convocandi Capitulum, colligendi suffragia, concludendi ad pluralitatem vocum 26. Aprilis 1670. 3. Quemadmodum Episcopo primus locus non denegatur in Choro, non obstante omnis generis exemptione, ita pariter illi non debet primus locus in Capitulo denegari, nam hæc ratio nulla alia est, nisi quia est Caput Diœcesis, nec minus est in Capitulo, quamvis illud adeat tanquam Canonicus, quàm in aliis omnibus Conventibus, quia qualitate Canonici non amittit Capitis prærogativam; Quapropter Archiepiscopi ROTOMAGENSIS & ALBIENSIS, & Episcopus CADURCENSIS præsident in Capitulis, quæ adeunt tanquam Canonici; ob eandem adhuc rationem *Concilium* ROTHOMAGENSE 1581. in sua 12. Expostulatione ad Papam GREGORIUM XIII. petebat ab eodem, ut permitteret Episcopis unire Præbendas Dignitati eorum, ut per hanc viam jus habentes adeundi Capitulum, in eo præsiderent: 4. Arrestum Parlamenti PARISIENSIS ann. 1564. in gratiam Episcopi CATALAUNENSIS super Matronam, declarat præsidentiam in Capitulo pertinere ad Episcopum; nam illum manutenet in potestate illud convocandi pro negotiis Ecclesiæ & Regis, & convocatio Capituli posita est inter jura Præsidentiæ in Senatus-Consulto CASTRENSI.

Articuli spectantes ad Visitationem Curarum unitarum Capitulis, Confessionem, Prædicationem, observantur in Gallia. *Edict. Jurisdictionis* 1695. *Art.* 10. 11. 15. Reservatis Ecclesiis, in quibus est titulus, aut possessio legitima ad nominationem Prædicatorum, Episcopus solam habet approbationem & missionem. *Idem. Art.* 10. *citatus.*

Idem est de Articulis quoad ordinationem, & dimissorias. Senatus-Consultum *Consilii* SANCTIORIS contra Capitulum AUGUSTODUNENSE *an.* 1662. 28. Martii in eo formale est. Idem dicendum est de Edicto facto ab eodem Consilio, in gratiam Capituli METENSIS *ann.* 1670. 14. Februarii; præter quam quod excipiat casum, in quo Episcopus abest, nec debet ordinationem conferre. Quo in casu declarat, permitti Capitulo Cathedralis dare dimissorias, Dignitatibus, & Canonicis solùm, excludit expressè ab hoc privilegio alia Capituli ejusdem membra, Cantores Ecclesiarum Collegiatarum S. LAURENTII, & S. THEOBALDI, concedens his duobus Capitulis unum mensem, ut mittant acta probatoria suæ possessionis, & dent dimissorias, prohibet interea, ne dent istas Canonicis aut aliis sui Corporis membris. Arrestum in gratiam Episcopi CATALAUNENSIS super Matronam 15. Februarii *ann.* 1664. idem demonstrat; nam Episcopo facultatem conservat dandi dimissorias. Jus examinis ad ordinationem sequitur jus ordinationis; itaque Senatus-Consultum AUGUSTODUNENSE suprà citatum subjicit expressè Canonicos examini Episcopi, & etiam Magni Vicarii. Arrestum SANCTIORIS *Consilii* 26. Aprilis *ann.* 1670. supponit, Episcopum jus habere examinis in omnes ordinandos, cùm permittat Magno Archidiacono huic examini interesse.

Senatus-Consultum 11. Aprilis *an.* 1763. in gratiam Episcopi NOVODUNENSIS supponit Episcopum jus habere, ut sibi Pontificalia exercenti assistant Canonici Cathedralis; illud enim ordinat ut, cùm Episcopus Pontificio ritu celebrabit, duo Canonici teneant duas summitates sui Pluvialis in omnibus locis, in quibus solet teneri.

Idem Arrestum vetat, ne Capitulum idem excommunicationum fulmina vibret. Arrestum *Magni Consilii ann.* 1617. 30. Martii idem prohibet Archidiacono TRECENSI. Senatus-Consultum PARISIENSE *an.* 1619. 19. Januarii idem agit quoad Archidiaconos PARISIENSES.

Per multa Senatus-Consulta conservatur Episcopis jus, ut soli promulgent Jubilea & alias indulgentias Sanctæ Sedis: Talia sunt 1. Senatus-Consultum AMBIANENSE *an.* 1644. 26. Januarii; Senatus-Consultum NOVIODUNENSE *ann.* 1663. 11. Decembris. Arrestum SANCTIORIS *Consilii* in gratiam Urbis METARUM *ann.* 1670. 14. Februarii. Articuli à Clero Gallicano statuti Regulares, *ann.* 1645. declarant promulgationem Indulgentiarum pertinere ad Episcopum. *Art.* 10. Arrestum in gratiam Urbis METARUM supponit, Capitula Cathedralis cogi ad mittendos Deputatos Synodo, nam 1. assignat locum illorum Commissariorum, & statuit, ut sedeant propè Episcopum, & Magnus Vicarius à tergo & infrà Cathedram ejusdem Episcopi; si Magnus Vicarius Synodum teneat, eidem præsidet, & Deputati ejusdem Ecclesiæ immediatè post illum sedent. 2. Dat suffragium consultivum quoad Statuta Synodalia iisdem Deputatis.

Curæ visæ sunt cum Canonicatibus non congruentes per Arresta multa, ita ut Canonicus Curatus coactus fuerit intra definitum quoddam tempus optare, excepto casu, in quo Canonicatui pro sua institutione Cura addicitur. *Arrest. Parlamenti* PARISIENSIS 1673. I. *Augusti.*

Cætera jura & prærogativas Episcoporum erga Capitula collecta habes in novis Commentariis *Cleri Gallicani* TOM. II. ubi præcipuè notandum Decreta *Conc.* TRID. quæ Episcopis jubent, ut procedant cum consilio Capituli, seu vocatis duobus Canonicis, non servari in Gallia.

APPENDIX ad VIII. & IX. TITULOS,

Ubi colliguntur selecti Canones circa Canonicos & Dignitates, aliundè quam ex Corpore Juris depromptì, quibus supplentur ea, quæ in illo desiderantur.

DIVISIO COLLECTIONIS.

Qui colligendi, circa Canonicos, Canones ad DECEM SECTIONES *reducuntur.*

I. Nomen, eoque nomine significata peculiaris obligatio. II. Dignitas. III. Dignitatibus peculiaria. IV. Requisita in Canonico, scilicet Ætas, Mores, Scientia, Ordo. V. Quomodo recipiendus? VI. Ad quæ teneatur receptus? eaque

eaque sunt, facere Fidei professionem, promoveri ad Ordines, residere, assistere Divinis Officiis, canere, Missam vice sua celebrare, sive in ea ministrare, aliave munia per hebdomadam obire, Capitulis adesse. VII. Sessionis Ordo inter Canonicos ejusdem vel diversarum Ecclesiarum. VIII. Quæ Episcopi auroritas in Canicos quoad delectum eorum, quibus in negotiis Ecclesiasticis utatur, quoad Capitula convocanda, quoad visitationem, quoad Statuta examinanda, approbanda, reformanda? IX. Quæ observantia Canonicorum erga Episcopum? X. Quæ peculiaria Canonicis Regularibus?

SECTIO I.

Nomen, *eoque nomine significata peculiaris obligatio.*

Hoe nomen, *Canonicus*, vel latè vel strictè sumitur: Latè sumptum significat Clericum in Canone Ecclesiæ inscriptum, eoque sensu accipitur in *Cap.* 15. *Conc.* Arver. *ann.* 535. *celebrato*: Hoc antem Caput sic se habet quoad rem præsentem: *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in Civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis Officio deserviens, dicta Mysteria celebrat &c.*

Idem nomen strictè acceptum significat Clericum Canonicam Disciplinam peculiariter profitentem, eoque sensu hic accipitur: „Qui ad Clericatum accedunt, „ quod nos Canonicam vitam nominamus, volumus, „ut illi Canonicè secundùm suam Regulam omnimodia „ vivant, & Episcopus eorum regat vitam, sicut Ab„ bas Monachorum „. *Capitul. Carm. ann.* 789. *n.* 71. *Capitul.* Cap. 1. *n.* 69.

I. Ipsos Canonicos, cùm à Canone nomen sortiti sint, volumus, & jubemus eam vivendi regulam sibi præscribere, quæ aliis sit sanctæ conversationis exemplum. *Conc.* Turon. *ann.* 1583.

II. Ideò Canonici appellati estis, quod Canonicas Regulas vos velle observare cæteris arctiùs devovistis. Ivo. *Epist.* 69. *ad ipsos Canon. Stirpenses. Conc.* Mediol. I. Cap. 38. *Conc.* Rhem. *Tit* 21. *n.* 1. *ann.* 1583. *Conc.* Turon. Cap. 13. *ann.* 1583. *idem Conc.* Aquiles. *ann.* 1596. Cap. 16. *Concil.* Narbon. *ann.* 1609. Cap. 30. Souchet *in Epist.* 69. Ivonis notat quòd in Cemovicensi Diœcesi extet Cœnobium Canonicorum Regularium vulgò dictum *de Lectreppres Sancti Petri de stirpo.*

III. Canonici Cathedralium Ecclesiarum ea sint morum integritate ornati, ut nomen suum tueri & retinere possint, ac præ cæteris Clericis Canonici seu Regulares ex observata Ecclesiasticæ disciplinæ perfectiùs Regula nominari mereantur, à quibus cæteris studium & amorem, arctamque regulam Cultus Divini non pigeat accipere. *Syn.* Rothom. *an.* 1581. *Syn.* Aquen. *ann.* 1585. *De Canonicis* Aven. *ann.* 1594. C. 33.

IV. Ut de Canonicis paucis dicamus, respondeat eorum vita titulo; respondeat nomini; sint reipsa, ut sunt nomine, Canonici, *id est*, Regulares; neque enim clàm est, jam eorum originem Monasticæ disciplinæ fuisse; imitentur Apostolos & nascentis Ecclesiæ Ministros, quorum erat cor unum & anima una &c. *Actuum Apost.* 2. *Conc.* Colon. I. *Part.* 3. C. 3. *p.* 1536.

V. Quod quidem (à negotiis sæcularibus abstinere) Apostolicis documentis & omnium Sanctorum Patrum institutis, non solùm Monachis, verùm etiam Canonicis maximopere imperatur; nemo enim militaris Deo implicat se negotiis sæcularibus. Utrisque etiam præfatorum Patrum exemplis perspicacibus circumquaque, ut Mundo mortui sint, evidentissima ratione præcipitur. Bonif. *in Concil.* Romano. *anno* 510.

VI. Canonicos, qui ad hoc instituti sunt, ut exemplo Levitarum in Ecclesiis, certis & frequentibus horis Deum orent, & ei laudes canant, & Sacra Mysteria peragant; pura mente & Corpore Deum colere oportet, ut dum prò omni populo precantur, & imprimis accepti sint, & luceat lux eorum coram hominibus. *Conc.* Bituric. *ann.* 1584. *Tit.* 34. *init.*

VII. De Monasteriis, quæ infrà Parochias eorum sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundùm Canones, & Regulares secundùm Regulam vivant; & ubi aliter, quàm ordo popofcerit, invenerint, emendare studeant, & si emendare nequiverint, nobis nuncietur. *Capitul. Carm. ann.* 801. *num.* 38.

VIII. Canonici autem pleniter vitam observent Canonicam, & in domo Episcopali, vel etiam in Monasterio, cum omni diligentia secundùm Canonicam Disciplinam erudiantur, nequaquam foris vagari sinantur, non turpis lucri dediti curis . . . non litigiosi, non iracundi, non elati, non ebriosi; sed casti corde & corpore, humiles, modesti, sobrii, mansueti, pacifici, ut Filii Dei, digni ad Sacros Ordines promoveri. *Capitul. Carm. ann.* 802. *n.* 22.

IX. Lecti sunt Sancti Canones, ut quisque Canonicus Legem, vitamque suam minimè ignoraret, quod omnimodis non expedit, sicut in Decretali legitur Innoc. I. *Conc.* Rhem. *Cap.* 8. *ann.* 813.

X. In omnibus, quantùm humana fragilitas permittit, decrevimus, ut Canonici Clerici Canonicè vivant, observantes Divinæ Scripturæ Doctrinam & Documenta Sanctorum Patrum, & nihil sine Episcopi sui, vel Magistri consilio incompositè agere præsumant. In unoquoque Episcopatu ut simul manducent & dormiant, ubi bis facultas id faciendi suppetit; vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo Claustro maneant, & in singulis diebus manè ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur, ad Mensam verò similiter lectionem audiant & obedientiam secundùm Canones Magistris suis faciant. *Capitul.* Lib. V.

SECTIO II.

Canonicorum Dignitas.

I. Qui nunc vocantur Canonici, iidem babentur ac illi, quos Hyeron. vocat Ecclesiæ Senatum. *Cap.* 7. Caus. XVI. Quæst. I. *Epist. ad* Rusticum.

II. Novit tuæ directionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu Caput, & illi membra esse probantur: unde non decet, te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ negotiis uti; cùm id non sit dubium & honestati tuæ & SS. PP. Institutionibus contrarium. Alex. III. *Patriarch.* Jerosolim. *in Cap.* 4. *& de his, quæ fiunt à Præl.* Vide *§. Innotuit.* Cap. 4. in quo iidem qui suprà fratres & corpus Patriarchæ vocantur, fratres & Canonici appellantur *fratrum tuorum Canonicorum.*

III. Dignitatum & Canonicatuum . . . Electionem & probationem indicimus faciendam cognitione & judicio, ut idoneos, quos caro & sanguis non revelavit, eligant, spectatæ probitatis morum, etiam probatæ doctrinæ, ut meritò Senatus Ecclesiæ dici possit: In quo sibi persuadeant fore ad Ecclesiasticum gubernaculum dirigendum benè incitatæ voluntati maximum & perpetuum adjumentum; pertinent enim, qui Dignitates obtinent Canonici ad Caput, qui est Episcopus, tamquam nobiliora; pertinent verò ratione Ministerii, & Dignitatis, & loci propinquitate, & Ordine Ecclesiæ, ut nihil sit in horum altero, quod ad alterum non pertineat. *Concil.* Aquilei. *ann.* 1596. Cap. 10.

IV. Canonicos præsertim Cathedralium Ecclesiarum, qui Episcopi Consiliariorum nomine decorantur. *Concil.* Turon. Cap. 13. §. *Divinis verò.*

SECTIO III.

Dignitatibus peculiaria.

I. Cùm Dignitates, in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam Disciplinam fuerint institutæ, ut, qui eos obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos operâ & Officio juvarent: Meritò qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 12. *an.* 1563. ROTHOM. *De Capitul. n.* 25. *an.* 1581. BURDIGAL. Cap. 17. *an.* 1563. *Conc.* BITUR. TIT. 34. Cap. 5. *an.* 1584. *Conc.* MECLIN. 1607. TIT. 19. Cap. 2. *&* *an.* 1570. *Cap.* 2.

II. Quoniam Dignitates eò sunt institutæ, quò accuratiùs Officia pendantur Divina, gravitasque Sacerdotum in primis Chori subselliis assistentium elucescens, quemlibet exemplo suo ad sua munia ritè persolvenda impellat &c. *Conc.* BURDIG. Cap. 9. *n.* 21. *an.* 1624.

III. Si alicui ex Dignitatibus de Jure vel de Consuetudine, Jurisdictio, Administratio, vel Officium non competat; sed extra Civitatem in Diœcesi animarum cura immineat, cui is, qui Dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo, in Curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tamquam præsens in Cathedralibus habeatur. Hæc in iis tantùm Ecclesiis instituta intelligantur, in quibus nulla est Consuetudo vel Statutum, ut dictæ Dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem fructuum ascendat. *Conc.* TRID. SESS. XXII. Cap. 3. *an.* 1562. *Concil.* BURDIG. *an.* 1583. Cap. 17.

IV. Dignitates, scilicet Præpositi, Archidiaconi, Sacristæ, & Præcentores, Missam Majorem canant Festis solemnioribus. *Conc.* AQUEN. *an.* 1585. *De Canonicis.*

V. Si Præbendas non habent Dignitates non perpetuò unitas, serventur in qualibet Ecclesia ea, quæ Ministeria, ad eos, qui Dignitates obtinent, pertinentia, fuerint Statutis, aut Consuetudinibus recepta. *Conc.* TOLET. *Art.* 3. *Cap.* 9. *an.* 1566.

Nec habet Ordo Canonicus, ut in ea Ecclesia quis præpostero saltu præpositus sit, in qua numquam meruit esse suppositus. IVO *Carnot. Epist.* 95. *circa an.* 1100.

VII. Abusionem (qua Canonicis à fructuum perceptione suspensis restituuntur) omni penitùs colore carentem ipsis Præpositis inhibemus, volentes, ut vel ipsi retineant, convertendos in utilitatem propriam illos fructus, si Ecclesia eorum opus non habuerit reparatione tectorum; vel Ecclesiæ ipsi ad ornamenta fructus hujusmodi largiantur, potiùs quàm eos indignis, *hoc est*, inobedientibus, restituant, & in sua inobedientia taliter animent, ac sic ipsi præpositi inobedientiæ sint Autores. *Conc.* COLON. *an.* 1260. *Cap.* 12. Sunt alia in eod. Canon. circa Præpositos notanda.

VIII. Cùm Episcopus rem Divinam faciet solemniter, qui Dignitates obtinent, & antiquiores atque capaciores ex Canonicis, ei inserviant, debitamque præstent assistentiam. *Conc.* RHEM. *an.* 1583. TOM. XXI. *n.* 7. *Conc.* RHOTOM. *an.* 1581. *Conc.* MEDIOL. *an.* 1665. Cap. 38. *Part.* 2.

IX. Ordinis quoque ea servanda venit ratio, ut post eos, qui aliqua in Dignitate sunt constituti, primi Canonici Sacerdotes sedeant: Secundi Diaconi: postremi Subdiaconi subsequantur. *Conc.* TOLET. Cap. 9. *Art.* 3. *an.* 1566. MEDIOL. III. Cap. 24. *Conc.* TOLOS. *an.* 2590 *Regula* CRODEGAND. Cap. 2. vixit sub PIPINO, qui regnavit ab anno 752. ad 768.

X. Scholastici & Cancellarii, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, cùm lecturos aut decantaturos in his Ecclesiis Matutinarum Lectiones, Evangelia, Epistolas, docere teneantur, quo puncta & accentus legendo, vel cantando debitè observent; hoc munus sub pœna privationis fructuum suorum Officiorum arbitrio Capituli vel Episcopi, sollicitè exequi præcipimus, injungentes omnibus aliis dictarum Ecclesiarum Dignitatibus ea, quæ sunt suæ functionis, sub eadem pœna adimplere. *Conc.* TURON. *an.* 1583. *Conc.* TOLOS. *an* 1590. Cap 21. *n.* 3.

XI. Si Dignitates vel Personatus habentes infrà annum non se fecerint promoveri, à perceptione fructuum & obventionum, donec ad dictos Ordines sint promoti, eo ipso noverint se suspensos; &, si durante suspensione hujusmodi, se ingerere præsumpserint, prædictis Dignitatibus & Personatibus sint ipso facto privati. Volumus, quòd fructus amissi in utilitatem Dignitatum & Personatuum per Ordinarium & Capitulum integrè convertantur. *Ibid.* Cap. 51. *Conc.* AVENIO. *an.* 1337.

XII. Qui Dignitates vel Canonicatus in Ecclesia Cathedrali obtinent, & alii ejusdem Ecclesiæ Clerici, Dominicis ac Festis diebus solemnibus semper; Quadragesimæ autem & Adventus tempore, quàm sæpissimè, Verbi Dei Conciones in eadem Ecclesia audiant. *Conc.* MEDIOL. I. Cap. 6. *an.* 1565.

XIII. Capitula Cathedralium & aliarum Ecclesiarum tàm quoad Canonicos & Dignitates obtinentes, quàm quoad Capellanos, Vicarios & alios Ecclesiarum, habituatos in Civilibus & Criminalibus Episcopum poterunt prævenire iis casibus, quibus hactenus Jurisdictionem habuerunt; quam quidem præventionem autoritate Episcopi citatio, etiam sine textu deputatorum facta, excludet. *Ibid. De Correct. Cleric* Cap. 1. 2. *Conc.* MECLIN. *an.* 1570.

XIV. Canonici omnes tàm personales, quàm alii, suos Clericos tenere debeant, sicut fuit aliàs constitutum, dummodo tales teneant, qui aliàs in dicta Ecclesia non sint Beneficiati nec intitulati, seu aliquid certum pensum de Ecclesia pro ipsa percipiant. Contra facientes autem in tantùm de suo Beneficio puniantur, in quantùm Clerici, quos tenere deberent, possent commodè sustentari. *Num.* 14. *Constitut.* NICOS. *an.* 1320. quæ citatur hic Constitutio est *an.* 1248. quod ad rem facit, sic se habet *N.* 14. *Volumus, ut Persona duos Clericos non Assisios, & Canonicus unum in domo, secum habeant, qui eos associent, & ex quibus numerus servientium in Ecclesia augmentetur.* Non desunt etiam nunc in Gallia Ecclesiæ, in quibus Dignitates habere tenentur similes Clericos.

XV. Episcopi etiam tanquàm Delegati Apostolici ex fructibus & proventibus quibuscumque omnium Dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possunt, ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter sibi competens servitium juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquomodo dominium acquirant; sed Fabricæ Ecclesiæ, quatenùs indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, applicetur. *Conc.* TRID. SESS. XXII. Cap. 3. *an.* 1562. *Conc.* MEDIOL. IV. *an.* 1576. *Par.* 2. *Cap.* 13.

XVI. *Concil.* BURDIGAL. Cap. 17. *an.* 1583. præcepit, ut ad muneris functionem Dignitates ab Episcopis compellantur per amissionem fructuum, vel etiam Dignitatum privationem. Idem habet *Conc.* NARB.

SECTIO IV.

Quæ sunt requisita in Canonico? Scilicet, Ætas, Mores, scientia, Ordo Sacer, quæ omnia Jure Communi ex Dignitate petuntur.

§. I. ÆTAS.

Conc. RAVEN. II. Cap. 16. *ann.* 1310. exigit 14. an. completum ad Canonicatum Cathedralium, & 12. etiam completum ad Canonicatum Collegiatæ; ipsarum Cathedralium Canonicos non minores 22. debere institui decernens. *Conc.* TURON. *ann.* 1583. Cap. 13. *Conc.* TOLOS. Cap. 2. *n.* 1. *Par. Conc.* AQUILÆ. Cap. 10. *an.* 1596. Idem velle debent quæcumque cum *Conc.* TRID. annectunt his Canonicatibus Ordines Sacros. Horum Canones colliguntur infrà *§.* 4. *Hujus Tit.* 3.

§. II.

§. II.

Mores.

I. Ut Canonici & Clerici Civitatum, qui in Episcopiis conversantur, in Claustris habitantes, simul omnes in uno Dormitorio, simulque in uno reficiantur Refectorio, quo faciliùs possint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua admoneri & doceri; victum & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari ac turpibus se implicare negotiis cogantur, dimissoque Ecclesiastico Officio incipiant indisciplinatè vivere & propriis deservire cupiditatibus. *Conc.* Turon. *Cap.* 23. *ann.* 813.

II. Ut Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ Claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundùm Canonicam Regulam ideò militent. *Capitul. Car.* Calvi. 877. Cap. 9.

III. Quàm à vero aberrent, qui existimant, sese non alicujus Officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ tantùm causa Canonicatus esse adeptos: perinde atque satis sit, paucis quibusdam Clericis admodùm ignavis, tenui pretio conductis, curam Divini committi, quod deindè ejusmodi Mercenatii, non servatis temporum interstitiis, sincopaudo transcurrunt, interim Canonicis tota vita torpentibus. *Conc.* Colon. *ann.* 1536. *par.* 3. Cap. 5.

IV. Nec superpelliceis patulis, curiosiùs elaboratis & veluti altioribus pinnis ornatis, uti licere decernit; ridiculum est enim ad fastum & ostentationem abuti, eo quod ad demonstrandam simplicitatem animorum,& corporum puritatem,est religiosè introductum. *Conc.* Turon. *ann.* 1583.

V. Non fiantur (*Canonici*) Sæcularium hominum, aut litium, aut negotiorum, Procuratores esse, aut Actores, aut in Laicorum domibus habitare, & quas habuerint de Capitulis, turpis lucri gratia, Laicis locare, aut Mercaturam exercere, aut ad usuram dare, aut alium inhonestum quæstum sectari, aut illicitis lusibus, cibis, & epulis, aut aliis rebus vetitis dediti esse, aut cum suspectis & scandalo notatis viris & mulieribus versari, ne propter illos Dei & Ecclesiæ nomen blasphemetur, & Capitula ipsa infamentur. *Conc.* Rothom. *ann.* 1581. *Conc.* Bitur. *Tit.* 34. Cap. 8. *ann* 1584. *Conc.* Mediol. I. Cap. 34. *ann.* 1565. *Conc.* Turo. Cap. 14. *ann.* 1583.

VI. Capitula verò disciplinæ, quæ vocant, multo majori diligentia observentur, quàm hactenus: id ita fiet, si non tàm Prophanæ quàm res Sacræ in his tractentur, si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum; & quod olim SS. PP. fecisse dignoscuntur, ex temporali Oratione interdum commoneantur frattes. *Conc.* Colon. I *par.* 3. Cap. 14. 15. 16.

VII. Si quos Decanus rebelles cernat, si Divini Cultus atque Officii sui negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta foventes, aut aliis publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusaverint, agat in his Capitulis quod jubet Paulus *Peccantes coram omnibus argue &c. Ibid.* Cap. 15.

Idem habet Syn. August. 1548. *Cap.* 9. in utroque loco Decano tribuitur potestas à Sacris arcendi inobedientes.

VIII. Quoniam in toto Ordine Clericali Canonicos decet præ cæteris esse conspicuos, idcircò ab ipsis multò potiore jure morum gravitatem, totiusque corporis habitus decentem quamdam speciem Synodus deposcit: Curabunt ergo, tàm in Ecclesia quàm extra, virtutum studio cæteris prælucere. *Conc.* Aven. Cap. 53. *ann.* 1594.

IX. In Dignitatibus vel Personatibus constituti, vel Canonici Cathedralium Ecclesiarum per Civitates incedentes, portent habitum decentem, videlicet Cappas vel Chlamydes. *Concil.* Raven. III. *Cap.* 10. *ann.* 1314. *Conc.* Raven. IV. Cap. 4. *ann.* 1317.

X. Ut uniformitas in almutiis Beneficiatorum servetur, statuendum duximus, quòd Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum utantur almutiis nigris, fortatis, minutis, variis: & alii beneficiati in dictis Ecclesiis, etiam nigris, non tamen forratis minutis variis. *Concil.* Paris. Cap. 2. *ann.* 1346.

XI. Quæcumque de vita & honestate Clericorum statuta fuerint, quam diligentissimè omnibus Canonicis aliisque Ecclesiarum Metropolitanarum Cathedralium & Collegiatarum Beneficia obtinentibus, sive Dignitates, aut Officia sint, observari præcipimus: Cùm tales deceat à Canonicis Sanctionibus ne transversum quidem unguem recedere, qui propterea Canonici sunt appellati. *Conc.* Narbo. Cap. 3. *ann.* 1609. *Concil.* Aquen. *ann.* 1585. idem dixerat.

XII. Cætera, quæ ad vitam & honestatem Canonicorum spectant, diligenter observentur. *Conc.* Rothom. *De Capitul. n.* 35.

Memoratas itaque Sanctorum Patrum sententias, quibus Clericalis Ordo ad benè videndum instruitur, sedulò perlegat, & diligenter pertractet quisquis Canonicam professus est vitam. Quas cum benè perscrutatus fuerit, patenter inveniet, quòd illi non enervatè, sed Religiosè vivendum sit. *Conc.* Aquisgr. Cap. 113. *in fine. ann.* 816.

Continuatio Canonum ad Mores pertinentium.

XIII. Scripturis Sacris nitentes decernimus, ut omnes sint unanimes Officiis Divinis, lectionibusque Sacris assidui, atque ad obedientiam Episcopi sui, Præpositique, ut Ordo Canonicus deposcit, parati, charitate connexi, Zelo bono, ferventissimoque amore conjuncti, à litibus, vel scandalis, seu odio semoti. *Prolog. Reg.* Crodegand. *Sæc.* VIII.

XIV. Si quis circa hoc, quod de Choro, vel ejus honestate statuimus, deliquerit, per Cantorem, si fuerit in minoribus Ordinibus, vel per Decanum si fuerit in majoribus Ordinibus, corrigatur. *Const.* Nicol. *ann.* 1348.

XV. Si qui Canonici suspensi decesserint, Ecclesiæ annis gratiæ & eorum fructibus non fraudentur post obitum cujuslibet ex Consuetudine currentibus; sed ipsis cedant Ecclesiis pro reditibus perpetuis comparandis ad communem utilitatem Ecclesiarum: Ne Ecclesiæ ipsæ ex alieno delicto jacturam sentiant. *Ibid.* Cap. 14. *Conc.* Colon. *ann.* 1310.

XVI. Fructus Canonicorum suspensorum, durante suspensione eorumdem, cedant Capitulis ad communes usus Ecclesiarum suarum, prout in Ecclesia nostra Coloniensi observatur, cui expedit in hoc casu cæteras maximè Diœcesis & Provinciæ Ecclesias conformari; ne ipsi Canonici sic suspensi, eosdem fructus, per aliquas alias personas singulares, sibi ex aliqua Consuetudine, imò potius corruptela, ipsos competere asserentes, recuperent. *Ibid.* Cap. 18.

XVII. Præcipimus, ut Consuetudines Cathedralium Ecclesiarum redigantur in scriptis, ne valeant ignorari. *Cap.* 8. *Conc.* Castr. Gontar. *ann.* 1231.

XVIII. Cohibeant Episcopi Cantores, Organistas, & Campanarios, & alios quoscumque à lascivia militari, & quavis indecora musica, in cantu, organis & campanis, sub pœna fustetorum ad pios usus, arbitrio Episcoporum applicanda. *Conc.* Meclin. *ann.* 1570. *De Officio.* Cap. 10.

§. III.

Scientia, *Qua comprehenduntur gradus Academici illam authentantes.*

I. Hortatur etiam Sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes & saltem dimidia pars Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico. *Conc.* Trid. Sass. XXIV. Cap. 12. *ann.* 1565.

II. *Conc.* Toletan. *ann.* 1566. *Act.* 2. *Cap.* 29. præcipit

cipit, ut servetur in Provincia TOLET. relatum Decretum; idque, quia in illa commodissimè servari potest: Vult prætere, ut Canonicatus, qui semel in Decreti hujus executionem Graduatis collati fuerint, aliis deinceps conferri nequeant.

III. Idem Decretum *Concil.* ROTH. C. *De Episcopis & Capitul. ann.* 1581. recepit, sed illud ad Decanum, sive Præpositum, Archidiaconum, & Pœnitentiarios restringit. Idem facit *Concil.* BITUR. *Tit.* 34. C. 5.

IV. *Concil.* RHEM. *ann.* 1583. extendit ad omnes Canonicatus, sicut & ad Dignitates: hæc enim habet: „ Qui ad Canonicatus & Dignitates in Ecclesiis „Cathedralibus, sive Collegiatis insignibus assumentur, „ sint Magistri, vel Doctores in Theologia, aut etiam „ Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico, qui emi„ nenti scientiâ, si decorati nequiverint, saltem compe„ tentem habeant, quam hi censentur habere, qui „ possunt expeditè quæ sui Officii sunt explicare & exequi „. *De Capitul. n.* 2.

V. Divinis Officiis peractis Canonicos præsertim Cathedrales oportet Libros præsertim Sacros legere, non verò huc & illuc discurrere, & vagari, aut desides esse: Multum etenim *Reip.* CHRIST. interest, ut sint in Ecclesia viri Docti, qui cæteros ad justitiam & pietatem invitent & erudiant. *Concil.* TURON. C. 17. §. *Divinis. ann.* 1583. *Idem Conc.* §. 1. dixerat Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, cæteris debere viris literatura micantibus prælucere.

VI. Mnnentur Episcopi & Capitula Ecclesiarum, quæ jus Electionis, Collationis aut Provisionis habent, ut neminem ad Canonicatus seu Præbendas admittant nisi quem doctrina competenti prædictum agnoverint. *Concil.* BITUR. *Tit.* 34. C. 1. *ann.* 1584.

VII. Curent diligenter Prælati, ut ubi, & quando commndè fieri potuerit, juxta *S. Concil.* dispositionem, saltem dimidia eorum (Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis) pars, vel in Sacra Pagina, vel in Jure Canonico Doctores, aut Magistri, aut Licentiati existant. *Statut. Eccl. Mexic. p.* 1. Cap. 8. §. 1.

VIII. Canonicos, quos in consilium adhibere solent Episcopi . . . eruditione valere æquum est . . . ut Officii Dignitatem probabili opinione apud vulgus sustineat. *Conc.* TOLOS. C. 2. *n.* 1.

IX. Ea sit in literis scientia, & in Ecclesiasticis Doctrina, ut Ordinem assequi Præbendæ valeant; nisi enim idonei in examine ad Ordinem Præbendæ, quæ confertur, extiterint, inhabiles ad Canonicatum pronunciamus; Collationem verò, aut quamcumque promotionem de illis ad Canonicatum irritam & cassam declaramus. *Concil.* AQUILEI. C. 10. *ann.* 1596.

§. IV.

Ordo, quem requirit Canonicatus.

I. Neminem deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem, recipiant, nisi in eo Ordine Sacro sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit, aut in tali ætate, ut infrà tempus à Jure & ab hac S. Synodo statutum initiari valeat. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 12. *ann.* 1563.

II. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac Portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatûs, Subdiaconatûs. *ibid.*

III. Quibus Canonicatibus ac Portionibus non est annexus Ordo Presbyteratûs, Diaconatûs & Subdiaconatus, his Episcopus cum consilio Capituli singulis singulos Ordines annectat. *Conc.* MEDIOLAN. I. C. 38. *ann.* 1565.

IV. *Conc.* TOLET. *ann.* 1566. *Act.* 3. *C.* 9. præcipit, ut cuique Canonicatui Ordo annectatur, dummodo dimidia pars sit Sacerdotum

V. *Conc* MEDIOLAN. V. *an.* 1579. *Part.* 3. *C.* 3. ubi primum unicuique, vel Canonicatui, vel Portioni Sacer aliquis Ordo annexus ab Episcopo est, ad eum Ordinem suscipiendum Canonicus, etiam qui jam illud obtinebat, compellatur.

VI. *Conc.* TURON. *ann.* 1583. supponit Subdiaconatum Canonicatui Cathedr. Ecclesiæ saltem annecti, dum vetat, ne conferatur iis, qui minores sunt 22. annis. Vid. §. 1. *hujus Tit.* 3.

VII. Si in quibusdam Ecclesiis nonnullæ Præbendæ Subdiaconis destinatæ sint, Consuetudo servetur. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *Tit.* 34. C. 2.

VIII. Ecclesiæ majestati & amplitudini consulentes nullum in album Canonicorum in Cathedrali adscribi volumus, qui Subdiaconatûs Ordinem adeptus non sit, aut saltem in ea ætate non sit constitutus, quâ intra annum Subdiaconatu donari possit. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1590. *Part.* 1. C. 2. *n.* 1.

IX. Ætas promovendorum ad Canonicatus ea saltem debet esse, quæ Sacro Ordini Præbendæ conveniat *Conc.* AQUILEI. *ann.* 1596. C. 10.

Quæ verba ostendunt *Concilium* supponere aliquem ex Sacris Ordinibus Canonicatibus annexum esse.

Conc. NARB. *ann.* 1605. *Cap.* 30. supponit, annexos esse à *Conc.* TRID. Sacros Ordines Canonicatibus, dum vetat Canonicatus conferri iis, qui ætatem à *Conc.* TRID. præscriptam non attigerint; non enim aliter ætatem ad Canonicatum præscripsit, quàm Sacros Ordines illi annectendo.

SECTIO V.

Quomodo recipiendus?

I. Si qua adhuc pro Consuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alii Ministri ab his, qui Canonici fiunt, me contradicente & persequente, Romanæ Ecclesiæ Consuetudine se defendunt, in qua dicunt, cubicularios Ministros Sacri Palatii multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ Oblationis vel Benedictionis nomine pallantur, cùm nec calamus, nec charta gratis ibi (*ut aiunt*) habeatur, & hoc quasi lapide conterunt frontem meam; cùm non habeant, quid respondeant, nisi Evangelium illud, quod dicunt, *servate & facite, sed si aliud faciunt, secundum opera eorum nolite facere.* IVO *Carnot. Episc.* 133. RICHARDO *Legato.*

II. Verùm exactio, quæ pro Canonicorum ingressu in plerisque locis suspicione simoniæ, seu sordidæ avaritiæ non caret, fieri nullo modo permittatur, quamvis laudabiles consuetudines, in *Concilio* TRIDENT. non damnatas, approbemus, earum quæ in usus pios conferri solent. *Concil.* RHEM. *ann.* 1583. *De Simon. n.* 11. *Concil.* AVINION. C. 33. *ann.* 1594. citat etiam *Concil.* TRID. *& Bullam* PII V. *quæ est* 106. *Citatum autem Concil. Decretum est in* Cap. 14. SESS. XXIV. *an.* 1563. *Concil.* AQUILEI. *an.* 1596. C. 6. *Concil.* BITUR. *Tit.* 13. C. 4. *ann.* 1584.

III. Nullus instituatur vel recipiatur in Fratrem & Canonicum alicujus Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatæ.. vel Canonicum Regularem, sine licentia speciali Ordinarii loci ac Metropolitani, si videatur opportunum Ordinario loci . . . decernentes exnunc prout extunc irritum & inane quidquid contra factum fuerit, seu attentatum. *Concil.* RAVEN. IV. C. 5. *ann.* 1317.

„ Id autem prohibere dicit, quia indigni sæpius „ recipiebantur, vel importunitate Laïcorum, vel affi„ nitate, seu consanguinitate, vel inordinata dilectione.

IV. Etsi deceat & satis consonet rationi & Juri quibuscumque Clericis Collegiatarum Ecclesiarum, certum & determinatum numerum habere Clericorum, tantò magis Canonicis Cathedralium hoc competit, quantò tanquam Caput aliorum in seipsis debent ostendere, qualiter inferiores in domo Dei conversari debent; non plures in quibuscumque Ecclesiis debent institui, quàm ex bonis ipsarum vivere possint; hoc maximè in Cathedralibus servari debet, ne propter inordinatam Constitutionem cogantur ipsorum Canonici in opprobrium totius Cleri miserabiliter mendicare. *Conc.* RAVEN. IV. C. 8. *ann.* 1713.

„ Hinc

„ Hinc nata videtur divisio Præbendarum , qua „ facta, timendum non erat, ne plures reciperentur, „ quàm Ecclesiæ facultates alere possent. .

V. Nec ferendus nobis diutiùs videtur mos ille irrationabilis, quo ad unam Præbendam receptus, ob suos in eadem Præbenda Antecessores non receptos (à quibus jus non hsbet, sed potiùs à conferente vel instituente) pecuniariam statuariam sæpiùs exolvere compellitur. Nec ignoramus, quosdam Decanos & Capitula in eo esse usu, ut hæc pecuniaria onera (quibus recèns recepti contra Sacrorum Canonum dispositionem, gravantur) in dies novis quibusdam adinventionibus graviora, ac tandem importabilia efficiant, quod penitùs improbamus. *Conc.* Colon. I. *ann.* 1536. *par.* 3. *C.* 22.

SECTIO VI.

Ad quæ teneatur receptus? eaque sunt, 1. Facere Fidei professionem. 2. Promoveri ad Ordines. 3. Residere. 4. Assistere Divinis Officiis 5. Canere. 6. Missam celebrare, sive in ea ministrare, aliave munia per hebdomadam obire. 7. Capitulis adesse.

§. I.

Fidei Professio.

I. Provisi de Canonicatibus & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solùm coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere (professionem fidei intra duos menses) teneantur, alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. *Conc.* Trid. Ssss. XXIV. Cap. 12. *ann.* 1563. *Conc.* Msdiolan. I. *ann.* 1565. *par.* 1. *C.* 1. *Conc.* Rothom. *De Capitul. n.* 19. addit, repetendam esse quatenùs in Capitulis Generalibus. Idem habet *T. De Fide.* Formula, quam probat, ea est, quæ à Pio IV. præscripta est. *Conc.* Rhem. *ann.* 1583. vult, illam professionem fieri ante admissionem ad Canonicatum, & juata eamdem formulam. *C* 2. *n.* 1. idem præcipit. *Conc* Buroigal. *ann.* 1583. *Tit.* 1. *in fine. Conc.* Turo. *ann.* 1583. *Tit.* 1. tres menses concedit ad eamdem professionem; vetat, ne fiat per Procuratorem; amissos fructus applicat Seminatiis erigendis.

II. *Conc.* Bitur. *ann.* 1584. *Tit* 1. exigit etiam à Canonicis recipiendis professionem fidei, juxta Bullam Pii IV. Idem præscribit *Conc.* Aquen. *ann.* 1585. *Tit.* 1. *Conc.* Mexican. I. *Tit.* 1. *§.* 1. sequitur dispositionem *Concil.* Trident. Eamdem fidei professionem postulat à Canonicis *Conc.* Tolos. *ann.* 1590. a. 4. *Tit.* 1.

III. *Conc.* Avanion. *ann.* 1594. *Tit.* 6. describit locum *Concil.* Trident. suprà relatum. Idem facit *Conc.* Aquil. *ann.* 1596. *C.* 1. Utrumque mandat servari hac in re *Conc.* Trident. Decretum *Conc.* Meclin. *ann.* 1607. *Tit.* 1. *C.* 2. idem Decretum innovat. *Conc.* Naabo. *ann.* 1609. *C.* 1. vocat intrusionem, Canonicatûs professionem, non facta fidei professione, præcipitque, quòd, si provisus sit absens, eam faciat coram Ordinario loci, in quo residet.

IV. *Conc.* Burdigal. *ann.* 1622. *Tit.* 1. a. 5. declarat, tuta conscientia retineri non posse fructus Beneficii, non facta prius fidei professione.

V. Inquiratur de ejus, cui provisum est, fide & ante acta vita, ne sit de quo posteà Capitulum pudeat aut pœniteat. Idem fiat de his, quibus à Sede Romana provideatur in forma dignum. *Concil.* Rothom. *ann.* 1581. *de Epist. n.* 18.

§. II.

Promoveri ad Ordines.

Ordines Sacri Canonicis necessarii sunt, vel ad gaudendum juribus, quæ Canonicis in Sacris constitutis reservata sunt, vel ad obeunda munia, quæ Canonicatibus suis peculiariter sunt annexa. Colligendi Canones vel primum, vel alterum casum respiciunt, vel utrumque simul.

I. Ut ii, qui Divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis, Sæcularibus, vel Regularibus Ecclesiis, sunt mancipati Officiis, vel in posterum mancipabuntur, ad suscipiendos Sacros Ordines propentiùs inducantur, Statuimus, ut nullus de cætero in hujusmodi Ecclesiis vocem in Capitulo habeat, (etiamsi hoc ab aliis liberè concedatur) nisi saltem fuerit in Sacro Subdiaconatùs Ordine constitutus; illi verò, qui Dignitates, Personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi annexi Ordines, pacificè nunc obtinent in eisdem Ecclesiis, vel obtinebunt in futurum, nisi justo impedimento cessante ad hujusmodi Ordines se fecerint promoveri intra annum, extunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant earumdem, ipsisque distributionum, quæ dantur iis, qui certis horis intersunt, pars dimidia substrahatur, non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus vel Statutis, pœnis aliis, quæ contra tales promoveri recusantes statuuntur in Jure, nihilominùs in suo robore permansuris. Clsmentina II. *De Ætate & Qualit.* regnavit Clemens V. ab anno 1305. ad annum 1315. *Conc.* Trid. eam Clsmentin. iisdem ferè verbis relatam expressè innovat. Sssi. XXII. *C.* 4. *ann.* 1561.

Decani, quicumque promotionis suæ tempore non fuerint in Sacris Ordinibus constituti, eos incunctanter recipiant gradatim de Ordine ad Ordinem ascendendo. *Conc.* Colon. *ann.* 1260.

Intra tempus in Jure expressum Ordinem Sacerdotalem recipiant, receptionem non præsumant protrahere, nisi specialiter à nostra licentia valeant obtinere. *Ibid.*

II. Canonicus Sacrum Subdiaconatûs Ordinem non adeptus, vocem in Capitulo non habeat, nec stalum superiorem in Choro ascendat, nec Canonicos Presbyteros præcedat, aliosque in Sacris constitutos. *Conc.* Turon. *ann.* 1583. *Conc.* Bitur. *ann.* 1484. *Conc.* Burdigal. *ann.* 1583. *C.* 17. *Conc.* Narbon. *ann.* 1609. *C.* 30. Neque Beneficia conferre possit. *Conc.* Bitur. *ann.* 1584.

III. Canonici ad Sacros Ordines intra ætatis tempus à Jure præscriptum promoveantur; & cùm honorem Sacerdotalem adepti fuerint, ante semestre Ministerio Altaris inservire incipiant &c. *Conc.* Rothom. *De Capit.* a. 50. *ann.* 1581.

IV. Qui ad eumdem Ordinem (Sacerdotalem) promovebitur, Missam primam, intra trimestre à die promotionis, celebrare compellatur. *Conc.* Rhem. *C.* 21. *n.* 5. *ann.* 1583.

V. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonici & alii Officio Divino addicti, sint vel Presbyteri, vel Diaconi, vec Subdiaconi. . . . ita ut dimidia pars Presbyterorum sit; ubi verò Consuetudo laudabilis hsbet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, omninò servetur. *Conc.* Trid. Cap. 12. Ssss. XXIV. *De Ref. Conc.* Burdigal. *C.* 17. *ann.* 1583.

VI. In ea ætate institutis injungimus, ut intra annum à die pacificæ possessionis ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promoveantur, illis alioqui fructus Præbendarum suarum, donec promoti fuerint, minimè percepturis. *Conc.* Turon. *ann.* 1583. *C.* 13.

Notanda duo hic occurrunt: 1. Annum numerandum à die pacificæ possessionis, id innuerat Clement. citata: 2. Non promotum intra tempus fructus Præbendæ amissurum, quæ pœna nec à Clement. nec à *Conc.* Trid. exprimitur.

VII. Idem habet *Conc.* Burdigal. *C.* 17. *ann.* 1583. recepti verò Canonici, vel ad Dignitatem admissi, qui jam sunt in ea ætate, ut promoveri possint, moneantur, ut intra tempus à Jure præfixum, Ordinibus Sacris requisitis initientur. Quòd si monitioni parere neglexerint, hoc tempore elapso suarum Præben-

Præbendarum vel Dignitatum fructibus, per Capitulum juxta Sacrorum Sanctiones priventur.

VIII. Compellantur Canonici ab Episcopis vel Capitulis intra annum à die receptionis, ubi ætatem idoneam attigeriot, Sacrum Subdiaconatûs Ordinem suscipere, reliquosque intra tempora Sacris Canonibus coustituta adipisci. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584. *Tit.* 34. *C.* 2.

Subintelligenda est conditio pacificæ possessionis, quia in iis Legibus exceptus censetur casus legitimi impedimenti, & tale est lis circa Beneficium Ordinem requirens.

IX. Ea tamen lege, nt quamprimùm 25. ætatis attigerit, Presbyteratum initietur. *Concil.* TOLOS. *an.* 1599. 1. *Part. C.* 2. *n.* 1.

Præmisetat promovendum ad Canonicatum debere esse Subdiaconum tempore promotionis, vel intrà ætatem ad hoc requisitam; unde sequitur *Concilium* Subdiaconatum in Canonico postulare, non ut in eo permaneat, sed ut gradum, qui ad sperandum inducat illum ad Sacerdotium ascensurum.

X. Ne Sacrorum Canonum rigore remisso Dignitatem obtineutes in minoribus adhuc constituti negligant promoveri: Decernimus, eos, justo impedimento cessante, infrà annum ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem promovendos; aut secùs ex eo tempore, donec ad eumdem Ordinem promoti fuerint; dimidiam illis partem distributionum, quæ dantur his, qui certis horis intersunt, substrahendam esse, non obstantibus quibuscumque Consuetudinibus, vel Statutis, præcipimus: Crescente verò negligentia aliis etiam eos pœnis ad præscriptum Sacrorum Canonum afficiendos, atque adeò usque ad privationem Dignitatis ab Ordinariis coercendos. *Conc.* BURDIGAL. *ann.* 1624. *C.* 9. *n.* 9.

§. III.
RESIDERE.

Infiniti propemodum sunt Canones, qui de Residentia Canonicorum expressè vel tacitè loquuntur. Notabiliores tantùm hic colligentur, nec omnes sub isto Titulo, imò multò plures sub proximo, quia ad Residentiam potissimum ex eo teneutur, quod Divinis Officiis adesse debeant.

I. Obtinentibus Dignitates, Canonicatus, Præbendas, Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti aut Consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominùs earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione Præbendæ ac Residentiæ fecit suos. Quòd si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: Crescente verò contumacia, contra eos procedatur juxta Canonum Constitutiones. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 12.

II. Constitutiones citatæ præcipiunt, ut hujusmodi priventur Beneficiis suis: Tales sunt *C.* 2.4.6.8.9.10.11.

III. *Concil.* TOLET. *an.* 1566. *Art.* 2. *C.* 30. præcipit hujus Decreti observationem, hæc addens: *Sic quidem, ut præmissa vocatione per Edictum, sequestratione fructuum, & applicatione eorum partis, quæ quidem pars vel in pios usus, vel in Fabricæ Ecclesiæ utilitatem expendi debet, ejusque Oeconomo tradi, adversus absentes procedatur; qui, si contumaces fuerint, citari prius personaliter, vel ad domum, si id commodè fieri possit, alioqui per Edictum, etiam privatione puniantur.*

IV. *Concil.* MEDIOL. XIII. *ann.* 1565. & *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. de Residentiam Canonicorum non residentium præcipiunt, ut Canonicorum non residentium nomina tertio quoque mense Episcopo deferantur. *Concil.* MECLINENSE *ann.* 1570. *Tit. de Ministris* tres tantùm menses absentiæ concedit, etiam Dignitatibus.

V. Omnes Canonicos, & qui Dignitatem in Ecclesiis Cathedralibus obtinent ad Residentiam actualem obligari decernimus, sub pœna amissionis fructuum, nisi ex legitima causa explicanda & scriptis tradenda, absentes fuerint: Ita tamen, ut contra Dignitatum, Canonicatuum & Præbendarum fundationes & institutiones non possit Capitulum judicare. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Capit. n.* 23. *Concil.* TRID. Decreti mentionem non facit, excipit fundationes, de quibus nihil dicit. TRID. Decretum causam relaxationis vult scriptis tradi, de causa judicium Capitulo tribuit.

VI. Inter absentes justa de causa recenset Canonicos de comitatu. *Num.* 24.

VII. Admissus resideat, nec ei diutiùs, quàm trimestri liceat abesse, (si tamen tantùm temporis absentiam patiatur illa Ecclesia, nec majorem assiduitatem desideret) sub pœnis in *Conc.* TRID. contentis.

Quod si legitimam absentiæ causam proferat, de ea ita Superior judicet, & nihil ei statuere liceat contra Dignitatum & Canonicatuum Constitutiones, & fundationes. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *C.* 21. *n.* 3.

VIII. Executioni mandat Decretum TRID. addit exceptionem justæ causæ quæ subintellecta est in Decreto; de illa judicium tribuit Superiori, vetat derogari fundationibus.

IX. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1583. *C.* 17. idem habet de concesso absentiæ tempore quod Decretum TRID.

X. Grossos Canonici non percipiant, donec personaliter recepti fuerint, & Divinis Officiis, saltem singulis annis, per tempus in singulis Ecclesiis grossis fructibus percipiendis præstitutum, interfuerint, dummodo nimiùm breve non sit, quale triduum foret. *Concil.* TURON. *ann.* 1583. *C.* 15.

XI. Cum assiduis laboribus aliquod temporis intervallum ad requiem intermittendum sit, permittit, ut Præbendati 60. diebus ad requiem potiantur, quos etiam ipsi eligere poterunt. *Concil.* MEXIC. *ann.* 1585. 3. *Tit.* 6. *§.* 2.

XII. Humanæ infirmitati, aliquo, ut par est, indulgentiæ præsidio subvenire volens, quo suavior atque ferventior Officiorum celebratio fiat, singulis omnium Cathedralium Ecclesiarum Præbendatis 70. dierum requiem quolibet anno concedit; quemadmodum in Titulo *De Clericis non Residentibus* inviolabiliter observanda Sanctione decrevit: idem *Concilium* Statut. *Par.* 3. *C.* 7. *§.* 1.

XIII. In præfatione meminit Decreti TRID. suprà relati: locus hic non convenit cùm præcedenti desumpto ex Tit. *De non Residentib.* in numero dierum, undè probabile quòd illud, *quemadmodum*, cadit super requiem, non super durationem.

XIV. Ediscimus illos dici verè & propriè residentes, qui ad Divina in Ecclesiam convenientes, laudes Deo persolvunt, ex instituto Ecclesiæ, munera obeunt, vel communia, vel propria, Divinis animo, ore, toto corpore intendunt. *Concil.* AQUIL. *ann.* 1596. C. 7.

XV. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1607. *Tit.* 19. *C.* 2. jubet servari Decretum TRID. circa Residentiam Canonicorum.

XVI. Sed & illa fraus longè amovenda, quâ, quod cuilibet Canonico per tres menses abesse concedatur, quidam tuti nullam ferè Residentiam Ecclesiis exhibere dignoscuntur. Decernimus igitur tres illos absentiæ menses ita numerandos esse, ut in iisdem omnes dies sive continui, sive non continui, & interpolati, concludantur: Unde, qui à Residentia ultra tres menses eo modo reductos abfuerit, pœnis à Sacris Canonibus contra absentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra Sacros Canones dispensare non posse, censemus. *Concil.* BURDIGAL. *ann.* 1624. *C.* 9. *n.* 7.

XVII. Si qui in celebri Universitate Theologiæ, aut Sacrorum Canonum professioni studium, strenuamque operam navare desiderant, licentia, privilegioque percipiendi in absentia fructus Præbendarum, ita demum

demum potiantur, si minores tribus annis existentes docibiles fuerint judicati; & postquam præsentes recepti, & promoti fuerint, saltem ad Subdiaconatum, nec quicquam tale indultum ultra quinquennium suffragetur. Quando autem in Universitatibus studiorum causa manebunt; tamdiu Præceptorum suorum testimonium literis authentitis confirmatum quotannis exhibere tenebuntur, se serio studiis incumbere, assignatam studiorum causa portionem, nec quamvis aliam, haud aliter assecuturi. *Conc.* Turo. *ann.* 1510. *Conc.* Tolet. *ann.* 1339. C. 3. *Conc.* Colon. I. *p.* 2. C. 21. *ann.* 1536. *Conc.* Colon. II. *ann.* 1549. C. 5. 6. *med.* 1. in quo plura notanda *Conc.* Tolet. *Art.* 3. C. 23. *ann.* 1339. *Conc.* Tolos. *an.* 1590. C. 1. 1. *par.* n. 5. & *par.* 4. C. 7. *n.* 9. 10. 11. *Conc.* Aquil. *an.* 1596. C. 7.

XVIII. Qui optimæ indolis juniores Canonici non vulgarem futuræ eruditionis expectationem concitarint, perfecta prima Residentia, in Academiis exterisque Universitatibus, perficiendorum studiorum causa, per quinquennium ad summum poterunt detineri. Hi verò temporis fideliter exacti, studiorumque progressus Capitulum singulo quoque anno admonebunt; cujus rei statim à Capitulo certior fiet Episcopus. *Conc.* Tolos *an.* 1590. *p.* 1. C. 2. *n.* 5. *Conc.* Aquilei. vult cœpta ante 30. annos studia, post eos annos continuari posse. Idem *Conc.* Mediol. I. C. 27. dixerat. Quæ in *Conc* Colon. notanda hæc sunt. 1. Tot mittendi, quot patitur Canonicorum numerus: 2. Non minùs quàm triennii tempus dandum: 3. Tempus prorogandum, si missi proficiant: 4. Fructus integri concedendi exceptis distributionibus, vel quæ ad victum, vestitum, & libros, necessaria, vel præscriptum, si quod sit subsidium: 5. Si mittendi sint in minoribus Ordinibus, cautionem dare debent, se non desertuтos institutum Ecclesiasticum: 6. Decanus & Capitulum designant Academiam, ad quam profecturi sint. Loquens de Privilegio percipiendi fructus tamquam membra seu supposita Universitatis, hæc præcipit: 1. Ut nullus recipiatur, nisi studiis aptus sit: 2. Ut non gaudeat, nisi quandiu studiorum causa permanet in Universitate & de profectu spes est.

Conc. Tolos. præcipit, ut minores 25. annis sint, cùm studia incipiunt. a. 10. C. 7. *p.* 4. & intra annum ad Subdiaconatum ascendant.

Conc. Tolet. *ann.* 1339. C. 3. jusserat, ut ad studia unus saltem ex decem ad id aptis accedere compelleretur.

Juxta *Conc.* Aquen C. *De Resident.* sufficit, ut sint minores 30.

XIX. Decernit quod observetur statutum *Concilii* Constantiensis, & Pragmaticæ Sanctionis: *De Residentia Canonicorum & aliorum Ecclesiæ Ministrorum in Divino cultu, & etiam de Psalmodia lentè & cum certa morula facienda.* *Conc.* Bituri. *ann.* 1438. C. 2. 12. post Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. quæ non meminerunt citati Decreti; undè inferre est tunc non creditum, abrogata singula Pragmaticæ Sanctionis Decreta, quæ in Concordatum inserta non sunt.

XX. Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum nostræ Provinciæ, lucrentur & percipiant, post eorum receptionem in fratres, grossos fructus, & alios quoscumque suarum Præbendarum personaliter residendo, & deserviendo suis Beneficiis, æqualiter inter se distribuendo, nisi ex fundatione earumdem locorum speciali & legitima, sufficienter probata, prædicti grossi fructus pro certo tempore aliis Ecclesiis, aut piis usibus, expressè pertineant; damnabilem illam Consuetudinem judicantes, qua in certis Ecclesiis prædicti fructus ad certum tempus in utilitatem cedunt jam receptorum, sive, qua cavetur, ut ad certum tempus de novo recepti, sint expectantes. *Conc.* Senon. *ann.* 1528. C. 21.

XXI. Pravam, quæ in nonnullis Ecclesiis invaluit, Consuetudinem, ut Canonici, certos grossos suis (ut prætendunt) Canonicatibus & Præbendis annexos aliosque earumdem Præbendarum fructus, nulla præcedente receptione & Residentia percipere possint, tamquam Sacris Canonibus inimicam abrogantes &c. *Conc.* Turo. *ann.* 1510. C. 12.

XXII. Ne multis Ecclesiæ Ministris eodem tempore absentibus Divinus Cultus deseratur, Canonici, & qui præterea Choro, vel Ecclesiæ addicti sunt, quo tempore eis à Jure Communi vel à Sacro Tridentino *Concilio* permissum est, ut ab Ecclesia abesse possint à Præsidente Chori, si triduo reversuri sunt; si diutiùs absfuturi, ab Ordinario facultatem discedendi petant. Si quid præterea ab eo, qui discessurus est, ejus Ecclesiæ Constitutiones requirunt, in eo Constitutionibus pareat. Nemini autem ita prosit absentiæ licentia, ut eo tempore distributiones quotidianas percipiat. *Conc.* Mediol. I. *ann.* 1565. C. 36.

XXIII. *Conc.* Aquilei. *ann.* 1596. C. 7. præcipit ut saltem remaneat dimidia pars, monens præterea certa tempora excipienda, & concesso absentiæ tempore non abutendum, quod utrumque sic exprimit.

„ Moneamus omnes in Domino absentiam Jure permittente ex causis rationalibus indulgeri, ut humanis sit necessitatibus consultum; non ut Canonici ad luxum, & venationes, & illa quæ modestiam Clericalem non decent, per occasionem indultæ absentiæ diffluant, quod illos meditari apud se & perpendere æquum est. Absentiam ab Ecclesia monemus omnino non suscipi Dominici Adventus tempore, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, itemque Corporis Christi „.

XXIV. Si non resideant (Canonici) nihil percipiant de eadem (Ecclesia) nisi de licentia Archiepiscopi cum consensu Capituli fuerint absentes studiorum causa; aut captivi ab Hostibus teneantur; vel pro negotiis Ecclesiæ, aut Capituli, si cùm ab Archiepiscopo causam habeant absentes fuerint, & tunc solus consensus Capituli exigatur. *Constitut.* Nicol. *ann.* 1248. C. 10.

§. IV.

Assistere Divinis Officiis.

I. Statuit Sancta Synodus, in Ecclesiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum & quorumcumque proventuum & obventionum, tàm Dignitatum quàm Canonicatuum &c. separari debere, & in distributiones converti, quæ inter cæteros Divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, in ipsa prima fructuum deductione facienda dividantur; salvis tamen Consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus non servientes, nihil vel minùs tertia parte percipiunt. *Conc.* Trid. Sess. XXI. C. 3.

II. *Conc.* Tolet. *ann.* 1366. *Act.* 3 C. 8. addit majores distributiones majoribus horis, Festisque assignandas; fructus non alios excipit, quàm qui ad alia speciatim destinati sunt.

III. Idem habet *Conc.* Mediol. IV. *ann.* 1576. C. 13. præcipitque præterea, ut Distributiones assignentur singulis horis, necnon & Officiis extraordinariis.

IV. *Conc.* Turo. præcipit, ut omnes Præbendarum fructus vel saltem tertia pars solis præsentibus Divinis Officiis distribuantur. C. 13. *ann.* 1510.

V. Quoniam in quibusdam Ecclesiis, aut nullæ sunt illis horis adscriptæ distributiones, aut certe adeò tenues, ut earum jacturam facere non dubitent Canonici, & se à Divino Officio subtrahunt, tertia pars de tota massa distrahatur, quæ in distributiones convertatur, & singulis cujuslibet diei horis & Missæ distribuatur *Conc.* Rhem. C. 21. *n* 11.

Conc. Burdigal. *ann.* 1583. C. 17. sequitur & refert dispositionem *Concilii* Tridentini. Idem facit *Conc.* Aven. C. 34.

Conc. Meclin. *ann.* 1607. *Tit.* 12. C. 3. præcipit, ut secundùm præscriptum *Conc.* Tridentini ad ter-

tiam partem fructuum dispensentur. Idem dixerat *Conc.* CAMERAC. *ann.* 1586. *Tit.* 6. Cap. 9.

Conc. NARB. *ann.* 1686. idem mandat quod *Conc.* TRIN. iisdemque verbis.

VI. Statuimus, in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis nostræ Provinciæ, omnium fructuum & obventionum tertiam partem in distributiones à publicatione Concilii trimestri, iisdem duntaxat qui Divinis intererunt Officiis impendendas, convertendam; quo tempore elapso teneatur Capitulum, Episcopum suum certiorem facere, se præsenti Decreto satisfecisse; aut secùs ex eo tempore idem Episcopus autoritate Concilii quotam illam per se in distributiones convertendam detrahere possit; Capitulum contradicens per sequestrationem fructuum compellendo, deque toto negotio ad Metropolitanum scribendo, qui viribus conjunctis in rebelles agens, eorum contumaciam compescat. *Conc.* BURDIGAL. *ann.* 1624. C. 9. *n.* 5. Concilia Gallicana non derogarunt Juri Communi circa distributiones, nec quidquam addiderunt notatu dignum.

VII. Statuimus, ut in cunctis Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, congrua Campanarum pulsatione præmissa, Divinæ laudes per singulas horas ab omnibus dignè persolvantur, quas non cursim, ac præfestinanter, imò tractim, & cum decenti pausa, nempe circa cujusque Psalmorum versiculi medium, censemus decantandas, sed ita ut insignis inter solemne ac feriale Officium agnoscatur distinctio. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. *Conc.* BASIL. *ann.* 1438. C. 21. *Concil.* BITUR. *ann.* 1528. C. 13. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1583. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. qui Altari servit, de Altari vivat, & qui eidem non servit, nec de eodem vivere debet, ne contra omnem æquitatem præmio efficiantur pares, qui simul eumdem laborem non sustinuerunt. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584.

VIII. Si distributiones quotidianæ cuiquam, contrà quàm Jure Communi & ejusdem *Conc.* TRIN. Decretis definitum sit, datæ fuerint; qui acceperit nec in conscientia, nec alio modo suas faciat; sed eas restituere teneatur, disponaturque de illis juxta probatas illius Ecclesiæ Constitutiones: Volumus ab hoc Decreto excipi eos, qui infirmitate detinentur, vel alia justa causa à Sacris Canonibus permissa. Inter justas absentiæ causas habeatur, si unum aut duos ex Dignitates obtinentibus, vel Canonicis Episcopus mittat, aut secum pro consilio deducat ad visitandam Diœcesim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione vel Diœcesi urgens negotium; non tamen diutiùs excusabuntur, quàm duraverit negotii necessitas: Excusentur item, qui pro negotiis Capituli, & de ejusdem licentia aberunt; nec numerentur in diebus absentiæ dies recessus & reditus. *Conc.* ROTHO. C. *De Capit.* *n.* 24. *ann.* 1581. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1583. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. *Conc.* AQUEN. *ann* 158c.

IX. *Conc.* CONSTANT. SESS. X. concedens fructus absentibus, ut Concilio adsint, excipit distributiones. *Conc.* BASIL. SESS. I. *n.* 20. Decretum hoc applicat suppositis *Conc.* & SESS. XXI. *n.* 4. prohibet, ne Officialibus dentur distributiones, nisi pro utilitate Ecclesiæ actualiter absint. *Conc.* SENON. *ann.* 1528. C. 20. *Conc.* ROTHOM. *De Episcopis* *n.* 20. *ann.* 1581. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1570. *De Officio.* C. 3. 4. 5. 6. in quibus hæc notanda 1. Præcipit, ut præsentibus præscripto modo dentur Symbola meritæ distributionis, quæ *Plumbeta* vocat. 2. Abrogat Statutum de diebus recreationis, quibus absentes pro præsentibus habebantur. 3. Præsentes censet aërem mutantes pro recuperanda valetudine. 4. Inter debitè occupatos numerat nedum Episcopum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, sed omnes, qui Præbendarum suarum munia obeunt. 5. Præsentem habet, qui celebrat, aut ad celebrandum se præparat, modò statim redeat in Chorum post absolutum Sacrificium. *Conc.* ROTHOM. C. *De Capitul.* *n.* 30. & AQUEN. C. *De Canonic.* præcipiunt ut Decreta *Conc.* BASIL. circa Divina Officia serventur.

X. Juxta Statuta Ecclesiæ MEXICAN. C. 9. *Par.* 4. obventiones & manualia non dantur, nisi verè & realiter assistentibus. Pro talibus habentur ministrantes Prælato extra Ecclesiam suam Pontificalia exercenti, vel ab eodem vocati à Choro, necnon & ægrotantes; secùs de iis, qui sunt de Comitatu, ac quibusvis aliis.

Idem habet *Conc.* MEXIC. *L.* III. *Tit.* 6. §. 6. *De obventionibus anniversariorum non dandis, nisi præsentibus, sed neminem excipit.*

XI Ut Divina tàm in Cathedralibus, quàm in aliis Collegiatis Ecclesiis, decentiùs celebrentur, volumus, ut à cætero omnes & singuli in Choro existentes, ad Cantoris jussum, vel alterius per Capitulum in Choro præpositi, vel præponendi (salvo cuique Ecclesiæ suo more) obedire teneantur, sub pœna carceris & emendæ, Episcopi vel Capituli arbitrio pro modo culpæ taxanda, non obstante quacumque appellatione aut recusatione, dummodo mulcta 100. solidos, aut carcer octo dies non excedat. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. C. 13.

XII. *Conc.* TOLET. *Art.* 3. C. 6. *ann.* 1566. idem præcipit, & præcepto suo comprehendit Sacerdotes, qui iisdem diebus Missam non celebrant: Festis hic expressis addit Festum Sancti Petri.

Simile Decretum condit *Conc.* MECLIN. *ann.* 1570. C. 6. *Tit.* I. de *Ministr.* & extendit ad omnes Beneficiatos.

XIII. Qui Clerici sunt tantùm, vel Diaconi, vel Subdiaconi, iis ipsis diebus (Dominicis & magis solemnibus Festis) in fine Majoris Missæ ad majus Altare Sacram Communionem recipiant; futurum est enim, ut populus eorum exemplo ad frequentiùs communicandum incitetur. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. *Conc.* AQUIN. *ann.* 1585. vel saltem diebus Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis B. Mariæ, omnium Sanctorum, & Patroni Ecclesiæ; alioquin per Superiorem suspendi poterunt, salva Consuetudine illarum Ecclesiarum, ubi Sacræ Communionis frequentior usus esse solet. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. *Conc.* TOLET. *ann.* 1566. *Art.* 3. C. 6. reos privant octiduis stipendiis.

Longè frequentiorem Communionem præcipit *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. C. *De Cler.* Diaconus & Subdiaconus bis in mense, & quoties Festo die Altari ministrat: Cæteri semel saltem singulis mensibus communicent; atque etiam in majoribus CHRISTI solemnitatibus, & Assumptionis, & omnium Sanctorum.

Cap. *Verò.* *De Canonic.* dicit Canonicos ad omnia, quæ statuit de vita & bonestate Clericorum strictiùs obligari.

Conc. MIXIC. *L.* III. *T.* 5. C. *De usu freq. Euch.* præcipit Diaconis & Subdiaconis, ut præter solemnia Festa in præmissis Canonibus memorata, prima Dominica Adventûs & Quadrag. communicent. *Conc.* AVANION. *ann.* 1594. C. 32. Clericis Communionem menstruam injungit.

XIV. Cùm sit præcipuum munus Canonicorum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum offerre ad Dei iram contrà populos ex peccatis suis concitatam placandam, præcipit Synodus singulis Provinciæ Capitulis & singulis de Capitulo, ut omnes alternatim Dominicis & Festis diebus per hebdomadam, Majorem Missam celebrent, cui assistant duo ex Canonicis in Sacris Ordinibus Subdiaconatûs & Diaconatûs constituti &c. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581.

XV. Quia multi sunt de Assisiis & Beneficiatis, qui se ipsos decipiunt & aliis detrahendi de iis præbent exemplum, exeuntes Chorum, quasi volentes celebrare Missam, & non celebrant, volentes huic morbo salubri remedio providere, volumus quod ille qui punctat deffectus in Ecclesia, punctet omnes exeuntes de Choro; & ille, qui est in Sacristia, punctet omnes celebrantes Missam, ita quod si punctatus in Choro non reperiatur punctatus in Sacristia, pœna duplici, sicut de aliis deffectibus, puniatur. *Constitut.* NICOL. *ann.* 1320. C. 7.

XVI. Ut

XVI. Ut minores horæ non negligantur, pro illis certæ distributiones assignentur; aut minores illæ horæ majoribus adjungantur, ita ut in majoribus illis horis nemo distributione gaudeat, nisi qui in minoribus quoque horis debitè interfuerit. *Conc.* Meclin. *Tit.* 12. C. 3. *ann.* 1607.

XVII. Ut hujusmodi Constitutio, (quæ distributionibus diei unius privat, qui Matutinis, vel Missæ, vel Vesperis interesse negligunt) meliùs observetur, deputentur aliqui à singulis Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, qui absentias & negligentias talium notent & scribant. *Conc.* Budens. *ann.* 1279. C. 45. *Constitut.* Nicol. *ann.* 1320. C. 2. & 7. loquitur de punctuatione, tanquam de re jamjam usitata.

Conc. Rhem. præcipit, ut singulis horis assignentur distributiones, assignatasque perdat qui non adfuerit. *Ann.* 1583. *De Capit. idem Conc.* Meclin. *ann.* 1570. *De Off.* C. 2. addit, ne tam exiguæ sint, ut negligantur.

XVIII. Canonici & alii, qui distributiones & anniversaria recipiunt in principio horarum, intrent Chorum ipsis horis anniversariis, & ad Missam intersint à primo Psalmo usque ad finem illius horæ & anniversarii; necnon in introitu Missæ à prima collecta usque ad finem totius ipsius Missæ, continuè remansuri. Quod si in præmissis defecerint sine causa rationabili, distributiones, sive anniversaria illius horæ eo ipso perdant, & illis applicentur, quibus applicarentur, si iidem nullatenus interfuissent. *Conc.* Andeg. *ann.* 1365. C. 18. *Constitut.* Nicol. *ann.* 1248. C. 15. *Conc.* Camer. *ann.* 1565. *Tit.* 6. C. 9. *Conc.* Rothom. *De Episcopis. n.* 30. *Conc.* Aquilei. *ann.* 1596. privat emolumentis, qui non adsunt à principio, quando Episcopus interest Divinis. *C.* 4.

XIX. Nullus Canonicus Cathedralis, seu Collegialis Ecclesiæ, seu alii Clerici perpetui Beneficiati in iisdem Ecclesiis, cujuscumque Dignitatis aut conditionis existant, etiam prætextu alicujus assumpti Officii, vel etiam servitii colorati, distributiones quotidianas, quæ solis horis Canonicis interessentibus dari debent, recipiat; nisi in iisdem horis personaliter intersit, aut occasione dicti Officii & pro negotiis Capituli utilibus, omni fraude cessante, fuerit personaliter occupatus, aut infirmitate detentus. *Concil.* Vaurens. C. 52. *ann.* 1368. Idem dixerat *Conc.* Avenion. *ann.* 1327. C. 50....

XX. Distributiones quotidianæ ab brevissima quædam momenta, puta ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi, aut Responsorii, sed integris ac totis Officiis, aut horis assignentur, & iis modò tribuantur, qui Officiis Divinis, de quibus hæc emolumenta dantur, ab initio usque ad finem interfuerunt. *Conc.* Mogunt. *ann.* 1549. *n.* 72. Si qui infirmitate aut legitima causa impediuntur se excusent apud Prælatum aut alium cui de Consuetudine competit, & veniam absentiæ suæ impetrant. *Ibid. Conc.* Bitur. *Tit.* 12. C. 5. 6. 7. 8. *Conc.* Turon. C. 13. 15. 83.

XXI. Canonicos per actus Capitulares ab ingressu Chori, quandiu Capitulis intersunt, & non diutiùs excusari volumus, in qua re Decanos, aut quibus ea cura pro tempore imcumbit, monemus, eisdem præcipientes, ne extra necessitatem Capitula indicent in eam horam, quâ Divina Officia peraguntur. *Ibid. Concil.* Camer. *T.* 6. C. 15. *ann.* 1565. *Conc* Tolet. C. 9. *Act.* 3. *ann.* 1473. jubet, ut Festis solemnioribus, majores distributiones dentur.

XXII. Mandamus quod omnes Canonici percipientes Præbendam, debeant interesse Divino Officio diebus singulis; nisi justa de causa excusarentur, de qua eorum conscientias oneramus; & tunc Clericos suos, quos tenent, & debent tenere, mittere teneantur: Aliàs autem, si contra fecerint, pœna denariorum sex puniantur, & punctentur sicut cæteri, & pro eorum Clericis ipsorum Domini teneantur. *Constit.* Nicol. *Ann.* 1320. C. 2.

XXIII. Observamus in Domino, licèt auctoritatem habeamus imperandi, quòd in Altari Majoris Ecclesiæ soli Canonici administrent tàm in Missis, quàm in Epistolis & Evangeliis, & quòd alternis vicibus per ordinem fiant Hebdomadarii & Cantores in diebus solemnibus, propter Sedis autenticum Principatum. *Constitut.* Nicol. *ann.* 1313. C. 17. *Conc.* Rothom. *ann.* 1581. *De Episc. n.* 35.

XXIV. Sicut gubernationem & dispensationem in Domo Domini habere videris, ita tibi subjectos bonis moribus ornare contende; & eos in Divina laude devotissimè fac consistere, & quod Angeli semper agunt in Cœlis, hoc tui Cleri jugiter faciant in Ecclesiis. *Tuum est præcipere, illorum obedire; tuum est præire, illorum subsequi:* Omnium itaque in servitio Dei una debet esse voluntas, ut una fiat in Regno Dei remuneratio; nullus horis Canonicis se Divinis subtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam alicujus locus in conspectu Dei vacuus inveniatur. *C.* 85. *Reg.* Chrodegano. *interpolata.*

XXV. Divinum Officium in Choro melius de die pariter & de nocte, ad Dei gloriam & honorem, necnon ædificationem populi, & debitum Ministrorum Ecclesiæ fideliùs persolvendum; nam si de die, pauci nunc ad Chorum veniunt, de nocte moltò veniunt pauciores; & cum pro labore suo recipiant bona stipendia & pinguia, debent ea fideliter & sine fraude qualibet promereri. *Constitut.* Nicol. *ann.* 1313. *n.* 20.

§. V.

Canere.

I. Ubique credimus Divinam esse præsentiam & oculos Domini speculari bonos & malos; maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus Divinum adsistimus; & ideò semper memores simus, quod ait Propheta: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore;* & iterum *Psallite sapienter, in conspectu Angelorum psallam tibi;* nam si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & cum reverentia; quantò magis Domino Deo universorum cum omni humilitate & puritatis devotione supplicandum est. *Reg.* Chrodegandi. C. 7. *in ead. Reg. interpolata.* C. 82. Autor Capitis Episcopum alloquens, eumque considerans, prout est revera, tanquam Canonicorum imprimis Pastorem, hæc habet de illorum canendi obligatione. *Eos in Divina laude devotissimè fac consistere, & quod Angeli semper agunt in Cœlis, hoc tui Clerici jugiter faciant in Ecclesiis; tuum est præcipere, illorum obedire; tuum est praire, illorum subsequi.*

Nullus horis Canonicis se Divinis subtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam alicujus locus in conspectu Dei vacuus reperiatur. *Ibid.*

II. Omnibus tam Cathedralibus quàm Collegiaris Ecclesiarum Clericis præcipimus, sub pœna privationis suarum distributionum, vel alia arbitrio Superiorum infligenda, quatenùs servitium Divinum in suis Ecclesiis tractim atque devotè, & horis congruentibus decantent, & in Psalmorum decantatione pausas faciant in medio versuum, prout convenit; nec pars Chori psallitura alium versum incipiat antequam ab alia parte sit omninò alius versus finitus. *Conc.* Paris. *ann.* 1429. C. 1.

III. Cùm psallendi gratia ibidem consedeant, muta aut clausa labia non teneant: sed omnes præsertim, qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis & Canticis, Deo alacriùs modulentur. Nemo ibidem, dùm horæ cantantur, legat, vel dicat privatim Officium; nam non solùm obsequium, cui obnoxius, Choro substrahit, sed alios psallentes perturbat. *Conc.* Senon. *an.* 1527. *Conc.* Turon. *ann.* 1583. *Conc.* Basil. Sess. XXI. *Conc.* Mediol. I. C. 38. addens, eò studiosiùs facere debere, quò cæteris gradu præstant. Idem

habet *Conr.* AQUILAI. *an.* 1596. *C.* 4. *&* *C.* 7. *Conc.* NARAO. *ann.* 1609. C. 3. *Conc.* COLON. *ann.* 1536. *par.* 3. C. 5.

IV. Dum psallitur, Canonici omnes & Sacellani, nisi per invaletudinem, aut per aliam legitimam causam impediantur, psallant, nec maneant in sedibus suis otiosi, neve putent se Officio functos, si Vicariâ tantùm operâ Cultum Divinum celebrari curent. *Conv.* CAMERAC. *ann.* 1586. *Tit.* 6. *C.* 7. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1583. *Conc.* MEDIOL. *ann.* 1565. *C.* 38. addens, cui Officio si defuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum distributionibus mulctentur.

V. Docta Sanctorum Patrum decrevit autoritas, ut in Divinæ Laudis Officiis, quæ debitæ servituria obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non cespitet, & modesta psallentium gravitas placida modulatione decantet; nam *in ore dulcis resonabat sonus.* ECCLET. 47. Dulcis quippe omninò sonus in ore psallentium resonat, cùm Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis; in ipsum quoque Cantibus devotionem accendunt; inde etenim in Ecclesiia Dei psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum, diurnumque Officium & Missarum celebritates assiduè Clero ac Populo sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantantur, in eadem distinctione collibeant & maturitate delectentr. JOAN. XXII. *ann.* 1322. Cap. 1. *De Vita & honest. Cleric.* EXTRAVAG. *Commun.*

VI. Tales ad legendum, cantandum & psallendum in Ecclesia constituantur, qui non superbè, sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis & melodiâ, & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem quàm popularem vanissimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magistris, & instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. AQUISGRAN. LIB. I.C. 133.

VII. Psalmi in Ecclesia non cursim, & excelsis, atque inordinatis, seu intemperatis vocibus; sed planè ac dilucidè, & cum punctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur; quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis Officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen Psalmis hujusmodi vitanda est vox. AQUISGR.

VIII. Quoniam multitudine suffragiorum, Precum & Psalmorum addititiorum, in pluribus Ecclesiis propter temporis angustiam, fieri vix potest ut attentè, devotè, ac religiosè, ea omnia vel cantentur, vel legantur: Placet S. Syn. per Episcopos & duos de Capitulo ea rescindi, quæ adjecta & adventitia in servitio Divino cognoverint, ut sanctiùs & devotiùs perfici possit, sitque aliquod tempus relictum studiis vel Sacratatum literarum interpretationi, sit autem ejus rei potestas penès Episcopos & Clerum in Synodo Diœcesana. *Conc.* CAMAR. *ann.* 1586. *Tit.* 6. *C.* 7. *Conc.* FRISING. *ann.* 1440. *C.* 6. punit eos, qui per se, vel per alium hebdomadam non obit.

§. VI.

Missam celebrare, sive in ea ministrare, aliave munia per hebdomadam obire.

I. Volentes Divinum Officium ampliùs pro viribus ampliare, statuimus, quod quilibet residens institutus in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, Regulari vel Sæculari, habens hebdomadam sibi assignatam Officiorum Ecclesiæ in Ordine, in quo fuerit constitutus: Si Presbyter dicere Missam, Diaconus Evangelium, & sic de aliis, & prædicta habeant excecutioni demandari per Deputatum vel Deputandum, per eorum Superiores, qui præsunt Ecclesiis suprà dictis, & si qui prædicti inferiores non obediant Prælatis suis, vel illis, qui per eos fuerint deputati, per substractionem Præbendæ unius septimanæ, ut suo Prælato videbitur, puniatur. *Conc.* CAMER. *ann.* 1586. *Tit.* 6. *C.* 7. *Conc.* ROTHOM. *Conc.* AQUEN.

II. Constituatur ex Canonicis Sacerdotibus Hebdomadarius, qui Missam & Vesperas canat, cui octavo die succedat alius ejusdem Ordinis, idque semper aut in orbem fiat, aut alio modo, pro Ecclesiæ Consuetudine; is si Officio suo defuerit trium dierum distributionibus careat, quas Episcopus arbitrio suo vel exteris Choro operam dantibus dividat, vel in incertum piorum usum conferat, tributa tamen aliqua parte Canonico, qui Collegæ munus expleverit. *Conc.* MEDIOL. I. *ann.* 1565. *C.* 38. *Par.* 2.

III. Ab Episcopo cum consilio Capituli sic Altaris Ministerio consulatur, ut non tantùm Sacerdotum Minister, & is, qui in Diaconatum & Subdiaconatum qualiber hebdomada servire Altari debeat, sit ordine quodam designatus. *Conc.* TOLET. *Act.* 3. *C.* 9. *ann.* 1473.

IV. Non sit licitum ulli, quàm Episcopo, Dignitati, & Canonico, ad majus Altare Missam celebrare, quam ipsi Decani..... & qui Dignitates obtinent, suo Ordine per hebdomadas, sicut & alia Divina Officia per se persolvere.....teneantur. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Capitul.* *n.* 32. Omnes Canonici, etiam Dignitates obtinentes, sua quisque hebdomada Missam Magnam celebrare, aliaque Divina Officia peragere, per se ipsos. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *C.* 21. *n.* 6.

V. Omnes alternatim Dominicis & Festis diebus per Hebdomadam Missam Majorem celebrent, cui assistant duo ex Canonicis in Sacris Ordinibus Subdiaconatûs & Diaconatûs constituti, si reperiantur; & finita à Canonico hebdomada sua succedat alter; & sic sequantur per orbem usque ad ultimum. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Canon.*

VI. Singulis quibuscumque per hebdomadam proximam peragendorum rationem, & ordinem in tabula præscribere &c. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1624. *C.* 9. *n.* 3.

VII. Ministris Altaris specialis quædam portio, majoris quidem vel minoris gradus habita ratione, distribuatur. *Conc.* TOLET. *Loc. cit.* Alterius vices gerenti debetur hæc portio, ac omnia jura ex hoc munere provenientia. *Ibid.*

VIII. Sed & is, qui absque causa justa à Ministerio Altaris se excusaverit, puniatur arbitrio Episcopi; & præterea intra 15. dies restituere teneatur Fabricæ, quantum ipse, si per se ministrasset, habiturus foret. *Ibid.*

IX. Intelleximus quod quamquam in quibusdam Ecclesiis Vicarii adstricti sint suas septimanas servare, celebrando Missas in principali, seu Summo Altari & cæteras horas quascumque, lectiones tamen legere & versus cantare in eisdem Ecclesiis, de Consuetudine prohibentur; propter quæ occasione Canonicorum absentium contingit interdum, in eisdem Ecclesiis Matutinas cum cantu prætermitti. Attendentes igitur, absurdum esse, quod majora & solemniora, ut est dictum, ipsis Vicariis permittantur, ut pote Missarum celebrationem, in Summo Altari, & minima denegentur, præcipimus Decanis, ut Vicariis deinceps injungant versus cantare & lectiones legere, prout viderint expedire; eos, qui non paruerint, sicut in cæteris corrigendo: Salva correctione contra Canonicos, qui in præmissis fuerint negligentes. *Concil.* COLON. *C.* 7. *ann.* 1310.

X. Ut cuncta in Domo Dei ordinatè procedant, & quilibet sciat, quid agendum imminet, statuatur tabula aliqua continuè pendens in Choro, in qua quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, per aliud majus tempus legendum, cantandumve sit, contineatur; qui autem secundùm quod ibi descriptum fuerit facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones unius horæ amittat. *Conc.* BASIL. SESS. XXI. *Conc.* SENON. *ann.* 1527. *Statut. Eccl.* MEXIC. *par.* 1. *C.* 5. in quo etiam Cantoris & Succentoris esse dicitur,

quæ

quæ io tabula notanda præscribere; & *par.* 3. *C.* 4. §. 1. quo jubetur ut anniversaria qualibet hebdom. celebranda notentur. *Conc.* Senon. *ann.* 1528. *C.* 20. *Conc.* Narb. *ann.* 1551. *C.* 45. addens, servanda quæ scripta sunt, & si Scriptor erraverit, ut vitetur scandalum, Officioque peracto, curandum ut error corrigatur.

XI. Ordinamus, quòd tàm Sacerdotes, quàm Diaconi & Subdiaconi, & alii Clerici, qui per hebdomadas servire debent, interesse debeant ad celebrandum, & serviendum in sua hebdomada in hora congrua, quod si repertus non fuerit, alius pro eo servire debeat in Ordine absentis, & habere à tali absente sex denarios, nisi justa causa fuerit impeditus, quam ante Missæ horam Decano notificare debeat. *Constitut.* Nicos. *ann.* 1320. *C.* 18. Tom. XI. *p.* 247. *Conc.* Mediol. I. Illum trium dierum distributionibus privat Rhem. *De Capitul. n.* 6. *ann.* 1583.

§. VII.

Capitulis adesse.

I. Canonici ad Capitulum statis diebus accedant, & aliis item diebus extra ordinem eo vocati conveniant omnes; nec cuiquam, illo per Præfectum non dimisso, ante discedere liceat, nisi ex causa Præfecto probata, missioneque ab eodem impetrata: Qui contra fecerit arbitrio Præfecti mulctetur. *Conc.* Mediol. I. *C.* 14. *ann.* 1565.

II. Cum Synodus... statuit, ne in Capitulorum tractandis negotiis quisquam, cujusvis Dignitatis... aut conditionis existat, verbis rixosis & contumeliosis utatur, volentes modestè seriatim, suoque ordine, non verò interruptè sua vota, seu suffragia emittere; ita ut uno suo ordine loquente, cæteri taceant; his injungendo ut Decano, aut cuicumque Præsidenti obediant omnes sub pœna carceris. *Conc.* Turo. *ann.* 1583. *Conc.* Mediol. III. *C.* 14. *Conc.* Colon. I. *p.* 3. *C.* 14. *ann.* 1536.

III. Quotidiani Capitulorum Conventus, aut maturiùs sub summam Missam, aut statim post illam servandi sunt, ne ob illos Divinum Officium vel suspendatur, vel præcipitetur, vel denique ab ipsis Canonicis negligatur; debet enim Dei causa omnibus aliis anteponi. *Conc.* Colon. I. *p.* 3. *C.* 18. *ann.* 1536.

IV Canonici convenientes ad Capitula, primum tractent de celebratione Divini Officii, & quoscumque defectus delinquentium corrigant, tùm de temporalibus agant. *Conc.* Bitur. *ann* 1584. *Tit.* 32. *C.* 9.

V. In Capitulo, de iis primùm, quæ ad Divinum Cultum spectabunt, tùm de justa morum Reformatione, delictorumque debita animadversione, demùm de privatis rebus, temporalibus negotiis agant. *Conc.* Tolos. *par.* 2. *C.* 2. *n.* 7. *ann.* 1590.

VI. Capitula disciplinæ multo majori diligentia observentur atque hactenus: id ita fiet, si non tàm profanæ quàm res Sacræ in his tractentur; si de moribus inquiratur; si vita expendatur singulorum. *Conc.* Colon. *par.* 3. *C.* 14. Legantur singulis annis in Capitulis Generalibus Capitulorum Statuta. *Conc.* Bitur. *ann.* 1584. *Tit.* 34. *Can.* 12.

VII. Coercenda illa immoderata in Capitulis juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multi in ancipitia perjuria corruant, quorum non tantùm illi qui pejerant, sed & qui temerè exigendo perjurii præstant causam. *Ibid. C.* 20.

VIII. Non conveniant in Capitula diebus Festis, nec aliis tempore Majoris Missæ; qui illis diebus & horis Capitula indixerit, illius diei distributionibus careat; qui verò ex ejus mandato convenerint, pari pœna puniantur, & quæ ab illis definita fuerint, irrita & nulla censeantur. *Conc.* Bitur. *Tit.* 34. *C.* 10. *ann.* 1584. *Concil.* Rothom. *ann.* 1581. *De Episc. n.* 31. Rhem. *ann.* 1583. *De Capit. n.* 9. Conc. Aquen. *De Capitul.* 1585. Conc. Avenion. *ann.* 1594. *C.* 33.

Tom. II.

SECTIO VII.

Præcipui Canones circa Sessionis Ordinem inter Canonicos ejusdem vel diversarum Ecclesiarum.

I. Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per Provincias Africanas, literas accipiant ab Ordinatoribus suis manu eorum conscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla alteratio de posterioribus & anterioribus oriatur. *C.* 89. *Cod. Eccl. Afr.* desumptus est hic *Can.* è *Conc.* Milevit. *ann.* 402. *celebr.* docetque inter habentes eumdem Ordinem simul convenientes sedere ita debere, ut qui illum priùs suscepit, alios præcedat qui posteriùs receperunt.

II. Sit honoris ista distinctio, ut ipse prior & major habeatur, qui prius communitatis consilio & concordi fuerit actione ordinatus. *Cap.* 1. *De Major. & Obed. desumitur* ex S. Greg. *L. XII. Ep.* 15. *ad* Aug. Angl. *Episcopi ann* 604. Locus hic interpolatus est, nam verba hæc *communitatis consilio & concordi actione* ad illum non pertinent, & pro *communitatis* apud Gregor. legitur communi: Agitur de ordine Sessionis inter Episcopum Londoniens. & Episcopum Ebora.

III. Ordines suos Canonici ita conservent, ut ordinati sunt in gradibus suis secundùm legitimam institutionem Ecclesiæ Romanæ, exceptis his, quos Episcopus in altiori gradu constituerit, vel degradaverit. *Reg.* Crodegand. *C.* 2. *VIII. sæcul. sub* Pipino.

Notanda plura sese offerunt: 1. Præscriptus hic sessionis ordo in Ecclesia Romana usurpabatur: 2. In potestate Episcopi positum est, ut ex iis, qui in eodem ordine sunt constituti, alios aliis præficiat, atque etiam ut in punitionem alicujus culpæ eos, qui sunt in superiore Ordine, aliis subjiciat.

IV. Quoties Missa celebratur in Ecclesia, & aliqui defecerint, qui deberent Sacerdoti in Altari Diaconi vel Subdiaconi loco servire, ita quod aliquis Sacerdos haberet tunc substitui, non celebret in Officio Subdiaconatûs, nisi fuerit Sacerdos, qui deberet servire loco Diaconi: Aliter Sacerdos semper Diaconis inserviendo præponatur. *Constitut.* Nicosun. *ann.* 1313. *n.* 79. Rhem. *De Capit.*

V. Statuimus, ut Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium, & sic de reliquis obtineant ordinatim, etiam si posteriùs admittantur; & qui major est ordine, etiam si posteà sit receptus, in portione percipienda esse volumus potiorem. *Cap.* 15. *De Major. & obed. desumitur è* Greg. IX. *scribente Archipresbytero* S. Mariæ Majoris de Urbe. *Circa ann.* 1228.

Præcedentes Canones loquebantur de assignanda Sede inter habentes eumdem Ordinem; hic verò de Sessione determinanda inter eos, qui sunt diversi Ordinis; eo scilicet casu, quo ii, qui in minori ordine constituti sunt, priusquàm alii recepti fuerint; præcipitque, ut solus Ordinis gradus, & non receptio spectetur.

VI. In omnibus consessibus quæcumque Collegia & Monasteria (etiam exempta) Capitulis seu Cathedralibus Ecclesiarum digniorem locum deferant, non solùm in Ecclesiis & locis Patronatûs Cathedralium; sed etiam in Ecclesiis & locis dictorum Collegiorum & Monasteriorum. *Conc.* Meclin. *Tit. De Ministr. Ecclesiæ. C.* 4. *ann.* 1570.

VII. Canonicis, quibus in Ecclesia alia non est eaque probata Consuetudo, hæc sit sedendi, publiceque & processionaliter incedendi præscripta ratio: primum locum post eos, qui aliqua præditi sunt Dignitate teneant Canonici, qui Presbyterales, secundum, qui Diacon. tertium, qui Subdiacon. Præbendas obtinent.

Verosimile est in Ecclesia Mediol. Præbendas Diaconales Presbyteris non dari, nec Subdiaconales Diaconis, atque etiam qui Subdiaconalem habet ad

Sacerdotium non promoveri, alioquin contingere posset, ut Presbyterum Diaconus præcederet.

Qui ordo servetur, etiamsi Presbyter Canon. Præb. Præsbyteralem post obtinuit quàm Diaconus aut Subdiaconus Canonicus.

In Canonicis autem Presbyterales Præbendas obtinentibus, is loco prior sit, qui tempore etiam prior Præbendæ possessionem adeptus. *Conc.* MEDIOL. *C.* 14. *ann.* 1573.

Nulla habetur ratio prioritatis Ordinationis. Idem habet *Conc.* TOLETAN. 1565. *Act.* 3. *C.* 9.

VIII. Antequam promotionem (ad Subdiaconatum) Presbyteros, aliosque in Sacris constitutos, ordine seu sessione præcedere, antiquioris receptionis prærogativa, & quacumque in contrarium Consuetudine non obstante, prohibentes. *Conc.* TURO. *C.* 13. *ann.* 1583.

Ratio Canonis exigit, ut quod dicit de Canonicis in Sacris constitutis in Sessione alios, etsi priùs receptos, præcedere debere, extendatur ad eosdem consideratos illorum. ergo qui etiam in Sacris constituti sunt, sed in Ordine inferiori; petitur enim ex Dignitate Ordinum Sacrorum, qui ut majores sunt Ordinibus Minoribus, ita inter se alii aliis Superiores sunt, ideoque majori honore digni.

IX. Ut pace & tranquillitate concordes Viri Ecclesiastici Corpus unum conslent, nullisque dissidiis inter se contendant, unicuique juxta eam, quâ eminet, Dignitatem, aut juxta munus, quo fungitur, honorem, locum, sedemque constitui maxime necessarium est. *Conc.* MEXIC. LIB. I. *Tit.* 13. *§.* 1. *ann.* 1585.

Nomine Dignitatis Ordo hic comprehenditur, cum quod dictum est postea Episcopali Ordini applicetur.

X. Decanus ad Sedis Prælato destinatæ latus dextrum, & penes Decanum Cantor, ac tertio loco Thesaurarius, quinque deinde Canonici, tres postea Portionarii integri, tres denique Dimidii, unus post alium, juxta traditæ cuique possessionis prioritatem consideant. Ad sinistrum autem ejusdem, sed ad Archiepiscopate latus, 1. Archidiaconus 2. Scholasticus, quinque subinde Canonici, sex demùm integri & dimidii Portionarii sequentes successivè sedeant, servato ejusdem antiquitatis ordine. *Eccl.* MEXIC. *Statut. Part.* 1. *C.* 2. *§.* 1.

Cùm Sessionis Ordo petitus ex antiquitate receptionis excludat alium, qui ex Dignitate Ordinum desumitur, atque etiam de priori hic mentio dumtaxat habeatur, credere est non alium in Ecclesia MEXICANA servati inter Canonicos & Portionarios.

XI. Ordinis quoque ea servanda venit ratio, ut post eos, qui in aliqua sunt Dignitate constituti; primi Canonici Sacerdotes sedeant; secundi Diaconi, postremi Subdiaconi subsequantur. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1590. *C.* 2. *num.* 2. 3. *Par.*

Differt hic Canon à Canone *Concil.* MEDIOL. suprà citato in eo quod TOLOSANUS ordinem Sessionis à Dignitate Ordinum dumtaxat desumat: Canon verò MEDIOL. illum petat à Præbenda, habita tamen ratione ordinum Præbendæ annexorum.

XII. Sed quod præcipuè Ecclesiarum decorem, & ordinem Ecclesiasticum valdè commendat, consessus nimirum cuilibet pro ordine attributus, placuit nobis inter cunctos Canonicos hunc ordinem servari, quo Sacerdotem Diacono, Diaconum verò Subdiacono præferri Jura præscribunt: Quamvis hi ratione antiquioris receptionis illos antecedere censeantur, donec ad Presbyteratum promoti debitum sibi ratione receptionis locum repetere possint. *Conc.* BURDIGAL. *ann.* 1624. *C.* 9. *n.* 10.

Notatu dignum est, quod de recuperatione loci post promotionem dicitur; ostendit enim, nullam rationem haberi prioritatis ordinationis.

SECTIO VIII.

Qua Episcopi autoritas in Canonicos quoad illorum Capitula convocanda, quoad illos visitandos, illorum Statuta examinanda, approbanda, reformanda, duosque assumendos, ut illum in nonnullis negotiis gravis momenti adjuvent.

§. I.

Quoad Capitula convocanda.

I. Quod si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Cap.* 6. quod paulo post Episcopi Vicarium ab hoc jure expresse excludit.

II. Quòd faciliùs in Ecclesia sibi commissa & Divinum Cultum augere, & Canonicorum concordiam, mutuamque charitatem conservare, & Canonicalem Disciplinam tueri possit, singulis mensibus, aut saltem sæpè in anno, Capitulo interesse studeat, vel eo loco, ubi haberi solet, vel alio, quo illud is ad se convocare maluerit; convocet autem cujusvis rei causa, ob quam expedire judicarit ..... quod si Capitulum exemptum sit, possit Episcopus ex Decreto *Concilii* TRIDENTINI illud convocare arbitrio suo, eo solo casu, quando ipse vult aliquid Canonicis proponere in re, quæ ad suum, suorumve commodum non spectat, & tunc in loco dumtaxat consueto. *Conc.* MEDIOL. III. *C.* 14. *ann.* 1573. Notandum discrimen positum inter Capitula exempta & non exempta, quoad illorum convocationem ab Episcopis. *Conc.* MEXIC. *ann.* 1585. LIB. I. *Tit.* 13. *§.* 5. Cætera *Concilia* TRIDENTINO posteriora, vel non loquuntur de potestate convocandi Capitula, vel Episcopis non favent.

§. II.

Quoad Visitationem.

In Visitatione primum cognoscant de Fide, Vitæ Sanctimonia, & Moribus, sive Visitatio fiat in Monasteriis, sive Capitulis tàm Cathedralibus quàm Collegiatis ..... Cognoscant deinde de Regula ac Statutis, an serventur, an negligantur; & singula ritè ac ordinatè constituantur. *Conc.* CAMER. *ann.* 1565. *Tit.* 13. *C.* 2. Posteriora *Concilia* recensent Capitula Cathedralia inter loca ab Episcopo visitanda, absque ulla distinctione. *Conc.* NARBON. *ann.* 1609. *C.* 30. nominatim exprimit Capitula exempta.

§. III.

Quoad assumendos duos Canonicos, quibus in negotiis Ecclesiasticis utatur, prout iis opus habet, aliosque eligendos, quibusdam casibus à Jure expressis, pro instantibus negotiis, in quibus Capituli consensus vel consilium requiritur.

I. Statuimus, ne Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quicquam substrahi debeat vel aufferri, quod de communitatis sibi Beneficio debetur, nisi fortè victualia sint, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. *Cap.* 7. *De Cler. non Resid.* ALEX. III. *ann.* 1159. *creatus.* Primus Canon, qui de Privilegio Canonicorum de comitatu meminerit.

II. Decernimus ut duo ex Canonicis Ecclesiæ in tuo servitio existentes suarum fructus integrè percipiant Præbendarum, cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur. HONOR. III. *creatus ann.* 1216. *in C.* 15. *De Cler. non Resid.* Primus Canon qui de numero Canonicorum de comitatu loquatur.

III. *Conc.* MECLIN. Cap. 4. *Tit. De Officio* occupatos ab Episcopo recenset inter eos, qui distributiones lucrantur, etiamsi Divinis Officiis non adsint.

IV.

IV. Inter justas absentiæ causas habeatur, si unum, aut duos de Dignitaribus, vel Canonicis Episcopus mittat, aut secum pro consilio deducat ad visitandam Diœcesim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione vel Diœcesi urgens negotium; non tamen diutiùs excusabuntur, quàm duraverit negotii necessitas. *Conc.* Rothom. *ann.* 1581. *C. De Capitul. n.* 14. *Conc.* Aquen. *De Canonic.* idem habet, & iisdem verbis.

V. Cùm quilibet Prælatus duos Præbendatos in Curæ suæ Pastoralis subsidium deligere & occupare Pontificio jure possit, hoc Mexicana declarante Synodo statuitur duos Capitulares hujusmodi à Prælato ad effectum prædictum nominandos, annuis Præbendarum suarum emolumentis (præterquam obventionibus & manualibus, quæ nonnisi verè & realiter assistentibus dantur) integrè gaudere posse, ita ut in celebrioribus Festivitatibus præmissis §. 2. C. 7. ad Matutinum & alias horas, nisi tunc justo actualis occupationis impedimento caruerint, super quo eorum conscientia oneratur, interesse non debeant. *Conc.* Mexic. *Statut. p.* 3. *C.* 8. *§.* 1.

VI. Justa autem causa (quæ Canonicos à Ministerio Altaris excusat) ea censeri debet, quæ probatur ab Episcopo, vel eo absente, ab ejus Vicario cum duobus de Capitulo, quorum unus ab Episcopo vel ejus Vicario, alter à Capitulo eligatur. *Conc.* Tolet. *ann.* 1566. *Art.* 4. C 9.

VII. Episcopis cum duobus Canonicis Cathedralibus, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligetur, Synodus committit, ut visitatis & repurgatis Ecclesiarum ordinationibus & ceremoniis, statuant, quod viderint, pietati, decori Ecclesiæ, & populi ædificationi, convenire. *Conc.* Meclin. *De Officio &c.* C. 17.

VIII. Idem habet *Conc.* Rhem. C. 4. *n.* 5. *De Reformandis Brev. Missal. &c. Conc.* Trid. Sess. XXIV. *Cap.* 18. præcipit, ut ad institutionem Seminarii Episcopus procedat cum consilio duorum Canonicorum, quorum unum ipse eligat. Idem *Conc.* Turon. *ann.* 1583. *C.* 21. ipsum Decretum servari mandans ad ipsius formæ (contribuendi Seminariorum sustentationi) executionem, Episcopus secum assumet duos, quos voluerit, modò de Capitulo unus, & alter de Civitatis Episcopalis Clero eligatur, quibus Capitulum tertium de suo gremio adjunget, & Clerus Civitatis quartum. *Conc.* Rothom. *De Seminar. n.* 3. & *n.* 8. Eligere debet Episcopus duos Canonios ad gubernationem Seminarii.

Omnes Beneficiarii ad institutionem Seminarii conferant, juxta taxationem ab Episcopo cum duobus de Capitulo, secundùm *Concilii* Trid. Decretum, faciendam. *Conc.* Rhem. C. 17. *n.* 4. *ann.* 1583.

Adscitis ad consilium duobus Canonicis transfert ad tempus Seminarium ad aliam Cathedralem, in qua sit Universitas. *Conc.* Bituric. C. 24. *ann.* 1585. Qua in re (institutione Seminarii) consilio & opera Canonicorum aliqua suæ Ecclesiæ utentur. *Ibid in fine.*

IX. Quando Dignitati attribuendum est aliquod munus, Episcopus id facere debet, adhibitis duobus Canonicis, quorum unum ipse eligat. *Conc.* Mediol. I. C. 36. *ann.* 1565.

X. Quòd si magis expedire Episcopo videatur, ut pecuniâ mulctentur, qui Synodo adesse neglexerunt, pecuniaria mulcta in pios usus consilio duorum Canonicorum, quos Episcopus in consilium adhibebit, convertatur. *Conc.* Burdig. *ann.* 1583. C. 33.

XI. *Conc.* Aquen. C. *De Capitulis* jubet, ut Statuta Ecclesiæ Metropolitanæ revideantur cum duobus de Capitulo *ann.* 1585. Idem de institutione Seminariorum. C. *De Seminar.*

XII. Canonicos, quos senioribus in rebus advocare & in consilium adhibere solent Episcopi, non vitæ solùm integritate & eruditione valere, verùm etiam ætate judicii maturitatem præ se ferre æquum est; tùm ne ætatis tyrocinio fortè labantur, tùm ut Officii Dignitatem probabili opinione apud vulgus sustineant. Ecclesiæ igitur majestati & amplitudini consulentes nullum deinceps in numerum Canonicorum in Cathedralibus nostris adscribi volumus, qui Subdiaconatûs Ordinem adeptus non sit, aut saltem in ætate constitutus, quæ intra annum Subdiaconatu donari possit; ea tamen lege, ut quamprimùm 25. annum attigerit, Presbyteratu initietur. *Conc.* Turon. *ann.* 1583. C. 23. *Conc.* Tolos. *ann.* 1590. Rhem. Tit. 21. *n.* 2.

XIII. Divinis Officiis peractis, ipsos Canonicos (præsertim Ecclesiarum Cathedralium, qui Episcopi Consiliariorum nomine decorantur) oportet Libros præsertim Sacros legere, non verò huc illucque vagari, aut desides esse; multùm enim interest Reipublicæ Christianæ, ut sint viri docti, qui cæteros ad justitiam & pietatem invitent & erudiant, qui ne ob librorum penuriam se excusent, providearur in unaquaque Ecclesia Cathedrali & Collegiata de Bibliotheca, in qua boni libri & ab Ecclesia Catholica recepti, potissimum Sacri, Jurisque Divini & Canonici, recondantur, cujus curam habeant Decanus, Archidiaconus, Scholasticus, sive Cancellarius, aut alii ab Episcopo & Capitulo deputandi. *Conc.* Turon. *ann.* 1583. Cap. 13.

Notandum, quòd hujusmodi habere debeant votum deliberativum, ideoque numero impari assumendi, ne divisione votorum in pares partes negotiorum definitio nimiùm retardetur.

XIV. In omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatûs & Subdiaconatûs: Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex Sacris annexus in posterum esse debeat, ita tamen ut dimidia saltem Pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi, ubi verò Consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, servetur. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Cap. 12. *ann.* 1563. *Concil.* Burdigal. *ann.* 1583. *C.* 17. *Concil.* Bitur. *ann.* 1584. præcipit, ut omnes ad Sacerdotium promoveantur, nisi extent Præbendæ Subdiaconales ex Consuetudine. *Tit.* 34. *C.* 2. *Idem Concil.* Tolos. *ann.* 1590. sine exceptione. *C.* 2. 1. *Part. n.* 1. *Concil.* Aquilei *ann.* 1596. §. 4. sequens dispositionem *Concil.* Trid. addit Majores Ordines Majoribus Præbendis annectendos. *Concil.* Narbon. *ann.* 1609. *C.* 30. nominatim exprimit Capitula exempta.

§. IV.

Quoad Statuta examinanda, approbanda, reformanda, aliave cum iis quodammodo connexa: Ad rem faciunt n. 7. 8. & 11. §. præcedentis. Hujus autem jus hic est.

I. Præcipimus Capitulis, ut infrà tres menses omnia sua Statuta bona fide suis Episcopis communicent, quæ ad hanc Synodum debuerant afferre; curent autem Episcopi de Statutorum illorum observatione, in quibus eum ipsorum Capitulorum consilio, aut immutent, aut addant, quæ videbuntur expedire, dummodo Juri Communi & Sacris Canonibus non adversentur, quod præsens Decretum volumus quotannis in Syn. Diœcef. & Capitul. Generalibus publicari. *Conc.* Rothom. *ann.* 1581. *De Capit. n.* 33. *Conc.* Aquen. *ann.* 1585. *de Capit. Conc.* Tolos. *ann.* 1590. *Conc.* Aquen. vult Statuta aliorum Capitulorum conformari Statutis Ecclesiæ Metropolitanæ. *Conc.* Avenio *ann.* 1594. præcipit, ut conficiantur pro his, quæ non habent, ab Episcopo probanda. C. 33. *Conc.* Aquilei. *ann.* 1596. Confecta Statuta & Consuetudines scriptas Episcopi correctioni subjicit C. 4. §. *Consuetudines.* C. 10. *§. in Ecclesiis.*

R 4 II.

II. Quæcumque in hac Provincia immunitatem aliquam prætexunt, nec ullis Episcoporum, sed solis Apostolicæ Sedis Legibus se subjacere profitentur Capitula, Conciliorum Provinciæ Sanctionibus, Decretisque, vel ipsa Sede Apostolica jubente, obstricta se esse norint. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1590. Idem dixerat *Conc.* MEDIOL. IV. C. 14. *Part.* 2. *ann.* 1576. eamque rationem insinuaverat, Capitula potioris esse conditionis quàm Episcopos, non debere Episcopos autem illis Decretis subesse.

III. Quæcumque Dignitatibus, Personaribus, Officiis, munera Jure Communi, vel probatis cujusque Ecclesiæ Constitutionibus, vel illorum institutione attribuuntur, ea omnia magna cura, sommaque diligentia studeant Episcopi ab omnibus servari, & quæ antiquata sunt ad usum revocare; si quod sit, cui nullo modo munus attributum sit, aut quod sit non satis constet, Episcopus duobus de Capitulo adhibitis, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo delegatur, assignant proprium munus. *Conc.* MEDIOL. I. C. 36. *ann.* 1565.

IV. Operæ pretium videtur Statutorum volumina inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati atque fraternæ charitati, denique Disciplinæ Ecclesiasticæ minùs consentanea reperta fuerint, resecare, cavereque, ne posthac ulla nova Statuta in iisdem Ecclesiis, (nisi tamen noster accesserit calculus) edantur. *Concil.* COLON. I. *Par.* 3. *C.* 19. *ann.* 1530. Vox *noster*, hic intelligenda est de quolibet Episcopo seorsim sumpto.

V. *Concil.* SENON. *ann.* 1528. hæc circa eumdem Magistrum præceperat: „ Sit Magister ceremoniarum „ in singulis Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis; aut „ si desit, alius instituatur „. Hic Canon ad rem non facit, nisi posito quod Capitula hujusmodi statuerent, hoc enim Statutum, ut & alia, Episcopi examini subjiceretur.

VI. Episcopis cum duobus Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligetur, Syn. committit, ut visitatis & repurgatis Ecclesiarum Ordinationibus & ceremoniis, statuant, quod viderint pietati, decoti Ecclesiæ, & populi ædificationi convenire. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1570. *De Offi.* C. 17.

Quod de Magistro ceremon. hic dicitur, *Concil.* BITUR. extendit ad Collegiatas Ecclesias, *Tit.* 12. Cap. 54. *ann.* 1584. non produci.

In unaquaque Cathedrali Magister ceremoniarum ab Episcopo & Capitulo constituatur, qui Sacerdos sit, probatis moribus & in Divinis Officiis & ceremoniis valdè exercitatus, cui æquis sumptibus Capituli, Episcopi Fabricæ stipendium detur: Magistri autem ceremoniarum officium erit, tàm assistentes Choro, quàm Altati Ministros Officii admonere &c. *Concil.* MEXIC. LIB. III. *Tit.* 15. *v.* 3. *Concil.* AVENIO *ann.* 1594. *C.* 22. præcipit, ut Capitula instituant ab Episcopo probandum, utque à Congregatione Rituum non modò edifcat verum etiam edoceat.

Administratores teneantur rationem reddere coram Capitulo, proposita pœna ad Episcopi arbitrium; rationem quoque anniversariorum & piorum legatorum reddant Episcopo singulis annis, si celebrata illa fuerint, hæc verò si executioni mandata. *Idem Concil.* C. 33. MEXIC. LIB. III. *Tit.* 15. *v.* 3.

VII. Episcopi in Ecclesiarum Cathedralium Visitatione sollicitè curent, ut ipsarum Ecclesiarum Statuta, quæ alioqui dispersa oblivioni tradi solent, & in desuetudinem abire, in unum volumen redigantur; & ea quæ emendatione indigere videbuntur, juxta Canonicas Sanctiones & Juris ordine servato emendentur; atque omninò publicè in Capitulo, saltem quolibet anno semel, tempore ab eodem Episcopo constituto, omnibus Canonicis præsentibus, legantur. *Concil.* TOLET. *ann.* 1566. *Art.* 2. DECR. 8. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1570. DECR. *De Rivisend. stat.*

VIII Si in quibusdam Ecclesiis bellorum injuria aut casu aliquo fortuitò Statuta perierint, autoritate Episcopi aut Superioris condantur. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *Tit.* 34. C. 12.

SECTIO IX.

Quæ observantia Canonicorum erga Episcopum?

I. In Regula CRODEGANGI interpolata C. 82. Episcopum cum Canonicis comparans dicit: *Tuum est præcipere, illorum obedire; tuum est præire, illorum subsequi.*

II. Pacis ubique sint amantes Canonici, nec cùm Episcopis animosè contendant, aut superbè respondeant; sed illis honorem & reverentiam cum summa modestia exhibeant, & si quæ lites suboriri coeperint, utrique amicè componant. *Concil.* RHEM. *ann.* 1583. *C.* 21. *n* 12.

III. Quotiescumque Episcopi accedent ad Ecclesias locorum, ubi sunt Capitula, vel Conventus, certioratis illis de suo adventu, pulsatis campanis, cum cortis & pluvialibus, si habuerint, aqua benedicta, & incenso, & cruce, psallendo seu cantando, processionaliter & devotè eis obviam reverenter occurrant usque ad portam Ecclesiæ, vel usque ad limen Cœmeterii; & ipsi Domini Episcopi super se ponendum crateos prostratos ante Altare, dicta cum cantu oratione per Sacerdotem, surgentes osculati fuerint Altare, impendunt benedictionem solemnem. *Concil.* RAVEN. III. *C.* 6. *ann.* 1314.

IV. Episcopus in Ecclesia & in concessu Presbyterorum sublimior sedeat. *Conc.* CARTHAG. IV. *C.* 35. *ann.* 398.

V. Eadem docet Collectio Canonum Arab. 84. præter 20. vulgatos C. 63. cujus Epigraphe hæc est, *Nemini fas est sedere suprà Episcopum.* Canon. autem his verbis concipitur. *Ubi sedent Chorepiscopus & Archidiaconus in sedilibus Ecclesiæ, & in ea præsentes sunt, nemini Sacerdotum Ecclesiæ, Diaconorum, & reliquorum clericorum, fas est supra ipsos sedere, aut præcedere, nisi solus Episcopus, quia hi sunt loco duarum manuum & duarum alarum, quibus volat Episcopus.*

VI. Episcopis prætereà ubique is honos tribuatur, qui eorum Dignitati par est, eisque in Choro & in Capitulo, in processionibus, & aliis actibus publicis, prima Sedes & Locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum autoritas. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *Cap.* 6. Idem habet quoad Chorum *Conc.* ROTHM. *ann.* 1581. *De Episcopis. n.* 29. *Concil.* RHEM. *De Episcopis. n.* 10. *Conc.* TURON. dicit idem, dùm supponit primos honores Episcopis debitos, quia cæteris sunt Superiores. *C.* 12. *ann.* 1583. *Concil.* MEXIC. LIB. I. *Tit.* 13. *§.* 1. *ann.* 1585.

VII. Cùm certum sit, Ecclesiam Cathedralem ab Episcopi Cathedra denominari, ac Episcopum ad eam institui & de eâ possessionem capere, satis absurdam quorumdam opinionem existimamus, asserentium omnem in Cathedralibus Ecclesiis autoritatem penès Capitulum & Decanos permanere, proindè declarat hæc Sancta Syn. præcipuam in ipsis autoritatem & rerum gerendarum potestatem ad Episcopos pertinere, eosque consilio & opera Capitulorum & Dignitatum juvari debere, ut membrorum capiti cohærentium. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Episcop. num* 28.

VIII. Præcipit Sancta Synodus, ut Prælato ægrotanti, ac Sanctissimæ Eucharistiæ & Extremæ Unctionis Sacramentum petenti, Capituli Præsidens pluviali aureo ornatus, Præbendaris omnibus, nemine excepto, unà cum Parochis, Capellanis, & Ecclesiæ Ministris, reliquisque Sacerdotibus qui congregari possunt, superpelliceis indutis, processionis ordine comitantibus, Cruce quoque cum luminaribus ditioribus præcedente, eamdem Sanctissimam Eucharistiam, quâ decet

decet reverentia & devotione ministret, Præbendatisque singulis huic actui deficientibus emolumenta singulorum mensium per eos emerita, inter alios qui interfuerint distribuenda, detrahi jubeat. MEXIC. *Eccles. Statut. Part.* 4. *C.* 4. *§.* 1.

IX. Cùm multorum querelis didicerit *Synodus* Abbates, Capitula, & alias personas Ecclesiasticas feria quarta Cinctum, die Jovis in Cœna Domini, die Sancta Veneris, quibus quidem diebus Episcopi in Cathedralibus publicas absolutiones populo indicere & impartiri consueverint, iisdem illos hujusmodi absolutiones in suis Ecclesiis assignare, diesque festas & abstinentias, quarum translationes fieri decrevit Ecclesia, certis de causis in alios dies, quàm qui per Episcopum sunt præscripti transferre: Sitque interdictum, duos in eadem Civitate Episcopos esse; prorsusque absurdum in una Civitate hos carnibus oti, & operibus vacare, illos abstinere utrisque, ne hæc fiant, prohibet sub excommunicationis in personas particulares & Interdicti in excommunicatos pœna ipso facto incurrenda. *Concil.* TURON. *C.* 14. *ann.* 1583.

X. Episcopis præsentibus Benedictionem Cerearum, Palmarum, & rerum similium, nemo facere præsumat: Monebunt tamen illi Capitulum, si facere nolint. Cùm autem aberunt, Decanus, vel Hebdomadarius, eo poterit officio defungi. *Concil.* RHEM. *ann.* 1583. *C.* 22. *n.* 11.

XI. His Canonibus adjicere licet, omnes, qui jubent Canonicis, ut Episcopo Pontificialia exercenti non solùm in Cathedrali, sed & in aliis Ecclesiis ministrent. Inter cæteros tales sunt. *Cap.* 12. SESS. XXIV. *Concil.* TRID. *De cultu & Officio Divino. Cap.* 13. *Conc.* CAMER. *ann.* 1565 *C.* 38. *Conc.* MEDIOL. *ann.* 1565. *Concil.* ROTHO. *ann.* 1581. *De Capit. n.* 32. RHEM. *C.* 21. *n.* 7. *Conc.* AVENION. *C.* 33. *ann.* 1327.

SECTIO X.

Quæ peculiaria sunt Canonicis Regularibus tàm quoad animarum curam, quàm quoad alia.

I. Clerici Regulares ab hoc Officio (animarum cura) nec penitùs sunt removendi, nec indiscretè admovendi; nam si penitùs removentur, Canonico Ordini non exigua fit injuria, cui tanto securiùs est credenda correctio alienæ vitæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ; si verò indiscretè Regularibus Clericis hoc onus imponitur, in quibusdam Ecclesiastica Disciplina frangitur, & ipsi fratres, qui in Claustris, tanquam in Castris, contra tentationes fortiter stabant & vincebant, cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facilè superantur. IVO CARNOT. *Epist.* 69. *Canon. stirpens Eccl.*

II. Si qui sunt in Collegio vestro viri prudentes & maturi & igne tentationum examinati, quibus hoc onus (animarum cura) imponi velitis, eos deducite ante præsentiam Episcopi, ut ab eo animarum curas suscipiant, sine cujus arbitrio, si meministis, secundùm Canonicas Sanctiones, nec criminales sententias, quilibet Presbyter potest injungere, nec peracta pœnitentia Pœnitentes Sacris Altaribus reconciliare. *Ibid.*

De Curis Sæcularibus hîc agitur, quarum capaces semper fuerunt Canonici Regulares, ut declarat INNOCENTIUS in *Cap.* 5. *De Statu Monachor. & Canonicor. Regular* in quo habes exceptionem Regulæ Generalis: *Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus*, perinde ac in Episcopatibus, qui licèt sint Sæculares, Regularibus tamen conferri possunt: Hujus prærogativæ causas affert GONZALEZ in *Cap. laudatum*; sed in fine Commentarii nunc dubium esse insinuat, an illa gaudere possint sine dispensatione Papæ; illud egere Decisione Pontificia. FAGNANUS verò in *idem* Cap. *n.* 17. concludit, hanc Dispensationem nunc esse necessariam. Interdictum alias fuit Canonicis Regularibus, ne in Conventus Monachorum transirent; id testantur *Cap.* 1. 2. 3. CAUS. XIX. QUÆST. III.

Huc adduci possent Canones suprà relati ex Regula CROODEGANDI, sive sincera sive interpolata, cùm Canonici Regulares ex Regula speciali Regulares dicti sint; sed cùm controversum sit, idque meritò, an Canonici, pro quibus præfata Regula condita fuit, Regulares fuerint, prædicti Canones Canonicis Regularibus certò convenire non possunt, nisi prout sunt Canonici; qua ratione hîc non spectantur. THOMASSIN. *Part.* 3. LIB. I. *Cap.* 30. hanc controversiam tractat, cujus discussio hujus loci non est.

TITULUS X.

De Parochis, sive Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, ubi quidquid ad illos attinet exponitur, tùm per Decisiones Juris, propriis ipsius verbis expressas, tùm per Canones aliundè, quàm ex Corpore Juris desumptos.

SECTIO I.

Quid sint Parochi, & quibus nominibus in Jure appellentur, & quale sit generatim illorum Officium?

I. Parochus, sive Sacerdos dicitur, qui in Parochiali Ecclesia Prælationis Officio fungitur. *De Clerico Ægrotante.* Cap. *Tua nos.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

II. Parochi, sive Rectores Ecclesiarum, qui curam habent animarum. *Ibid. De Cler. Ægr.* Cap. *De Rectorib.* LIB. III. DECR. *Tit.* 6. Cap. 3.

III. Plebanus, seu Officium Plebani exercens, ad Ecclesiarum Parochialium Regimen positus. *De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei.* §. 1. & 2. LIB. III. DECRET. *Tit.* 35. Cap. 5.

IV. Plebano Jure. *De Elect.* Cap. *Querelam.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 24. *apud* GONZALEZ. *n.* 2. Plebani nomine donatur. Cap. 3. *De Offic. Ord.*

V. Parochialium Ecclesiarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere Verbum Dei, & Confessiones audire. CLEMENTINA *Dudum. De Sepulturis.* §. 9. *Verùm. init.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 2. *Concil.* AQUISGRAN. II. *ann.* 836. Cap. 3. *Can.* 5. TOM. VII. CONC. *p.* 1711.

Presbyter seu Parochus, qui Plebem habet sibi commissam. CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 13. *Presbyter.*

VI. Una Ecclesia unius debet esse Rectoris. *De Jure Patronatus.* Cap. *Quoniam. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3. Parochi in veteribus Ecclesiæ Canonibus simpliciter Presbyteri dicebantur. Vide GONZALEZ *ad* Cap. 2. *De Parochiis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. *& De Consecr.* DIST. IV. Cap. 106. *omnis Presbyter. Concil.* ROM. *ann.* 826. Cap. 8. 9. 10. TOM. VIII. CONC. *p.* 107. *Concil.* VALENT. III. *ann.* 855. *Can.* 9. TOM. VIII. CONC. *p.* 139.

SECTIO II.

Quales institui debeant in Ecclesiis Parochialibus; quæ ætas ad id requiratur?

I. In Parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos instituantur, qui eis respondeant de animarum cura, & his quæ ad Episcopum pertinent. CAUS. XVI.

XVI. QUÆST. II. Cap. *6. Sanè.* *§. In Parochialibus.* URBANUS II. *ann.* 1095. in Gallia tales instituantur, qui Episcopis respondeant de cura animarum.

II. Ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur; & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. CAUS. XXI. QUÆST. II. Cap. 5 *Præcipimus*, *inter Decreta* EUGENII II. *ann. circ.* 824. Cap. 11. 107. *Concil. p.* 1542. INNOC. II. *In Synodo* ROMANA. *ann.* 1139. Conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committi non debent. *Conc.* TOL. IV. *ann.* 633. *Canonib.* 26. *&* 27. TOM. V. CONC. *p.* 1713. *Concilium* RHEMENSE *ann.* 1131. *Can.* 9. TOM. X. CONC. *p.* 985.

III. Statutum, quod Parochiales Ecclesiæ in Civitatibus, aut Villis muratis existentes, nonnisi Graduatis simplicibus, aut nominatis, aut saltem qui per tres annos in Theologia, vel altero Jurium studuerint, seu Magistris in Artibus, qui in aliqua Universitate privilegiata Studentes Magisterii gradum adepti fuerint, conferantur. *Concordatorum. Tit.* 3. *fin.*

IV. Parochiæ Urbium Graduatis aut Artium Magistris conferantur.

V. Nullus omninò suscipiat Parochialis Ecclesiæ Regimen, nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat. *De Electione.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 3. *Inferiora.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

VI. Beneficia Ecclesiastica, curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, juxtà Constitutionem GREGORII X. in Generali LUGDUNENSI *Concilio*, quæ incipit, *Licet Canon.* editam, conferantur. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Reform.* Cap. 3.

VII. Ut periculosa negligentia Parochorum juris executione suppleatur, statutum est, ut nullus ad Regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ita ut Collationes de Parochialibus Ecclesiis, his qui non attigerint 25. annum de cætero faciendæ, viribus omninò careant. *In 6. De Elect.* Cap. *Licet Canon*, *post init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 14. Si conferatur Parochia nondum habenti 25. annum, non valet Collatio.

SECTIO III.

Intra annum teneri Ecclesiarum Parochialium Rectores ad Sacerdotium promoveri, & quomodo annus computetur, & quæ pœnæ decretæ sint, tàm in eos, qui statuto tempore non promoventur, quàm in eos, qui intendunt non promoveri.

I. Is, qui ad Regimen Parochialis Ecclesiæ assumetur, intra annum à sibi commissi Regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. *Ibid. in 6. De Elect.* Cap. *Licet.* §. 1. LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 14. aliter facta Collatio, sive provisio omninò irritetur. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. VII. *De Ref.* Cap. 3.

II. Quòd si intrà idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa (nulla etiam præmissa monitione) sit præsentis Constitutionis autoritate privatus. *Ibid. fin.*

Statutum felicis recordationis GREGORII Papæ X. de his, qui ad Parochialium Ecclesiarum Regimen assumuntur, promovendis ad Sacerdotium intra annum, alioquin eisdem sint privati, est pœnale. *Ibid. in 6. De Elect.* Cap. *Statutum. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 22. *Ideoque restringendum.*

III. Hoc Statutum ad Collegiatas Ecclesias, etiamsi aliàs Parochiales extiterint, & assumptos ad earum Regimen non extenditur; sed antiqua jura servari debent potiùs in eisdem. *Ibid.* Cap. 22.

IV. Antiquum Jus, ut talis ad Regimen Ecclesiæ Parochialis assumptus, si monitus præfixo à Canonibus tempore non fuerit in Presbyterum ordinatus; à Regiminis ejusdem amoveatur Officio, & alii conferatur, qui & velit & possit illud convenienter implere. *De Electione.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 3. *Inferiora.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 6. Cap. 7. *& In 6. De Electione.* Cap. *Licet. post init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 14.

V. Felicis recordationis GREGORIUS Papa X. statuit in *Concilio* LUGDUNENSI, ut ad Regimen Parochialium Ecclesiarum assumpti, se ad Sacerdotium promoveri faciant intrà annum à sibi commissi Regiminis tempore connumerandum; alioquin si intrà idem tempus promoti non fuerint, hujusmodi Ecclesiis absque monitione aliâ sint privati. *In 6. De Elect.* Cap. *Cùm ex eo. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 34.

VI. Commissa alicui Parochialis Ecclesia, quanquam tantùm de anno transiverit, quod intrà ipsum nequeat juxtà Statutum Generalis *Concilii* LUGDUNENSIS ad Sacerdotium promoveri, non est, nisi tunc demum, cùm ex toto fuerit ipse annus elapsus, censenda vacare; nec potest alteri antea, ipso nolente, conferri. *In 6. De Elect.* Cap. *Commissa. init.* LIB. I. *Tit.* 6. *Cap.* 35. Ante elapsum annum integrum Ecclesia Parochialis non vacat, non suscepto Sacerdotio.

VII. Annus hujusmodi à tempore illo incipit, quo ipsius Ecclesiæ Regimen commissum extitit, & possessionem ejus pacificam habuit, vel per eum stetit, quominùs haberet eamdem. *Ibid.* Cap. 35. §. 1.

Annus hujusmodi non currit, si promoveri justo impedimento detentus intrà tempus hujusmodi nequivit. *Ibid.*

VIII. Si intra dictum tempus non fuerit rationabili causa cessante promotus, ei Ecclesia ipsa, qua dicti Statuti autoritate jam privatus existit, nullatenus ea vice poterit iteratò conferri. *Ibid. §.* 2. *Porrò. in 6.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 35.

IX. Si promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parochialem receperit Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipiat, ipsam postmodum dimissurus, nisi voluntate mutata promotus fuerit, tenebitur ad restitutionem fructuum eorumdem, cùm eos receperit fraudulenter. *Ibid. in 6. De Elect.* Cap. *Commissa. §.* 3. *Cæterum.*

X. Qui verò alicui Ecclesiam Parochialem contulit, cùm eum non crederet ad hujusmodi Ordinem promovendum; præter Divinam quam exindè incurrit offensam, ad servandam indemnem eamdem Ecclesiam obligatur. *Ibid. §. ult. in 6.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 35.

XI. Si is, ad quem Rectoris præsentatio in aliqua Parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in Sacris præsentet ad eam, ipse (dummodò aliàs sit idoneus, & intrà tempus à Jure statutum ad Ordines, quos ipsius Ecclesiæ cura requirit, valeat promoveri) est admittendus. *In 6. De Institutionib.* Cap. *Si is.* LIB III. *Tit.* 6. Cap. 2.

XII. Præsentatus ad Parochialem Ecclesiam nondùm in Sacris constitutus, admitti debet; modò intrà annum ad Sacerdotium promoveri possit. Idque jam est de Jure Communi, non verò solùm ex dispensatione, ut olim ex Cap. *Præterea. De Ætate.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 5.

XIII. Ad Regimen Parochialis Ecclesiæ in minoribus Ordinibus constituti consueverunt assumi, dùm tamen tales sint, quod infrà breve tempus (hìc appellatur breve tempus annus; in anno enim potest aliquis promoveri ad Sacerdotium, *Glossa hoc Verbo.*) possint in Presbyteros ordinari. *De Ætate & Qual.* Cap. *Præterea.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 5.

XIV. Facultas dispensandi lata in *6. De Elect.* Cap. *Cùm ex eo.* ut Episcopi possint dispensare cum Parochis, ut propter studia usque ad septennium promoveri Sacerdotium minimè teneantur, non videtur esse usu recepta. *In 6.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 34.

XV. Provisi de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minùs intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali, Orthodoxæ suæ fidei publicam

facere

facere professionem. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 12. *med.* Alioquin prædicti provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. *Ibid.*

SECTIO IV.

An & quomodo Parochialium Ecclesiarum Rectores prædicare teneantur, & quæ debeant Plebes sibi commissas docere.

Vide *Concil.* Vasense *vulgò* III. *verè* II. *ann.* 529. *Can.* 2. Tom. IV. Concil. *p.* 16. *Concil.* Cloveshovia. II. *ann.* 747. *Can.* 9. 10. 11. Tom. VI. Concil. *p.* 1576.

I. Ad Ecclesiarum Parochialium Regimen in Presbyteros ordinati, ex eo debent Prædicationis Officium exercere: *De Statu monach.* Cap. *Quod Dei.* §. 2. *Med.* Lib. III. Decret. *Tit.* 35. *Cap.* 5. Doceant ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annuntientque eis, cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. V. Cap. 2. *De Refor.*

II. Sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat: Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Distinct. XLIII. Cap. 1. *Sit Rector. init.* Gregor. I. *Parte* 2. *cui Pastoralis.* Cap. 4. *ann.* 590.

III. Ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis; mandat Sancta *Synodus* Tridentina Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & Festis. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *Doctrina de Sacrificio Missæ.* Cap. 8.

IV. Parochi inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem, Sacra Eloquia & salutis monita vernacula Lingua singulis diebus Festis vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus Quæstionibus inserere, atque eos in Lege Domini erudire studeant. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 7. *fin.*

V. Ut fidelis populus ad suspicienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit Sancta Synodus Tridentina Episcopis omnibus, ut non solùm cùm hæc per seipsos erunt populo administranda, priùs illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenterque etiam Lingua vernacula, si opus sit, & commodè fieri poterit, servari studeant, juxtà formam à Sancta *Synodo* in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 7. *init.*

Hanc Cathechesim Episcopi in vulgarem Linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt. *Ibid. med.*

SECTIO V.

Teneri Parochos Lege Naturali, Divina & Ecclesiastica, ad residendum in suis Ecclesiis, & quomodo abesse ab iis possint?

I. Cùm Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere. *De Cleric. non Resid.* Cap. *Quia nonnulli.* §. 1. *Cùm igitur.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 5.

II. In Lateranensi *Concilio* statutum est, ut personæ tali, Ecclesia vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere. *Ibid. De Cler. non Resid.* Cap. *Relatum est. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

III. Beneficia Ecclesiastica, curam animarum habentia, personis, quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit, *Quia nonnulli*, editam, conferantur. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Refor.* Cap. 3.

Curati inferiores, & alii quicumque, qui Beneficium aliquod, curam animarum habens, obtinent, discedendi licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *fin.*

Quandocumque eos abesse contigerit, Vicarium idoneum cum debita mercedis assignatione relinquant *Ib.*

In absentia Curatorum Officium sit Episcoporum, tanquam in hac parte à Sede Apostolica Delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignatione, cura animarum nullatenus negligatur, nemini quoad hoc privilegio, seu exemptione quacumque suffragante. *Concil.* Trid. Sess. VI. *De Reform.* Cap. 2. *fin.*

IV. Cùm Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum, curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed Mercenariorum more deserunt: Sacrosancta *Synodus* Tridentina eos admonet & hortatur, ut Divinorum Præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 1. Oportet, Sacerdotes, quibus Domini populus commissus est, cum magna animi constantia vigilare super Dominicas oves, ne lupinis morsibus, *id est*, Diaboli stimulis lanientur. Dist. LXXXI. Cap. 13. *Oportet. init. Concil* Meldense. *ann.* 845. Cap. 36. Tom. VII. Concil. V *p.* 1831.

V. Is, qui ad Parochialis Ecclesiæ Regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentiùs curam gerere possit, in Parochiali Ecclesia, cujus Rector extiterit, residere personaliter teneatur. *In* 6. *de Elect.* Cap. *Licet Canon.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 14.

VI. Gregorius Papa X. statuit in *Concilio* Lugdunensi, ut ad Regimen Parochialium Ecclesiarum assumpti personaliter resideant in eisdem. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Cùm ex eo. init.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 34.

SECTIO VI.

Quæ pœna decreta sint in Parochos, qui nec prædicant, nec resident in Ecclesiis suis?

I. Si quis eorum, qui Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias, quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus Plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascere salutaribus verbis negligat, etiamsi ab Episcopi Jurisdictione, quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra Diœcesim existenti forsan annexæ vel unitæ, modò reipsa in Diœcesi sint, provida Pastoralis Episcoporum solicitudo non desit, ne illud impleatur, *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, ubi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur. *Concil.* Trid. Sess. V. *De Refor.* Cap. 2. §. *Archipresbyteri. fin.*

II. Etiamsi sic Episcopo expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præster, hones-

honesta aliqua merces persolvatur; donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat. *Conc.* TRID. *ibidem.*

III. Episcopi Inferiotes quævis Beneficia Ecclesiastica personalem Residentiam de Jute sive Consuetudine exigentia, in Titulum sive Commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum Regimine, & Divini Cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur. *Concil.* TRID. SESS. VI. *De Refor.* Cap. 2.

IV. Eadem omninò etiam quoad culpam, & amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, ac de Episcopis non residentibus, Sacrosancta *Synodus* TRID. declarat, & decetuit. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *fin.*

V. Si quis eorum contra Ecclesiæ dispositionem abfuerit, mortalis peccati reatum incurrit. *Concil.* TRID. *ibid.* SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

VI. Pro rata temporis absentiæ, fructus suos noo facit; nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere potest; sed tenetur illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compositione. *Ibid. med.* Quòd si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum est Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem & substractionem fructuum, aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem compellere. *Ibid. fin.*

Nec executio hæc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque Beneficii, pactione, Statuto, etiam juramento, vel quacumque autoritate confirmato, Consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, sine appellatione, aut inhibitione suspendi potest. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 1. *fin.*

SECTIO VII.

Ob quas causas Parochi legitimè excusentur à residendo in suis Ecclesiis. *

I. Cùm is, qui tenet Ecclesiam, studiorum vel peregrinationis, vel alia hujusmodi causa se absentaverit, nec infrà præfixum tempus Judici potest suam præsentiam exhibere, non censetur se per contumaciam absentare. *De Officio & Potest. Judicis Delegat.* Cap. *Consultationibus. in integra apud* GONZALEZ. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 10. *med.*

II. Admissi in Ecclesiis, qui residere contradicunt, poterunt amoveri; nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio literarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse. *De Clericis non Resid.* Cap. *Relatum est.* §. *Cùm igitur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 4.

III. Patrocinari non debet eis appellationis diffugium, si contra hujusmodi intentionem Decreti fuerit interjectum. *Ibid. fin.*

IV. Si quis Presbyter pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxans, ægritudinis causa per duorum mensium spatium suæ Ecclesiæ defuerit, nullum ei debet præjudicium generari. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 3. *Præsentium.*

V. Super Residentia in Parochiali Ecclesia personaliter facienda, possit Ordinarius gratiam Dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit. *In 6. De Elect.* Cap. *Licet Canon.*, §. *ult.* LIB. I. *Tit.* 6. *Cap.* 14. De reditibus Parochialium Ecclesiarum. *Conc.* EMERIT. *ann.* 666. Cap. 16. 18. 19. TOM. VI. CONC. *p.* 507. De Missis, quas tenentur Parochi celebrare. *Ibid.* Cap. 19.

* *Vide* Quomodo sit contra eos procedendum SECT. XII. *Tit.* 8. *De Canonicis*, ibi enim simul *De Parochis* actum est; & idem est modus.

SECTIO VIII.

Quomodo regenda unaquaque Parochia & quomodo figendi illius limites.

I. De Diœcesi videtur intelligendum. Unaquæque Parochia sub Episcopi provisione regatur. THEODULPHUS AURELIANENSIS *ann.* 797. *In Capitulari.* Cap. 14. TOM. VII. CONC. *p.* 1139.

Episcopi, pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiarem Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 13. *fin.*

II. Sicut in unaquaque Ecclesia unus Presbyter debet esse, ita ipsa, quæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures Presbyteros; sed unum tantummodò habebit Sacerdotem, qui eam castè & sincerè regat. CAUS. XXI. QUÆST. II. Cap. 4. *Sicut. init.*

III. Nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invadat; sed sit unusquisque suis terminis contentus. CAUS. XIII. QUÆST. I. Cap. 1. *Ecclesias.* Ecclesias singulas &c. *Ibid.* CAUS. XIII. QUÆST. I. Cap. 1. *De Domicilio.* Vide LIB. I. DECR. *Tit* 3. *De Rescriptis.* Cap. 29. *Dilectus. Gl.* Verbo *Domicilio.*

IV. Plures Baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt, sed una tantummodò cum suis Capellis.

V. Si contentio fuerit de terminatione duarum Matricum, Plebes utrarumque discernant; & si non convenerint, lis Dei judicio discernatur. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 54. *Plures.* Sensus est: Plures Ecclesiæ Baptismales non possunt esse intrà eosdem limites, ita quòd habeant eosdem limites; ex quo enim sunt Baptismales, debent habere distinctos limites. *Gl.* Verbo *In una.* & Verbo *Non possunt.* Tribuitur. *Conc.* TOLET. *an.* 400. in quo non est; & *Concil* AQUIGRANENS. *ann.* 816. quale nullum hujus anni: quàm certum est, nempe ætatem tenebrosam sapere quod dicit de lite dirimenda Dei judicio, quo Deus ipse tentatur.

SECTIO IX.

Rectores debere singulis annis Chrisma petere à suis Episcopis & illud custodire.

I. Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per juniorem Clericum, sed omni anno, aut per se ipsos, aut per illum qui Sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant. DIST. XCV. Cap. 4. *Presbyt. Ex Conc.* CARTHAG. Cap. 36. *ann.* 398. *Ex Concil.* VALENTINO. *ann.* 374. TOM. II. CONCIL. *p.* 907.

Concil. GERMANICUM. *ann.* 742. Cap. 3. TOM. VI. CONC. *p.* 1534. *Concil.* SUESSION. *ann.* 744. Cap. 4. *fin.* TOM. VI. CONCIL. *p.* 1553.

II. Placuit, Episcopum Chrisma facere & per Diœcesim destinare; ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum Chrisma ab Episcopo, destinatum ad diem Paschæ, possit occurrere. *Conc.* TOLET. *ann.* 400. *Can.* 20. TOM. II. CONC. *p.* 1226.

III. Per singula territoria Presbyteri, vel Ministri ab Episcopis, non prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis propriis per annos singulos Chrisma petant appropinquante solemnitate Paschali; nec per quemcumque Ecclesiasticum, sed si qua necessitas, aut Ministrorum occupatio est, per Subdiaconum; quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum autem est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est; si quid obstat, saltem is, cujus Officii est, Sacrarium disponere & Sacramenta suscipere. *Concil.* VASENSE II. *ann.* 442. *Can.* 3. TOM. III. CONC. *p.* 1457. *Conc.* ANTISSIODOR. *ann.* 578. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p.* 958.

Ut

Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu Medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant; genus enim Sacramenti est, & non ab aliis, nisi à Sacerdotibus contingi debet; quod si fecerint, honore priventur. *Concil.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 18. TOM. VII. CONC. *p.* 1218. *Conc.* MOGUNTIACUM *anu.* 813. *Can.* 27. TOM. VII. CONC. *p.* 1249. *Concil.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 20. TOM. VII. *p.* 1264. his adde C. 1. *De Custodia Eucharistiæ Chrismatis &c.* ubi GONZAL. alios Canones colligit de eodem Chrismate loquentes, necnon de Parochorum Officio circa illud.

SECTIO X.

Parochialium Ecclesiarum Rectoribus deberi jura Parochialia, & cur debeantur, & quæ illa sint?

I. Fuerunt Parochiæ limitatæ, quatenùs singularum Parochiarum proventus in usus Ecclesiæ cederent necessarios, & stipendia Ministrorum. *De His quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Pastoralis. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 9.

II. Ne Parochialium Ecclesiarum Curati sive Rectores, fidelium debitis & necessariis Beneficiis defraudentur; cùm operariis mercedis exhibitio debeatur. CLEMENTINA *Dudum. De Sepulturis.* §. 8. *Verum. init.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 2.

III. Prælati sibi nullam in eos Jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant. *De Parochiis.* Cap. *Significavit.* §. *Fraternitati.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 5. *fin.*

IV. Parochiani alicujus Ecclesiæ Parochialia jura illi debent. *De Præscript.* Cap. *Ex transmissa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 10.

V. Si Clerici secundarias Ecclesias habeant, non debent Matrici Ecclesiæ Parochialia jura subtrahere; quòd si subtraxerint, cogi debent illa Matrici Ecclesiæ memoratæ restituere. *Ibid.*

Jus Parochiale complectitur decimas, oblationes, jus funerandi & obventiones alias. *Ibid. De Præscript.* Cap. *Ex transmissa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 10.

SECTIO XI.

An & quomodo fiant Parochiani alicujus Ecclesiæ, & an debeant in Parochiis suis Divina audire?

I. Vide *Statuta Ecclesiæ* RHEMENSIS *per Dominum* SONNATIUM. Cap 7. TOM. V. CONC. *p.* 1695. in quo dicitur, Pastorem debere ovi suæ injungere, Missæ Sacrificio, diebus solemnibus & Dominicis, interesse.

II. Qui ad habitandum in aliqua Civitate se conferunt, illius loci fiunt Parochiani. *De Parochiis.* Cap. *Significavit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 5.

III. In Parochiis legitimus est ordinariusque conventus *De Consecr.* DIST. I. Cap. 35. *Si quis.* Sacerdotes & populus in unum ad Missarum publicam celebrationem conveniant. *Ibid. De Consecr.* DIST. I. Cap. 52. *& hoc* §. *Sacerdotes.*

IV. Missæ peculiares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum solemnibus abstrahatur. *Ibid.* Cap. 52. *init.*

V. In Dominicis vel Festis diebus, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui, proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire, ad suam Parochiam redire compellatur. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 4. *De Parochiis.* Cap. *Ut Dominicis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 2. *In Dominicis. fin.*

VI. Episcopi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant. *Conc.* TRID. SESS. XXII. *Decreto De Observandis &c. fin.*

VII. Locorum Ordinarii non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, mandent, statuant, atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis fidelem populum compellant, non obstantibus Privilegiis, Exemptionibus, Appellationibus, ac Consuetudinibus quibuscumque. *Ibid. fin.*

VIII. Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *De Refor.* DECR. II. Cap. 4. *post med.*

SECTIO XII.

Quomodo Episcopi providere possint Parochiis, si earum Parochi inepti, vel indigni sint, vel vitam finiant?

I. Expedit maximè animarum saluti à dignis atque idoneis Parochis gubernari. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 18. *initio.*

II. Illiterati & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minùs apti sunt Officiis. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 6. *init.* Vide *Concilium* AURELIANENSE IV. *ann.* 541. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p.* 382.

III. Pastoris vita esse Discipulis semper debet in exemplo. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 58. *Cùm Pastoris. init.*

IV. Mali Parochialium Ecclesiarum Rectores propter eorum vitæ turpitudinem potiùs destruunt, quàm ædificant. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Ref.* Cap. 6. *post init.*

V. Episcopi etiam, tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, illiteratis & imperitis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, si aliàs honestæ vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quâcumque appellatione & exemptione remotâ. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 6. *post init.*

VI. Eos verò, qui turpiter & scandalosè vivunt, postquam præmoniti fuerint, Episcopi coerceant ac castigent. *Ibid.* CONC. TRID. SESS. XXI. *De Ref.* Cap. 6.

VII. Si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos Beneficiis juxtà Sacrorum Canonum Constitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant. *Ibid fin.*

VIII. Cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio per obitum contigerit, debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat; donec ei de Rectore provideatur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 18.

SECTIO XIII.

Quomodo Episcopi providere possint Parochialium Ecclesiarum instaurationi, administrationi, vel dotationi, ac novarum erectioni?

I. Ecclesias Parochiales, etiamsi Juris Patronatûs sint, vetustate vel aliàs collapsas, refici & instaurari procurent Episcopi, ex fructibus & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 7. *med.*

II. Si illi proventus non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos, omnibus opportunis remediis ad prædicta cogant, quâcumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. *Ibid.* SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 7.

III. Quòd si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate dictas Parochiales dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi. *Ibid. fin.*

IV. Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delega-

delegati in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo; cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 4. *init.* Hoc verbo *assumere* tribuitur Parocho Electio Vicariorum.

V. In Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus æque adeò exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per Beneficiorum Unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantùm redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 13. *med.* Cujus ratio: Non immeritò præfertur speciali utilitati communis, & minori major. *De Postulatione Prælatorum.* Cap. *Bona memoria.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 3.

Si quis sine consensu Archiepiscopi Parochias dividere præsumpserit, ad integritatem pristinam revocandum erit. *De Præb.* Cap. *Avaritia. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 10.

Ex eo quod dicit *sine consensu Archiepiscopi*, videtur quod de consensu ipsius hoc facere possint, & diminuere & Parochias dividere; quod verum est justa de causa. *Glos.* Verbo *Reditus.* Agebatur de Ecclesia EBORACENSI, quæ est Archiepiscopalis. Quod ergo dicitur de Archiepiscopo, locum habet in Episcopo.

VI. In iis, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultate, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta & Divina Officia audienda accedere non possunt; novas Parochias etiam invitis Rectoribus juxtà formam Constitutionis ALEXANDRI III. quæ incipit *Ad audientiam*, constituere possint. *Concil.* TRID. *ibidem* SESS. XXI. *De Reform.* Cap. 4. *med.*

VII. Cùm Villa tantùm distat ab Ecclesia Parochiali, ut tempore Hiemali cùm pluviæ inundaverint, non possint Parochiani sine magna difficultate eam adire, undè non valent Ecclesiasticis Officiis congruo tempore interesse; & Parochialis Ecclesia ita in reditibus abundat, quòd præter illius Villæ proventus, Minister illius convenienter valeat sustentationem habere; potest Episcopus Ecclesiam ibi ædificare, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris cum Canonico Fundatoris assensu instituere. *De Ecclesiis Ædificandis.* Cap. *Ad audientiam. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. *Cap.* 3. Ex justa causa nova Ecclesia fieri potest in alterius Parochia, ea invita. *Glossa.*

Præsentatio Matrici Ecclesiæ servatur, & honor competens.

VIII. Provideatur tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur. *Ibid. De Ecclesiis Ædif.* Cap. *Ad audientiam.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 3.

IX. Si persona Matricis Ecclesiæ virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud impedire voluerit, nihilominus Episcopus faciat idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum appellationis cessante diffugio, instituere non omittat. *Ibid. De Eccl. Ædif.* Cap. *Ad audientiam. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 3.

Illis Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur Portio arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 4.

Ad sustentationem suam ejusdem loci obventiones Ecclesiasticas percipiant. *De Ecclesiis Ædifi.* Cap. *Ad audientiam. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 3.

Si necesse fuerit, Episcopus compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam, quacumque reservatione generali, vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 4. *fin.*

Neque hujusmodi Ordinationes & erectiones possint tolli nec impediri, ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus. *Ibid. fin.*

SECTIO XIV.

Vicarios perpetuos censeri habere Beneficium Ecclesiasticum, & iisdem Legibus teneri ac Parochos.

I. (*a*) Alicujus Ecclesiæ perpetuus Vicarius non carere Beneficio Ecclesiastico dici debet, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus est provisum. *De Rescriptis.* Cap. *Postulati.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 27.

II. (*b*) Perpetuus Vicarius Canonicè instituitur, & habere debet congruentem de ipsius Ecclesiæ proventibus Portionem. *De Præbendis. Cap. Extirpandæ.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 30.

III. (*c*) Perpetuus Vicarius Ecclesiæ super decimis coram Judicibus convenitur, ut habens titulum, & super similibus reconvenit alios. *De Fide Instrument.* Cap. 9. *Perpetuus. init.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 22. Cap. 12.

IV. Si persona alicujus Ecclesiæ, Vicario, quem in eadem Ecclesia instituit, de assensu & autoritate Diœcesani Episcopi, certam assignaverit Portionem, is, qui persona illa defuncta, in Personatum illius substituitur, non potest eumdem ab Ecclesia removere, vel assignatam sibi minuere Portionem: nisi aliquid committat, propter quod per Judicem in Vicaria sit, vel Beneficio condemnandus. *De Officio Vicarii.* Cap. *Ad hæc.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. Cap. 3.

Vicarius perpetuus æquiparatur Prælato, ut eo vivente non possit à Vicaria expelli, licèt titulum non habeat, nisi propter culpam suam, sicut nec Prælatus. *Glossa.*

V. Quæ de Ecclesiarum curam animarum habentium Rectoribus promovendis ad Sacerdotium, & de eorum ætate à Jure statuta noscuntur, in perpetuis Ecclesiarum Parochialium Vicariis & assumptis ad eas debet observari. CLEMENTINA *unica. De Officio Vicarii.* LIB. I. CLEMENTINARUM *Tit.* 7. *Cap. unica.* Ætas 25. annorum requiritur in promovendo ad Vicariam perpetuam.

VI. Perpetuos Vicarios, ut in Ecclesiis, in quibus Vicarias, obtinent, resideant, & se in Presbyteros, ut eorum cura exigit, faciant promoveri, per substractionem proventuum, vel ipsarum Vicariarum, Episcopus potest compellere. *De Officio Vicarii.* Cap. *Ex parte.* §. *Mandamus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 6. Perpetuus Vicarius debet in Vicaria residere *Glossa.* Debet esse Sacerdos. Quod quidam in Ecclesiis, quibus perpetuas obtinent Vicarias, debitam Residentiam facere, ut in Presbyteros promoveri contemnunt, abusus est. *De Offici. Vic.* Cap. *Ex parte. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. Cap. 6.

Persona est is, cui incumbit animarum cura: Vicarius verò is, cui transfertur illius curæ exercitium.

SECTIO

(*a*) Vicarii tenentur Ecclesiis & propriis personis deservire. *De Offic. Vicarii.* Cap. *Veniens. in ini. fin.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 28. Cap. 2.

(*b*) Vicaria Ecclesiæ restitui debet alicui, dummodo velit & debeat in Presbyterum ordinari & per semet ipsum in eadem Ecclesia deservire. *Ibid.*

(*c*) Vicarius perpetuus debet promoveri ad Sacerdotium intra annum.

SECTIO XV.

Quid sint Archipresbyteri seu Decani Rurales, & quæ eorum cura esse debeat?

I. Archipresbyteri à pluribus Decani nuncupantur. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Ad hæc.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 23. *Cap.* 7. Vide etiam Dist. XXV. Cap. 1. §. 12.

II. Decani Rurales, qui pro tempore statuuntur, etiam dicuntur Archipresbyteri. *Ibid.* §. *ult.* Archipresbyteri seu Decani rurales commune Episcoporum & Archidiaconorum Officium exercent. *Ibid.* Ita Gonzalez in hunc locum.

III. Ut singulæ Plebes, seu Parochiæ, Archypresbyterum habeant, propter assiduam erga populum Dei curam, singulis Plebibus Archipresbyteri esse debent, qui non solùm imperiti vulgi solicitudinem gerant, verùm etiam Presbyterorum, qui per minores titulos (*hoc est*, Parochorum, quorum Parochiæ minores tituli dicuntur) habitant vitam jugi circumspectione custodiant; & quâ unusquisque industriâ Divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient. *De Officio Archipresbyteri.* Cap. *Ut singulæ. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 24. Cap. 4. *fin.* Archypresbyter Parochorum & Laicorum Plebaniæ suæ curam gerit.

IV. Non contendat Episcopus non egere Plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia, etsi valdè idoneus sit, decet tamen, ut partiatur onera sua; & sicut ipse Matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint Plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo. *Ibid. De Officio Archipresbyteri.* Cap. *finali. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 24. Cap. 4.

V. Archipresbyteri euncta ad Episcopum referant, nec aliquid contra Decretum ejus ordinare præsumant. *Ibid. fin.* Contra Decretum Episcopi nihil ordinare potest Archipresbyter.

SECTIO XVI.

Quæ sit Vicariorum Temporalium Jurisdictio?

I. Vicarii, qui vices alicujus gerunt, & Jurisdictionem recipiunt ab eodem. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* Lib. I. *Tit.* 13. Cap. 1.

II. Qui in Ecclesia ministrat, sed perpetuus Vicarius ejus non est, non habet titulum, sive jus in Ecclesiâ. *De Filiis Presbyterorum.* Cap. *Constitutus. Glossa colligit* Verbo *Perpetuus Vicarius.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 8.

III. Vicarii tenentur personis & Ecclesiis deservire. *De Officio Vicarii.* Cap. *Provideas.* §. *Quia.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. *Cap.* 2. Alienum est ab ordine Juris ut Vicariam quis habeat præter unam. *Ibid. fin.*

IV. Clericos in Presbyteratu constitutos, in Vicariis Ecclesiarum, quas adepti sunt, alios sibi substituere non permittitur; cùm id sit satis absonum & absurdum. *Ibid.* Cap. *Clericos.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. *Cap.* 4. Vicarius non potest sibi Vicarium substituere. Vide Gonzalez.

V. Jurisdictio Vicarii non extenditur extra locum Vicariatûs. *Ibid.* Cap. *Tua nobis.* Colligitur. Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. 5.

SECTIO XVII.

Quæstiones & Regulæ de Parocho è Corpore Juris Canonici Concilioque TRIDENTINO *desumptæ.*

Plurima sunt de Parocho inquirenda. I. De nominibus præcipuis, quæque explicatione egent. II. De antiquitate Parœciarum, earumque erectione. III. De dotibus in Parocho requisitis. IV. De Officiis. V. De Juribus. VI. De Vicariis. Sed priùs notandum, quòd etsi in toto Juris Corpore unicus sit Titulus de Parocho expressè agens, isque quatuor tantùm constans Capitulis, nempè *Tit.* 29. Lib. III. Decr. Greg. IX. innumeri tamen sunt Juris Textus Parochum respicientes, idque tùm propter affinitatem quam habet cum

Episcopo, Archidiacono, Archipresbytero, Canonicis, Monachisve, animarum curam habentibus; tùm propter non exiguum Officiorum numerum, indeque nascentium jurium Parochialium; tùm ob varias animi corporisque dotes in Parocho requisitas, quarum necessitas ex Officiis, juribusque proficiscitur. Hinc ad Parochum pertinent Distinctiones omnes, in quibus Gratianus explicat per ipsos Canones quæcumque D. Paulus in Episcopo requirit; quæque sunt à XXIV. ad L. Ad eundem spectant Caus. VII. IX. X. XVI. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXV. Dist. VII. *De Pœnit.* Distinct. *De Consecrat.* quia in his locis sermo fit de Translatione Prælatorum; vel de illorum potestate in alienos subditos; vel de autoritate Episcopi circa Ecclesias, præsertim Parochiales, easque tegendi modo; vel de distinctione Parochiarum; vel de juris decimandi, funerandive præscriptione; vel de incapacitate; vel capacitate circa animarum curam; de potestate Papæ in derogando juri Parochorum, aliorumve circà decimas; vel de administratione Sacramenti Matrimonii, vel Pœnitentiæ, vel Baptismi, vel Eucharistiæ; vel de Celebratione Missarum. Ad eumdem Parochum quoque pertinent quicumque *Tit. Collectionum* Greg. IX. Bonif. VIII. Clem. V. Joann. XXII. & Extravag. Commun. recensita mox argumenta concernentes, quibus adjiciendi *Tit. De Elect. De Renuntiat. De Ætat. & Qualit. præficiend. De Vita & Honest. Cleric. Cohabitat. Cleric. cum Muliere. De Cler. Conjugat. De Cler. non Resid. De Præb. De Capellis Monach. Qui Monachi vel Cler. De Ædific. Eccles. De Censibus.* Aliique similes, qui de Visitatione Prælatorum erga Parochias. *Tit. De Privileg.* qui de Indultis circa Decimas, Sepulturas, Celebrationem Divinorum; sub quibus nonnulla Sacramenta comprehenduntur.

REGULA.

Inter nomina, quibus donatur Parochus, præ aliis hæc notanda sunt ac exponenda.

I. Vocantur Presbyteri, qui Ecclesias Diœcesanas regunt; Diœcesana pro Parochiana sumitur. *Cap.* 123. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 4. Dist. XCV. Prior sub nomine *Conc.* Valent. Posterior sub nomine *Conc.* Carthag. IV. *ann.* 398. Prior ex Posteriore sumptus videtur; sed à *Conc.* quod illum adoptavit, suæ Diœcesis disciplinæ accommodatus.

II. Dicuntur Parochiales Clerici à *Conc.* Bracar. III: *an.* 572. & Parochiales Presbyteri à *Conc.* Tolet. VIII. *Cap.* 4. Hæc vox Parochialis sumitur eo sensu, quo nunc, nempè pro pertinente ad illas Diœceseos partes, quæ *Parochiæ* vocari solent. Hæc observatio necessaria, quia XII. etiam sæculo Diœcesis interdum adhuc vocatur Parochia. *Cap.* 4. *De Paroch.* desumitur à Cælest. III. creato 1191. & mortuo 1198. C. 1. *Can.* 10. Quæst. III. C. 8. *ibid.*

III. Vocantur Episcoporum fratres & socii. (*Cap.* 7. *Can.* 10. Quæst. III.) è *Conc.* Cabillon. II. *ann.* 813. Hinc invehendi locum sumit in exactiones Episcoporum erga Parochos.

IV. Appellantur proprii Sacerdotes. C. 5. *Can.* 21. Quæst. II. *Cap.* 12. *De Pœnit. & remiss.*

Sic autem dicti videntur; quia ii, qui sibi subsunt, propriæ sunt illorum oves, & consequenter ipsi sunt proprii illorum Pastores. Hunc sensum indicat prior Canon; opponit enim Parochum Titularem alicujus Plebis, Presbytero Conductitio illam regenti; insinuatque, quod Parochus Titularis ille sit Pastor proprius, cujus oves propriæ audiunt vocem; Presbyter verò Conductitius, sit ille Mercenarius, qui non curat de ovili, vel ille alienus, quem oves non sequuntur. Joan. C. 10.

V. Nuncupantur Plebani. *Cap.* 3. *De Off. Jud. Or.* Cap. 3. *De His quæ vi.* Cap. 10. *Ne Cler. vel.*

Hanc vocem interpretatur Bonif. VIII. Cap. 1. *Ne Clerici vel Mon. in 6.* de Parocho, cui subsunt alii

Parochi; nam Capellani perpetui, quos subesse Plebano dicit, sunt Parochi. *Cap.* 8. *De filiis Presbyter.* nonnulli Canones Plebanos vocant Parochiarum Incolas. *Cap.* 5. *Can.* 9. QUÆST. II.

VI. Vocantur Capellani, *Cap.* 4. *De Feriis*, & *Cap. citato in Nota præcedenti.* Hoc scire refert, ne existimetur, hanc vocem eodem sensu in Jure accipi, quo nunc sumitur, nempe pro Presbytero, ut ita dicam, Missali, omnique animarum cura carente.

VII. Dicuntur Rectores. *Cap.* 3. *De Eccles. Ædific.*

QUÆSTIO I.

An ex Corpore Juris colligi queat, per quatuor priora Ecclesiæ sæcula Parochos extitisse?

Quatuor sunt inter alios Juris Textus, qui ante V. sæculum Parochias fuisse evincere videntur: Primus desumitur ex *Conc.* NEOCÆSAR. *celebr. ann.* 314. refertur *Cap.* 12. DIST. XCV. cujus hæc sunt verba. *Presbyteri ruris, in Ecclesia Civitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris ipsius Urbis, offerre non possunt, nec panem sacrificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt:* Quid enim illi ruris Presbyteri, quibus prædicta prohibentur vel permittuntur, quam Parochi, quibus extra Ecclesiam Civitatis offerre & Eucharistiam dispensare licebat, non in illa, præsente Episcopo vel Urbis Presbyteris, idque quia illic offerre Eucharistiamque dispensare digniores erant quam alii quicumque Presbyteri ibi degentes. Hic vero Episcopus & Presbyteri Urbis, ruris Presbyteris digniores erant. Quid iterùm illi Presbyteri, nisi Parochi, quibus, si abessent Episcopus & Urbis Presbyteri, tàm offerre quàm oblata distribuere in Ecclesia Civitatis permittebatur, modò ad id vocarentur? Si Presbyteris ruris offerre & oblata dispensare extra Civitatis Ecclesiam non licuisset, suamne ad hunc casum restrinxisset Concilium prohibitionem? Et si extrà hunc casum non licuisset, rùm rarissimus esset, ad quid profuisset sacrificandi, & sacrificata distribuendi potestas illis Presbyteris per ordinationem collata? Nec contra Urbis Presbyteros recurrit postremum ratiocinium; cùm quoad Eucharistiam dispensandam non sufficeret Episcopus; cumque aliàs tot oneratur negotiis, ut sæpiùs per seipsum offerre non posset.

Hæc autem si se ita habeant, extitisse Parochos ante IV. sæculum luce clarius est. De Presbyteris ruris si quidem loquitur *Concil.* NEOCÆS. tanquam de re usitata, & omnibus nota, saltem in Regione, in qua celebratum est.

Secundus Juris Textus è *Concilio* LAODIC. *celebr. juxta* PITHÆUM *ann.* 320. *juxta* GOTOFREDUM *in Philostorgium ann.* 360. eruitur, *Cap.* 5. DIST. LXXX. refertur. Textus autem hujus his concipitur verbis. *Non debere in Vicis & Villis Episcopos ordinari; sed Visitatores*, id est. *qui circumeant, constitui. Hos autem, qui antehac ordinati sunt, nihil agere censemus, sine conscientia Episcopi Civitatis. Similiter etiam Presbyteri nihil sine præcepto & consilio Episcopi agant.*

Per hunc Textum nonne *Concilium* tria locorum genera distinguere videtur? Aliud illorum, quæ ab Episcopis regenda; aliud à Visitatoribus gubernandorum; aliud eorum, quæ sub Presbyterorum cura existunt. Si vera sit, qualis apparet hæc Distinctio, quid erunt Visitatores ad quædam loca, Episcoporum vice regenda deputati? Quid illi Presbyteri, quibus alia loca gubernare incumbit, nisi Parochi, quorum alii aliis Superiores? Quomodo loca, quæ Episcopo non egere videbantur, sine proprio Rectore esse poterant? Verosimile-ne est, hujumodi locorum Incolas adstrictos fuisse, ut locorum ab Episcopis Rectorum Sacrificio adessent? Honestumne fuisset, ut fœminæ cujusque ætatis è locis remotioribus, Ecclesiam Civitatis adirent, Sacris affuturæ? Æquumne, ut tàm senes, quàm juvenes cujusque sexus, quavis tempestate, ad id incommodi cogerentur, nulla id exigente necessitate?

Si Vicos, in quibus constituebantur Visitatores non rexissent, quare Chorepiscopi vocitati fuissent? Nonne Chorepiscopus & vicis Superintendens idem significant? Quæ illorum munia fingi possunt, erga loca, in quibus constituebantur, semota gubernatione? Hæc autem quid aliud quam Parochorum Officium, qui ea propter Rectores nuncupantur? Nec dici potest, Visitatores idem esse ac Circumcursores; istos autem deputatos tantùm fuisse ad Sacra, ex Civitatis Ecclesia, ad rurales Ecclesias portanda; quomodo enim id convenit cum eo, quod relatus Textus præcipit, ut Episcopi in Vicis jamjam constituti ad statum Visitatorum redigantur? Quanta enim fuisset hujusmodi degradatio? Episcopi ad unum è minoribus Ordinibus rediissent.

Tertium Textum è *Concil.* CARTHAG. II. *ann.* 390. *celebr.* depromimus. Hunc refert GRATIANUS Cap. 5. CAUS. XVI. QUÆST. I. iisque verbis: FELIX *Episcopus* SELEMSELITANUS *dixit: Etiamsi hoc placet Sanctitati vestræ, insinuo, ut Diœceses, quæ nunquam Episcopum habuerunt, non habeant, & illa Diœcesis, quæ aliquandò habuit, habeat proprium. Secundùm autem hanc prosecutionem Sanctitas vestra æstimet, quid fieri debeat. Ab universis dictum est: Placet.*

His addunt Correct. Rom. tanquam Canonis hujus Partem, quæ sequuntur: *Et si accedente tempore, crescente fide Dei, populus multiplicatus desideraverit proprium habere Rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Diœcesis constituta, habeant Episcopum.*

Quid enim per Diœceses intelligitur, nisi Parochiæ, quarum aliæ dignæ erant, ut ab Episcopo regerentur, quales, quæ in celebri loco constitutæ, ingenti fidelium numero habitabantur: Aliæ verò eo honore dignæ non erant; quales, quarum nec loci celebritas, nec incolarum numerus ad id sufficiebant. Istarum autem, quis proprius, quis proximus Rector, nisi, Presbyter? Quis enim in his Sacramenta ministrasset, & prædicasset? De Communi & de remoto quæstio non est. Illum esse Episcopum nemo ambigit, cùm Canon ipse supponat ipsas Episcopo subjectas Parochias, quæ à Presbytero regebantur, cùm aliis subessent (nimirum illis, quæ Sedes erant Episcoporum) Populus, Clerus, Præsbyter, ipse Rector, qui in Episcopatus erigi ambibant. Episcopi verò, cùm eò majori honori sibi esset, quò plures sibi Parochiæ subjiciebantur; ne, quæ aliàs habuissent Episcopos, iterùm haberent, impediebant; cumque sua referret, ne, quæ semper à Presbytero gubernatæ fuerant, Episcopum acciperent, hinc, ut istæ in Episcopatus erigerentur, Episcoporum, quibus suberant, consensus requirebatur. His de causis Canon relatus constituit, ut Diœceses, quæ aliquando habuissent Episcopum, proprium haberent; quæ vero non habuissent, non haberent; nisi id exigeret populi multiplicatio, & Episcopus, cujus intererat, consentiret.

Quartus Textus à *Concil.* CARTH. IV. *celebr. ann.* 398. desumitur. Apud GRATIANUM legitur *Cap.* 4. DIST. XCV. Ecce ipsa illius verba: *Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per juniorem Clericum, sed omni anno, aut per se ipsos, aut per illum, qui sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant.*

Idem Textus apud eumdem GRATIANUM refertur *Cap.* 123. *De Consec.* DIST. IV. cum hoc tamen discrimine, quod *Concilio* VALENTINO tribuatur, quodque non legatur *per Diœceses*, sed *per Diœcesanus*, nec *per illum qui Sacrarium tenet*, sed *per illum, qui ejusdem Ordinis sit.* A PITHÆO restituitur *Conc.* CARTHAG. sed propter postremum discrimen ab alio *Conc.* usurpatum æstimamus istum Canonem, atque ab eo prædictum locum mutatum.

Si de aliis, quos hactenùs retuleramus Textibus, dubitare licuit, an de Parochis loquantur; de mox relato ambigere fas non est. Presbyteri si quidem per Diœceses Ecclesias regentes, aliud nihil esse possunt, quàm

Paro-

Parochi; Undè quantùm hic aliis præstet, nemo non videt, cùm de re quæsita expressam faciat mentio nem; alii non item.

Verùm etsi de Ecclesiarum Rectoribus, non Episcopis, adeò expressè non loqueretur Textus mox relatus, per id quod addit, illos satis designaret; non enim aliis convenit, quàm Parochis Chrismate opus habere, & ab eo, cui subsunt, Episcopo petere teneri.

Forsitan dicet aliquis, prædictos Presbyteros constitutos tantùm ad baptisandum, dùm necessitas urgeret, ideoque Chrismate opus habuisse; sed constitutus ut, dùm exigit necessitas, baptiset, vocarine potest Ecclesiarum Rector? Per Baptismi solius administrationem regiturne Ecclesia? Prætetea quis ille Sacrarium tenens, per quem petendum est Chrisma, nonne Sacrista, cui Sacra ad sacrificandum Vasa credita sunt? Cur ante Paschæ solemnitatem petendum Chrisma, nisi quia ad Baptismum, eo tempore solemniter dandum requirebatur? Unde luce clarius prædictos Presbyteros ad baptisandum in necessitate non fuisse tantùm constitutos.

Quod de primo Textu notatum est, nempè de Ecclesiarum Rectoribus non Episcopis, illum loqui tanquam de re usitata, ad alios subjectos extendendum est; unde relati Textus, non pro eo tantùm tempore probant, quo conditi, sed pro longè antiquiori.

Si cui autem ab hac extensione excipiendus videretur LAODICENUS Canon, idque ex eo, quod Presbyterorum, seu Visitatorum, de quibus loquitur, Constitutionem præcipiat, illum meminisse sufficeret ejus, quod dictum est: Verisimile nequaquam esse loca, quæ ab Episcopis regi digna visa fuerant, proprio Rectore caruisse.

Quæ ex Corpore Juris Canonici eruta sunt circa Parochiarum Rectores, confirmari possunt pluribus aliis testimoniis aliundè desumptis; *Verbi gratia* CYPRIANUS circa medium III. sæculi, LIB. I. *Epist.* 8. LIB. IV. *Epist.* 10 meminit Clericorum Urbicorum. *Concil.* ELIBERITANUM *ann.* 305. *Cap.* 77. loquitur de Diacono Plebem regente; *Concil.* SARDIC *ann.* 347. *C.* 6. prohibet, ne Episcopi ordinentur in locis, ubi unus Presbyter sufficit: Hæc enim prohibitio supponit extitisse jam loca à solis Presbyteris gubernata, ambitionemque incolarum, vel Sacerdotum, nonnulla illorum ad Dignitatem Episcopalem evexisse absque necessitate, atque cum non levi hujus Dignitatis detrimento, si extabant Plebes, à Diaconis gubernatæ, quantò magis credendum est fuisse, quæ à Presbyteris regerentur; postremò Clerici Urbici dicti videntur ex eo, quòd essent alii, qui Rustici dicebantur.

QUÆSTIO II.

An iisdem primis sæculis extiterint Parochi, quibus alii subessent, quique olim Plebani, nunc verò Archipresbyteri, vel Decani vocitantur?

Inferre licet ex *Cap.* 57. *Concilii* LAODICENI in præcedenti Quæstione citati, extitisse primis sæculis Parochos, quibus alii subessent, quique in Corpore Juris *Plebani* vocitari solent; ii siquidem Circuitores, vel Visitatores Episcopo subditi, nihil aliud esse videntur quàm Parochi, qui aliquot alios visitandi jus haberent, ideoque in illos Jurisdictionem nonnullam; non absimiles hodiernis Archipresbyteris Ruralibus, qui in alios Curatos Visitationis jure fruuntur, ac causas illorum leviores judicandi.

QUÆSTIO III.

Quæ peculiaria Plebanis extent in Corpore Juris?

REGULA.

Unum alterumve in Corpore Juris continetur Plebano peculiare, utrumque abrogatum.

I. Plebanus poterat excommunicare. *Cap.* 3. *De Off. Judicis Ordin.*

II. Plebano vetitum erat sub Excommunicatione ipso facto incurrenda, Leges Civiles audire in Scholis publicis. *Cap.* 10. *Ne Cler. vel Mon. C.* 1. *E. Tit. in* 6.

QUÆSTIO IV.

An Plebanus sit ex iis, qui delegari possunt à Sede Apostolica?

In citatis mox Textibus *Ne Cler. vel Mon.* Plebanus recensetur inter Personatum habentes, & *Cap.* 11. *De Rescript. in* 6. Personatum habentes enumerantur à BONIF. VIII. inter illos, qui delegari possunt à Sede Apostolica.

Non obstat CLEMENTINA II. *De Rescriptis*, quæ ab hoc honore excludit Officiales foraneos, inter quos Plebani collocantur in aliquibus Diœcesibus; nam non liquet tempore *Concil.* VIENN. *ann.* 1311. Plebanos vocitatos Officiales foraneos; & constat sub BONIF. VIII. eosdem recensitos inter Personatum habentes, & istos inter delegandos à Sede Apostolica.

QUÆSTIO V.

An determinatus sit à Jure Incolarum numerus ad constituendam Parochiam?

Sunt qui sentiant *Cap.* 3. *Can.* 10. QUÆST. III determinare, quis sufficiat ad Constitutionem Parochiæ Incolarum numerus: Hæc autem in eo habet *Conc.* TOLET. 16. *C.* 5. *ann.* 693. *Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem; quæ verò minus decem habuerit mancipia, aliis conjungatur Ecclesiis*: Ex numero mancipiorum ab Ecclesia possessorum colligunt numerum incolarum; rati *verbi gratia* unamquamque familiam Ecclesiæ mancipium tunc donasse, unde concludunt decem familias ad constituendam Parochiam sufficere. Sed aberrare videntur, qui ita sentiunt; ex verbis enim quæ relata præcedunt, infertur *Concilium* loqui de jam constitutis Parochiis, & determinare quis esse debeat cujuslibet proventus, ut suum proprium habeat Sacerdotem, eumque colligit ex numero mancipiorum ab eadem possessorum: Vetuerat, ne plures Ecclesiæ ab uno Sacerdote obtinerentur; unde quod objici poterat de insufficientia proventus præoccupans addit, quòd, si quæ sunt Ecclesiæ, quarum reditus ad Sacerdotis sustentationem non sufficiant, uniendæ sint aliis; judicatque illam reditus insufficientis, quæ minùs decem mancipia habuerit, sufficientis verò, quæ tot habet mancipia.

QUÆSTIO VI.

Quæ in Parochia erectione servanda sunt?

Hæc in re pro norma habentur *Cap.* 3. *De Ædif. Eccles.* & Cap. 4. SESS. XXI. quo aliud innovatur nonnullis additis: docent I. Erigendas novas Parochias, quoties Parochiani non possunt sine magno incommodo Parochiam veterem adire ad audienda Divina, & percipienda Sacramenta.

Docent II. Incommodum hoc peti vel ex locorum distantia, vel ex ipsorum difficultate, propter pluviatum inundationes, fluvios, torrentesve trajiciendos, nives, glaciemve.

Docent III. Fundatorum Parochiæ veteris assensum requiri, non item Rectoris.

Docent IV. Districtum novæ Parochiæ assignandum, illius districtûs obventiones, novo Parocho debitas, ipsi præterea portionem fructuum ex Matrice Ecclesia detractam tribuendam.

Docet V. *Cap. De Ædific. Eccl.* providendum, ut Matrici Ecclesiæ competens honor in nova servetur, pro loci facultate; excipiendus videtur casus, in quo vetus Ecclesia, matrixve, novo Parocho subministrat ad sustentationem necessaria; cùm conveniens non esset, ut ex

ut ex eo, quòd novus Parochus à Matrice Ecclesia percipit, aliquid eidem exhiberet, quodque una manu caperet, alia redderet. Præterea *citatum Caput* supponit Ecclesiam novam habere, undè solvat competentem honorem Matrici Ecclesiæ; id indicant hæc verba: *Pro facultate loci*; & clariùs, quæ sequuntur: *Quod quidem fieri posse videtur, cùm Dominus Villa viginti acras terræ frugiferæ, velit ad usus Sacerdotis conferre.* Hinc fit, ut Parochiæ aliquæ Matrici Ecclesiæ aliquid quotannis solvant; aliæ verò nihil solvant: Solvunt, quæ aliundè quàm expensis Matricis Ecclesiæ eriguntur: Non solvunt, quæ ex ea dotem accipiunt, ut in Provincia fieri solet.

Docent VI. Cogendos Parochianos ad alendum novum Parochum, si Matricis Ecclesiæ reditus non sufficiant ad portionem competentem eidem solvendam. *Cap.* 4. SESS. XXI.

Docent VII. Solam Parochianorum multitudinis magnitudinem non esse causam sufficientem erigendæ novæ Parochiæ; sed tunc tantùm augendum Vicariorum Coadjutorum numerum. *Ibid.*

De petendo Parochianorum consensu, nihil dicunt *citata Capita*; quia ad illorum requisitionem Parochiarum Erectio fieri solet.

Cætera, quæ in hujusmodi erectione servanda sunt, petenda ex *Cap.* 6. SESS. VII. In eo dicit *Concil.* ad Uniones Benef. faciendas, vocandos, quorum interest, & coram ipsis verificandas justas Unionum causas: Hac enim in re erectionis Parochiarum ac Unionis Beneficiorum eadem ratio; cùm constare debeat iis, quorum interest, justam esse erigendæ Parochiæ causam; ad id autem necessariò vocandi sint, & inquirendum coram illis de commodo & incommodo; quamvis Episcopi sit assignare limites novæ Parochiæ; suborta verò deinde circa constitutos limites controversias non dirimit; sed Judex Laicus, ad quem Quæstiones facti pertinent.

QUÆSTIO VII.

Quæ animi corporisve dotes in Parocho requisita?

Tria sunt, quæ potissimùm in Parocho requirantur ætas, scientia, & mores; ideò frequens Canonum locutio Parochum maturitate ætatis, scientia & moribus commendandum esse. *Cap.* 7. & 44. *De Elect.* Cap. 4. *De Ætate & Qualitate Præfic.* Cap. 14. *De Elect. in* 6.

§. I.

Quam ætatem in Parocho postulent Canones?

Attigisse debet 25. annum, alioquin nulla est provisio. *Cap.* 7. *De Elect.* Cap. 14. *De Elect. in* 6. CLEMENTINA I. *De Statu Monach.* §. 7. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Cap.* 12. Quilibet istorum Canonum desumitur è *Conciliis* inter Generalia recensitis: Primus est *Conc.* LATERAN. *ann.* 1179. Secundus est *Concil.* LUGDUN. sub GREG. X. *ann.* 1273. Tertius est *Concil.* VIENN. *ann.* 1311. Quartus est *Concil.* TRID. *ann.* 1563.

Nullum est Beneficium, cujus ætas præscribatur à tot, tantisque Conciliis, quæque in ejus definitione æque conveniant, quæ circumstantiæ attentione maximè dignæ, atque exposcere videntur, ne in decidendis controversiis circà ætatem in Parocho desideratam, à præfata Canonum dispositione discedatur. Memorata nullitatis pœna à solo secundo Canone expressè fertur; alii subscripsisse censentur, quia huic pœnæ non derogarunt, ideoque malè concluderetur, *Concil.* TRID. hanc pœnam abrogasse, ex eo quod innovat Canonem LATERANENSEM, qui illius pœnæ non meminit, & de cæteris Canonibus ne ullum verbum habet. Sunt alia ad ætatem Parochi pertinentia, quæ collecta sunt in Tractatu *De Irregularitate.*

§. II.

Quanta in Parocho scientia desideretur?

Exposuimus fusè in *eodem Tract.* quæ Canones docent circa scientiam Parochi, tùm expressè, dùm de ea loquuntur; tùm tacitè, dùm de scientia in Presbytero necessaria agunt: Hæc omnia uno verbo comprehendam si dixero, scientiam requiri, non eminentem, quæ in promptu solvit omnes difficultates ad curam animarum spectantes, sed sufficientem, quæ prædictas difficultates saltem frequentiores capit, nec ignorat, quorum librorum ope solvere potest. *Cap.* 10. *De Renuntiat.* Addam HONORIUM III. adeò horruisse in Prælato scientiæ defectum, ut promotum ignarum deponendum esse censuerit. *Cap.* 15. *De Ætate & Qualitate.* idque ad Parochum congruentissimè extendi. Non omittendum ea, quæ de scientia Parochi in genere dicta sunt, cuique Parocho pro qualitate loci applicanda esse, ita ut major minorve requirenda, quo major minorve est, cui præficitur locus.

§. III.

Qui mores in Parocho exigantur à Canonibus?

Selectiores de Parochi moribus Canones habes in citatis Distinctionibus primæ Partis Decreti GRATIANI Ibid. abundè *de Continentia*, *de Sobrietate*, *de Prudentia in vitandis periculis suis & alienis*, *de Mansuetudine*, *de Fugienda avaritia de Vigilantia*, *de Correctione cautè facienda*, *de Sollicitudine circà temporalia*, *de Æquanimitate*, *de Supportandis proximi infirmitatibus*, aliisque hujusmodi, quæ Parocho maximè necessaria, sola recta ratio dictat, docetque: Similes Canones exhibent *Tit. De Vita & Honest. Cler. De Cler. Conjug. De Cohabitatione Cler. & Mulier. Ne Cleric. vel Monach. De Cler. Percussore. De Cler. Venatore. De Excom. Ministr. non Ordinato Ministr. per saltum promoto furtivè Ordinato. De Excessib. Prælat. Qui Cler. vel voventes.* Præterea plerique hi Canones quoscumque Clericos respiciunt, ac Parochum non spectant, nisi qua Clericus, quave aliis Præpositus, ut illis præluceat: his omnibus adducti causis, prædictos Canones indicasse sat esse arbitramur.

QUÆSTIO VIII.

Quæ Parochi Officia sive Obligationes?

Plurima sunt Parochi Officia, quibus explicandis immorantur Canones, (*Cap.* 1. SESS. XXIII.) iis quoque immorabimur, ideoque hic agemus: *De Obligatione suscipiendi Presbyteratus Ordinem, si nondum susceperit; de Officio instruendi Parochianos, de Officio administrandi Sacramenta, dicendique Missam, celebrandi Divina Officia, de Obligatione sublevandi pauperes, de vitanda exactione in administratione Divinorum, de Obligatione residendi, fugiendique plurium incompatibilium possessionem.*

§. I.

De Promotione ad Presbyteratum Parocho injuncta à Canonibus.

REGULA I.

Ante sæculum XII. non extant Juris Textus, qui Parochis præcipiant, ut intra annum ad Sacerdotium promoveantur. *Cap.* 7. *De Elect.* est omnium primus, desumitur à *Concilio* LATER. 1179.

Prædicti silentii multiplex causa esse potuit. Prima, Parochiæ conferebantur solis Presbyteris. Secunda, ordinabantur Presbyteri sub Titulo Parochiæ, ideoque fiebant ipsa Ordinatione Parochi; si quibus conferebatur Parochia antequam Presbyteri essent, non negligebant ad Sacerdotium promotionem, vel saltem negligentia non erat frequens.

REGU-

REGULA II.

Ab anno 1273. qui intra annum à die pacificæ possessionis, ad Sacerdotium non promovetur, cessante omni legitimo impedimento, amittit ipso facto Parochiam.

Nullus Canon hanc pœnam tulit, ante Capitulum *Licet*, Cap. 14. *De Elect.* desumptum est à *Concil.* Latra. sub Greg. X. *ann.* 1273.

Annum à die pacificæ possessionis numerandum docet *Cap.* 35. *De Elect. in* 6. idemque addit exceptionem legitimi impedimenti, quæ subintelligenda esset, si non fuisset expressa, quia tempus non currit legitimè impedito.

REGULA III.

Quoties necessitas vel utilitas Ecclesiæ id postulabat, poterat Episcopus per septennium à prædicta promotione intra annum cum iis dispensare, qui studio literarum in Academiis insistebant; sed jamdiu inolevit hujusmodi Dispensatio. *Cap.* 34. *De Elect. in* 6. Bonif. VIII. concesserat hoc privilegium in favorem literarum illi subrogatum: Quod *Concil.* Basileens. concessit literatis & *Concilium* Lateran. sub Leone X. confirmavit, ut iis liceat vacantia intra certum tempus Beneficia requirere, necnon quod Parochiales Ecclesiæ conferri nequeant, nisi Graduatis, vel qui saltem per tres annos in Theologia vel in altero Jurium studuerint, vel Magisterii gradum in Artibus adepti fuerint.

§. II.

De imposita Parocho docendi necessitate per Canones explicata?

Quæ suprà dicta de scientia Parocho necessaria, ostendunt illum teneri ad docendum, cùm in eo scientia non requiratur, nisi quia ad docendum adstringitur: eo autem modo discutrit *Concil.* Tolet. IV. *ann.* 633. dùm ait: Ignorantia mater eunctorum „ errorum, maximè in Sacerdotibus vitanda est, qui „ docendi Officium in populis susceperunt „. *Cap.* 1. Dist. XXXVIII. Hinc non aggredimur hanc Parochi obligationem per Canones probare; sed illam per eosdem Canones explicare.

REGULA I.

Quicumque Canones, qui aut dicunt, aut supponunt docendi Officium ad Sacerdotes pertinere, de Parochis ut plurimùm loquuntur. *Cap.* 1. Dist. XXXVIII.

Cap. 5. *Ejusd.* Dist. id supponit, dùm inter libros, quos habere debet Parochus, Homilias Dominicis, & Festivitatibus aptas recenset. Idem supponunt quotquot de necessitate scientiæ in Parocho loquuntur. Idem supponit *Cap.* 19. qui aliis quàm Sacerdotibus vetat prædicare.

Ratio Regulæ: Parochos nomine Sacerdotum donare solent Canones, præsertim antiqui; tùm quia nulli, aut pauci erant Sacerdotes, qui non essent Parochi; tùm quia inter Sacerdotes simplices Parochi primum locum habent. Ideoque quæcumque dicunt de scientia Sacerdotum, Parochos proximè spectant.

REGULA II.

Quæcumque habemus in Corp. Juris & in *Concil.* Trident. circa Officium docendi à Parocho exercendum, ad ista reducuntur.

I. Ad docendi præceptum.

II. Ad docendi modum, sive ad varia docandi genera. *Cap.* 2. Sess. V. Cap. 4. Sess. XXIV. Cap. 1. Dist. XLIII. & Dist. XLV. Cap. 2. Sess. V.

III. Ad ea, quæ docenda. Dist. XXXVIII. Quæ enim scire debent, ea quoque tenentur docere. *Cap.* 2. Sess. V.

IV. Ad illos qui docendi sunt. Cap. 4. Sess. XXIV.

Præcipit Parocho etiam parvulos docere *Cap.* 3. *De Vit. & Honest.* Injungit Parocho, ut parentes moneat, ut filios mittant ad Catechismum, utque illos eum omni castitate erudiat. *Ibid. &* Cap. 2. Sess. V.

V. Ad tempus quo docendum.

Cap. 5. Dist. XXXVIII. qui Textus docet, Dominicis & Festis diebus Parochum teneri docere.

VI. Ad facultatem aliis concedendi ut doceant. Clement. *De Sepult.* Extravag. Comm. qui Canones vetant Religiosis, ne in Ecclesiis Parœcialibus prædicent, Parocho non permittente, nisi Episcopo aliud placeat justa tamen de causa; cùm non in destructionem, sed ad ædificationem sibi data sit in Parochos potestas.

Quos circà hanc Regulam adduxi Canones, exempla sunt illorum qui afferri potuissent; singulos non colligimus, quia non possumus, cùm nimius sit illorum numerus; nec debemus, quia agitur de re notissima.

Circa ea, quæ à Parocho docenda sunt notandum, quod illa uno verbo comprehendat *Conc.* Trid. Cap. 14. Sess. XXIII. dùm exigit à Presbytero, quòd capax sit docendi populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: Hoc enim à fortiori requiritur in Parocho, qui potestatem completam docendi habet, & non incompletam; qualis est, quæ per susceptionem Presbyteratûs acquiritur, cujusque capax esse debet ad illum promovendus. *Cap.* 2. Sess. V. Jam dixerat *Conc.* prædicta à Parocho docenda: Ut autem suum Officium docendi adimplere queat, oportet ut Parochiani teneantur adesse instructionibus ipsius Parochi: ideirco *Concilium* præcipit Parochis, ut moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant: Eadem de causa idem *Concilium* injungit Episcopo, ut moneat populum diligenter, unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi id commodè fieri potest (cujus judicium est penès eumdem Episcopum) ad audiendum Verbum Dei.

§. III.

De Officio Parochi in administratione Sacramentorum.

Sacramenta spectari possunt, vel conjunctim, vel divisim: ut ergo pateat, quod sit Officium Parochi erga Sacramenta, considerandum est quid possit & valeat circa illa utroque modo spectata.

REGULA. I.

Extra dubium est ad Parochum pertinere omnium Sacramentorum administrationem, præter Confirmationem & Ordinem Episcopis reservata, & circa ista Officio obligationeve non vacare.

Patet Regula ex *Cap.* 2. Dist. XXXVIII. in quo *Conc.* Tolet. IV. præcipit ut Episcopus Parocho quem ordinat libellum Officialem largiatur, ne in Sacramentis Divinis offendat; additque, illum redditurum Episcopo rationem de suscepto hoc administrandi Sacramenta Officio, quando ad Litanias, vel *Concilium* venerit. Patet quoque ex *Cap.* 5. *ejusd.* Distinct.

In eo Beda aliusve collocat Librum Sacramentorum inter eos, quos Parochus habere debet.

REGULA II.

Quæ Jure Communi præscribuntur Parocho circa Sacramentorum administrationem, hæc sunt.

I. Ne ceremonias, ritusve Sacramentorum immutet. *Cap.* 13. *De Sacram.* Sess. VII.

II. Ut vim & virtutem Sacramentorum pro captu suscipientium in illorum administratione explanet. *Cap.* 7. Sess. XXIX.

III. Ne quidquam exigat ante illorum Administrationem. *C.* 4. *De Sim.*

IV. Ut malè tractantibus Sacramenta obesse attendat. *C.* 99. *Can.* 1. QUÆST. I.

V. Ne judicium sanguinis agitet, truncationesque membrorum per seipsum inferat, aut inferendas procuret. *C.* 30. *Can.* 23. QUÆST. VIII.

Hinc sequitur teneri Parochum, quidquid ad praxim Sacramentorum attinet apprimè callere.

ARTICULUS I.

De Officio Parochi erga Baptismum.

REGULA. I.

Ideò certum est administrationem Baptismi ad Parochum pertinere ut Ecclesiæ *Parochiales* vocentur, vel designentur per id quod in illis Baptismus conferatur. *C.* 54. *Can.* 16. QUÆST. I. C. 45. 46. *Can.* & QUÆST. Correc. Rom. in *C.* 46. alium Canonem referunt qui idem habet.

REGULA II.

Tota Doctrina Canonum circa Baptismum ad illius administrationem refertur.

[1] Patet ex DIST. IV. *De Consecrat.* composita ex 156. Canonibus, qui omnes respiciunt vel ritus accidentales Baptismi, quales Exorcismus, Linitio, Unctio, Signatio, Catechismus, & abrenuntiationes factæ mundo, carni & Diabolo; vel substantiales, quales materia & forma; vel Ministrum, sive quæ requirantur ex parte Ministri; vel effectus populo ut materiam & formam exponendos; vel tempus quo baptisandum, sive solemniter, sive non, ut in casu necessitatis; vel locum ubi Baptismus conferendus. Idem patet ex *Tit. De Baptismo*, tùm in *Collect.* GREG. IX. tùm in CLEMENTINIS, qui docent immersioni jungenda hæc verba *Ego te baptiso in Nom. Patr. Fil. & Sp. Sancti*: in dubio baptisandum sub conditione: Baptisandos parvulos, etsi fidei incapaces, per Baptismum ipsis peccatum originale remitti; Baptismum omninò involuntarium, qualis est dormientis, vel amentis, qui ante non cupierunt caracterem imprimere, semivoluntarium verò quasi suscipientis ad vitanda mala temporalia, quæ aliter vitare nequit: Neminem posse se ipsum baptisare: Salivam vicem aquæ supplere non posse: Non iterandum Baptisma ob maliriam Mioistrorum extra casum necessitatis; baptisandum oou esse extra Ecclesiam Parochialem, nisi filios Regum, aut Principum, CLEMENTINA *Unic. De Bapt.* Baptismum esse remedium salutis tàm adultis, quam parvulis; gratiam habitualem, cum virturibus utrisque infundi. Idem dicendum de 14. Canonib. *Concilii* TRIDENT. circa Baptismum, nam vel eadem dicunt, ac qui mox expositi sunt; vel effectus Baptismi populo explicandos, ut baptisatum toti Legi Christi subjici, & præceptis Ecclesiæ: Subsequentia peccata non remitti sola Baptismi recordatione: Baptisma, cùm caracterem imprimat non amitti subsequenti infidelitate.

Hinc nihil docent Canones circa Baptismum, ad cujus cognitionem Parochus non teneatur.

ARTICULUS II.

De Officio Parochi circa Confirmationis Sacramentum.

REGULA.

Ex iis, quæ Canones inserti Corpori Juris vel *Concilio* TRID. tradunt circa Confirmationis Sacramentum, pauca admodum sunt, quæ populum docere Parochus non teneatur.

Colligitur Regula partim ex dictis suprà circà Officium docendi; partim ex natura eorum, quæ prædicti Canones tradunt circa hoc Sacramentum: Ostensum est enim, Parochum teneri docere, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; & constat ex lectione prædictorum Canoonum, paucissima continere, quæ scitu necessaria non sint ad salutem; quod sic ostendo. Prædicti Canones habentur DIST. IV. *De Consecr. circa finem, & initio* DIST. V. *Op. E. C.* 1. *De Sacram. non iterand C.* 1. *De Cognat. Spirit.* §. 2. *in* 6. *C.* 9. *De Sacram & Can.* 3. *De Confirm.* SESS. VII. *C.* 2. SESS. XXIV. Hi autem Canones loquuntur, vel de materia & forma hujus Sacramenti, vel de Ministro, vel de Dispositionibus ad suscipiendum requisitis, vel de effectibus, eorumque sequelis, vel de existentia, vel de præcepto suscipiendi. Nam ut à postremis incipiamus, *C.* 2. SESS. XXIV. loquitur de cognatione contracta ex præsentatione ad hoc Sacramentum, illiusve administratione; sicuti *Cap.* 1. *De Cognat. Spirit. in* 6. Cap. 3. SESS. VII. loquitur de Ministro, docetque Episcopum esse Ordinarium hujus Sacramenti Ministrum; sicut *Cap.* 4. *&* 6. DIST. V. *De Consecrat.* C. 119. 120. DIST. IV. *De Consecr. Can.* 2. *ead.* SESS. VIII. loquitur de effectibus; insinuat enim, Confirmationem conferre Spiritum Sanctum, dùm anathematisat eos, qui dicunt injuriam fieri Spiritui Sancto, si tribuatur Chrismati aliqua virtus; de eodem effectu loquitur *Cap.* 119. DIST. IV. *De Consecr. &* Cap. 5. *&* 6. DIST. III. *De Consecr.* Cap. 9. *De Sacram.* enumerat Confirmationem inter Sacramenta caracterem imprimentia. Idem docent *Cap.* 8. *&* 9. *De Consecr.* DIST. V. dùm prohibent pluries conferre vel suscipere hoc Sacramentum. *Cap.* 1. *De Confirm.* definit existentiam hujus Sacramenti. Id supponunt jam citati Canones circa effectus Confirmationis. Idem faciunt *Cap.* 2. 3. 4. DIST. V. *De Consecr.* qui illam Sacramentum vocant. Hi Textus non probant nisi pro VIII. vel IX. sæculo, quia ex pseudo URBANO I., ex pseudo MELCHIADE, ex pseudo EUSEBIO desumpti sunt, ac suppositio ista creditur facta alterutro sæculo.

De Dispositionibus præfatis loquuntur *Cap.* 6. 7. DIST. V. *De Consecr.* & hæ sunt Jejunium & Confessio. *Cap.* 1. *&* 6. *ejusdem* DIST. probant confirmationem præcipi: Prior enim docet, Christianos confirmari, ut pleni inveniantur Christiani: Posterior neminem posse esse Christianum perfectum, nisi confirmatus fuerit. De materia loquuntur idem *Cap.* 6. DIST. V. *De Consecr.* Cum Cap. 1. 3. 4. *Ejusd.* DIST. *&* Cap. 119. 120. 125. *&* Cap. 1. *De Sacram.* docent, in hoc Sacramento manus Impositionem & Chrismationem adhiberi, supplendamque Chrismationem, si omissa fuerit. His adde *Cap. unic. De Sacra Unct.* §. 7. quod de materia & Ministro Confirmationis agit.

ARTICULUS III.

De Officio Parochi circa Sacramentum Pœnitentiæ.

REGULA I.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ duplex est Parochi Officium, prius docendi, posterius administrandi.

REGULA II.

Officium docendi circa hoc Sacramentum demonstrant Canones, quicumque tradunt illud ad salutem necessarium esse.

Regula patet ex dictis: Ostensum est enim, teneri Parochum docere, quæ ad salutem necessaria, & ex *C.* 5. SESS. XIV. *De Pœnit. & ex C.* 6. *ejudem* SESS. constat Confessionem Sacramentalem, necessariam esse ad salutem Jure Divino.

REGU-

REGULA III.

Canones inserti Corpori Juris evincunt administrationem Sacramenti pœnitentiæ. ad Parochum Jure Communi pertinere. Idem faciunt Decreta *Conc.* TRID.

Prior Regulæ Pars colligitur ex eo quod Ecclesia unicam præcepit in anno Confessionem, & hanc vult à Parocho excipi, ita ut declaret nullam quæ alii fiet, utpote receptam à non habente legitimam Jurisdictionem. *Cap.* 12. *De Pœnit. & Remiss.* De Parocho interpretor, quod dicit de proprio Sacerdote, quia conditum est à *Concilio* LATER. sub INNOCENTIO III. *anno* 1216. & *sub* GREG. IX. *creato anno* 1229. Unusquisque tenebatur adhuc confiteri Superiori proximo & immediato, qualis est Parochus erga Parochianos. Id demonstrat *Cap.* 16. *ejusd.* TRIO. in eo concedit Episcopis, eorumque Superioribus, necnon Prælatis exemptis, ut possint sine consensu Superioris sui eligere Confessarium; cùm ergo extra omnem probabilitatem sit Prælatos non fuisse pejoris conditionis, quàm ipsos eorum subditos, inferre jure licet, subditis illorum permissum non fuisse, aliis quàm proximo Superiori peccata sua confiteri. Prætereà CLEMENTINA II. *De Sepult.* EXTRAVAG. II. *ejusd. Tit.* EXTRAVAG. Cap. *De Privil.* expressè agnoscunt in Parocho facultatem hanc à Jure Communi emanatam, sed infimul evertunt, dùm permittunt Mendicantibus Confessiones audire volentium sibi confiteri, etiam sine licentia Parochorum.

Eamdem facultatem tuetur EXTRAV. II. *De Treuga & pace*; conservat jus audiendi Confessiones Parochianorum in Paschate: dùm vetat Mendicantibus, ne prædicent illos non teneri proprio Sacerdoti confiteri, eo tempore probat posteriorem Partem *Cap.* 15. SESS. XXIII. in quo *Concilium* TRID statuit, Parochum posse vi Beneficii sui Confessiones audire. Idem faciunt *Cap.* 5. SESS. XIV. *De Pœnit. & Can.* 8. *ejusdem* SESS. dum confirmant Canonem citatum *Concilii* LATER. illumque executioni demandari præcipiunt.

REGULA IV.

Quæcumque Parochus docere debet circà pœnitentiæ Sacramentum collecta habes in Corpore Juris, & in *Concilio* TRID.

Regula patet ex lectione DIST. VII. *De Pœnit. in secunda Parte* GRATIANI. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *Titulorum de Pœnit. & Remis. apud* GREGOR. IX. BONIF. VIII. CLEM. V. EXTRAVAG. COMM. & SESS. XIV. *De Pœnit.* quæ SESS. spectanda est ut Epitome optima omnium, quæ citatis aliis in locis continentur. His adde SESS. VI. *De Justificat.* quæ certè pertinet, tàm ad eam, quæ fit ipso Pœnitentiæ Sacramento, quàm ad eam, quæ fit ipso Baptismo. Undè si quis methodicè discere velit, quæ cæteri Canones citati doceant, circa Pœnitentiæ Sacramentum, ad ea Capita reducere debet, quæ explicanda suscepit *Concil.* TRID. Utraque SESS. nempè ad causas justificationis, ejusque fructum, necnon jacturæ utriusque, atque etiam ad partes Sacramenti Pœnitentiæ, absolutionem, ipsiusque Ministrum & formam, contritionem, ipsiusque ab attritione differentiam, Confessionem Divinam, ipsius institutionem, ipsiusque conditiones absolutè necessarias ut valeat, satisfactionem & satisfactoria opera. Cùm autem Sacramentum Pœnitentiæ sæpiùs fructu suo frustretur, quia dispositiones requisitæ non afferuntur, ideò inter legenda loca indicata, Parochus iis immorati præcipuè debet, quæ de his dispositionibus loquuntur; undè cùm è præcipuis sint *Cap.* 5. *De Pœnit.* Cap. 6. SESS. VI. Cap. 4. SESS. XIV. iis multùm attendat, oportet: In primo advertet, non absolvendum unquam, qui animum peccandi non deposuit, sed præparandum eum crebris, salutaribusque monitis, Pœnitentiæ indictæ conjunctis. Secundus docebit quemvis peccatorem, qui justificari velit, debere incipere diligere Deum tanquam fontem omnis justitiæ. Tertius locus monebit contritionem includere propositum non peccandi de cætero; proindeque dolorem, qui voluntatem peccandi non excludit, non sufficere etiam cum Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum obtinendam: Hinc cùm voluntas non peccandi non excludatur, nisi voluntate contraria, nempè voluntate Deum amandi super omnia, seu quod eodem redit, voluntate adimplendi omnia Præcepta Divina; consequitur, nullum dolorem sufficienter disponere ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi sit conjunctus voluntati super omnia Deum diligendi.

Iis locis, si velit Parochus impugnabit abusus absolvendi permanentes in occasione proxima peccandi, ipsa inevitabili necessitate non coactos; abusus non probandi peccatorem consuetudinarium usque ad ligna pœnitentiæ, quibus moraliter certum fiat, reum à peccando abstinere verè velle.

Alios abusus circa impositionem Pœnitentiarum, sicut & circa Confessiones quodammodo dimidiatas *Cap.* 8. *ejusd.* SESS. exponet, quæ satisfactio sit imponenda, docetque, in earum moderatione non sequendum sensum, affectumque carnis, sed ipsam prudentiam Spiritûs, servandamque nonnullam proportionem inter qualitatem & quantitatem excessus, & qualitatem, quantitatemque satisfactionis; atque ut servetur hæc proportio, confitendas circumstantias notabiliter aggravantes.

ARTICULUS IV.
De Officio Parochi circa Eucharistiam.

Cùm Eucharistia sit Sacrificium ut & Sacramentum, cumque in re permanenti consistat, non in actione momentanea, ut cæteta Sacramenta; hinc fit, ut multiplex sit Parochi Officium circa Eucharistiam. Quænam autem sint hæc Officia, quibus innitantur Canonibus, quæ circa quodlibet notanda, sequentibus Regulis exponendum.

REGULA I.

Nullum est Parochi Officium circa Eucharistiam, cujus non meminerint Canones, Corpori Juris inserti, *Conciliumve* TRIDENTINUM. *Decretum de observandis in Celebrat Miss.* SESS. XXII. *Propiùs.* Cap. 14. SESS. XXIII. *C.* 2. *De Parochis.*

REGULA II.

Prædicta Officia alia non sunt, quàm ista.

I. Conficiendi quoties gregis necessitas postulat, idemque Dominicis Festivisque diebus, quibus Sacro interesse deber, si defuerint Hostiæ ad communicandos infirmos; si quis sepeliendus sit eo tempore, quo Missam celebrare. *Cap.* 9. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 1. *De Celebr. Missæ.* Cap. 19. 21. *Can.* 11. *Licet.* QUÆST. II. Cap. 44. *De Consecrat.* DIST. I.

II. Dispensandi omnibus, qui petierint, dummodò manifestè indigni non sint, præsertim tempore Paschali. *Cap.* 12. *De Pœnit.* Cap. 9. SESS. XIII.

III. Asservandi ad infirmos communicandos. *C.* 6. SESS. XIII. C. 7. *ejusd.* SESS. C. 6. & 7. CAUS. XXVI. QUÆST. VI.

IV. Ad eosdem deferendi in decenti habitu, cum omni reverentia & timore, lumine semper præcedente. *Ibid. &* Cap. 19. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 10. *De Celebr. Miss.*

V. Custodiendi sub clave asservatas Hostias, ne manus temeraria ad illas extendatur, ad aliqua horribilia vel nefanda exercenda. *Cap.* 1. *De Custodia Euchar.*

VI.

VI. Circumgestandi in supplicationibus publicis, juxtà Consuetudinem Ecclesiæ generalem, necnon & particularem cujusvis Ecclesiæ Parochialis, ab Episcopo approbatam. *Cap.* 5. *Can.* 6. SESS. XIII.

VII. Fidelium adorationi proponendum juxtà Communis ac Diœcesani præscriptum. *Ibid.*

VIII. Docendi veritatem hujus Sacramenti, seu realem Corporis & Sanguinis JESU CHRISTI sub speciebus Panis & Vini existentiam, necnon Eucharistiam esse verum Sacrificium, vices gerens omnium Veteris Legis Sacrificiorum, vim & virtutem cùm Sacrificii, tùm Sacramenti; quibus dispositionibus utriusque fructus percipiatur; qua demum reverentia utrumque colendum; pro dispositione magis minusve frequenter communicandum. *Cap.* 2. SESS. V. Cap. 7. SESS. XXIV. Cap. 10. *De Celebr. Miss.*

Illarum omnium rerum testimonia subministrat DIST. II. *De Consecratione.* In ea enim fusè agitur per Canones non modicæ autoritatis de Eucharistia sumpta ut Sacrificio, & ut Sacramento, de veritate Sacrificii & Sacramenti, de modis, quibus utrumque sit proficuum, de reverentia utrique debita, de communicandi usu magis vel minus frequente, prout quisque dispositus est. Adde huic DIST. *Cap.* 7. *& Canon.* 7. *De Eucharist.* SESS. XIII. Loquuntur de Dispositionibus maximè necessariis ad eam recipiendam.

ARTICULUS V.

De Officio Parochi circa Missam.

In Sectione præcedente exposita sunt nonnulla Officia Parochi circa Missam, idque *n.* 1. Cætera nunc hic explicanda.

REGULA I.

Parochi Officia circà Missam, vel respiciunt etiam alios Sacerdotes, & Communia sunt; vel solum Parochum, & Propria sunt.

REGULA II.

Propria Parochi Officia circa Missam hæc sunt, quæ in Corpore Juris, vel in *Concilio* TRIDENTINO commemorantur.

I. Invigilare debet, ne alieni Parochiani relictâ Parochia propria, sine justa causa vel itineris, vel negotii peculiaris Parochiali Missæ suæ intersint. *C.* 4. 5. *Can.* 9. QUÆST. II. Cap. 2. *De Paroch.*

II. Curare tenetur, ut Clerus populusque Festis solemnioribus Natalis, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & diei Patrono loci dedicatæ Missæ Parochiali adsit; ac ne quis eam in Oratoriis excepta infirmitatis causâ audiat. *Cap.* 35. *De Cons.* DIST. II. Cap. 52. *Ejusd.* DIST.

III. Cavere debet, ut Missæ peculiares, quæ in ipso Parochiæ loco, vel in circuitu celebrantur, eâ horâ celebrentur, ut non avertant populum, Clerumve ab audienda Missâ Parochiali.

IV. Quoties plurimi Parœciani Majori Missæ interesse nequeunt, minor manè dicenda, à Parocho procuranda est. *Cap.* 51. *Ejusd.* DIST.

V. Inter Missarum Solemnia explicare debet, quæ ad Missam spectant, aliaque similia scitu necessaria ad salutem. *Cap.* 7. SESS. XXIV.

VI. Attendere debet, ut Sacerdotes in Parochia sua celebrantes communia circa Missam Officia adimpleant. *Cap.* 10. *De Reg. Juris.* Idem ostendunt, quicumque Canones docent, Sacerdotes in Parochia commorantes subesse Parocho, ac inter illius oves computari; ideoque teneri tanquam illorum Pastorem ab iis omne malum pro viribus suis avertere. *Cap.* 1. SESS. XXIII.

VII. Quantùm in se est, efficere debet, ut Parœciani sui die Dominico Missam totam audiant. *Cap.* 64. *De Cons.* DIST. I.

VIII. Fundatas Missas celebrare per seipsum vel per alium obligatur. *Cap.* 2. SESS. XXV.

REGULA III.

Non sunt alia Parocho cum aliis Sacerdotibus communia Officia, circa Missam in Corpore Juris, vel in *Concilio* TRID. expressa, quàm ista.

I. Ne in locis non sacratis vel benedictis celebret. *Cap.* 11, 12. 13. 14. 15. DIST. I. *De Consecr.*

II. Neque in Ecclesiis seminis vel sanguinis effusione criminosa, vel inhumatione excommunicati denunciati pollutis. *Cap.* 18. *De Sent. Excom. in* 6. Cap. 7. 10. *De Consecr. Eccl.* Cap. 18. *De Excom. in* 6.

III. Neque in Ecclesiis interdictis.

IV. Ne utatur vasculis ligneis vel cereis. *Cap.* 44. 45. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 14. *De Celebr. Missar.*

V. Ne sine igne, sine aqua, sine pane azimo, celebret. *Cap.* 14. *De Celeb. Miss.*

VI. Ne post cibum celebret. *Cap.* 49. *De Consecr.* DIST. I.

VII. Ut communicet, quoties celebrat. *Cap.* 11. *De Consecr.* DIST. II.

VIII. Ne inceptum Sacrificium alii perficiendum dimittat. *Cap.* 57. *De Consecr.* DIST. I.

IX. Ut si infirmus celebret, secum alium Sacerdotem propè vel non longè habeat, qui, superveniente aliquo casu infausto, qui præpediat, ne Missam absolvat, absolvere possit. *Cap.* 18. *De Cons.* DIST. I.

X. Ne plures una die Missas celebret, nisi urgente necessitate, & ab Episcopo tali judicata. *Cap.* 53. *Ibid.* Cap. 3. 12. *De Celeb. Missa.*

XI. Ut plus Vini, quàm Aquæ in Calice ponat. *Cap.* 13. *De Celeb. Missæ.*

XII. Ut nunquam fingat, se celebrare omittendo vel immutando Consecrationis verba, ne in peccato mortali celebret; sed eo casu vel à celebratione abstineat, si possit, vel si non possit, & Confessarii copiam non habeat, doleat de peccato, & cum proposito illud confitendi quàm citissimè poterit, celebrare licebit. *Cap.* 7. *De Celeb. Miss.* Cap. 7. SESS. XIII. & *Can.* 11. *Ejusd.* SESS.

XIII. Ut semper Vino, digitos, Calicemque, perfundat, postquàm totum perceperit Eucharistiæ Sacramentum. *Cap.* 5. *De Celeb. Miss.*

XIV. Ne, si sit Romanæ Ecclesiæ ritus servare adstrictus, diebus profestis dicat Hymnum Angelicum, neque Symbolum, etsi Missam dicat in honorem Spiritus Sancti, Sanctæ Mariæ, & S. Crucis, & cum propria præfatione. *Cap.* 4. *E. T.*

XV. Ne, si Parochiani voluerint ut sibi Missa cantetur, aliam dicat, quàm diei, sive pro vivis sive pro defunctis cantari voluerint.

ARTICULUS VI.

De Officio Parochi circà Extremam Unctionem.

Paucissima babentur in Corpore Juris circà Sacramentum Extremæ Unctionis; quia de illo raræ suborta sunt Quæstiones, quæ Canonibus decisæ sint, atque etiam infrequentes fuere de illa loquendi aliæ occasiones. E contrà verò *Concilium* TRIDENTINUM totam hujus Sacramenti materiam ex professo exposuit, quia Hæretici ad quorum condemnationem congregatum est, plures errores in idem Sacramentum protulerant, Blasphemiasque evomuerant: Plura tamen è Corpore Juris hîc colligentur quàm ex *Concil.* TRID. quia, quæ illud babet minùs nota, huc illusque dispersa, atque ad praxim magis necessaria.

REGULA I.

Canones Corpori Juris inserti, extra dubium ponunt administrationem Extremæ Unctionis ad Parochum propriè pertinere.

CLEMENTINA I. *De Privil.* excommunicat ipso facto Religiosos, qui sine licentia Parochi hoc Sacramentum administrant Clericis vel Laicis. Idem inferre licet ex *Cap.* 3. DIST. XCV. In eo docet INNOCENTIUS I. adeò invaluisse usum, ut soli Parochi hoc Sacramen-

mentum conferrent, ut in dubium vocaretur, an id quoque fas esset Episcopis.

REGULA II.

Iidem Canones adhuc plura alia ad praxim spectantia docent, & hæc sunt.

I. Non administrandum hoc Sacramentum impœnitentibus. *Cap.* 3. DIST. XCV. *ex* INNOCENTIO I.

Quod is de pœnitentibus publicis dixerat secundùm sui sæculi disciplinam, denegandam illis esse Unctionem, quia genus Sacramenti, & pœnitentibus publicis cætera negantur Sacramenta, ad impœnitentes accommodarant Collectores Canonum, quia duriùs sibi videbatur inspecto sui ævi usu, ut pœnitentibus Sacramentum aliquod negaretur.

II. Nihil exigendum pro administratione hujus Sacramenti, nec ante, nec post. *Cap.* 15. CAUS. I. QUÆST. III. INNOC. II *in Syn.* ROM. Cap. 8. *De Serm.*

III. Non denegandum peccatoribus publicis ad se reversis in solo mortis periculo. *C.* 1. *Can.* 26. QUÆST. VII. THEOD. CANTUAR. *circa finem* VII. *seculi.*

IV. Conferri posse ante Eucharistiam, si talis sit Diœcesis usus, vel si id Episcopus probaret. *Eod.* Cap. 1. *mox citato*, quod testatur collectum tunc fuisse ante Eucharistiam.

V. Administrandum duntaxat languidis, infirmisque in periculo mortis positis. *Ibid. &* Cap. 3. DIST. XCV. Cap. 3. SESS. XIV.

VI. In hoc Sacramento utendum Oleo Sacro. *Cap.* 3. DIST. XCV. C. 15. *Can.* 1. QUÆST. III. C. 1. *Can.* 26. QUÆST III. Cap. 8. *De Simonia*, *cum nota* PITHÆI, *in* Verbo *Olei Receptione.*

VII. Consecrationem ab Episcopo faciendam. *Cap.* 3. DIST. XCV. in quo INNOC. materiam hujus Sacramenti vocat Chrisma, quia ungit, & dicit Episcopi esse, illud conficere.

VIII. Sacerdotem (seu Parochum) uno Clerico præsente, vel solum posse infirmum ungere. *Cap.* 14. *De Verb. Signif.*

REGULA III.

Collecta ex Corpore Juris Parochi Officia circà Extremam-Unctionem confirmat *Concilium* TRIDENTINUM, ac ex ipsius Doctrina unum adhuc alterumve eruere licet, ac opus est.

I. Est quod Parochus teneatur eisdem conferre pluries, si petant, in diversis infirmitatibus. *Cap.* 3. SESS. XIV.

II. Est, quòd doceat, quæ à *Concilio* definita & exposita à *Concilio* TRID. utpote scitu necessaria ad salutem, nempè Ecclesiam Romanam, Doctrinam de Extrema-Unctione hausisse ex JACOBO, ac cum eodem tenere: 1. Unctionem hanc faciendam infirmis, *si quis infirmatur &c.* oleo ungentes, à Presbyteris, *inducat Presbyteros*, Unctioni jungendam Orationem, *& orent super eum*; utrumque simul junctum operaturum sanitatem, aut saltem levamen, & peccatorum remissionem, si quæ sint in infirmis, *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit Dominus & si in peccatis sit remittentur ei*, eamque inde meritò inferre, Extremam Unctionem esse Sacramentum propter alligatam ipsi promissionem gratiæ sanctificantis, quæ à solo Deo fieri possit, cùm solus illam implere possit; ex hac autem promissione sequi, Sacramentum hoc contemni non posse sine injuria Spiritùs Sancti; contemni verò Domini Sacramentum, si, cùm possit commodè suscipi, negligatur.

ARTICULUS VII.

De Officio Parochi circà Sacramentum Ordinis.

REGULA I.

Quæ sunt Parochi Officia circà Sacramentum Confirmationis, eadem sunt circà Sacramentum Ordinis, nempè docendi, & Confessione Communioneque præparandi suscepturos.

Colligitur ex omnibus Canonibus, qui docent Parochum redditurum, nedum Episcopo, sed & Deo rationem de ovibus suis: Hinc enim sequitur, eum teneri pro viribus, conari, ne qui suæ curæ commissi sint, Sacramenta ulla indignè suscipiant.

Præterea dispositiones requisitæ ad dignam Sacrorum susceptionem, sunt eorum, quæ scitu necessaria sunt ad salutem, tùm suscipientium, tùm Parentum ut plurimum ad Ordines filios vocantium, aut saltem impellentium.

Ratio conformitatis prædictæ petitur ex eo, quòd utrumque ad aliùs, quàm Parochi administrationem pertineat; undè restat, totum illius Officium positum in præparando ad illa Sacramenta, & per Doctrinam, & per Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ ad illa maximè disponentium Collationem.

REGULA II.

His Officiis Parochi circa Sacramentum Ordinis nonnulla alia adjiciuntur, & hæc sunt.

I. Attestandi de vita, moribus Ordinandorum in Parochia commoratorum. *Cap.* 5. SESS. XXIII.

II. Propositis nominibus & desiderio volentium promoveri publicè in Ecclesia, de ipsorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirendi, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad Episcopum quàm primùm transmittendi.

III. Pro voluntate prudentiaque sua Clericis in minoribus Ordinibus constitutis, si qui sint ad illos exercendos Parochiis adscripti, munus à quolibet exercendum assignandi.

IV. Si quos præsentat ad Ordines Sacros sub titulo suæ Parochiæ, illos gratis præsentandi, nec ulla interveniente promissione eorum, qui præsentabuntur, se nihil postulaturos. *Cap.* 37. *De Sim.*

V. Ordinandos examini præsentandi, vel per se ipsos, vel per Archipresbyteros, quibus ipsi illos præsentarent. *Cap.* 5. DIST. XXIV. IVO legit *Presbyteris* pro *Archipresbyteris*. Hæc lectio ad interpretationem quam secuti sumus nos impulit, determinavitque.

REGULA III.

Quandò Psalmistatus inter Ordines minores collocabatur, Parochus inter Ministros hujus Ordinis recensebatur. *Cap.* 10. DIST. XXIII. Desumitur è *Concilio* IV. CARTAG. *ann.* 398. quod est velut primum Ecclesiæ Occidentalis quoad Collationem Ordinum Pontificale: Quod dicit de Presbytero, cujus jussione Cantor ordinatur, de Parocho interpretor; quia agitur de Presbytero Ecclesiam regente, ac ideo habente subditos, quibus possit præcipere, quæ ad rem Divinam spectant, & Officia pro voluntate assignare Ecclesiastica; utrumque verò Parocho rectè convenit. Præterea sunt, qui sentiant, per Presbyterum absolutè sumptum, & per antonomasiam dictum, intelligendum esse Parochum; id advertit FLEZACUS, Doctor Sorbonicus in *Tractatu De Origine Paræciarum.*

ARTICULUS VIII.

De Parochi Officio circa Sacramentum Matrimonii.

Tria sunt Officiorum Parochi genera circa Sacramentum Matrimonii, nempè communia, propria, & maximè propria. Communia sunt illa, quæ Parochus habet etiam circà alia Sacramenta, ut docendi quæ ad illud Sacramentum pertinent, atque præparandi ad idem Sacramentum suscipiendum, tùm monitis exhor-

exhortationibusque, tùm Sacræ Pœnitentiæ & Eucharistiæ administratione. Propria sunt, quæ respiciunt denunciationes tres ante celebrationem Matrimonii ab eodem Parocho faciendas; sed hæc non ita propria, ut ad nullum aliud Sacramentum extendantur, cùm, ut jam observatum, similes proclamationes fiant circa promovendos ad Ordines majores, quæ præter Subdiaconatum sunt Sacramenta. Maximè propria voco, quæ in eo posita quòd nuptiæ fiant præsente Parocho cum aliquot testibus sub pœna nullitatis ipso facto. Hinc prænotatam divisionem sequentibus Regulis explicamus.

REGULA I.

Parocho docendi sunt contrahentes, quæcumque scire debent, ut licitè valideque Matrimonium contrahant.

C. 2. SESS. V. docet Parochum teneri docere populum, quæ scitu necessaria sunt ad salutem; eorum autem quæ scienda sunt ut licitè& validè contrahantur Matrimonia cognitio necessaria est ad salutem contrahentium. Hinc *Conc.* TRID. C. 1. SESS. XXIV. præcipit Episcopis, ut curent à Parochis (quoties id expedire judicaverint) idem Caput promulgari, utpote continens præcipua ex his, quæ scitu necessaria sunt, ut licitum sit, validumque Matrimonium.

REGULA II.

Illicitum est Matrimonium, quoties invalidum; sed non est invalidum, quoties illicitum.

Patet Regula ex eo, quòd illicitum sit, quoties fit contra Leges, vel prohibentes solùm, vel prohibentes & irritantes simul; si autem læ lat tantùm Leges purè prohibentes, illicitum est duntaxat; si verò irritantes simul, irritum est perinde ac illicitum.

REGULA III.

Leges purè prohibentes circà Matrimonium, vel sunt communes omni Sacramento, vel propriæ Matrimonio: Communes, quæ prohibent in peccato mortali actu illud suscipere, vel absque Confessione & Communione ad id præceptis: Propriæ, quæ prohibent Matrimonium celebrare ab Adventu ad Epiphaniam, à die Cinerum ad Dominicam in Albis inclusivè; vel post prohibitionem judicis; vel votum simplex Castitatis; vel absque Denunciationibus.

REGULA IV.

Leges Matrimonia irritantes, vel sunt veteres & in Corpore Juris contentæ, vel novæ à *Concilio* TRID. conditæ.

REGULA V.

Novarum Legum aliæ veteres Leges confirmant, ut quæ denunciationes spectant; aliæ veteres Leges partim abrogant, ut quæ impedimenta gradus habentia ad pauciores restringunt; aliæ veteribus addunt, ut quæ irritant Matrimonium contractum aliter quàm coram Parocho ac duobus testibus.

REGULA VI.

Quæ præmissis Regulis continentur, ea sunt, quæ populum Parochus docere tenetur, præsertim offerentes se ad Matrimonium contrahendum.

REGULA VII.

Denunciationum Matrimonialium nulla in Jure mentio antè ALEX. III.

Infertur Regula ex eo, quòd antiquiores Juris Textus, qui illarum denunciationum meminere, sunt *Cap. 8. De Testib.* Cap. 4. *Qui Matrimonium acc. poss.* qui duo Textus in prima Antiquarum Collect. relati, desumpti sunt ex *Epistol.* ALEX. III. *ad Electum* PAPIENSEM; docentque in *Ecclesia* PAPIENSI consuetum fuisse, ut, si quandò dubitaretur, an inter Matrimonium contrahere volentes, aliquod esset impedimentum, promulgaretur in Ecclesia futurum Matrimonium à Parocho præcipiente Parochianis suis, ut revelarent, si quod scirent impedimentum.

REGULA VIII.

Denunciationes Matrimoniales præceptæ non fuerunt per Universam Ecclesiam, nisi sæculo XIII. ineunte.

Colligitur Reg. ex *Cap.* 3. *De Cland. Desponf.* in quo *Concil* LATER. III. *ann.* 1216. illas denunciationes præcipit, dicens, se ad omnes Ecclesias extendere specialium locorum Consuetudinem; locorum illorum nulla in Jure mentio præter Textus in præcedenti Reg citatos, & *Cap.* 27. *De Sponsalib.* Cap. 6. *qui Matrim. acc. poss.* quod utrumque testatur, *Ecclesiam* BELVACENSEM consuevisse Matrimonia contrahenda in Ecclesia proclamare, ut eo modo impedimenta detegerentur.

REGULA IX.

Nulla Lex scripta universalis antiquior exeunte sæculo XVI. quæ certum numerum denuntiationum Matrimonalium præscribat.

Decretum primum SESS. XXIV. est prima omnium legum hujus generis, & hoc Decretum *ann.* 1563. conditum est. *Citati Textus* demonstrant tantùm quod præfigebatur terminus, intrà quem revelanda erant impedimenta: Verum quidem est, illos Textus, qui de Ecclesia BELVAC. meminerunt, uti voce plurali *Bannis*, *Banna*, ideoque videri insinuare, quod plures promulgationes fierent; sed præterquàm quòd agitur ibi solummodo de Consuetudine speciali, vox pluralis, *Banna*, pro voce *Bannum* usurpari potuit; denique si plures denunciationes adhiberentur, nescitur, quis illarum numerus: Decretum autem citatum præcipit, ut per totam Ecclesiam per Parochum Matrimonia ter denuncientur publicè in Ecclesia.

REGULA X.

Ut in aliis Sacramentis, sic in Matrimonio verba adhibenda sunt à Parocho, sed cum hoc discrimine, quòd in aliis, eadem ab omnibus totius Ecclesiæ Occidentalis usurpantur; in Sacramento verò Matrimonii varia, juxtà receptum cujusque Provinciæ ritum. *Cap.* 1. SESS. XXIV.

REGULA XI.

Ex omnibus Sacramentis solum Matrimonium ad sui valorem requirit plurium testium præsentiam. *Ibid.*

REGULA XII.

Ex Sacramentis, quorum administratio ad Parochos spectat, nullum est præter Matrimonium, cujus administratione sine licentia legitima, suspensus fiat, ipso facto, quivis Sacerdos alius, quàm proprius Parochus. *Ibid.*

REGU-

REGULA XIII.

Ut legitima sit dicta licentia, necesse est illam concedi vel ab Ordinario loci, vel ab ipso Parocho: Solet autem dari, vel pro omnibus Matrimoniis Parochiæ, donec revocetur, ut sit in Vicario Coadjutore. & hæc à solo Ordinario concedi potest; vel ad unum determinatum Matrimonium, & ista tam à Parocho quàm ab Ordinario. *Ibid.*

REGULA XIV.

Quæ sunt Officia Parochi erga primum Matrimonium, eadem sunt erga secundum, præter Officium benedicendi in Missa contrahentes, quos sub pœna suspensionis totalis Officii & Beneficii, ipso facto incurrenda, & Sedi Apostolicæ reservata, in secundo benedicere prohibetur. *C. 1. De Secundis Nuptiis.*

REGULA XV.

De facienda à Parocho benedictione Sponsalium, seu promissionis mutuæ futurarum Nuptiarum, sermo nullus sive in Corpore Juris, sivé in *Concilio* TRIDENTINO.

Quàm plurima essent alia notanda circa Matrimonium, cùm de eo fusè adeò agatur in Corpore Juris, ut totum occupet IV. LIB. DECRETALIUM compositum 21. Tit. IV. itidem SEXTI DECRETALIUM & CLEMENTINARUM, cum X. Causis apud GRATIANUM à 27. ad 36. inclusivè, & in *Concilio* TRIDENTINO ut tota SESS. XXIV. *De Ref. Matrim.* constans 12. Canonibus & 10. Capitibus circa solum Matrimonium versetur; sed quia Parochum remotiùs respiciunt, ideò satiùs est, ut ad Tractatum *De Matrimonio* remittantur.

REGULA XVI.

Ex Constitutionibus Canonicis Jus Commune continentibus, nulla est, quæ præcipiat Parocho, ut habeat librum, in quo Conjugum, testiumque nomina, diem & locum contracti Matrimonii describat, præter eam, quæ habetur *in C. 1.* SESS. XXIV. *De Ref. Matrim.*

§. IV.

De Parochi Officio erga Divina Officia, sive Horas Canonicas decantandas.

REGULA.

Duplicem tantùm Juris Textum habemus, qui de canendo Officio Divino à Parocho meminerit.

Alium in *C. 1. Tit. De Celebr. Miss. & Divin. Officio*; alium in *Cap. 3. Tit. De Vita & Honest.*

In primo præcipitur Parocho, ut expleto matutinali Officio, pensum suæ servitutis, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque, persolvat; ita tamen ut competentibus horis juxtà possibilitatem, aut à se, aut à Scholaribus publicè compleantur. Vox *horis* omissa est in hoc Textu; habetur in *C. 2.* DIST. XCI. ubi idem Textus refertur. Ibidem desumi dicitur è *Concilio* NANNET. quod sæculo IX. collocari solet incerto anno; sed in illo non reperitur, nec in *Concilio* AGATH. cui apud GREG. IX. tribuitur. Sunt quædam Verba in eodem Textu, prout apud GRATIANUM refertur, quæ illum AGATH. *Concilii* non esse demonstrant, cùm in iis citetur S. BENEDICTUS huic *Concilio* posterior, & nomine Beati donetur.

Alter Textus præcipit Parocho ut habeat domi suæ Clericum, qui secum cantet, & lectionem legat: Tribuitur variis Conciliis, nempè MUTICENSI, NANNATENSI, PIETAVIENSI; sed in nullo repetitur. Ant. AUGUST. in hunc Can. 1. Collect. & T. C. 7.

Prior Textus ostendit Parochos obligatos fuisse privatim recitare Officium quod publicè canere non poterant, cùm duplicem distinguat recitationem; primam, quæ tota simul fiat, ad exeundum ad opus rurale, si necesse fuerit; secundam, quæ competentibus horis publicè fiat.

§. V.

De Officio Parochi erga pauperes.

Circa pietatis opera tanta est Parochi cum Episcopo affinitas, ut quæ Canones dicunt de Episcopo habitâ ratione ad ista opera, applicari justè queant ipsi Parocho. Ea propter hac in re *Concilium* TRIDENTINUM junxit Parochum cum Episcopo, utrumque sub nomine Rectorum comprehendens. *C. 1.* SESS. XXIII. In quo inter Officia Rectorum, ista collocat, omnium bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.

Huc ergo adduci possunt: I. C. 1. DIST. LXXXII. in eo *Concilium* AUREL. præcipit Episcopo, ut iis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum & vestitum, in quantùm sibi possibile fuerit, largiatur.

II. C. 1. DIST. LXXXIV. in eo S. GREG. arguit Episcopum, quòd pauperes oppressi, ejus erga se dilectionis studium non sentiant, nec aliquam supplicantibus, in quibus justum est, opem defensionis accommodet.

III. C. 1. DIST. LXXXV. in quo idem Papa declarat Episcopatu indignum quemdam Archidiaconum, quia adeo tenax est, ut nullus amicus domum suam ad charitatem unquam introeat.

IV. C. 6. DIST. LXXXVI. idem GREGORIUS docet, Lectionem & Orationem Episcopo non sufficere, sed largam manum habere debere, necessitatem patientibus concurrere, alienam inopiam suam credere, alioquin vacuum Episcopi nomen tenere.

V. C. 18. *Ejusd.* DISTINCT. S. AMBR. in eo dicit, Sacerdoti maximè convenire impensas misericordiæ frequentare, peregrinis competentia largiri, compati alienis calamitatibus, necessitates aliorum juvare quantùm potest.

VI. C. 1. 2. 3. 4. in quibus GELASIUS docet, Viduarum & Orphanorum causas Episcopali curæ specialiùs committi, & ad Pontificalem conscientiam pertinere egentium commodis piam solicitudinem non negare.

§. VI.

De Exactione in administrandis Divinis.

Per Divina hîc intelligimus omnia, quæ Sacra sunt, qualia nedum Sacramenta, Sacrificium Missæ, sed etiam Sepultura, Benedictiones, & quæcumque preces publicæ. Eodem nomine donamus res illas omnes, quia vel in se Divina, ut Sacramenta & Sacrificium; vel quia Divina sunt, in proximo fine, ut pote Divino Cultui dicata.

De Exactione loquimur, non de Acceptione, supponentes istam licitam esse, quia dona libera recipientium Sacra nihil aliud sunt, quàm signa gratitudinis. Non ignoramus nonnullos Canones aliquid pro Baptismo dare prohibuisse. *C. 104. Can. 1.* QUÆST. I. desumptum è C. 48. *Concilii* ELIBERITANI. *ann.* 305. sed cùm hæc prohibitio ad speciem mali vitandam fieret, nimirum ne Sacerdos vendere Baptismum videretur, cessavit cum ipsa prohibendi causa, videlicet quando Christiani effecti sunt capaciores prædicta dona saniùs interpretandi. Nec etiam nescimus hodierno tempore acceptionem donorum pro administrando Sacramento

Pœnitentiæ, pluribus in locis improbari; quia maximè periculosa est; attamen de ea acceptione agere animus non est, quia Parochum specialiter non respicit, multóque minùs omnia illius munia, quæ simul hic considerámus. Exactio autem fieri potest vel ante vel post administrationem Divinorum; de utraque loqui intendimus.

REGULA I.

Exactionem quamcumque circa administranda Divina veteres Canones vetuerunt indistinctè, volentes fidelium Oblationes circa illa omninò liberas esse. *Cap.*105. *Cau.* I. QUÆST. I. Cap. 9. *De Sim.*

REGULA II.

Prohibitio hujusmodi integra duravit usque ad *Concilium* LATER. sub INNOC. III. *ann.* 1216. celebratum. Hanc autem partem istud *Concilium* revocavit, permittens, ut qui Divina administrarunt, illos qui susceperunt cogant ad solvendas laudabiles Consuetudines, adhibita ad hoc Episcopali autoritate. *Cap.* 42. *De Sim.*

Duxit *Concilium* has Consuetudines habendas ut Leges, quas fideles sibi imposuerant, eò magis ab illis servandas, quò libentiùs eas sanxerunt.

REGULA III.

Exactio præcedens administrationem Divinorum nulla Lege Ecclesiastica permissa est.

§. VII.

De Officio residendi in Parochia.

Pleraque Parochi Officia hactenus exposita præire debuere Officio residendi; quia istud ex illis nascitur: Si enim Parochus residere teneatur, id haud dubiè provenit ex eo quòd obligetur ad instruendum ad Sacramenta administranda, ad Missam pro populo dicendam, ad celebranda Divina Officia, ad adjuvandos pauperes; ea propter *Concil.* TRIDENTIN. ex recensitis obligationibus Rectorum, obligationem residendi colligit; cumque autem dicat prædictas obligationes è Jure Divino emanare, insinuat consequenter idem de obligatione residendi sentiendum esse, eùm declaret, illas adimpleri rectè non posse sine Residentia: Hinc antiquiores Canones Parochorum Residentiam respicientes, supponunt illos ad illam teneri: Tales sunt *Can.* 14 *Apostol.* & *Can.* 3. *Concilii* ANTIOCH. *relatus* Cap. 24. CAUS. VII. QUÆST. I. deponunt Presbyterum, qui relicta Parochia in alia diu moram traheret. GRATIANUS malè legit perpetuò *manere*; legere debuerat *multo tempore commorari*, ut videre est apud JUSTELLUM TOM. I. *Bibliothe. vet. Jur. per Canon. p.*44. & apud LABBÆUM *Concil.* TOM. II. *p.* 563. Quam tulerunt hi Canones depositionis pœnam, executioni mandari curarunt Canones posteriores; hoc demonstrat *Cap.* 2. *De Cler. non Resid.* testatur enim ANASTASIUM Cardinalem in *Synodo* ROM. 68. Episcoporum depositum fuisse, quia jam à quinque annis extra suam Parœciam commorabatur. Circa quod notandum obiter exemplum hoc severitatis contra non residentes primum esse, quod in Corpore Juris legatur, & Parochum respicere: Ex gravitate pœnæ judicare licet, quanti æstimetur momenti Parochi Residentia. Idem inferre multò magis fas esset ex *Cap.* 3. CAUS. VII. QUÆST. I. in quo Episcopus Parochum deponit propter bimestrem absentiam, nisi judicium hujusce Episcopi condemnatum esset à S. GREG. tùm quia licentiam ab Episcopo Parochus obtinuerat justa de causa; nempe negotia sua ordinandi; tùm quia per illud tempus æger fuerat; aut si quid Papa adjecisset, quo significasset, se probare depositionem Parochi propter bimestrem illius absentiam ex culpa procedentem.

Eamdem severitatem probarunt quicumque Canones præcipientes, ut, si cui Ecclesia Parœcialis collata sit, si residere nequeat, ea privetur. Hinc enim sequitur à fortiori, privandum simili Beneficio, qui residere non vult, cùm majori culpa teneatur. Horum autem Canonum primus est *Cap.* 3. *De Cler. non Resid.* desumitur è *Concil.* LATER. *ann.* 1179.

Hanc quoque severitatem expressè confirmavit *Concilium* TRIDENT. Cap. 1. SESS. XXIII. permittit enim Ordinariis, ut, si Curati non residentes moniti juridicè, vel citati per Edictum non resederint, adhibitis frustrà aliis Juris remediis, nempè censuris, & fructuum substractione, ad privationem contra eos procedant.

§. VIII.

De Officio Parochi erga Beneficia incompatibilia, si qua habet, vel obtinet.

Subjungimus Officium non possidendi plura incompatibilia Officio residendi, quia prius nascitur ut plurimum ex posteriori, cùm Beneficia soleant esse incompatibilia ex eo, quòd sita sint in diversis locis, & in his eodem tempore residere obligent. Verùm in agendo de Officio Parochi ergà incompatibilia, brevissimi erimus; quia ea in re nihil est, quod Parocho peculiare sit; una ergo alterave nova Observatione contenti, quidquid dicturi adhuc eramus de Officiis Parochi finiemus ad illius jura transituri.

REGULA I.

Nunquam licuit Beneficia Curatâ simul plura possidere, nisi urgente necessitate, nec etiam nunc licet, extra hunc casum.

REGULA II.

Obtinenti plura aliàs optio data est, postea jussum ut privaretur. Deindè privatus est ipso jure primo statim ut alterum acquisivit, & si retinere utrumque voluerit, utroque privatus fuit ipso jure: His pœnis adjectum est, ut qui retinuerit simul plura Curata, fieret inhabilis ad Ordines, & ad Beneficia accipienda. Denique privatus est ipso jure primo, tùm utroque, si simul retinere voluerit. *Cap.* 7. *De Preb.* Cap. 3. *De Cleric. non Resid.* Cap. 28. *De Preb.* EXTRAVAG. IV. JOANN. XXII. *E. T.* Cap. 4. SESS. VII.

QUÆSTIO IX.

Quæ Parochi Jura spiritualia & temporalia?

Inter Officia Parochi superiùs exposita nonnulla sunt, quæ itidem & illius jura vocari possunt, quia in illius potestate est cœteros, ab illis exercendis excludere: Hujus generis sunt Officia instruendi, administrandi Sacramenta, Sacrificium Missæ offerendi pro populo certis diebus; hæc enim Officia in quibusdam circumstantiis, ita propria sunt Parocho, ut jus habeat prohibendi, vel impediendi, ne ab aliis præstentur; idque quia Parochis illorum exercitium peculiariter præcipitur. De istis juribus hîc non est sermo, sed de illis tantùm, quæ eo nomine specialiùs donantur. Ea sunt jura decimandi, funerandi, & Oblationes percipiendi. Decimandi jus jam abundè explicuimus, dum

dum *De Decimis* egimus, & quidquid circa illud Parocho propriè competit, observavimus: Nunc tractandum de reliquis, primùm de jure funerandi; deinde de jure oblata percipiendi; sed antea notandum pacta inita à Parochis cum Religiosis circa Jura Parochialia valere, si à prioribus cum consensu Conventuum suorum inita fuerint, etsi à Sede Apostolica comprobata non fuerint, nec à Ministris Generalibus, nec à Provincialibus, nec à Capitulis itidem Provincialibus. *Cap. 3. De Pactis. in 6.*

§. I.

De Parochi Jure circà Sepulturas.

Præter Titulum *De Sepulturis*, quæ in tribus Collectionibus Juris Communis, nempè Greg. IX. Bonif. VIII. & Clem. V. habetur, non desunt alii Textus Juris, qui de Sepulturis meminerint: Horum autem præcipuos habet Caus. XIII. Quæst. II. & Caus. XVI. Quæst. I. Animus non est, singulos colligere exponereque, sed illos duntaxat, qui proximè respiciunt Parochum: cæteros enim collegimus, dum de censura Interdicti egimus, istorum vero plura sunt genera, alii de jure sepeliendi, alii de commodis ex illo profluentibus.

Regula I.

Nullus Juris Textus de Jure sepeliendi Parochianos, quod habet Parochus, meminit, qui non supponat illud Parocho pertinere. Leo III. creatus *ann.* 795. declarat, hoc Parochi jus conforme esse Patrum Institutis.

Regula II.

Canones inferunt illud Jus ex Officio administrandi Sacramenta, præsertim ultima, sicuti & jus decimandi. *C. 1. De Sepult.*

Regula III.

Hinc cui Ecclesiæ tribuunt jus decimandi, eidem adscribunt quoque jus funerandi. *C. 6.* Caus. XIII. Quæst. I.

Regula IV.

Hinc si quis decedat non electa sepultura, in Parochiâ sepeliendus, nisi sit in potestate alterius, qui velit illum alibi sepeliri, vel habeat sepulturam paternam alibi sitam. Inferre est ex *C. 6. in parte decisa, & 10. De Sepult.*

Regula V.

Hinc etiam, qui præter Parochum sepeliendi jus habent, ex privilegio id tenent. *C. 1. E. T. in 6.*

Regula VI.

Hinc si hujusmodi privilegiati Parochianum alienum sepelierint in Ecclesia sua, probare tenentur illum suam ibi sepulturam elegisse. *C. 10. De Sepult.*

Regula VII.

Hinc quotiescumque Parochianus extra Parochiam sepelitur, pars emolumentorum funeralium Parœciali Ecclesiæ solvenda est. *C. 10. De Præscript.*

Non obstant collectis Regulis Canones, qui dicunt liberam esse sepulturam, *id est*, cuicumque, qui sui juris sit, licere eligere quam voluerit Ecclesiam, vel Cœmeterium ad corporis sui sepulturam; nam hoc ipsum Parochianis Indultum, ea lege, quæ demonstrat ad Parochum pertinere, suos quoslibet Parochianos, in sua Parochia sepulturæ tradere. *C. 1. De Sepult. C. 6.* Caus. XIII. Quæst. I. Hoc autem concessum est, quia æquum judicatum est, ut qui possunt cui volunt bona sua dimittere, possint etiam cui volunt Ecclesiæ corpus suum sepeliendum relinquere, ita discurrit Paschalis II. *C. 2. De Sepult. in prima Compil.* juxtà Statuta Juris Civilis; liberam bonorum dispositionem concedentis iis, qui in aliena potestate non sunt. Undè ab hoc Indulto excludendi essent incolæ locorum, in quibus Consuetudo de bonis decedentium disponit. Iisdem Canonibus, qui præmissis Regulis adversari videntur, respondere etiam potuisset, extare Canones, qui vetant, ne sepultura paterna dimittatur sub excommunicatione ipso facto: Talis est *C. 7.* Caus. XIII. Quæst. I. sed cùm sit supposititius, aliosque similes non legerimus, hanc solutionem afferre non placuit. Verum quidem est *C. 3. De Sepult.* simile quid dicere ac *C. 7. cit.* sed interpretandum de casu, in quo vel dolo, vel contemptu dimittitur sepulchrum Majorum. Non obstat *C. 6.* Caus. XIII. Quæst. II. in quo *Concilium* Tribur. *ann.* 895. recensens Ecclesias, in quibus Parochianus sepeliri potest, tertiò tantùm loco Parochiam numerat, dato primo Ecclesiæ Episcopali, secundo Ecclesiæ Canonicorum, vel Monachorum, vel Monialium; nam Canonis sensus est, licere justis de causis, Ecclesias prædictas Ecclesiæ Parœciali præferre, easque sese offerre nonnunquam.

Easdem Regulas confirmat *C. 1. De Sepult. in prima Compil.* quod excommunicat Monachos sepelientes in suis Ecclesiis, illos, qui, dùm viverent, in alia Ecclesia Sacramenta susceperunt sine consensu istius Ecclesiæ: Adscribitur hic Canon S. Greg. apud quem non reperitur; sunt veteres Codices, qui illum tribuunt Eugenio.

Regula VIII.

In solvendis Juribus Ecclesiæ Parœciali debitis, ex electione sepulturæ in alia Ecclesia, statur Consuetudini. *C. 9. De Sepult.*

Non obstat Clementina II. *De Sepultur.* quæ obligat Prædicatores & Minores ad solvendum Parocho quartam Portionem omnium ipsis relictorum, vel occasione mortis donatorum, ad quemcumque usum vel quomodocumque, etsi de illis nec Jure, nec Consuetudine deberetur Canonica Portio; nam præter quàm quod hæc Clementina non respicit nisi Prædicatores & Minores, non servari certum est.

Regula IX.

Sub Clemente III. *ann.* 1188. creato, Consuetudo erat, ut in nonnullis Ecclesiis media pars solveretur, in aliis tertia, in aliis quarta. Hæc varietas etiam nunc viget. *C. 9. De Sepulturis.*

Regula X.

Huic juri subjiciebantur, quæcumque relinquebantur occasione mortis, loco in quo sepulturæ eligebantur. *C. 1. 10. De Sepult.*

Regula XI.

Inter ea autem, quæ huic oneri subdebantur, nonnulla sunt, quorum fit specialis mentio in Jure, alia verò, quæ specialiter excipiuntur.

Specialiter memorantur: I. Oblationes qualescumque. *Cap.* 10. *De Sepult.*

II. Lecti mortuorum. *Ibid.*

III. Summæ pecuniarum. *Ibid.*

Specialiter eximuntur: I. Equi & arma Hospitalariis Legata. *Cap.* 10. *De Sepult.* Cap. 20. *De Testam.*

II. Legata in ornamenta Ecclesiastica, vel ad Fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut in Luminaria Ecclesiæ. *Cap.* 31. *De Verbor. Significatione.* EXTRAVAG. I. *De Privil.*

III. Legata pro anniversario septimo, trigesimo, vel vigesimo faciendis. *Ibid.*

IV. Legata personis specialiter, nisi ratione Ecclesiæ facta esse appareat. *Ibid.*

Non obstat tertiæ *Except.* Cap. 30. *De Verb. Signif.* decidens deberi portionem Canonicam de his, quæ offeruntur pro septimis, & trigesimis, & anniversariis: nam vel loquitur de oblatione facta die septimo vel trigesimo, vel anniversario; vel restringendum ad casum, quo præscripta est Portio Canonica de Legatis pro septimis, trigesimis vel anniversariis, de quo sermo erat.

REGULA XII.

Hodierno usu circà Canonicam Portionem Parochus nihil percipit ex legatis Ecclesiæ, in qua sepulturam elegit suus Parochianus; sed tantùm mediam partem, vel tertiam, quartam funeralium, *id est*, cereorum cum funere delatorum.

Unde sequitur, Consuetudinem statuisse, quod instituere tentarat in favorem Mendicantium BENEDICT. XI. EXTRAVAG. I. *De Privil.* exemerat illos à solvenda Portione, ex relictis occasione mortis, idque quia pauperes & legata pauperibus falcidiæ non subjiciuntur, reservata tantùm Parocho vel Episcopo medietate funeralium. Hæc exemptio abrogata fuit à CLEM. V. *Cap.* 2. *De Sepult.* & ipso usu restituta.

REGULA XIII.

Ut Parochus percipiat Portionem funeralium, necesse non est, ut qui extrà Parochiam, in qua moritur, elegit sepulturam in ea, anteà illam haberet.

Cap. 2. *De Sepult. in* 6. declarat eo casu non deberi Portionem Ecclesiæ Dimissæ, seu in qua sepultura habebatur, sed Ecclesiæ Parœciali, in qua decedit Parochianus.

REGULA XIV.

Si quis habuerit duas Parochias, quia in duabus æqualiter commoratus est, Portio inter illas dividenda erit si in neutra sepeliatur. *Cap.* 2. *De Sepult. in* 6.

REGULA XV.

Decedens in Villa rurali, in qua degebat recreationis causâ, vel ruralia exercendi, in Parochia propriæ habitationis suæ sepeliendus est, si aliam non habeat sepulturam, & absque periculo deportari valeat. *Cap.* 3. *Ibid.*

REGULA XVI.

Mulier, quæ non elegit sepulturam, sepelitur in sepulchro mariti: Si plures habuerit, cum viro ultimo, cujus retinet domicilium & honorem, tumulanda est. *Ibid.* §. 1.

REGULA XVII.

Impuberes juxta locorum Consuetudinem possunt vel nequeunt eligere sepulturam; pubes verò, ubi viget Jus Commune: legare autem non potest sine assensu patris, nisi habeat peculium Castrense. *Cap.* 3. *Ibidem.*

In Gallia, quandiu filius est in potestate Parentum, eligere non potest sepulturam, multò minus legare testamento.

REGULA XVIII.

Non licet Parocho Parochianos inducere, ut voveant aut jurent, se extra illam non electuros sepulturam; si illos ad hoc induxerit, illos non potest in Ecclesia sua sepelire; sed sepeliendi sunt, ubi sepeliendi fuissent, si non vovissent vel jurassent; & si illos in Ecclesia sua sepeliat, restituere tenetur corpora, si petantur, & quæcumque percepit occasione sepulturæ. *Cap.* 1. *De Sepult. in* 6.

REGULA XIX.

Ad similem restitutionem tenetur, qui defunctum sepelit contra ultimam ipsius dispositionem, sive tacitam, sive expressam: Tacitam, si nullam elegerit sepulturam; hoc enim silentio significavit, se sepelliri velle, vel in Parochia, vel in sepultura Majorum, si talem extra Parochiam habuerit: Expressam, si de illa in testamento meminerit.

REGULA XX.

Portio Canonica ex Jure sepeliendi proveniens Præscriptione amitti potest.

Cap. 10. & 18. *De Præscript.* loquuntur de Portione debita Episcopo, nataque ex veteri divisione proventuum singularum Diœcesis Ecclesiarum, in tertiam aut quartam partem, quarum una Episcopo pertinebat, cujus Portionis meminetunt adhuc *Cap.* 29. & 31. *De Verbor. Signif.* desumpta ex HONOR. III. creato ann. 1216. Hi autem Textus *De Præscript.* ideò ad portionem debitam Parocho ex funeralibus extenduntur, quòd non sit potioris conditionis quàm Portio Episcopalis, de qua dictum est. Confirmat hanc extensionem *Concil.* TRID. *Cap.* 12. SESS. XXV. dum restituit Episcopis & Parochis quartam funeralium jam ante annos 40. ab aliis non possessam; excipit enim casum hujusce possessionis quadragenariæ, quia Jure Communi sufficit ad Præscriptionem.

REGULA XXI.

Secùs dicendum de Parochiali jure ducendi corpora ad sepulturam extra Parochias electam.

Infertur ex *Cap.* 16. *Can.* 16. QUÆST. III. qui insinuat contra bonum publicum, certis casibus præscribi non posse; nam Sacræ Reipublicæ interest, ne quis Ecclesiasticæ sepulturæ tradatur, nisi constet, illum decessisse in Fide Catholica, & de illo constare non potest (ut par est) nisi Parochus, cujus est ultima Sacramenta ministrare, & ad mortem præparare, id publicè attestetur in loco sepulturæ: Interest etiam Reipublicæ Civili, ut qui regestis publicis scribere tenetur, locum diemque sepulturæ, eidem testis assistat: Hæc autem cura Porocho committitur per Edicta Regia; id fusè ostensum est in Dissertatione Gallica jam à 12. annis composita.

REGULA XXII.

Religiosi, quibus à Sede Apostolica indultum est ut possint sepelire quoscumque in ipsorum Ecclesia sepulturam eligentes, renuntiare possunt huic Indulto. *Cap.* 1. *De Sepult. in* 6.

REGU-

REGULA XXIII.

Religiosi sepelientes Confratres suos, usque ad mortem in propriis domibus commoratos, suisque potitos rebus, non eximuntur à solvendis juribus Parochialibus.

Cap. 32. *De Privil.* Simile dicit de juribus Episcopalibus. Inserre idem licet ex *Cap* 3. *E. T.* §. 4. qui dicit hujusmodi Confratres Jurisdictioni Episcopi remanere subjectos; id enim extendi potest ad Parochum.

§. II.

De Parochi Jure circa Oblationes.

Paucissima habemus de jure Parochi circà Oblationes in libris continentibus Jus Commune, sequentibus observationibus comprehendenda.

I. *Concilium* Trid. nihil expressè dicit de Oblationibus: quod autem iis applicari possit & Curarum spectet, hoc unum habet *Cap.* 12. Sess. XXV. hortatur omnes & singulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis.... Parochos, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, largè subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, Dignitatem tuendam, non graventur.

II. In Corpore Juris non alios legimus Textus circà Oblationes ad Parochum pertinentes, quàm istos. *Cap.* 1. *De Censibus*, quo nihil in Jure antiquius circà istas Oblationes adscribitur *Concilio* Guarmac, seu Vormac. habetur verò in *Capitul.* Aquisgran *Tit.* 16. Præcipit, ne ex Oblationibus ullum servitium faciat Parochus quàm Ecclesiasticum, contra locorum dominos, qui temporalia servitia ex iis exigebant.

Capit. 13. *De Verbor. Signif.* Paschalis II. (ut videre est in 1. *Compit. & in notis* Anton. August.) creatus ann. 1099. in eo hæc dicit: *Primitiæ, Decimæ, & Oblationes in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur: Oblationes verò dicimus, quæcumque de propriis & licitis rebus Ecclesiæ à fidelibus offeruntur.* Confirmat Pontifex, quod suprà dictum est, Oblationes immunes esse ab omni onere sæculari, dum dicit, illas inter bona Ecclesiastica cum quibusdam aliis præcipuè accenseri. Explicat etiam quid per Oblationes ab Ecclesia admittendas intelligere debeamus, & dicit ea esse, quæ à fidelibus, non infidelibus, de rebus propriis, non alienis, de licitis, qualia quæ licitè acquisita sunt, non quæ via illicita sunt comparata. In *Tit. De Decimis*, qui extat in omnibus antiquis Collectionibus *Decretalium* & in Collectionibus Greg. IX. Bonif. VIII. & Clem. V. Oblationes junguntur Primitiis, ac Decimis, duobus juribus Parocho debitis. Sed in illis nulli reperiuntur Textus, qui peculiariter respiciant Oblationes, præterquàm in prima & secunda ex Antiquis. In prima habes *Cap.* 20. in quo Joannes Papa (non additur quantus hujus nominis) dicit convenire ex Oblationibus vivorum & mortuorum ali, qui spontaneam elegerunt paupertatem; in eadem habes etiam *C.* 30. in eo Alex. III. loquitur de Hostiâ partim conversâ in Corpus Christi; ita ut caro videretur occasione cujus fiebant Oblationes in Ecclesia Parochiali, in qua asservabatur ista miraculosa Hostia, possidebatur tunc temporis ea Parochia à Canonico Atrebatensi; ideoque post translationem ejusdem Hostiæ in Ecclesiam Atrabatensam prætendebat Oblationes, quæ fiebant Atrebati: Episcopus verò volebat illas insumi ad reparationes Ecclesiæ Atrebatensis: Canonico suffragatur Pontifex. In secunda habes *C.* 8. Clem. III. consultus quomodo succurrendum Parocho, cujus Parochia penè tota à Judæis occupabatur, quique propterea juribus Parochialibus ferè omnibus frustrabatur; respondet Papa cogendos Judæos per privationem omnis commercii cum Christianis, ut decimas, aliosque proventus quos Parochus consequeretur à Christianis, sufficienter compensarent; Oblationes sunt profectò ex iis proventibus, qui compensandi erant; ideòque iste Textus huc adductus propter eandem causam afferri etiam potest. *Cap.* 1. *De Decimis. in 6.* Greg. X. prohibet Prædicatoribus, & Minoribus, ne retrahant fideles à solutione decimarum, seu aliarum rerum Ecclesiis debitarum, cùm Oblationes, ut jam ostensum est, ex his rebus sint, quæ Parochiis debentur.

Cùm nomine obventionum Oblationes comprehendantur, idcirco his Textibus adjicere licet *Cap.* 1. *De Ædif. Eccl.* adscribens Parocho obventiones Districtûs sui.

Capitulum 29. *De Verbor. Signif.* ultimus est illorum Textuum, quos hactenus inveni. In eo Honorius III. docet, quàm latè pateat Oblationis nomen, eoque comprehendit omnia, quæ in Festivitatibus Sanctorum mittuntur ad loca Sacra, vel portantur ad domum Sacerdotis intuitu defunctorum, quæ in Cimili (lege in Cimalio) ponuntur, quod de Altari suscipit, & facit per Ecclesiam deportari, quæ antè Crucem vel in Missa Trinitatis, quæ desponsatis dantur, & lampades ex oleo, quæ dantur nuntio ad ea omnia recipienda destinato, primitiæ, decimæ, dona pro Missis defunctorum, pro septimis, trigesimis, anniversariis, oblata intra hebdomadam mortuorum judicia.

Præterea idem Honor. docet tertiam istarum Oblationum deberi Parochiæ principali à Parochia Succursali, vel potius Ecclesiam Parochialem illam debere alii Ecclesiæ, quæ habet in ipsam Jurisdictionem quasi Episcopalem: Agitur enim haud dubiè de Ecclesia Parochiali, quæ prædicta sub nomine Oblationum comprehensa possidet, ipsa sola Textûs lectura id demonstrat, atqui non convenit Ecclesiæ Parochiali Succursali illa jura percipere, sed Ecclesiæ principali Parochiali reservari solent, & Succursali aliquantula pars assignari.

SECTIO XVII.

Hodiernum Jus Gallicanum circà Parochos aliosque simile Beneficium habentes.

Quoniam in paucis differunt Parochus & Vicarius perpetuus, ut patet ex notandis in fine hujus Tractatus, quæ collecturi sumus ex Jure Gallicano hodierno circà Parochos, spectabunt quoque ad Vicarios perpetuos, de quibus posteà locuturi sumus, & notaturi seorsim, quæ circà illos peculiaria docet: Hanc autem Collectionem incipiemus ab iisdem, de quibus Jus Commune vel silet omninò, vel ferè nihil habet: hinc transituri ad ea, quorum utrumque Jus commeminit.

§. I.

Quæ peculiaria Juri Gallicano circà Parochos, Vicariosque simul consideratos?

Conficere debet quotannis Parochus quisque duo Registra ad describendum in iis Baptismos, Sepulturas, & Matrimonia, quorum unum remansurum est apud Parochum, aliud Actuario Publico Judicis Regii remittendum. *Ordin.* 1667. *Tit.* 20. *Art.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

In describendis Baptismis notare debet, diem nativitatis, nomina Pueri, Patris, Matris, Patrini, Matrinæ. In descriptione Matrimoniorum, præter nomina conjugum, testiumque, diem & locum contracti Matrimonii, quæ notata voluit *Concilium* Trident. Notanda etiam sunt cognomina, ætates, qualitates, & habitationes contrahentium; si sint filiifamilias sub Tutore, Curatore, sive in alterius potestate; si testes, qui quatuor esse debent, propinqui, qua ex parte, & in quo gradu. In sepulturis describendis notandus præcipuè dies mortis. Hic Articulus à duobus è propinquioribus, qui sepulturæ adfuerint, subscribendus, si scribere sciant, aliàs declarandum dixisse, se nescire scribere, de hoc à Curato rogatus: Articulus Baptismi à Patre, si adsit, & à Patrino & Matrina;

Matrimonii verò à contrahentibus & quatuor testibus qui adfuerint, pariter subscribendus; circà eadem Regesta nonnulla alia præscribuntur, quæ citato loco legenda sunt: Non omittendum licere Parocho transumpta ex illis dare, & pro his exigere decem veteres solidos pro locorum qualitate. *Declar.* 1639. *Art.* 1.

Ab aliis Ordinationibus alia adjecta sunt describenda in Registis Matrimonialibus; nempe Bannorum Publicatio, eorumdem Dispensatio, & hujus Dispensationis Insinuatio, ab Impedimentis Matrimonialibus Dispensatio, ac istius Insinuatio, sub pœna emendæ 50. librarum Hospitalibus applicandæ, quotiescumque omittitur descriptio alicujus eorum, quæ mox recensita sunt. *Ordin.* 1692. 16. *Fevr.*

Si Parochus Matrimonio conjungar, qui sunt in aliorum potestate, sine eorum consensu, habetur tanquam fautor criminis raptûs. *Ordin. Blef. ann.* 1579. *Art.* 4.

Ut quis contrahentium Parochus sit ad celebrandum illorum Matrimonium, oportet ut commorati fuerint in ipsius Parochia per sex menses, si ejusdem Diœcesis; & per annum integrum, si alterius Diœcesis. *Edictum mensis Mart. ann.* 1697.

Idcircò Parocho injungitur, ut ante celebrationem diligenter inquirat à quatuor testibus, qui scribere sciant, quique sint digni fide, & habeant domicilium in loco, si tot inveniri possint de domicilio contracturorum, æque ac de illorum ætate & qualitate, an sint in aliorum potestate, ut istorum babeatur assensus; injungitur quoque eidem Parocho, ut notas faciat testibus pœnas ab eodem Edicto latas contra deponentes falsum circa hujusmodi res.

Adduntur pœnæ temporales contra Parochum conjungentem alienos Parochianos absque licentia à proprio Parocho, illiusve Ordinario scriptis concessa: Altera est privatio omnium fructuum Beneficii sui, eo tantùm detracto, quod ad sustentationem sui necessarium est, quod in majoribus locis non excedet 600. libras; in aliis verò 300. idque pro prima vice: Altera est exilii novennis pro secunda vice.

Cogi non potest Parochus, ut in Prono publicet acta justitiæ, cæterave concernentia privatorum commodum. *Edict. ann.* 1695. *Art.* 22.

Idem quoque de his, quæ tangunt utilitatem Regni. *Declar.* 16. *Decem.* 1698.

Jus habet publicandi Monitoria, ita ut nullus alius illa possit publicare, nisi eo recusante. *Ordinatio Crim. ann.* 1670. *Art.* 5.6.7.10. Ad publicandum ea cogi potest captione illius redituum temporalium, & distributione illorum Hospitalibus, vel Pauperibus, si contumax fuerit. Pro publicatione exigere potest decem solidos; Ejus est consequenter revelationes excipere, & pro quolibet exigere potest quantùm pro qualibet publicatione.

Senatus-Consulta circa redditionem Panis Benedicti in Parochia, illiusque distributionem, necnon personas, per quas colligendæ sunt Eleemosynæ eo die, quo redditur, 23. *Decem. ann.* 1672.

Senatus-Consulta & Ordinationes prohibentia, ne erigantur Confraternitates absque Literis Regis Patentibus, ne Confratres cogantur ad solvendum annuum Canonem, vel ad Matricularii munus ipsarum Confraternitatum.

Taxæ Episcopales præscribentes quid possint vel non possint exigere Parochi pro exercitio munerum suorum, qualis PARISIENSIS à Domino de HARLAY, cum Additionibus factis a Domino Cardinali DE NOAILLIS: Talis GRATIANOPOLITANA facta à Domino Cardinali LE CAMUS: Circa quas taxas notandum, quòd, etsi temporalia respiciant, quæ à sola potestate temporali pendent, Episcopi tamen, qui illas faciunt, non usurpant jus potestatis temporalis, quia id agunt ex concessa à Rege autoritate, ut patet ex *Edicto ann.* 1695. præcipiente, ut Episcopi præscribant, quis honor, seu retributio, dandus sit Clericis pro munerum Sacrorum exercitio, ac consequenter, ut finiant lites inter ipsos Clericos subortas circa ejusmodi honorem.

Senatus-Consulta circa jus spolii, quo potiuntur quidam Archidiaconi in Districtu suo, decedentibus ipsis Parochis ejusdem Districtus; in eo positum, quòd possint Archidiaconi sumere meliorem lectum, vestem talarem, cingulumque, superpelliceum, almutiam, pileum quadratum, equum, mulumve; & jus inhumationis, positum in celebratione Missæ & Officii sepulturæ, cum perceptione Ceræ & Oblationum, 20. *Julii ann.* 1684. Senatus-Consulta prohibentia Parochis, ne quid exigant propter recitatam Passionem 16. *Febr. ann.* 1670.

Ordinationes præcipientes, ut Parochiani domum præbeant Parocho ad illius & Vicariorum coadjuvantium habitationem, illamque sanctam tectam teneant. Idem de Senatus-Consultis 18. *Febr. ann.* 1661. *Edict. ann.* 1695. *Art.* 22. *Arrest.* PARIS. 16. *Decemb. ann.* 1684. 8. *Aug. ann.* 1690. 13. *Febr. ann.* 1692.

Edicta & Senatus-Consuta circa modum administrandi. *Ordin. ann.* 1609. 16. *Martii.*

Reditus Fabricarum per Matricularios, illorum Electionem, muneris durationem, Computorum auditionem, honores illis debitos, inter quæ sunt, quæ peculiariter Parochum respiciunt, ut quæ ipsi tribuunt jus audiendi computa quolibet anno, quæ Episcopus vel Archidiaconus non visitat. *Senatus-Consult. ann.* 1673. 28 *Aprilis. ann.* 1675. 6. *Febr.*

Ordinationes vetantes, ne Parochus retineat pensionem super Beneficio suo, si illud resignet, nisi per 15. annos completos possederit & servierit, *ann.* 1671. *men. Jun.*

Ordinationes præcipientes, ut Parochi Oppidorum mœniis cinctorum sint Graduati. *Declar.* 9. *Mart. ann.* 1551. *verificata* 9. *Martii ann.* 1552.

Ordinationes prohibentes exactionem Decimarum insolitarum. *Ordin.* PHILIP. IV.

Declarationes præcipientes, ut liceat Parochis adesse Cœtibus convocatis ad administrationem rerum ad Hospitalia pertinentium; & cùm plures sint Parochiæ in eadem Civitate, quilibet per annum jure illo potiatur, incipiendo ab antiquiori. *Declar. ann.* 1698. *mens. Decemb.*

Senatus-Consulta circà jus deportûs, sive percipiendi reditus Ecclesiarum Parœcialium vacantium, ut & illas administrandi. *Louet. L. D.*

Senatus-Consulta, quæ permittunt, ut quid exigatur à Curato, pro aperienda vel effodienda terra Cœmeterii vel Ecclesiæ, in quibus electa est sepultura, quæque ostendunt Canones id vetantes in Gallia non recipi. Talis est inter alios *Can.* 13. *De Sepult. Senatus-Conf.* PARIS. 8. *Aug. ann.* 1690.

§. II.

Præcepta Juris Communis circa Parochum Ordinationibus Regiis ac Senatus-Consultis confirmata.

I. Ut Parochus possit excipere Testamenta Parochianorum suorum servatis Legibus & Consuetudinibus locorum. *Cap.* 10. *De Testam. Ordin.* BLES. *ann.* 1579. *Art.* 63. *Consuet.* PARIS. *Art.* 130.

II. Ut teneatur ad reparationes Ecclesiæ Parochialis, quando sufficientes ad id habet reditus. *Cap.* 1. & 4. *De Eccles. Ædif. Declar. ann.* 1661. 18. *Febr.*

III. Ne habeat aliud Beneficium incompatibile, ut Canonicatum vel aliam Parochiam. *Cap.* 28. *De Præb.* Cap. 4. SESS. VII. *Senatus Conf.* PARIS. *ann.* 1654. 9. *Jun. ann.* 1659. 7. *Maji. Declar. ann.* 1681. 7 *Januar.*

IV. Ut resideat. *Cap.* 1. *De Cler. non Resid.* Cap. 1. SESS. XXIII. *Ordin.* AUREL. *Art.* 5. BLES. *Art.* 14.

V. Ut nequeat pensionem retinere, nisi illa retenta remaneant Parocho 300. libræ immunes omni onere & obventiones. *Edictum. ann.* 1671. *men. Jun.*

VI. Beneficia Curata Regularia Regularibus conferantur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 10. & 11. *Concord. T.* 5. §. 9. *Senatus-Conf. Magni Consilii* 18. *August. ann.* 1683.

VII. Ut

VII. Ut Curati Regulares subsint Episcopo, non solùm quoad munia Curialia, sed etiam quoad mores, nisi quibusdam casibus. Infertur ex *Cap.* 11. SESS. XXV. *De Regular. Senatus-Consf.* PARIS. 7. *Maji ann.* 1646. 8. *Febr. ann.* 1656.

VIII. Ut Curati subditi Jurisdictioni Prælatorum inferiorum visitari & corrigi possint ab Episcopo. *Senatus-Consf.* 1. *Jun. ann.* 1646.

IX. Ut Parochus potiatur jure oblationum, aliisque Parochis percipi solitis. *L.* 6. *Capitular. n.* 167. *Ordin.* BLES. *ann.* 1579.

X. Ut sepeliat ancillas Monialium extrà Monasteria famulantes. *Senatus-Consf.* 7. *Maji*, & 8. *Jun. ann.* 1689.

XI. Ut immunis sit à talliis personalibus, etiamsi conducat decimas Parochiæ; id privilegii extenditur ad Colonos illius. *C.* 4. *De Immunit.* C. 1. 3. *E. T. in* 6. *Arrest. Consilii* 9. *Sept. ann.* 1675.

XII. Ut quartam funeralium aliamve portionem majorem minoremve habeat. *C.* 1. *De Sepult.*

XIII. Ut jus habeat celebrandi Matrimonia à Parochianis contrahenda, aliisve Sacerdotibus illud communicandi. C. 1. SESS. XXIV. *De Refor. Matrim. Edict. mensis Maji ann.* 1697.

SECTIO XVIII.

Circa Parochiarum Vicarios Regulæ è Corpore Juris Canonici, atque ex Concilio TRIDENT. *desumptæ.*

REGULA I.

Parochiarum Vicariorum non est, nisi triplex genus.

Regulæ fundamentum: Parochiarum Vicarii, vel constituuntur ad juvamen alius, qui actu animarum curam exercet, & hi vocantur Coadjutores à Congregatione *Concilii* TRIDENT. interprete; vel constituuntur ad gerendas vices alius, qui ex causa temporali impeditur, ne animarum curam exerceat; & hi dicuntur vulgò *Provicarii* in Provincia Provinciæ; in aliis verò Galliæ Provinciis Vicarii Primarii vel Deservientes: vel constituuntur ad animarum curam, illius loco, qui ex causa perpetua exercere nequit, & hi appellantur simpliciter *Vicarii.*

De quolibet Vicariorum genere hîc agemus, quidquid circa illud docetur in Corpore Juris Canonici, & in *Concilio* TRIDENT. accuratè collecturi.

REGULA II.

Vicarii Coadjutoris nulla fit in Corpore Juris Canonici saltem expressa mentio; in *Concilio* autem TRIDENTINO unus est tantùm circa illum locus, nempè *Cap.* 4. SESS. XXI. *De Reform.* cujus hæc sunt verba: *Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum.*

Hunc circa locum notandum: I. Baptismalibus Ecclesiis intelligendas videri Ecclesias Succursales, vel Coadjutorias, ut loquitur Congregatio *Concilii* interpres, quæ ad Sacramenta saluti necessaria, in urgenti necessitate administranda potissimùm eriguntur.

II. Unicum esse casum, in quo Coadjutores Vicarii assumendi sunt, nempè quo tanta est populi multitudo, ut quæ populo debet Parochus, solus implere nequeat.

III. Muniri hic Episcopos autoritate Apostolica, ut *Concilii* Decretum exequi possint erga Ecclesias exemptas.

IV. Inferri hinc Parochos impediri non posse, ne in tali casu Coadjutores sibi adjungant, cum ad id cogendi dicantur.

V. Electionem Coadjutorum hujusmodi ad Rectores pertinere, ut verbis istis denotatur; *Sibi adjungere.*

VI. Ad Vicarios perpetuos extendendum, quod de Rectoribus dictum est; designari enim videntur per hæc verba: *Vel alios ad quos pertinet.*

VII. De retributione Coadjutorum non fieri mentionem, nec de petenda illorum ab Episcopis approbatione, hosque defectus supplendos aliis *Concilii* locis, nempè C. 2. SESS. V. C. 6. SESS. XXI. C. 15. SESS. XXIII. *De Reform.* quorum primus & secundus loquuntur de Provicariis atque de illorum assignanda portione; tertius verò sermonem facit de approbatione ab Episcopo accipienda.

Dixi nullum Juris Textum Vicarii Coadjutoris expressè meminisse, quia sunt aliqui è quibus inferre est, nonnullos Parochos, Vicarios Coadjutores habuisse: Talis est inter alios *Cap.* 18. CAUS. VII. QUÆST. I. desumitur è *Concilio* TOLET. XI. Præcepit Presbyteris, ut quando sacrificant, alium Sacerdotem propè habeant, qui Sacrificium perficere possit, si quis infaustus casus impediar, ne ipsi illud absolvant; præceptumque restringit ad loca, ubi (ut ait) copiæ Cleri non suffragantur.

Describens suprà Vicarium Coadjutorem, significavi sermonem hìc fieri de Vicario Presbytero, qui Parochum juvet in animarum cura; ideoque non rectè tunc adduceretur *Cap.* 3. *De vita & Honestate Clericorum*, ut Textus qui de Vicario Coadjutore meminerit; cùm *Caput* illud de Clerico tantùm loquatur, qui cum Parocho cantet, & Epistolam & Lectionem legat. Idem dic de C. 1. *De Celebratione Missarum*, quod de Scholaribus Divinum Officium canentibus, absente Parocho vel cum ipso præsente Cantantibus, loquitur. Idem quoque dici potest de *Cap.* 4. CAUS. X. QUÆST. I. In eo LEO IV. insinuat, in Parochis extitisse Clericos Sacerdotibus junctos ad Sacerdotes adjuvandos. Cùm autem Canon hic dicar, unamquamque Parochiam regendam esse per Sacerdotes, eaque locutione plurali significare videatur plures simul conjunctos fuisse Sacerdotes ad regendam Parochiam, adduci posset ad ostendendum in Corpore Juris extare saltem Textus, ex quibus inferre est, nonnullos fuisse Vicarios Coadjutores, eoque magis, quòd verisimile non sit, quòd si plures simul eamdem regerent Parochiam, id factum esset sine unius alteri subjectione.

Verùm etsi nullus extaret Juris Textus, qui obscurè saltem doceret, ante *Concilium* TRIDENTINUM extitisse in Parochiis Coadjutores, ex prædicto silentio, non rectè concluderetur non extitisse, cùm nasci potuerit ex eo, quòd data non sit occasio condendi Canones circa hos Coadjutores Vicarios; vel Collectores Textuum Juris prætermiserent illos, qui de his loquebantur: Hinc autem oriri verosimillimum est, cùm *Concilium* nihil dicat, quod doceat invenisse novum modum subveniendi Parochiis numerosioribus, quàm ut unus Minister posset incolis singulis Sacramenta administrare, atque ex variis Synodalibus Constitutionibus constet extitisse in Parochiis Presbyteros Parocho subjectos, illosque obligatos illum coadjuvare; ex iis nonnulla loca collegi in Appendice subjicienda TOM. II.

REGULA III.

A Coadjutore Vicario præcipuè differt Provicatius in eo, quòd ille animarum curam sub Rectore vel Vicario exercet, eidem rationem redditurus: Provicarius verò illam immediatè exercet sub Episcopo, cui de illa rationem reddere debet.

Patet ex *Cap.* 4. *suprà citato* cum mox laudandis collato.

REGULA IV.

In toto Juris Canonici Corpore unicus est locus, qui de Provicario loquatur, nempe *Cap.* 34. *De Elect. in* SEXTO, in quo præcipitur Episcopo, ut Parocho studiorum causa non residente, Vicarium sufficientem deputet, assignata necessaria eidem ex Ecclesiæ proventibus sustentatione: Non obstat *Cap.* 5. *De Elect in* SEXTO in quo *Concil.* LUGDUN *ann.* 1273. permittit commendari Parochias ad sex menses; & si enim administrario Parochiæ Commendario daretur, differebat tamen à Provicario quia illius proventus percipiebat; Provicarius illorum portione tantùm fruitur.

Varia sunt in *Concil.* TRID. loca circa eumdem Provicarium.

Primò: Jubet Episcopis, ut quoties Parochus à residendo per certum tempus eximitur, per Vicarii idonei Deputationem cum congruæ Portionis assignatione, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati provideant, ne animarum cura nllatenus negligatur. *Cap.* 2. SESS. VI. *De Reformatione.*

Secundò: Parochis præcipit, ut quandocumque eos, causa priùs per Episcopum cognita & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab Episcopo approbandum cum debitæ mercedis assignatione relinquant. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Reform.*

Tertiò: Si Parochiarum Rectores imperiti sint, permittitur Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, Coadjutores, vel Vicarios deputare, partemque fructuum pro sufficiente victu eisdem assignare. *Cap.* 6. SESS. XXI.

Quartò: Habita notitia vacationis Ecclesiæ Parochialis Episcopus debet, si opus est, idoneum in ea Vicarium, cum congruæ ejus arbitrio Portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore ei provideatur:

Circa loca citata notandum in primo & quarto casu Vicarii Electionem Episcopis evidenter tribui, in tertio Parochis, in secundo non exprimi à quo facienda sit; sed insinuari tamen ad Episcopum pertinere his verbis: *Per Vicarii Deputationem*; cùm deputatus à deputante eligi soleat, Deputatio autem Episcopis eò loci tribuatur.

Notandum etiam in primo & in tertio casu Episcopos Apostolica autoritate muniri, non in aliis: Primum à Tertio casu differre in eo, quòd in illo Dispensatio à residendo per Indultum ad annos aliquot à Papa concessa; in isto verò licentia non residendi per bimestre tantùm ab Episcopo impetrata; unde patet, quare in illo autoritate Apostolica muniantur Episcopi; in isto verò non muniantur; nempè id peti vel ex gravitate, vel ex qualitate Ecclesiarum, quæ exemptæ esse possunt.

Notandum etiam, Canones, qui à residendo Canonicos studii causa eximunt, non præcipere, ut Vicarios pro absentiæ tempore relinquant: Canones verò, qui idem Parochis privilegium concedunt, hujusmodi Vicariorum Constitutionem jubere. Cujus discriminis ratio evidens est; nam præterquàm Canonici absentis defectum facilè supplent alii Canonici, Parochi verò absentis defectum non sunt Collegæ, qui suppleant: Prætereà Canonici munia cum Parochi muneribus comparata minimæ necessitatis esse videntur.

Notandum iterùm, Provicarium comparari posse cum Ecclesiæ vacantis Episcopalis, vel Abbatialis Administratore; nam pro volontate Parochialem Ecclesiam regit, sicut pro voluntate istas Administrator hujusmodi gubernat.

Vicarium verò Coadjutorem similem videri Episcopi Vicario, qui alia agere non potest, quàm quæ ab illo acta vult Episcopus: Unde sequitur, quòd ex Canonibus, quibus præcipitur ut Provicarii constituantur, pessimè inferretur, tempore quo conditi sunt, Parochos Coadjutoribus caruisse; cùm ut dictum est, plenior sit Provicarii potestas, quàm Coadjutoris, atque in prædictis casibus Provicarii autoritas necessaria judicari potuerit; cumque propter similes rationes similibus casibus Provicarii etiam nunc constituantur, etsi plerique Parochi hujusmodi Coadjutores habeant.

Antequam de Vicariis ex perpetua causa constituendis tractemus, observare nonnulla necesse esse existimamus, ut, quæ dicenda sunt, faciliùs capiantur. Persona & Rector à Canone vocari solent ii, quibus immediatè subsunt Vicarii prædicti, ut videre est *Cap.* 2. *De Suppl. Neglig.* Cap. 4. 8. 11. *De Filiis Presbyter.* Cap. 1. 3. *De Officio Vicarii.* Cap. 30. *De Præb.* Cap. 16. SESS. XXV. *De Reform.* Cap. 6. *De Excessib. Prael.* Toto Tit. *De Officio Vicarii.* Cap. 10. *De Præb.* Vicarius verò dici solet Vicarius SESS. II. & passim in *Concilio* TRIDENT. necnon in Titulo *De Filiis Presbyt* vel Presbyter, servitio deputatus. *Cap.* 30. *De Præb.* vel Presbyter Parochialis, vel Sacerdos Parochialis. *Ibid.* Pastor & Parochus nomina sunt Rectori & Vicario communia. *Cap.* 8. SESS. XXII. *De Sacrific. Miss.* Cap. 1. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.*

REGULA V.

Vicarium ex causa perpetua constituendum, perpetuum esse Canones docent non pauci

Hæc veritas patet; nam I. Quicumque Canones Vicariarum, quæ à præfato Vicario possidentur, mentionem faciunt, de iis loquuntur, tanquam de Beneficiis animarum curam habentibus, illasque in omnibus æquiparant, cùm declarent illas erigi non posse, nisi ab Episcopis. *Cap.* 2. *De Supplen Neglig.* Cap. 10. *De Præb.* Nec cum personatu vel Rectoria simul possideri, nec cum alia Vicaria. *Cap.* 5. *Eod. Tit.* Ad Residentiam obligare. *Cap.* 6. *Eod Tit.* Atque ad Presbyteratûs susceptionem. *Ibid.*

Unde sequitur, perpetuos Vicarios esse constituendos, quando ei impedimento perpetuo constituuntur, cum cætera Beneficia non ad tempus sed in perpetuum dentur.

II. Variis in locis Canones Vicarium hujusmodi vocant Vicarium perpetuum: Talia sunt *Cap* 8. *De Fil. Presb.* Cap. 30. *De Præb.* SESS. XVI. SESS. XXIII. *De Reform.*

III. Nonnulli Canones expressè præcipiunt, ut in Beneficiis, quorum Possessores ex impedimento perpetuo animarum curam per se ipsos exercere nequeunt, Vicarii perpetui constituantur: Tales sunt *Can.* 30. *De Præb.* §. 5. Cap. 7. SESS. VII. Nec obstat exceptio quam Decreto suo subdit Concilium: *Nisi aliter expedire videbitur Episcopis*; nam in quolibet circà Disciplinam constituto comprehensa intelligitur hujusmodi exceptio.

IV. Alii id tacitè præcipiunt, dùm vetant, vel Vicarios hujusmodi sine crimine deponi: Quales sunt *Cap.* 3. *De Officio Vicarii.* C. 1. *De Capellis Monachor.* vel Ecclesias Presbyteris Conductitiis, quibus similes sunt Vicarii ad nutum amovibiles, committi: Talis est autem *Cap.* 5. CAUS. XXI. QUÆST. II.

V. Sunt qui idem docent nominibus ipsis, quibus Vicarios insigniunt: Mariti siquidem nomen ad vitam dari, Parochiam vel Vicariam designat, hoc autem nomen Vicario datur *Cap.* 4. *Can.* 21. QUÆST. II. dùm Parochia vocatur sponsa uxorque.

REGULA VI.

Constituendi Vicarii perpetui causa triplex duntaxat exprimitur.

Prima: Si Monasteriis, quorum Monachi animarum curam per se exercere non valent, Parochialis Ecclesia possidenda concedatur. *Cap.* 1. *De Capel. Monach.* Desumitur è *Concilio* CLAROMONTANO sub URBANO II. celebrato. Prior Pars *Cap* quæ à GREGORIO IX. omissa est, habetur in *Collect.* prima *ejusd. Tit. & Cap.* 2. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

in

in omissa autem legitur ibi agi de Ecclesiis Parochialibus Monasteriis, qualia diximus, possidendis, concessis, qualiaque erant tunc temporis omnia Monasteria.

Secunda: Si Dignitati vel Præbendæ Ecclesia Parochialis annectatur. *Cap.* 30. *De Præb.* Cap. 7. Sess. VII. *De Reform.*

Tertia: Si Parochialis Ecclesia in Beneficium simplex convertitur. *Cap.* 16. Sess. XXV. *De Ref.* Hæc tertia causa à *Concilio* expressè reprobatur; quia conversio hujusmodi in privatorum commoditatem fieri solet, non in Ecclesiæ utilitatem, ac in Beneficii conversi detrimentum plerumque vergit.

REGULA VII.

Vicarii perpetui constituendi causæ non sunt aliæ, quàm quas in Jure exprimi dictum est.

Nec obstat *Concilii* Cap. 18. Sess. XXIV. *De Reformatione*, quod de Vicariis constitutis in Ecclesiis, in quibus Canonicis animarum cura incumbit, qui per seipsos illam exercere possent, ideoque non sunt perpetuò impediti, ne exerceant; nam in his Ecclesiis Beneficium Curatum Vicariæ Constitutione in simplex convertitur.

REGULA VIII.

Quicumque Canones Beneficiorum divisionem prohibent, Vicariæ perpetuæ erectionem vetant; qui illam præcipiunt vel permittunt, istam quoque præcipiunt, vel permittunt.

Prohibent hanc divisionem *Cap.* 4. Caus. XXI. Quæst. II. Cap. 8. *De Præb.* Permittunt *Cap.* 4. *De Reg. Juris* Cap. 11. *De Conf.* Dist. I. *Cap.* 2. *De Observat Jejun.*

REGULA IX.

Vicarius Jure Communi ad eadem tenetur erga Episcopum & populum, ad quæ Rector, cujus vices gerit.

Dictum est *Jure Communi*, quia extant non paucæ Diœceses, in quibus Vicarius ab omni onere temporali erga Episcopum eximitur.

REGULA X.

Quæ Episcopo debet Vicarius, non sunt alia, quàm quæ ad Legem Jurisdictionis vel ad Legem Diœcesanam pertinent; quæ verò populo debet, eadem sunt, ac illa, quæ à Parocho fieri curet Episcopus oportet.

Vide *Tractatum De Vicar. Generali. Part.* 2. *Tit.* 1. & 5. Quæ Episcopo populove debet colliguntur etiam in *Tractatu De Parocho.*

REGULA XI.

Quæ animi Corporisve dotes in Rectore requiruntur, in Vicario quoque postulantur.

Sequitur ex secunda præcedentis Partes; nam si utrisque eadem munia, eædem quoque dotes esse debent. Hinc eadem ætas, eadem scientia, eadem judicii maturitas.

REGULA XII.

Quoad Jura sive Spiritualia, sive Temporalia, non omnibus gaudet Vicarius, quibus Rector.

Infertur ex *Cap.* 3. *De Ædif. Eccles.* quo docemur, Rectorem quandoque esse Patronum alterius Ecclesiæ; nempe quando ex suis proventibus ista erecta est, eoque casu sibi deberi honorem competentem, quo pensio annua communiter intelligitur, infertur etiam ex *Cap.* 12. 30. *De Præb.* Cap. 1. *De Præb. in* Sexto & Clement. I. *De Jure Patronat.* Cap. 7. Sess. VII. *De Ref.* pluribusque aliis, quibus Rectoriæ Portio tantùm datur Vicario, reliquum Rectori dimittitur.

Notandum circa *Cap.* 3. *De Ædif. Eccles.* quod, si honore competente intelligatur Census annuus, ut intelligendus, probatur ex eo quod additur, illum honorem servari posse, quia ad id Ecclesiæ erigendæ suppetent facultates, omni Rectori ex cujus reditibus alia erigitur Ecclesia, honor iste non debetur; cùm & multa alia Capita doceant, si Ecclesia, quæ erigitur, Vicaria fit, à Rectore pensio solvi debet Vicario; quo casu si quis honor Rectori debeatur, alius esse nequit, quàm jus præsidendi, celebrioribusque Festis Officium solenniter celebrandi.

REGULA XIII.

Assignanda Vicario Portio congruens esse debet: Talis est autem, si sufficiat honestæ pro locorum qualitate Vicarii sustentationi, ferendisque Vicariæ oneribus, ex quibus duo tantùm exprimuntur iis in locis, quæ de Portione ista peculiariter loquuntur, nempe Jurium Episcopalium solutio, ac Hospitalitatis exercitium.

Desumitur ex *Cap.* 12. 30. *De Præbend.* C. *De Præbend. in* Sexto. Clem. I. *De Jure Patronatûs.*

Notandum in aliquibus ex citatis locis vocari Rectores eos, quibus assignanda est Portio, etsi Vicarii tantùm sint; sicut clarè colligitur ex eo, quòd ad Portionem reducantur. *Cap.* 30. *De Præbend.*

Notandum etiam, Portionem, quæ congruens dicitur, sufficientem vocari in eodem Canone, unde hæc duo sinonima sunt habenda.

Notandum quoque *Cap.* 1. *De Censib.* quod etiam legitur *Cap.* 25. Caus. XXIII. Quæst. VIII. contrarium videri citatis locis quoad hoc, quòd Vicarii Portionem gravari pluribus oneribus patiantur, cùm *Cap. De Censibus* destinatum Presbyteris Parochialibus sustentandis fundum ab omni onere liberum esse velit; verumtamen nullam esse veram inter istud & alia contrarietatem; quia loquitur de onere seculari; alia verò loquuntur de onere Ecclesiastico, quod in *Cap.* 1. *De Censib.* videri posset exceptum eis per hæc verba: *Neque de Manso prædicto servitium faciant præter Ecclesiasticum.*

Notandum denuò, congruæ Portionis finem esse, ne egestate Vicarius ad turpia cogatur, contrarium autem fini huic usum futurum, quo obventiones fortuitæ Portionis istius pars fierent.

REGULA XIV.

Cujus summæ esse debeat Vicarii Portio, nec in Corpore Juris Canonici, nec in *Concilio* Tridentino, determinatum est, sed in utroque illius determinatio Episcopi arbitrio relinquitur.

Nonnulla tamen in *Conc.* Trid. loca sunt, ex quibus colligere licet, quæ summa assignanda sit, & quomodo assignanda. *Cap.* 1. *De Præb. in* 6. Clem. I. *De Jure Patr.* præcipiunt, ut Portionem Episcopi assignent. *Cap.* 7. Sess. VII. *De Reformat.* ait: *Pro Episcopi arbitrio assignandam.*

Idem *Cap.* 7. docet, assignandam Vicario tertiam fructuum partem, nisi majorem vel minorem partem adscribendam judicet Episcopus, pro Beneficii facultatibus, Vicariæque qualitate; ejusdem verò *Concilii* C. 13. Sess. XIV. *De Reformatione* dicere videtur pro Vicarii Portione summam 100. ducatorum assignandam esse, dum vetat, ne Parochialibus Ecclesiis, quæ illam summam non excedunt, pensiones imponantur; id enim non minori jure inferri potest, quàm Episcopi reditum ad minus mille Ducatorum esse debere: Colligitur ex eo, quòd ibidem Episcopatus hanc non excedens summam pensionibus onerari prohibetur.

Quoad assignandæ Portionis modum præ aliis *Conc.* Trid. *Cap.* 7. *cit.* probat illum, quo super re certa assignatur, qualis est ager, domus, pensio in perpetuum constituta.

REGU-

REGULA XV.

Oneribus singulis temporalibus Rector subjicitur; Vicarius obnoxius non est habendus.

Colligitur è locis, quæ illum ad Portionem singulis istis oneribus ferendis omninò imparem redigunt.

Hinc Vicarius ad magnas Ecclesiæ suæ reparationes astringendus non videtur.

Nec obstat *Cap. 1. De Ædific. Eccles.*, in quo *Concilium* MOGUNTIN. præcepit, ut quilibet Ecclesiasticum habens Beneficium adjuvet ad Ecclesiastica reparanda; loquitur enim de illo, qui sine socio ad id oneris adstricto Beneficium possidet; vel qui illam Beneficii Portionem obtinet, quæ reparationum magnarum oneri sufficiat: Hunc autem locum ita interpretandum docet *Cap.* 4. *E. T.* in quo ALEX. III. Parochiarum Rectores ad reparationes magnas non obligat, nisi de superfluo suarum Ecclesiarum reditu.

REGULA XVI.

Jure Communi quando Vicaria intra alterius Vicariæ limites erigitur, assignata novæ certa populi veteris parte eum plena Vicarii in illum potestate, veteri nova nulla in re subjicitur.

Infertur ex eo quod nullus sit Juris locus, ex quo colligi possit hujusmodi subjectio: E contra extant nonnulla, ex quibus contrarium inferre fas est: Talia sunt *Cap.* 50. *e*1. *Cap.* 53. in quibus Episcopatui intra cujus limites alius erigitur, nulla in novum servatur Jurisdictio. *Cap.* 3. *De Eccles. Ædif.* Cap. 4. SESS. 21. *De Reform.* quo illud innovatur: In iis enim Rectori Ecclesiæ Matricis nulla reservatur Jurisdictio in Parochiam, nedum intra ipsius limites erectam, sed etiam ex ipsius facultatibus dotatam.

Confirmatur ratio ex eo, quòd sola Cathedralis Ecclesia in alias Jure Communi habeat Jurisdictionem: Aliæ verò in alias Jurisdictione non potiantur, nisi sibi expressè concessa fuerit. FAGN. *in cit.* Cap. 3. *De Eccles. Ædific.*

Observata hactenus Juris Communis Doctrina circa Vicarios, comparata cum Doctrina ejusdem Juris circa Parochos, colligitur Vicarium à Parocho non differre, nisi in sequentibus: I. Vicarius Portionem tantùm Parochiæ fructuum percipit. II. Subest Curato Primicerio; & si bona temporalia Parochiæ administrat, ipsi de illis rationem reddit. III. Ad reparationes non tenetur. IV. Personæ nomine non donatur. V. Longè recentior Parocho. VI. Favorabilior Parœciarum quàm Vicariarum erectio.

SECTIO XIX.

Gallicanum Jus Hodiernum circa Vicarios Parochiarum.

REGULA.

A Communi Jure non multùm discrepat Jus Gallicanum hodiernum circa Parochiarum Vicarios.

Utriusque Juris Præcepta conferenti patebit Regulæ veritas: Ut autem facilior sit collatio, hujusmodi Juris Communis Præceptis suprà collectis Juris Gallicani Præcepta subjiciuntur, non omnia tamen, sed postrema tantùm, quorum cognitio ad præsentem collationem sufficit.

Vicariorum Coadjutorum usus adeò frequens est, ut Rectorum pars major Vicarios hujus generis habeat. Qui Rectorum sustentationi, necessaria subministrare debet, erga Vicarios Coadjutores idem præstare tenetur: Præfinita ad hoc summa est centum & quinquaginta librarum: Istorum Vicariorum institutio ad Episcopos pertinet; nominatio ad alios spectare potest. *Edict.* LUDOV. XIV. *ann.* 1686. *condito.*

Vacante Parochia Coadjutores Vicarios constituere debet is, ad quem Jus & possessio providendi pertinet; eademque summa istis danda est, quæ Parochis daretur.

Quando Parochia per obitum vacat, aliasque Juris vias, qualis sunt simplex Dimissio, Depositio, aliæque similes, Provicarios in illa constituere debet is, qui in hujus rei jure & possessione existit; qualis esse potest nedum Episcopus, sed etiam quicumque Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet; illisque eadem, quæ Rectori, Portio assignanda.

Quod de prædicto casu mox dictum est, ad casum, quo Parochus ab administratione Parochiæ suspensus est, extendendum est: Suspensio autem ista fieri potest, vel propter Parochi imperitiam, vel propter corruptos mores, similesve causas. *Ibid.*

Constituti ex impedimento perpetuo Vicarii perpetui esse debent, exceptis iis, qui à Congregationibus Regularibus vel Clericalibus ex Corpore suo constituuntur in Parochiis sibi unitis; quod Privilegium Congregationibus istis concessum est, ne illarum subditi ad Vicarios promoti obedientiam dedocerentur; vel ne qui nimia cum secularibus conversatione à Regulari vel Clericali Disciplina distrahi viderentur, æternæ salutis periculo expositi diutiùs remanerent: Hujus tamen Privilegii ea Lex est, ut sine consensu Episcopi, Vicarii hujusmodi revocari non possint. *Declarat. diei* 29. *Januarii. ann.* 1686. jubet, ut constituantur Vicarii perpetui.

Vicario perpetuo centum librarum summa pro Portione assignatur: Ab omni onere aliàs immunis erat; nunc Decimis Regiis aliisque juribus subjecta ad usque quinquaginta, vel sexaginta; præter hanc Summam novalibus potitur, quæ è terris coli cœptis proveniunt, ex quo ab ipso vel à Prædecessoribus assignatæ Portionis optio facta est: Fruitur necnon & Oblationibus, aliisque obventionibus omnibus ex celebratione Missarum, Sacramentorum administratione, Sepulturis, variarumque rerum Benedictione, provenientibus; iis adde reditus ex legatis ad Missas, preces, aliaque pia opera à Vicario præstanda. *Declarat. diei* 29. *Januarii. ann.* 1686. *Declaratio diei* 30. *Junii ann.* 1690.

Quorum vices gerunt Vicarii perpetui, *Curatos Primitivos* vocant Galli; inter jura quæ Curatis istis competunt, nonnulla sunt Canonibus non præscripta: Nam præter quàm quod Vicarios juxtà Canones præsentant, præcipuis anni Festivitatibus, ipsisque Patroni die, solemnis Divinorum celebratio in Vicariorum Ecclesiis ad ipsos pertinet; quibus diebus, si Divina pro jure suo celebrent, dimidia Oblationum illarum dierum parte fruuntur. *Declaratio diei* 3. *Junii. ann.* 1690. Cap. 3. *De Ecclesiis Ædif. Declarat. ann.* 1690. *Senatus-Consult.* PARIS. 8. *Augusti. ann.* 1690. 13. *ann.* 1692. Continent Concordata quæ ad rem facient utiliterque legentur.

Quando inter Capitulorum Ecclesias Vicariæ exercentur, Curialium muniorum nonnulla Capitulis reservantur, ac præ aliis solemnis Fontium Baptismalium Benedictio: Extant Senatus-Consulta quæ Vicarium obligant ad solvendum jus Procurationis Archidiacono, illoque onere eximunt Decimatorem, qui videbatur huic esse obnoxius, cùm teneatur Portionem congruam præbere Parocho immunem ab omni onere.

Si quæ habent Curati Primitivi commoda, nonnulla quoque habent onera: Debetur ab ipsis congrua Portio: Id expressè docent citatæ Declarationes, quando onere hoc liberatur Curatus Primitivus; dimittendas decimas ipsi Vicario eadem Decla-

Declaratione ann. 1690. Si verò idem onus partim processerit ex eo, quòd Ecclesiæ Parochialis dote potiatur prædictus Curatus, tunc dimissis decimis liber non sit à solvenda Portione; sed tenetur vel integram solvere, vel dotem dimittere totam; quia Vicarii sustentatio primus est ejusdem dotis finis, quamvis dicta Portio ad pecuniæ summam redacta fuerit. Curatus Primitivus non semper tenetur numerata pecunia illam solvere; nam, *Verbi gratia*, si Vicarius habeat aliquem agrum aliàs sibi pro portione assignatum, sed valoris non sufficientis, cogi potest, ut illum retineat, existimato priùs illius pretio vel à Partibus ipsis, vel ab Arbitris ab iisdem electis, vel ab Æstimatoribus à Judice commissis Curati Primitivi expensis; quod verò deerit debitæ summæ numerata pecunia exigere poterit Vicarius. *Eadem Declarat. ann.* 1690.

Ad reparandam Ecclesiam domumque Presbyteralem non tenetur Vicarius Portionarius; sed domus sancta tecta tenenda est à Matriculariis, vel à Parochianis: Ab iisdem Matriculariis restauranda est Ecclesia, si ad id sufficiant Fabricæ proventus, quibus deficientibus reparatio Chori fit sumptibus Decimatorum, navis verò ab Incolis. *Declaratione ann.* 1661. *& Edicto ann.* 1695. *Art.* 21. 22.

In Civitatibus, in quibus 300. libr. non sufficiunt ad Provicarii substentationem honestam, Episcopis licet majorem Portionem illi assignare. *Declarat. ann.* 1710.

Portionario Vicario fas non est pensionem ex resignata Vicaria retinere. *Edict. ann.* 1671. vult, ut Resignatarius habeat semper 300. libr. immunes ab omni onere, & obventiones omnes, & in his duobus consistere solent Vicariæ reditus.

SECTIO XX.

Testimonia de Registris Parochialibus circà Baptismum & Matrimonium, Concilio TRIDENT. *anteriora.*

Suponimus hoc *Concilium* præcepisse Parochis, ut haberent Registra, quodque supponimus ex *Cap.* 1. *&* 2. SESS. XXIV. *De Reform. Matrimonii*: In priori hæc leguntur: *Habeat Parochus librum, in quo Conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat*: In posteriori loquens de Patrinis præcipit, ut in libro eorum nomina describat. Hæc Decreta continent primam Legem Generalem, præcipientem haberi Registra de Baptismis & Matrimoniis; quam plurimæ particulares præcesserunt & similes subsecutæ sunt, hæ illam executioni mandarunt & collectæ sunt in Extractis *Conciliorum* Provincialium *Concil.* TRID. posteriorum, ad executionem illius Decretorum celebratorum. Hæc Extracta habentur in TOM. I. hujus Operis, ideoque illorum testimonia hìc prætermittenda sunt.

I. Ad Registra Parochiæ referri potest quod præcipit *Concil.* CARTHAGIN. IV. *Cap.* 85. circa baptisandum, nempè quod nomen suum det antè Baptismum, hæc enim habet: *Baptisandi nomen suum dent, & diu abstinentia vini & carnium, ac manus impositione crebra examinati, Baptismum percipiant.* HINCMARUS in *Concil.* SUESS. II. *Act.* 1. hujus usus meminit, illoque ostendit, quòd gesta per scripta probari solerent; proindeque insinuat baptizandorum nomen datum fuisse, ut hinc Baptismus probari posset; quò collimant hodierna Baptisatorum Registra.

II. *Omnes Sacerdotes animarum curam habentes, de bonis ipsarum Ecclesiarum emant Chartularia, in quibus quolibet anno, saltem in quadragesima, conscribant nomina Parochianorum, qui ad Pœnitentiam venerunt, & dicta Chartularia teneant & custodiant diligenter, ipsa, quando ab Ecclesia recesserint, penès Ecclesiam dimittentes. Nomina autem illorum, qui in quadragesima non fuerint ad Confessionem faciendam proprio Sacerdoti, vel alii de licentia ipsius in Syn. post Pascha, per proprios Sacerdotes in scriptis ad Diœces. Episcopum deferantur. Concil.* ARELAT. *ann.* 1275. *Cap.* 19. Præcipit quoque *Concil.* TOLET. *Cap.* 5. *ann.* 1339. ut scribantur confitentes, ut satisfiat Canoni *Utriusque Sexus.*

III. *Singulis Presbyteris curam animarum habentibus, de prædictis bona fieri Registra, & in Parochiis illa perpetuò custodiri præcipimus.* Registrum autem poterit esse sub hac forma. *Ego N. Presbyter, Vicarius, seu Curatus (qualis erit) Parochiæ N. anno & die &c. baptisavi N. Filium N. & N. Patrini N. & N. Matrina N. &c,* Syn. SENON. *ann.* 1524. simile quid præcipit circa Matrimonia.

IV. Idem habet *Synod.* CARNOT. *ann.* 1526. quoad Baptismum: Quoad Matrimonia verò docet præterea, illa in Registris jam antea scribi solita in pluribus Diœcesibus: Hæc enim habet: *Quia ex defectu probationis Matrimoniorum, multa contigerunt scandala, inhærendo Statutis Episcopatuum circumvicinorum, statuimus, quòd quilibet Curatus, aut Vicarius de Matrimoniis in sua Parochia contractis, proprium faciat Registrum & fidele, quod ab eis fideliter conservetur, & perpetuò in Domo Presbyterali maneat.*

V. *Sera fait Registre en forme de preuves des Baptêmes, qui contiendront le tems, l'heure de la nativité; & par l'extrait du Régistre se pourra prouver le tems de majorité ou minorité, & fera pleine foi à cette fin.* FRANCISCUS I. *ann.* 1539. *Art.* 51. *Ordonnons que les Régistres des Sépultures & de Baptêmes seront signés d'un Notaire avec celuy des Chapitres & Couvens, & avec le Curé, ou son Vicaire General respectivement, & chacun en son regard, qui seront tenus de ce faire, sur peine des dommages & interêts des Parties, & de grosses amendes envers Nous.* Ibid. Art. 52. *Lesquels Chapitres, Couvens & Curés seront tenus mettre lesdits Registres par chacun an pardevers le Greffe du prochain Siege, du Baillif ou Seneschal Royal, pour y être fidèlement gardes, & y avoir recours quand mestier & besoin sera.* Ibid. Art. 53.

VI. *Baptisatos, mortuosque in Codicem referant; sed quia puerorum vulgò quæsitorum, parentes nomen edere nolunt, satis erit susceptorum nomina scribere: Liber autem in Templo servabitur, quem auferri, vel ullo modo alienari prohibemus, ita ut si distractus, aut subreptus fuerit, à Parocho & Rectore sit exigendus.* Conc. NARB. *ann.* 1551. *Cap.* 33. de Matrimoniis non loquitur, quia de his citata FRANCISCI I. Lex locuta non erat. *Cap.* 11. *E. Conc.* docet, Attestationes de ætate & de legitimitate datas fuisse à Judice loci Ordinario etiam ad Ordines recipiendos; cujus ratio est quod custos erat Registeorum.

Testimonia de iisdem Registris Concilio TRIDENT. *posteriora.*

I. *Pour éviter les preuves par témoins que l'on est souvent obligé faire en Justice touchant les Mariages, Naissances, Morts, Enterrements, enjoignons à Nos Greffiers en chef de poursuivre per chacun an tous Curés & leurs Vicaires du ressort de leurs sujets, d'apporter, dedans deux mois après la fin de chaque année, les Régistres de Baptêmes, Mariages, & Sepultures, faits en telle année, lesquels Régistres lesdits Curés en personne ou par Procureur spécialement fondés, affirmeront judiciairement contenir vérité; autrement & à faute de ce faire par lesdits Cures & leurs Vicaires, ils seront condamnés ès depens de la poursuite faite contr'eux, & neanmoins contraints par saisie de leur temporel d'y satisfaire, & seront tenus lesdits Greffiers de garder soigneusement lesdits Régistres pour y avoir recours, & en délivrer Extraits aux Parties qui le requereront.* Ord. de BLOIS. *ann.* 1579. Art. 181.

Hæc

Hæc Ordinatio supponit Registra Matrimonialia jamjam in usu fuisse, etsi nulla Ordinatione alia præcepta fuissent; usus autem ille oriri potuit ex Statutis Synodalibus, quæ illa pluties haberi jusserant.

II. Huc attinent Ordinationes *anni* 1667. *Tit.* 20. *Art.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. præscribunt, quomodo facienda hujusmodi Registra, quid in quolibet scribendum circa Baptismum, Matrimonia, & Sepulturas, quibus viis supplendus illorum defectus ex jactura vel neglectu proveniens.

Hos Articulos non describimus, quia solos Gallos respiciunt, & in manibus cujusque illorum est Ordinatio laudata, vel esse potest.

Ex collectis testimoniis sequitur: 1. Usum Registrorum Parochialium antiquissimum esse, cùm illius indicia sint in IV. sæculo: 2. Illum præceptum fuisse tàm Legibus Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis: 3. Istas illis præivisse: 4. FRANCISCUM I. jam circa illa Legem condidisse, sed nihil in illa de Matrimoniis præscripsisse: 5. Hunc defectum supplevisse Ordinationem BLESENSEM: 6. Statuta SENONENSIA & CARNOTENSIA, tàm de Matrimoniis, quàm de Baptismo & Sepulturis Registra ante istas Ordinationes præcepisse: 7. CARNOTENSIA mutuata fuisse ex SENONENSIBUS quod hac de re jusserunt; idque ex eo factum esse, quod tunc Episcopus CARNOTENSIS suffraganeus esset Archiepiscopi SENONENSIS: 8. *Conc.* NARBON. ut pote anterius *Conc.* TRIDENTINO & Ordinationi BLESENSI, de Registris Matrimonii siluisse.

SECTIO XXI.

Kalendæ aliique Curatorum Conventus explicati per Canones juxtà temporis collectos, in quibus illorum antiquitas, autoritas, convocatio, quæ in illis vitanda vel facienda, varius locorum usus, aliave scitu necessaria exponuntur.

I. Ut quando Presbyteri per Kalendas simul conveniunt, post peractum Divinum Mysterium & necessariam collationem, non quasi ad prandium (BURCHARO legit non quasi ad plenam refectionem; sed quasi ad prandium, est melius) ibi ad fabulas resideant, & per tales inconvenientes pastellos se invicem gravent; quia inhonestum est & onerosum: Sæpè enim tardiùs ad Ecclesias suas redeuntes, majus damnum de reprehensione conquirunt, & mutua gravedine contrahunt, quàm lucrum ibi faciunt. . . . . & ideò peractis omnibus, qui voluerunt panem cùm charitate & gratiarum actione in domo Confratris sui simul cum fratribus suis frangant, & singulos biberes accipiant, maxime autem ultra tertiam vicem poculum non contingant. HINCMAR. *in Capitul. datis Presbyteris an.* 852.

Horum autem Capitul. Collector fuit, non Autor, ut inferre est ex ipsa latinitate, que longè minùs barbara in Opusculis ab HINCMARO scriptis. *Concil.* NANNET. *Cap.* 16. REGINO. LIB. I. *Cap.* 216. in quo inscribitur de Kalendis; BURCH. LIB. II. *Cap.* 164. qui BORBONEM correxit.

II. Ut quando ad Conventum, quod ipsi Consortia appellant, veniunt, Religiosè equitent: Juniores Prioribus Fratribus debitum honorem impendant: Si quando autem in cujuslibet anniversario ad prandium Presbyteri invitantur, cum omni pudicitia & sobrietate à procaci loquacitate & rusticis cantilenis caveant, nec Saltatrices in modum filiæ Herodiadis, coram se turpes facere ludos permittant; sed in unum convenientes, sicut reliquos cibi & potûs Ministros, ita Lectorem Sacræ ædificationis constituant, quoniam Sacerdotalem reverentiam laudabili maturitate exhibeant, & in eorum Sanctis moribus Deus honorificetur per Jesum Christum. VALTER. AUREL. 2. *Ordin. suæ ann.* 871. *juxtà* CELLOTIUM.

III. Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in unoquoque mense, Statuta die, *id est*, in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas Decanias Presbyteri simul conveniant, & convenientes non pastis vel potationibus vacent; sed de suo Ministerio & Religiosa conversatione, atque de iis, quæ in eorum Parochiis accidunt, sermonem habeant &c. RICULF. SUESS. *Constit.* Cap. 2. 889.

IV. Cujus petitioni Dominus Episcoporum assentiens . . . . illud Altare ordinavit . . . . ita quidem salva Justitia in Synod. & Kalend. ut Sacerdos illius loci Prælatis suis obediat. *Carta. ann.* 1081. *apud* SAMMARTH. *in Abbatibus Vallis Secret.*

V. Monemus 1°. 2°. 3°. & una monitione pro omnibus, omnes & singulos Decanos & Archipresbytos, & iis inhibemus, ne ipsi aliquas convocationes Capellanorum faciant per se, vel per alios sine nostra licentia speciali. GALO CARDIN. in Syn. factus est Episcopus PARIS. juxtà DEMOCHAREM *ann.* 1104.

VI. Volumus, quod Archid. in suis Capitulis has Constitutiones nostras faciant evidenter exponi, in singulis Ecclesiis ipsarum copiam facientes. *Synod.* DUNELM. 1255.

VII. Cùm affectantes Sacerdotum & subditorum instructionem, aliàs constituerimus, quòd Archipresbyteri & Decani singulis annis certis diebus infrà octavam Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, Sacerdotes subditos sibi certis Diœcesibus confinibusque quæ non mutarentur, convocarent, ut dictos Archipresbyteros Sacerdotes consulerent super pertinentibus ad Synod. Statuta *Synod.* ANDEGAV. 1272. 1276.

VIII. Statuimus etiam de Clericis non deferentibus Tonsuram, quòd ipsi moneantur in Synodo, in Ecclesiis Cathedralibus, atque Parochialibus, & etiam à Decanis ruralibus in suis Kalendis, ut ipsi Tonsuram & habitum deferant congruentes. *Cap.* 21. *Conc. apud Pont.* AUDOM. 1279.

IX. Capitula, quæ de tribus in tres vel de quatuor in quatuor septimanas celebrant Officiales, Archidiaconorum aliorumque similium Ordinariorum in locis Decanatuum insignibus, vel saltem in quibus victualia communiter valeant inveniri venalia, de cætero celebrentur, suorumque sumptibus dominorum, tàm in hujusmodi celebratione Capitulorum, quàm in aliis actibus, quos pro suis exercent Dominis, faciant, quæ incumbunt. *Concil.* LONDIN. 1342. Cap. 8. *desumptum è Conc.* LONDIN. 1321. Cap. 7.

X. *Conc.* ROTHOM. 1335. *Cap.* 1. præcipit, ut in Kalend. publicentur Constitutiones *Concilii*, & *Cap* 11. mandat, ut in illis exponantur casus Sedi Apostolicæ vel Episcopo reservati; quia per Præcepta Synod. Curati & Ecclesiarum Rectores debent se ipsos & populum sibi creditum in via mandatorum Dei dirigere.

XI. Ut ipsi Curati & Rectores in eisdem præceptis meliùs instruantur, statuimus districtè præcipiendo, quatenus Decani, dum suas Minores Synodos celebrabunt, sua Præcepta Synodalia secum deferant, & ea per Curatos sui Decanatûs deferri faciant, & ipsos super iisdem diligenter examinent, & si aliqui ea non detulerint, vel in iis legendis defecerint, volumus eos pœna arbitraria puniri. *Statut. Synod. Eccles. Trec.* 1. *Edita* 1399. 2. 1400. 3. 1530.

XII. Ad faciendum delectum eorum puerorum in Seminario educandorum, Episcopus ante Kalendas cujusque Decanatùs significabit per Decanum ruralem omnibus Curatis, sive Vicariis, ut die Kalendarum secum adducant ad locum assignatum omnes suæ Parochiæ juvenes à 12. ann. usque ad 20. ann. *Concil.* ROTHOM. 1581. *De Seminar. Fundatione. n.* 14.

XIII. Parochus verò Ecclesiæ, in qua Congregatio futura est, die Dominico, qui illam proximè antecedit, ejus habendæ tempus populo significet, illumque hortetur, ut illo ipso die ad Ecclesiam conveniat, tùm ut Orationum, quæ pro vivis & pro mortuis ibi fient, particeps sit, ac indulgentiam 40. dierum consequatur, quam ab unoquoque Episcopo in sua Diœcesi illis concedendam decernimus, qui Divinis Officiis tunc celebrandis interetit; tùm etiam ut Sacram Concionem

nem audiat, quæ eo tempore io Missæ celebratione habebitur. *Conc.* MEDIOL. II. DECRET. 30. *ann.* 1569.

XIV. Ut autem in his studiorum exercitationibus unusquisque Sacerdos majores progressus habere possit, io qua Parochia quinque saltem Sacerdotes erunt, eos in singulas hebdomadas bis ad privatas inter se studiorum disceptationes Parochus convocet. *Ibid. Idem Concil.* TOLOS. *ann.* 1590.

XV. Vicarii foranei Regionis sibi commissæ Presbyteros cujuscumque conditionis curam animarum habentes, semel singulis mensibus, modò in unam, modò in aliam ejus Parochiæ Ecclesiam cogant, idque in orbem eodem ordine semper faciant; pridiè ejus diei quàm conveniant, peccata sua omnes confiteantur; sequenti die in ea Ecclesia, in quam coacti fuerint, Missam singuli celebrent; tùm universi in Choro Missam Conventualem pro Mortuis, vel de Spiritu Sancto solemni more canent, in qua eorum aliquis à Vicario prius admonitus, concionem ad populum habeat.

XVI. Confectis Sacris & habita Processione circa Cœmeterium, Orationibusque consuetis, in domo Rectoris illius Ecclesiæ unico tantùm ferculo contenti, ea qoa decet modestia & charitate cibum capiant: Deindè conferant inter se, quæ ad boni Pastoris Officium, & ad curam animarum rectè gerendam pertinent; & consulant de difficultatibus & incommodis suæ Parochiæ, quorum explicatio vel remedium, aliorum consilium & operam requirat. Iidem autem Vicarii libellum de casibus, Episcopis & Sedi Apostolicæ reservatis, Metropolitani cura edendum, reliquis Sacerdotibus legent &c. *Conc.* MEDIOL. I. *Par.* 2. Cap. 29. *ann.* 1565. Eadem *Conc.* AQUAN. *T. de Vicar. foran.* addit legendum in mensa aliquid Sacri. *Idem Conc.* TOLOS. Cap. 6.

XVII. Calendarum usus antiquissimus est usus, & abusus, nec aliud significant, quàm Cleri vocationem ad censuram morum agendam: In his perpetuò fuit damnata pecuniarum exactio & ebrietas, quæ plerumque in his exercentur potiùs, quàm ulla reformatio ad Cleri levamen; tres in anno sufficere judicamus, unam Episcopi aut pro eo Visitatoris, & duas Decanorum ruralium: Nec deinceps in tabernis & popinis convocetur Clerus, sed in Ecclesiis; celebreturque Missa, cui omnes assistant in habitu Sacerdotali, & omnia ibi agenda coram Deo in sanctitate & veritate transigantur. Si præsentibus placuerit unà cibum capere, in Presbyterio aut alio honestiori loco præparetur ad sobrietatem & non ad crapulam; quisquis verò surrexerit inebriatus, aut indecorè se gesserit, gravissimè puniatur. *Conc.* ROTHO. *T. De Episcopor. Offic. ann.* 1581. *n.* 34. In ipsis (*Synod. Diœc.*) Archidiacooi & Decani rurales de Curatis tàm præsentibus, quàm absentibus Episcopo debent reddere rationem, & omnia in Visitatione & Kalendis audita & comperta referri, examinari, ac judicari, & statuenda publicari. *Ibid. n.* 31.

XVIII. In Synodis Decani rurales rationem reddant eorum, quæ in suis Kalendis & Visitationibus egeriot & compererint: Illæ Kalendæ bis ad summum in anno habeantur, ne Clerus nimio labore & sumptu gravetur; & in iis assistant Curati & Vicarii cum habitu & tonsura decenti; sintque omnes modico cibo potuque contenti, ne populo sua intemperantia aliquod Scandalum afferant. Controversias, causasque personales, quas inter Viros Ecclesiasticos suboriri compererint, qui Synodo vel Kalendis præerit, amicè, si fieri possit, componat. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *De Syn. Diœcesf. n.* 4. 5. 6.

XIX. Monuimus suprà *Concilia* AQUEN. *ann.* 1585. & TOLOS. *ann.* 1590. idem dicere de Calendis, quod *Conc.* MEDIOL. adduntque in mensa aliquid pium legendum.

XX. De Congregatione Casuum conscientiæ singulis mensibus habenda, Vicarii Foranei præcipuè agant, ut nunquam prætermittatur; illam verò servato ordine vocent, Mense ante futuram Congregationem exhibeant Clero suæ Regionis duos aut tres casus in Congregatione excutiendos & decidendos: In Congregatione servetur ordo, ut Statuta die, quæ Festa esse non debet, summo manè omnes ad suum Vicarium conveniant, & facto ab omnibus Sacro cum Missa de Spiritu Sancto fiat Congregatio, in qua casus ante exhibiti decidantur. Ad Congregationem evocentur omnes, qui sunt de Regione Vicarii; contumaces pœnâ pecuniariâ plectantur; mulctæ in expensas Congregationis librorum emendorum, cursorum discurrentium insumantur: Liber penès Vicarium sit Successori tradendus, in quo scribantur Congregationes cum die & mense & anno, ipsi etiam casus & decisiones, præsentia Curatorum, qui Congregationi interfuerunt, absentium vel excusatio legitima, vel contumacia, vel contumaciæ pœna. *Conc.* AQUILEIENS. Cap. 18. *ann.* 1596. Quod de celebrandis Kalendis die profano jam præceperat *Conc.* MEDIOL. II. DECRET. 30. *ann.* 1569.

XXI. Capitula Pastorum singuli Archiepresbyteri quotannis celebrent, præcisè illo die, quem Ordinarius illis statuet; ut ita Ordinarius, si ita expedire judicaverit, vel aliquem ad ea mittere, vel iis significanda scripto significare possit. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607. Cap. 14. *T.* 17.

XXII. Archidiaconi, qui Episcoporum oculi dicuntur, ac Decani rurales in suis Synodis quæ sancita fuerint] io Provinciali seu Episcopali *Concilio*, publicabunt, & ad eumdem modum, qui in Visitatione præscriptus est, vitiis extirpandis, ac virtutibus inserendis studeant, criminibus publicis, magis per Pœnitentias Canonicas, quàm pecuniæ exactionem, puniendis intenti. *Conc.* COLON. I. *ann.* 1536. *Par.* 14. Cap. 19.

Archidiaconi in Decanatuum suorum Conventibus Sacerdotes maximè in his (Sacramentis) studeant erudire, docentes eos qualiter circà Baptismum, Pœnitentiam, Euchatistiam, Matrimonium, debeant se habere. *Concilium* LONDINENSE *ann.* 1237. Cap. 2.

Ex collectis Canonibus circa Conventus Curatorum, Kalendas ut plurimum vocatos, inferre est: I. *Concilium* ROTHOMAGENSE *ann.* 1581. jure meritò dixisse Kalendarum usum & abusum antiquissimos esse; nam IX. sæculo HINCMARUS de illis loquitur, ut de re jam jam usitata, & nonnullos abusus proscribit.

II. Hos Cœtus variis esse donatus nominibus, vetustissimum omnium & vulgatissimum esse Calendarum nomen; cætera, quæ sunt *Capitula*, Decanorum vel Archidiaconorum *Synodi*, *Conventus*, *Consortium*, *Congregatio*, posteriora esse, ac in paucis Canonibus aliquo illorum insigniri.

III. Conventus hujusmodi Kalendas vocitari, quia primo cujusque mensis die convocabantur *n.* 3. aliorum verò nominum rationem non inquirendam cùm sint aliis communia, ideoque generalia, ut, pote convenientia *Conciliis* quibuscumque Synodisve Diœcesanis, aut Cœtibus Canonicorum vel Monachorum, quæ Capitula appellari solent.

IV. Eosdem Conventus usitatos fuisse nedum in Gallia, sed etiam in Anglia, in Italia, in Germania, in Belgio, quod ex fontibus, è quibus deprompti sunt collecti Canones, manifestum est: Sunt enim *Concilia* vel LONDINENSIA vel COLONIENS. vel MECLINENSIA, vel MEDIOLANENSIA, vel AQUILEIENSIA, vel Concilia NANNETENS. AGRISGRANAN. ROTHOMAG. REMENS. AQUENSE. TOLOSAN. vel Statuta RHEMENSIA, TRECENSIA, ANDEGAVENSIA, PARISIENSIA, SUESSIONENSIA.

V. Illorum Conventuum causas varias recenseri, nempè decisionem Casuum Conscientiæ in præcedenti propositorum, vel unicuique missorum; expositionem casuum reservatorum; lectionem, publicationem, explicationem Statutorum

Synodalium vel Provincialium; amicam controversiarum inter Parochos subortarum compositionem; difficultatum emergentium in Parochiis decursu temporis ab uno Conventu ad alium Conventum resolutionem; præparationem eorum, quæ in Synodo proxima proponenda sunt.

VI. Abusus vitandos in cibo potuve simul sumendo & in confabulationibus.

VII. Pœnas imponendas circa prædicta delinquentibus, & quibus usibus applicandas pœnas pecuniarias?

VIII. Etsi juxtà significationem nominis Kalendarum his Conventibus dati, singulis mensibus celebrandi essent; attamen quosdam ex Collectis Canonibus docere ad tres per annum redactos fuisse propter Cleri levamen, ut patet *n.* 17. alios verò insinuare in quibusdam Diœcesibus, ubi duæ Synodi Diœcesanæ cogebantur, duos tantùm quotannis Conventus, de quibus agitur, convocatos fuisse, *n.* 7.

SECTIO XXII.

QUÆSTIO I.

An Parochi Jure præsint Canonicis in propria eorum Ecclesia, sive per Officium, sive extrà Officium?

Non hîc mentio fit de Ecclesiis Parochialibus, Cathedralibus, aut Collegiatis, & non comparantur Curati earumdem Ecclesiarum, cùm Canonicis illarum; supponitur, quòd in his Ecclesiis Canonici cum reperiantur in Corpore cum Episcopo, aut immediato suo capite, Curatus qui non constat ex Corpore, debet sedere post Canonicos; unio Corporis cum Capite hoc expostulat; itaque ex hoc ortum est, quòd Episcopi, qui non facti sunt Cardinales, locum habuerunt post Cardinales etiam non Episcopos, cùm fuerunt in Corpore cum Papa, isti tanquam membra Capitis, cui priores partes debitæ erant, digni fuerunt, qui participarent ejus gloriæ, cùm eidem juncti videbantur; hæc Regula porrò ad hoc applicari: *Una eademque res non debet diverso jure censeri.* Canonici in Corpore unum & idem sunt cum suo Capite, & hanc ob rem debent frui juribus ejus honorificis; præsente Capite, nihil justiùs quàm ut honor Capiti debitus in Corpus resiliat: Indè oritur decisio GREGORII XIII. à *Concilio* ROTHOMAGENSI consulti *ann.* 1581. declarans *Canonicos Cathedralium procedentes in Capitulo*, id est, *in Corpore unà cum Episcopo, debere præesse Abbatibus, Benedictis, Infulatis, & Jus Baculi habentibus, licèt isti jure habeant primum locum post Episcopum à suo Capitulo separatum.* Quadam alia ratione adhuc ad id adductus est, nempè quia non poterat absque aliquo monstro horrendo dividi Caput à suo Corpore, ut Abbates inter utrosque collocarentur; quippe cùm neque partem Capitis neque Corporis facerent. Unum adhuc supponitur quòd, si Canonici in Corpore jus habeant antecedendi Parochis ad Officium quod in Choro celebratur, jure eodem fruuntur extrà idem Officium: Ratio eadem utrisque favet; nam depromitur à Superioritate Capitulorum in Corpore super Curatos, quæ locum habet extrà Officium, sicut in Officio.

Eadem Ratio adhuc requirit, ut Capitula in Corpore præsint Curatis, etiam in eorumdem Ecclesiæ; nam Ecclesiæ Parochiales inferiores sunt Ecclesiis Collegiatis, cùm pro magno suo honore erigantur in Collegiatas. Vide BARB. *De Off. & Potest. Paroc.* Cap. 9. *n.* 10.

Hic tantùm agitur de Canonicis privatis, qui in Ecclesiis Parochialibus, cum ejusdem Ecclesiæ Parochos reperiuntur; & quæritur quisnam eorum debeat præesse? Quod facilè decidirur, aliquibus distinctionibus. Nam aut Canonici in Parochia extant ratione domicilii; & cùm tunc sint Parochiani, evidenter patet, Curatum debere illis præsidere; aut sunt in Parochia tanquam iter facientes, aut tanquam homines in ea negotiis particularibus detenti; in his autem casibus sunt Parochiani, in Festis, in Officiis, in Jejuniis, & in iis quibus opus habent Sacramentis; itaque nulla in hoc, quoad Præsidentiam in Ecclesia, altercatio potest haberi; aut tandem hi Canonici in Ecclesia Parochiali morantur, tanquam à Capitulo deputati, Curato Primitivo, in diebus, in quibus jus habet in eadem Ecclesia Officium celebrandi, & tunc primæ partes illis absque dubio debentur, quoad hoc Officium, propter quod fruuntur juribus honorificis. *Declaratione mensis Julii ann.* 1690. Posset confirmari hæc decisio, si necessarium esset, per TAMBURIN. *De Jure Abbat. Disput.* 35. QUÆST. II. *n.* 24. 25. in qua asserit, post alios quos nominat, Canonicos inferiores esse debere Curatis in propria eorumdem Parochia.

QUÆSTIO II.

An Parochis, an Canonicis Jus Præsidentiæ attribuitur extrà Ecclesiam?

Ut resolvatur ista Quæstio, & clarè & solidè simul, supponendum est, esse quædam Nosocomia, aut alias domos pias à Canonicis directas, à Curatis & Civibus, & Administratores eligi à Curia ex Episcopo composita ex quibusdam Magistratibus, & aliis viris in Dignitate constitutis; Canonicos ita electos, Canonicos esse Cathedralis, & Parochos esse Urbis Curatos. Hoc posito, difficultas versatur, an primæ partes pertineant ad hos Canonicos, an ad illos Curatos? In quo dicitur, si considerentur hæc duo Beneficia, quoad functiones ordinarias, Cura videtur Canonicatui anteponenda, quia functiones Curiales eædem sunt ac Episcopales, excepta Ordinatione Ministrorum Sacrorum, Consecratione Ecclesiarum, Altarium, Calicum, & aliorum Vasorum Altaris, necnon & Benedictione Oratoriorum, præter Benedictionem Vestium & Ornamentorum Sacrorum; nam Curatus jus habet celebrandi Missam solemnem coram populo. *C.* 4. SESS. XXIV. Prædicandi. *Ibid. &* SESS. V. Administrandi Sacramenta. *C.* 4. SESS. XXI. Visitandi suos Parochianos, necnon & eos emendandi: Undè requiritur major scientia ad Curam, & hanc ob causam gradus, qui sint hujus rei tanquam signa. PRAGMATIC. SANCT. *Tit.* 4. §. 17. *Concord. T.* 5. §. 10. Prætereà requiritur Sacerdotium. *C.* 7. *De Elect. C.* 14. *C.* 15. *De Elect. in* 6. Functiones autem ordinariæ Canonicatus sunt, ut laudes Deo canantur; itaque MOLANUS *De Canonic.* his rationibus fundatus, asserit Curam nobiliorem esse Canonicatu. Vide BARBOSAM, *in Cap. citat. n.* 5. Sed si hæc Beneficia quoad prærogativas considerentur, quas jus iisdem tribuit, Canonicatus Cathedralis Curæ anteponendus; nam I Reddit hominem capacem, qui à Sancta Sede deputetur. *C. Statutum.* 11. *De Rescript. in* 6. II. Per hunc Canonicatum fit aliquis Episcopi Consiliarius. *Tit. De His, quæ fiunt à Prælat. sine Consensu Capituli.* Denique si spectentur hæc Beneficia juxtà usum præsentem, Cura videtur superior Canonicatui; nam fruitur suis functionibus ut olim; Canonicatus autem ferè amisit suas prærogativas, nam Canonici raro ab Episcopis consuluntur, multò minùs à Papa delegantur.

Sunt, qui citent *C.* 16. *De Præb. in* 6. in gratiam Parochi, & prætendunt, illud esse decisivum in eo quod

quod Bonif. VIII. supponit tanquam principium certum, Beneficia, quibus animarum cura credita est, capaciora esse, atque ideò digniora, quàm Dignites & Personatus Capitulorum, quibus animarum onus non est addictum; sed hæc probatio parum solida videtur; nam quamvis Theologalis Pœnitentiaria majorem exigit scientiam & doctrinam, quàm benemultæ Capitulorum Dignitates, quàm ullus exposcat Personatus, hæ Dignitates & Personatus nihilominus dant jus præcedendi Theologalibus & Pœnitentiariis.

Quæstio III.

Quemnam locum in Choro debeat habere Curatus Cathedralium?

Sunt nonnullæ Cathedrales, in quibus olim animarum cura mandata est Capitulo, & hanc exercebant Vicarii amovibiles, quasi isti fuissent Ministri Capituli, quamvis ejusdem sæpissimè essent Pastores: Insidebant Cathedris inferioribus, quemadmodum & Beneficiarii, & alii constituti ad adjuvandos Canonicos in cantu, & ideò reputati ut Officiatii: Undè potuit evenisse, ut Vicarii facti perpetui, juxtà dispositionem Canonum, & Edictorum Regiorum, quibus hæc executioni mandantur, relicti sunt in loco, quem habebant anteà; quod non est æquum propter duas rationes. I. Hic locus non conveniebat Dignitati functionum suárum, multò nobiliorum, quàm functiones ordinariæ Canonicorum sunt: II. Per hanc mutationem, cùm sint Curati in titulo, non possunt ampliùs haberi tanquàm Adjutores Canonicorum; itaque causa cùm desierit, qua fuerant in Sedibus Inferioribus collocati, rectus ordo exigit, ut ad Sedes Superiores ascendant. Utraque ratio vim præcipuam habet in locis, in quibus Caput Capituli; non est Curatus illorum, ex quibus idem componitur; nam cùm tunc Vicarius perpetuus sit Curatus Canonicorum, tàm in Dignitate constitutorum, quàm aliorum omnium, non potest sedere in Inferioribus Cathedris, quin patiatur parem contemptum; ac ferret Superior infrà Inferiores collocatus, cùm tanquam Pastor Superior sit omnium & singulorum. Quoad Ecclesias Cathedrales, quorum Capitulum nunquam oneratum est animarum cura, non potest intelligi; quam rationis umbram Capitulum possit habuisse, Curatum in Sedibus Inferioribus collocandi; imprimis cùm Sacramenta Canonicis administret tanquam suis ovibus; itaque verisimile non est, esse aliquas Ecclesias, in quibus Curatus locum habeat tàm parùm aptum; & posito quòd nonnullæ existerent, hic certè abusus dignus esset reformatione; ab illo qui jus haberet, quamvis vetustissimus esset; nam nulla est Præscriptio contra venerationem Superiori debitam. *Cap.* 12. *De Præscript.* Undè factum est ut *Concilium* Trident. cùm vellet restituere Episcopó honorem debitum à Capitulo, statuit illum in Capitulo primum locum habiturum esse, quemadmodum & in Choro, nulla habita ratione possessionis contrariæ. *Cap.* 6. Sess. XXV. *De Reform.* At verò ad Reformationem hujus abusus, nulla res convenientior esset, quàm ut Curatus ad Superiores Sedes ascenderet immediatè post ultimum Canonicum, nam tunc Capitulum esset inter duos Pastores suos, cùm Episcopus in Capite sederet, & Pastor in Cauda; Corpus non separaretur à suo Capite, cùm nullus sit inter Episcopum & Capitulum, & cùm Curatus aliquo modo reperiretur immediatè post Episcopum occupantem Sedem proximiorem Capituli, quod unum cum ipso Corpus componit; aliundè post Episcopum junctum suo Corpori, nullus in Ecclesia vir præstantior est, quàm Curatus; & hac de causa locus immediatus post ultimum Canonicum debet illi attribui, quemadmodum primus post Clerum locus pertinet ad Patronum; quia nullus est illo dignior, qui Fundator est Ecclesiæ, & Officii celebrari à Clero Ministro Domini, quem voluit fundatione sua decorare.

Sectio XXIII.

An Monasterium Sæculare factum, & erectum in Ecclesiam Collegiatam Sæcularem, debeat præcedere Ecclesias Parochiales, quæ antecibant illi antequam Sæculare factum fuerit?

Certum est, Clerum Sæcularem debere prægredi Clerum Regularem, tàm Monasticum, quàm Mendicantem & Canonicum Regularem; nam Monachi sunt Laici pro sua conditione, & vocati per Dispensationem ad functiones Clericales: Mendicantes, licèt destinati ad has functiones institutione sua, vocantur tantùm ad illas ut copiæ auxiliariæ; & Canonici Regulares medium tenent inter utrosque, cùm Clerici fuerint, antequam vitam Religiosam profiterentur; sed quemadmodum habent fratres Laicos, ut Religiosi, tàm Monachi, quàm Mendicantes, non poterant prætendere Clero Sæculari præesse, & nolle ut Laici Clericos antecederent, & ideò à Clericis tantoperè distinguuntur in Corpore Juris Canonici, ut de illis separatim agitur, & vulgò junguntur Monachis; nam postquam tractatum fuerit *De Vita & Honest. Clericorum* in *Tit* 1. Lib. III. Decr. & de aliis eorum Officiis in *Titulis sequentibus*, expressa fit mentio de Canonicis Regularibus in *Tit. De Statu Monachor. & Canonicorum Regular.* 35. *Ejusd. Libri*, & in Clementinis sub eadem Inscriptione *Tit.* 10. Lib. III. Quamobrem Barbosa *De Off. & Potest. Paroch. Part.* 1. *Cap.* 9. differens de Curati Præsidentia, & supponens *n.* 13. illam deberi Clero Sæculari in Clerum Regularem, moratur in referendis Decretis habitis à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Greg. XV. qui hoc ita deciderunt, juxtà mentem Congregationis Rituum, & addit; hæc Decreta observari per totam Hispaniam, & Ordinarios locorum curare, ut illa executioni mandentur, cùm id requiret Clerus Sæcularis. Fagnanus supponit etiam diversis in locis, Canonicos Regulares gradum habere tantùm post Clerum Sæcularem. Vid. *Ejusdem Commentarium in* Cap. 1. *De Majorit & Obed.* & Caput 5. *De Statu Monachorum*, in quo dat illis præesse omnibus Religiosis post Cleros Sæculares.

Hoc principio posito, videtur, quòd cùm Sæculare fit Monasterium, & de eo Ecclesia Collegiata Sæcularis componitur, ista debet cedere gradum Ecclesiis Parochialibus Sæcularibus, quæ jam existebant; nam primus consessus debetur his Ecclesiis, duobus titulis: I. Ratione antiqui eorum status sæcularis, cùm prioritas temporis sit justum fundamentum Præsidentiæ inter homines ejusdem generis. *Cap.* 1. *De Majorit. & Obed.* S. Gregorius hoc claré dicit; undè Regula orta est, *Qui prior est tempore potior est Jure.* II. Ratione possessionis, in loco ubi fit Sæcularisatio, cùm hæc nova Ecclesia alias repetit frui Præsidentia in Monasterium, unde originem suam ducit.

Adde his rationibus, præsumendum esse Papam, qui concedit gratiam Sæcularisationis, id facere sine præjudicio alieno, & conformiter ad Regulam, *De Jure alteri quæsito non tollendo*, Clausula (*Salvo jure alieno*) cùm tunc subaudiatur, sicut in omni alia gratia, quæ potest subsistere, sine præjudicio tertii. Super hoc fundamentum Bonifacius VIII. *Cap.* 8. *De Rescript. in* 6. docet, Rescriptum restitutivum gratiæ revocatæ non derogare juri acquisito, ante renovationem, aut restitutionem ejusdem gratiæ: Non refert, ut addat, nisi in eo exprimatur contrarium; nam hæc exceptio confirmat Regulam; itaque posito quòd in Sæcularisatione, de qua agitur, Papa

non derogaret Juri Ecclesiarum Parochialium Sæcularium, deberent contineri in Præsidentia, qua anteà fruebantur.

Non ausim nihilominus dare hanc decisionem tanquam certam, quia menti occurrit Objectio, quæ difficilè potest resolvi; nempè quod Ecclesiæ Collegiatæ Superiores sunt Ecclesiis Parochialibus, quemadmodum docuit supra BARBOSA, *De Off. & Potest. Paroch. Part.* 1. *Cap.* 3. ubi hoc fundamento nixus, asserit, Capitula tùm Ecclesiarum Collegiatarum, cùm Ecclesiarum Cathedralium praeesse Curatis; & illud locum habere; vel cùm Ecclesiæ Collegiatæ sunt posteriores Ecclesiis Parochialibus, cùm etiam in erectione esset clausula, *salvo præjudicio tertii*: Ratio hujus rei est, ait, quòd illæ Ecclesiæ in se ipsis nobiliorea sint, quàm Ecclesiæ Parochiales, cùm sint Ordinis Superioris, quemadmodum Ecclesiæ Cathedrales sunt erga Ecclesias Archidiaconales, aut ab aliis, quæ pendent ab Archidiaconis; unde Monasterium subditum Jurisdictioni Archidiaconi, ab eo immune fit, ubi primum erigitur in Episcopatum. *C.* 16. *De Majorit. & Obed.* In eodem videtur, quòd Archiepiscopus COLOSSENSIS in Hungaria, cùm erexisset in Episcopatum Monasterium DE CHOEUR, situm in territorio Archidiacon tùs, & cum iste voluisset suam in Episcopum Jurisdictionem exercere, & ejusdem Ecclesiam, ut anteà exercebat in Superiorem & Monasterium; Archiepiscopus de hoc conquestus est cum GREGORIO IX. qui jussit, ut prohiberetur arctè à se Papâ, ne hic Archidiaconus ullum faceret actum Jurisdictionis in Episcopum, salva nihilominus incommodorum præstatione, quæ ipsi debebitur ratione præjudicii creati ob hanc erectionem: Ratio Summi Pontificis est, quòd quantùm conveniens est, ut Superior liget & solvat inferiorem, tantùm esset indecens, ut inferior ligaret & solveret Superiorem, & filius potestatem haberet in patrem.

Hæc objectio, ut fatendum est, videtur fortior; nam agitur in hoc Textu de Monasterio inferiori Ecclesiæ Archidiaconali, quod nihilominus evadit Superius eidem Ecclesiæ, sua erectione in Episcopatum, & consequenter sua elevatione in Ecclesiam Cathedralem; & in casu proposito agitur de Monasterio inferiori in gradu Ecclesiis Parochialibus, & facto eisdem Superiore sua erectione in Ecclesiam Collegiatam Sæcularem.

Sed non deest Responsio; nam certò constat Ecclesias Collegiatas, ut Collegiatas, non esse Superiores Ecclesiis Parochialibus, cùm Monasteria sint Ecclesiæ Collegiatæ Regulares, & nihilominùs inferiores in gradu Ecclesiis Parochialibus: Est adhuc certum Ecclesias Collegiatas, etiam Sæculares, considératas ratione suarum functionum, non esse Superiores Ecclesiis Parochialibus; nam functiones istarum sunt certè multò nobiliores, quàm functiones ordinariæ aliarum; nam Administratio Sacramentorum, Prædicatio, Directio animarum, quæ sunt functiones Curiales, procul dubio anteponuntur cantui laudum Domini, in Celebratione sive Officii Divini, sive Missæ in Corpore; & aliunde hæ functiones pertinent etiam ad Ecclesias Parochiales, saltem pro diebus Dominicis & Festis: Plura sunt has functiones exercentia Monasteria, etiam singulis diebus, quemadmodum Ecclesiæ Collegiatæ Sæculares, & nihilominùs cedunt honoris gradum Ecclesiis Parochialibus: Præterea sunt nonnullæ Parochiæ, in quibus singulis diebus cantatur Officium, & in quibus etiam repetitur magnus numerus Sacerdotum affectorum, qui excedit numerum Canonicorum multarum Collegiatarum; sic non videtur, quare possint majori in pretio esse ut Collegiatæ, multò minùs quomodo Collegiatæ Canonicorum majoria sint valoris, & qua ratione dignæ sint, quæ anteponantur illis?

Quoad Usum, tantam habet potestatem in genere Præsidentiæ, ut deroget Juri Positivo. TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. I. *Disput.* 25. QUÆST. II. *n.* 51. Itaque in locis, ubi dat sine restrictione Ecclesiis Collegiatis Præsidentiam in Ecclesias Parochiales, debet quisque illum sequi donec reformetur, oam tenet locum Legis usque ad hoc.

Cæterum si Ecclesiæ Parochiales essent Collegiatæ, in sensu quo vulgo accipitur hic terminus, nempè pro Ecclesia non Cathedrali, in qua certus est Canonicorum numerus, quemadmodum in Cathedrali, procul dubio deberent præesse Monasteriis Sæcularibus factis, & ex hoc erectis in Ecclesiam Collegiatam; quia tunc ante illas potitæ fuissent Dignitate Ecclesiæ Collegiatæ Sæcularis, cui consociati fuissent sua Sæcularisatione.

SECTIO XXIV.

De Sessionis Ordine in Cœtibus Ecclesiasticis, tùm Sacris, tùm Profanis, Regulæ ex Corpore Juris, Concilioque TRIDENTINO *desumptæ.*

Quam discutiendam suscepimus Quæstio, aliam in se continet, nempe de præsidendi jure in iisdem Cœtibus: Utramque autem de industria, seorsimque tractare aggredimur, propter frequentiores circa Sessionis Ordinem, præsidendique jus, controversias. Tractationem nostram intrà Canones in Corpore Juris, atque in *Concilio* TRIDENTINO comprehensos claudimus, ne præscriptos nobis limites transgrediamur. Ad Regulas reducemus, quæ ex his colligemus, ut solito more, nedum certa ab incertis, generalia à particularibus, secernamus; sed etiam quæ minus generalia, post generalia magis collocemus, quæque omninò singularia ultimum locum occupent; quæ omnia per Regulas tùm faciliùs, tùm clariùs fiunt. Hoc autem loco sequentes Regulas collocamus, tùm quia singulos Ecclesiæ Ministros spectant, de quibus agimus, tùm quia confirmant præcedentem decisionem.

REGULA I.

Sedes primo digniori debetur: Clericorum autem Dignitas ex Sacris Ordinibus desumitur. Colligitur ex *C.* 5. 15. DIST. XCIII. quæ docent, inferiores ad Superiores debitum honorem exhibendum obligari, quæque inter Clericos Superioritatem ex Ordinibus desumunt.

REGULA II.

Inter Ecclesiasticos ab ordinatione petitur Sessionis Ordo. *C.* 1. 15. *De Majorit. C.* 20. DIST. XCIII.

REGULA III.

Inter constitutos in diverso ordine, qui ad majorem promoti sunt, præcedere debent minorem habentes. *C.* 15. *De Majorit. C.* 5. 20. 26. DIST. XCIII.

Citatorum Canonum prior è GREG. IX. desumitur: Hic autem, etsi sæculo XIII. scribens, quo Officia debitum Ordinibus locum jamdiu occupabant, in pristinum statum Ordines restituit, Antiquorum Canonum autoritate motus; sed multò magis bene sibi notâ ipsorum Ordinum Dignitate.

In 2. *Synod.* ROM. sub SILVESTRO præcipit, ut qui in minori Ordine constituti sunt, ad Superiores promotis debitum exhibeant honorem, atque ideò honorabiliorem sedendi locum cedant. Canon hic, suppotititius licet, ex longissimo usu roboris oonnihil habet.

In 3. à Diaconis usurpatum Presbyteris honorem restituit *Concil.* TOLETAN. nonnihil; namque Diaconi in tantam eruperant superbiam, ut sese Presbyteris anteponerent, atque in primo Choro, ipsi priores stare præsumerent, Presbyteris in secundo Choro considentibus

dentibus; quocirca præcepit prædictum *Concilium*, ut Presbyteri in eodem Choro cum Diaconis sederent (servata Presbyteratûs Dignitate:) Quod infertur, ex eo, quòd in primo Choro Presbyteros collocavit, ut se Diaconis Superiores agnoscerent.

In VI. *Synod.* Constantinopolit. hoc citatis Canonibus addit: „ Quòd Diaconi, etsi in Officio constituti, ante Presbyteros sedere non debeant, casu „ uno excepto, de quo postea„. His omnibus Decretis prævivit *Cap.* 18. *Conc.* Nic. I. vetans, ne Diaconi ante Presbyteros Eucharistiam accipiant.

REGULA IV.

Inter Clericos in eodem Ordine constitutos, qui illum priùs susceperunt, alios præcedere debent. *Cap.* 7. Dist. XVII. Cap. 1. Dist. XVIII. Cap. 1. *De Majorit.* Cap. 7. Dist. LXXV.

In 1. S. Greg. Siagrio Augustodun. scribens *ann.* 597. decernit Episcopos secundùm Ordinationis tempus considere, suorum sibi prærogativam Ordinum vindicare, quæ Ordinum prærogativa nulla inter Episcopos alia esse potest, quàm antiquioris Ordinationis ratione præsessio.

In 2. *Conc.* Brachar. I. præcipit, ut Episcopi secundùm suæ Ordinationis tempus alii aliis locum deferant.

In 3. Idem Greg. Aug. Anglorum Episcopo scribens *ann.* 604. hæc habet: *Sit ista honoris distinctio, ut ipse prior & major habeatur, qui priùs communitatis consilio & concordi fuerit actione ordinatus.*

In 4. Gelasius vetat, ne cujuslibet utilitatis causa Presbyter, vel Diaconus illis præferantur, qui ante ipsos fuerint Ordinati: Quæ sententia cùm generalis sit, tàm de Sessionis honore, quàm de aliis intelligenda est.

Quod in citatis Canonibus habetur, confirmat *Cap.* 89. Carthag. *ann.* 419. celebrati, in quo præcedentium Africæ *Conciliorum* Decreta recitata & confirmata sunt; hoc enim in Canone præcipitur, ut Episcopi pro conservationis suæ antiquitate in Cœtibus Ecclesiasticis sedeant.

REGULA V.

A tertia Regula expressè excipitur casus, nempe quo in Ordine inferiori constitutus Patriarchæ vel Metropolitani locum tenet. *Cap.* 26. Dist. XCIII.

Hinc ob similem causam Diaconi ab Episcopo deputati Presbyteros præcedere deberent. Hinc si magna satis esset antiquioris Ordinationis prærogativa, priùs ordinati locum tenens ut locum tenens considerarus, posteriùs ordinatos præcederet.

Hinc factum ut Papæ Legati, etsi non Episcopi, in Conciliis Sedes primas occuparint.

Hinc quoque si ratione Officii Archidiaconalis Archidiacono, quamvis in Diaconatu tantùm constituto, Archipresbyter in Presbyteratu existens subjectus sit; id ex eo provenit, quod Archidiaconus tamquam Episcopi Vicarius habitus sit.

Hinc etiam (propter parem rationem contigit) ut Decanus, Præpositus, aliusve, quovis nomine insignitus, Capituli cujusvis Capitis antiquiores Presbyteros Presbyter ipse junior antecedat.

Quod de Capituli Capite dictum est ad Conventûs Prælatum extendendum est.

REGULA VI.

Qui Ordine pares sunt, Officio verò dispares, pro Officii Dignitate alios vel antecedunt, vel aliis postponuntur; qui verò pares Ordine Officioque, sed in receptione ad Officium dispares, pro illius antiquitate sedent. *Cap.* 1. Dist. XVIII.

quod docet Metropolitano primam Sedem deberi ratione Primatûs; alias verò cœteris pro Ordinationis tempore. Idem habetur *Cap.* 1. *De Elect. in prima Collect.* Cap. 56. Dist. XCIII. ex quo colligitur Metropolitanos & Patriarchas, etsi tantùm sint Episcopi, alios Provinciæ, vel Patriarchatûs sui, Episcopos præcedere. Dist. XXII in qua de Patriarcharum suprà alios Episcopos Præeminentia, ac statuta inter illos subordinatione. *Cap.* 23. *De Privil* ubi etiam de utroque. *Cap.* 7. Dist. XXVII. Cap. 1. Dist. XVIII. *Cap.* 1. *De Majorit.*

REGULA VII.

Ut absente illo, cui pertinet Officium, ab alio, qui vel ex Lege, vel ex eruditione proximus est, exerceri debet; ita quoque ab isto occupatur illius locus.

Munia Sacra sunt, quæ eruditionem requirunt, unde in iis, quæ pro aliis hæc obeunt, eruditio desideratur, eaque propter eruditione proximus aliis præfertur. *Cap.* 1. Dist. XXV. §. 13. Legendus hic paragraphus, ut faciliùs Regula intelligatur, ejusque claritas clatiùs patescat.

Hinc colligitur Sessionis Ordinem peti posse, vel ex Lege, vel ex personarum merito: Quod de Lege dicitur, ad Consuetudinem indistinctè extendendum videtur, si de humana, ut par est, intelligatur Lege; nam si de Divina, restringendum ad illam Consuetudinem, quæ Legi conformis est.

REGULA VIII.

An Ordine Superiores, Officio verò Inferiores, illos, qui sibi Officio Superiores sunt in Cœtibus, quibus adsunt, ratione Officii præcedere debeant, nullus Juris Textus definit.

Non obstat *Cap.* 26. Dist. XCIII. *in quo Ordine inferior sibi Ordine Superiores ratione Officii præcedit:* Nam quando, *verbi gratia*, Diaconus Metropolitani locum tenens præcedit Episcopos, honoratur in illo Metropolitani Dignitas, nec qui Diacono honorabiliorem locum cedunt Episcopi, ex hoc inhonorantur, cùm Metropolitano Superiori suo hunc honorem referant. Sed si quis in propria Diœcesi simul Episcopus & Canonicus assistens vel Choro vel Capitulo, post Dignitatem sibi, ut Episcopo inferiorem, sed ut Canonico Superiorem sederet, Episcopum inhonoraret, cùm quem Episcopus deferret honorem Canonico, iste ad illum, nec ad alium sibi & Episcopo Officio absolutè Superiorem, referre nequiret; neminem enim tunc Canonicus Episcopo Superiorem repræsentaret.

Dici non potest Episcopum, quà Canonicum, Decano inferiorem esse, ideoque sicut ea ratione minorem haber Portionem, ita & poterit ea ratione inferiorem habere locum; non enim Episcopum dedecet reditum minorem ex Canonicatu percipere, quàm Decanus ex Decanatu habeat; sed indecens omninò videtur, ut Episcopus totius Cleri Diœceseos Caput membris suis quovis casu locum potiorem cedat, eo tantùm dempto, quo membra Metropolitani vices gererent.

REGULA IX.

Inter Sessionis Ordinem pro Dignitate Sacrorum Ordinum à Deo institutorum præscriptum, & eumdem Sessionis Ordinem pro qualitate Ordinum, vel Officiorum ab Ecclesia institutorum præfinitum, hoc potissimum interest quòd prior immutabilis, posterior verò mutationi obnoxius sit. *Cap.* 11. *De Consuet.*

Ordines à Deo instituti comparati possunt, vel inter se, vel cum Ordinibus ab Ecclesia institutis; ad utroque modo comparatos spectat Regula.

In *cit. C.* GREG. IX. docet Divino Juri derogare non posse Consuetudinem, ac consequenter nullum aliud Humanum Jus; Juri verò Humano Positivo derogari posse per Consuetudinem, proindeque per quodvis aliud Juris Humani genus: Undè sequitur, quòd, cùm prior Sessionis Ordo à Jure Divino fluat, mutari nequeat Lege Humana; posterior verò, cùm Humani Juris sit opus, ab eodem mutari possit.

Hinc cùm Ordines, qui sunt Sacramenta, à Deo certò instituti sint, sequitur, quòd qui ratione istorum Ordinum aliis Superiores sunt, illos semper præcedere debeant, quavis Constitutione vel Præscriptione non obstante; hac profectò de causa *Concil.* LATER. *ann.* 1179. *sub* ALEX. III. Cardinales, etsi jamdiu fratres denominatos, & re, non nomine tantùm, Papæ consilium, post Episcopos recenset, minoremque visitantibus erectionis numerum permittit. *Cap. 6. De Censibus.*

Cùm autem alii Ordines ab Ecclesia instituti sint; sequitur, quòd qui ratione istorum aliis inferiores sunt vel Ecclesiastica Lege, vel Consuetudine legitimè præscripta, illos præcedere possint: Quod de Ordinibus his dictum est, ad Officia extendendum, cùm illi nonnisi mera Officia sint.

Quapropter Lege usuve fieri potest ut Officiales, Vicarios Generales, vel isti illos præcedant. Eadem de causa pro Ecclesiæ voluntate Parochorum Ordo mutatus est *Cap.* 16. 18. *De Offic. Jud. Ordin.* cùm subsint Monasteriis, vel illorum Prælatis, qui cum Monasteriis Parochis suberant.

REGULA X.

Quando Sessionis Ordo, qui solo Humano Jure præscribitur, Jure Communi vel Peculiari definitus non est, Episcopi cujusque est in Diœcesi sua illum definire. *Cap.* 16. 18. *De Offic. Jud. Ordin.*

In priore HON. III. docet, motarum in Diœcesi controversiarum Judicem Ordinarium esse Episcopum, dum ait Jurisdictionem omnium causarum ad Episcopum pertinere: In posteriore idem HON. eadem docet, dum decidit causarum examinationem & decisionem ad Jurisdictionis Legem spectare; Jurisdictio enim per totam Diœcesim Episcopalis potestatis præcipua pars est.

REGULA XI.

Pro Ordinum vel Officiorum ab Ecclesia institutorum Dignitate, Sessionis honor illis assignandus; digniores autem habent, qui ad Ordines à Deo institutos magis accedunt.

Hinc ob maximam Acholiti cum Diacono similitudinem, Acholito inter minores Ordines primus locus assignatus est. Ob parem Abbatis cum Episcopo conformitatem, post Episcopum Abbas primam Sedem occupat. Cùm ea quæ Vicario Generali committuntur, magis accedant ad ea, quæ facit Episcopus ratione Ordinis Episcopalis, quàm quæ Officiali delegantur, eo respectu Vicarius Generalis Officialem præcedere debet.

REGULA XII.

Circa Sessionis Ordinem Constitutiones vel Consuetudines inconsulto Episcopo à Capitulis immutari non possunt, nec novæ induci. *Cap. 9. De Consuet.*

Cit. Caput ex HON. III. *Capitulo* PARISIENSI scribente circa annum 1221. desumitur. Undè si verum sit ALEXAND. III. Diploma, quo *Capitulum* PARIS. ab Episcopi Jurisdictione eximit, ad exempta Capitula extendenda erit Regula: Hujus Diplomatis meminit *De Exemptionibus* Cap. 4. *n.* 8.

REGULA XIII.

Quod de Præcedentia in supplicationibus, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliisve similibus, docet *Concil.* TRID. circà Sessionis Ordinem locum habet. *Cap.* 13. SESS. XXV. *De Regul.*

Ex rationis paritate colligitur, quæ est, maximum ex controversiis circa Præcedentiam nasci scandalum, ac ideò ad publicam spectare utilitatem controversias hujusmodi quantòcius terminari; quæ ratio locum quoque habet in controversiis circa Sessionis Ordinem.

Hinc quæcumque sint personæ, inter quas oriuntur circa Sessionis Ordinem controversiæ, sive Regulares; sive Sæculares, sive Exemptæ, sive non Exemptæ, dummodo quoad Cœtus, de quibus agitur, Episcopo subsint, ab Episcopo definiendæ sunt.

Circa quod notandum, controversias hujus generis dirimi posse: I. Quoad Cœtum præsentem & convocatum quem deserere non licet: II. Quoad Cœtus omnes donec appareat, ad quem juris præcedendi proprietas pertineat: III. Quoad illam proprietatem ad definitionem primi generis, illum, cujus est publicas turbas sedare vel impedire, partes suas, si opus sit, interponere debere, aliàs Episcopum sufficere.

Definitionem secundi generis, nempè possessoriam alicubi ad Sæcularem Judicem spectare.

Definitionem tertii generis ad Judicem Ecclesiasticum haud dubiè pertinere; sed nonnullas esse Regiones, in quibus post definitionem possessoriam ad petitorium actio denegatur; idque profectò, quia possessorium ibidem judicatur ponderata Tituli æquitate. Ita in Gallia.

REGULA XIV.

Circa Sessionis Ordinem facta extemplo pro bono pacis provisio, nec petitorio nec possessorio præjudicare debet.

Infertur ex *Conc.* TRID. *De Modo Vivendi. §. Insuper.* SESS. II. Infertur quoque ex *Decreto de loco Oratorum, in continuatione* SESS. XXV. *habito.*

REGULA XV.

Ad Clericorum vel Regularium Collegia extendenda sunt, quæ de Clericis vel Regularibus seorsim sumptis, circa Sessionis Ordinem hactenus dicta sunt.

Hinc propter Episcoporum Dignitatem, cum quibus Capitula Cathedralia, tantam habent connexionem, Capitulis Cathedralibus primus locus debetur, sive Regularia sive Sæcularia sint. Hinc quando Capitula Cathedralia concurrunt cum aliis, quæ ad Majores Episcopos pertinent, præ cæteris honoranda. Hinc Clericorum Capitula Monachorum Collegia præcedere debent. Hinc Capitula non Cathedralia pro Dignitate locorum, vel Ecclesiarum, si paris antiquitatis sint; sin autem antiquiora, aliis præponenda sunt.

Regularia Collegia pro status Dignitate collocanda sunt. Hinc Capitula illorum quorum status simul est Sæcularis & Regularis, præcedere debent Collegia illorum, quorum status merè Regularis est: Hanc ob rem Capitula Canonicorum Regularium Monachorum quorumcumque Collegia antecedere debent. Quod de Cathedralibus Capitulis dictum est,

est, de Abbatialibus Collegiis dicendum videtur: Nempe cœteris ejusdem Ordinis præponenda esse, inter quæ priùs collocanda quæ Digniores habent Abbates.

Collegia non Abbatialia ejusdem Ordinis, quò antiquiora sunt, locum potiorem habere debent, nisi peculiaris cum Abbatialibus connexio contrarium postulet; si enim Abbatialium membra fiant, illorum Dignitati participare censentur.

Monastica diversi Ordinis Collegia non ex qualitate Ordinum, sed ex sola antiquitate locum sortiuntur: Antiquitas sumitur; vel ex institutione Ordinum, vel ex receptione Monasteriorum in Urbe ubi sita sunt, juxta Regulam 54. *in 6. Qui prior est tempore potior est Jure.*

REGULA XVI.

Ex Doctrina circa Sessionis Ordinem, quid circa Præsidentiam tenendum sequendumque, facile colligitur.

Cùm Præsidentia nil aliud sit, quàm prima Sessio, evidens est circa Præsidentiam Doctrinam in Doctrina circa Præcedentiam contineri.

REGULA XVII.

An præsidere debeat Episcopus, ejusque Vicarius in Diœcesanis Cœtibus nullum dubium.

Ex ipso Antistitis nomine, quo Episcopus insignitur, si probatione egeret, Regula colligeretur; Antistes enim est, qui ante stat. *Cap.* 1. Dist. XXI. Idem quoque infertur ex Prælati nomine, quo passim in Jure donatur. Idem quoque ex nomine Capitis, quo designatur. *Cap.* 4. *De his quæ fiunt à Præl. &c.* Idem etiam ex eo quòd, nedum in Ecclesia, sed in quovis Presbyterorum consessu, sublimior sedere debeat. *Cap.* 10. Dist. XCV. Idem ex eo, quòd Presbyteris non licet ante Episcopum ingredi & in Tribunalibus sedere. *Cap.* 8. *Ibid.* Dionisius *Exiguus* verbo in subselliis, *id est*, habere debent Sedem inferiorem. Idem ex eo quod propter prærogativam Dignitatis ampliori fulgere honore Episcopum conveniat. *Cap.* 5. *De Sent. & Re. in* 6.

REGULA XVIII.

Quod de Metropolitano à Canone definitum est, in Conciliis Provincialibus primam Sedem sibi deberi, ad Primatem, ad Patriarcham, imò ad cujusvis Corporis Ecclesiastici Prælatum extendendum. *Cap.* 1. Dist. XVIII.

Rationis paritas veram demonstrat esse Regulam; is enim datur Metropolitano locus, quia Provinciæ primus est, ut docent hæc citati Capitis verba: *Servato Metropolitani Primatu.*

REGULA XIX.

Post *Concilium* Tridentinum extra dubium esse videtur, Episcopo deberi primam Sedem in Choro & in Capitulo, etsi utrique adsit ut Canonicus.

Colligitur ex eo, quòd Trid. *Conc.* Sess. XXV. *De Ref.* Cap. 6. §. *Episcopis præterea*, postquam præcepit, ut Episcopis obique is honor tribuatur, qui eorum Dignitati par est, addit: *Eisque in Choro & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis, sit prima Sedes.* Hæc enim verba, cùm indistinctè proferantur, tàm de Episcopis ut Canonicis, quàm de Episcopis ut Episcopis, intelligenda videntur.

Contilii Fundamentum: Episcopus etsi Canonicus, Episcopus Decani sui esse non desinit. Ob parem rationem Greg. IX. Cap. 16. *De Major. & Obed.* Abbatem de Chaur. cujus Abbatia in Episcopatum erecta erat, non subesse ampliùs Archidiacono, intra cujus Districtum extat Abbatia, declarat: Nec dici potest, Abbatiam, de qua *cit. Cap.* ipsa erectiobe in Cathedralem desiisse esse ejusdem Diœcesis, ac Archidiaconatûs, cui priùs suberat; nam ratio propter quam Greg. dicit, Ecclesiam istam Cathedralem Archidiacono subesse non debere, quæ est, non decere ut filius potestatem habeat in parentem, supponit Archidiaconum, de quo quæstio, fuisse in Diœcesi novi illius Episcopi; quia etsi Archidiaconus in Ordine filiorum sit, Episcopus verò in Ordine Patrum, falsum est, Archidiaconum filium esse Episcopi, cui non subest, Episcopum verò illius parentem.

Præoccupata suprà Objectio ac obiter facta, dum de Sessionis Ordine diceretur, urgeri hic posset. Hæc autem est: Ex aliis juribus, quæ habet Episcopus tamquam Canonicus, de sedendi jure, quod eodem Titulo habet, judicandum est: Atqui in his juribus Episcopus aliis non præfertur Canonicis; cùm nec potiorem habeat Præbendam, nec vocem aliis prævalentem; sive in conferendo, sive in eligendo, sive in judicando. Verùm respondendum: I. Indecens non esse in Præbenda aliis Canonicis æqualem esse Episcopum ut Canonicum consideratum; hæc enim æqualitas Episcopum nullo modo inhonorat. Nec obstat Greg. IX. jussisse, ut qui potior est Ordine majorem habeat Portionem; hoc enim restringendum ad personas erga Episcopos gradûs inferioris; de his enim loquitur ac inter illas hanc justitiæ instituit Regulam: „Ut quæ ratione ma„joris Ordinis majora exhibent servitia, majorem „quoque percipere debeant Portionem„.

II. Respondendum, nullam fieri Episcopo injuriam, ex eo quòd vox, quam habet tamquam Canonicus, aliorum Canonicorum voci non præponderet; imò id ipsius lucro cedere, qoia præponderantem vocem babere non posset, nisi Capitis vicem gereret, atque ut Prælatus adesset, quo casu, devolutionis, necnon appellationis recipiendæ jus amitteret; unde si Capitulum Collationem negligeret, vel indigno conferret, Collatio ad Episcopum ut Episcopum non devolveretur; nec si ab Actu Capitulari appellaretur, ad ipsum appellari posset; utrumque autem jus Canones tribuunt Episcopo, si in Capitulo Canonici simplicis vocem rantùm habeat: Prius in *Cap.* 15. *De Concessione Præbend.* legitur. Posterius verò in *Cap.* 11. *De Appell. in* 6.

Appendix *ad* Regulas *de Sessionis Ordine, in quo nonnulla circa eumdem Ordinem Quæstiones discutiuntur.*

Circa Sessionis Ordinem, cùm adeò valeat Consuetudo, ut pleræque ea de re controversiæ ex illa decidantur, operæ pretium duximus de hujusmodi Consuetudine, quæ quæri possunt, hìc discutere: Hæc autem ad Regulas non redegimus, quia vix fieri id poterat: Hoc verò remisimus, tùm ne dubia certis commisceremus; tùm ut post demonstrationem certorum, facilior fieret dubiorum resolutio.

Quæstio I.

Quæritur I. Unde ortæ sint contrariæ circa Sessionis Ordinem Consuetudines, & qua ratione utraque approbari possint? V. gr. *sunt loca, sunt tempora, in quibus Officii, Ordinisve sui qualitate inspecta inferior Superioris in utroque, vel in alterutro locum tenens, Sedem, quam iste haberet, occupat; sunt etiam loca, sunt tempora, in quibus Ordine Officiove inferior numquam præcedit in utroque vel alterutro Superiores, etsi istorum Superiorum vices gerat; uterque autem usus ab Ec-*

clesia probatur: Quomodo ergo fieri potest ut vituperanda non sit Ecclesia, usus contrarios, vel simul, vel successivè probans?

DUBITANDI RATIO: Dictum est inter ordinatos ex Ordinis Dignitate, vel ex Ordinis citiore vel tardiore susceptione inter constitutos in Officio merè Ecclesiastico, ex Officii qualitate Sedium assignationem petendam esse: Quæ cùm ita sint, quomodo fieri potest, eadem probante Ecclesia, ut qui alium repræsentat, illius locum modò occupet, modò non occupet? hic vel nunc æquum vel congruum sit, Superiores sibi ordine vel Officio præcedere, illic verò aliove tempore congruat post eosdem sedere.

DECIDENDI RATIO: In locumtenente considerari potest Ordo proprius, Officiumve proprium, vel Ordo Officiumve illius, cujus vices gerit: Juxta primam considerationem, locum tenens post Superiores sibi Ordine Officiove sedere debet: Juxtà alteram considerationem eosdem præcedere debet. Cùm ergo æquum esse & congruum possit, ut in ipso Ordo proprius consideretur, & in Superioribus sibi illorum in Ordine vel Officio prærogativa suspiciatur, ac honoretur; ita æquum & congruum esse potest, ut non spectato quod in ipso proprium est, sed eo solùm quod repræsentat, nec comparatis cum ipso, sed cum illo quem repræsentat, sui Superioribus, repræsentati à se Dignitas debito afficiatur honore; ac consequenter considerato vices gerente sub diverso respectu, probari potest, ut vel diversis locis, vel diversis temporibus Superiores sibi, vel præcedat, vel subsequatur.

QUÆSTIO II.

Quæritur II. An ex eo quòd in Superioribus quarumdam Regionum Tribunalibus Episcopi post Præsides sedeant, ostendi possit, illos pari modo in Capitularibus Cœtibus post Præsides Capitulorum sedere debere, si in illis tamquam Canonici adsint?

Id ita esse videtur, quia Dignitas Episcopalis Præsidum Dignitati præcellit; unde si Episcopi in prædictis Comitiis post illos sedeant, id provenire non potest, nisi ex eo, quòd tamquam Consiliarii iis tantùm intersint. Verùm longè aliter sese habent res, nam Pontificalis Dignitas propriè loquendo, nec Superior, nec inferior Præsidum Dignitati dici potest, quia est alterius Ordinis; inter res autem diversi Ordinis nulla jure dicitur aliâ Superior vel Inferior: Unde argumenti fundamento ruente, argumentum ipsum ruere debet.

QUÆSTIO III.

Quæritur an tolerandus sit usus quarumdam Ecclesiarum, quæ, nulla habita cujusque Canonici Ordinis ratione, pro illius receptione prior vel posterior sedet; unde fit quandoque, ut Presbyteros, nedum Diaconi, vel Subdiaconi, vel Acoliti, sed simplices Clerici præcedant?

Tolerandum hunc usum sentiendi Ratio.

I. Communis est & antiquus. II. Choro non adsunt Canonici ratione Ordinis, sed ratione Canonicatûs; unde oportet, ut qui præstantiorem vel æqualem priùs possidet, alii præponi debeat.

His non obstantibus, usus hic abusus videtur, eò minùs tolerandus, quò communior esset & antiquior; cùm ex his circumstantiis periculosior fieret.

Sententiæ hujus Fundamentum: Institutis à Deo Ordinibus debitus servandus est honor, maximè in Choro; alioquin Naturale Divinumque Jus violatur, injuriaque in Deum illorum Ordinum Institutorem resilit: Prætereà omninò dedecet, ut quibus in Capitulo votum denegatur, quia Subdiaconi non sunt, in Choro Presbyteros præcedant, quia antiquiores Canonici sunt.

Nec obstat, *quòd Semipræbendarum Presbyteri Canonicis etiam non Subdiaconis subsint*; nam Superioris sunt gradûs Canonici, & Episcopi, cujus sunt Assessores, Consiliarii: Senatûs, membra præcipua. Dignitati participant.

Nec obstat, *quod Archidiaconus Archipresbytero præsit*; id enim habet ex Officio suo, vi cujus Vicarius est Episcopi, ac consequenter locum tenens privilegio, de quo suprà, potitur.

Nec obstat, *quod ab Ecclesia probati sint Religiosi Ordines, in quibus Clerici Laicis subjiciuntur, ac ideò Laici quàm Clerici potiores Sedes habent: Tales sunt autem Ordo Equitum Melitensium, Ordo Fratrum* JOANNIS DE DEO, *vel Fratrum* DE CHARITATE *nuncupatorum*. Summa enim est differentia inter casum, de quo agitur, & casum oppositum, cùm hic utilitas maxima, quæ ex his Ordinibus, à tota percipitur Ecclesia, Ordinis à Deo statuti eversionem excusare possit; illic verò nihil simile excuset: Unde hic justissima causa occurrere videatur, illic verò nulla. Idem sentiendum de eversione Ordinis in Congregatione fontis EVERARDI, in eo sita, quòd fœminæ præsunt viris, etiam in Ordinibus constitutis; quia Prælata repræsentat Sanctam Virginem Dei Matrem, & ut talis recipit honorem debitum à S. JOANNE Dei Matri, quam in Matrem quoque acceperat à CHRISTO.

QUÆSTIO IV.

Quæritur IV. An posito, quod plures, qui Dignitate in titulum possessa, alii aliis Superiores sunt in eodem Cœtu, ratione Officii sibi commissi occurrant, alios tunc præcedere debeant, qui Dignitate Superiores sunt? Verbi gratia, *si sint tres Vicarii Generales, quorum primus sit Præpositus Capituli, alter Archidiaconus, tertius Cantor; Præpositus præcedetne alios Vicarios in Cœtu, cui adsunt omnes Vicarii; & in eodem Cœtu Archidiaconus præcedetne Cantorem?*

DUBITANDI RATIO: Alia Dignitas in Cœtu extranea est: Prætereà Dignitas ex scientia, zelove petita, hic potiùs, quàm ulla alia, consideranda videtur; adhæc ex voluntate Committentis pendet, quem à se commissi inter se locum habeant.

Nihilominùs contrarium verosimilius videtur; nam I. Etsi par sit Officium, ratione cujus Cœtui omnes adsunt, hoc non impedit, quin spectanda sit Officialium Dignitas, aliunde quàm ex Officio petita, cùm ista eos dispares efficiat, istaque disparitas sufficiat, ut alius alium præcedendi justam causam habeat.

II. Faciliùs certiùsque judicatur de Præeminentia Dignitatis Beneficialis, quàm de Præeminentia meritorum; ideoque convenientius est, ut ratione prioris assignetur sedendi locus, quàm ratione posterioris.

III. Ubi quis idem Officium eodem tempore duobus commisit, illosque pares in Officio esse voluit, jam non pendet ex voluntate illius, ut alius alium præcedat; sed æquus Judex digniori priorem Sedem assignare debet:

Hinc si ex duobus Vicariis Generalibus eodem tempore commissis & receptis, alius Canonicus, alius Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, vel alius Decanus Ecclesiæ Collegiatæ, alius simplex Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel alius Abbas, sive Commendatarius, sive Titularis, alius verò Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ, Vicarius, Canonicus Vicario, Archidiacono sub-
sidere

fidere deberet. Idem dicendum de Vicario Decano, & de Vicario Abbate erga Collegas suos. Cùm ergo rationes decidendi, oppositas destruant, illis respondere necesse non est.

Quæstio V.

Quæritur V. An Vicarius Generalis, Ecclesiæ Cathedralis Præpositus, Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ Vicarium Generalem, & in alia Diœcesi Abbatem, præcedere debeat?

Dubitandi Ratio: Si Poloniæ Rex, Princeps quoque Saxonum Circulo Germanico adesset, nulla haud dubiè Dignitatis ipsius Regiæ ratio haberetur, quia Imperialis non est: Ita si Archidiaconus Aureliansis Abbas Gemblacensis Synodo Aureliansnsi ut Vicarius Generalis adesset, Abbatiæ illius nulla habenda ratio videretur. Attamen contrariam sententiam præferendam videri ducimus; nam ut Abbas alium Prælatum inferiorem præcedat, non attenditur, in qua Diœcesi sita sit Abbatia, sed ipsa Abbatiæ Dignitas consideratur; hac enim in re Abbatiæ situs est quid merè extraneum; eodem plane modo quo Archiepiscopus Claudiopolis factus Vicarius Trevirensis Synodo Trevirensi adesset, Præpositum præcederet, etsi ipse Canonicus tantùm esset, idque, quia Episcopus cujuscumque Diœceseos sit, Præposito cuivis præeminet.

Non obstat allatæ paritati *quòd Vicarius Trevirensis & Archiepiscopus* Claudiopolis *cum Vicario* Aurelianensi *& Abbate* Gemblacensi *ejusdem Ordinis non sit*: In instituta siquidem comparatione considerator tantùm Diœceseos diversitas. Excipiendæ Regiones in quibus prima Dignitas Cathedralis præcedit Vicarios Generales. Cæterum agnoscimus priorem sententiam non carere solido fundamento.

Quæstio VI.

Quæritur VI. An Archidiaconus præcedere debeat Vicarium Generalem?

Dubitandi Ratio: Archidiaconus ex Dignitate suâ habet quòd Vicarius sit; Vicarius verò id tantùm habet ex commissione; Dignius autem est ex se ipso aliquid habere, quam ex sola commissione possidere.

Prætereà Archidiaconi Dignitas est perpetua, Vicarii verò non perpetua, ut potè à sola Episcopi voluntate pendens. Demum Archidiaconus est Officialis necessarius, Vicarius verò voluntarius; sunt enim, quæ sine Archidiacono facere non potest Episcopus; nihil autem est quod per Vicarium facere teneatur, nisi sit impeditus, vel aliàs incapax.

Contrarium tamen sentiendum videtur; nàm I. Plerique Archidiaconi nullam exercent Jurisdictionem; qui aliquam exercent, illam habent tantùm in aliquam Diœceseos partem; nec Episcopi exercent Jurisdictionem, sed propriam; unde ab ipsis ad Episcopum appellatur: Vicarius verò Generalis in tota Diœcesi Episcopi exercet Jurisdictionem, ita ut ab illo ad Episcopum appellare non liceat.

II. Verum quidem est, Archidiaconum Episcopi Vicarium natum esse; sed de illo Vicario erga Vicarium Generalem idem plane est ac de Legato nato, qui Legationis jure non potitur, comparato cum Legato ex commissione Legationem exercente suam.

Quæstio VII.

Quæritur VII. An Abbas Episcopo subjectus Vicarium Generalem præcedere debeat?

Pro Abbate dici potest: I. Abbatem Episcopo quodammodo æquiparari, illumque pænè esse erga Regulares, quod Episcopus erga Sæculares: II. In Jure pluties nominari Abbates immediatè post Episcopos; ut videre est *Cap. 15. De Off. Deleg.* Cap. 9. *De Off. Jud. Ord. in 6.* III. Abbates ornamentis Pontificalibus gaudent, & quædam Ordinis Pontificalis munia exercere possunt, ut Ordines Minores conferre, Calices consecrare: IV. Abbates benedicuntur: V. Conciliis Generalibus adesse, in iisque vocem definitivam habere possunt.

Vicarii causa sic defendi potest. Vicarii & Episcopi una videtur esse persona, idem utriusque Tribunal, exhibitus Vicario honor in Episcopum resilit. Vicarius Episcopum repræsentat, ideòque vel secundam sedem, dum præsens est Episcopus, vel primam, si absens sit, occupat. Qui vices alicujus gerit, illius locum occupare debere suprà dictum est; si Abbas Vicarium præcederet, Superiorem præcederet suum; Vicarius enim, cùm Episcopi Jurisdictionem habeat, eosdem haber pro sub litis, quos habet Episcopus; absente Episcopo vel impedito Cœtus Ecclesiasticos convocat Vicarius, atque in illis Episcopi vices gerit; quomodo ergo in eisdem Abbas poterit Vicarium præcedere, quin Episcopi deprimatur autoritas? Allatis utrimque Rationibus benè perpensis, Vicarii causa superior esse dicitur.

Quæstio VIII.

An certum sit Jure Divino primam Sedem digniori, ea ratione qua dignior est consideratus, deberi in Cœtibus Ecclesiasticis?

Dubitandi Ratio: Sessionis honor adeò pendet ex Consuetudine, ut introduci possit digniorem postremo loco sedere; imò tam introductum sit, ut in supplicationibus publicis dignior postremus incedat & in Choro remotiorem ab Altari locum occupet: Nulla Divina Lege Sessionis honor præscribitur: cùm ex moribus hominum is pendeat, idcircò hominum determinationi relictus est; Christi Lege, qui major est, aliorum Minister esse debet, ideoque non oportet ut præsit, sed ut prosit; si filius Monachus fiat, antequam pater eamdem professionem in eodem Monasterio amplectatur, succedente tempore filius præcedet patrem, etsi Jure Divino filius Patre minor sit: Ergo Sedes in Sacris Cœtibus digniori, etiam Jure Divino, non semper debetur, ea ratione qua dignior est consideratus.

Contrarium sentiendi causæ hæ sunt.

I. Quandocumque alicui Sedes honorifica assignatur, id fit, ut debita ipsius Dignitati exhibeatur reverentia; unde si honorabilior majori Dignitate non assignetur, minor, quàm debeatur, exhibetur reverentia: Ideoque in illam tàm Naturalem, quàm Divinam Legem peccatur, quæ præcipit, *Ut suum cuique Jus reddatur*; quæque à Jurisconsultis inter prima Legis Humanæ Præcepta, atque principia collocatur, necnon in illam à Divo Paulo commendatam, hisque conceptam verbis, *Cui honorem*, cujus sensus est, ut debitus cuique honor exhibeatur.

II. In qualibet Dignitate bonos ab onere separari non debet; munus autem est onus; Præcedentia, Præsidentiaque honos est; qui ergo munere fungitur, honore debito frui debet; hoc autem totum ex Jure Naturali, Divinoque fluit, quod præcipit, ut commodum sentiat, qui sentit incommodum.

Non

Non obstant *Rationes opposita*: Ex consuetudine non pendet, ut honorabilior locus minùs digno detur; sed ejus est determinare, quis honorabilior locus habendus sit. Nulla quidem Lege Divina expresse, distinctè, & nominatim præcipitur, ut digniori dignior locus assignetur, sed extant ex quibus id clarè infertur; quales, quæ suprà allatæ sunt. CHRISTI Legis sensus est, ut Prælatus Ecclesiasticus non præesse, sed prodesse quærat, seu ut Prælatus, in suscipienda vel exercenda Prælatura, honores hinc percipiendos non inspiciat, sed subditorum profectum, aliumque, quàm Pharisæi, qui animarum lucrum non curantes, primas Sedes ambiebant, animum habeat.

Filius professione Religiosa, quam patet, antiquior, Patrem præcedit; quia in Monachorum Cœtibus non ordo naturæ, sed gratiæ consideratur: Hic omnes habentur, ut fratres; qui priùs receptus est aliorum natu major est, hinc filius prædictus patre suo major est.

QUÆSTIO IX.

Quaritur an Consuetudine introduci possit, ut Senatores quoad majorem partem Laici in Ecclesia ipsius Choro pracedant plerosque illius Canonicos, eaque sit Canonica?

DUBITANDI RATIO: Laïci aliàs à Chori ingressu arcebantur, à fortiori nunc saltem arcendi essent à Sedibus Canonicorum Corpori destinatis. Cujusvis Ecclesiæ Ministris præcipuis debentur præcipui honores qualia sunt superiora subsellia; Canonici verò in Ecclesia sive Cathedrali, sive Collegiata præcipui sunt illius Ministri. His non obstantibus videtur, quod hujusmodi Consuetudo nulli Canoni, qui abrogari non possit usu contrario, non adversatur; quia eo casu Canonici, ut & Dignitates Senatoribus præsidentes, totum Canonicorum ac proinde præcipuorum hujus Ecclesiæ Ministrorum Corpus exhibent; unde qui subsident Senatoribus, iisdem præsidere reputantur, ut pars inclusa in Corpore Canonicorum, quod præcedit in præcipuis membris.

Hujus Consuetudinis origo hinc educi posse videtur, quòd cùm inter Senatores essent nonnulli Canonici Collegæ illorum, ut Dignitas Senatoria in Collegis singulari honore gauderet, in subselliis superioribus post Dignitates & paucos Canonicos admiserunt.

Alii etiam huic Consuetudini tribuunt originem, petuntque ex Sede honorabili concessa Patronis Laïcis in Choro, tàm pro suis, quàm pro seipsis; idque ex eo quod sunt Ecclesiæ Benefactores & Defensores, cujus defensionis participes, cùm sint Senatores, æquum visum fuit, ut simili Privilegio gauderent. Sed refelluntur ex differentia, quæ hac in re inter utrosque occurrit, cùm Patroni Sedem honorabiliorem non habeant, nisi post Clericos & inter Laïcos, Senatores verò nonnullis Clericis, etiam ex præcipuis, præponantur.

APPENDIX AD TITULUM DE PAROCHIS *è Corpore Juris desumptum, qua desiderati in eo Canones aliundè deprompti exhibentur.*

Summa seu Consilium Operis.

Canones Curatum respicientes sub his Titulis colligentur, ubi actum est de origine hujus nominis *Curatus*.

I. A quo teneat animarum curam: II. Requisita in Parocho. III. Parochi in Clericos Parochiæ potestas, & ad quæ erga illos teneatur. IV. Officia & Jura Parochi.

Cùm autem circa utraque plurimi sint Canones illa spectantes, in tot §. subdividentur, quot sunt præcipua Officia, vel Jura; sed priùs circa nomen aliquid colligendum.

I.

CAPUT I.

De Nomine.

Curatorum nomen, ne in Residentia desideant, curæ animarum eos memores efficiat. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581.

Emuntur & venduntur Curæ Pastorales, scilicet Ecclesiæ Parochianæ, tam à Laicis, quàm à Clericis; insuper etiam à Monachis; quod ne amplius fiat, interdictum est. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1012. Cap. 13.

Rectores, seu Curati Parochialium Ecclesiarum, Parochianos suos autoritate propria excommunicare non possunt pro jure suo. *Conc.* TURON. *ann.* 1230. C. 6. Qui Canon ita inscribitur, *Ut Curati ipsi &c.*

CAPUT II.

A quo teneat animarum Curam?

§. 1. *Canones XI. Priorum Saculorum.*

Ex colligendis sub hoc Capite Canonibus patebit, à CHRISTO ad nos semper creditum animas curandi potestatem in Episcopis potissimum residere, aliosque ab Ecclesia accipere; sed prius notandum, Canones deficientes ad perficiendam seriem Traditionis, collectos reperiri sub Titulo *De Dimissoriis ad suscipiendos Ordines, vel ad exercendos jam susceptos*; nam potestas ordinandi, & potestas permittendi ut exerceantur Ordines, ex potestate curandi animas emanant, tanquam rivuli è fonte suo. Hùc etiam faciunt Canones de Titulo Clericali, ad usque sæculum XII. Ordinaria animas regendi potestas ex hoc Titulo nata est, & Titulus ab Episcopo cum Ordinibus susceptus est.

I. Pro aliqua necessitate Presbyteri illi, quos Episcopus constituerit in qualicumque loco, licentiam habeant baptisandi. *Conc.* VERNEN. *ann.* 753. Cap. 7.

II. Omnes Presbyteri, qui in Parochiæ Diœcesi sunt, sub potestate Episcopi esse debent, & de eorum Ordine nullus præsumat baptisare, nec Missas celebrare sine jussione Episcopi. *Ibid.* Cap. 8.

III. Præcipimus, ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat; nam si pretiosæ hominum animæ fidei ejus committendæ sunt, multò utique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare &c. *Cap.* 40. *Apost.* desumptus videtur è *Conc.* ANTIOCH. *ann.* 341. *Cap.* 24. in quo hæc leguntur: *Quin etiam administrari res Ecclesiæ convenit cum judicio & potestate Episcopi, cui omnis populus commissus est, & animæ eorum, qui in Ecclesia congregantur.*

IV. Ut nullus vagantem ex aliena Parochia audeat recipere, aut secum commorandi, aut Missam celebrandi causa, nisi permissione nostra; nec ullius Ecclesiæ aut Plebis gubernacula suscipiendi, nisi præveniente conscientia nostra; qui secùs fecerit excommunicabitur. *Capitul. Abiton.* BASIL. *Episcopi n.* 13. IX. *sæcul.*

V. In numerum Subdiaconorum ne referte priùs, quàm ad nos retuleritis; vel scitote, Laïcum futurum, qui sine nostra sententia in Ministerium admissus fuerit.

VI. BASIL. Chorepiscopis, quid de Parocho Ministro Sacramentorum dixisset (vixit IV. sæculo) Veraciter nosse debetis & semper meminisse; quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est. THEODULF. AUREL. *ann.* 797. ad Parochos suos *n.* 1. iisdem paulò post dicit: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum*: Quibus verbis ostenditur, Parochos non esse comprehensos sub illa voce *Nos*; sed solos Episcopos; quia dicuntur esse in primo gradu.

VII. RICULF. SUESS. *ann.* 889. *n.* 1. idem ponens discrimen inter Episcopos & Parochos, insinuat istos institutos, ut sub Episcoporum imperio animas regerent. Idem clarè docet *Concil.*

Taos-

TROSLATA. 909. dicens: *Episcopos irritaturos iram Dei sibi imminentem, propter populorum sibi commissorum ignorantiam, si per seipsos aut per Parochos, quos Consacerdotes secundi Ordinis vocat, instruant.* C. 15.

VIII. CAROLUS MAGNUS in Edicto circa annum 800. arguit Comites, quòd Presbyteros Ecclesiis suis præficiendos Episcopo non præsentarent, in LIB. VII. *Capitulariorum n.* 145. Curatis præcipitur, ut singulis annis rationem reddant Episcopo Ministerii sui. Habetur etiam LIB. V. *Cap.* 2. quod desumitur è *Capit.* 744. Citat IVO *Part. 6.* Cap. 246. ex *Conc.* MOGUNT. sub RICULFO celebrato *ann.* 813. *Cap.* 2. in quo non est.

IX. *Concil.* BITURICENSE 1031. C. 22. ut nullus Laïcus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, ac sit in manu Episcopi sui, quia Episcopus curam animarum debet unicuique commendare Presbytero de Parochiis Ecclesiarum singularum.

Objectio contra præcedentia testimonia.

Non adversatur collectis Sæculi IX. testimoniis *Can.* 1. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo JOANNES VIII. *anno* 872. concedit Monachis, ut in possessis à se Ecclesiis Sacerdotes instituant; nam vel loquitur de simplici Sacerdotum Parochialium institutione, quæ idem est ac Collatio pleno jure, relicta tamen Episcopo ut mos erat, institutione autorisabili, & in eo sita, ut ab Episcopo animarum cura accipiatur; vel loquitur de Ecclesiis non Parochialibus; id autem inferre licèt ex eo, quòd sermonem faciat de Ecclesiis pro quiete Monachorum, *id est*, ut pro se suisque Sacrificium offerant, aliaque Divina Officia tranquillè celebrent. Proposita siquidem Quæstio his concepta est verbis: „ Utrum „ Ecclesiæ pro quiete Monachorum à Sanctis Conciliis „ Catholicis, quæ Episcopis eis traditæ, per Sacerdo„ tes ab eis ordinatos & investitos debeant institui „?

§. II.

Continuatio Canonum circa fontem è quo fluit potestas Curatorum quoad animas ab XI. Sæculo ad XVII.

I. Nullus omninò Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpositus, aut Decanus, animarum curam sine consensu Episcopi alicui tribuat; imò, sicut Sanctis Canonibus constitutum est, animarum cura in judicio Episcopi & potestate permaneat. Si quis contra hæc facere præsumpscrit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur. *Concil.* LATERAN. *sub* CALIXT. II. *ann.* 1122. refertur CAUS. XVI. QUÆST. VII. *Can.* 2. Idem quoad sensum habetur *Can.* 18. *ejusdem Concilii*: Non extat antiquior *Can.* qui de simili usurpatione mentionem fecerit.

II. In illis Ecclesiis, quas hactenus habuerunt absque calumnia, in justitia reditus, Beneficiaque obtineant: Presbyter tamen de cura animarum & de Christianitatis Ministerio Episcopo respondeat. *Concil.* PICTAV. 1078. *Cap.* 6. loquitur de Abbatibus habentibus Ecclesias Parochiæ sibi subditas.

III. Nullus Presbyter Capellanus alicujus Laïci esse possit absque concessione sui Episcopi. *Concil.* CLARAMONTAN. *Cap.* 18. 1095. idem subdit expressè de Principe, quod de Laïco dixit. In Ecclesiis suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent Presbyteros Episcopo præsentent, ut eis quidem de Plebis Cura respondeant. *Concil.* LONDUN. 1200. *Cap.* 14. loquitur de Hospitalariis, quod hîc insinuatur de Ecclesiis pleno jure ad Hospitalarios pertinentibus; in eis scilicet inconsulto Episcopo suscipi posse curam animarum; explicandum est per C. 4. TOLET. XIII. 1324. docet enim duplicem distinguendam institutionem: Aliam quæ Beneficii titulum conferat, & hæc in Ecclesiis ad alios pleno jure pertinentibus quàm Episcopos, ab alio quàm Episcopo fieri potest: Aliam verò qua quis approbatur ad curam animarum, & hæc quæ vocatur autorisabilis, à solo Episcopo accipitur.

IV. Statuimus, quod septem Canonici, qui in Villa BRIOCENSI Præbendas suas percipiunt ad Parochiam BRIOCENSIS Ecclesiæ Vicarium unum eligent, quem Episcopo præsentabunt, & qui ab eo curam animarum accipiet. *Decreta* JUHOLLI *Archiepiscopi* TURON. 1233. CONC. TOM. XI. *p.* 476.

V. Personæ Ecclesiasticæ in Ecclesiis Parochialibus instituendæ, cùm sequenti solemnitate instituantur: 1. Vacante Ecclesia infrà tempus à Jure statutum, instituendus à Patrono Clerico vel Laïco, Archidiacano vel Decano rurali præsentetur, & posteà Diœcesano, vel alii Jus Episcopale habenti, qui antequam tradat personæ instituendæ curam animarum ab eodem priùs recipiat juramentum, quod nihil promisit vel dedit, nec alius pro eo, quod sciat, pro illo Beneficio obtinendo, & si sciret, quod aliquid datum esset, vel promissum, dimitteret: His expletis, Diœcesanus, vel alius Episcopale jus habens, tradat eidem curam animarum, si aliàs idoneus habeatur, quâ traditâ, iterùm jurabit quod Diœcesano & Magistris suis obediens erit, & si ista forma fuerit omissa, institutio fiat irrita. *Conc. Apud Castrum.* GONTER. *ann.* 1237.

VI. Item decretum est, ut nullus Laïcorum alicui Presbytero suam commendet Ecclesiam, præter concessum Episcopi; sed eum priùs mittat Episcopo suo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate, moribus, talis sit, ut sibi populus Dei commendetur. *Concil.* SALEGUNSTADIENSE Cap. 13. 1122.

VII. Sanè quia Monachorum quidam Episcopis sua auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio, Presbyteros collocent; sed Episcopi Parochiæ curam, cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut hujusmodi Sacerdotes de Plebis quidem cura Episcopo rationem reddant; Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic cuique sua jura serventur. *Concilio* CLAROMONTANO 1095. CONC. TOM. X. *pag.* 589.

VIII. Rectores Ecclesiarum, qui in Scholis, vel alibi, de nostra licentia sunt absentes, bonos & sufficientes substitutos dimittant, nobis primitùs præsentatos *Cap.* 10. COPRINIAC. *in Provincia* BURDIGAL. 1260.

IX. Vicarii non ponant pro se Sacerdotes Conductitios, nisi de speciali licentia nostra. ALEX. *Episcopi* CONVANTRENSIS *constitutio anno* 1237. Cap. *De Aquâ Benedictâ.*

X. Nonnulli Ecclesiarum Rectores alienas Parochiales Ecclesias præcipiunt deserviendas, quod propriæ illorum Ecclesiæ, & aliæ deserviendæ, sic receptæ defraudarentur debito servitio, & quia nostra interest super hoc remedium adhibere, hoc fieri de cætero sub pœna suspensionis inhibemus. *Synodus* ANDEGAV. 1274. *Conc.* CASTR. GONTER. 1231. *Stat. Synodus Ecclesiæ* TRIDENTINÆ.

XI. Prohibentes ne talium Curatarum Ecclesiarum Rectores de cætero absque Diœcesanorum consensu, quibus Ecclesiæ ipsæ subsunt, aliquos instituant, vel institutos in eis sustineant: Qui contra fecerint, proventibus Ecclesiæ per annum sint ipso Jure privati, dictique fructus de Mandato Diœcesani Episcopi in libro Ornamentorum Ecclesiasticis ad opus ejusdem Ecclesiæ irrevocabiliter expendantur. *Conc.* BIDON. *ann.* 1279. C. 16.

XIII. An aliqui se gerant Rectores vel Vicarios, qui non sunt per Episcopum instituti, inquisitiones per Archidiaconos LINCOLN. faciendæ. Cap. 39. *ann.* 1233.

XIV. In Beneficiis, quibus licet per Vicarios deservire, volumus sic servari, ut veri idonei loci Episcopo præsententur, qui per se, vel per alios Episcopos in Vicariis perpetuis sufficientem eis de Ecclesiarum reditibus Portionem constituat, alioquin singuli Episcopi trimestri elapso providere curabunt. *Concilium* SALTZBURG. 1264.

XV. Ne Monachi in Ecclesiis Parochialibus deserviant, nisi ab Episcopo in casibus permissis curam receperunt animarum. *Concil.* Turon. *ana.* 1239. Cap. 13.

XVI. Ne quis Capellanum capiat vel habeat in Ecclesia sua, nisi nobis vel Mandato nostro speciali præsentatum, & à nobis vel Mandato nostro receptum. *Synodus* Andsg. *ann.* 1262. *Synod.* Nemausensis *ann.* 1284.

XVII. Prohibemus, ne aliquis Prior, vel Rector alicujus Ecclesiæ, sive Regularis fuerit, sive Sæcularis, præsumat in Ecclesiam suam ponere aliquem Capellanum ad curam animarum exercendum sine nostro consilio & consensu. *Ead. Synod.* Cap. ult.

XVIII. Inhibemus, ne Rectores Ecclesiarum Parochialium Sæculares, vel Religiosi, Subcapellanos, vel Presbyteros ad executionem potestatis Sacramenta administrandi in Ecclesiis suis admittant, & ne ipsi Subcapellani earumdem executionem usurpent sine necessaria speciali licentia, sub pœna trimestris excommunicationis ipso facto ab utrisque incurrendæ. Gallerus *Episcopus* Pictavus *ann.* 128n. Nemaus. *ann.* 1284.

XIX. Inhibemus, ut nullus Sacerdos celebrare præsumat donec loci Ordinariu fuerit præsentatus, & per ipsum, ut convenit, approbatus; quod etiam de Capellanis Magnatum intelligi volumus, quibus Confessiones audire, Pœnitentias dare, aut alia Sacramenta ministrare, firmiter prohibemus. *Cap.* 39. *Synodus* Wigorn. *ann.* 1240.

XX. Presbyteri quoad curam populi per Monachos in eorum Ecclesiis præsentetur Episcopis, & instituantur ab ipsis, cùm debeant esse perpetui, Consuetudine vel Statuto quovis non obstante contrario; ab eisdem nequeunt Ecclesiis, nisi per Episcopos, & ea causa rationabili, amoveri. *Cap. unic. De Capell. Monach. in 6.*

XXI. Cùm de Jure nullus Sacerdos alteri subditum sine sui Superioris commissione, seu licentia, solvere valeat, vel ligare: Nos quamdam Consuetudinem, seu potiùs abusionem animarum, plenam periculis, quod videlicet Sacerdotes aliqui per nonnullos Prælatos Sæculares, seu Regulares, quibus in certis Ecclesiis Parochialibus Rectorum institutio de Consuetudine competit, in eisdem Ecclesiis instituti, sine sui Episcopi autoritate, commissione, vel licentia Parochiales Ecclesiarum ipsarum, qui ipsius Episcopi subditi esse noscuntur, præsumunt solvere & ligare in præjudicium animarum suarum &c. *Conc.* Raven. IV. *Cap.* 2. *an.* 1317.

XXII. Inter Episcoporum sollicitudines illa debet esse præcipua, quæ versatur circa Curam, seu Regimen animarum, quæ in Episcoporum potestate consistunt. Propterea ne astutia Satanæ eos decipiat, propter Rectorum ignorantiam vel defectum, & sanguis subditorum de eorum manibus requiratur: Statuimus Sacro approbante *Concilio* quod nullus in Curato Beneficio administret, donec in eo per Diœcesanum Episcopum institutione autorisabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum: Alioqnin jure quod habebat in prædicto Beneficio, non obstante contraria Consuetudine, sit privatus. *Concilio* Tolat. *Cap.* 4. *ann.* 1324.

XXIII. Quia aliqui plerumque in Parochialibus Ecclesiis instituuntur per alios, quàm per Diœcesanos, sine autoritate ipsorum, statuit idem *Concilium*, quod quoties aliquem, sic de cetero institui continget, institutus infrà 40. dies à tempore corporaliter adeptæ possessionis, coram Diœcesano seu Vicario comparere debeat personaliter, fidem facturus debitam de titulo, si quem habet in Beneficio sic adepto, ac præstiturus de obedientia, fidelitate & Residentia, & aliis consuetis, debitum & solitum juramentum. *Concil.* Rothom. Cap. 9. *ann.* 1335.

XXIV. Præsentari ab alio, quàm ab Ordinario cui de Jure competit in Ecclesia Parochiali se institutus nullatenus patiatur. *Concil.* Aventino. *ann.* 1324. Cap. 31.

XXV. Nullus Clericus vel institutus in Ecclesia Parochiali à Clerico vel Laico administrare præsumat, donec à Diœcesis Episcopo curam perceperit animarum, quacumque Consuetudine contraria non obstante, quæ potiùs dicitur corruptela: Quicumque contrarium fecerit, ipso facto, jure quod habet, vel habere credit, sit privatus ea vice. *Concil.* Vaur. *ann.* 1368. Cap. 78.

XXVI. *Concil.* Saltzburg. *ann.* 1420. *Cap.* 25. supponit, quoscumque Parochos ab Episcopo, ejusve Ministris, qualis Archidiaconus & Vicarius Generalis, accipere curam animarum; hæc enim habet loquens de Curatis, tàm Religiosis quàm Sæcularibus.

„ Inhibemus, ne quis alienum Parochianum cujus „ Cura per Episcopum vel Archidiaconum, seu ejus „ Vicarium alii est concessa „: Eodem modo interpretandi sunt Canones alii, qui Archidiacono aliisque hujusmodi facultatem committendi, vel curam animarum tribuere videntur. Interpretationem hanc confirmat *Concilium* Colon. *ann.* 1536. *Part.* 1. Cap. 12. docens Archidiaconum nomine Episcopi examinare præsentatos ad Parochiarum Regimen: Hæc enim habet: *Archidiaconi nostri, ad quorum curam inter alia pertinet, ut nostro nomine Parochias ordinent, & Ministris Ecclesiæ ipsis præsentatos inquirant, sciant sui muneris esse negligentiam Patronorum supplere.*

XXVII. *Concil.* Narbon. *ann.* 1551. *Cap.* 31. loquens de institutione autorisabili vice Curati, illam uni tribuit Episcopo, ejusque Vicario: „ Cogantur Sa„ cerdotes omnes, Regulares sive Sæculares sint, qui „ animarum curam susceperint, quantumvis magnum „ in Ecclesia honorem adepti, Episcopis vel eorum Vi„ cariis Generalibus singulis annis offerre ad eas regen„ das, administrandasque Ecclesias, nisi in excommuni„ cationis sententia incedere velint „.

XXVIII. Rector sit aut Vicarius, Mercenarius an ordinaria autoritate admissus necne. *Conc.* Colon. I. *an.* 1536. *Part.* 14. Cap. 9. *Idem Concil. Part.* 4. *Cap.* 6. vetat, ne quis Vicariatus fiat absque examine & permissu Episcopi.

De Ecclesiis Parochialibus.

XXIX. Si qui sint instituti provisi, vel etiam per Apostolicam Sedem, nihilominus Diœcesani eos examinent, & si minùs idonei inventi fuerint, ad administrationem Beneficii non admittantur; sed loco eorum per Episcopos constituantur Vicarii idonei, quibus congrua Portio assignetur. *Ex Concil.* Senon. *ann.* 1528. Cap. 8.

XXX. Non liceat Curato in sua absentia deputare Vicarium in Ecclesia sua Parochiali ad administrationem Sacramentorum, nisi fortè ad paucos dies, ut puta ad summum per 12. aut 15. dies, sine nostra, aut Vicariorum nostrorum commissione. *Synod.* Carnot. *ann.* 1526.

XXXI. Inhibemus, ne aliquis curam animarum exercere faciat per Presbyteros, Subdiaconos, seu Allocatos nominatos, cessante necessitate, nisi prædicti fuerint per nos approbati. *Ibid.*

XXXII. Prælati, quibus est potestas conferendi pleno jure, conferunt Ecclesias Parochiales, nullo præcedente examine: Censuimus hanc rem ad Summum Pontificem deferendam, petendamque Sedis illius provisionem irritantem tales Collationes, quas vocant *pleno jure*, nisi præcedat Episcopale judicium. *Conc.* Colon. II. *ann.* 1549. Conc. Tom. XIV. *p.* 641.

XXXIII. Statuimus juxtà Apostoli sententiam, quæ dicit: *Nemini citò esse manum imponendam;* ne cui temerè cura animarum committatur; itaque probentur priùs per Episcopum vel ejus Officialem etiam Religionem professus; nec liceat ulli, Vicarium Ecclesiæ & Plebi suæ sufficere, sine autoritate Episcopi aut Vicarii. *Constit. ad Cler. German. n.* 10. *anno* 1524.

XXXIV. Curati admoicularios Sacerdotes non recipiant, ad Ministerium Sacramentorum & reliqua munera

munera quacumque mercede, nisi Episcopo oblati, acceprique ab eo, & approbati fuerint, & ejus concessionis literas habeant, & Pastoribus ostendant. *Concil.* Camer. *ann.* 1565. *Tit.* 7. *Cap.* 7. Hujus autem rei hanc affert rationem Can. præcedens, quoniam populus ejus Curæ commendatus est, à quo iidem Rectores potestatem, quam vocant *Curam animarum*, accipient. Loquitur de Vicariis in Curis unitis collocandis.

XXXV. Curam animarum non præsumant Sacerdotes, nisi titulum Parochialis Ecclesiæ, vel aliàs munus Curæ animarum ab Ordinario obtinuerint, aut aliàs Canonicè obtentum, scilicet à Papa, eidem exhibuerint, ut noverit Episcopus à quo animarum sibi commissarum rationem est petiturus. *Concil.* Narb. *ann.* 1609. Cap. 32.

XXXVI. Ne quis virtute cujuslibet Indulti aut cujusvis tituli primitivi, Parochi, Præpositi, aut alterius qualitatis prætextu, quælibet Sacramenta administrare possit absque prævia approbatione Ordinarii, & licentia obtenta. *Concil.* Burdigal. *ann.* 1624. *Tit.* 5. *n.* 6. *p.* 2.

XXXVII. Cùm satis absurdum sit & SS. Patrum Institutionibus alienum, ut Archidiaconi propria autoritate curam animarum committant, ægrè nimis ferimus quod tu, sine Mandato Episcopi tui, personis curam animarum committis .... Mandamus ut nemini de cætero sine licentia, & Mandato Episcopi tui, curam animarum committere præsumas. Alex. III. Cap. 3. *De Institut. in prima Collect. Archid.* Haltenit *in Anglia* scribit: *ab anno* 1159. *ad ann.* 1181. Pontifex fuit. Canoni huic adjungi potest *Cap.* 1. *De Capell. Monachor.*

XXXVIII. Curati non instituantur, nisi idonei & ab Episcopo probati. *Concil.* Bitur. *Tit.* 35. Cap. 1. *ann.* 1584.

XXXIX. Et quoniam non raro accidit, ut Presbyteri & Clerici Beneficia Curata absque institutione, seu commissione vel nostra, vel Vicarii nostri, de facto occupent, atque nulla ligandi vel absolvendi potestate præditi populum Dei decipiant, volumus & mandamus, ut quilibet Decanus, vel Camerarius in Capitulo proximo sui Decanatûs literas hujusmodi commissorum sibi petat exhiberi, nobisque aut Vicario nostro, si quis nullas habuerit, intra mensis spatium significet. *Synodus* August. *ann.* 1548. Cap. 8.

XL. Cogantur Sacerdotes omnes, sive Regulares sive Sæculares sint, qui animarum curam susceperint, quantumvis in Ecclesia honorem adepti, Episcopis vel Generalibus eorum Vicariis, singulis annis offerre ad eas regendas, administrandasque Ecclesias, in quibus perpetuò residere non tenentur ob Juris relaxationem, propter legitimas causas, Ministros, qui eorum munere fungantur, idoneos, & qui susceptæ Provinciæ possint respondere. *Concil.* Narbon. *ann.* 1551. Cap. 31.

Ex collectis in hoc *Capite* testimoniis sequitur, impetratas à Sede Apostolica provisiones in forma *dignum* de Beneficiis Curatis dirigendas esse ad solum Episcopum Diœcesanum, ideoque id ita faciendum judicarunt Innocentius X. & Alex. VII. Hinc etiam confirmatur *Art.* 3. *Edicti De Jurisdictione Ecclesiastica ann.* 1695. qui subjicit examini Episcopi quoscumque provisos, etiam in forma gratiosa, de Beneficiis animarum curam habentibus, ut ab illo illam recipiant. Hine quoque potestas Episcoporum derogandi potestati Parochorum, modo tamen subsit justa causa, cùm sit Ordinaria, dumtaxat illi subordinata, & per Canones, quos Episcopi observare tenentur, præstituta.

Caput III.

Requisita in Parocho, nempe, Ætas, Scientia, Mores, Ordo Sacerdotalis.

§. I.

De his omnibus permixtim.

I. In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur; sed Capellanus, qui populum regat ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur; ita ut ex solius Episcopi arbitrio, tam Ordinatio ejus quàm Depositio, & totius vitæ pendeat conversatio. Urban. III. *ab anno* 1185. *ad annum* 1187. *in* Cap. 1. *De Capell. Monach.* Errat Pith. dum notat Urbanum III. hunc condidisse in *Concil.* Claromontano, cum nullum *Concilium* hujus nominis sub Urbano III. celebratum sit, nec reperiatur quid simile in hoc *Conc.*

II. Idem dixerat *Concil.* Rothom. *ann.* 1074. *Cap.* 5. ut nulli Monacho Parochia regenda committatur. Non desunt alii Canones huc facientes, quod videre est apud Gratianum Caus. XVI. Quæst. I.

III. Licèt aliquis ad Personatum Parochialis Ecclesiæ non debeat, nisi Subdiaconus, admitti, dispensativè tamen in Minoribus Ordinibus constituti consueverunt admitti, dummodo tales sint, qui, infrà breve tempus, Subdiaconatum, vel Diaconatum recipere possint. Alex. III. *Episcopo Lexo. Append. post Concil.* Lateran. *Part.* 25. *C.* 5. In hoc Parochus tunc ab Episcopo differebat, cùm ad Episcopatum nullus assumi poterat, nisi saltem Subdiaconus esset.

IV. Prohibemus, ne quis instituatur in aliqua Ecclesia, cui sit cura animarum annexa, nisi loci illius loquatur & intelligat idioma, & si contra præsumptum fuerit, institutus privetur Beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illa vice. *C.* 61. *Concil. apud Castrum* Gonter *ann.* 1231.

V. Quia circa majora periculum vertitur, præcipimus quod animarum cura personis idoneis committatur; talibus enim sunt Ecclesiæ Parochiales concedendæ, qui verbo possunt proficere pariter & exemplo. *Concil.* Bitur. *an.* 1246. Cap. 35. *Conc.* Avenion. *ann.* 1209. Cap. 14.

VI. Quia quidquid agimus debet tendere, ut animarum saluti provideatur; præcipimus Archiepiscopo & Episcopis, ut in suis Ecclesiis Magistros Capellanos, qui curam animarum agere teneantur, tales instituant, qui alicujus literaturæ existant; ut Artium Artis, curæ videlicet animarum, aliquam habeant peritiam & tanquam dociles ad studium excitentur. *Constitut.* Nicosien. *ann.* 1248. *n.* 4.

VII. Statutum antiquum invenimus editum per hæc verba: *Statuimus ut Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, ad Regimen Parochialum Ecclesiarum præsentati in Ecclesiis, per Diœcesanum instituti, fructibus non gaudeant, donec fuerint in Sacris Ordinibus, sed in utilitatem Ecclesiæ, secundùm quod Diœcesano expedire videbitur, convertantur. Conc.* Bitur Cap. 5. *an.* 1285. Similis lex est, quæ Canonicos in minoribus constitutos nonnullis juribus privat, utriusque idem finis, ne promotio negligeretur.

VIII. Cùm sit Ars Artium Regimen animarum, juvenibus & inexpertis committere illud reputamus absurdum valde, donec per merita virtutum & experientiam diutinam digni efficiantur ad tanti oneris sarcinam supportandam: Quapropter statuimus ne quisquam Presbyterorum primo ordinationis suæ anno, ad curam Parochiæ ullatenus admittatur, illis tamen duntaxat exceptis, qui tenentur propriis Ecclesiis deservire. *Synod.* Exon. *ann.* 1287. Cap. 16.

IX. Nullus Episcopus exerceat (conferat) Curatum Officium, nisi præmissa summariè causa cognitionis vitæ & morum. *Concil.* Marciac. *ann.* 1326. C. 1.

X. Nullus Clericus ad curam animarum admittatur, nisi juraverit quod in adeptione illius non commisit

Simoniam. *Conc.* SALTZBURG. *an.* 1420. *T.* 19. *&* *T.* 20. suspendit ipso facto instituentem illum, qui promisit Patrono partem decimarum; eadem plectit pœna, eum qui contentus portione decimarum reliquum Patrono ex pacto dimittit. *Tit.* 30. addit collationem esse irritam, Rectoremque non facere fructus suos.

XI. Statuimus quod Parochiales Ecclesiæ in Civitatibus aut Villis muratis, nonnisi personis præmisso qualificatis, graduatis debito modo, aut saltem qui per tres annos in Theologia, aut altero Jurium studuerint, seu Magistris in Artibus, qui in aliqua Universitate studentes Magisterii gradum adepti fuerint, conferantur. *Concil.* LATER. *sub* LEONE X. probans inita inter illum & FRANCISCUM I. *Concord.* *Tit.* 19. *ann.* 1516.

Gradus nunc absolutè necessarius est, prædictumque studii testimonium non sufficeret. Idem præceperat *Concil.* BASILIEN. SESS. XXXI. 6. In Ecclesiis *ann.* 1438. adjecerat exceptionem, quæ semper subintellecta censetur, nempe, *Si fieri posset.*

EXCEPTIONIS RATIO: Non ordinantur ut Ecclesiis suis deserviant, nisi qui debitè examinati capaces reperti sunt.

XII. Ex ipsis probatis ab Examinatoribus ad id in Synodo electis, nos eum eligemus quem magis idoneum judicaverimus, si agitur de Ecclesia, quæ ad plenam nostram dispositionem pertineat, ut illi & non alteri à nobis fiat Collatio; si verò Juris Patronatus Ecclesiastici & institutio ad nos pertineat, quem Patronus inter probatos digniorem judicaverit, nobis præsentare teneatur. *Conc.* REMEN. *ann.* 1564. *Stat.* 7. *Conc.* TOLET. *Act.* 2. DECR. XXIV. *ann.* 1566.

XIII. Ecclesiastica inferiora Beneficia, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxtà Constitutionem ALEX. III. in *Lateran.* quæ incipit: *Quia nonnulli*; & aliam GREG. X. quæ incipit *Licet*, conferantur. *Conc.* TRID. SESS. VII. *C.* 3. Hinc ergo patet, in eo cui conferenda est Parochia requiri, ut aliud Beneficium Residentiam itidem poscens non habeat.

XIV. Volumus ac decernimus nullum deinceps Ecclesiæ regendæ præficiendum, nisi qui prævio examine per concursum, juxtà formam à Sacris Canonibus & PII V. Constitutione præscriptam, huic oneri par & magis idoneus inventus & electus fuerit. *Ibid.* *Conc.* TURON. *ann.* 1583. *T.* 4.

XV. Salus gregis, integritas Pastoris; nihil enim est quod Ecclesiæ CHRISTI magis noceat, quàm cùm homines indigni ad animarum curam & Ecclesiastica munia admittuntur; quare piè & salubriter statutum, ut Beneficia idoneis tantùm hominibus, qui suum Officium ritè obire scirent ac vellent, conferrentur, nec ullum, cui animarum cura incumberet, alicui, nisi priùs diligenti de ejus vita, moribus, doctrina, inquisitione & examinatione habita, committeretur. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1583. examinationem autem fieri per concursum in singulis Provinciæ Diœcesibus injungit.

XVI. Cùm ex D. GREGORII NAZIANZENI sententia, Ars Artium sit, & scientia scientiarum hominem regere, animal omnium maxime varium & multiplex, atque animarum curam gerere, & qui Parochiis præficiuntur, earum præcipuam post Episcopos solicitudinem habere debeant, ideoque maxime cavendum sit, ne indignis conferantur: Ipsos Episcopos, aliosque omnes, ad quos jus Parœcias conferendi spectat, monemus, eisdem nonnisi de viris literatis, quorumque sit spectata fides & morum integritas, providere. *Concil.* TURON. *ann.* 1583.

XVII. Scriptum est: *Cæcus si Ducem agat ambo in foveam cadunt*: ideo absurdum est cæcis cæcos Duces præficere: quapropter iis animarum cura committenda non est, qui mente cæci, suis affectibus præcipites per scelera volutantur; sed ii sunt deligendi, qui sibi ipsis imperare norint, quique doctrina & moribus, cæteris præluceant. *Concilium* BITUR. *ann.* 1584. *T.* 35. ita quoque interpretata fuerant verba Christi *Conc.* NARB. *ann.* 1551. nempe de cæcitate ex pravis affectibus proveniente.

XVIII. Monasteriis Præfecti, qui jus præsentandi habent, Curatos idoneos nominent Episcopo, qui in illis Divina Officia celebrare, Verbum Dei prædicare, Sacramenta dignè administrare possint, nec Monachi ad munus Parœciæ admittantur. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *Constitutio ad Cleri German. Ref.* *n.* 12. *ann.* 1524.

XIX. Nec quidquid illi deesse personæ, penès quam Religionis summa & substantia disciplinæ, æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris. HORMISDAS *Episcopus ad Episcopos Hispan. C.* 1. *creatus ann.* 514. *mortuus anno* 523.

XX. Monachi Beneficiis Curatis non præficiantur, sed Sæcularia Sæcularibus, & Regularia Regularibus tantùm conferantur. *Conc.* BITUR. *T.* 35. *C.* 10. *ann.* 1584. supponit hic omnia Beneficia Curata esse Sæcularia, existimavit ergo Canonicos Regulares, ut Clericos Sæculares habendos, vel ex Dispensatione tantùm Curas possidere.

Canon sequens ad Officia & Jura Parochi pertinet. Quia æquum est ut unusquisque fidelium propriam Parochiam, ubi Sancta Sacramenta suscipit recognoscat, statuatur ut postquam mulier aliqua pepererit, intra mensem propriam Parochiam adeat, ibique Missam audiat, ac pro Beneficio accepto Omnipotenti Deo gratias agat; si verò sine justa causa id amplius differat, Episcopi arbitratu puniatur. *Conc.* MEXIC. *De Parochiis V.* 3. *ann.* 1585.

Conc. AQUEN. supponit hoc Jus Parochiale esse. *T. De Parochi*, hæc enim habet: „Parochus puerperam ne benedicat, nisi in Ecclesia, cui etiam solùm derur aliqua Sacra imago Dei osculanda, cum aspersione Aquæ Benedictæ, neque ullo modo detur Panis Benedictus sub Hostiæ forma, aut quid ejusmodi „.

XXI. Cùm ad reliquorum custodiam Parochorum solicitudo vocetur, debent hi quidem non gregatim adsciscì, aut inconsulto provehi; sed Canonicè, *id est*, maturè & servatis servandis. *Concil.* AQUILEIE. *ann.* 1596. *C.* 9. præcipit deinde ea de causa ut præscripta à *Concilio* TRID. forma concursûs servetur, in conferendis Beneficiis Curatis.

XXII. Nullum deinceps ad animarum curam admittent Episcopi, qui non priùs apertè testatus fuerit, se ab Episcopi Imperio & Jurisdictione nequaquam exemptum & immunem esse, fidemque suam Episcopi Diœces. Mandatis per totum Præfecturæ tempus obstrinxerit, privilegiisque omnibus, exemptionibusque declinatoriis palam renunciaverit. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *C.* 3. *n.* 9. *part.* 1.

XXIII. In Curatis præter vitæ probitatem duo præcipuè requiruntur, scientia & potestas. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *Conc.* ROTHO. *ann.* 1587. *T.* 4.

§. II.

Præcipui Canones circa ætatem ad Parochiales Ecclesias requisitam, quibus patet quantùm Ecclesiæ menti adversetur Collatio illarum minori 25. annis.

Canones XI. sæculo antiquiores non legimus, qui permiserint Presbyterum ordinari ante 30. annum, unde quia ad usque XII. sæculum eodem actu Ordo Presbyteralis cum animarum cura conferebatur, credere est ante XI. sæculum, Ecclesias Parœciales non collatas minori 30. annis, idque inferre est ex Canonibus relatis in *Disciplina Ecclesiæ Part.* 3. LIB. I. *Cap.* 27. *&* *Part.* 4. LIB. I. *C.* 26. qui osten-

ostendunt etiam Sæculo XI. adhuc viguisse prohibitionem non or-dinari Presbyterum ante 30. annoa.

I. Sed nec Parochialis Ecclesiæ Regimen, nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit & scientia & moribus commendandus existat. *Conc.* Later. *ann.* 1179. Cap. 3. refertur in *Tit. De Elect.* Cap. 7. *Concil.* Rothom. *ann.* 1074. vel alind antiquum huic conjunctum. *Cap.* 6. jam insinuarat Ecclesiam Parœcialem conferri posse constituto in 25. ann. prohibendo ne extra summam necessitatem Presbyter ordinetur ante 30. annum, eo autem casu non ante 25. alioquin nimia fuisset relaxatio.

II. Licèt Canon à *Felic. record.* Alex. III. Papa Prædecess. nostro editus inter cætera statuerit, ut nullus Regimen Ecclesiæ Parœc. suscipiat, nisi 25. ann. ætatis attigerit, ac scientia & moribus comendandus existat; præsenti Decreto statuimus ut nullus ad Regimen Parœcial. Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus, moribus scientia & ætate: Decernentes Collationes de Parœcialibus Ecclesiis his, qui non attigerint 25. ann. de cætero faciendas, viribus omninò carere. *Concil.* Lugd. *sub* Greg. X. *ann.* 1273. *Syn. Colon.* 1300. Cap. 1. *Conc.* Auscit. Cap. 13. 1300.

Primus Canon, qui irritam decernat Collationem Curæ factam minori 25. ann. eoque Decreto docet, exprimendam esse hanc pœnam ut secùs habeat.

III. Cæterum Prioratus Conventuales alieni, qui non attigerit 25. ann. conferri nequeant, aut committi. *Concil.* Vien. *ann.* 1312. Cap. 1. *De Statu Monach. vel Canon.* §. 7.

Ætas 25. ann. ad prædictos Prioratus non requiritur, nisi quia animarum curam annexam habent.

Circa hos Prioratus mutatio aliqua facta est; Concordata enim dicunt sufficere ad illorum possessionem ut quis in 23. ann. constitutus sit. *Tit.* 6. §. *Prioratus.* Circa Ecclesias Parochiales, nihil immutatum, quod inferre est ex eo quod de ætate ad Ecclesias necessaria omninò silent; ideoque salvum manet Jus Commune quod 25. poscebat annos.

Concil. Trid. Sess. XXIV. *Cap.* 12. innovat Canonem Later. *Conc.* 1179. suprà relatum circa ætatem ad Beneficia Curata requisitam, hæc enim habet: *Nemo deinceps ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, juxtà Constitutionem* Alex. III. *in* Conc. Later. *promulgatam, quæ incipit Cùm in cunctis, ann.* 1596.

In *Conciliis* Tridentino posterioribus nullum Canonem invenimus circa ætatem ad Beneficium Curatum necessariam, prærerquam in *Concilio* Bitur. *ann.* 1584. & in *Concil.* Aquilen. Illud *Tit.* 35. *Cap.* 1. unum tantùm verbum de eâ habet: *Curati non instituantur nisi 25. annos nati.* Istud verò *ann.* 1596. *Cap.* 9. ait: „ Qui ad Curatas Ecclesias assumuntur 25. annos saltem incedere debent, provisionem de minori factam viribus carere decernimus „.

Ex prædicto silentio, necnon ex eo quòd de dicta ætate *Concil.* Trid. expressè non loquatur, inferre licet, Commune Jus 25. annum exigens servatum tunc ubique fuisse & probatum.

Notandum inter relatos Canones haberi è quatuor *Conc. Generalib.* desumptos; ex illis *Concil.* duo in Gallia celebrata fuisse, *Concil.* Lugdun. & Viennens. ab iis *Conciliis* maxime detractum antiquæ disciplinæ, circa ætatem Sacerdotalem, cùm à 30. ann. ad annum 25. reduxerint, ætatem autem hanc deinceps judicatam adeò necessariam ad Sacerdotium, ut Canonea omnes circa illam conditi 25. annos ad minus requisierint; horum Canonum fundamentum esse, ante hos annos non acquiri maturitatem Sacerdotio necessariam.

Considerationes illæ Magistratum movere cogere-

que deberent, ne autoritate sua muniat Collationes Parœciarum factas minori 25. annis.

Non obstat *Cap.* 2. *De Institut. in* 6. quo Bonifac. VIII ait: *Præsentatum ad Ecclesiam Parœcialem non rejiciendum ex eo, quòd non est in Sacris constitutus, dummodo sit idoneus & intra tempus à Jure statutum ad Sacros Ordines valeat ordinari*; nam hac voce *idoneus* significat præsentatum ejus esse ætatis, quæ à Jure expressè requiritur, quæque, ut docent collecti Canones, debet esse 24. annorum completorum; ætas enim à Canone requisita una est ex dotibus, quæ præsentatum prædictum idoneum efficiunt.

Caput. IV.

Parochi in Clericos Parochiæ potestas. Ad quæ erga illos teneatur?

I. Clericos Parochiali Ecclesiæ adscriptos Parocho subesse, ut oves Pastori, ut membra Capiti, extra dubium est: Unde Theodul. Aurel. *ann.* 797. ad Parochos scribens *Cap.* 15. ita supponit Clericos hujusmodi Parocho subjici, ut de his loquatur tanquam de re ad illum pertinente, quâque privari ab alio non potest absque injustitia; Hoc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus vestrùm alterius Clericum sollicitet, aut recipiat, quia gravis de hac re in Sacris Canonibus sententia est. Applicat Theodulfus Parochis quod Canones de Episcopis dicunt. Idem Theodulfus *Cap.* 46. præcipit, ut Sacerdotes, qui in circuitu Urbis, & qui in eadem Urbe sunt, ad Missæ Parochialis celebrationem conveniant.

Ad eumdem Titulum referri posset Canon 65. *Conc.* Agath. prohibens, ne Diaconus sedeat coram Presbytero, nisi ex jussione Presbyteri, cùm de Presbytero Parocho à fortiori intelligendus sit.

II. Studeant Plebani Clericorum, sibi subjectorum diligenter curam gerere, ipsos ad observantiam Constitutionum Provincialium, & hujus Sanctæ Synodi Ordinationum, motum honestatem, Clericalisque habitùs decentiam respicientium inducendo, nec patiantur eos deferre habitus à Sacris Canonibus vel Provincialibus *Conciliis* interdictos. *Syn.* Saltzburg *ann.* 1420. Cap. 6.

III. Plebanis prohibemus, ne in adjutorium curæ animarum, aut ad Capellanarum, vocent Presbyteros Lusores, Potatores, Ebriosos, aut Laicorum convivia frequentantes, per quos multùm Plebs scandalisatur fidelis. *Synod.* Saltzburg. Cap. 5. *ann.* 1420.

Supponit Canon ad Parochum pertinere, ut eligat Coadjutores suos, utque etiam illos dimittat juxtà regulam, *Ejus est destituere cujus est instituere.*

IV. Presbyteri in Ecclesiis Parochialibus, earumque Annexis celebrantes, debent interesse Cancello, Matutinis, Vesperis, & aliis Divinis Officiis, debitis horis, induti Superpelliceis, quæ sub propriis expensis providebunt, si fuerint requisiti, etiam commoniti super his per Præsidentes: non reddant se elatos, nec erigant verticem contra Præsidentes, nec propter hoc excitabunt aliquos, qui foveant & protegant. *Constitut.* Simon. Mepham. *Archiep.* Cantuariæ, *ann.* 1332. *Synod.* Eborac. *ann.* 1466. in qua jurant se servituros ad voluntatem Parochi.

V. Presbyteri, necnon alii Sacerdotes stipendiarii, propriis sumptibus, vel per annos sustentati, Divina celebrantes, in Archiepiscopatu nostro non recipiant Oblationes, Portiones, Denarios pro requisitis, Tricennalia, aut aliquam certam quotam, præsertim Oblationes pro corporibus mortuorum præsentibus, non obtenta licentia à Rectoribus &c. *Ibid.*

VI. Inhibemus omnibus Capellanis, curam animarum non habentibus, ne ipsi, sub pœna excommunicationis, in Ecclesiis Parochialibus absque licentia & as-

sensu Rectorum, ipsarumque Ecclesiarum Parochialium, Missam celebrare præsumant, nisi Capellanias in ipsis Ecclesiis obtineant, quo casu si celebraverint, omnes Oblationes, quæ in exequiis mortuorum, aut alias ad manus suas offeruntur, reddent integraliter dictis Rectoribus, nihil præter dictorum Rectorum voluntatem de his retinendo. AIMERIC PICTAV. *in Synodo ann.* 1367.

Non dubitandum quin ex mente hujus Concilii, Parochus requirere possit, ut hujusmodi Sacerdotes illum adjuvent. Ad id illos adstringit *Concil.* NARBON. *ann.* 1551. C. 40. sub pœna excommunicationis & privationis omnium emolumentorum, quæ possunt ex Parochia percipere.

VII. Qui præsunt Fabricis Ecclesiarum nullos Sacerdotes admittant ad suffragia & Sacrificia Legatorum piorum causa præstanda, nisi ab Episcopo aut ejus Vicario probatus, & ad id Ministerium destinatos Pastoris voluntate, cui quoad Officium Ecclesiasticum pareant, ne per licentiam aditus improbis & vagis ad Ecclesias concedatur, cum detrimento & scandalo publico, & qui admissi fuerint Pastorem adjuvent in Cultu & Officio Divino. *Conc.* CAMBR. *ann.* 1565. TOM. VII. *C.* 9.

VIII. Qui in Ecclesiis Parochialibus Beneficia quæcumque, etiam simplicia, & quibus alioqui nulla incumbit animarum cura, obtinent, quorum ratione in iisdem Ecclesiis servire tenentur, & qui eorum loco serviunt tempore Quadragesimæ, quo Plebs ad Indulgentias ex Jubilei forma consequendas peccata confiteri debet, teneantur omninò ipsos Presbyteros Parochiales in audiendis subditorum Confessionibus coadjuvare, licentia priùs ab Ordinario obtenta, alioquin ab ipsis Ordinariis eorum arbitrio puniantur. *Concil.* TOLET. *ann.* 1566. *C.* 21. *Actio.* 3.

IX. Declaramus omnes Presbyteros constitui pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum, ut pro populo Sacras omnes functiones obeant, ideoque quemlibet addictum esse Parochiæ quam incolit, ut ei inserviat pro populo in omnibus Officiis, quæ sunt ad Deum, & in eo distingui à populo; qua de causa quisquis de Presbyteris venerit in Ecclesiam, & in habitu detrectarit cum Curato, & aliis de Presbyterio Divina Officia facere, tanquam non Presbyterum suspensum esse jubemus à Divinis ipso facto, & ad Laïcam Communionem cum Secularibus redigi, &c. *Synod.* EBROIC. *ann.* 1576.

X. Quandoquidem omnia cum ordine fieri oportet in Ecclesia, sicut Curati & Vicarii subsunt Episcopo, Archidiacono, & Decano, ita par est omnes alios Presbyteros habituatos in Parochia, sive aliunde advenientes subesse Curato, vel ejus Vicario, ac nisi de eorum assensu quidquam audere in Ecclesia, in pœnam, ipso facto, suspensionis, ut caveatur Schismatis occasio. Videant tamen ne potestate in suos auxiliarios abutantur. *Synod.* EBROIC. *ann.* 1576. *Concil.* ROTHOM. *De Curator. Officio. n.* 18. *ann.* 1581. *Concil.* AQUEN. *De Parochiis. ann.* 1585.

XI. Ad Parœciale servitium perficiendum præsertim Dominicis diebus & Festivis, non solùm obligantur Curati & Vicarii, sed omnes ejusdem Parœciæ Presbyteri, qui illi adscripti sunt; nisi in habitu Sacerdotali, cum Superpellicio hora competenti convenerint, & ad finem usque cantantes, aut administrantes, perstiterint, damus Curatis potestatem post trinam admonitionem eos suspendendi à Divinis. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. AQUAN. *ann.* 1585. *Conc.* TURO. *ann.* 1583. *Conc.* TOLOS. *an.* 1590. *Conc.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 32.

XII. Ne Parochiani Clerici Divinis Officiis assistentes, debita mercede frustrentur, partem Fundationum, seu Anniversariorum, ac etiam Obsequiorum Funeralium juxtà cujusque Diœcesis ritum, vel Ecclesiæ facultates, locorum & personarum habita ratione, à Rectoribus & Fabricarum Procuratoribus illis persolvi ordinamus. *Concil.* TURON. *ann.* 1583. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585.

XIII. Oblationes omnes, quæ in Ecclesiis Parochialibus, & Capellis, intra metas earumdem existentibus offeruntur, saltem pro tertia parte, nisi majorem Portionem percipere consueverint, ad eosdem Parœciarum Rectores spectare declaramus. *Concil.* TURON. *ann.* 1583.

XIV. Presbyteri & alii Clerici, qui in Parœciis sunt, aut in his domicilium habent, publico Ecclesiæ Parochialis Officio, cum habitu decenti, pileo quadrato, & Superpelliciis intersint, ac cum Rectore Missas, Matutinas, & alias horas, celebrent, alioquin Ecclesiæ commodis & proventibus, eo ipso, sint privati; quod si contumaces extiterint, excommunicentur. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584. *Conc.* MEDIOL. III. *C.* 10. *ann.* 1573. *Concil.* REM. *ann.* 1564. *Stat.* 15. *Concil.* TURON. *Conc.* XIV. *ann.* 1583. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590.

XV. Parochus, si quinque in sua Parochia Sacerdotes habeat, iis privatas bis quaque hebdomada renovandas disceptationes instituat: Hæ vel de Catechismi Romani interpretatione, aut de Casibus Conscientiæ, aut denique de certis hujus *Concilii* Decretis erunt. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. Idem penè *Concil.* MEDIOLAN. II. DECRET. XXX. præceperat, ut Collationes privatæ ad Kalendas præpararent.

XVI. Privatis disputationibus Clericos omnes Parochiæ fines incolentes. Parochi interesse hortentur; sic fiet ut instructiores & paratiores ad Sacra munia Sacerdotes habere possint; quod si forte Mandato renuentes Clericos cognoverint, Episcopum certiorem de ea re statim faciant, qui eos quacumque poterit ratione & autoritate ad id præstandum adigat. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1590. *Conc.* MEDIOL. II. DECR. XXX. *ann.* 1569.

XVII. Episcopi etiam, tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo, cogant Rectores sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficient &c. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *Cap.* 4. *ann.* 1561. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Part.* 1. *C.* 3. *n.* 11. *Sibi adjungere*; hæc verba denotant in Parocho facultatem eligendi.

Præcipitur Presbyteris, ut Clericos cujuscumque sint Ordinis, in Parochia sua commorantes moneant, ut Tonsuram congruentem & honestum habeant habitum, juxta Canones, & si aliquis in hoc inobedientes vel rebelles fuerint, monitione præmissa ab ingressu Ecclesiæ arceantur, quod si aliquis de hujusmodi præsumptoribus tantæ sit potestatis, quod sine scandalo à Presbytero, prædicto modo exerceri non possit, Episcopo nuncietur. *Additiones* WILLEMI PARIS. *Episcop. C.* 1. *ante medium XIII. sæculi.*

Statuimus, & districtè præcipiendo mandamus, ut à Vicario nostro in spiritualibus Generali, aliisque Prælatis viri graves, docti, & ad curam animarum idonei habendam deligantur, diligensque & anniversaria de eorum vita & moribus inquisitio habeatur. *Synodo* AUGUST. *ann.* 1548. *C.* 4.

CAPUT V.

Officia Juraque Parochi.

Parochi Officiis jura quoque conjunguntur, quia multa ex istis Officia sunt & jura; Canones autem qui de iis conjunctim vel seorsim agunt, vel promotionem

nem ad Ordinem requisitum, vel Residentiam, vel Missam, vel Prædicationem, vel Sacramentorum Administrationem, vel Sepulturas, vel Oblationes, vel rei temporatiæ ad Parochiam quoquo modo pertinentis usum, vel Syuodum, vel scientiam, vel Portionem congruentem respiciunt, vel ipsius mores, vel denique ad Jura Officiaque promiscuè tractanda, spectant.

§. I.

Promotio ad Ordinem requisitum.

Qui præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum Ordinatus non fuerit, etsi admonitus, ab isto removeatur Officio, & aliis conferatur, qui velint & possint illud adimplere? *Cap. 7. De Electione.* Desumitur è *Concil.* LATER. 1179. Quod de tempore dicit intelligendum est de diebus Ordinationis.

Intra annum sibi commissi Regiminis tempore numerandum, se faciet promoveri, quod si non faciet Ecclesiâ commissâ sit auroritate præsentis Consuetudinis privatus. *Concil.* LUGDUN. *in Concl.* 14. *De Elect. in 6. ann.* 1273.

Conjugium & Ordo libera sint, quæ nnicuique ipsa percipere, vel non liberum est; hoc excepro quod qui curam habent animarum compelli ad Ordines, vel curam susceptam dimittere, Sacri Canones decreverunt. *Synod.* OXONIEN. *ann.* 128. Cap. 1.

Ao aliquis Rector vel Vicarius sit in Ordine quem sua cura exigit. *Cap.* 23. *Inquisi. per Archi.* 1233.

Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, ut ad Ordinem, quem benè sui cura requitit, se faciant ordinari infrà tempus à Canone institutum; alioquin quod de non residentibus est prædictum circa fructus non percipiendos, & privationem Beneficii, intelligi volumus in Ecclesiis. *Concil.* SALTZBURG. 1274 Hoc autem CONC. VIII. à perceptione fructuum non residentes suspendit, & si suspensi sese ingerunt, privat ipso facto Beneficiis.

Si assumptus ad Parochialem Ecclesiam; qoia in multis Canonibus & frequenter statutum, ut qui curam animatum habeat, debeant ad Sacerdotium promoveri; mandamus ut, qui Ecclesias Parochiales habent, ad Sacerdotii gradum promoveantur, & ibi serviaut ut tenentur. *Concilio* NARBON. *an.* 1227. Sass. XVIII. Idem habet *Concil.* BITUR *ann.* 1240. *Cap.* 21. addens, ad quod per substractionem Beneficiorum, si uecesse fuerit, compellantur, *ann.* 1246. *Concil.* LUGDUN. *ann.* 1274. privat, ipso facto, Beneficiis, qui non intra annum promoventur *Cap.* 13. *idem Concilium ejusdem ann.* 1279. Cap. 20. *Conc.* RAVIN. IV. *Cap.* 3. ad lit ad idem Beneficium oon posse promoveri, BONIFACIUS VIII. Nullus Parochialem recipiat Ecclesiam, noo intendens ad Sacerdotium promoveri, ut fructus ex ea percipiat per annum; nisi quia mutata voluntate promotus extitit, ad restitutionem eorumdem tenebitur: Couferens qui ipsum non credebat ad Sacerdotium promovendum, præter Divinam quam inde incurrit offensam, remaneat ad servandam indemnem Ecclesiam obligatus. *Concil.* AUGIT. *& Compend.* Cap. 10. *ann.* 1300. *Cap.* 35. *De Electione. in 6.* docet annum nnmerandum à pacifica possesione habita, vel quæ haberi potuit, Hæc enim habet: „ Cæterum, si promoveri ad „ Sacerdotium non intendens, receperis Eccle- „ siam, ut fructus ex ea per annum percipias, „ ipsum post modum dimissurus (nisi voluntate mu- „ tata promotus fueris) ad restitutiouem eorum- „ dem teneberis, cùm eos receperis fraudulenter. „ Illum autem, qui eam tibi contulit, cùm te non „ crederet ad hujusmodi Ordinem promovendum „ (præter Divinam, quam inde incurrit offensam) ad „ servandam indemnem eamdem Ecclesiam decerni- „ mus obligari „.

Ei qui infrà anoum noo ordinatus ad Ecclesiam Parochialem, ipsa Ecclesia non potest iterato conferri; & si non intendens promoveri Parochialem Ecclesiam receperit, ut fructus per annum recipiat, eam postmodum dimissurus, nisi mutata voluntate promotus fuerit, teneatur ad restitutionem eorumdem & nos omues servantes hujusmodi Statuta quoad restitutiones fructuum taliter perceptorum, excommunicationis sententia innodamus. *Stat. Synodi Ecclesiæ* REM. à GUILLELMO *De* TAIPA *dig. fta*, is erat avunculus PHILIPPI VALESII, & obüt *ann.* 1334.

Ut Presbyteri nullatenus ubicumque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant; sed assiduè apud suas Ecclesias esse studeant, propter Sacra Mysteria, seu Ministeria fidelibus exhibenda. *Concil.* MELD. Cap. 36. *ann.* 845.

Curati possessione adepta Ordines Sacros secundùm tempora à Canonibus constituta suscipere non deferant, ut Ministerium sibi creditum quàm citissimè per se ipsos adimpleri possit, sub pœnis à Jure constitutis. *Concil.* BITUR XXXV. *ann.* 1584.

§. II.

RESIDENTIA.

I. ANASTASIUS Presbyter Cardinalis Tit. S. MARCELLI, ab omnibus depositus est, eo quod Parœciam suam per annos quinque contra Canonum Statuta deseruit. *Cap.* 2. *De Cler. non Resid.* desumitur ex gestis Pontificum. Depositio sub LEON. IV. *circ. ann.* 850. facta est; is autem nibil aliud quam Curatus erat.

II. Is, qui ad hujusmodi Regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentiùs curam gerere possit, in Parœciæ Ecclesia residere personaliter teneatur. *Concil.* LUGDUN. 1273. Cap. 14. *De Electione. in* SEXTO.

III. Subtipiens licentiam non residendi, vel abutens justè concessa, revocantur. *p.* 5. *n.* 1298.

IV. Institutus ab alio quàm ab Episcopo intra 40. dies Diœcesano jurare Residentiam tenerur, & ad id cogi potest per detentionem fructuum. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1335. Cap. 9.

V. Curati Residentiam faciant, nisi ex causa per Superiorem fuerit dispensatum, vel aliàs legitimè impediti: Si sine causa se absentaverunt ultra mensem, à perceptione fructuum sint suspensi: Si per sex menses, elapsis iis, Ecclesiis sint eo ipso privati. *Concil.* ANDEGAV. *ann.* 1365. Cap. 17.

VI. Tenens Beneficium animarum curam habens, si se absentaverit non habens licentiam non residendi, nullumque ibi dimiserit pro Regimine Beneficii & cura anlmarum: Si steterit per sex menses, eo ipso quod citatus fuerit in loco Beneficii trino Edicto vel uno pro omnibus, auroritate præsentis Statuti & nostra poterit. à Beneficio deponi & privari. *Syn.* LING. *ann.* 1404. *à Cardin.* LUDOV. ua BARRO *Collecta & Reform.*

VII. Quilibet Curatus, seu Vicarius perpetuus Residentiam teneatur facere personalem, nisi secum fuerit ex urgentibus & rationabilibus causis Canonicè dispensatum, & Vicarium, nisi licentia Superioris potestatem habentis super Regimen Parochialium Ecclesiarum, & Sacram administrationem & per præcedens examen approbatum deputare non possit, & literas officiandi ab eo vel ejus Vicario Generali ipse probatus obtinuerit. *Claud.* LONGNI. *Episcop.* LING. *ann.* 1537.

Continuatio Canonum circa Residentiam Parochorum.

VIII. Eadem omninò quoad culpam, & amissionem fructuum, & pœnas de Curatis Sacrosancta

Synodus decernit; ita tamen ut quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant, discedendi licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. Cap. 1. *Concil.* MEDIOL I. Cap. 27. *ann.* 1565. *Conc.* CUMEN. *Tit.* 12. Cap. 1. *Concil.* REM *ann.* 1583. *Concil.* TURON. *ann.* 1583. 1565. *Concil.* TOLET. *ann.* 1566. DECRET. XXV. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Part.* 1. Cap. 3. *n.* 12. *Conc.* AQUILEI. *ann.* 1596. Cap. 6.

IX. Frustrà præcipitur Residentia, nisi residendi fiat potestas: Curatis itaque venientibus ad Residentiam ex Dei & Ecclesiæ Mandato par est Vicarios possessione & Presbyterio cedere, & de damno cum Curatis amicè pacisci, si quod evidens fuerit & apparens; alioquin Dei & Ecclesiæ Mandatum fieret irritum & absurdum; neque enim residere potest in Beneficio cujus possessionem non habet, nec habitationem, nec Sacramentorum administrationem, aut aliam functionem, nisi Vicarii licentia & indulgentia. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Episcop. Offic.* n. 6.

Si obstinati perstiterint Episcopi Officii sui memores Deique ac SESS. *Conciliorum* Præcepta & Decreta secuti, post dictum temporis spatium curabunt Juris adhibere remedia, & desertas Parochias tandem benemeritis viris ut cantantes conferre. *Concil.* REM. *ann.* 1564. 38. *Statut.* insinuat *Concilium*, Deum, Curatis præcipere, ut resideant, ideoque ipsos Divino Jure ad Residentiam obligari.

Scimus in Residentia Curatorum potiùs requiri personæ industriam & diligentiam, quàm Corporis in eodem loco desidentiam & inertiam, atque inter residentes numerandos potiùs, qui absentes Corpore, Spiritu & assidua speculatione gregi invigilant, quàm qui præsentes corporaliter se ipsos pascunt potiùs quàm gregem, cui scandalo sunt. Attamen in Moyse fideli Dei servo, atque aliis vigilantissimis Pastoribus, fuit semper compertum, diuturnam ipsorum corporum absentiam aliquod & magnum malum ovibus attulisse. *Syn.* EBROIC. *ann.* 1576.

Ad Residentiam Presbyterio opus est, & pro Parœciæ conditione, habitaculo opportuno, ut in necessitate constituti, sciant Parœciani quò debeant confugere & ubi Medicum invenire; si defuerit, provideatur Curato de domo commoda, juxtà Ecclesiam Parochialem, idque Fabricæ, seu Parœcianorum sumptibus, qui de Jure vel Consuetudine tenentur: sicut illi obligantur ad habitationem suis Rectoribus præparandam, ita oportet istos in ædibus sibi assignatis habitare, neque excusari, nisi ex evidenti & legitimo impedimento, quo occurrente non liceat Laicis quibuscumque locare, aut ad manendum etiam gratia tendere, sed tantùm Presbyteris, qui Curatorum in necessaria Sacramentorum administratione vices gerunt. *Concil.* ROTHOM. *an.* 1587. Idem præceperat *Conc.* NARBON. *ann.* 1551. *Cap.* 32. Voluit Conc. ut Parochi & Rectores, sive qui eorum vicem obeunt Sacerdoti, sive Beneficii domum, & non aliam habitent.

Nullus Capellanus Parochialem regens Ecclesiam cum alio commoretur, sed domos habeat locis congruis, ubi assiduè commoretur & valeat inveniri, ut exinde per eum necessitatibus Pœnitentium commodiùs occurratur. *Cap.* 17. COPRINIAC *in Provincia* BUROIGA. *ann.* 1260.

Super Residentia possit Ordinarius gratiam Dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit. *Concil.* LUGDUN. *ann.* 1274. *De Elect. in* 6. BONIF. VIII. Eod. Tit. C. 34. declarat studiorum causam, justam esse Dispensationis causam, eaque de causa concedi posse septenne non residendi Indultum, insinuatque idem habere locum in Docente quod de Studente dicit. Jam cessare videtur plurimis in Ecclesiis, iisque scilicet, quæ *Conc.* TRID. Decretum de conferendo ad concursum Beneficia Curata receperunt, illudque etiam nunc observant. *Conc.* NARBON. *ann.* 1551. *Cap.* 27. jungit huic causæ studiorum alias plures; nempe Officii apud Episcopum, Justitiæ vel Jurisdictionis exercendæ, vel Officii perpetui in Cathedralibus, quæ causæ in Gallia saltem non admitterentur.

Licèt Rectoribus Ecclesiarum, qui à Residentia excusantur, mandaverimus in proximo *Concilio*, quatenus personas idoneas ordinarent in Ecclesiis suis in perpetuos Vicarios institui, trimestri tempore ad hoc indulto: Tamen, quia in hoc se exhibuerunt aliqui negligentes, institutionem hujusmodi ad nostram præsidentiam revocamus. *Concil.* SALTZBURG. *ann.* 1281. Cap. 11.

BUROIG. Cap. 14. *ann.* 1583. idem præcipit quod *Concil.* TRID. *Concil.* AVENIO. *ann.* 1594. vetat ne tridui spatio longiùs absint à Parœcia, eosque vult ab Ordinario facultatem obtinere, causa absentiæ exposita, subrogato interim altero, qui vices suas gerat. Cap. 19.

Concil. NARBON. *ann.* 1609. *Cap.* 32. prohibet ne licentia discedendi detur ultra duos menses absque gravissima causa, neque confirmetur, nisi urgente necessitate. Addit, statim ac concessa est, sufficiendum Vicarium, eique literas Regiminis dandas, sine quibus quicumque reget Parochiam, incarcerandus est.

Ne quis se defunctum munere suo, si otiosus in Ecclesia resideat, intelligat, quoniam Divino Præcepto mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini & Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam pro viribus gerere, quæ omnia nequaquam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non assistunt, neque invigilant. *Concil.* REM. *an.* 1564. *Stat.* 1. *Conc.* CAMBR. *ann.* 1565. *Tit.* 12. Cap. 2. REM. *an.* 1583. *De Curat.* n. 9. Nec eisdem Curatis etiam concedendæ de non residendo literæ, nec ipsorum Vicariis de regendo, nisi causa cognita, qua expensa & Vicariis idoneis præmisso examine compertis, teneantur prædicti curam animarum habentes, sic per se vel suos Vicarios procedere, ut debita Hospitalitas & pauperum subventio observentur. *Concil.* BITUR. *ann.* 1528. *Decret. De Parochis.*

§. III.

Missa Parochialis.

I. THEODULP. Episcopus AUREL. Parochis scribens *ann.* 797. præcipit in 35. 45. & 46. ut caveant ne in Ecclesiis suis vel in Oratoriis Missæ celebrentur, quæ à Missa Parœciali avocent.

II. Nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel ibi placitum habuerit, ad Missam recipiat. *Capitul.* LIB. I. Cap. 147.

III. Nullus Presbyter in alterius Parochia Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit. *Ibid* 148.

Prior Canon videtur sumptus è *Concilio* NANNET. quod IX. sæculo celebratum constat; sed quo anno id affirmare non audemus, quia *Concil.* potuit illum Canon. ex *Capitul. Reg. Francorum* mutuari; REGINO illum refert, non notato unde sumat; at forte quia subjungit alii desumpto ex *Conc.* NANNET... suspicari est ex eodem *Concilio* mutuatum esse. Posteriorem quoque refert, & notat se ex *Capitular.* sumere.

IV. Idem habet *Concil.* COPRINIAC. CONC. TOM. XI. *p.* 7. 46. *Cap.* 12. Caveant Sacerdotes ne quartam Missam de die dimittant in magnis locis & populosis celebrare, propter illam quæ non fit de die. *Syn.* NEMAUS. *De Celebratione Missar. ann.* 1284. *Conc.* RAVENNEN. IV. *ann.* 1317. *Rubric.* 12. vetat ne dum Missa Major cantatur aliæ celebrentur.

V. Præcipimus statuendo quod Ecclesiarum Recto-

res

res Missas in suis Ecclesiis celebrantes, saltem unum Clericum Superpelliceo indutum, qui sibi ministret, in obsequio Divinorum necessaria habere teneantur. *Conc.* MARCIACEN. *in Prov. Auscit.* Cap. 18. *an.* 1326.

VI. In singulis Parochiis tabella noa in loco publico collocetur, in qua Missæ, Festa, Anniversaria, in Ecclesia hujusmodi celebranda describantur, hæcque tabella ab Officialibus, seu Visitatoribus, & à Notario, subscripta sit. Quando verò Parochi Festa colenda populo annunciaverint, ei quoque Festum aut Anniversarium ea hebdomada celebraodum notum facient. *Concil.* MEXIC. *ann.* 1585, Cap. 3. *Tit.* 8. *§.* 8.

VII. Curatus in sua Ecclesia nullum permittat celebrare, qui scriptis facultatem ab Episcopo non exhibuerit, & eam licentiam, quam anno uno vetustiorem repererior, ne admittant. *Concil.* ÆQUEN. *an.* 1585. *De Celebratione Missæ.*

VIII. In Ecclesiis, in quibus biennationes (binæ Missæ ab eodem) in usu fuerunt, ut ancillis & famulis de matitunali Missa provideretur; vult Synodus (ut illis sublatis, Episcopi commodam rationem retinendæ Missæ matutinæ,' & imprimis accuratè se informent de operibus Sacellaniarum in Parochiis erectarum, ut illarum Possessores ad Residentiam compellant &c. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1570. *De Offic.* Cap. 15.

IX. Ne facultatem bis uno die faciendi Sacrum Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis, quæ facultas brevi etiam tempore circumscribatur, nec ad plures dies quàm ad Dominicos, & Festos, & in diversis Ecclesiis. BUROIG. Cap. 4. *ann.* 1583.

X. Ut honor debitus Parochialibus Ecclesiis reddatur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus staruendum, quod Parochiani diebus Dominicis & Festivis ad suam Parochialem Ecclesiam veniant Missas integras audituri, & si per duos Dominicos dies continuos, Missas in dictis Ecclesiis non audiveriot, extunc habeant Parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelatnros nominatos postea excommunicandos. *Concilium* VAURSN. *ann.* 1368. Cap. 84. *Concil.* MARCIAC. *ann.* 1326. Cap. 16. *in Prov. Auscitana.*

XI. Quia Laici statum suum & Ecclesiæ Mandata scire non valent, nisi Dominicis diebus, quibus in Ecclesia hæc recitari consueverunt, ad Parochias suas pro Divinis audiendis conveniant; districtiùs inhibemus ne Religiosi in Ecclesiis suis, aut Capellis eos diebus Dominis recipiant ad Divina, nec illis horis, in suis locis populo publicè prædicent, quibus in Parochiis Missarum solemnia celebrantur. *Cap.* 15. *Concil.* ARELAT. *ann.* 1260.

XII. Non sine admiratione referimus qnod aliqui Religiosi, & utinam non omnes, Civitatis NECOSIENS. falcem in alienam Messem mittentes Parochianos NECOSIENS. Ecclesiæ, quæ unica est in Civitate Ecclesia Parochialis Latinorum, passim recipiant ad Divina, quos etsi non reprimit naturalis Regula, videlicet ut *quod sibi fieri nolunt, non faciant aliis*, saltem Jura Canonica ab hujusmodi eos revocare deberent, quæ prohibent alienos Parochianos recipi ad Divina diebus Dominicis & Festivis. *Constit.* NICOL. Cap. 28. *ann.* 1253.

XIII. Præcipimus Parochis in Prono Parochiam monere, excommunicarionis pœnam minitantes, ut unusquisque ad Missam Parochialem veniat, diebus præsertim Dominicis, & Domesticos omnes secum ducat, neque exeant, quousque Sacerdos Auditores benedixerit. *Concil.* NARBON. *ann.* 1551. *Cap.* 36.

XIV. Nullus præsumat Missam diebus Dominicis celebrare sine licentia Curati ante Missam Parochialem, & maximè ante Pronum dictæ Missæ Parochiæ completum, ne per hoc revocentur Parochiani ab audiendo Missas Parochiales. *Synod.* SENON. *ann.* 1524. *Syn.* CARNOT. *ann.* 1526.

XV. Prohibemus, Missis Parochialibus durantibus, ne in eadem Ecclesia, aliæ Missæ, cujusvis fundationis vel Confraternitatis colore celebrentur. *Concil.* TURON. *ann.* 1583.

Inter Missas charitatis monendus est populus non prætermittendas Missas Parœciales propter assistentiam in aliis, quæ ex devotione sunt. *Synod.* ROTHOM. *ann.* 1581.

Alii Canones circa Missam Parœcialem collecti sunt inter eos, qui Missam peculatim respiciunt.

§. IV.

Prædicatio, aliave Instructio.

I. Ordinarii Verbi Ministri, Ecclesiarum Parochialium legitimi Rectores & Parochi sunto. *Concil.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 4. Cap. 6.

II. Ex his quæ diximus, consequitur illum morem qui alicubi irrepit penitus irrationabilem, ne dicamus execrabilem, abusum esse, quo legitimi Ecclesiarum Parochi jurejurando adiguntur affirmare sese in his Ecclesiis Mendicantes ad Verbi Ministerium, etiamsi ipsimet pro ratione suscepti ac concrediti muneris, eo fungi velint, perpetuò admissuros; quid enim hoc more aliud agitur quàm ut Parocho Officium, quo se CHRISTO & Ecclesiæ obstringit, adimatur ac in alium relegetur?

III. Ignorantia Mater cunctorum errorum maximè vitanda est in Sacerdotibus Dei, qui docendi Officium in populis susceperunt. *Concil.* TOLET. IV. Cap. 25. *ann.* 633. Etsi Canon hic de Episcopis intelligendus videatur, quia idem *Concil. Cap.* 26. Sacerdotis nomine Episcopum intelligit, ut & Curatum nomine Presbyteri, quia tamen Sacerdotis nomen Episcopis & Presbyteris commune erat, & quæ relatus *Can.* subdit Presbyteris & Episcopis conveniunt, nempè obligatio sciendi Scripturas & Canones, ac ædificandi Doctrina & Opere, non malè aptatur Curatis.

IV. Symbolum, quod est fidei signaculum, & Orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes Populum Christianum, volumusque ut disciplinam condignam habeant: qui hæc discere negligunt, sive in Jejunio, sive in alia castigatione emendentur; propterea dignum est ut filios suos donent ad Scholam, sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut Fidem Catholicam rectè discant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant, & qui aliter non potuerit, vel in lingua sua discat. *Conc.* MOGUNT. Cap. 45. *ann.* 813.

V. Animarum curam gerere, earum morbis mederi, & eas ad Deum ducere, omnis Curatorum Officii ratio versatur; ubi de animarum salute agitur quælibet negligentia valdè periculosa; Parochi impositum suis humeris onus attentè considerent, & eis qui spirituali subditorum utilitati consulant, promissum præmium animadvertant, ac negligentibus statutum supplicium ob oculos ponant. *Concil.* MEXIC. LIB. III. T. II. *ann.* 1585.

VI. Presbyteri per Villas & Vicos Scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos sucipere & docere non renuant; sed cum summa charitate eos doceant, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint. *Capitul.* THEOD. Cap. 20. *ann.* 797.

VII. Unusquisque Presbyter, qui Plebem regit, Clericum habeat, qui cantet, & Epistolam, & Lectionem legat, & qui possit Scholam tenere, & admoneat Parochianos, ut filios suos ad Psalterium discendum mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat. *Concil.* NANNET. Cap. 9. SIEBURCH. LIB. II. Cap. 56. REGIN. LIB. I. *Cap.* 207. Non extat in *Conciliis Nannetensib.* REGINONA antiquioribus.

VIII. Comperimus quod, propter ignorantiam Articulorum fidei, plurimi erraverunt: Pueri quoqne à ſeptennio & ſuprà, ad Eccleſiam à Parentibus adducantur diebus Dominicis & Feſtivis, ot in Fide Catholica inſtituantur: *Credo in Deum*, & *Pater Noſter*, & *Salutationem Beatæ Virginis*, addiſcant. *Cap.* 18. *Conc.* ALBIEN. *ann.* 1254.

IX. Præcipimus quoque quod Sacerdotes Parochiales per ſe vel per alios ſæpiùs ſtudeant exponere populo, Diebus Dominicis, Articulos fidei ſimpliciter ac diſtinctè, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quiſquam poſſit. *Conc.* ALBIEN. Cap. 17. *ann.* 1254.

X. Parochialibus Presbyteris injungat Ordinarius, ut Conſtitutiones continentes caſus, quibus excommunicatio incurritur, diligenter & intelligibili Lingua materna exponant prima Dominica cujuſlibet menſis, ne populus ſubditus in cauſam craſſæ ignorantiæ in animarum ſuarum periculum prolabatur. *Conc.* ROTHOM. Cap. 10. *ann.* 1335.

XI. *Conc.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 7. Cap. 25. & *Cap.* 27. præcepit; ut populus inſtruatur circa Miſſam;
,, hæc enim habet: Docendus populus generatim, quid
,, in Miſſa agatur, & quibus partibus conſtet. Conſtat ſi-
,, quidem Pſalmodia, quem vocamus *introitum*; invo-
,, catione & glorioſa celebratione Sanctiſſimæ Trinita-
,, tis, quæ in Canticis *Kirie Eleiſon* & *Gloria in Excelſis*
,, *Deo*, peraguntur; precatione ſui collecta, recitatio-
,, ne Verborum Propheticorum aut Apoſtolicorum,
,, quam vocamus *Epiſtolam*; Sacris Canticis, quæ voca-
,, mus *Gradualia*, & *Alleuia*, & quæ ſequuntur; lectione
,, Evangelica; Symboli recitatione, ſeu Profeſſione Fidei
,, Catholicæ; Cantico quod, non ſine Miſterio, *Offerto-*
,, *rium* appellatum eſt; gratiarum actione, quæ dicta eſt
,, *Præfatio*; Religioſa Commemoratione Mortis & Con-
,, ſecratione Corporis & Sanguinis, quæ fit in Cano-
,, ne; rurſus Precationibus inter quas eſt Oratio Do-
,, minica, quæ eſt Symbolum Chriſtianæ caritatis; mox
,, Communio; rurſus Canticum quod *Communne* ap-
,, pellatur ,,.

XII. Idem *Concil.* COLON. Cap. 27. hæc tradit: ,, Do-
,, cendus eſt populus quale ſit Miſſæ Sacrificium, nem-
,, pe Repreſentativum. Semel quidem CHRISTUS mor-
,, tuus juſtus pro injuſtis; verus Deus & Homo verus
,, ſemel tantùm in Cruce pependit, offerens Patri ſe-
,, metipſum, Hoſtiam vivam & paſſibilem immorta-
,, lem vivorum & mortuorum Redemptionis efficacem,
,, & tamen quotidie immolatur in Sacramento; non
,, quòd CHRISTUS toties occidatur; ſed quòd il-
,, lud unicum Sacrificium myſticis ritibus quotidie re-
,, novetur; quotidianaque recordatione mortis Domi-
,, ni, qua liberati ſumus, in edendo & potando Car-
,, nem & Sanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, hoc
,, ipſum repreſentetur, quod olim factum eſt; facitque
,, Oblatio moneri nos, tamquam videamus præſentem
,, Dominum in Cruce; elicientes ſubinde nobis ex il-
,, lo fonte inexhauſto gratiam ſalutarem; immola-
,, muſque Hoſtiam pro vivis & defunctis, dum pro
,, illis Patrem per Filii mortem deprecamur ,,.

XIII. Paſtoribus injungimus, ut doceant frequenter populum, quod Chriſtianorum ſit integro Sacro auſcultare, quo participes fiant Confeſſionis, quam Sacerdos pro tota Plebe facit, & omnium Orationum & Benedictionis, qua eos dimittit. *Concil.* COLON. II. *ann.* 1549. *Cenſur.* & DECRET. *N.* 181.

XIV. Docendus eſt populus ab exterioribus iſtis ceremoniis, quibus nonnullæ res vel benedicuntur, vel conſecrantur, ut ſignatis potiùs quàm ſignis inhæreat ac intendat. Quod & in omnibus aliis obtinet ceremoniis, alioquin parum ad pietatem profuturis; nam qui in exterioribus iſtis conſiſtit, ac non potiùs illis admonetur, ut ad Deum reſpiciat, confugiat, ac totam ſuam fiduciam in illum collocet, huic citiùs externa iſta in ſubverſionem, quàm in ædificationem erunt. *Concil.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 9. Cap. 15.

XV. Parochi populum doceant, loca, Veſtes, & Vaſa uſibus profanis exempta & Sacramentorum CHRISTI Miniſterio mancipata, ideò conſecrari & benedici, ut ſciamus nonniſi Sacris & Divinis rebus vacandum, gratia Dei, ſeu Numine Divino præſente. Præterea res alias humanis uſibus neceſſarias in nomine CHRISTI per Orationem Miniſtri & Verbum Dei benedici, ut nobis Divina Beneficia contra adverſarias poteſtates, & machinationes inimici pertinaciter nos oppugnantes proſint. *Syn.* AUGUST. *N.* 23. *ann.* 1548.

XVI. A Parochis de ceremoniarum ſignificationibus populum doceri volumus; veluti cereos ad laudem & gloriam ejus, qui lucem inacceſſibilem inhabitat, & omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, accendi: Thura incenſa ſignificare Orationes & deſideria noſtra cum odore bonorum operum ad Deum aſcendere oportere. Proceſſiones lætas, noſtram de CHRISTI triumpho & gloria exultationem: Lugubres, noſtrum in hac lacrimarum valle exilium indicare, ex illis Deo gratias agi, his veniam peccatorum & pro vindicta miſericordiam implorari. *Ibid.*

XVII. Idem etiam, ſaltem Dominicis & aliis Feſtivis diebus, pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit doceri curabunt, & ſi opus ſit etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 4. *ann.* 1563.

XVIII. Parochi ſingulis Dominicis, & aliis Feſtis diebus, qui Eccleſiæ Præcepto agi ſoleant, pueris ſingulis in ſuis Parochiis initia fidei tradant; eoſque ad obedientiam primùm Deo, deinde Parentibus, præſtandam erudiant; ac propterea à prandio, ſtata hora, proprio campanæ ſono, ad id munus aſſignato, ad Eccleſiam convocandos curabunt. *Concil.* MEDIOL. *ann.* 1565. *Part.* Cap. 4.

XIX. Clerici quicumque Dominicis Feſtiſque diebus, qua hora in Choro Divinis Officiis aſtricti non ſunt, Parochum, intra cujus Parochiæ fines habitant, in Doctrinæ Scholis ubicumque loci intra fines illius Parochiæ conſtitutis, adjuvent, idque in Urbe & Diœceſi, ad præſcriptum eorum, quibus id curæ ab Epiſcopo datum erit. *Concil.* MEDIOL. IV. *ann.* 1576. *Part.* 1. Cap. 26.

XX. Dominicis Feſtiſque diebus fidei præcipua Capita Parochos ipſos, aut alios eorum nomine pueros rudioreſque è papiolo pomeridianis horis palam in Templo edocere, & benè vivendi, orandi, confitendi, communicandique rationem iiſdem explicare omni vigilantia compellant. *Concil.* TOLET. *Part.* 3. Cap. 13.

XXI. Curent Epiſcopi, ut omnes ſuæ Diœceſis Curati ſingulis Dominicis & aliis Feſtis diebus, pueris in ſuis Parochiis initia fidei tradant, eoſque ad obedientiam Deo, Parentibus, Superioribus, præſtandam erudiant: Propterea à prandio conſtituta hora, certis campanæ ictibus ad Eccleſiam eos convocare non omittant. *Concil.* AQUAN. *ann.* 1585.

XXII. Diebus Feſtis & maxime Dominicis, expleto Veſpertino Officio, jubet Sancta *Synodus* Ludimagiſtros docere eadem rudimenta Fidei & Cathechiſmi pro captu & ingenio juventutis; huic negotio tàm in Pagis quàm Oppidis Paſtores incombant, aut Sacellani, aut Clerici, ſeu Matriculi. *Conc.* CAMBR. *ann.* 1565. & quantùm fieri poſſit in ſcholis puerilibus puellæ à pueris ſeparentur. *T.* III. Cap. 2.

XXIII. In omnibus Parochiis ſint qui doceant jam juventutem, maximè in his quæ numeroſam Plebem habent, Paſtorque ſingulis menſibus diligenter inquirat quantùm proficiat pueritia; idque maxime provideat, ut à teneris annis imbuatur timore & amore Domini. *Ibid.* Cap. 5.

XXIV. Cum omnibus Fidelibus ad ſalutem neceſſarium ſit Chriſtianæ Fidei rudimenta ſcire, ideò curabunt Epiſcopi ſinguli, ſaltem Dominicis, pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta & obedientiam erga Deum & Parentes diligenter doceri per Parochos, alioſque animarum quovis modo Curatores, ad quos præcipuè

puè hoc munus ſpectat. Quo verò ſtudioſiùs Parochi in eam curam incumbant; id etiam curet Epiſcopus, ut in ſingulis Diœceſis ſuæ Oppidis & Vicis, ubi id commodè fieri poteſt, Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas inſtituatur, quæ in eo munere ipſos Parochos adjuvet. *Concil.* AVENION. *ann.* 1594. Cap. 8.

XXV. Quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia ſuperſtitionibus inquinatur, Parochi ſubditos ſuos diligenter de illis doceant, & inter cætera eſſe ſuperſtitioſum, eaſpectare quemcumque effectum à quacumque re, quem res illa, nec ex natura ſua, nec ex Inſtitutione Divina, nec ex Ordinatione, vel approbatinne Eccleſiæ, procedere poteſt. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1607. *T.* XV. Cap. 1.

XXVI. Scholas Dominicales frequentantes præcipuè inſtiruantur in rudimenris fidei, & ante omnia doceantur *Orationem Dominicam*, *Salutationem Angelicam*, *Symbolum Fidei*, *Præcepta Decalogi & Eccleſiæ*, *Modum confitendi*, *ac Miſſæ Sacrificio inſerviendi*; & qui grandiores ſunt *rationem etiam ſe parandi ad Communionem*. Concil. MECLIN. *ann.* 1607. *T.* XX. Cap. 5.

XXVII. Eadem Syn. *eod. T. Cap.* 3. declarat ſe optare, ut puellæ à mulieribus, pueri à viris, inſtruantur, præcipitque ut, ubicumque id fieri non poterit, ſeorſim inſtituantur à viris. Ut populus quod bonum eſt à malo diſcernere, & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſcire valeat: Parochi omnes, ſingulis diebus Dominicis, in Scadafallo Eccleſiæ, ac inter Miſſarum ſolemnia, populo nunciabunt quæcumque per nos & Coepiſcopns noſtros conſtituentur, & nominatim diſtincta, & intelligibili voce recitabunt Orarinnem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apnſtolicum, Dei & Eccleſiæ Præcepta, ſeptem Peccata Mortalia, Virtutes Theolog. & Cardinales, & fuſiùs ea populum docebunt, quibus ad virtutem allici & à vitio abduci poſſit; negligentes verò Parochi à locorum Ordinariis puniantur. *Conc.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 2.

XXVIII. Præcipimus omnibus Rectoribus, Vicariis perpetuis, & aliis animarum curam habentibus, ut ſingulis diebus Dominicis poſt prandium, dato campanæ ſigno, Patresfamilias cum pueris in Eccleſia convocent, ubi ens fidei rumenta edoceant & ſuper eiſdem diligenter interrogent, formam Catechiſmi inſequentes. *Ibid.*

XXIX. In omni Eccleſia Parochiali ſingulis Dominicis anniverſaria, quæ in hebdomadam proximè ſequentem in eadem celebranda erunt, denuncientur: Idem de ſeptimo & trigeſimo & alio hujuſmodi Officio præſtetur. *Concil.* MEDIOL. VI. Cap. 17. *ann.* 1581.

XXX. Dominicis diebus Parochus non ſolùm Feſtos dies populo denunciet; ſed etiam illum ſæpe doceat, quæ Officia, tùm in illis, tùm in eorum Vigiliis colendis, ab eo religioſè præſtari oporteat. Eumdem doceat Chriſtianum hominem non decere opus aliquod ſuſcipere, aggredive, antequam Dei auxilium religioſis precibus imploret; dicit enim Dominus, *ſine me nihil poteſtis facere.* Concil. AQUEN. *ann.* 1585.

XXXI Pronis tum Primæ, tùm Majoris Miſſarum Parœcialium, *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Confeſſionis Methodum*, *Decalogum*, *cum Eccleſiæ Præceptis*, *Sacramentorum numerum*, *nomina*, *vim & effectum* ſigillatim lingua vernacula populo declarent. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1583.

XXXII. Presbyter, ſeu Miſſalis Sacerdos, in diebus Solis & Miſſalibus, Evangelii ejus intellectum populo dicet Auglicè, & ipſorum etiam *Pater Noſter & Credo*, toties quoties poterit ad eos inſtruendos adhibere; & ut Symbolum Fidei memoriter diſcant, Chriſtianamque ſuam teneant Confeſſionem, monente hoc Domino & Propheta inquiente: *Canes muti non poſſunt latrare*, *oportet nos latrare & exhortari Laïcos*, *ne forte pro defectu inſtructionis perdamus eos.* Canon ÆLSR. Sæculo X.

XXXIII. Obſervent Parochi ſui gregis vitia, & communia, vel propria cujuſque peccata, iiſque corrigendis cum omni manſuetudine & charitate, cùm publicè omnes, tùm privatim ſingulos admonendo, diligentiam adhibeant: ſi qui contentione diſcordes fuerint, vel odia in ſe viciſſim ſuſceperint, aut ſimultates eacreverint, curent eos quamprimùm ad pacem & fraternam concordiam revocare. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1583.

XXXIV. Sicut ſtudendum eſt Sacerdotibus ut Auditores ſui Myſterium Baptiſmatis intelligant, & Deo opem ferente operibus compleant, ita procurare debent, ut abrenunciationes, quas in Diabolum, ſuaque opera, & pompas, fecerunt, intelligant, & his intellectis, ne denuò ad eas redeant, ſollicitè invigilent. Abrenunciare Diabolo eſt illum penitùs reſpuere, ſeque & unumquemque ab eo alienare: Opera ejus ſunt quæ operibus Salvatoris contraria exiſtunt, primùm ſuperbia, cæteraque vitia, quæ ex radice illius pendent. pompa Diaboli, *hoc eſt*, quæ pompa mundi, *id eſt*, ambitio omniſque cujuſlibet rei ſuperfluitas in humanis uſibus. *Concil.* PARISIENS. VI. LIB. I. Cap. 11.

Ne patiatur Parochus cujuſvis Ordinis Regulares in Eccleſiis ſui Ordinis intra Parochiam ſitis Concionem habere, niſi ex ſcripto teſtimonio perſpexerit à Superioribus facultatem obtinuiſſe, & ab Epiſcopo benedictionem petiiſſe, neque itidem in alienis Eccleſiis, niſi facultatem ab Epiſcopo conceſſam oſtendant. *Concil.* MEDIOL. III. *Cap.* 3. *ann.* 1573.

Cæteros Canones circa Prædicationes Parochi collectos habes ſub Titulo *Concionator*,

§. V.

Sacramentorum Adminiſtratio.

I. Librum, qui dicitur *Manualis* habeant ſinguli Sacerdotes Parochiales, ubi continetur ordo ſervitii Extremæ Unctionis, Catechiſmi, Baptiſmi, & hujuſmodi. Ooo PARIS. *Conſtit.* Cap. 8. *N.* 4. *circa. ann.* 1200.

II. Quia animarum cura ad viros Eccleſiaſticos pertinens, in ſeptem Sacramentis Eccleſiaſticis, & eorum adminiſtratione, potiſſimum conſiſtit, idcirco &c. *Syn.* LINGON. *ann.* 1404.

III. Vetamus, ne quis extra licentiam audeat conferre Sacramenta. *Conc.* REM. *ann.* 1583. *De Sacrament.*

IV. Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur Libellum Officialem (Manuale) à Sacerdote ſuo accipiant, ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant, ne per ignorantiam etiam Divinis Sacramentis offendant. *Concil.* TOLET. IV. Cap. 16. *ann.* 633.

V. Nemo tempore Quadrag. Pœnitentium Confeſſiones audiat, præter Paſtorem; hujus enim intereſt ovem recognoſcere pro qua ſuam animam fœnerat Domino. *Statut. Synod. Eccleſiæ* REM. *per* SONNATIUM *ſæcul.* VII. *circa annum* 630.

VI. Nullus cujuſcumque Dignitatis Eccleſiaſticæ percipiat gradum, qui non baptiſandi perfectè noverit ſupplementum. *Concil.* TOLET. VIII. *ann.* 653. Cap. 8.

VII Singuli Sacerdotum Sacramenta, quæ circa Baptiſmate initiandum Chriſtianum agenda ſunt, & quæ ad viſitandum infirmum pertinent, exponere valeant. WALTER. C. 20. 47. *ann.* 871.

VIII. Omnibus quibus animarum cura incumbit, Sacramenta ipſa ſanè intelligere, ac ſcire Plebi ſibi

ſibi commiſſæ ritè conſerre, expedit & oporret, & tantò circa eorum Collationem cautiùs ſe habere, quantò utiliora ſunt & magis neceſſaria ad ſalutem. *Synod.* EXON. Cap. 1. *ann.* 1287.

IX. Presbyteros monemus in Domino Noſtro JESU CHRISTO, ſive conficientes, ſive miniſtrantes Sacramentum, quod circa hæc diligentes ſint, & attenti ad ea quæ dicunt, habendo intentionem actualem & virtualem ad minus faciendi illud Sacramentum, & ideò pronuntient diſtinctè, nec feſtinanter, ne aliquid omittant: exhortamur ut ante adminiſtrationem ſint contriti, & confeſſi, & cum magna fide, reverentia, gravitate, modeſtia, & cautela, ſuis miniſtrent Parochianis. *Synod.* CARN. *ann.* 1526.

X. Emendari placuit, ut qui baptiſantur, ut fieri ſolet, nummos in concham non immittant, ne Sacerdos quod gratis accepit diſtrahere videatur. *Conc.* ELIBER. Cap. 4. *ann.* 305.

XI. Baptiſandis pretia nulla præfigant, quo, vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis ſui cauſas adire deſpiciant. DECRET. GELAS. Cap. 5. *an.* 494.

XII. Si pro baptiſandis pretia quælibet vel præmia voluntariè oblata ſuſceperit Presbyter, tribus menſibus excommunicatione plectatur. *Cap.* 8. *Conc.* TOLET. *ann.* 675.

XIII. Ne pro Sacramentis conferendis, vel collatis aliquid exigatur diſtrictiùs prohibemus. *Concil.* LATER. *ann.* 1179. Cap. 9. *De Simonia.* Idem vetat *Concl.* LONO. *ann.* 1200. Cap. 8. & *Concil.* LATER. *ann.* 1216. Cap. 42. *De Simonia. Synod.* GALON. Epiſcopis Pariſienſ.

XIV. Conſtituit *Synod.* ne aliquis Sacerdos quicquam exigat pro adminiſtratione aliqua Sacramentorum, quo uſque ex toto fuerit miniſtratum, & tunc ſecundùm Eccleſiæ Conſuetudinem, poterit quod juſtum eſt expetere, & à ſuis invenerit Prædeceſſoribus ordinatum. *Concil.* BURDEG. *ann.* 1255. Cap. 26.

XV. Ut nullus Presbyter Sacrum Officium, Sancti Baptiſmatis Sacramentum, aut aliquid donorum ſpiritualium, pro aliquo pretio vendere præſumat, ne vendentes & ementes in Templo columbas imitentur, ut pro his qui ſunt adepti gratiam Divinam non pretia concupiſcant terrena, ſed ſolam Regni Cœleſtis gloriam promereantur accipere. *Capitul. ann.* 801. *n.* 18.

XVI. Ne quis pro Baptiſmo, ſive pro Euchariſtia, aut infirmorum Viſitatione, quidquam exigeret. *Concil.* REM. *ann.* 1049. Cap. 5. *ſub* LEONE IX.

XVII. Ut Parochi de ſuis ovibus rationem reddere poſſint, cùm neceſſe fuerit ſingulis annis, quatuor Libros, ſeu Indices, conficiant in quorum uno Baptiſatorum, & Suſcipientium, Parentumque nomina cum die & anno deſcribant; in altero contineantur omnes, qui ſtatuto ab Eccleſia tempore ad Confeſſionem & Communionem venerint; in tertio recenſeantur, qui Matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerunt; in quarto mortui & ſepulturæ Chriſtianæ traditi enumerentur. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1583. *Concil.* AUREL. *an.* 1260. *Conc.* ROTHOM. *an.* 1581. Alia *Concilia* ſecundo Libro ſubrogant Librum Confirmatorum. *Concil.* MEXIC. *ann.* 1585. AVENIO *ann.* 1594. AQUILEI. *ann.* 1596. Cap. 6. *Concil.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 32.

XVIII. Parochi ſint zelantes in ſalute fidelium procuranda, ſint diligentes in Sacramentis miniſtrandis, & cùm ea miniſtrant, animadvertant & ſervent diligenter Sanctas Eccleſiæ ceremonias, ut fideles ex eo ædificentur; ſint ſtudioſi in Verbi Dei Prædicatione; ſit vigilans eorum cura erga infirmos; ſint diligentes & ſolliciti in Divinis Officiis, in Funeralibus, in Proceſſionibus; ſit maxima eorum diligentia in exercitatione populi ad ſtatutas Orationes; ſit accurata inſtantia in Feſtorum dierum Cultu obſervando; ſit diligens eorum cura in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ; ſint ſolliciti in ſpeculatione populi; ſint eorum monita ſalutaria; ſit magna vigilantia in reliquis Parochialis muneris partibus, præcipuè verò in obſervatione Decretorum hujus Synodi. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585.

XIX. Quamvis nefaria ſit & ſimoniaca pro Sacramentorum adminiſtratione pactio & licitatio, nihilominus qui catechiſatur debet miniſtrare in omnibus ei, qui catechiſat, & rependere temporalia ſeminanti ſpiritualia. Proinde ſicut damnamus Curatorum exactiones, ita non tantùm ingrati animi, ſed contra naturæ debitum & Jus Divinum nitentis, & corrupti eſſe judicamus, diſpenſanti Sacramenta ad ſalutem requiſita, non ſuppeditare victui neceſſaria. *Concil.* ROTHOM. *an.* 1581.

Præcipimus Presbyteris SALTZBURG. quatenus ſine pactione, aut conventione prævia, Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare debent; explodere verò antiquas & laudabiles Eccleſiarum Conſuetudines, pia fidelium devotione introductas, non intendimus. *Concil.* SALTZBURG. *ann.* 949. 1420. Cap. 7.

XX. De adminiſtratione Sacramentorum paciſci, aut aliquid ab initio exigere, nemo poſſit aut debeat, & propter ejuſmodi à Parochianis neglecta, non liceat aliquod Sacramentum denegare: Refert *Cleric. Germ. ann.* 1524. *Cap.* 6. Parochialia Jura, quæ uſus recepit, non abrogamus. *Ibid.* Provideant Diœceſani, ne Eccleſiarum Parochi Rectores indebitas exactiones pro Sacramentorum adminiſtratione faciant. *Concil.* SEN. *ann.* 1528. *Cap.* 2. Prohibemus ne poſthac pro adminiſtrandis Eccleſiæ Sacramentis pecuniæ quicquam exigatur. *Concil.* NARBON. *ann.* 1551. Cap. 41.

XXI. Illud diligenter caveant, ne pro illis adminiſtrandis ab ullo vel omnium rerum inope Sacerdote, verbis, aut etiam ſignis, quicquam prorſus vel minimùm quovis modo petatur, exigaturve.

Poſtquam dixit exigentem puniendum ut Simoniacum, addit Laïcos cogendos ad ſervandas piè introductas Conſuetudines. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Sacramentis.* Idem habet *Concil.* TOLOS. *Part.* 2. *ann.* 1590. Idem *Concil.* AVEN. *ann.* 1594.

XXII. Ne Sacerdotum in Sacris tractandis negligentia & incuria populi pietatem imminuat, præcipimus, ut præſcriptas à majoribus noſtris in Sacramentis adminiſtrandis ceremonias, non ſolùm diligenter, ſed ſumma cum animi attentione & religioſè obſervent, nihil omninò addentes, nihil detrahentes. *Concil.* BURDIGAL. *ann.* 1583. Quæ aut in Divino Cultu ornatum augent, aut mentes hominum ad pias & utiles cogitationes excitare poſſunt, diligenter retinendas cenſemus, præſertim eas, quas ex multa antiquitate profectas & per totam Eccleſiam obſervatas, ut per manus traditas accepimus, quales ſunt quæ in adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſueverunt. *Concil.* MOGUNT. Cap. 40. *Ex his quæ ad fidem pertinent.*

XXIII. Si quis dixerit acceptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato Miniſtris pro lubitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit. *Concil.* TRIDENT. SESS. VII. Cap. 13. *ann.* 1547.

XXIV. Ceremoniæ omnes, quæ ſignacula ſunt pietatis & Religionis Chriſtianæ, quaſque vel ab Apoſt. vel ab Eccleſiæ Catholicæ traditione, quaſi per manus accepimus, ut ſanctè & piè ſunt invectæ, ſic religioſè conſerventur in Eccleſiis.

Novæ autem ceremoniæ nullæ in Eccleſiis recipiantur ſine Epiſcopi judicio, qui ſecùs fecerit puniatur; ſerventurque Decreta *Concil* TRID. *De Ceremon. Conc.* CAMERAC. *ann.* 1565. TOM. Cap. 6.

XXV. Ut fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta, majori cum reverentia, atque omni devotione, accedat, Parochi noſtri ſtudeant quàm familiariſſimè poterunt, pro ſuſcipientium captu, prius illorum vim & uſum, juxta Catholicæ Eccleſiæ Doctrinam, vernacula

nacula Lingua explicare, ad eorumque dignam perceptionem capaces incitare, ne Plebs imperita ignoret quantum sit sibi à Christo relictum contra peccata remedium, vel eo abutatur ad mortem & damnationem, quod illi præparavit Salvator Noster ad salutem & beatitudinem. *Statut.* 3. *Conc.* Ram. *ann.* 1564. *Concil.* Trident. Sess. XXIV. Cap. 7.

XXVI. Per se ipsos Sacramenta ministreur, & munera atque Officia Ecclesiarum suarum præstent, neque ab ipsis etiam secundariis, nisi justa de causa detenti, fieri aut ministrari permittant. *Conc.* Aquan. *ann.* 1585. Narbon. *ann.* 1609 Cap. 32.

XXVII. Sive cùm baptisant, sive cùm absolvunt, sive cùm aliud Sacramentum conferunt, justum quidem esset ac pium ab ipsis aliqua præfatione in Lingua vulgari explicari vim & virtutem Sacramenti, quod ipsis à *Concilio* Tridentino mandatur. Si tamen donec aliter provisum fuerit ad id præstandum minùs idonei sunt, saltem signorum exteriorum honestate ac dignitate, ostendant res Divinas ac Sacras ibi contineri, & vocis ac gestus honore & gravitate, easdem à se tractari ac donari. *Syn.* Ebroic. *ann.* 1576. *Decret. Ecclesiæ Gall. L.* II. *T.* 1. *C.* 36. *Concil.* Rothom. *ann.* 1581. *Concil.* Tolos. ad perendam à Catechismo 7. Rom. hanc explicationem.

XXVIII. Fidelibus piè Sacramenta ministrent, semperque afferant quod ad explicandam utilitatem Sacramentorum & institutionem pertinet. *Statut.* Rem. per *Dominum* Sonnatium *circa annum* 630.

XXIX. Ut fideliis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione, accedat, præcepit Sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solùm cùm per se ipsos erunt populo administranda, priùs illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenterque, etiam vernacula Lingua, si opus sit & commode fieri poterit, servari studeant juxtà formam à Sancta Synodo in Cathechesi singulis Sacramentis præscribenda, quam Episcopi in vulgarem Linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Cap. 7. *ann.* 1563.

XXX. Ceremoniarum varietas non mediocriter Christianos offendere consuevit, ne id accidat diligentissime est præcavendum, uniformis itaque Sacramentorum administratio, quantùm fieri poterit, religiosissimè ab omnibus observetur, quod ut faciliùs fiat, in Rituum Libro descriptas ceremonias unusquisque perdiscere, & exequi pro viribus conabitur. *Concil.* Tolos. *ann.* 1590. *Part.* II. Cap. 1. *N.* 3. Fiat brevis formula rerum, quæ necessariæ sunt Lingua Gallica, de materia, forma, & ritu cujusvis Sacramentorum, pro Parochis Provinciæ. *Concil.* Auren. *ann.* 1594. Cap. 11.

XXXI. Curati omnes, tàm Seculares quàm Regulares, in Sacramentis administrandis præscriptam in Rituali Provinciæ formam teneant, quousque à Sede Apostolica, Rituale ad usum Universalis Ecclesiæ evulgetur; si qui verò aliter Sacramenta administraverit, tamquam perturbatores Ecclesiastici Ordinis punientur. *Concil.* Mexic. L. I. Tom. V. §. 1.

XXXII. Sacrosancta verba, quæ in Missæ celebratione & Officio Baptismi solemniter dicuntur, interpretari, atque exponere posse propria Lingua, qui nesciant, discant; necnon & ipsa Sacramenta, quæ in Missa ac Baptismate, vel in aliis Ecclesiasticis Officiis visibiliter conficiuntur, quid spiritualiter significent & discere studeant, ne vel in ipsis intercessionibus, quibus pro populi delictis Deum exorare noscuntur, vel Ministerii sui Officiis inveniantur quasi muti & ignari, si non intelligunt nec verborum suorum sensum, nec Sacramenta, quibus per eos alii ad æternam proficiunt salutem. *Concil.* Cloveshoviæ. II. *anno* 747. idem habet; sed fusiùs *Conc.* Colon. I. *ann.* 1536. loco supra Citato, dum *De Prædicatione.* Quod fiet (*hoc est* excitabitur fidelium devotio) cum Parochus sub administrationem cujuslibet Sacramenti, Sacra Concione populum breviter admonuerit quid in ea re agatur. *Ibid.* Cap. 2. *In cit. Conc.* Colon.

XXXIII. Nullus Presbyter pro pecuniis vendar suum Ministerium, nec pro eodem quidpiam petat, neque pro alio aliquo Ministerio exequendo, ne sit eorum similis, quos de Templo Christus ipse flagro expulit, quòd mercaturam nequiter exercebant in eodem; Dei siquidem Ministri non faciant Ministeria, ut pecuniam inde sibi conferant, sed gloriam mereantur sempiternam. *Can. Alfrici. N.* 27. *sæcul.* X.

Articulus I.

Peculiares Canones circa Baptismum.

I. Clericos, qui in Oratoriis quæ sunt intra domos Sacra faciunt, vel baptisant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere decernimus, quare si quis Clericus hoc non sic servaverit, deponatur. *Concil.* Trull. Cap. 31.

II. Parocho baptisandi munus ita proprium ut hinc Ecclesiæ Parochiales dictæ sint *Baptismales;* Ecclesias Baptismales nullatenus Laici tenete debeant; sed per Sacerdotes gubernatæ fiant. *Capitul. anno* 793. *N.* 2.

III. Ut audiant Episcopi Baptisterium Presbyterorum, ut secundùm morem Romanum baptisent. *Capitul.* 3. *anno* 789. Ut signaculum & Baptisterium memoriter teneat. *C.* 3. 1. *Capitul. datis Presbyteris* 804. Tom. I. *p.* 7.

IV. De quibus dubium est utrum sint baptisati an non, omnimodo absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmissis: *Non te baptiso; sed si nondum baptisatus es, baptiso te in nomine Patris Filii & Spiritùs Sancti.* Capitul. *L.* VI. *N.* 84. Non notatur unde desumatur. Idem fere habetur in Decretis Bonif. Archiep. Mogunt, his Libris antiquioribus.

V. De Baptismo unusquisque Archiepiscopus suos Suffraganeos diligenter, studioseque admoneat, quatenus per studium Sacræ Lectionis imbuti de Sacramento Baptismatis unusquisque illorum in propria Parochia, Diœcesi, perfectè studioseque Presbyteros instituere non negligat. *Concil.* Arelat. VI. Cap. 3. *ann.* 813.

VI. Episcoporum sit magna solicitudo, suis Presbyteris tradere Bapt. Sacram. & quid in eodem renunciandum, quidve credendum: Renunciatur Diabolo & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur & sunt, homicidia & alia similia, quæ omnini Diabolico instinctu priùs cogitatione concipiuntur quàm opere perpetrentur; pompæ ejusmodi sunt superbia, jactantia: ex *Concil.* Turonens. *ann.* 813. Cap. 18.

VII. Si parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum, Baptismi gratia, de cujuslibet Parochia allatus fuerit, ei Baptismi Sacramentum nullo modo negetur; si quis hoc munus petenti concedere detractaverit, & ille parvulus absque Baptism. gratia morruus fuerit, noverit se ille, qui eum non baptisavit, pto ejus anima rationem redditurum. *Capitul.* 53. Theodulf. *N.* 17. *ann.* 797. Idem Canon refertur inter eos, qui falsò attributi sunt sextæ Synod. uiquing ex eodem Capitul. desumpti.

VIII. Perpendant Presbyteri quanti discriminis sit animas innocentium per eorum negligentiam à Regno Dei excludi: Si enim gaudium est in Cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quid putas quanta ira, & indignatio super illum erit, qui per suam negligentiam januas Paradisi innocentibus clausit? & ideò Presbyteri summa diligentia caveant, ne animas, pro quibus *Sanguis* Christi effusus est, per suam incuriam à Cœlesti Beatitudine separent. Regin. Lib. I. C. 129.

C. 129. ex *Pœnitentiali scripsit* & ANGOB. 130. Culpa hæc subjicitur Pœnitentiæ trium annorum, quorum Jus est in pane & aqua.

IX. Ut Plebibus denuncient qui filios & filias spirituales, quos in Baptismate suscipiunt, & eis Fidejussores & Sponsores fidei existunt, & pro eis Diabolo, cui antea mancipati fuerant, abrenunciant, & ideò usque dum adulti fuerint, & eis fidei suæ sponsionem & abrenunciationis exposuerint & reddiderint, in sua providentia habeant, & quod illi, qui pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa exigant. *Capitul.* AHITON *n.* 25. *Saculo IX.*

X. Quoniam Christiani, & Satanam, & Mundi fastus, pompasque ipso Baptismate ejurant, absurdum sanè videtur, magnifico adeò luxu, inanibusque sumptibus, diem quo Baptismus confertur transigi solemnem; itaque illam Musicorum concentuum concomitationem, risus, jocosque effusiores, & illas per Ecclesiam deambulationes tollimus, oscula demum in Ecclesia omninò dati prohibemus. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Concil.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 16.

XI. Curatus à Compatribus & Comatribus fidei rudimenta sibi recitari faciat, examinato priùs an tales sint quales esse debeant. *Concil.* AQUEN. *De Baptism. ann.* 1585.

XII. GREG. XIII. respondens sextæ difficultati propositæ à *Conc.* ROTHOM. *an.* 1581. circa Baptismi Administrationem, hæc habet: *Ceremonias Baptismi supplendas esse præcedente in adultis abjuratione Hæresis & reconciliatione.* Idem quoque *Concil.* NARBON. *ann.* 1609. *Cap.* 14. Idem quoque dixerat *Synod.* EBROIC. *ann.* 1576. Idem habet *Concil.* REN. *ann.* 1583.

XIII. Præsenti prohibemus Edicto, ne quis de cætero in Aulis vel Cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes deputati, aliquos, nisi Regum vel Principum, quibus valent in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi, audeat baptisare. *Concil.* VISNNENSE *an.* 1311. CLEM. *Unic. De Baptismo*

XIV. Si exactis novem noctibus per negligentiam infans non baptisatus mortuus fuerit, componatur apud Deum, & solvantur præterea illi Parochiæ oræ duodecim; quòd infans tandiù fuisset Ethnicus. *Leges Presbyterorum Nocthumbrensium decimo sæculo* CONC. TOM. IX. *pag.* 721.

XV. Presbyteri, per se ipsos, aut per eum qui Sacrarium tenet, à suis Episcopis Chrisma petant. *Concil.* CARTHAG. IV. Cap. 38. 390.

XV. Nullum Ministrorum, qui baptisandi recepit Officium, sine Chrismate unquam debere progredi. *Concil.* ARAUS. I. Cap. 2. *ann.* 441.

XVI. Presbyteri à propriis Episcopis, per annos singulos Chrisma petant, appropinquante solemnitate Paschali; nec per quemcumque Ecclesiasticum, sed si qua occupatio Ministrorum est per Subdiaconum, quia indignum est inferioribus summa committi *Conc.* VAS. Cap. 3. *ann.* 443.

XVII. Si verò puer baptisatur à Laïco, præcedentia & subsequentia immersionem expleantur à Sacerdote. RICHARD POORE *Episcop. Sarum. ann.* 1217. *n.* 19. CONC. TOM. XI. *p.* 253.

XVIII. Idem dicunt & addunt in Romano: „ Sub „ eadem forma doceant frequenter Sacerdotes Laïcos „ baptisare debere pueros in necessitate, & post mun„ dationem ea facient Sacerdotes pueris, quæ solent „ fieri post immersionem „. ODO PARIS. *Constit.* Cap. 3. *n.* 1. successit MAURITIO mortuo *an.* 1196. Antiquiorem Canonem, qui de omissis in Baptismo extra Ecclesiam propter periculum mortis collaro ceremoniis supplendis loquatur, nullum invenimus, in eoque etiam notandum non omnes adjectas fuisse; sed eas tantùm quæ immersionem subsequebantur. Idem docet *Concil.* LONDIN. *ann.* 1200. *Cap.* 3. ut patet his verbis: *Si in necessitate puer baptisetur à Laïco . . . sequentia immersionem non præcedentia per Sacerdotem expleantur:* E contra *Constitut.* à RICHARD. POORE. *Episcopo Sarum. ann.* 1217. *Cap.* 19. Hæc enim habent, quæ *n.* 16. relatæ sunt. Constitutiones Sancti EDMUNDI *Archiepiscopi* CANTUAR. *Cap.* 12. cujus hæc sunt verba: *Si puer baptisatus fuerit à Laïca præcedentia & subsequentia immersionem à Sacerdote compleantur.* circa annum 1236. Cum restringantur hi Canones ad Baptismum à Laïco collatum, inserre est nihil adjectum, si à Clerico Baptismus collatus esset, si verò puer baptisatus à Laïco præcedentia & subsequentia immersionem compleantur à Sacerdote. Idem dicunt. *Syn.* WIGORN. *ann.* 1240. præcepit suppleri quæ consequuntur immersionem. *Syn.* LINGON. *ann.* 1404. *Synod.* SENON. *ann.* 1524. *Synod.* CARNOT. *ann.* 1526. præcipiunt indistinctè, ut si quis extra Ecclesiam baptisatus fuerit propter mortis periculum, suppleantur in Ecclesia quæcumque omissa sunt. Harum *Synod.* loca à BOCNEL referuntur LIB. II. T. 3. Cap. 35. 37. 38. *Syn.* NEMAUS. *ann.* 1284. vetat fieri Catechismum, atque omitti posse Olei Unctionem. *Concil.* MOGUNT. *ann.* 1549. præcipit iis, in quibus omissæ sunt ceremoniæ, juxtà vetustissimum Ecclesiæ morem suppleri curent.

Si domi baptisatus postea vixerit, omninò intra nonum ab ortu diem, vel cùm primùm per valetudinem licuerit, eum in Ecclesia sistant, ubi si rectam Baptismi formam servatam esse constiterit, ei tantùm ritus Ecclesiæ ac ceremoniæ Baptismi adhibeantur. *Concil.* MEDIOL. *ann.* 1565. *Part.* 2. Cap. 2. *Concil.* REM. *ann.* 1583. *De Bapt. n.* 9. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. De usu supplendi ceremonias omissas in Baptismo fusè actum est in TOM. II. *Consultationum Canonic. De Sacram. Consul.* 1.

XIX. Ex antiquorum Christianorum more & traditione præcipimus, quamprimum commodè fieri poterit, natos pueros ad Baptismum deferri, aliter sine justa causa agentes, cum Curatis id fieri non improbantibus, excommunicatione & suspensione dignos judicamus. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Bapt. n.* 3. Idem *Concil.* BURDIGAL. *ann.* 1583. præter pœnam, additque: *Neque diu Parentes exspectent Susceptores, ne dum in vana ad Baptismum pompa apparanda tempus ineptè teritur, animas* CHRISTI *Sanguine redemptas gravissimo periculo, è qua emergere nunquam possint, exponant.*

XX. Circa non differendum Baptismum idem habet *Concil.* TUR. *ann.* 1583. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Concil.* AVEN. prohibent ne ultra tertium diem protrahatur, nisi aliter visum fuerit Episcopo. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1607. Cap. 7. *De Baptism.* vult ut Obstetrices jurent se curaturas infantes intra tres dies baptisari, aut delaturas Pastori, qui, id ne fiat, impediet.

XXI. Curati, gravi illis pœna arbitraru Episcopi infligenda, in posterum Sacramentum Baptismi ne ministrent iis, qui ad Ecclesiam accedunt cum timpanis, & aliis instrumentis strepitum ac clamorem cum risu & aliis inanis lætitiæ signis excitantibus. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Bapt.*

XXII. Baptismus infantis, qui domi ob necessitatem baptisatus est, in Libro Baptisatorum à Parocho de more referatur, notato Patrini nomine, & ejus, qui domi ad Baptismum, & qui in Ecclesia ad Catechismum & exorcisma adhibitus est. *Ibid.*

XXIII. Nemo nisi Parochus, aut is, cui ille, Episcopusve nominatim concesserit, in Baptismo ministrando Sacras illas solemnesque ceremonias adhibeat, etiamsi ob necessitatem ministret. *Ibid.*

XXIV. In Baptismo Compater ne sit, qui confirmatus non est, eademque cautio de Comatre sit. Proinde Parochi erit, de hoc studiosè ante perquirere. Compater ne adhibentur Regularis aliquis, nec passim Clericus Sæcularis Sacris initiatus, aut Beneficium obtinens, nec minor 14. anno. *Ibid. Synod.* AUGUST. 1548. C. 16.

XXV.

XXV. Quoniam in Baptiſmo unuſquiſque profitetur piè ac religioſè ſe operibus Satanæ renunciare, ejusque pompas deſerere, id Parochus cum uſu tenuerit, populum doceat, præſertimque Baptiſmi tempore, non ſolùm quomodo & quàm ſimplici amictu ad illud infans deferendus ſit, ſed quàm Religioſa in Deum pietate, quo Spiritu, & quanta etiam veſtibus moderatione Compatres Comatresve adeſſe debeant, nec illum vel ornamentum, vel aliud quidquam quod Mundi hujus pompam præ ſe ferat adhiberi patiatur, cùm minimè conſentaneum ſit in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu ſtatim in rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolemni ſponſione renunciatur. *Ibid. Concil.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 7. Cap. 6.

ARTICULUS II.

Canones peculiares circà Confirmationis Sacramentum.

I. SONNATIUS Archiepiſcopus RNAM. in Statutis circa annum 610. inter ea, quæ diſcere debet Curatus, ut doceat, hoc de Confirmatione habet: *Confirmationis Sacramentum habet donum roborantis Spiritûs Sancti, & uberiorem gratiam profert, ideoque non negligatur.* Cap. 5.

II. Quandocumque Jure Canonico Epiſcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum, cum Collectione & Adjutorio populi, qui ibi confirmari debet. *Concil.* GERMAN. *ſub* CAROLO MAONO *ann.* 742. Cap. 3. Confirmatur hic Canon cum cæteris ejuſdem *Concilii* à *Concil.* LINTIN. *ann.* 743. ſub eodem Principe celebratum. Locum hunc refert ANTON. AUGUST. *Epitome Veteris Jur. Canon.* LIB. XXIV. *Tit.* 14. Cap. 6.

III. Adnuncient Presbyteri populis, ut quàm citiùs potuerint, ſuos infantulos ad confirmandoa Epiſcopo præſentare faciant. *Capitul.* LIB. VI. Cap. 177. Eumdem Canonem citat IVO *Part.* 1. C. 253. *ex Concilio* VORMAT. *Cap.* 2. in quo additur. „ quod ſi „ neglexerint Presbyteri & populus Canonicis Diſci- „ plinis ſubjaceant „.

IV. Presbyterorum, qui præſunt Eccleſiæ Miniſterium eſſe videtur, ut de omnibus hominibus, qui ad eorum Eccleſiam pertinent, pet omnia curam gerant, . . Poſt Baptiſma Sactum acceptum ſine manus impoſitione Epiſcopi non remaneat. *Concil.* AQUISGRAN. II. *ann.* 836.

V. Sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum. OOO PARIS. *Succeſſor* MAURITII, *mortuus an.* 1196. *Sancti* EDMUNDI *Archiepiſcopi* CANTUAR. *Conſtitut.* Cap. 39. *an.* 1236. *Statut.* RHEMENS. *circa annum* 1330. *Statut. ann.* 1400. LINC. *ann.* 1404. idem eiſdem verbis habent. Pleriſque his in locis additur non expectandum diù Epiſcopum, ſed ad eum duceudos confirmandos.

VI. Sacerdos ad quem declinabimus, accepto noſtro Nuntio, Epiſcopum viſitare ſubditos ſuos moneat, & inducat, quod pro Confirmationia Sacramento recipiendo, cùm neceſſitas exiſtat, noſtro conſpectui ſe præſentent. *Conc.* BURNIG. Cap. 4. *an.* 1262. *Synod.* BAJOC. Cap. 5. *ann.* 1300. *Syn.* EXON. Cap. 3. *an.* 1287. Moneantur Confeſſiones dare priùs, ut mundi donum Spiritûs Sancti valeant accipere. HSAARD. *Archiepiſcopus* TURON. Cap. 75. *ann.* 858. GRAT. *De Conſecrat. D. S. Cap.* 6. refert & adſcribit *Conc.* AUREL. & nullum hujus nominis *Concil.* eſt quod ſimile quid dicat. BURCH. & IVO *ibidem* citati eidem *Concil.* trihuerunt. ODO PARIS. S. EDMUNDUS, aliique non pauci idem præcipiunt.

VII. Confirmandi ſi fuerint decem annorum vel ultra, priùs Sacerdotibus ſuis confiteantur quàm confirmentur. *Syn.* COLON. *ann.* 1280.

VIII. Præcipimus Curatis, ut moneant hoc Sacramentum ſuſcepturos, ut ſint Jejuni ſi commodè fieri poſſit, & ſi adulti fuerint, ſint contriti & confeſſi; & quod ſi voluerint, poſſint mutare ſua nomina, dummodo abſit fraus & dolus. *Synod.* CARN. *an.* 1526. *Syn.* SENON. *an.* 1524. Quod de mutatiune jam dixerat ODO PARIS.

IX. Nec expedit ut pueris conferatur, donec habeant memoriam competentem, propter quam excitandam alapantur. *Synod.* SENON. *an.* 1524. *Synod.* CARNOT. 1526.

X. Sacerdotes ſuos inſtruant Parochianos, ne Pater aut Mater, Vitricus aut Noverca Puerum ſuum, nec Vir Fœminam, nec Fœmina Maſculum, aut qui confirmatus non fuerit, ab Epiſcopo teneat confirmandum. *Synod.* EXON. Cap. 3. *an.* 1247.

XI. Inter tenentes pueros ad confirmandum, ex una parte, & ipſos confirmatos, & Parentes eorum ex altera, ſicuti in Baptiſmo, cognatio contrahitur ſpiritualis, propter quam ad invicem matrimonium contrahere prohibentur. *Ibid.*

ARTICULUS III.

Canones peculiares circà Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

I. Qui cauſa Orationis ad lumina 6. Apoſtol. pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur; quia à proprio Epiſcopo, aut Sacerdote, ligandi aut exſolvendi ſunt, non ab extraneo. AHITO BASIL. *Epiſcopus n.* 18. *circa annum* 822. à facultate prædicta Papam excludere videtur.

II. Unusquiſque Parochianus habeat ſemel in anno omnia ſua peccata confiteri proprio Sacerdoti, & ad minùs ad Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum reverenter ſuſcipere, juxtà Decretum: *Omnis utriuſque Sexûs*, & ſub pœnis in eo contentis. *Conc.* ROTH. *an.* 1445. Cap. 10.

III. Easque literas, quibus caſus Epiſcopales, qui Religioſis committuntur, in eiſdem nominatim exprimendi, Curatis Eccleſiarum exhibeant, ut Eccleſiæ populo patefieri valeant. *Conc.* DERTUSAN. *an.* 1429. Cap. 17.

IV. Nullus Clericus Sæcularis, ſine Diœceſani, vel Ordinarii, aut proprii Curati licentia, in Eccleſiis Parochialibus ad audiendas Confeſſiones admittatur. *Ibidem.*

V. Inhibemus, ne quis alienum Parochianum, exceptâ neceſſitatis cauſâ, quæ Legem non habet, ad Confeſſionem recipiat non obtenta licentia proprii Sacerdotis; cùm minimè incerti juris, ſed indubitati juris exiſtat, talem à tali crimine ſolvi non poſſe aliquatenus vel ligari, & ex hoc Ordinem Eccleſiæ per majores & Sanctos Patres Divina providentia inſtitutum confundi & perturbari. Et hoc præſens Statutum per univerſos Plebanos ſingulis temporibus, & in præcipuis Feſtivitatibus, coram ſuis Parochianis præcipimus publicari. *Conc.* SALTZBURG. *ann.* 1420. Cap. 25.

VI. Ad faciliorem Canonis: *Omnis utriuſque ſexûs* obſervationem, quilibet Parochus nomina Parochianorum ſuorum, qui ad annos directionis pervenerint, annuatim deſcribant, & illos, qui ſibi vel alteri poteſtatem habenti, de quo conſtet, & confeſſi fuerint, conſignet, eoſque ad accipiendam Euchariſtiam excitet. *Conc.* TOLET. Cap. 5. *ann.* 1339. Idem de omnibus Parochianis præcipiunt varia *Concilia*, idque ut cognoſci poſſint à Parocho. *Concil.* AVENION. *an.* 1594. Cap. 42.

VII. Qui alteri quàm ſuo Parocho confeſſus eſt, is, ſi non factæ Confeſſionis ſuſpectus habeatur, teſtimonium afferet ſe confeſſum eſſe, cujus etiam conſcientiam verus ipſe Parochus in principalibus Chriſtianiſmi Articulis excutere non omittet, ac

ac generatim singuli Parochiani rudiores, anno saltem semel, cùm adibunt Mensam Dominicam, examinandi priùs in Præceptis Domini, Articulis Fidei, Oratione Dominica, ac Ecclesiæ Sacramentis, maximè Baptismi & Eucharistiæ. *Concil.* COLON. 1536. *Part.* 7. Cap. 10.

Nota obiter anno 827. quo prodierunt quatuor Priores Libri Capitularium, nomine *Proprii Sacerdotis* intelligebatur Parochus, ut patet LIB. I. *Capitul.* C. 1. 7. REGIN. LIB. I. *Cap.* 43. Denominationis autem hujus origo hæc videtur esse; uni Presbytero multæ Ecclesiæ committebantur; postea constitutum est, ut suum quæque Presbyterum haberet, qui sibi deserviret, sibique proprius esset.

VIII. Cùm secundùm Canonicas Sanctiones, *Omnis utriusque sexûs*, Sacramenta Ecclesiastica, eidem necessaria seu convenientia, singulariter à proprio debeat recipere Sacerdote, & nonnulli Laïci subditi nostri Sacerdotibus, quibus animarum cura non est, ab Episcopo vel alio habente autoritatem Apostolicam, absque licentia nostra, vel proprii Sacerdotis, scienter præcipere non formident, in suarum periculum animarum, cùm à tali absolvi nequeant vel ligari: Nos volentes, qua possumus cautela obviare, ne sanguis eorum de manibus nostris requiratur, talia fieri generaliter prohibemus. *Synod.* PICTAV. C. 3. *ann.* 1284. Hic Canon primus est, qui expressè doceat Episcopum posse sicut Parochus permittere Parochianis, ut alii quàm Parocho confiteantur, si justa causa subsit; post illum sunt plures alii, qui idem docent, ut patet ex subsequentibus illo posterioribus: Justa causa alia non videtur nisi injusta Parochi illius licentiæ denegatio. Episcopus enim juri Parochi derogare non debet sine causa rationabili. *Cap.* 3. *De Offic. Judic. Ordinar.* & nulla alia nisi prædicta rationabilis esse videtur, illa siquidem quæ petitur ex eo quòd Parochus sit Parochiano infensus, ideòque suspectus, ad aliam reducitur, cùm præsumatur fore ut injustè deneget, sed eo casu satiùs est ut Episcopus licentiam concedat, nisi post denegationem à Parocho factam.

IX. Ut omnis Presbyter omnibus Parochianis suis Symbolum & Orationem Dominicam, aut ipsemet insinuet, aut aliis insinuandum injungat; & cùm ad Confessionem tempore Quadragesimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec ante Sanctam Communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronunciare noverit, siquidem sine horum scientia nullus salvus esse poterit. REGIN. LIB. I. C. 272. ex *Concilio* RHAM. *Tit.* 20. Idem habet AHITO BASIL. Episcopus *Capit.* 2. 2. vixit IX. sæculo & addit discenda hæc tàm vernaculè quam Latinè, ut intelligantur.

X. Omnem rationem init Deus, isque cui Pastoralis traditus est Principatus, ut errantem ovem reducat, & ei quod est à serpente vulneratum medeatur, & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad dissolutionem vitæ & contemptum fræna relaxet; sed una quidem omninò ratione, sive per acriora, sive per astringentia, sive per molliora & laxiora medicamenta, affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus Pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans, & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. *Cap.* 102. *Concil.* TRULL. 692.

XI. Commoneant Sacerdotes mulieres prægnantes de Parochia sua, ut cùm tempus partûs intelligunt instare, sibi prospiciant, quod aquam habeant promptam, & paratam, & quod, propter mulieris periculum, confiteantur, antequam in puerperio jacuerint omnia peccata sua Sacerdoti, ne subitò præoccupatæ non possint, cum voluerint, habere copiam Sacerdotis. *Constitut.* 5. EDM. *Arch.* CANTUAR. Cap. 37. *ann.* 1223.

XII. Quoniam Parochialibus Presbyteris specialiter & præcipuè cura commissa est animarum; statuimus, inhibentes quod infirmantium Confessiones nonnisi per ipsos, si haberi potuerint, vel per alios Presbyteros Sæculares vel Regulares, de ipsorum licentia, audiantur, quam licentiam dari volumus & præcipimus ab eisdem liberaliter & libenter cum fuerint requisiti. *Concil.* ARELAT. *ann.* 1275. Cap. 21.

XIII. Mandat Synodus Pastoribus omnibus, ut Registrum conficiant omnium, quorum, tempore Quadragesimæ, Confessiones recipiunt, atque ut in illud omnes alii, etiam Religiosi ad Confessiones audiendas admissi, eos describi curent, quorum Confessiones exceperunt, & à Pastoribus auditi non sunt, nec alios quàm sic descriptos ad Sacramenta, etiam Matrimonium aut sepulturam admittant. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1570. *De Pœnit. Sacram.* Cap. 5. *Conc.* BURDIGAL. ROTHOM. *Concil.* TOLET. *suprà citat. Conc.* MEDIOL. IV. *ann.* 1576. *Conc.* AQUENSE *Tit. De Pœnit.*

XIV. Alienum Parochianum Laïcum, in præjudicium proprii Sacerdotis, vel ad Confessionem, vel ad Communionem Eucharistiæ, vel ad Sepulturam, scienter aliquis Sacerdos admittat, & præcipuè in solemnitate Paschali, quod si ab aliquo de cætero fuerit attentatum, ad damna resarcienda illius, cui imputatum est, compellatur; alias etiam à nobis puniendus constitit. *Synod. Epis.* ANGLIC. *anonimi* 1237. *C. Concil.* PARIS. *de ann.* 1212. *Part.* 1. Cap. 10.

XV. Nullus Presbyterorum alienum Parochianum ad Confessionem, vel Communionem Corpori CHRISTI præsumat admittere sine licentia proprii Sacerdotis, nisi privilegio audiendi Confessiones à Summo Pontifice sit munitus (de Privilegio ab Episcopo probato loquitur;) Cùm autem à Sacerdote licentia petitur alteri confitendi, Sacerdos personam designet, cui debeat confiteri, ne quispiam tali velamine, nemini confitendo, Pœnitentiæ diffugiat Sacramentum. *Synodus* CICESTRENS. *Cap.* 20. *ann.* 1289. Sunt etiam nunc non pauci Curati, qui præmissam licentiam concedentes assignant Parochiano Confessarium, ne laxiores eligantur: ut autem certiores fiant de facta Confessione exigunt ab illo ut scriptum Confessarii testimonium afferant.

XVI. Nullus Sacerdos alterius Parochianum recipiat ad pœnitentiam, nisi de licentia sui Presbyteri, vel Episcopi. *Concil.* LAMETH. *ann.* 1330. Cap. 2.

XVII. Qui in infirmitate perit Pœnitentiam, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in frænesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia; si supervixerit admoneatur à testibus suæ petitioni satisfactum, & subdatur statutis Pœnitentiæ Legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probaverit. *Concil.* CARTHAG. IV. Cap. 76. 398.

XVIII. Quod si voluerit aliquis alii confiteri, quàm proprio Sacerdoti, petita ab eo modestè licentia non negetur, dum tamen Sacerdoti per assertionem alicujus discreti Sacerdotis constiterit, quod ei conscientiæ suæ vulnera patefecit, alioquin pro non confesso teneatur. *Synod.* WIGORN. *ann.* 1240. Cap. 17.

XIX. Ista commissio data Religiosis absolvendi à casibus Episcopo reservatis, ad casus, in quibus Catholicus quilibet confiteri semel in anno peccata sua proprio Sacerdoti, nullatenus extendatur, nisi ipsius Sacerdotis habita super hoc voluntate. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1299. Cap. 6.

XX. *Concil.* RHEM. *ann.* 1583. *De Pœnit.* prohibet Parochianis, ne alii quàm Parocho confiteantur sine illius obtenta licentia; declaratque illos aliter absolvi non posse.

XXI. Statutum est siquidem quod mulieres prægnantes

tes, quàm citò erùnt vicinæ partui, veniant ad Ecclesiam confiteri peccata sua, & recipiant Pœnitentiam, & Corpus Domini pro maximis periculis evitandis: Si qua in hoc negligens extiterit ad arbitrium sui Prælati disciplinæ subdatur. *Concil.* Copriniac. Cap. 14. *Circa annum* 1260.

XXII. Ut Presbyteri de occultis jussione Episcopi Pœnitentes reconcilient, & infirmos absolvant & communicent. *Herald.* Turon. *Archiepiscopus.* Cap. 59. *ann.* 858. Collectionem autem fecit præcipuè ad utilitatem Curatorum suæ Diœcesis.

XXIII. In infirmitate positi absque dilatione reconcilientur. *Ibid. Cap.* 22. Eadem habentur in Libris Capitul, locis hujus Collect. supra descriptis.

XXIV. Ab infirmis in periculo positis per Presbyteros pura est inquirenda Confessio, non tamen illis imponenda quantitas Pœnitentiæ, sed innotescenda. *Concil.* Mogunt. *Cap.* 26. *ann.* 847.

XXV. Presbyter, qui præest Ecclesiæ, si finem alicujus urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more Sacerdotali, cum acceptione Sacræ Communionis. *Concil.* Aquisgran. *Part.* III. *Cap.* 5. *ann.* 836.

XXVI. Presbyter Eucharistiam semper paratam habeat ad infirmos, ne sine Communione moriantur. *Excerptione* Egberti. Cap. 22.

XXVII. Nulli Religioso, etiam ad Confessiones audiendas admisso, licere volumus, cuiquam Laïco Sacrosanctæ Eucharistiæ Communionem sine speciali consensu Parochi porrigere. *Concil.* Mogunt. *ann.* 1549. Cap. *Ad fidem pertinet.* 27. Deinde Parochis vetat ne alienos Parochianos ad ullum Sacramentum admittant extra necessitatem, vel consensum proprii Parochi, quem dari vult justam causam alleganti.

XXVIII. Nullus Parochianus ab alio, quàm à suo vero Plebano Communionem recipiat, nisi de hoc Privilegiis authenticis sit munitus, contrarium facientes à perceptione Corporis Christi abstineant quousque ipsi Plebano satisfecerint pro contemptu. *Conc.* Colon. *ann.* 1310. *Cap* 10.

Parochi Paschæ tempore Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum iis tantùm ministrent, qui non modò tunc in Parochiæ suæ finibus habitant, verùm etiam majorem anni partem, aut sex saltem menses, in ea habitarent; nisi qui paucioribus ante diebus, mensibusve, illuc habitatum venerint eo animo, ut in ea domicilium habeant; nisi item qui ab Episcopo, propriove Parocho facultate scripto concessum exhibeant in alio loco communicandi. *Concil.* Mediol. *ann.* 1569. Decret. XII.

Articulus IV.

Canones notabiliores circa Sacramentum Extrema-Unctionis.

I. Quando Sanctissimæ Eucharistiæ & Extremæ-Unctionis Sacramenta alicui Præbendato ægrotanti ministranda fuerint per Parochum, sub cujus ille Parochiæ degerit, serico pluviali ornatum, accensis cereis, deputandisque à Præsidente Ministris comitantibus, ei ægrotanti, cui duo Capitulares superiùs nominati in reliquis necessariis adsint, ministrentur. *Ecclesiæ* Mexic. *Statut. Part.* IV. Cap. 5. §. 1. Conc. Tom. XV. *p.* 1374.

II. Feratur ægrotis vase honesto & lumine antecedente & preæunte. Sonnatius *in Statut. Ecclesiæ* Rhem. *N.* 10. *circa annum* 630.

III. Postquam infirmus Sacra Unctione fuerit delibatus, statim Corpore & Sanguine Domini recreandus est. Regin. L. I. *Cap.* 119. *Idem. p.* 23. *N.* 15.

IV. Sacra cum Unctione Dei animati secundùm Statuta Sanctorum Patrum communicatione Viatici reficiantur. *Concil.* Mogunt. Cap. 26. *ann.* 847.

V. In Cœna Domini Oleum petat. *Concil.* Suisson. Cap. 4. *ann.* 744.

VI. In inquisitione à Visitatore facienda *n.* 18. hoc recensetur de Curato inquirendum, si visitet infirmos, si eos reconciliet, si eos Ungat Oleo. „ Curati nulli Parochiano, cujuscumque conditionis „ vel sexûs, in Festo Paschæ, nec in octo diebus im„ mediatè præcedentibus & subsequentibus, concedant „ licentiam recipiendi, nec etiam alicui conferendi Sa„ cramentum Eucharistiæ, nisi ex causa infirmitatis „ extra Ecclesias suas Parochiales vel alias Ecclesias, „ ubi per ipsos Curatos ministrari existit consuetum „. *Concil.* Bitur I. *ann.* 1351.

Extrema-Unctio deferatur laboranti & petenti, eumque Pastor sæpiùs invisat & piè visitet, eum ad futuram gloriam animando & debitè præparando. *Statut. Ecclesiæ.* Rhem. *Personantium. Seculo* VII. Conc. Tom. VI. Cap. 15. *pag.* 1694.

VII. Quamvis Sacramentum Extremæ-Unctionis sit administrandum iis, qui in extremum vitæ periculum adducti esse videntur; tamen non eo usque differendum est, dum æger omnibus pœnè sensibus destitutus sit. *Concil.* Burdigal. *ann.* 1583.

VIII. Parochus caveat ne mors Unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat. *Concil.* Rhem. *ann.* 1583.

IX. Administretur tempestivè à Sacerdote Extrema-Unctio Olei Sancti, ita ut Christianus, mente adhuc integra, Sacramenti efficaciam agnoscere possit. *Concil.* Bitur. *ann.* 1588.

X. Commonefaciendi sunt ægrotantes dum adhuc in illis ratio viget, ut hoc Sacramentum ad salutem suam dignè & devotè suscipiant: Quoniam qui taliter præmonitus & mentis adhuc compos inungi contempserit, hunc Ecclesiastica sepultura indignum decerminus. *Synod.* Paris. Extremæ-Unctionis Sacramentum curet Parochus ut ægroto, dum adhuc integris est sensibus, adhibeatur. *Concil.* Prædiol. I. *Part.* II. *Cap.* 8. Si tamen, vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino casu, sensum omnem amiserit, ut nihil planè intelligar, illius Decreti sententia vetitum non esse declaramus, quin Extremæ-Unctionis Sacramentum ei ministrari liceat, si modo adhuc vivat, & dum usum rationis haberet, animi significationem dederit, ut justè judicari possit eum Sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset. *Concil.* Mediol. III. *Part.* II. Cap. 9.

XI. Cum reverentia deferatur Oleum Sanctum ad infirmos, exeat Sacerdos cum magno honore & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ. Odo Paris. *Successor* Mauritii *mortui anno* 1196. *Constitut.* Cap. 8. *N.* 1. Richar. Cap. 69. *ann.* 1217.

XII. Ad Sacramentum Extremæ-Unctionis moneant populum Sacerdotes, non tantùm divites & senes, sed etiam pauperes & Juvenes omnes à tempore discretionis maximè à 14. anno & suprà. *Ibid. N.* 2. Richard. *Cap.* 68. Utrumque habetur in *Constitut. Synod. Episcopi Anonimi Britan.*

XIII. Ad hoc exequendum Sacramentum Extremæ-Unctionis Sacerdotes promptos ad ægrotos procedere, horis quibuscumque fuerint accersiti *Synod.* Wigorn. *ann.* 1140. *Cap.* 19. Sacerdos, qui se pigrum exhibet in visitandis infirmis, noverit condigna animadversione plectendum. Quidam abhorrent hoc Sacramentum percipere, quod sibi vix in ipso mortis articulo sustinent exhiberi, propter quod forsan accidit, quod ejus expertes plurimi ad hac luce subtrahuntur: Contra hunc igitur errorem, cum aliis eos per Sacerdotes suos crebris exhortationibus præcipimus præmuniri. *Ibid.*

XIV. Cum reverentia, Aqua Benedicta & Cruce præcedentibus, Sacerdos deferat Oleum Sacrum ad infirmos, & dicat septem Psalmos. Si via fuerit longa, dicat

dicat Litanias, & alias Orationes ad hoc constitutas. *Synod.* COLON. *ann.* 1280. Cap. 6.

XV. Nec propter paupertatem, seu defectum candelarum, vel indumentorum lineorum, quæ in hoc Sacramento solent, causa reverentiæ, adhiberi, à Sacerdnte inunctio dimittatur; sufficit enim una candela, & quod inlirmi cuncta membra singulariter & diligenter extergantur tum stupa, quæ post extersionem in igne comburatur. *Ibid.*

XVI. Si qui ex morbi gravitate in amentiam inciderint, consideranda est enrum vita præcedens, qui si laudabiliter vitam duxerint anteactam & Christianè, ab ejus Sacramenti perceptione arceri non debent. *Synod.* PARIS. *ann.* 1557.

XVII. Illud superfluum videmus adjectum, quod de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est; nam idcirco Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occuparionibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. *In n. 1. Decentio Eugubino.*

SEPULTURÆ.

I. Aliquis nnn recipiat alienum Parochianom ad sepulturam, nisi de licentia sui Capellani, vel aliorum, ad quos sepultura ejus pertinet, tamen de Jure suo priùs satisfacto. Aliàs præter pœnam excommunicationis, cui contra facientes supponimus, tàm recipientes, quàm hæredes recepti, prædictis Capellanis, &, aliis quibus Sepultura ejus pertinet, ad interesse eorum juramento declarandum noverint se teneri. *Concil.* BURDIGAL. *ann.* 1263. Cap. 3.

II. Curet Pastor ovem suam & non negligat, ei injungat interesse Missæ Sacrificio, diebus solemnibus & Dominicis, agnoscat ejus faciem, & si bis absit in anno, prohibeatur eidem Ecclesiæ ingressus, & careat Pastorali sepultura, & ennsolatione. *Cap. 7. Statut. Eccles.* RHAM. *personantium* VII. *Saculo. Concil* TOM. VI. *p.* 1693.

III. Ut honor debitus Matrici Ecclesiæ per ejusdem Parochianos & subditos, observetur, in qua consueverunt Cœlesti pabulo refici, dum vivebant, & juxtà Apostolum sint consolationis socii, qui fuerunt passionum, Statuimus quod quicumque extra Parochialem Ecclesiam elegerit sepulturam, ejus corpus ante ipsius sepulturam, si in sua Parochia, vel extra decesserit, vel illud ad ipsam deportari contigerit, Matrici Ecclesiæ solemniter præsentetur, si hoc de Consuetudine, vel de usu habeatur, & eisdem reddatur de Funeralibus debitum, prout de Jure vel in Parochia decedentis est fieri consuetum. *Concil.* VAURAN. Cap. 64. *anno* 1368. *Conc.* MACIACENS. idem dixerat *anno* 1326. Cap. 24.

IV. Desideratbilitet affectantes, ut Parochiales Ecclesiæ, quæ Maternos immantur affectus, piis in Domino suorum defunctorum juribus Parochialibus non fraudentur: Declarando statuimus, quod per illos apud quorum Ecclesias, seu Cœmeteria, defunctos ipsos extra loca obitùs transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eisdem Parochialibus respondeatur eisdem, ac si in ipsis, in quibus corpus est depositum, sepulturam perpetuam elegissent. *Concil.* VAUREN. 65. Cap. *anno* 1368. *Concil.* NARBON. Cap. 10. *ann.* 1374.

V. Curatis præcipimus, ne sinant in eisdem Cœmeteriis Choreas duci, aut alios lusus & insanias fieri; sed potiùs ea quæ luctùs & mortis memoriam induceant, atque Sanctam, & Salubrem cogitationem pro mortuis exorandi excitant. *Concil.* ROTHOM. *n.* 24. *ann.* 1581. *De Curat. Officio.*

Colligendi hic Canones Parochum Officii sui monentes circa sepulturas.

Statutum est ab initio & nos volumus observari, ut Parochiani per suos Capellanos compellantur, ubi contradictio erit, Procurationes annuas exhibere: Insuper monemus Missivas & Oblationes in præcipuis Solemnitatibus, & alia Jura Parochialia, Cappellanis suis solvere, & si gratis noluerint Ecclesiastica Sepultura præcipimus coërceri. *Concil.* BURDIG. *ann.* 1255. Cap. 25.

OBLATIONES.

Ultimus Canon circa Jura & Officia Funeralia Curatorum Oblationes quoque proximè respicit.

I. Oblationes, aliaque emolumenta Pastoribus inhibet, ne per se, aut per alium, directè, vel indirectè, stipulentur, promissis votivis; sed quod eis spontè oblatum fuerit, accipiant; caveant quoque ne stipendium plurium Missarum simul venentur, scilicet pro una. *Concil.* MECLIN. *De Decan. Christianitatis* 11. *ann.* 1570.

II. Cùm pretio nummario Sacramenta nequeant æstimari, nec quanti sit quàmque necessarium ad victum possit, nisi ex ratione temporum, locorum, & personarum, definiri; rectè Majores nostri ad evitandam avaritiæ & sordium suspicionem, ad laudabiles Consuetudines occurrerunt. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Curat. Officio n.* 26. Oblationes deinde inter laudabiles Consuetudines collocat.

III. Oblationes omnes, quæ in Ecclesiis Parœcialibus & Cappellis, intra metas eorumdem existentibus, offeruntur, saltem pro tertia parte, nisi majorem Portionem percipere consueverint, ad eosdem Parœciarum Rectores pertinere declaramus. *Concil.* TURON. Cap. 24. *ann.* 1583. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585.

IV. Oblationes Curatis solis pertinere declarant. *Idem Concil.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 32. quibus in Ecclesiis neminem sine Rectoris consensu & autoritate inhumare liceat. *Concil.* TURON. Cap. 18. *ann.* 1583.

CAPUT V.

Rei temporariæ ad Parochiam quoquomodo pertinentis usus & administratio.

I. Ut CHRISTI Fidelium eleemosynæ in usum, pro quo erogantur, vertantur; non liceat Vitricis Fabricarum, in singulis Ecclesiis, quidquam de pecuniis ad Fabricam provenientibus distribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei usum dispensare, sine Rectoris scitu, sed ad armaria Fabricæ reponantur, ut hactenus servatum est, duabus vel tribus clavibus pro loci Consuetudine tenendis: Quarum una ipsi Rectori servanda tradatur, observato usu, in clavibus & rationibus reddendis, à Principibus & Superioribus hactenus recepto. *Constit. ad Cleric. Germ. Ref. n.* 18. *ann.* 1524.

II. Quilibet Ordinarius, omnibus perpensis, beneque & sufficienter examinatis, super prædictis (dissidiis inter Parochos & Parochianos circa Jura Parochialia) certam Legem Ordinationemque unà cum Principum aut Dominorum Sæcularium consilio, quos ista negotia tangunt, constituat; ne viduæ, pupilli, & alii pauperes nimium ultra vires injustè graventur. *Eadem Constitut. ad Cleric. Germ. Ref. n.* 7. *ann.* 1524.

III. Congruè ducimus à Curatis Parœciarum, in quibus celebrantur, quæ Sacra ab ipsis (confratribus) fiunt, regi ac disponi non ab alio Sacerdote, nisi de Curatorum consensu, sine quibus quicquam agi non putamus æquum, cùm debeant Deo & Episcopis de omnibus, quæ fiunt in eorum Ecclesiis, rationem reddere. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Off. Curator. n.* 34.

IV. Si quid in his, atque aliis fraternitatibus nostræ Diœcesis correctione dignum occurrerit, de hoc

volu-

volumus nos à Curatis certiores fieri. *Syn.* EBROIC. *ann.* 1576.

V. Curent res ſuæ Eccleſiæ, & moneant Epiſcopos ſi quid de illius, vel Fabricæ fundo fuerit alienatum; pecunias autem Fabricarum, & eas, quæ ſupererunt ex collectis, impendi curent, vel ſuffragiis faciendis pro mortuis, vel Fabricis reparandis, vel comparandis Ornamentis, vel aliis piis uſibus, & ſi ſecùs factum ab Æditais, Epiſcopo vel ejus Officiali ſignificent. *Conc.* RHEM. *De Curat. N.* 8.

VI. Fabriciani aut Quæſtores collectarum, quæ pro defunctis fieri ſolent, Curato rationem reddant, & pecunias inde provenientes ſingulis diebus eidem & aliis Presbyteris, pro ea parte, quæ ſingulos contingit, bona fide perſolvere compellantur. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584. *T.* 35. Cap. 14.

SYNODUS

I. Cùm aliàs pluries injunxerimus Capellanis Curatis, ut ipſi omnes & ſinguli habeant apud ſe Conſtitutiones Synodales & Provinciales: Nos omnibus & ſingulis Capellanis & Curatis, ſub pœna excommunicationis, & duarum marcarum argenti, præcipimus diſtrictè, & injungimus eiſdem, ut ipſi dictas Conſtitutiones apud ſe habeant & obſervent. AIMERIC. PICTAV. *Epiſc. in* SYN. *ann.* 1367.

Alii Canones collecti ſunt in Diſſertatione *De Autoritate ſecundi Ordinis in Synodo Diœceſ.* ubi fusè de Parochorum Officiis erga Synodum.

Scientia fovenda.

I. Quicumque Paſtores ſunt, quæ ad inſtruendum populum & gregem pertinent, diſcant ut ſciant. SONNATIUS *Archiepiſcopus* RHEM. *in Statut. Synod. circa. ann.* 630.

II. Oportet vos & aſſiduitatem habere legendi, & inſtantiam orandi, quia vita viri juſti lectione inſtruitur, ornatur, & aſſiduitate lectionis munitur homo à peccato, juxtà illum, qui dicebat: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: Hæc ſunt enim arma, *Lectio* videlicet & *Oratio*, quibus Diabolus expugnatur. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. THEODULF. AUREL. *Capit. N.* 2. *ann.* 797.

III. Per Archidiaconos inveſtigetur intellectus & Doctrina Presbyterorum Cardinalium .... *Intellectus* quomodo ſit idoneus unuſquiſque ſuos fratres in fide Sanctæ Trinitatis erudire. &c. *Doctrina*, qualiter eos, qui tardiores ſunt, de Fide, Spe, Charitate, cæteriſque virtutibus, verbo & probabili exemplo, eos, qui indigent, poſſit inſtruere, ſecundùm Evangelicam, & Apoſtolicam, atque Canonicam inſtructionem, qualiter indeclinabiliter vivant, & à quibus vitiis eos oporteat abſtinere, ne tum Diabolo in æternam damnationem demergantur. VALTERIUS AURELIA. *ann.* 871. *ad Paroch. N.* 2.

Notandum diſcrimen inter ea, quæ Parochus tardiores docere debet, & ea quæ alios: tardiores inſtruendi ſunt de virtutibus & vitiis, alii de Myſteriis.

IV. Ut ſinguli Sacerdotum Sacramenta, quæ circa initiandum Baptiſmate Chriſtianum agenda ſunt, & quæ ad viſitandum & reconciliandum infirmom pertinent, & quæ defunctorum exequiis impendenda ſunt, & Canones memoriter coram nobis recitare & exponere valeant: Gradus quoque Eccleſiaſticos ſimiliter commendatos habeant, & unde unicuique gradui in Veteri Teſtamento origo fuerit, & quomodo Novum in id ipſum concordet, & quemadmodum Salvator eoſdem gradus in ſe compleverit, ſano intellectu noverint explanare. *Ibid. N.* 20.

V. Quod VALTER. dicit de Canonibus reſtringendum videtur ad Pœnitentiales in Diœceſi uſitatos; alii etenim infiniti ferè erant; quod ſubdit de gradibus ad laudandam curioſitatem pertinere nunc videretur, potiuſquam ad neceſſariam cuilibet Parocho ſcientiam.

VI. Ut Parochus ſuo Officio defungi queat, Catechiſmum Romanum Latinè & Gallicè habeat, & ex ejus præſcripto, Doctrinam de Symbolo Apoſtolorum, de Decalogo, de Sacramentis atque aliis ad ſalutem neceſſariis tradat; frequenter quoque & libenter in Bibliis Sacris & Homiliis Patrum legat; unde ad captum populi ſui & ædificationem, quæ videbuntur conducere, ſeligat; habeat inſuper Conſtitutiones Synodi Provinc. & Diœceſis, ut cognoſcat quomodo ſe ac populum admonere & regere debeat. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1585. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *Conc.* THOLOS. *ann.* 1590. *Conc.* AVENIO. *ann.* 1594. Habeant Libros Sacræ Scripturæ, Caſuum Conſcientiæ, ac Inſtitutiones, quæ autoritate hujus Syn. edentur, & alios præterea Libros Parochis & animarum Curatoribus neceſſarios. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585.

VII. Laudamus & legi mandamus in Syn. Diœceſanorum Libellum Sancti THOMÆ DE AQUINO *De Articulis Fidei & Sacramentis Eccleſiæ*, quodque præcipiatur Curatis, ut partem, quæ eſt de Sacramentis habeant & ſtudeant diligenter Statuta in *Conc.* COLON. comprobata *ann.* 1452. §. *inſuper*.

VIII. Librum, qui dicitur *Manuale*, habeant ſinguli Presbyteri Parochiales, ubi contineatur ordo Baptiſmi, Extremæ-Unctionis, & hujuſmodi; necnon Libros alios, in quibus poſſint tàm diurnum quàm nocturnum celebrare Officium. *Conc.* BURD. *an.* 1279. Cap. 41. His addit *Concil.* NARB. *ann.* 1551. *Cap.* 34. Vetus & Novum Teſtamentum cum Poſtillis in Evangelia & Epiſtolas communes per totum annum.

IX. Ignorantia, quæ mater cunctorum errorum eſſe dignoſcitur, in Clericis, qui ad animarum curam, & docendi Officium aſſumendi ſunt, eſt diligentiùs evitanda, ideoque ab eis ſtudiosè vigilandum eſt, ut per ſolititudinem ſtudii eam à ſe abjiciant, quaſi peſtem. *Concil.* PALENT. Cap. 20. *ann.* 1322.

X. Quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, *id eſt*, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Computus, Canon Pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ, per anni circulum diebus Dominicis, & ſingulis Feſtivitatibus aptæ (quæ omnia reducuntur ad Miſſale, Breviarium, Rituale, Summam Caſuum Conſcientiæ, & Concionum Collectionem) ex quibus omnibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit; quia valdè periculoſæ ſunt minæ, quibus dicitur: *Si cæcus cæco ducatum &c. Capitul.* AHITON. *N.* 6. De aliis Scripturæ Libris, quàm de Pſalterio meminit AHITO, quia quæcumque ex iis præcipuè ſcienda erant, in Sacramentario & Lectionario continebantur. Pleraque Parochi Officia in unum congeſta habes in 2. *Par.* Cap. 2. *N.* 5. *Conc.* AQUISGR. *ann.* 836.

Eadem habet VALTER *N.* 7. ad Parochos *ann.* 871. additque: „Ut unuſquiſque Capituli habeat de majo„ribus, ſeu minoribus vitiis, ſeu etiam virtutibus, per „quæ cognoſcere poſſit, vel prædicare ſubditis ſuis, „ut caveant ab inſidiis Diaboli „.

Eadem ferè legis in Conſtitut. RICULF. SUESS. *ann.* 889. *N.* 6. aliaque addit è quibus id unum referre juvat: *Si quis autem omnes Veteris Teſtamenti Libros habere nequiverit, ſaltem hoc ſtudioſiùs elaboret, ut totius Hiſtoriæ Divinæ Librum, Geneſim videlicet, ſibi correctè tranſcribat, cujus ex lectione totius mundi exactionem dignoſcere valeat*; quæ verba ſupponunt ſingulos Novi Teſtamenti Libros, quemvis Parochum habere debuiſſe; oſtenduntque inter Veteris Libros, Geneſim maximè neceſſariam judicatam fuiſſe: Recenſitis à WALT. & RICULF. Libris non malè reſpondent, quæ in *Conc.* MEDIOL. IV. leguntur circa Libros à Parochis habendos, quæque his verbis exprimuntur: *Exhibeat item Libros proprios, quos ex Decretis Provincialibus, aut ex Viſitationum, aliiſve Epiſcopi ſui juſſio-*

nibus habere debet, utpote Breviarium Missale, Kalendarium proximè editum, librum Ritualem, seu Sacramentorum, Homiliarum, Psalterium, volumen Bibliorum, Catechismum Romanum, Codices Conciliorum Trid. *Provincialium & Diœcesanorum.* Art. 3. *Cap.* 3. circa finem.

Portio congrua.

I. Tantùm de decimis Parochiarum ipsarum Rectoribus per quoscumque percipientes easdem, tàm exemptis, quàm non exemptis assignari faciant, ordinatur, quòd exinde possint commodè sustentari & Episcopalia jura solvere, & alia incumbentia onera supportare. *Conc.* Marciac. *in Provinc.* Auxit. Cap. 37. *ann.* 1326.

II. Presbyteri, qui nondum dotem, juxtà quod in Capitularibus Domini, ac Senioris Nostri Caroli *Calvi*, videlicet Gloriosissimi Regis, necnon & Avi, & Patris ejus 85. continetur, ad suas Ecclesias consecuti sunt, ad nos referant, & Divino Adjutorio, nostroque consilio, à Senioribus suis impetrent; & si aliquid amplius habuerint, debitum servitium suis Senioribus impendant. Valter. Aurel. *ad Paroch. n.* 9. *ann.* 871.

III. Carol. M. & Ludov. Pii Constitutio, de qua Valterus, ea esse videtur quæ legitur Lib. VI. *Capitul. n.* 69. & sic se habet: *Ut missi nostri unà cum Episcopis propriis magnam curam habeant quatenus Ecclesiæ ..... quæ dotata non sunt, vel quæ dotem suam perditam vel substractam habent, pleniter & Canonicè dotentur*: Sed quod dicit Valter melius convenit Constitutioni quæ habetur *Capitul.* Lib. I. *Cap.* 85. & desumpta est è *Capitul* Ludov. Pii *an.* 816. & refertur inter *Capit.* Carol. Calvi. *Tit.* 37. Cap. 11.

IV. Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus Mansus integer, absque ullo servitio, attribuatur, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de Oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxtà Ecclesiam positis, neque de præscripto Manso, aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum: Et si aliquid amplius habuerint, inde Senioribus suis debitum servitium impendant.

V. Quæ (congrua portio) computatis certis fructibus, & emolumentis, ac incertis, seu accidentalibus, quæ ad certam summam communibus tribus aut quatuor annis ultimè præteritis redigi possint, in singulis Parochiis non infrà 20. in nullis suprà 40. libr. Grossor. Flandriæ constituatur, moderatione Episcopi semper salva. *Conc.* Meclin. *De Decan. Christianitatis.* Cap. 1. *ann.* 1570. *&* 1607. *Tit.* 17. Cap. 3. *Concil.* Rhem. *ann.* 1583. præcipit, ut non minor sit 100. lib. omnibus deductis. *De Curatis n.* 3. *& n.* 4. Ut sententia demandetur, non obstante quavis appellatione. *Conc.* Burdig. *ann.* 1583. Cap. 183. jubet, ut ex decimis constituatur portio congrua. *Conc* Turo. *ann.* 1583. Cap. 14. modum convenientissimum, ut justè assignetur hæc portio.

Caput VI.

Promiscua Jura & Officia, necnon prætermissa circa Argumenta Capitis IV.

I. Nullus omninò suscipiat Ecclesiæ Parœcialis Regimen, nisi qui jam 25. annum attigerit, & scientia & moribus commendandus existat, cùm autem assumptus fuerit, si admonitus, non fuerit præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum Ordinatus, & ab isto removeatur Officio, & alii conferatur, qui velint, & possint illud convenienter implere. *Cap.* 7. *De Elect. desumptum è Conc.* Later. *ann.* 1179.

II. Nulla fœmina cum Presbytero in una domo habitet, quamvis enim Canones Matrem & Sororem & hujusmodi personas, in quibus non sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus amputamus; quia in obsequio, sive occasione illarum veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum alliciunt. Theodul. Aurel. *ann.* 797. *ad suos Paroch. n.* 12.

III. Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis ..... neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos, aut vicos curiositate qualibet peragretis, neque cum fœminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis, nisi fortè Paterfamilias vos ad domum suam invitaverit, & cum sua conjuge & prole velit vobiscum Spirituali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem charitatis Officio exhibere; oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, à vobis reficiatur epulis spiritualibus. *Ibid. n.* 13.

IV. Ut juxtà Sanctorum Patrum interdicta nullus Sacerdotum quamlibet sexus muliebris in domo sua cohabitare permittat; neque sine arbitris vel testibus idoneis cum aliqua solus loqui præsumat; ne fortè sibi aut alicui famulorum derogationis suspicio oriatur. Valterius Aurel. *ad Parochos. n.* 3. *ann.* 871. *n.* 10. prohibet fidejussiones, venationes, & usuras; & *n.* 16. tabernas & scurrilitates, quod de postremo vitio habet, dignum est quod describatur: „ Nec scurrilitatibus Cachinnum moventibus consuescant; scientes quod de omni verbo otioso rationem „ redent, hi maximè, quorum sermo omni tempore „ sale debet esse conditus, ut verbo & opere exemplo „ sint, & formæ cunctis cernentibus, præstentque gratiam audientibus „.

V. Nullus Presbyter ex ineptia bibat plus quàm decet, nec alium provocet ad bibendum ultra quod desiderat, ne fortè minimè compos fuerit, cùm vel infans baptisandus, vel moriturus Viatico sit donandus. Quod si non acciderit, haud tamen fiat ebrius, quia Dominus Ministris suis interdixit ebrietatem. *Concil.* Alfrici. *n.* 17. *Seculo.* X.

VI. In formula inquisitionis faciendæ à Parochiam perlustraturo multa habes, quæ ad mores Parochorum spectant; eaque sunt præcipua: *n.* 17. Si suspiciosus de aliqua fœmina, aut in domo sua aliquam subintroductam mulierem habeat: *n.* 22. Si sit ebriosus vel litigiosus: *n.* 24. Si Canum aut avium jocis deserviat: *n.* 25. Si in tabernis bibat: *n.* 37. Si xenium vel quodcumque emolumentum temporale, imò detrimentum Spirituale, a quocumque publicè peccante, vel incestuoso, acceperit, aut Episcopo vel ejus Ministris peccatum reticeat: *n.* 38. Si aliquem minùs dignè pœnitentem favoris, aut familiaritatis, aut consanguinitatis gratia ad reconciliationem adducit, & ei reconciliationis testimonium ferat: *n.* 41. Si usuras exigat & conductor sui senioris existat. Hæc formula refertur à Regin. Lib. I. & ab Hincmaro.

VII. Presbyter nec sit Mercator, nec mercaturæ cupidus, nec omisso Theologiæ studio se ad mundanas conserat sermocinationes, nec arma ferat, nec Causidicus sit, nec lites agat, nec in œnopolis bibat, more sæcularium, juramentum etiam ne jurato: Semper autem & simpliciter verum dicat absque mendacio, ut servi Dei. *Cap.* 30. Alfrici *ad* Vulfinum *Episcopum Angliæ.*

VIII. Riculfi Suession. Episcopi ad Parochos, *n* 2. *ann.* 889. *De Moribus*, hæc habet: *Oportet unumquemque Sacerdotem vita, & moribus, & actibus bonis, cum Dei auxilio, populo sibi commisso, cæterisque subditis excellere, ut in eo videant quid imitari & sequi benè operando possint, castitatis videlicet, humilitatis, modestiæ, aliarumque virtutum, Divina gratia largiente, exemplum præbeat*, ut juxtà Apostoli vocem, *Doctrinam Dei nostri in omnibus ornet. N.* 13. prohibet ne tabernas adeant causâ convivandi. Et *n.* 14. ne cum mulieribus cohabitent.

IX. Parochorum vita & Officium D. Paulo adeò curæ fuerunt, ut his rectè se habentibus, de reliquis non

non admodum magnam folicitudinem habuiffe videatur, nec immeritò; res enim ipfa declarat, ac prifca fecula meminetunt, quàm tranquilla, quàm florens, quàm fructificans, quàm denique felix Ecclefia fuerit dum talibus effet Parochis infignis, qui Evangelicis Apoftolicifque inftitutis, Sanctorumque Patrum regulis adducti, non tantùm vocabulo, fed & facto præftabant quod dicebantur. *Conc.* COLON. I. *Par.* 5. *C.* 1. *an.* 1536.

X. Ubique fermè, cùm de Parochis fermo incidit Scriptura vitam doctrinæ copulat: Nimirum quòd qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo deftruat, quàm ædificet verbo; oportet enim & fieri fermonem, non tantùm dici. *Ibid. C.* 2. Non opes, fed animas venantes, non auri, fed hominum pifcatores. *Ibid. C.* 4.

XI. Convivia Presbyterorum, quæ in exequiis & fraternitatibus publicè in tabernis hucufque exhibita funt, prorfus abrogamus, quod plerumque Laïcis fint fcandalo; fi autem convivium, vel Confuetudo, vel locorum diftantia exigat, fiat illud in domo Sacerdotis, honefteque, non ad luxum, fed ad neceffitatem, inftruatur. *Conftit. ad Cleric. German. Ref. n.* 8. *ann.* 1524.

XII. Nefciat Parochi domus comeffationes crapulofas, execretur compotationes ad æquales hauftus obligatorias: Sit procul à Symbolorum (ut vocant) dationibus; Turpiffimum putet, nifi caufa neceffitatis, intrare tabernam, quafi domum non habeat ad edendum & bibendum. *Concil.* COLON. I. *Part.* 5. Cap. 6. *ann.* 1536.

XIII. Ad vos dictum effe fcitote: *Mundamini, qui fertis Vafa Domini*: Ubi non tantùm intelligendum effe putetis, quod de Calice & Patena, ubi Corpus & Sanguis Domini conficitur, dictum fit; fed de Corporis munditia & mentium puritate; ut enim B. GREG. dicit cum de Parabola decem Virginum tractaret: *Vafcula noftra funt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus*, habemus itaque fragile vas, *id eft*, corpus noftrum, quod femper fummopere mundum fervare debemus, ut dum Oblationes mundas Deo porrigimus, ipfi quoque ante Sanctum Altare illius Hoftiæ acceptabiles efficiamur. RICULFUS *ad Parochos ann.* 889. *n.* 4.

Alia Promifcua Officia & Jura.

I. Nolumus quicquam novi in Ecclefiis nobis inconfultis introduci, five in Ceremoniis, five in Cantu, five in Imaginibus, five in Officio Divino, five in Fraternitatibus, aut aliis quibufcumque modis. *Syn.* EBROIC. *ann.* 1576.

II. Prohibemus ne qua mulier ad Miffam feu Purificationem poft partum, nifi, ... diu antequam pulfatur Miffa, denunciari fecerit Sacerdoti, fe velle venire ad purificationem; ut fic deliberatione habita à Sacerdotibus admittendas admittant, & repellendas repellant, & hæc denuncient Sacerdotes Parochianis fuis. *Synod.* ANDEG. *ann.* 1270.

III Statuit quod Parochi five Curati fub pœnis arbitrariis vifitent fuas Curas perfonaliter femel in anno ad minus, maximè in Pafchate, falvis tamen in omnibus Privilegiatorum Exemptionibus. *Conc.* BITUR. *C.* 19. *ann.* 1528.

IV. Secundùm Evangelicam veritatem Mercenarius judicatur, non Paftor, qui in Beneficiis Ecclefiafticis temporalia principaliter contemplatur. Prohibemus igitur, ne Parochiales Ecclefiæ, quæ quotidianam inftantiam, & præfentiam Paftorum fuorum defiderant, ad Firmam tradantur fine fpeciali Diœcefani & expreffo confenfu: Nec tunc ad arbitrium Rectoris Ecclefiæ taxabitur Firma, fed ad judicium Diœcefani. *Conc.* LANDES. *C.* 8. *ann.* 1278.

V. Etfi abufus locandi Parochias jamdiu exoleverit, relatus Canon non eft inutilis, quia docet Parochum intendere debere gregis falutem, non fuum commodum, fibique non licere gregem, cui totum fe debet, deferere.

VI. Nullus in diebus Dominicis & Feftivis agros colere audeat, aut Artificia Manualia exercere præfumat, nifi urgente neceffitate, & evidenti pietatis caufa, & tunc de fpeciali licentia Sacerdotis. *Conc.* PALENT. *C.* 4. *ann.* 1322.

VII. Cùm frequenter varia fequantur incommoda ex eo quod in una eademque Ecclefia plures Paftores autoritate pares toti Parochiæ præfint .... Epifcopus in hujufmodi locis unicuique Paftori peculiarem affignet populum.... qui fub fe tot Adjutores habeat, quot neceffarii erunt. *Conc.* MECLIN. *De Dei. Chriftianitatis. C.* 8. *ann.* 1570.

VIII. Paftores ab omnibus ad fuas Parochias commigrantibus fuper vifa & fide illorum literas ultimi Paftoris teftimoniales requirant, quas fi non exhibeant, Curiæ Epifcopali infinuent, ut eas exhibere compellantur. *Conc.* MECLIN. *ibid. C.* 10. *Conc.* ROTHOM. *De Curator. Off. n.* 12. *Concil.* TOLOS. *C.* 3. *n.* 3. *Part.* 1. *ann.* 1590.

IX. Parochi in Urbe & in Oppidis, faltem infignioribus, conftituti, ut à reliquis Sacerdotibus animarum curam non gerentibus internofcantur, fignum aliquod, quod proprium illorum infigne fit ab Epifcopis in Diœcef. Syn. eis præfcribendum ferant, cùm domo exeunt, fupra veftem exteriorem & fupra Superpelliceum cum in Ecclefia funt, aut Proceffiones, aliafque hujufmodi publicas actiones peragunt. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Paroch. Conc.* TOLOS. *C.* 3. *n.* 13. id reftringit ad tempus, quo munia Sacra obit, declaratque illud fignum proprium effe Capucium.

X. Ad inftar Patris Evangelici, plures Operarios in vineam fuam mittentis, ut quod unius non valet explere folicitudo, perficiat plurimorum: Præfentialiter definimus, ut in fingulis Parochialibus Ecclefiis, quarum Parochia diffufa eft, duo fint vel tres Presbyteri, penfata pariter magnitudine Parochiæ, & Ecclefiæ facultate; ne forte, quod abfit, ægrotante uno Presbytero, aut alio debilitato, Parochianis infirmantibus, aut Divinis volentibus intereffe Officiis, Officia debita fubtrahantur, vel negentur Sacramenta. *Conc.* OXON. *ann.* 1222. *C.* 16.

XI. Rectores, per Religiofos, in Ecclefiis, in quibus jus habent Patronatus, præfentati, & per Epifcopos inftituti, ab eis, nifi per Epifcopos, & ex caufa rationabili, non valeant amoveri; quia ex quo inftituti in eis funt, cenfentur perpetui, Confuetudine vel Statuto quolibet contrario non obftante. *Conc.* MARCIAC. *ann.* 1326. *C.* 36.

XII. Sacrofanctam Euchariftiam Sacerdos celebraturus fe præparet & probet; & ut minimum bis in menfe id faciat. SONNATIUS *Archiep.* RHEM. *in Statut. Syn. n.* 9. *circa ann.* 630.

XIII. Inquirat ftudiosè de pauperibus Parochiæ fuæ, præfertim de puellis nubilibus, de viduis, orphanis, ægrotis, fenio confectis, aliifque indigentibus, quibus & ipfe pro viribus opitulari, & alios fuo exemplo & hortatu ad id officium incitare ftudeat: Præcipuè verò, de iis omnibus certiorem faciat Epifcopum, ut qui communis eorum Pater eft, iifdem paternam curam & pietatem, quacumque poteft ratione, præftet. *Conc.* MEDIOL. I. *C.* 28. *ann.* 1565.

XIV. Quæcumque excommunicationum fententiæ, quibus ipfo facto, vel jure homines irretiuntur, hæ omnes fummatim vulgari fermone expreffæ, & in tabella relatæ, die primo Dominico Quadragefimæ, in fingulis Cathedralibus Ecclefiis, de fuggeftu, frequenti populo, de fcripto legantur, quo fideles meminerint diligenter ab illis cavendum effe; idque etiam fiat in Parochialibus Ecclefiis, quibus id fieri Epifcopus expedire confuevit.

XV. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1355. *C.* 10. id fieri jubet prima Dominica cujufque menfis. Id ipfum Presbyteris præcipimus, ut nullus majora negotia ad fe defideret, quàm à proprio Epifcopo con-

concedatur, nisi in solo Baptismo & ægritudine infirmorum tantùm. *Synod. apud* CELICHT. *ann.* 816. Cap. 11. *in Provincia* CANTUARIÆ.

XVI. Quia Parochiani ad ædificationem & reparationem domûs Presbyteralis, & Presbyteralis Mansionalis tenentur, aliquando dictam domum Presbyteralem, unà cum Presbyterio prædicto, in bono & competenti statu repararunt, Manualeque Presbyterium Rectori tradiderunt; sed interdum mala administratione Rectoris interveniente in ruinam collabuntur: Volumus & ordinamus, quia dicti Rectores meritò ad dictas reparationes tenentur, ipsorum Rectorum etiam bona ad dictas reparationes hypothecari. *Syn.* LINGON. *ann.* 1455. *Boch.* C. 6. DECR. *Eccles. Galliæ.* T. 4. Cap. 71.

XVII. Ut Episcopi diligenter discuriant per suas Parochias Presbyterorum Fidem, Baptisma Catholicum, & Missarum Celebrationem, ut Fidem rectam teneant, & Missarum preces benè intelligant, & ut Psalmi dignè secundùm divisiones Versuum modulentur, & Dominicam Orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendum, ut quisquis sciat quid petat à Deo, & ut *Gloria Patri* cum honore omni apud omnes cantetur, & ipse Sacerdos, cum ipsis Angelis, & populo Dei, communi voce *Sanctus Sanctus & Sanctus* decantet. *Capitul.* AQUISGRAN. Cap. 70. 789. RICULF. SUESS. *an.* 889. Cap. 5.

XVIII. Ab ortu nativitatis cujusque ad se pertinentis prædictam curam habeat, ne aliquis eorum absque renatione Sacri Baptismatis moriatur, post acceptum autem Sacrum Baptismum sine impositione manùs Episcopi non remaneat; ac deinde imbuatur scire Orationem Dominicam, atque Symbolum; posteà verò qualiter vivere debeat, doceatur. Si fortè vitiosus vel criminosus apparuerit, qualiter corrigatur, provideat: Si autem infirmitate depressus fuerit, ne Confessione atque Oratione Sacerdotali, necnon Unctione sanctificati Olei per ejus negligentiam careat. Deinde si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more Sacerdotali, cum acceptione Sanctæ Communionis, Corpusque sepulturæ, non, ut mos est Gentilium, sed sicut Christianorum. *Concil.* AQUIGR. *ann.* 836. Cap. 2. *Part.* 2. *n.* 5.

Canon hic paucis verbis complectitur singula Parochi erga quemlibet Parochianum Officia à nativitate usque ad mortem, consignationem verò infantium tàm masculorum quàm fœminarum unius vel plurium, necnon Parochianorum singulas obligationes, quibus expletis vitam æternam consequuntur, eoque modo respiciendus est velut Epilogus totius Collectionis.

TITULUS XI.

De aliis Ecclesiæ Ministris, sive de Clericis.

SECTIO I.

Unde dicti, & quid sint Clerici, & quid nomine Clericorum in Jure intelligatur?

I. CLeros & Clericos hinc appellatos credimus, quia MATTHIAS Sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; κλῆρος enim Græcè, *Sors* Latinè vel *Hæreditas* dicitur. DIST. XXI. Cap. 1. *Cleros.* ISIDORUS. LIB. *Officiorum. Concil.* AQUISGRAN. *ann.* 813. Cap. 99. TOM. VII. CONC. *p.* 1269. *Concil.* AQUISGRAN. *ann.* 813. Cap. 1. 94. TOM. VII. CONC. *p.* 1362.

II. Propterea dicti sunt *Clerici*, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. *Ibid.*

III. Si κλῆρος Græcè, *Sors* Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, *id est*, pars Clericorum est. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 5. *Clericus, post init.*

IV. Clericus, qui CHRISTI servit Ecclesiæ. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 5. *Clericus. init.*

V. Clerici pascunt oves & de Altari vivunt. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 6. *Alia, init.*

VI. Clerici in Presbyteratu, vel in aliis inferioribus Ordinibus constituti sunt. *De Officio Vicarii.* Cap. *Clericos init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. Cap. 4.

VII. Clerici JESU CHRISTI obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet, cùm enim à κλῆρος quod est *Sors* vel *Hæreditas*, Clerici appellentur, quia in sui ordinatione, vel assumuntur in Hæreditatem Domini, vel assequuntur Hæreditatem in ipso, ut verè possint psallere cum Propheta: *Dominus Pars Hæreditatis meæ. De Præbendis.* Cap. *Cùm secundùm post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 16.

VIII. Clerici appellationem à κλῆρος quod est *Sors* ortum habuisse constat ex HIERONIMI Epistola ad NEPOTIANUM; quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominum Partem habeant, ut se sciant tales exhibere, ut & à Domino possideantur, & ipsi vicissim Dominum possideant, dicentes: *Dominus Pars Hæreditatis meæ.* Conventus MELOD. *Tit.* 16. *init.*

IX. Semper Deus assuevit quosdam ex hominibus assumere, ut pro hominibus constituat in his, quæ sunt ad Deum. *Ibid.* κλῆρος Græcè, Latinè *Sors* dicitur, indè hujusmodi homines vocantur Clerici, *id est*, forte electi; omnes enim Deus in suos elegit. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 7. *Duo sunt. post init.*

X. Cœtus Clericorum longè præeminet Cœtui Monachorum; ut ita aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat: *De Convers. Conjug.* Cap. *Conjugatus. in init. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 5.

Continuatio SECTIONIS I. *Quæ personæ in Jure designentur per voces Clerici, Sacerdotis, Prælati? Quid per Tonsuram conferatur, & quibus conferenda?*

I. Sciendum est appellatione *Clericorum*, etiam Presbyteros & Diaconos contineri. Verba Legis sunt ista: *Presbyteros autem Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus.* CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 38. *De Persona. fin.*

II. Appellatio vocabuli *Clericorum* Diœcesis, aliquandò tàm ad Canonicos quàm ad non Canonicos extenditur: seu, appellatio Clericorum, non solùm alios, sed etiam Canonicos comprehendit. *De Verborum Signific.* Cap. *Cùm tibi. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 18.

III. Nomine *Sacerdotis* intelliguntur inferiores, *id est*, non solùm Presbyter, sed Diaconus & Subdiaconus. *De Cohabitatione Clericorum.* Cap. *Si quisquam. Glossa colligit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2. *init.* & CAUS. XV. QUÆST. V. Cap. 1. *De Crimine.* Si quispiam Sacerdotum, *id est*, Presbyter, Diaconus & Subdiaconus. *De Cohab. Cler.* Cap. *Si quispiam. in int. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2.

IV. Appellatione *Prælatorum* non comprehenduntur inferiores Clerici. *Glossa colligit ex* Cap. *Prælatis. De Homicidio. in* 6. LIB. V. *Tit.* 4. Cap. 2.

V. Non solùm quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum Prælati. *De Celebrat. Miss.* Cap. *Dolentes. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 9.

VI. Nihil est in hac vita, &c. DIST. XL. Cap. 7. Ante omnia Clerici, sive in Sacris Ordinibus, sive in Inferioribus, constituti. *De Cohabit.* Cap. *Si autem. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 6.

VII. Appellatio Vocabuli Clericorum tàm ad Canonicos quàm ad non Canonicos extenditur, &c.

De

De Teſtam. Cap. *Cùm tibi. in int. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 13.

VIII. Per primam Tonſuram juxtà formam Eccleſiæ datam Clericalis Ordo confertur. *De Ætate, &c.* Cap. *Cùm contingat. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 11.

IX. Qui agit ut Clericus ſe mentitur Clericum, cùm nondum eſt in Clericum tonſuratus. *De Tranſactionibus.* Cap. *Ex literis. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 6. Veſtis datur in Collatione Tonſuræ. *In* 6. *De Pœnis.* Cap. *Degradatio.* §. *ult. med.* Lib. V. *Tit.* 9. Cap. 2.

X. Tales ad Miniſterium eligantur Clerici, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare; meliùs eſt enim Domini Sacerdoti paucos habere Miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant. Dist. XXIII. Cap. 4. *Tales.*

XI. Priorà Tonſurà non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non Sæcularis Judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem Cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 4.

XII. Nullus Epiſcopus, vel quivis alius inſanti, ſeu illiterato, Clericalem præſumat conferre Tonſuram. *In* 6. *De Tempor. Ordinat.* Cap. *Nullus.* Lib. I. *Tit.* 9. Cap. 96. *finali.*

Ab infantia, *id eſt*, ſeptimo anno. *Gloſſ. hoc verbo ex* Zozimo *ann.* 418. Eccleſiaſticis Myſteriis nomen dari poteſt. Dist. LXXVII. Cap. 2. *In ſingulis. init.*

Obſervatio circa ſequentes Sectiones.

Inter Clericorum Officia ſeu Obligationes, alia ſunt communia omnibus, & ejuſmodi ſunt ut plurimum, quæ mores reſpiciunt, cùm majores minoribus prælucere debeant; alia verò propria Clericis Inferioribus, eaque ſunt quæ ex eorum ſtatu inferiori oriuntur. Hinc Sectiones ſequentes comprehendunt omnes Clericos, tàm majores, quàm minores. Quotieſcumque de Officiis communibus in iis agitur, Clerici nomen in tota ſua amplitudine ſumitur; è contra ſolos Clericos inferiores contingunt, quandocumque de Officiis propriis Clericis inferioribus ſermo fit; ideoque ibi nomen Clerici accipitur in ſtricta ſignificatione, ſeu prout dari ſolet iis qui ſunt in ſimplici Tonſura, vel in minoribus Ordinibus dumtaxat conſtituti. Monere Lectores neceſſarium ducimus de duplici hac ſignificatione ſeu acceptione vocis *Clerici*, ut cuivis confuſioni vel obſcuritati obviam eatur, verbaque interpretanda ex ſubjecta materia. Hinc eximimur à reſtrictionibus adhibendis cuique Canoni ſolos inferiores Clericos reſpicienti.

SECTIO II.

Qualis eſſe debeat Clericorum vita, quis habitus, quæ forma exterior?

I. Nihil eſt quod alios magis ad pietatem, ac Dei Cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt; cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur. *Conc* Trid. Sess. XXII. *De Reſor.* Cap. 1. *init.*

II. More Romano Clerici tonſi ſunt. *Conc. Sancti* Patricii *ann.* 450. Caus. VI. Tom. III. Concil. *pag.* 1478.

III. Clericus profeſſionem ſuam & habitu & inceſſu probet, & ideò nec veſtibus, nec calceamentis, decorem quærat. Dist. XLI. Cap. 8. *ex Conc.* Carthag. Cap. 45. *ann.* 398.

IV. Sic decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil niſi grave, moderatum, ac Religione plenum, præ ſe ferant; levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 1. *poſt init.*

VI. Clericorum vita generare non debet ſcandalum Laïcis, ſed præſtare honeſtatis exemplum. *De Vita & Honeſtate Clericorum.* Cap. *Ex literis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 1. Cap. 16. *Conc.* Tolet. IV. *an.* 633. *Can.* 21. Tom. V. Conc. *p.* 1712. *Can.* 41. *p.* 1716. *Concil.* German. I. *an.* 742. Cap. 7. Tom. VI. *Can. p.* 1535. *Cloſſ. nov. an.* 747. *Can.* 7. 8. 21. 22. Tom. VI. Conc. *p.* 1575.

VII. Clericus interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione probata nitatur eſſe quod dicitur; qui enim vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Caus. XII. Quæst. I. Cap. 5. *Clericus. init.*

VIII. *Concilio* Nicæno II. *Can.* 16. Tom. VII. Concil. *pag.* 6. 10. *Conc.* Rom. *an.* 826. Cap. 12. Tom. VIII. Concil. *p.* 108.

X. Clerici ſe in Officiis Eccleſiaſticis & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter. *De Vita & Honeſtate Clericorum.* Cap. *Clerici.* Lib. III. Etſi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitûs extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Reform.* Cap. 6. *init.*

XI. Ut Clerici patentes coronas habeant. *Concil.* London. *an* 1102. *Can.* 12. *p.* 729.

XII. Veſtimenta vel Calceamenta Clericis, niſi quæ Religionem deceant, uti aut habere non liceat. Dist. XXIII. Cap. 22. *fin.*

XIII. Nullus eorum, qui connumerantur in Clero, veſtimentum indecens habeat, ſive in Civitate degens, ſive in itinere ambulans. Caus. XXI. Quæst. IV. Cap. 2. *Nullus. init. ex* VI. *Synodo.* Cap. 27. *ann.* 692. Innocentius II. *in Concil.* Lateran. Cap. 4. *ann.* 1139. *renovatum ab* Eugenio III. *in Concilio* Roman.

XIV. Tàm Epiſcopi quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu Corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant; & nec in ſuperfluitate, aut colore veſtium (quorum forma & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum; ſed potiùs quod eorum deceat ſanctitatem, præ ſeferant. Caus. XXI. Quæst. IV. Cap. 5. *Præcipimus.*

XV. Sine ornatu Sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non convenit, ne, ut aliquis Sæcularium, injurias patiatur. Caus. XXI. Quæst. IV. Cap. 4. *Sine ornatu.* Leo *Papa* IV. *in Synodo* Rom. *ann.* 853.

XVI. Clerici, juxtà Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant. Dist. XXIII. Cap. 21. *Prohibente.*

XVII. Non oportet Clericos comam nutrire, & miniſtrare; ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundùm Aaron talarem veſtem induere, ne ſint in habitu ornato. *Ibid.* Dist. XXIII. Cap. 32. *Non liceat.* §. *Nec oportet.*

XVIII. Clerici Coronam & Tonſuram habeant congruentem. *De Vita & Honeſtate Clericorum.* Cap. *Clerici.* Lib. III. Decr. *Tit.* 1. Cap. 15. *med. Concil.* Mogunt. I. *ann.* 857. Cap. 15. Tom. VIII. Conc. *p.* 46. *Concil.* Pontio. *an.* 876. Cap. 9. Tom. IX. Conc. *pag.* 281.

XIX. Grandis Dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina ſi peccent. *Concil.* VI. *ann.* 829. Cap. 12. *ex Sancto* Hyeronimo X. *Conc. p.* 1607. Sacerdoti in tabernas à Sacris Canonibus ingredi prohibetur. *De Pignoribus.* Cap. *Nullus, in init. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 1. *Concilium* Turon. III. *an.* 813. *Can.* 7. 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1262. *Conc.*

Carth.

CABIL. *an.* 813. *Can.* 9. TOM. XI. TOM. VII. CONC. *p.* 1274.

XX. Nemo ampliùs nocet in Ecclesia, quàm qui perversè agens nomen vel Ordinem Sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur. *Concil.* AQUISGRAN. *ann.* 816. Cap. 27. TOM. VII. CONC. *p.* 1344.

XXI. Omnis jactantia & ornatura corporalis à Sacrato Ordine aliena est; à priscis enim usque temporibus omnis sacratus vir cum mediocri & vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem, accipitur, elationis habet calumniam. CAUS. XXI. QUÆST. IV. Cap. 1. *Omnis. in* VII. *Synodo ann.* 787.

XXII. Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, Secularibus indumentis non utantur, nisi, ut condecet, tunica Sacerdotali. CAUS. XXI. QUÆST. IV. Cap. 3. *Episcopi.* ZACHARIAS *Papa in Synodo* ROM. *ann.* 743. *Concil.* BITURICENSI. *ann.* 1031. *Can.* 7. TOM. IX. CONC. *p.* 866.

XXIII. Clericos non pudeat Tonsuram indictam portare. *Convent.* MELOD. *Tit.* 17. *Art.* 11. *Concilium* ROMAN. *ann.* 1131. *Can.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 983.

SECTIO III.

Quæ potissimum fugere ac vitare Clerici debeant?

I. Nemo in Ecclesia nocet ampliùs, quàm qui perversè agens nomen vel Ordinem Sanctitatis habet. DIST. LXXXIII. Cap. 2. *Nemo. init.*

II. Clericis Lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint; convivia publica fugiant; privata non tantùm pudica, sed & sobria colant; usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant; amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant. DIST. XXIII. Cap. 3. *His igitur. init.*

III. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia: Nec his Cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum Choreis & Saltationibus efferuntur: ne auditus aut obtutus Sacris Mysteriis deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. DIST. XXXIV. Cap. 19. *Presbyteri. ex* AGATENSI. *Conc. p.* 39. *ann.* 506.

IV. Ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *De Reformatione.* Cap. 10. *init.*

V. Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. DIST. XLIV. Cap. 4. *Clerici. Cod. Ecclesiæ Afric. Canone* 4. TOM. II. CONC. *pag.* 169.

VI. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor, similia faciens, aut desinat, aut Communione privetur. DIST. XXXV. Cap. 1. *Episcopus. ex Canonibus Apostolorum* 43. 44.

VII. Sciendum est, quia tunc convivia ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes secularium negotiorum fabulæ, sed verba Sacræ Lectionis audiuntur, cùm non plus quàm necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur. DIST. XLIV. Cap. 6. *Convivia. post. init.*

VIII. A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se vino; nec ad bibendum quisquam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. *De Vita, & Honestate Clericorum.* Cap. *A crapula.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 14.

IX. Clerici tabernas prorsus evitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. *Ibid. De Vita & Honestate Clericorum.* Cap. *Clerici. post initium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 15. *Concil.* TURON. III. *anno* 813. *Canone* 21. TOM. VII. CONC. *pag.* 1264.

X. Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, præterquàm si in publico diversorio in via propter necessitatem diverterit. *Canone Apostolico* 53.

XI. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. *De Vita & Honest. Cler.* Cap. 15.

XII. Mimis, Joculatoribus, & Histrionibus non intendant. *Ibid.*

XIII. Ludos voluptuosos (occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam devenitur) in Clericis penitùs improbat Ecclesia & pestes hujusmodi extirpare proponit. *De Excessibus Prælat.* Cap. *Inter dilectos.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

XIV. Excusatio, quæ per pravam Consuetudinem, Gallicorum Clericorum, qua ferè universi Clerici sic frequenter ludunt, (quæ corruptela dicenda est) palliatur, frivola reputanda est. *Ibid.*

XV. Turpis verbi vel facti esse Joculatorem, vel jocum secularem diligere: Aleas amare: Ornamentum inconveniens proposito suo quærere: In deliciis vivere velle: Gulam & ebrietatem sequi: Ecce talia Ministris Altaris Domini omninò contradicimus. *Ne Clerici, vel Monachi.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1. *med.*

XVI. Clericos nihil posse facere sine licentia proprii Episcopi, Cunctis fidelibus & summopere Presbiteris, & Diaconis, & reliquis Clericis, attendendum est, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 41. *Cunctis.* CLEMENS I. *Epist.* 3.

XVII. Non utique Missas sine Episcopi jussu quispiam Presbyterorum in sua Parochia agat, non baptiset, nec quidquam absque ejus permissu faciat. *Ibid. Concil. Quinisextum in Trullo Canone* 24. Ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali Ordine enumerantur, scenicos ludos sustinere. TOM. VI. CONC. *pag.* 1153. *Ibid. Canone.* 27.

Contentus tegumento & alimento tuo, cætera dona iniquorum reproba; quia non sumit lucerna, nisi quo alitur. *Secunda Synodus Sancti* PATRICII *post annum* 450. *anno incerto. Canone* 2. TOM. III. *Concil. pag.* 1482. CONC. SUESSIONENSE *anno* 744. Cap. 3. TOM. VI. CONC. *pag.* 1553. *Concil.* FRANCOFORD. *anno* 794. *Canone* 19. TOM. VII. CONC. *pag.* 1061.

Quod non oporteat Sacro Ministerio deditos à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum Ordinem, sed & usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios ingredi tabernas. *Concil.* LAODIC. Cap. 24. DIST. XLIV. Cap. *Non oportet.* Ministros Altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut scenis exibentur interesse. *De Consecrat* DIST. V. Cap. 37 *Non oportet. Concilium* RHAMENSE. *ann.* 1448. *Canone* 2. TOM. X. CONC. *pag.* 1109.

SECTIO IV.

Quæ pœnæ decretæ sint in Clericos, qui, seu vestem congruentem non deferunt, seu aliquid eorum agunt, quæ superiori Sectione Clericis vetita esse relatum est?

I. Omnes Ecclesiasticæ Personæ, quantumcumque exemptæ, quæ, aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Perso-

Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica, obtinuerint; si postquam ab Episcopo suo etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum Ordini & Dignitati congruentem, & juxtà ipsius Episcopi Ordinationem, & Mandatum non detulerint; per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio, & Beneficio, ac fructibus, reditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum, coerceri possint, & debeant. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Reform.* Cap. 6. *med.*

II. Si semel correcti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum & Beneficiorum hujusmodi coerceri possint & debeant. *Ibid. fin.*

III. Qui abjectis vestibus proprio congruentibus Ordini, alias sumere, & in Publico portare rationabili causa cessante præsumit, possessorum illius Ordinis prærogativâ se reddit indignum. Clementina *Quoniam. init. De Vita & Honestate Clericorum.* Lib. III. Clementinarum. *Tit.* 1. Cap. 2. *Conc.* Masticon. I. *ann.* 581. *Canone* 5. Tom. V. Concil. *p.* 968. *Concil.* Rom. I. *sub* Zacharia *ann.* 743. Cap. 3. Tom. VI. Conc. *p.* 1546.

IV. Statuit Sancta Synodus Tridentina, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & Sacris *Conciliis* de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, Choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon Sæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem pœnis vel majoribus, arbitrio ordinarii, imponendis, observentur. *Conc.* Trid. Sess. II. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

V. Nec appellatio executionem hanc quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. *Ibid. fin.* Contrarius inventus, aut desinat, aut Canonicæ subjaceat ultioni. Caus. XXI. Quæst. IV. Cap. 4. *Sine. in fine.*

VI. Si Clerici moniti ab Episcopis, emendare noluerint, Ecclesiasticis careant Beneficiis. Caus. XXI. Quæst. IV. Cap. 5. *Præcipimus. fin.*

VII. Si qua ex his in desuetudinem abiisse Ordinarii compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant; non obstantibus Consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindici pœnas persolvant. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Refor.* Cap. 1. *fin.*

VIII. Clericos, qui comam nutriunt, & incedunt in habitu Laïcali, nisi ad commonitionem Episcopi deposuerint comam, & Clericalem servaverint, tàm in vestibus, quàm in aliis, honestatem, usque ad correctionem idoneam à Beneficiorum suorum perceptione, sublato appellationis obstaculo, sua fretus autoritate Episcopus suspendat. *De Off. Archidiacon.* Cap. *Significasti. med. in initio.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 8. *apud* Gonzal.

IX. Ut nullus Clericus comam laxare præsumat, si quis Clericus comam laxare præsumpserit, anathema sit. *Concil.* Rom. I. *sub* Zacharia *ann.* 743. Cap. 8. Tom. VI. Concil. *p.* 1548.

SECTIO V.

An & sub quibus pœnis vetitum sit Clericis usuras & turpia lucra sectari?

I. Non decet in tantum aliquem Clericalis modestiæ oblivisci, ut inhonestis quæstibus anhelando, desideret cum aliena jactura ditari. *De Pœnis.* Cap. *Suam. §. Quia igitur. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 9.

II. Generalis *Concilii* decrevit autoritas, ut nullus constitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus usuræ exercere præsumat. *De Usuris.* Cap. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1. *init.* Citatum *Concilium* celebratum est sub Alexand. III. habitumque Turon. *ann.* 1160. *Concilium* Pictavense *ann.* 1078. Cap. 1. *Conc. p.* 368. *Concilium* Londin. *ann.* 1125. *Can.* 14. 10. *p.* 916. *Concil.* London. *ann.* 1138. *Can.* 9. Tom. XIII. Conc. *p.* 994.

III. Si post hujusmodi constitutum in Clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, Ecclesiastici Officii periculum patiatur. *Ibid. in* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

IV. Episcopus Parochianis suis usuras recipere interdicat, si Clerici parere contempserint, eos ab Officio Beneficioque suspendat. *Ibid. De Usuris.* Cap. *Præterea.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

V. Si quis Clericus pecuniam dederit ad usuram, aut Conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod negotiationis excreverit, depositus, à communione alienus fiat. *Concil.* Arelat. II. *ann.* 452. *Can.* 14. Tom. IV. Concil. *p.* 1013.

VI. Non licet fœnorari Ministris Altaris, vel in Sacerdotali Ordine constitutis, vel usuras accipere. Dist. XLVI. *Cap.* 9. *Non licet.*

VII. Quoniam multi Clerici, avaritiæ causâ turpia lucra sectantes, obliti sunt Divini Præcepti; statuit Sanctum *Concilium* Nicænum, ut si quis inventus fuerit usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, dejiciatur à Clero, & alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu. Caus. XIV. Quæst. IV. Cap. 8. *Quoniam.*

VIII. Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet: Indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Dist. XLVI. Cap. 10. *Sicut. init.*

IX. Clerici, aut ab indignis quæstibus noverint abstinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, mox à Clericalibus Officiis abstinere cogantur; quoniam domus Dei, domus orationis & esse debet & dici, ne per Officia negotiationis potiùs sit latronum spelunca. Dist. LXXXVIII. Cap. 2. *Consequens. fin.*

X. Vide Caus. XIV. Quæst. IV. Cap. 1. *Quoniam.* Multi sub Regula constituti. *Concil.* Nicæn. *Can.* 17.

XI. Si quis Clericus oblitus timorem Domini fœneraverit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæsierit, de gradu suo dejectus, alienus habeatur à Clero. Caus. XIV. Quæst. IV. Cap. 4. *Si quis.* Vide *Concil.* Carthag. III. *Can.* 15. Tom. II. Concil. *p.* 1169. *Concilium* Aurelianum III. *ann.* 538. *Canone* 27. Tom. V. Concil. *p.* 302. *Synod.* Regiaticina *ann.* 850. Cap. 19. Tom. VIII. Concil. *p.* 68.

XII. Quicumque tempore Messis, aut Vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum ... hoc turpe lucrum dicimus. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 9.

XIII. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, usuras à Debitoribus exigens, aut desinat, aut certè deponatur. *Definitione* 47. Cap. 1. *Ex Can Apost.* 44. *Vers.* Dionys. *Exigui.*

XIV. Statutum est, ut non liceat Clericis fœnerari: Cæterum de quibus apertè Scriptura dixit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda; proinde quod in Laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari, ac si dixerint, nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo. *Concil.* Carth. I. *ann.* 348. *Can.* 13. Tom. II. Conc. *p.* 728. *Cod. Eccl. Afric. Can.* 5. Tom. II. Conc. *p.* 1052.

Illud secundùm Scripturarum autoritatem vel Patrum institutionem addendum credimus, ut ne quis Clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, usuras accipiat; quia scriptum est: „Qui pecuniam suam „non dedit ad usuram: (Et alio loco) in plateis „ejus usura & dolus: manifestum est beatitudinis non „posse consequi gloriam, qui à Præceptis Divinis de„viaverit„. *Conc.* Turon. I. *ann.* 461. *Can.* 13. Tom. IV. Conc. *p.* 1052. In collectis Canonibus notandum usuras vetari Clericis, quia à Deo prohibitæ sunt, idque

que à pluribus evidenter declarari; onde ex peculiari prohibitione facta usuræ Clericis, infetre non licet illam Laicis licitam esse.

SECTIO VI.

An & quæ sæcularia negotia vetitum sit Clericis exercere, & sub quibus pœnis?

I. Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. *De Vita & Honest. Cler.* Cap. *Clerici. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 25. *Concil.* FOROJULIENSE. *ann.* 791. Cap. 5. TOM. VII. CONC. *p.* 1003.

II. Decrevit Sancta & Magna Synodus CHALCEDONENSIS, neminem eorum, qui in Clero connumerantur, aut conducere possessiones, aut misceri Sæcularibus Procuratoribus, nisi fortè, qui Legibus ad minorum ætatum Tutelas, sive Procurationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui Civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel Orphanorum ac Viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei. DISTINCT. LXXXVI. Cap. 26. *Pervenit. med.* & CAUS. XXI. QUÆST. III. Cap. 1.

III. Contingit interdum, quod dum Clericali charactere insigniti ad turpia lucra divertunt, & sæcularibus negotiis se immiscent, Clericale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Contingit. in integra apud* GONZALES. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 45. *init.* Vide *Epistolam* 9. GELASII *anno* 494. Cap. 15. TOM. IV. CONC. *p.* 1192.

IV. Negotiari aliquando licet, aliquando non licet; antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto jam non licet. DIST. LXXXVIII. *Cap.* 10. *Fornicari. Autor Quæstionum Veteris & Novi Testam.* QUÆST. 127. *Append.* TOM. III.

V. Clerici, qui illicitis sæcularibus negotiationibus intendunt, facto hujusmodi Privilegium abjiciunt Clericale. *De Vita & Honestate Cleric.* Cap. *Ex literis. in integra. apud* GONZALES. LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 16. *finali. Concil.* VERNENSE *anno* 755. *Canon.* 16. TOM. VI. CONC. *p.* 1668.

VI. Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur. *De Fidejussoribus.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 22. Cap. 1.

VII. Si quis enim transgressus fuerit hæc Præcepta, correctioni Ecclesiasticæ subjaceat. *Cap.* 1. CAUS. XXI. QUÆST. III. *fin.*

VIII. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici, non sint Conductores, neque Procuratores, neque ullo modo turpi vel inhonesto negotio victum quærant; quia respicere debent scriptum esse: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* TOM. II. CONC. *p.* 716. Cap. 6. 7. 9. *ann.* 348. C. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 19. *De Oblig. ad Ratiocin.*

IX. Frequenter & lucri causa, quasi illam Artem profitens, contentiones, vel lites, vel rixas amare. In Palatiis Sæcularibus disputare, excepta defensione Orphanorum, aut Viduarum. Conductores sæcularium rerum, aut Procuratores esse. Negotium injustum exercere. Ecce talia & his similia Ministris Altaris Domini omninò contradicimus, de quibus ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus. Ne Clerici vel Monachi* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1. *Ex Conc.* MOGUNT. *anno* 813. *Canon.* 14. TOM. VII. CONC. *p.* 1245. & MOGUNT. I. *anno* 857. Cap. 13. CONC. TOM. VIII. *p.* 46.

X. Sacerdotes & Clerici ne Ministri Laïcorum fiant, nec in rebus eorum Procuratores existant. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Sacerdotibus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 2.

XI. Clerici in Subdiaconatu, & suprà in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram Sæculari Judice Advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant: Nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ, fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt. *De Postulando.* Cap. *Clerici.* LIB. I. DECR. *Tit.* 37. *Cap.* 1. Sub interminatione Anathematis prohibitum est, ne Clerici causa lucri negotienrur. *Ibid. Ne Cler. vel Monach.* Cap. *Secundum. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. *Cap.* 6. Ne villici fiant. *Concil.* CABILLON II. *ann.* 813. *Canon.* 12. TOM. VII. CONCIL. *p.* 1275.

XII. Canonicis Statutis firmatum est, ut quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi cariùs studio non utatur. Quod certè si voluerit exercere, cohibeatur à Clero. CAUS. XIV. QUÆST. IV. Cap. 3. *Canonum Concil.* TARRACON. *anno* 516. *C.* 2. *p.* 1563.

XIII. Qui serviunt Deo, & annexi sunt Clero non accedant ad actiones, seu administrationes, vel procurationes Dominorum Sæcularium: Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* CAUS. XXI. QUÆST. III. Cap. 2. *Credo.*

XIV. Nonnisi pro seipso, vel Ecclesia sua, vel si necessitas immineat, pro personis conjunctis, aut miserabilibus. Sacerdoti licitum, id est, studiosa cupiditate. *Glossa*

XV. Quod frequentiam sonat, ut verbum exercere, est postulare. *De Postulando.* Cap. ult. LIB. I. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 3. Super eo quod Clerici suæ Diœcesis conferunt se ad mercimonia Laicorum: Nonnulli quoque &c. *De Elect.* Cap. *Transmittam*, LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 15.

XVI. Jure olim & providenter vetitum est, ne Clerici vel Monachi mercaturam (ne fœnus dicamus) exercerent: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* ait Apostolus. *Constitutionum* MELODUN. *Tit.* 17. *fin. Concilium* LONDO *anni* 1102. *Can.* 8. L. 4. 10. *Canone p.* 729. Vide DIST. LXXXVIII. Cap. 1. & 2. Qui serviunt Deo, & annexi sunt Clero, non accedant ad actus, seu quamdam Missionem vel Procurationem Domini. *Concil.* CARTH. I. Nec Procurationes Villarum, aut Jurisdictiones etiam Sæculares, sub aliquibus Principibus & Sæcularibus viris, ut Justitiarius eorum fiat, Clericorum quisquam exercere præsumat. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Sed nec. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 4.

XVII. Si quis adversus hæc venire tentaverit, quia contra Doctrinam Apostoli dicentis: *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis*, sæculariter agit, ab Ecclesiastico Ministerio fiat alienus, pro eo quod (Officio Clericali neglecto) fluctibus sæculi ut Potestatibus placeat, se immergit. *Ibid.* Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, Sæculares Suras non suscipiat, alioquin deponatur. *Canonum Apostol. Can.* 6. TOM. XXVI. CONC. Vide *Cap.* 1. *Conc.* PARIS. *anno* 829. Cap. 28. TOM. VII. CONC. *p.* 1619. innovat Canones CALCADONENSES suprà relatos.

SECTIO VII.

An & quomodo vetitum sit Clericis arma ferre, & sub quibus pœnis?

I. Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant; sed professionis suæ vocabulum Religiosis moribus, & Religioso habitu præbeant. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 6. *Quicumque. init. Conc.* MELD. C. 37. *an.* 845. *Germanicum* I. Cap. 2. *ann.* 742. TOM. VI. CONCIL. *pag.* 1535. Vide LIB. V. DECR. *Tit.* 25. *De Clerico Percussore.* Cap. 4.

II. Quod si contempserint, tanquam Sacrorum Canonum Contemptores, & Ecclesiasticæ Sanctitatis Profanatores, proprii gradûs amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & sæcolo militare. *Ibid.*

fin

fin. Vide *Conc.* TOLET. IV. Cap. 45. *anno* 633. TOM. V. *Con.* 45. *p.* 1717. Depositioni addit detrusionem in Monasterium.

III. Eos, qui semel in Clero taxati fuerint, neque ad militiam, neque ad honores sæculares venire debere. CAUS. XX. QUÆST. III. Cap. 3. *Eos qui. init.*

IV. Eos autem, qui hoc ausi fuerint facere, & non ejus rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem revertantur, quod ante obtentu Dei sibi proposuerunt; convenit anathematisari. CAUS. XX. QUÆST. III. Cap. 3. *Eos qui. fin.*

V. Nullus Sacri Ordinis arma militaria, pro quacumque seditione portare audeat. *Conc.* PONTIGON. *anno* 876. Cap. 9. TOM. IX. CONC. *p.* 287.

SECTIO VIII.

Quæ Officia, quas Artes, exercere Clericis vetitum sit?

I. Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, Tabellionatûs Officium per Beneficiorum subtractionem appellatione postposita interdicatur. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Sicut.* §. *Fraternitati.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 8.

II. Nec ullam Chirurgiæ Artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ad ustionem vel incisionem inducit. *Ibid. Ne Clerici.* Cap. *Sententiam. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 9.

III. Jubetur sub interminatione anathematis, ne quia Sacerdos Officium habeat Vicecomitis aut Præpositi Sæcularia. *Ne Clerici.* Cap. *Clericis.* §. *Jubemus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 5.

IV. Si quis contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat. *Ibid. fin.*

V. Clerici Clericalis Ordinis Dignitati non modicùm detrahunt, qui se Joculatores faciunt, aut Goliardos, aut Bufones. *In* SEXTO. *De Vita & Honestate Cler.* Cap. unico. LIB. III. *Tit.* 1. Cap. 1. *init.*

VI. Si per annum Artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure, si autem tempore breviori, & tertiò moniti non resipuerint, careant omni privilegio Clericali. *Ibid. fin.* Monitionum contemptus culpam tantùm aggravat, quantùm dinturnitas temporis unius anni.

VII. Nullus Clericus Ruptariis, vel Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur. *Ne Clerici.* Cap. *Sententiam. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 9. GONZALEZ. *n.* 3.

Quicumque Clericorum in arenis militaverint, & Beneficium, & Consortium Clericorum amittant. *Concilium* TURON. *anno* 1060. Cap. 7. TOM. IX. CONC. *p.* 1110.

VIII. Ne aliquis Clericus arma deferat. CONC. CLAROMONTANUM *anno* 1095. Cap. 4. TOM. I. CONC. *p.* 507.

IX. Sacerdotibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria dari potest, ubi Sacerdotes una hora, Dominica pertractant Mysteria, & Christianis Corpus Dominicum porriguut pro animarum suarum redemptione. *Epistola* ZACHARIÆ *ad Francos* TOM. VI. CONC. *p.* 1545.

X. Clerici, qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, aut sumpsernot, reperti, amisso Ordinis sui gradu, in Monasterium Pœnitentiæ tradantur. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. Cap. 5. *Clerici.*

XI. Clerici arma portantes excommunicentur. *De Vita & Honestate Cleric.* Cap. *Clerici.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 2.

XII. Cùm necessitas imminet, nullus per suæ Ecclesiæ nomen, aut alio modo, excusetur à murorum Vigiliis; sed omnes ad hoc generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus meliùs valeat civitatis custodia procurari. *De Immunitate Ecclesiastica.* Cap. *Pervenerit. juncta Glossa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. C. 2. GONZALEZ refert Textum posteriorem huic contrarium, conciliatque, docens quod præceptum prioris viget quando sufficiens urget necessitas; prohibitio posterioris locum habet, si absit sufficiens necessitas, cujus rei judicium relinquendum videtur exercitûs Præfecto.

XIII. Reprehensibile valdè constat esse, quod major Episcoporum pars diu noctuque cum aliis fidelibus contra Piratas maritimos invigilet; cum militum sit servire ei cui militant, secundùm quod scriptum est: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* Si sæculi milites sæculari militiæ student, quid ad Episcopos & milites CHRISTI, nisi ut vacent Orationibus? CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. Cap. 19. *Reprehensibile.* NICOL. I. *ad* LUDOV. *&* CAROL. *Reges.*

XIV. Diœcesanis locorum districtè præcipitur, ut Clericos Carnificum, seu Macellariorum, aut Tabernariorum Officium publicè & personaliter exercentes, nominatim & tertiò moneant, ut sic ab hujusmodi Officiis intra convenientem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum, desistant, & quod ipsa nullo unquam tempore reassumant. CLEMENTINA *Diœcesani. De Vita & Honestate Clericali.* LIB. III. CLEMENTINARUM. *Tit.* 1. Cap. 1. *init.*

XV. Quod si taliter moniti ab his non destiterint aut ipsa resumpserint, Privilegium Clericale, quamdiu præmissis institerint, eo ipso amittant. *Ibid.* §. 1.

XVI. Adversus verò alios Clericos negotiationibus vel commerciis sæcularibus, vel Officiis non convenientibus Clericali proposito publicè insistentes, vel arma portantes, sic Diœcesani Canonica servare studeant Instituta, quod & illi ab excessibus compescantur hujusmodi, & ipsi de damnabili circa hæc negligentia reprehendi nequeant. *Ibid.* CLEMENTINA *Diœcesanis.* §. 2. *De Vita & Honestate Cleric.* LIB. III. CLEMENTINARUM. *Tit.* 1. Cap. 1.

SECTIO IX.

Quas negotiationes, & quas Artes licitum sit Clericis exercere?

I. Non decet eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Reform.* 2. Cap. 2. *init.*

II. Constitutiones RICULPHI *anno* 889. Cap. 15. TOM. IX. CONC. *p.* 421. *Cap.* 13. continent sigillatim quid liceat & quid non liceat.

III. Clericus victum & vestitum sibi Artificiolo, vel Agriculturâ, absque Officii sui dumtaxat detrimento, paret. DIST. XCI. Cap. 3. *Clericus.*

IV. Justum negotium non est contradicendum Ministris Altaris Domini propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse: Et in Regula Beati BENEDICTI præcipitur provideri, per quorum manus negotia Monasterii procurentur. *Ne Clerici vel Monachi. &c.* Cap. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1.

V. Quamquam omne turpe lucrum indignum sit Sacerdoti, ne ubi thesaurus, illic sit & Cor; honesto artificiolo, ut Scriptura, Pictura, Arimethica, & decenti Sutura, non sordida aut inhonesta, victum quærere liceat; neque enim hoc puduit Apostolum ipsum. *Constitutionum Conventus* MELODUN. *Tit.* 17. *Articulo ultimo.*

SECTIO X.

Quæ privilegia Jure Publico, Communi, Canonico Clericis concessa sint, & quomodo illis conveniant personaliter, an illorum statui?

I. Clerici Privilegium retinent Canonis (Si quis, à suadente Diabolo) ab INNOC. Papa II. editi in favorem totius Ordinis Clericalis. *In 6. De Clericis Conjugatis.* Cap. unico. LIB. III. *Tit.* 2. Cap. unico.

II. Illa Clerici debent immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum injectione facta in Clericum, excommunicatus quis ipso jure notatur. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *In audientia. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 23.

III. Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis, atque Clericalia, reverentia debita, competentique sinceritatis Religione ab omnibus complectatur. *Concilium* PONTIGONENSE *anno* 876. Cap. 4. TOM. IX. CONC. *p.* 286.

IV. Primum Privilegium appellatur Canonis in eo situm, quòd qui manus violentas in Clericum injicit, ipso jure sit excommunicatus: Vide *Tit. De Excommunicatione. Sectione prima.* Refertur CAUS XVII. QUÆST. IV. Cap. 29. *Concilium* RHEM *anno* 1131. *Canone* 13. TOM. X. CONC. *p.* 986. *Concilium* LONDON. *anno* 1138. *Canone* 10. TOM. X. CONC. *p.* 996.

V. Ille Canon non tàm in favorem Clerici ordinati quàm in favorem Ordinis Clericalis fuit promulgatus. *Ibid. De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Contingit. post med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 46.

VI. Cùm (juxtà PARIS. *Concilium*) nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Judice Sæculari; declaratum est Clericos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter aut civiliter ad Judicium Sæculare, nec ab ipsis Sæcularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter ullatenus condemnari. *In 6. De Clericis Conjugatis.* Capite unico. §. 1. LIBRO III. *Tit.* 2. Cap. unico.

VII Clericale fori privilegium efficit ut Clericali caractere insigniti, super excessibus ad publica judicia non pertrahuntur. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Contingit. in* 2. §. *ultimo. fine.* LIB. V. DECR *Tit.* 39 Cap. 45.

VIII. Illa immunitas pro Clericorum tutela, & Laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta. *Ibid. De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Contingit. in* 2. §. *ultimo. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 45.

IX. In criminali actione Clerici non solùm inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant; cùm non sit Beneficium hoc personale, cui renuntiare valeant; sed potiùs toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. *De Foro Competenti* Cap. *Si diligenti. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 12.

X. Secundum privilegium appellatur fori, in eo situm, quod si Clerici committant delictum, non puniuntur per Judicem Sæcularem, sed remittuntur ad Judicem Ecclesiasticum. *Glossa ad* Caput unicum. *De Bigamis. in 6. init* LIB. I. *Tit.* 12. Cap. unico Refertur CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 2. *Nullus. & De Foro Competenti.* Cap. *Nullus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2.

XI. Omnes Clerici pro Officio Religionis ab omni publica Jurisdictione, atque labore, habeantur immunes. *Concilium* TOLET. IV. *anno* 633. *Canone* 47. TOM. V. CONC. *p.* 3. privilegium est exemptio à talliis & oneribus, & aliis hujusmodi, *sub* ALEX. III. *anno* 1179. Cap. 19. refertur. *De Immunitate Ecclesiastica.* Cap. *Non minus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 4. Hoc Caput est *Concilii* LATERAN. sub INNOC. III. Cap. 46. *anno* 1216.

XII. Ecclesiæ jura, quæ vetusti Principes assidua sanctione firmaverunt, imperitis Clericis non negentur. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 12. GELASIUS *Papa*, CRISPINO & SABINO, *Episcopis circa annum* 494.

XIII Nullum Jus Laicis in Clericos esse volumus. *Concilium* MELFIT. *in Appulia anno* 189. Cap. 11. TOM. X. CONC. *p.* 477. legendus etsi non servetur.

XIV. Nullus Clericos, nec Monachos in Curiam suam ad Seculare Judicium cogat venire. *Concilium* NEMAUS *anno* 1096. Cap. 14. TOM. X. CONC. *p.* 608. *Concilium* TURON. *anno* 1163. *Canone* 1. *fin.* TOM. X. CONC *p.* 1423.

XV. Adversus Consules & Rectores Civitatum, vel alios, qui Ecclesias & Ecclesiasticos viros talliis, seu collectis & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens Immunitati Ecclesiasticæ LATERAN. *Concil* providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit: Transgressores & fautores eorum excommunicarioni subjacere præcepit, donec satisfactionem impenderint competentem. *De Immunitate Ecclesiasticorum.* Cap. *Adversus* LIB. III. DEC. *Tit.* 49. Cap. 7.

XVI. Sicut Presbyteri liberi facti sunt ad suscipiendum gradum, & agendum Officium Divinum, ita nihil ab iis præter Divinum Officium exigatur. *De Successionibus ab intestato.* Cap. *Sancto.* LIB. III. DECR. *Tit.* 27. Cap. 2.

SECTIO XI.

Quid requiratur ut Clerici Privilegiis sui statûs gaudeant?

I. Prima Tonsura initiatus, aut tantùm in Minoribus Ordinibus constitutus, fori privilegio non gaudeat nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat; aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex Mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. *Concil* TRID. SESS. XXIII. *De Reformatione.* Cap. 6. init.

II Si qui Clericali caractere insigniti sunt, nec in modo Tonsuræ, nec in vestimentorum forma, nec in qualitate negotiorum, de Clerico quicquam ostendunt, postquam ab Episcopo Diœcesano commoniti seipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela & Laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta. *De Sentent Excommunicationis.* Cap. *Contingit.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 45. *in integra apud* GONZAL.

III. Usque ad tertiam admonitionem gaudent Clerici privilegio Clericali. *Glossa ad* Cap. finale. *De Vita & Honest. Cler.* LIB. III. DECR. *Titulo* 1. Cap. 16.

IV. Clerici, qui arma militaria (relicto habitu Clericali) gestare nullatenus erubescunt; si à Prælatis suis tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent *De Sent. Excom.* Cap. *In audientia.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 25.

V. Clerici aut Presbyteri, qui contempto Clericali habitu, enormitati se inverecundè immiscent, privilegium Canonis amittunt. *Ibid. De Sent. Excom.* Cap. *Cùm non ab homine.* §. 2. *Colligitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 14.

VI. Clerici qui, relicto Ordine Clericali & habitu suo, in Apostasia tanquam Laici conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, per censuram Ecclesiasticam non præcipimus liberari. *De Apostatis.* Cap. 1. *Præterea.* LIB. V. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

VII. Cùm reddenda sint quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; & publici uxorati Clerici non existant, dum se sic negotiis sæcularibus implicant: Rex potest justitias debitas, & servitia consueta, velut ab aliis uxoratis exigere, & recipere ab eisdem. *De Clericis*

Clericis Conjugatis. Cap. *Ex parte.* §. *ult. in integra apud* Gonzalas Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 9.

VIII. Bigami omni privilegio Clericali sunt nudati, & coercitioni fori sæcularis addicti. *In* 6. *De Bigamis.* Cap. *Altercationis.* Lib. I. *Tit.* 12. Cap. unico.

IX. Bigamis sub anathemate prohibitum est deferre Tonsuram vel habitum Clericalem. *Ibid.*

X. Quisquis Clericus, aut viduam, aut certè conjugem secundam duxerit, omni Ecclesiasticæ Dignitatis privilegio mox nudetur. Dist. LXXXIV. Cap. 5. *Quisquis.* Siricius *Papa Epistola* 1. Cap. 11. *anno* 385.

XI. Clerici negotiationibus sæcularibus privilegium abjiciunt Clericale. *De Vita, & Honestate Clericorum.* Cap. *Ex literis. in init. fin.* Lib. III. *Tit.* 1. Cap. 15. *ultimo.* Vide Gonzales *in Commentario.*

XII. Clericus, qui uxorem legitimam duxit, etiam Tonsuratus, seu Tonsuram deferens Clericalem, non potest privilegio Clericali gaudere. *De Clericis Conjugatis.* Cap. Joannes. *§. Mandamus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 7. Usus Gallicanus circa privilegium fori Clericis concessum in re criminali habetur in *Articulo* 38. *Edicti De Jurisdictione Ecclesiastica.* 1695. *cum Expositionibus, quæ leguntur in Actis Cleri nova edit.* Tom. VII.

SECTIO XII.

A quo corrigi possint ac debeant delinquentes Clerici ?

I. Sacerdotes Episcopalis censura Disciplinis Ecclesiasticis subdat; nec fas est omnium eorum solicitudinem Episcopos non gerere, quibus in committendis Sacris Ordinibus dignum visum est communicare. *Concilium* Pontigon. *anno* 876. Cap. 8. Tom. IX. Conc. *p.* 287.

II. Nemo Secularis Clericus cujusvis personalis privilegii prætextu tutus censeatur, quominùs si deliquerit ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica Delegato, secundùm Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. *Conc.* Trid. Sess. VI. *De Reform.* Cap. 5.

III. Ab Ecclesiarum Prælatis, nullus Clericus per Sanctæ Synodi Tridentinæ Statuta cujusvis privilegii prætextu tutus censetur, quominus juxta Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Reform.* Cap. 4. *init.*

IV. Si Ecclesiarum Prælati in Ecclesiis suis residerint, quoscumque Seculares Clericos qualitercumque exemptos, qui aliàs suæ Jurisdictionis subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis Delegati, corrigendi, & castigandi facultatem habeant; quibuscumque exemptionibus, Declarationibus, Consuetudinibus, Sententiis, Juramentis, Concordatis, quæ tamen suos obligent Autores, ipsis Clericis, ac eorum consanguineis, Capellanis, Familiaribus, Procuratoribus, & aliis quibuslibet ipsorum exemplorum contemplatione & intuitu minimè suffragantibus. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Reform.* Cap. 4.

V. Nulla ratione Clerici, aut Sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina & providentia gubernantur. Dist. XCIII. Cap 8. *Nulla.*

Hic omittitur C. 6. Sess. XXV. *De Ref.* quia proximè respicit Canonicos exemptos; in hac verò Sectione sermo fit de correctione Clericorum in genere spectatorum.

SECTIO XIII.

An Clerici, qui Tonsuram, vel Minores Ordines assumpserunt, statum mutare possint, & tegendi sint, statu mutato, deferre Tonsuram & habitum Clericalem ?

I. Clerici infrà Subdiaconatûs Ordinem constituti, qui carnis devicti vitio continere non valent, uxores accipere possunt. *De Clericis Conjugatis.* Cap. *Quod à te. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3. Vide *Concil.* Toletanum vulgò II. verè I. *anno*, 531.

II. Ut Clerici Clericaturam suam dimittentes, ab aliis separentur. *Conc.* Bituricense *anno* 1031. *Canone* 23. Tom. IX. Conc. *p.* 868.

III. Si qui sunt Clerici extrà Sacros Ordines constituti, qui se continere non possint, sortiri uxores debent. Dist. XXXII, Cap. 3. *Si qui. init.* & Caus. XII. Quæst. I. Cap. *Quia tua.* §. 1.

IV. Cùm eum oporteat secularibus negotiis immisceri, qui uxorem legitimam duxit; Tonsura ipsius sæcularia exercentis videretur in Ministerii nostri vituperium redundare. *De Clericis Conjugatis.* Cap. Joannes. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 7.

V. Qui uxorem legitimam duxit, pro eo quod priùs in Acolythum fuerat ordinatus, molestari non debet, ut Tonsuram deferat Clericalem. *Ibid.* Cap. Joannes. *post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 7. Leo VII. *Epistola* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 598. *Epistola* 1. Zachariæ. Cap. 1. Tom. VI. Conc. *p.* 1498.

VI. Miles, qui olim in minori constitutus ætate, Tonsuram & Coronam Clericalem assumpsit, non est cogendus deferre habitum Clericalem. *Ibid. De Clericis Conjugatis.* Cap. finali. Lib III. Decr. *Tit.* 3 Cap. 10. *Conc.* Rhemense *anno* 1148. à *Canone* 3. Tom. X. Conc. *p.* 1108.

VII. Sancta Romana Ecclesia Clericos, tàm Exorcistas, Ostiarios, Lectores ac Acolythos, si extra votum & habitum Monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, uxorem ducere Virginem cum Benedictione Sacerdotali permittit. Dist. XXXII. Cap. 14. *Seriatim. init.* Vide *apud* Thomassin. *Disciplina Part.* 4. Lib. 1. Cap. 32. *n.* 9. ultimum statum Disciplinæ circa Clericos conjugatos etiam in Gallia.

SECTIO XIV.

Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, hoc est Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, non posse contrahere Matrimonium ?

I. Qui in Subdiaconatûs Ordine constitutus de facto tantùm (quia de jure non potuit) duxit uxorem, non potest in veritate dici maritus: cum inter ipsum & illam non fuerit vinculum maritale contractum. *De Bigamis.* Cap. *A nobis* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. Cap. 7. Vide Tom. V. Conc. *p.* 1656. *Canone* 12.

II. Subdiaconum, sive hominem interfecerit, sive non, Matrimonium non posse contrahere, Sacrorum Canonum censura demonstrat. *Qui Clerici vel Voventes. &c.* Cap. 1. *fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1. *Append. Conc.* Lateran. Sess. XXVI. Cap. 21.

III. Cum extra Clericalem Ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Decr. XXXII. Cap. 1. *Omnium. post init. Concil.* Roma. *anno* 868. *Canone* 9. Tom. VIII. Conc. *p.* 948.

IV. Quod si in hoc Ordine, qui quartus est à Capite, dignum est custodiri, *hoc est* ab Episcopatu, quantò magis in primo vel in secundo tertiove servandum est, ne aut Levitico Ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali exellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria nec dum frænasse detegitur. *Ibid. fin.* Dist. XXXII. Cap. 1. *Omnium. Conc.* London. *anno* 1102. *Canon* 4. 5. 6. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 729.

V. Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potiùs nuncupanda. *De Clericis Conjugatis.* Cap. *Sane. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 4.

VI. Lex continentiæ eadem est Altaris Ministris, quæ Episcopis, atque Presbyteris: qui cùm essent Laici, sive Lectores, licitè & uxores ducere, & filios pro-

procreare poterant; sed cùm ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. DIST. XXXI. Cap. 10. *Lex.* LEO I. *Epist.* 9. Cap. 3. 443. *Concilium* TURON. II. *anno* 567. *Canon.* 19. TOM. V. CONC. *p.* 857. Vide DIST. XXVIII. Cap. 5. *med.*

VII. Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatus faciat. DIST. XXXII. Cap. 7. *Si quis. De Ætate & Qualitate præfici.* Cap. *A multis.* §. 3. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 9.

VIII. Ad similitudinem Diaconi & Presbyteri Subdiaconus debet continentiam observare. *De Ætate & Qualitate. Cap. A multis.* §. 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 9.

IX. Nulli unquam Subdiacono, (exceptis illis, quibus Ecclesiastica Regula permittit) uxorem ducendi licentia datur. DIST. XXXII. Cap. 4. *De illo. fin.*

X Diaconus non potest contrahere Matrimonium. *Qui Clerici. vel Voventes. in integra apud* GONZALES. LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 1. *Appendice Conc.* LATERAN. SESS. XXVI Cap. 21.

XI. Aliter se Orientalium Traditio habet Ecclesiarum: Istius Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet Conjugium sortiendi. DIST. XXXI. Cap. 14. *fin Aliter.* STEPHANUS *Papa IV anno* 769. Vide *Epistolam* VERANI *Episcopi* TOM. V. CONC. *p.* 978.

XII. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, seu Matrimonia contrahere penitùs interdictum est. Contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad Pœnitentiam redigi debere, juxtà Sacrorum Canonum definitiones judicatum est. DIST. XXVII. Cap. 8. *Presbyteri.* URBANUS II. *circa annum* 1090. *in Concilio* Cap. 2. Vide *alia Capita.*

XIII. Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est, semper Matrimonio carendum est. DIST. XXXI. Cap. 7. *Si Laicus. Sanctus* HIERONIMUS *contra* JOANNEM LIB. X. *anno* 390.

SECTIO XV.

Quis Canon antiquior, qui diremerit Matrimonium subsequens Ordinem Sacrum, aliique præcipui inter posteriores?

I. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, seu Matrimonia contrahere penitùs interdicimus: Contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad Pœnitentiam redigi debere, juxtà Sacrorum Canonum definitiones judicamus. GRATIANUS tribuit hunc Canonem CALIXTO II. & istius esse videtur cùm in *Conc.* LATERANENS. ab ipso habito *ann.* 1122. *Can.* 21. iisdem verbis extet. Correct. autem Romani illum adscribunt URBANO II creato *ann.* 880. Hæc enim habent: *Hic Canon inventus est in Codice Vatican. Biblioth. in fragmento cujusdam Concilii ab* URBANO II. *habiti.* C. 2. Ex eodem verò *Concilio* sunt Canones *Alienationis* 12. QUÆST. II. Et *Paternarum* 24. QUÆST. III. Sed in hoc nulla contrarietas, cùm CALIXTUS posterior URBANO ab illo hunc Canonem mutuari potuerit; nec hinc aliud sequitur, nisi quod juxtà notam citatam, prædictus Canon paulò antiquior sit, cùm URBANUS II. obierit inclinante sæculo XI. proindeque tributum sibi *Concilium* antea celebrari debuerit.

II. Ut Lex continentiæ & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & Sacris Ordinibus, dilatetur, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi Professi, qui Sacrum transgredientes Propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus. *Can.* 40. CAUS. XXVI. QUÆST. I. Desumitur ex *Conc.* LATERAN. sub INNOC. II. *ann.* 1139. celebrato. CONC. TOM. X. *p.* 1005. Cap. 7. uterque Canon nullitatem Matrimonii post Ordinem Sacrum contracti, clarè enunciat: Prior jubendo ut dissolvatur: *Contracta Matrimonia disjungi.* Posterior dicendo: *Non esse Matrimonium.* Hinc posteriores Textus supponunt omnes Matrimonii id genus irritum esse: exemplum habes evidens in *Cap. ultimo. De Bigamis* sequenti *n.* referendo, notato prius CLEMENTINAM *De Consanguin.* æquiparare impedimentum Ordinis Sacri cum impedimento Consanguinitatis.

III. Ille autem, qui in Subdiaconatûs Ordine constitutus, de facto tantùm (quia de Jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profectò Bigamus non existit; sed nec dici potest in veritate viduæ maritus, cùm inter ipsum & illam non fuerit vinculum maritale contractum. *Cap. A nobis.* DECR. LIB. I. Cap. 7. Desumitur ex INNOC. III, qui tot nullitatis probationes subministrat, quot ferè verba profert; cùm doceat illum Subdiaconum voluisse Matrimonium contrahere, *Duxit viduam in uxorem*: Sed id non valuisse, *de Jure non potuit*: Hinc factum illum dici verè *non posse viduæ maritum esse*: Non obstat *quod tanquam Bigamus habeatur*; quia id non fit ex eo quod verè sit Bigamus, sed propterea quod crimine suo hanc pœnam incurrit: Cum eo tamen contra Doctrinam Apostoli, tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed affectum intentionis cum opere subsecuto.

IV. Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclasiastica, vel voto. . . . . Anathema sit. *Can.* 9. SESS. XXIV. *De Sacram. Matrimon.*

Hic est primus Canon Ecclesiæ Universalis in forma definitionis editus circa nullitatem Matrimonii post Ordinem Sacrum contracti.

SECTIO XVI.

Quas pœnas incurrant Subdiaconi, Diaconi, vel Sacerdotes, qui uxores accipere tentant, & an possint postea vel ministrare in susceptis Ordinibus, vel ad majores ascendere?

Vide S. BASILIUM *in Epist.* 2. *Can.* 27. TOM. II. CONC. *App. p.* 1738. & *C.* 26. *Conc.* QUINI SEXTI ex alio desumptum, uterque privat omni munere Sacerdotali, qui per ignorantiam nefarias contraxit nuptias relicta ei Cathedra: agitur de ignorantia facti, quæ excusat.

I. Ut ii, qui in Ordine Subdiaconatûs & suprà, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio atque Ecclesiastico Beneficio careant; cùm enim ipsi Templum, Vasa Domini, & Sacrarium Spiritûs Sancti debeant esse, & dici indignum est eos cubilibus & immunditiis deservire. DIST. XXVIII. Cap. 2. *Decernimus.*

Si quis Sacerdotum, vel Diaconorum, vel Subdiaconorum, Officium contumaciter deserens, fœminam sibi potiùs elegit, sicut spontè ob fornicationem dimittit Officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur etiam invitus Beneficium. DIST. LXXXI. Cap. 17. ALEXAND. II. *Clero* MEDIOLANENSI. *an. cir.* 1065.

II. Si quis Clericorum in Subdiaconatu & aliis Superioribus Ordinibus, uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere, & Pœnitentiam agere de commisso, per suspensionis & excommunicationis sententiam compellere procuret Episcopus. *De Clericis Conjugatis* Cap. 1. §. *Sed si.* LIB. III. DECR. *Tit.* 3. Cap. 1.

III. Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine suo illum deponi debere. DIST. XXVIII. Cap. 9. *Presbyter. init.*

IV. Cle-

IV. Clericos in Sacris Ordinibus constitutos Matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupiens Sedes Apostolica, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernit subjacere. Clementina *unica. De Consanguinitate. med.* Clementinarum Lib. IV. *Tit. unico.* Cap. *unico.* Religiosos & Moniales complectitur.

V. Præcipit Ecclesiarum Prælatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuncient, seu à suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem, & absolutionis obtinere Beneficium mereantur. *Ibid.* Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usque dum ad satisfactionem veniat, nec aliquam portionem de rebus Ecclesiasticicis habeat. Dist. LXXXI. Cap. 16. *Si quis.* Alexander II. *Episcopis & Regi* Dalmatianum *ann. circ.* 1065.

VI. Per prædicta juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo derogatur. *Clementi. unic. De Consang. fin.*

VII. Qui in Subdiaconatûs Officio constitutus, quamdam sibi in conjugem copulavit, quam eundem abjurare fecit Episcopus, si ad Monasticum Ordinem transire voluerit, & Episcopo post laudabilem conversationem ipsius visum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedat. *Qui Clerici vel Voventes, &c.* Cap. *Ex literarum.* Lib. IV. Decr. *Tit. 6.* Cap. 2.

VIII. Quod si ad Religionem se transfere noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores permittat Episcopus Ordines promoveri, donec perfectè pœnitens, & perfectæ vitæ videatur ex Decisione sequenti, in minoribus tamen Ordinibus poterit ministrare. *Ibid. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit. 6. Cap.* 2. De Diacono, qui uxorem accepit, si contrito & humiliato corde ad Ecclesiam redire voluerit, dimissâ illâ quam accepit in uxorem, & absolutione obtentâ de excessu, post peractam Pœnitentiam dispensativè poterit Episcopus ei Diaconatûs Officium reddere: Et si perfectæ vitæ & conversationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *De Diacono.* Lib. IV. Decr. *Tit. 6. Cap.* 1. Episcopus potest dispensare cum his, qui in Sacris Ordinibus Matrimonium contrahunt. *Glossa.*

Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, post longam Pœnitentiam & vitam laudabilem continentes, Officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi ejus executionem habere. *De Clericis Conjugatis.* Cap. *Sanè.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 4. *Concilium* Melfitanum *in Apulia. ann.* 1089. Cap. 2. 3. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 476. Non attendebatur enormitas criminis, seu infamia facti proveniens ex publicitate peccati, quæ tollitur per Pœnitentiam publicè notam. Quoad pœnas incurrendas ab eo, qui post Sacrum Ordinem nuptias contrahit, eædem esse debent ac pœnæ antea præscriptæ contra Clericos, qui concubinas accipiebant, cùm à tempore, quo Sacer Ordo factus est impedimentum dirimens, accipere uxorem, accipere ac concubinam, idem planè esse debet, erga quemcumque in eo Ordine constitutum.

SECTIO XVII.

Quam grave crimen sit Clericos concubinas habere? Qui dicendi publici Concubinarii? Quis contra eos agere debeat, & quomodo, quæve pœnæ sint in eos decreta?

I. Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se Divino Cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore testatur. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 14. *init.*

II. Sacerdotes Latini nullas possunt sibi matrimonialiter copulare, nec illis habere licet concubinas. *De Consanguinit.* Cap. *Quod super his. med. in int.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 5. Eugenius II. *ann.* 824. *circ. Decr.* Cap. 2. Tom. VII. Concil. *p.* 1541. *In Conc.* Rham. *Concilium* Ticinense. *Præfat.* Benedicti VIII. *ann. circ.* 1012. Tom. IX. Conc. *p.* 820. *Concil.* Bituric. *ann.* 1031. *Can.* 5. Tom. IX. Conc. *p.* 865. *Conc.* Pictav. *ann.* 1078. Cap. 9. Tom. X. Concil. *p.* 368. *Concilium* Rhemense *anni* 1119. *Can.* 5. Tom. X. Conc. *p.* 864. *Conc.* Lateran. I. *ann.* 1123. *Can.* 21. 3. Tom. X. Conc. *p.* 868. *Conc.* Londin. II. *anni* 1127. *Can.* 7. Tom. X. Conc. *p.* 921.

III. Ut ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit; prohibitum est quibuscumque Clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 14.

IV. Si qui, ab Episcopo commoniti, à sua noluerint præsumptione desistere, per suspensionem Officiorum, & Beneficiorum subtractionem ad id compellere valeat. *Ibid.* Vide *Concilium* Aurelian. III. *ann.* 538. *Can.* 9. Tom. V. Conc. *p.* 298.

V. Publici Concubinarii intelligendi sunt, non solùm ii, quorum Concubinatus, per sententiam, aut Confessionem in jure factam, sed per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est; sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenent, & per suum Superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt. *Concordatorum Titulo* 8. *med. &* Praghat. Sanct. *Tit.* 20. *§.* 7. Non est notorium factum quoad pœnas, nisi post sententiam declaratoriam notorietatis, secùs est quoad scandalum.

VI. Hujusmodi publicum Concubinarium ut primum talem esse noverit, mox suus Superior monere teneatur, ut infrà brevissimum terminum concubinam dimittat. *Ibid. Concordat. Tit.* 8. *&* Prag. Sanct. *Tit.* 20. *§.* 1. Clericos suæ Jurisdictionis, qui in Subdiaconatu & suprà, fornicarias habuerint, studiosè monere curet Episcopus, ut à se illas removeant, eas ulteriùs minimè admissuri. *De Cohab. Cler.* Cap. *Sicut.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 4 *init.*

VII. Supradictorum cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 14 *fin.* Quæ procedendi ratio insufficiens videtur, si accusatus se innoxium prætendat.

VIII. Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, qui publicè tenent concubinas, per suspensionis & interdicti sententiam debet Episcopus arctiùs cogere, ut mulieres ipsas à se ita removeant, quod de illis sinistra suscipio non possit haberi. *De Cohabitatione Cler.* Cap. *Clericos. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 2. Cap. 3.

IX. Quicumque Clericus cujuscumque conditionis, statûs, Religionis, Dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui fuerit publicus Concubinarius, à perceptione fructuum omnium Beneficiorum suorum, trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus Superior in Fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus ii fructus percipiuntur, convertat. *Concordat. Tit.* 8. *init.* Pragm. Sanct. *Tit.* 20. *init.*

X. Si monitus concubinam non dimiserit, vel dimissam aut aliam publicè resumpserit, jubetur ut Superior ipsum omnibus suis Beneficiis omninò privet. *Ibid. Concord. Tit.* 8. *&* Pragm. Sanct. *Tit.* 20. *§.* 1.

XI. Si Clerici (sive in sacris Ordinibus, sive & inferioribus constituti) fornicarias detinent; nisi eas ad

ad secundam vel tertiam commonitionem à se dimiserint, easdem de cætero contempturi, liceat Episcopo eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, Officio ipsis nihilominus interdicto. *De Constitutione Cler.* Cap. *Si autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 6.

XII. Nihilominus ii publici Concubinarii, usque quo cum eis per suos Superiores, post ipsarum concubinatum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcumque honorum, Dignitatum, Beneficiorum, Officiorumve sint inhabiles. *Ibid.* Itaque *Conc.* restituit quoad hunc casum irregularitatem nascentem ex publicitate criminis.

XIII. Si post Dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus Dispensationis, ad prædicta prorsus inhabiles existant. *Ibid.* Relapsi semper duriùs habiti.

XIV. Si postquam concubinas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis, gladio plectantur, nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor. Cap.* 14. De Religiosis videtur intelligendum, ac de Clericis quoad patitur illorum status.

XV. Si ii quorum Destitutio ad Sedem Apostolicam spectat per Concilia Provincialia, aut suos Superiores propter concubinatum publicum, reperiantur privatione digni; statim cum processu inquisitionis, ipsi Summo Pontifici deferantur. *Concordat. Tit.* 8.

XVI. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque Generalibus Capitulis, etiam Provincialibus, quoad eos servetur. *Ibid.*

SECTIO XVIII.

Quæ pœna decreta sint in Superiores, qui negligunt punire publicos Concubinarios, in concubinas & filios, & quæ pœnæ decreta sint in Clericos Concubinarios Beneficia non obtinentes?

I. Quod si ii, ad quos publicorum Concubinariorum correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum Superiores, tàm in ipsos de neglectu, quàm in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. *Concordat. Tit.* 8. & PRAGM. SANCT. *Tit.* 20. §. 4.

II. In Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à Collatione Beneficiorum, vel alia condigna pœna severiter procedatur. *Ibid.*

III. Ipsas concubinas, aut suspectas, Prælati, omnibus modis, curent à suis subditis per auxilium & brachii sæcularis invocationem, si opus fuerit, penitùs arcere. *Ibid. Concord. Tit.* 8. *ante finem.* & PRAGM. SANCT. *Tit.* 20.

IV. Illi etiam filios ex tali concubinatu procreatos, apud Patres suos cohabitare non permittant. *Ibid. Concordat. Tit.* 8. PRAGM. SANCT. *Tit.* 20.

V. Clerici Beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxtà delicti & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis, juxtà Sacros Canones puniantur. *Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Ref* Cap. 14. *fin.*

VI. Suspensionis sententia in Presbyterum lata, qui detinet fornicariam, & ad crebram admonitionem dimittere non vult, tandiu debet observari, donec fornicariam suam à se prorsus abjiciat, & vivat sicut decet Presbyterum continenter. *De Cohabitatione Clericorum* Cap. *Super eo. in integra apud* GONZALEZ. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5.

VII. Injungitur omnibus Sæcularibus viris, etiamsi Regali præfulgeant Dignitate, ne ullum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore, Prælatis, qui ratione Officii sui, adversus subditos suos pro hujusmodi concubinatu, & aliis casibus sibi à Jure permissis, procedunt. *Concordat. Tit.* 8. *fin.* & PRAGM. SANCT. *Tit.* 20. §. 1.

SECTIO XIX.

Clericos in Sacris Ordinibus constitutos continenter & castè vivere debere; & quibus pœnis puniantur ii, qui incidunt in aliquod luxuriæ peccatum?

I. Ut Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & castè vivere studeant universi, præsertim in Sacris Ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maximè illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. *De Vita & Honest. Cler.* Cap. *Ut Clericorum. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 13. Vide *Epistolam* 6. JOANNIS II. *ann.* 534. ubi referuntur Canones contra Clericos impudicos, & indicantur loca, ubi GRATIANUS illos adducit. TOM. IV. CONCIL. *p.* 1757. GONZALEZ in Cap. 4. *De Excess. Præl.* fusè agit de pœnis peccati contra naturam, notatque Ecclesiam non posse in illud, quamvis atrocissimum, alias pœnas statuere, quàm spirituales, ac si qui Canones pœnas capitales tulerint, id fecisse Conventus, in quibus conditi sunt; erant Comitia mixta, quibus Rex aderat cum suis Officiariis. *Ibid.* Indicat alia Juris loca, quæ de hoc peccato loquuntur, illaque explicat. Præcipuum est *Cap.* 4. *De Rapt.* docens Prælatum delegatum à Principe, in punitionem hujusce criminis, teneri illi reservare pœnas sanguinis.

II. Indecens & rationi contrarium est, ut ii, qui Altari serviunt fœminarum amatores sint, cum eos sobrios & castos esse oporteat. *Appendice Concil.* LATER. *Part.* 18. Cap. 15. *ultimo.* Vide *Concil.* VENETICUM *ann.* 465. *Can.* 11. TOM. IV. CONC. *p.* 1056. DIST. XXXIV. Cap. *Presbyteri.* HINCMARUS *in Capit. anni* 852. Cap. 21. 108. *Concil. p.* 574. *Concil.* LOND. *ann.* 1125. *Can.* 13. TOM. X. CONC. *p.* 916. Vide *Conc.* TURON. I. *an.* 461. *Can.* 1. TOM. IV. CONC. *p.* 1050. *Concil.* CLAROMONT. *ann.* 1095. Cap. 9. 10. TOM. X. CONC. *p.* 507.

III. Eos, qui, ut fornicari eis liceat, Divinum Officium derelinquunt, & à Deo recedentes, Diabolo & ejus operibus serviunt, sicut se justissimè ab Officio alienos faciunt, ita Beneficio Ecclesiarum privatos esse adjudicamus. DIST. LXXXI. Cap. 18. *Eos etiam.* ALEXANDER II. *populo* MEDIOLANENSI. *circ. ann.* 1065.

IV. Placuit, ut condecet Sacros Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. DIST. LXXXIV. Cap. 3. *Cùm in Præterito. med. cum ex Conc.* CARTHAG. II. Cap. 2. *anno* 390.

V. Qui Sancti non sunt, Sancta tractare non possunt. DIST. LXXXI. Cap. 6. MAXIMIANUS. *fin.*

VI. Cavendum est ne (contra Apostolum,) infirmorum corda malâ famâ Sacerdotum percutiantur, & ne vituperetur Ministerium nostrum, neque securiores Presbyteri existentes in peccatum licentiùs prolabantur. *De Adulteriis.* Cap. *Significasti.* §. *Ideoque.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 5. *Concil.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 19. TOM. IX. CONC. *p.* 409.

VII. Presbyteri publicè Fornicarii degradentur. *Concil.* NEMAUSENSE *anni* 1096. Cap. 12. TOM. X. CONC. *p.* 608.

VIII. Sa-

VIII. Sacri Canones præcipiunt, ut Presbyter talem accessum, vel frequentationem, ac cohabitationem cum fœminis non habeat, unde mala suspicio, & inconveniens Sacerdoti fama possit exire. *Conc.* Troslaianum. *ann.* 909. Cap. 9. Tom. IX. Conc. *p.* 548.

IX. Ne verò facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statutum est, ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundùm Canonicas Sanctiones, quas efficaciùs, & districtiùs præceptum est observari, ut quos Divinus timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato. *De Vitâ & Honest. Cler.* Cap. *Ut Clericorum.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 1. Cap. 13.

X. Si Presbyteri convicti fuerint in Presbyterio filios procreasse, à Sacerdotali removeantur Officio, atque alieni efficiantur à Ministerio, quod vivendo illicitè polluerunt. Dist. LXXXI. Cap. 6. Maximianus. *fin.*

XI. Sacerdotes, si in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifestus sive ostensus fuerit actus, Sacerdotis non possunt habere honorem secundùm Canonicæ Institutionis autoritatem. Dist. L. Cap. 33. *Sacerdotes.*

XII. Si quisquam Sacerdotum, *id est*, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, de quacumque fœminâ crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem inveniatur fabulari, & aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur; fœmina verò canonicè judicetur. *De Cohabitatione.* Cap. *Si quisquam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 5.

XIII. Si constiterit Diaconum mulierem traditam alicui in uxorem carnaliter cognovisse, ab Officio & Beneficio suspendi debet. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Quam sit.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 9.

XIV. Pudicitia Sacerdotalis, ut non solùm ab opere se immundo abstineat, verùm à jactu oculi, & cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera. *Concilium* Aquisgranense *ann.* 816. Cap. 10. *fin.* Tom. VII. Conc. *p.* 1323.

XV. Si contigerit Presbyterum cum alterius conjuge intra Ecclesiam dormivisse, & mulier id publicè detegat, atque negante adultero, mulier in confessione persistat, si Sacerdos perfectè se purgare non poterit, Episcopus ipsum ab Officio suo suspendere nulla ratione postponat. *De Adulteriis.* Cap. *Significasti.* Lib. V. Decr. *Tit.* 16. Cap. 5.

Quicunque Clerici illa incontinentia, quæ contra naturam est, (propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque Civitates igne consumpsit) deprehensi fuerint laborare, dejiciantur à Clero, vel ad agendam Pœnitentiam in Monasteriis detrudantur. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Clerici.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 4. *init.* Vide *Cap.* 4. *De Raptor.*

SECTIO XX.

Quomodo agendum erga Clericos, qui sive ante, sive post Ordinationem, deprehenduntur in alia quoque gravia crimina prolapsi; & an vitari tum debeant, aut aliquando possit cum iis dispensari, & à quo?

I. De his, qui Sacros Ordines habentes, ante, vel post Ordinationem contaminatos se esse capitalibus criminibus confitentur, hæc distantia esse debet, ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, secundùm Sacrorum Canonum Instituta, à proprio gradu decidant; quia scandalum est populo Dei tales personas suprà se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat: Nempè inde retrahuntur homines à Sacrificio Dei, & eorum pravis exemplis quotidiè pejores fiunt. *C.* 34. Dist. L. Hanc distinctionem confirmat Gregor. IX. *C.* 77. *De Temporib. Ordin.* his verbis: *Quæsitum est de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt ... Si proposita crimina ordine judiciario comprobata vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi præter homicidii reos, post Pœnitentiam in susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri.* Restrictio exceptionis ad homicidium non probat alia crimina occulta irregularem non efficere, cùm possit referri ad crimina memorata, adulterium, perjurium, falsum testimonium.

II. De his verò, qui de prædictis peccatis absconditè à se admissis, per occultam confessionem coram oculis Dei, præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est Pœnitentiam, confitentur, & semet ipsos graviter deliquisse queruntur; si se per jejunia & eleemosinas, vigiliasque, & Sacras Orationes purgare certaverint, his etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est. *Ibid.* Dist. L. Cap. 34. *De his. med.* Rabanus à falsis Decretalibus deceptus, quæ introduxerunt distinctionem occulti & publici criminis, quoad exercitium Ordinum post Pœnitentiam. Van-Espen *in* Dist. L. Gratiani.

III. Hos, qui Altari deserviunt, si subitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente, dignè pœnituerit, ita ut mortificato corpore, cordis contriti Sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ Corpore segregare. Dist. L. Cap. 52. *Hi qui. ex Concilio* Ilerdensi Cap. 5. *ann.* 524. Tomo IV. *Concil. p.* 1612. *Conc.* Vormat. *ann.* 868. *Can.* 22. Tom. VIII. Conc. *p.* 948. *Conc.* Rom. III. *ann.* 1099. Cap. 13. Tom. X. Conc. *p.* 616.

IV. Quæsitum est de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit Officium, priusquam illos pœnituerit, audiendum; verum etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum, non debet tamen in Officiis evitari: quia quantùm ad alios etiam in casu proposito suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. *De Cohabitatione Clericorum.* Cap. *Quæsitum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 10. *fin.* Confirmat ibi Gregorius IX. memoratam suprà distinctionem.

V. Sine dubitatione tenendum quod à Clericis & Presbyteris, quanquam Fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè Divina Mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica. *De Cohabitatione Clericorum.* Cap. *Vestra. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 7.

VI. Secundùm titulos antiquorum Patrum Sancto Spiritu suggerente conscriptos, Clerici in Adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis convicti, ad honorem redire non possunt. Dist. L. Cap. 29. *Si quis Diaconus.* §. 1.

VII. Quod si eos durissimam Pœnitentiam per plures annos videremus agere, tunc nos & saluti eorum possemus consulere, & Statuta Canonum deberemus temperare. *Ibid.* Dist. L. Cap. 29. *Si quis Diaconus.* §. 2. *init.* Zachar. *ann.* 743. Tom. VI. Conc. *p.* 1546. Cap. 2. *Concil.* Rom. I. *Sub Concil.* Suession. *an.* 743. Cap. 8. Tom. VI. Conc. *p.* 1554. *Concil.* Bracar. IV. *ann.* 675. Cap. 5. Tom. V. Conc. *p.* 565. *Concil.* Matiscon. I. *ann.* 581, *Can.* 1. Tom. V. Conc. *p.* 967. *Concil.* Lugdun. III. *ann.* 583. *Can.* 1. Tom. V. Conc. *p.* 974. *Concil.* Turon. II. *ann.* 567. *Can.* 10. Tom. V. Conc. *p.* 854. Vide *Concil.* Turonicum I. *ann.* 461. *Can.* 3. Tom. IV. Conc. *p.* 1051. *Concil. incerti loci post annum* 615. *Can.* 8. Tom. V. Conc. *p.* 1656. *Concil.* Foroju. *ann.* 791. Cap. 4. Tom. VII. Conc. *p.* 1003. *Concil.* Agath. *ann.* 506. *Can.* 10. Tom. IV. Conc. *p.* 1384. *Concil.* Toletan. IV. *ann* 633. *Can.* 42. Tom. V. Conc. *p.* 1716. *Concil.* Nicæn. I. *Can.* 3. Vide *Concil.* Arelatense II. *ann.* 452. *Can.* 2. Tom. IV. Concil. *p.* 1010. *apud* Dionysium *Exiguum.*

Concil. ILERDENSE *an.* 524. *Can.* 15. TOM. IV. CONC. *p.* 1613. *Concil.* TOLET. vulgò II. verè I. *an.* 531. Cap. 3. TOM. IV. CONC. *p.* 1733. *Conc.* AVERN. *ann.* 535. *Can.* 16. TOM. IV. CONC. *p.* 1806.

VIII. Si quis Clericus adulteraſſe aut confeſſus, aut convictus fuerit, depoſitus ab Officio, Communione conceſſa, in Monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur. DIST. LXXXI. Cap. 10. *Si quis Clericus. Conc.* LOMO. II. *ann.* 1127. *Can.* 5. TOM. X. CONC. *p.* 921.

IX. Nullus Diaconus, vel Presbyter, & Epiſcopus, ad Cellarii ſecretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam. *Conc.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 4. TOM. IV. CONC. *p.* 1011.

SECTIO XXI.

Cum quibus fœminis liceat Clericis habitare, aut quomodo cum eis colloqui, ac converſari debeant?

I. Interdixit per omnia Sancta Magna Synod. NICÆNA non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omninò qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones. DIST. XXXII. Cap. 16. *Interdixit. Conc.* NANNETENSE. *Can.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 469.

II. Fœminas non alias eſſe patimur in domibus Clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſas habitare cum iiſdem Synodus NICÆNA permiſit. DIST. LXXXI. Cap. 31. *Feminas.*

III. Cum omnibus omninò Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent; ſed ſolæ Matres, Aviæ, & Materteræ, Amitæ, Sorores & Filiæ Fratrum, aut Sororum, aut quæcumque ex familia domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant; vel ſi filii eorum, jam ordinatis Parentibus, uxores acceperunt. *Cap.* 27. DISTINCT. LXXXI.

IV. Cujus licentiæ cauſa eſt quod cum omnibus ejuſmodi etiam ſecundùm ſententias Ethnicorum naturale fœdus inter tales perſonas, nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari. *De Præſumptionibus.* Cap. *Cùm in juventute.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 15. *Concil.* PONTIG. *ann.* 876. Cap. 9. TOM. IX. CONC. *ann.* 287. *Concil.* RHEMEN. II. *ann.* 813. *Can.* 22. TOM. VII. CONC. *p.* 1257.

V. Clerici familiaritatem extranearum fœminarum noverint eſſe vitandam, nonniſi à Sororibus, aut Amitis ſuis, aut à Matribus, conſolentur; quia ſicut bonum non eſt homini ſolum eſſe, ita familiares eſſe Clericos fœminis non oportet extraneis; quia frequenter plurimorum ruinas ſub hac occaſione deflemus. *Concil.* ANDEGAV. *an.* 453. *Can.* 4. TOM. IV. CONC. *p.* 1021.

VI. Sacerdotes cum fœminis habitare nefarium eſt, & contra Sanctorum Canonum ſancita; ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt; ideoque admonendi ſunt, ut non antiqui hoſtis decipiantur fraude, quatenus juxtà Apoſtoli vocem: *Non vituperetur Miniſterium noſtrum.* Ibid. DIST. LXXXI. Cap. 22.

VII. *Concil.* NICÆN. cautum erat Sacerdoti, & Diacono, ne cum mulieribus cohabitarent, niſi fortè cum Matre, Sorore, Avia, Amita, vel Matertera; nunc autem ſi tam dura non patitur hoc ſæculum, ſaltem cavendum ab omni ſuſpecta mulierum cohabitatione. *Conventus* MELOD. *Tit.* 17. *Art. penult. Concil.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 10. TOM. IX. CONC. *p.* 407. *Concil.* METEN. *ann.* 888. *Can.* 5. TOM. IX. CONC. *p.* 414. Vide *Concil.* AUREL. III. *ann.* 538. *Can.* 4. TOM. V. CONC. *p.* 296. *Concil.* CABIL. *ann.* 650. *Can.* 3. TOM. VI. CONC. *p.* 388.

VIII. Inhibendum eſt, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, retineat. *De Cohabitatione Clericorum.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1. Sed neque illas, quas Canones concedunt, Matrem, Amitam, aut Sororem, quia inſtigante Diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis earumdem. *Ibid. De Cohab. Cler.* Cap. 1. §. 1. LIB. III. *Tit.* 2. Cap. 1.

IX. Cum Clericis Epiſcopus non permittat mulierculas habitare, niſi forte de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari. *Ibid. De Cohabitatione Clericorum.* Cap. *A nobis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 9.

X. In omnibus obſervare convenit, ut certus quis, & certo tempore, & certo loco, & certis perſonis, vel apparere Clericus, vel loqui debeat mulieribus, ut excludatur omnis nefanda ſuſpicio. DIST. LXXXI. Cap. 26. *In omnibus.* Addicur *ibidem*, certè ſolum & ad ſolam accedere nulla Religionis ratio permittit.

XI. Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant; quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur. DIST. XXXII. Cap. 17. *Hoſpitiolum.* Non eſt de levi credendum, quod poſtquam Clericus ad ſenilem pervenit ætatem turpiter abjecerit jugum Domini, fœtores libidinis amplexando; cùm labes hujuſmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in ſenectute frequentiùs expietur. *De Præſumptionib.* Cap. *Cùm in juventute. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 15.

SECTIO XXII.

Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos teneri ad recitandas privatim Horas Canonicas, & quomodo?

I. Duobus conſtat totum Presbyterorum Miniſterium, quorum alterum eſt, ut in commiſſum ſibi populum Deum reddere propitium nitantur, piis precibus, ac Sacrificiis: Alterum verò ut ſint Religionis Magiſtri, meditantes in Lege Domini die ac nocte. *Conventus* MELOD. *Tit.* 16. *Art.* 3.

II. Quicumque Beneficiati, vel in Sacris conſtituti, ad Horas Canonicas tenentur. *Pragmatica Sanctio. Tit.* 13. Qualiter horæ Canonicæ ſint dicendæ extra Chorum. *Init. Gloſſ.* Verbo. *Teneantur*: ubi fuſè de hac obligatione & diſpenſatione circa illam. Ejuſdem obligationis meminit *Concil.* LATER. *ann.* 1514. CONC. TOM. XIV. *p.* 227. præſcribit tempus intra quod proviſus de Beneficio, Officium dicere, aut recitare debeat, & quot omiſſiones neceſſitatiæ ad privationem Beneficii. *De eadem Obligatione* Vid. THOMAS. *Part.* 4. LIB. I. Cap. 42.

III. Ad Sacros Ordines promoti Canonicarum Horarum Officium, & preces dicant, diebus ſingulis. *Conv.* MELOD. *Tit.* 18. Presbyter manè matutinali Officio expleto penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque, perſolvat. *De Celebrat. Miſſarum.* Cap. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 1. & DIST. XCI. Cap. 2. *Presbyter.* HINCMARUS. Cap. 9. TOM. VIII. CONC. *p.* 570.

IV. Propheta dicente: *Septies in die laudem dixi tibi*: qui ſeptenarius numerus à nobis impletur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ & Completorii tempore, noſtræ ſervitutis Officia perſolvamus. Ergo his temporibus laudes Creatori noſtro ſuper judicia ſuæ juſtitiæ referamus. *Ibid. De Celebrat. Miſſarum.* Cap. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 1. Vide *Concil.* GERUND. *ann.* 517. *Can.* 1. TOM. IV. CONC. *p.* 1568. & Cap. 10.

V. Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod inſpirante Sancto Spiritu,

Spiritu, Apostoli tradiderunt, & fidem Sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur. *Concil.* August. *Sancti* Leodegarii. *an. circiter* 670. Tom. VI. Conc. p. 536. *Constitutiones* Riculphi *ann.* 889. Cap. 3. Tom. IX. Conc. *p* 417.

VI. Sacerdotes dicant Horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquàm Officium matutinale compleverint, non præsumant. *Bulla* Innoc. IV. *Sub Catholicæ. n.* 11. *ann.* 1243. Confiteor me Horas meas Canonicas sæpiùs neglexisse. *Canon. sub* Edgar. Rege. *Pro Confessione.* Cap. 8. Tom. IX. Conc. *p.* 68. *Inscriptio horum Canonum, de Ordinatorum vivendi formulâ.*

VII. Clericis; qui circà comessationes superfluas, & confabulationes illicitas, medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuâ syncopâ Matutinum, districtè præcipitur in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum, pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè. *Ibid. De Celebrat. Missarum.* Cap. *Dolentes.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 9.

VIII. Si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in guttur vel inter dentes, seu degluttiendo, aut syncopando, dictiones, vel colloquia, vel risus intermiscendo; sed sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco undè à devotione non retrahantur; ad quem se disponere, & præparare debent, juxtà id quod scriptum est: *Ante Orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum.* Pragmat. Sanct. *Tit.* 14.

IX. Apprimè maxima cum attentione ex affectu cordis, & elevata mente, nocturnum diurnumque Officium referant, undè non minùs quàm ex alio quovis privato studio fructus provenire facilè judicabunt. *Conventus* Melodun. *Tit.* 16. *De Vita & Honest. Clericorum in genere. Art.* 3. *fin.* Puritas, animi ardor, & summa attentio, requiruntur in precibus horariis recitandis. *Ibid. Art.* 4. *init.* Alexander III. *Epistola* 19. *Append.* 1. Tom. X. Conc. *p.* 1260.

SECTIO XXIII.

Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, maximè Sacerdotes, non debere sine licentiæ sui Episcopi, in aliis Ecclesiis ministrare, & nisi certò constet de illorum Ordinatione.

I. Extraneo Clerico extra Civitatem suam sine commendatitiis literis proprii Episcopi nusquam penitùs liceat ministrare. Distinct. LXXI. Cap. 7. *Extraneo.*

II. Clericis non liceat de loco ad alium, sine Episcopi permissione, transire, nec sine commendatitiis Sacerdotum suorum literis commeare. *Concil.* Andegav. *ann.* 453. *Can.* 1. Tom. IV. Concil. *p.* 1020. Vid. *Append. Concil.* Later. *Part.* 26. Cap. 20.

III. Non ambiant sibimet Episcopi vendicare Clericos potestatis alienæ. *De Consecr.* Dist. I. Cap. *6. init.*

IV. Juxtà Sanctorum Canonum Instituta, in Ecclesiis aliundè veniens Presbyter non suscipiatur, nisi fuerit ab Ecclesiæ Episcopo consecratus, aut ab eo per commendatitias literas suscipiatur. *Cap.* 8. Dist. LXXI.

V. De Clericis, qui in remotis Regionibus ordinati literas eorum proponunt à quibus sibi sit manus imposita, cùm incertum sit, utrùm eorum sint sigilla quæ præsentant, tutius est ut in suspensione aliquo tempore habeantur, in quo videntes pleniùs de ipsorum actibus instituantur. *Ibidem.*

VI. Clericum alterius Diœcesis absque commendatitiis literis sui Episcopi non debes recipere. *De Clericis non Resid.* Cap. *Fraternitati. in int. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 5.

VII. Clericum alienum, nisi concedente ejus Episcopo nemo audeat, vel retinere, vel promovere, in Ecclesia sibi credita. Dist. LXXII. Cap. 2. *Clericum.*

VIII. Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat. Caus. XIX. Quæst. II. Cap. 1.

IX. Alienum decretum est in Canonibus Clericum non debere de suo Episcopatu ad alium transire, sine commendatitiis literis sui Episcopi; quod propter criminosos constitutum est, ne videlicet infames ab aliquo Episcopo suscipiantur personæ: Solebant enim Officia sua, cùm non poterant in suo Episcopatu, in alieno celebrare, quod jure præceptis & scriptis detestatum est. Caus. XIX. Quæst. II. Cap. 2. *Duæ sunt. med.*

X. Quoniam diversarum Ecclesiarum Clerici suas, in quibus ordinati sunt, Ecclesias relinquentes, ad alios concurrunt Episcopos, & ignorante proprio Episcopo, in alienis constituuntur Ecclesiis; nullus Clericorum omninò in quocumque gradu sit, licentiam habeat sine dimissoriis literis sui Episcopi in altera constitui Ecclesia. Caus. XXI. Quæst. II. Cap. 1. *Quoniam. init.*

XI. De inferioribus Ordinibus oportet inquiri, quia posset contingere, ut aliquibus prætermissis saltum faciant. *Ibid.* His peractis, si digni inventi fuerint, circa eos poterit dispensari. *Append. post Concil.* Later. III. *Part.* 26. Cap. 20. Vid. *ibid.* Cap. 26.

Nullus externorum Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum, sine commendatitiis recipiantur, iisque afferentibus examinentur. *Can.* 32. *Concil.* Francoford *ann.* 794. *Can.* 27. Tom. VII. Conc. *p.* 1061. Si quis in Clerum electum se dicat, si Sacerdotem se denominet, hoc scrutandum est, quia non sine periculo est, in talibus communicatio indiscussa. Extravag. *Injunctæ. §.* 1. *med. De Elect. inter communes.* Extravag. Comm. *Tit.* 3. Cap. 1. *Synodus* Regiatic. *ann.* 850. Cap. 18. Tom. VIII. Conc. *p.* 68.

Juxtà Sacrorum Canonum Instituta Clericus absque Episcopi sui licentia peregrinari non potest. *De Voto.* Cap. *Magnæ. in int. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. *Cap.* 7. Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Clericis, relicta sua Parochia, in aliam abscesserit, & cùm penitùs transierit, præter sui Episcopi sententiam, in alia Parochia manens, eum non ampliùs celebrare jubemus, maximè si eum adhortante Episcopo, ut rediret, non paruerit, in contumacia & insolentia perseverans. *Can. Apost.* 14.

Clerici ad alienam Diœcesim sine suorum Ordinariorum literis venientes; nec in suis recipiantur Ordinibus, nec ad Superiores ascendant. Extrav. *Injunctæ. §.* 1. *med. De Electione. inter communes* Extravag. Com. *Tit.* 3. Cap. 1. *Conc.* Rothomag. *ann.* 1074. Cap. 2. Tom. X. Conc. *p.* 311. *& Conc. apud* Vuint. Cap. 3. *ibid. p.* 312.

Nisi legitimè Episcopo constiterit, sive per literas, sive per testes, de Clericorum Ordinatione Canonica, qui penitùs sunt ignoti, non debet Episcopus ipsos permittere in suis Plebibus celebrare. *De Clericis Peregrinis.* Cap. *Tua Fraternitatis. §.* 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 22. Cap. 3.

Ut Clerici non, absque Sacerdotum suorum commendatione, ad alias Provincias, sive Civitates, ambulare disponant. *Concil.* Turon. I. *ann.* 461. *Can.* 12. Tom. IV. Conc. *p.* 1052.

Nunc si quis Clericus acquirat Beneficium, vel Officium perpetuum, in aliena Diœcesi, non eget licentia prioris Episcopi ad deserendam Diœcesim, atque in alia commorandum: hanc exemptionem induxit usus de consensu tacito Episcoporum.

SECTIO

SECTIO XXIV.

LITERÆ DIMISSORIÆ.

PARS PRIMA.

De Dimissoriis ad Ordinum susceptionem.

Literæ, quibus permittitur, ut suscepti Ordines in alia Diœcesi exerceantur, quæque vocitari solent *Exeat*, eodem aliàs nomine donabantur, quo literæ, quibus permittitur, ut Ordines ab alieno Episcopo suscipiantur; utræque enim *Dimissoriæ* vocabantur. *Cap.* 17. *Conc.* TRULL. Cap. 40. *è Capit. excerptis ex Lege* LONGOBARD. TOM. I. *Capitul. p.* 555. idque meritò, quia illis subditus dimittitur, ut & istis: retento ergo antiquo nomine, utrumque Literarum genus explicabimus: Collectis juxtà temporis Ordinem qui de iis loquuntur Canonibus, à priori ordiemur; tùm quia antiquum nomen ubique ferè conservavit; tùm quia altero longè frequentiùs.

I. Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in sua Ecclesia, cùm non habeat consensum Episcopi ipsius à quo recessit Clericus, irrita sit hujusmodi Ordinatio. *Concil.* NICÆN. Cap. 16. *ann.* 325. *Excerptiones* EGBERT. EBOR. *n.* 50. Antiquiorem Canonem circa Literas Dimissorias à proprio Episcopo nullum habemus. De Episcopo Beneficium loquitur: Episcopus enim Ordinationis idem erat tunc ac Episcopus Beneficii; quia, qui Ordines conferebat, suæ Ecclesiæ alligabat, quibus illos conferebat; hæc autem obligatio nihil aliud erat, quàm quod nunc *Beneficium* vocitamus. Cum Depositio gravissima sit pœna, atque etiam irritatio Ordinationis, quoddam Depositionis anticipatæ genus sit; hinc inferre est quàm gravis culpa haberetur, quâ quis extraneus absque licentia proprii Episcopi ordinabatur. Idem habet *Conc.* SARDIC. Cap. 19. *ann.* 347. his verbis: *Constituimus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum Ministrum sine consensu Episcopi ipsius & voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio ejus.*

II. PRIVATUS Episcopus VEGESELITANUS dixit: *Suggero Sanctitati vestræ, ut statuatis non licere, nec Laicum usurpare sibi de Plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi de cujus Plebe est.* GRATUS Episcopus dixit: *Hæc observantia pacem custodivit; nam & memini in Sanctissimo Conc.* SARDIC. *statutum, ut nemo alterius Plebis hominem usurpet; sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo, & per consensum. Conc.* CARTHAG. I. Cap. 5. *ann.* 348. Quod *Concil.* SARDIC. dixit de Clerico alieno, hoc GRATUS de Laico alieno interpretatur, quia par ratio esse videtur quodammodo; cùm in utroque casu res aliena usurpetur. Canon hic confirmat quod circa Canonem 44. *Conc.* CARTHAG. III. primo loco observavimus; demonstrat enim 50. annos ante *Concil.* CARTH. III. agnitum fuisse originis Episcopum ejusque autoritatem.

III. NUMIDIUS Episcopus dixit: *Fuit semper hæc licentia huic Sedi* (CARTHAG.) *ut undè vellet, & de cujus nomine fuisset Conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinaret Episcopum.* Cap. 55. Cod. Eccl. Afr. desumptus è *Conc.* CARTHAG. III. *ann.* 397. Cap. 45. Facultas hæc Episcopi CARTHAG. subditos alienos ordinandi extendebatur ad Presbyteros, cæterosque Clericos ordinandos: patet ex reliquo Canonis, in quo POSTUMINIANUS Episcopus dicit: *Si habet alius abundantes Clericos debet mihi alia Plebs subvenire.* Cui respondet AURELIUS: *Quomodo Ecclesiæ alterius tu subveneris persuadebitur illi qui plures habet Clericos in unum tibi ordinandum largiatur.*

IV. EPIGONIUS Episcopus dixit: *In multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est, vestra providentia, (Fratres Beatissimi) ut Clericum alienum nullus sibi præcipiat Episcopus præter ejus arbitrium cujus fuerit Clericus, dico autem* JULIANUM *ita temerarium, & audacem extitisse, ut eum, qui à me baptisatus, cùm esset puer egentissimus, mihi ab eodem commendatum, cumque multis annis à me aleretur, atque inuresceret, ac Lector duobus annis in mea Ecclesia, hunc, nescio quo contempsu, idem* JULIANUS *arripuit, quem dicit, quasi proprium civem sui loci.* NUMIDIUS Episcopus dixit: *Si non postulata, neque consulta tua dignatione id videatur fecisse* JULIANUS, *judicamus omnes iniquè factum.* Concil. CARTHAG. III. Cap. 44. *an.* 397. Sunt qui hinc inferant nullam tunc rationem habitam de Episcopo loci, in quo quis natus erat secundùm carnem; sed non rectè, cum EPIGONIUS dicat: „ Hunc sibi civem à proprio Episco„po commendatum, ideoque dimissum „. Allegat equidem alios tres titulos; nempè quod baptisaverit, aluerit, Lectorem creaverit, sed hi priorem non destruunt. Antiquiora *Concilia*, quæ vetuerint expressè Episcopis, ne alienos Clericos sibi vendicent, eosque ad majores gradus promoveant, non legimus alia quàm quæ laudavimus, at extat certè aliud *Conc.* idem in alia re prohibens, tale est *Conc.* ANTIOCH. *Cap.* 3. in eo scilicet quod vetat Clericis ne in alias Ecclesias se transferant: Hinc enim patet, quod nullus Clericus se alii Episcopo dare possit.

In eo quod dicit EPIGONIUS se aluisse, quem JULIANUS ipsi commendaverat, habemus quoddam vestigium tituli Ordinationis desumpti ex commensalitate.

V. *Conc.* TAURIN. *ann.* 397. *Cap.* 3. & 7. prohibet quoque ne alieni Clerici ordinentur. „ Ut „ de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus usur„pet, nisi ejus Episcopus, precibus exoratus, „ concedere voluerit „. INNOCENT. I. VICTRICIO ROTHOM. *ann.* 404. Cap. 7.

Difficiliùs concedebantur tunc Dimissoriæ quàm nunc, ostendunt hæc verba: *Precibus exoratus*; & meritò, quia antiquis Dimissoriis nedum committebatur Ordinatio; sed & ordinandus donabatur, hodiernis verò delegatur tantùm Ordinatio.

„ Transmarinos homines in Clericatus honore „ (GRATIANUS legit honorem, & secundùm hanc lec„tionem huc pertinet) nolite suscipere, nisi 5. aut 10. „ amplius Episcoporum Chirographis sint designati „. ANASTASIUS *an.* 398. *creatus Epist. I. ad omnes German. ac Burgund. Episcopos.* CONC. TOM. II. Quamvis supposititia sit hæc Epist. citamus tamen, quia ex relato *Can.* alii inferiùs adducendi desumpti videntur.

VI. Si qui alienos cives, aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusantur, aut ad se eos revocent (proprii Episcopi) aut gratiam ipsis eorum impetrent, cum quibus habitant (nempè Ordinatores). *Conc.* ARAUS. I. Cap. 9. *ann.* 441. Post *Can.* 5. CARTHAG. I. antiquior non est Canon ullus, qui expressam Episcopi originis & domicilii mentionem fecerit.

VII. Si quis consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat, ut cum ipso habitet, nec eum sine consultatione ejus Episcopi, cum quo habitavit, ordinare præsumat; quia non sine causa diù ab alio non ordinatus remansit. *Ibid.* Cap. 8.

VIII. Si aliquo commorationis tempore invito Episcopo suo, in aliena Ecclesia habitans, ab Episcopo loci Clericus fuerit ordinatus, ordinatio hujusmodi irrita habeatur. *Conc.* ARELAT. Cap. 2. C. 13. Prior hujus Canonis pars ostendit hic agi de promotione ad Superiorem Ordinem.

Hinc patet Patres ARELAT. credidisse domicilium novum acquiri non posse, reclamante Episcopo, neque vi Domicilii hujusmodi Clericum Majores Ordines accipere. *Hoc Conc. celebratum ann.* 452.

IX. Episcopi quoque, ab aliis Episcopis ordinatos, sine permissu eorum, à quibus fuerint promoti, ad Superiorem Ordinem ordinare non præsumant, ne concordiam fraternam injuria illata contaminet. *Concilium* VENETICUM. *Can.* 10. *ann.* 465. *in Armorica.* Nullam fert pœnam, quia jam extabat aliqua

pœna

pœna in Provincia constituta contra eos qui pacem turbabant.

X. Ut nullus Clericum, seu Lectorem alienum, sine sui cessione Pontificis, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. *Concilium* Aurelian. V. *ann.* 549. Ordinatum & Ordinatorem suspendit: Ordinatum ad arbitrium Episcopi contempti: Ordinatorem per sex menses à Missarum celebratione: Hæc enim addit: *Quod si quis hanc Constitutionem fuerit quacumque præsumptione transgressus, memorata persona, ab eo, cui sunt debitæ, seu Ecclesiastico Jure, seu Proprio, revocatæ, quia illicita vagatione discesserant, ab honore vel Officio suscepto, juxtà arbitrium sui Pontificis suspendantur: Episcopus verò, qui ordinaverit, sex mensibus Missas facere non præsumat.* Ibid. Concil. V. *p.* 392. Eodem spectat Cap. 8. *Concil.* Bracharensis II. *ann.* 563. hæc habens: *Placuit, ut nullus Episcopus Clericum alterius ordinare præsumat*; sicut & antiqui Canones vetuerunt, nisi forte signata ipsius Episcopi scripta susceperit; quid enim aliud scripta signata quam Dimissoriæ? Huc usque descripti Canones memoratæ hìc prohibitionis testes sunt fide maxima digni. Vid. *Citatum* Conc. Tom. V. *p* 840. & 841.

XI. Multiplici prohibitione sancitum est, ut alterius Clericum nemo sollicitare, nemo fugientem recipere, nemo etiam aut obcelare, aut ordinare. *Conc.* Tolet. XV. Cap. 11. *ann.* 683.

XII. Nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, aut judicare, quia sicut irrita erit ejus Ordinatio ita & Judicatio, quoniam censemus nullum alterius Judicis, nisi sui sententia, teneri, nam qui eum ordinare non poterit, nec judicare. Hadrian. ad Ingilranum *Metensem Episcopum.* Cap. 18. *ann.* 785.

XIII. Ut nulli Episcopo liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu sine Dimissorio sui Episcopi de cujus Parochia est. *Cap.* 4. *ex Capitul. Excerptis ex Lege* Longobar. 801. *Capitul.* 794. C. 25.

XIV. Dictum est præterea de quibusdam fratribus, quod eos quos ordinaturi sunt, jurare faciant, quod obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ in qua ordinantur; quod juramentum, quia periculosum est, omnes unà inhibendum statuimus. *Conc.* Cabilon. II. Cap. 13. *ann.* 813. Origo juramenti hìc prohibiti petenda videtur ex eo quod legitur *Cap.* 22. *Conc.* Mogunt. de Clericis vagis, qui sine Capite vivebant, & absque literis Dimissoriis quolibet circumcursabant.

XV. Si quis Episcopus indicaverit, vel ordinaverit alterius Parochianum sine consensu & voluntate sui Episcopi, oportet non sine increpatione in communi *Concilio* admitti, ita ut Ecclesiasticum ultrà non solvat Canonem. *Conc.* Mogunt. sub Arnulf. *Imperat. ann.* 888. Cap. 15. Idem habetur. Cap. 14.

Notanda omninò videtur comparatio Ordinationis cum judicio, in eo quod utramque Jurisdictionem poscat in faciente, ita ut actus absque eâ factus nullus sit; Judex loci judicat incolas, sive ibi nati sint, sive alibi, ita Episcopus illos ordinare potest utroque casu. Idem habetur iisdem verbis in *Conc.* Mogunt. Cap. 4. *ann.* 888. *Capitul* Lib. VII. C. 308. *aliàs* 229. & *addit.* 4. C. 23.

XVI. Si Presbyter in aliena Diœcesi Ordinationem obtinuerit injustè 12. oris mulctetur, Diaconus 6. & exuatur Ordine, nisi Diœcesanus Episcopus Ordinationi pepercerit. *Leges Presbyt.* Northumbrens. *n.* 12. *Sæculo* X. *circa ann.* 988. *Spelman.* Ejusdem X. Sæculi usum demonstrant, tum formula inquisitionis faciendæ ab eo, qui Parochias lustrat, relata à Regin. Lib. I. nam inter inquirenda istud recensetur, *Si de alia Parochia ostendat literas commendatitias quas formatam vocant*, tum earumdem literarum formula, quæ ab eodem referuntur in eodem Libro, *Cap.* 438. & *Cap.* 439. In illis enim formulis alienus Episcopus à proprio rogatur, ut ad Munia Ecclesiastica admittat Clericum dimissum, & literæ ipsæ *Dimissoriæ* dicuntur. Hìc locus pertinere videtur ad Dimissoriarum speciem, quæ Ex[illegible] nuncupantur; quia intelligi potest de admissione ad exercitium Ordinum jam receptorum, sicut de admissione ad promotionem ad Ordines Superiores.

XVII. *Conc.* Rothom. à Mulgerio Archipræsule celebr. *ann. Chr.* 1050. *Cap.* 9. ut Episcopus alterius Clericum, nisi sub legatione, aut probabilibus signis, ordinare præsumat.

XVIII. Ordinati ab alio quàm à suo Episcopo non recipiantur. Greg. VII. *in Conc.* Rom *incerti anni*, is autem fuit Pontifex ab *anno* 1073. *ad* 1086. Inter Dictatus hujus Pontificis, qui sunt Privileg. & Prærogativæ, sed Apostolicæ, unus recensetur, qui ad rem facit: *Quod de omni Ecclesia quemcumque voluerit Clericum valeat ordinare.* Eruditi existimant Dictatus illos non esse Greg. VII. tùm quia inter duas Epistolas, referuntur (nempe 55. & 56. Lib. II.) & ad neutram pertinent, tùm quia inter Dictatus extant nonnulla, quæ in operibus hujusce Pontificis non reperiuntur. Verùm cujuscumque sit Autoris Dictatus relatus, certum est, ea Doctrina quam continet, ortas facultates de promovendo à quocumque sæculo XVI. frequentissimas. Hæc autem Prærogativa similis est ei qua Episcopus Carthaginensis fruebatur IV. sæculo.

XIX. Lugdunensis Parochiæ Clericos, quos contra Statuta Canonum ab alterius Parochiæ Episcopis ordinatos literarum tuarum significatione monstrasti, cum graduum suorum honore recipere Religionis tuæ prudentia poterit, si eos aliàs Canonice & sine pravitate aliqua ordinatos constiterit; si tamen eorum probabilem vitam id indulgentiæ perspexeris promoveri, legimus quippe S. Epiph. in Diœces. S. Joan. Chrysost. quosdam Clericos ordinasse: quod Sanctus vir omninò non fecisset, si ei detrimentum fore perpenderet: Quos igitur tua moderatio arbitrata fuerat recipiendos, injuncta satisfactionis gratia propter Ecclesiam quam offenderunt congrua Pœnitentia, miserationis intuitu, in suo quemque honore recipies, salva in omnibus Sanctorum Canonum disciplina. Urban. II. Rudon. Lugdun. Archiepiscopo *circa ann.* 1096. Hæc verba: *Cum graduum honore* istis juncta *Probabilem vitam, id indulgentiæ perspexeris promoveri*, docent Ordinatos sine Dimissoriis tunc incurrisse suspensionem ab Ordine suscepto. Desumpta ex S. Epiphani exemplo ratio probare nimium videtur, nam si S. Epiph. culpa vacavit, ordinans alienos subditos sine Dimissoriis, cur præcipit Urbanus, ut ordinati absque Dimissoriis puniantur; quod si pro Urbano respondeatur se id jussisse, quia tum extabant Leges illas Ordinationes prohibentes, & non extabant tempore Epiphanii; exemplum ad rem non esse reponetur, atque etiam falsum supponi, ut patet ex dictis. At fortè voluit tantùm Urbanus allato exemplo culpam excusare, ac quodammodo minuere.

XX. Quia quidam Clerici desperantes ab Episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra Provinciam suam interdum, etiam à transmarinis Episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur, ignota sigilla Episcopis suis deferentes; statuimus talium Ordinationem irritam esse habendam; sub interminatione anathematis inhibentes, ne à quoquam ad Officii sui executionem suscipiantur. Episcopus quoque nostræ Jurisdic. qui talem sciens & prudens ordinaverit vel susceperit, ab illius Ordinis Collatione, ad quem eum ordinavit, aut suscepit, usque ad condignam satisfactionem se noverit esse suspensum. *Conc.* London. Cap. 5. *ann.* 1175.

XXI. Clericorum Ordinationes, qui ad Ordines Sacros promovendi fuerint, ab Episcopo Veprim. postulabunt, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam Apostolicæ Sedis habuerit, & gratis, sine aliqua pravitate

vitate, voluerit exhibere, alioquin ab alio quem maluerint Præsule Catholico suscipiendi Ordines liberam habeant facultatem, sicut in privilegio PASCH. II. & ALEX. III. INNOC. III. in Cap. 19. *De Præscript.* Etsi relatus locus, ex Epistola XIII. sæculo scripta, desumatur, hunc tamen XII. sæc. collocamus; quia privilegium de quo meminit XII. sæculo concessum est, ac propter hoc privilegium præcipuè adducimus, idque non immeritò, tùm quia nihil simile hactenus observatum, tùm quia hinc conjicere licet facultates de promovendo à quocumque, adeò odiosas deinceps factas propter abusum, justa ex causa initium duxisse. Abusus in eo situs quod innoxii habeantur, ut rei haberi possunt.

XXII. De Clericis, qui examen proprii Episcopi declinantes ab extra, Provincialibus, vel transmarinis Episcopis, Ordinem consequuntur..... Statuimus ut ab Episcopis suis, in administratione Ordinis ita adepti nulla ratione recipiantur. WALTER *Archiepiscopus* ROTHOM. *in Conc. ann.* 1189.

XXIII. *Conc.* ROTHOM. 1131. sub MAURITIO Archiepiscopo *Cap.* 12. Prohibemus, ne aliquis Clericus ab aliquo, quàm à suo Episcopo faciat ordinari, nisi super hoc Diœcesani sui literas habuerit speciales, vel licentiam. SS. Patres statuerunt, ne quisquam Episcoporum alterius Diœcesis Clericos ordinaret absque sui Episcopi licentia, & Literis Commendatiis, alioquin tàm Ordinatores, quàm Ordinatos ab executione sui Officii suspenderunt.

XXIV. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cùm Clericus Græcus Episcopo Latino subjectus, à Græco Pontifice ordinatur, nisi de Mandato vel licentia sui Episcopi fiat, interdicenda est ei Ordinis executio sic suscepti, tanquam ab alieno Pontifice, sine Mandato, vel licentia sui Præsulis, ordinato. INN. III. Cap. 11. *De Tempor. Ordin. circa ann.* 1202. Supponit INNOC. Græcos Latinis Episcopis subditos teneri servare Leges, quæ vetant, ne absque Dimissoriis Ordines ab alienis Episcopis suscipiantur, nec mirum, cum nonnullæ ex *Conc.* NICÆ. & *Concil.* TRULL. Ecclesiæ Græcæ maximè venerandis desumantur.

XXV. Si aliquis sine licentia Episcopi Latini & Domini temporalis in Regno Cypri se fecerit ordinare, Græcus Episcopus, qui taliter eum promovit in Regno, ab Officio conferendi Ordines, ab Episcopo Latino suspendatur, & taliter ordinatus ad consuetum Domini sui servitium reducatur. *Compositio inita inter Græcos & Latinos Regni Cypri citata à Constit.* NICOSIE. *circa medium* XIII. *Sæculi facta est.*

XXVI. Quot extant Textus sub Titulo *De Temporibus Ordin. in 6.* tot habes Leges prohibentes, ne alieni Clerici absque Dimissoriis ordinentur. Ordinati à non suis Episcopis, vel aliàs aliqua irregularitate Canonica notati, ad nos mittantur, pro gratia, si digni fuerint, obtinenda, si sit casus in quo ea nostro Officio possimus de Jure misericorditer dispensare. *Syn.* CICESTRENS. *ann.* 1289. *Cap.* 14. Hujusmodi ordinati irregularibus conjunguntur, nec Ordines exercere sinuntur sine Episcopi Dispensatione.

XXVII. Nos volentes animarum periculis obviare statuimus, ut nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem Ultramontanum Clericum ordinare præsumat, nisi à nobis specialem licentiam habeat, vel ab Episcopu de cujus Diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus Diœcesi Beneficiatus existit, per ejus Patentes Literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare: Eos verò quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absque spe Dispensationis à Sede Apostolicâ obtinendæ suspensos; ordinantes puniri pœnâ condignâ. *Cap.* 1. *Tit. cit.* CLEM. IV. *circa ann.* 1265.

Duo nova hìc habentur nempe: 1. Quod licentia S. Pontificis suppleat Dimissoriarum Ordinarii vices. In tota Africana Ecclesia simili gaudebat privilegio Episcopus CARTHAG., ut enim poterat subditos alienos ordinare, sic & illorum Ordinationem aliis committere. *Cap.* 55. *Cod. Afr. Eccl.* 2. Quod absque Dimissoriis ordinatus perpetuò suspensus sit, careatque spe Dispensationis.

XXVIII. Eos, qui Clericos Parœciæ alienæ, absque Superioris ordinandorum licentia, scienter seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserit ordinare, per annum à Collatione Ordinum decernimus esse suspensos, his quæ Jura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis. *Cap.* 2. *E. T.* GREG. X. *in Conc.* LUGDUN. *ann.* 1275. Quod de pœna ordinantis dicitur novum est. CLEM. IV. eam arbitrio Superiorum dimiserat.

XXIX. Cùm nullus Clericum Parœciæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam debeat ordinare: Superior intelligitur in hoc casu Episcopus de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licèt alibi natus fuerit, domicilium. *In eod.* Cap. 3. *E. T.* BONIFAC. VIII. *circa an.* 1299.

Prima Lex quæ determinavit qui Episcopi proprii nomine intelligantur: In eodem Capite, alia sunt plura nondum notata, eaque respiciunt, tùm eos qui Jurisdictionem Episcopi exercent, vel absentis, vel mortui, tum privilegiatos Prælatos, quibus indultum est à Sede Apostolica, ut subditos suos, à quo voluerint, ordinari faciant.

XXX. Inferiores quoque Prælati, Religiosi, vel alii, nisi eis, quod suos Clericos, aut subditos possint à quo Episcopo voluerint facere ordinari, à Sede Apostolica specialiter sit indultum, vel Officialis Episcopi (cùm ad hoc se ipsius Officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impertiri; Episcopo autem in remotis agente, ipsius in Spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante, Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi. *Ibid.* Ejusdem Cap. §. *ultimus* aliquid novi etiam docet, nempè Religiosos ad nutum Superiorum alicubi commorantes, ibidem Ordines suscipere posse ab Episcopo loci. Religiosi verò à suis Superioribus in non exemptis Prioratibus, Deputati Priores, & eorum Socii, possunt à locorum Diœcesanis, quamdiu morantur in ipsis Prioratibus, ordinari licitè, licèt non sint de eorum Diœcesibus oriundi. *Ibid.*

XXXI. Nullus Episcopus vel quivis alius..... Homini Diœcesis alienæ absque sui Superioris licentia Tonsuram præsumat conferre Clericalem..... Qui contra fecerit, ut in eo in quo peccaverit puniatur, per unum annum à Collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat noverit se suspensum. *Ibid. Cap.* 4. Idem BONIF. *Quivis alius.* Hæc verba addita propter Abbates, quibus Tonsuram licet conferre.

XXXII. Prohibemus, ne aliquis Clericus Diœcesis nostræ ab alio se faciat ordinari, nisi licentiam à nobis super hoc obtinuerit specialem, nec taliter ordinati, in Ordine sic suscepto, ministrare præsumant sine nostra licentia, vel sententia speciali. *Synod.* BAJOC. Cap. 3. *ann.* 1300. Canon hic duo ostendit: 1. Receptam fuisse in Diœcesi BAJOC. suspensionem Ordinatorum absque Dimiss. 2. Sedi Apostolicæ reservatam non fuisse ipsius absolutionem.

XXXIII. *Conc.* AUSCIT. Cap. 12. *ann.* 1300. idem habet quod BONIF. VIII. in Cap. 3. & 4. *De Temporib. Ordin.* circa Dimiss. proprii Episcopi & determinationem quis sit proprius Episcopus.

XXXIV. Episcopus alienum Parochianum, seu alterius Diœcesis, non debet ordinare sine literis proprii Episcopi ipsius ordinandi. *Syn.* LINGO. *ann.* 1404. BOCHEL. *Eccl. Galli.* DECR. LIB. III. *Tit.* 2. Cap. 89.

XXXV. Nos eorum temeritatem, qui absque literis Dimissoriis se faciunt ad Sacros Ordines promoveri, tali castigatione reprimentes, ut aliis in posterum committendi similia aditus præcludatur valitura: Statuimus quod omnes, & singuli, qui absque literis Dimissoriis ad aliquem ex Sacris se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione, ipso jure

suspen

suspensi sint. Pius II. *Constitut.* 7. §. 12. *ann.* 1461.

XXXVII. Dimissoriæ non dentur promovendis, nisi debitè examinati fuerint ab Ordinario, & idonei inventi. Si qui promoti fuerint ad Ordines Sacros, non habitis Dimissoriis, suspendantur à celebratione Missarum, per tempus quod convenire videbitur Ordinario, & si jam promoti incapaces inveniantur, corporaliter puniantur arbitrio Diœcesani. *Concil.* Bitur. Cap. *ann.* 1528. *Suspendantur*, hæc vox denotat sententiæ ferendæ esse suspensionem, in præcedentibus verò Canonibus est sententiæ latæ. Fortè agitur hic tantùm de executione, quæ facienda est, illorum Canonum.

XXXVIII. Injungimus nostris Suffraganeis, ut si quandò Literas Dimiss. indulgere voluerint, ne indigni assumantur, observent Ordinem, qui sequitur: *Volentes impetrare Dimissorias accedant ad Diœcesanos, qui super præmissis Ætate, Literatura, Moribus, Beneficio, seu Patrimonio inquirant, serventque prædictas solemnitates perindè ac si in propria ordinare vellent.* &c. *Conc.* Senon. *ann.* 1528. *p.* 2. Cap. 5.

XXXIX. Nemini posthac (ubi digna & justa causa non est) dentur licentiatoria Ordines extra suam Diœcesim recipiendi, nisi priùs sit juxtà modum præscriptum in sua Diœcesi examinatus; ad hoc enim comperimus quosdam licentiatoria petere, ut examen subterfugiant. *Mcd.* 2. *n.* 3. *Conc.* Colon. *an.* 1549.

XL. Commissariis nostris seriò inhibemus, ne alicui Literas Dimissorias ad aliam Diœcesim, sine magna & necessaria causa, quam benè explotatam habere debent, concedant. Qui in aliena Diœcesi Ordines susceperint ad executionem Ordinum, quos se habere asseverant, non admittantur, nisi priùs Vicariis nostris de susceptis Ordinibus legitimo documento fidem fecerint, & ab eisdem quod admitti debeant Literis Patentibus obtinuerint. *Concil.* Mogunt. *ann.* 1549. Cap. 84.

XLI. Nullus post hæc, qui Diœcesi præsit, Literis Dimissoriis inserat clausulam illam: *Negligentiæ potiùs, quàm rectè administrati muneris, testem videlicet conscientiam nostram exonerantes*; sed per Literas suas testetur eos idoneos, & qui provehantur dignos; quibus hanc inseret clausulam: *Quem idoneum reperimus*, aut nulla Literis fides habebitur. *Ibid.* Cap. 12.

Facultas de promovendo à quocumque non suffragetur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in Literis exprimendam. *Conc.* Trid. Sess. VII. *an.* 1547. Cap. 11.

XLII. Placuit Synod. quæ vulgò *Dimissoriæ Literæ* dicuntur, nemini concedendas esse ad Sacros Ordines, præterquàm eruditis, optimisque moribus præditis, titulatis, & aliàs debitè qualificatis, & qui à Judice Ordinario loci, in quo nati fuerint, vel quem habitare soliti sint, Literas acceperint, quibus testentur & fidem faciant de ætate legitima, & se viros probos, ex legitimo Matrimonio, probatæ Consuetudinis, & à criminibus immunes, nisi hæc Episcopo perspicuè innotescant. *Concil.* Narbon. *ann.* 1551. Cap. 11.

Notandum est, quòd dicit de Attestationibus, de Ætate, Legitimitate, Moribus, Beneficio, Patrimonio, concedendis à Judice loci Ordinario, ad dimittendos alieno Episcopo ordinandos, cùm hæ dari soleant à Prælatis Ecclesiasticis, sive Episcopo, sive Vicario Generali, sive Curato.

XLIII. Jubemus nostris Diœcesanis, ne alterum Episcopum adeant pro Clericali Tonsura, aut aliis Ordinibus suscipiendis, absque nostris ad id permittendum Literis, sub pœna excommunicationis, & mulctæ pecuniariæ. *Synod.* Paris. *an.* 1557.

XLIV. Facultates de promovendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus causam ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in Literis exprimendam. *Conc.* Trid. Sess. VII. Cap. 11. *an.* 1547.

Dùm exponebamus *Cap.* 19. *De Præscript.* de facultatibus, de quibus hic meminimus, easque factas odiosas diximus; hoc autem confirmatur ex mox relato *Cap.* Trid. palam enim facit adeò frequentes fuisse tunc temporis, atque sine justa causa concessas, ut eas ad certos casus limitare *Conc.* Trid. coactum fuerit.

XLV. Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur; quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi ejus probitas, ac mores, Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secùs fiat, ordinans à Collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione quandiu proprio Episcopo videbitur expedire, sit suspensus. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 8. *an.* 1563.

Literæ, de quibus hîc *Conc.* non sunt, nisi Testimoniales, easque requirit etiam erga eos, quibus indultum est alienos subditos ordinare, idque sub suspensione ipso facto incurrenda; quid jussisset in eos, qui, sine tali Indulto, similes Ordinationes attentarent? Indultum hujusmodi vim nullam habet in Gallia.

XLVI. Episcopus familiarem non subditum ordinare non potest, nisi per triennium secùm fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, Consuetudine quacumque etiam immemorabili, in contrarium non obstante. *Ibid.* Cap 9.

Exceptio est Capitis præcedentis variis modis limitata; nam necessè est: 1. Ut Commensalis sit: 2. Ut Commensalitas sit triennalis: 3. Ut alligetur Diœcesi Collatione Beneficii vera & non ficta.

Cùm Caput istud indistinctè loquatur de Ordinatione, intelligi potest de Promotione ad Subdiaconatum, ut & de Collatione Superiorum Ordinum, ideoque supponit Commensalem ordinari posse Subdiaconum, titulo Patrimonii vel Pensionis.

XLVII. *Conc.* Aquilei. *ann.* 1596. idem habet de Commensali. *Cap.* 11. *in fine.* Idem quoque *Conc.* Bitur. *ann.* 1584. & confirmat prætereà interpretationem datam, cùm expressè dicat: „Episcopum domesticos suos „ordinare posse, tam Patrimonii, quam Beneficii Titulo.

Liceat Episcopis familiares & domesticos suos ordinare sine Literis Dimissoriis, dummodo per triennium apud eos vixerint, sive ad Titulum Patrimonii quod ad vitam honestè sustentandum eis sufficiat, si modo Episcopus judicaverit eos ordinandos pro necessitate & commoditate Ecclesiarum suarum, quibus Ecclesiis adscribere eos debebit, ut ibi suo fungantur munere, sive ad Titulum Beneficii, quod reipsa illis conferre teneatur, juxta *Concil.* Trid. præscriptum. 221. *Cap.* 6. Hinc colligere est citata *Concilia* existimasse animum habitandi etiam per triennium in aliqua Diœcesi non sufficere ad acquirendum Domicilium, vi cujus Ordines suscipere quis possit ab illius Episcopo, cùm prætereà triennalem habitationem simul & Commensalitatem requirant. In actis Comitiorum *Eccles. Gallic.* idem Decretum. *Concil.* Trid. inseritur inter ea ejusdem *Concilii* Decreta, circa Ordines, quæ ab eadem Ecclesia recipiuntur.

XLVIII. Nullum alienæ Diœcesis admittant, nisi acceptas ab Ordinario suo Literas, sibi concessæ facultatis, & anteactæ vitæ, morumque, ac Religionis testes exhibeat, quæ vetustiores non appareant, quàm quæ intra annum scriptæ sunt. *Conc.* Burdigal. Cap. 5. *ann.* 1583.

XLIX. Ne quis in aliena Diœcesi, nisi Literas facultatis à suo Episcopo acceptæ, proferat, cujus testimonio ejusdem probitas ac mores commendentur, in album ordinandorum referatur. *Ibid.* Cap. 14.

L. Qui alienæ Diœcesis est, hæc ab Ordinario suo habeat: Literas Dimissorias de Ordine suscipiendo ... neque vetustiores sint duobus aut tribus mensibus à die Sacræ Ordinationis supputandis; nisi ex causa aliud Episcopo videatur. *Concil.* Aquen. *an.* 1585. *De Ord.* Idem *ibid.* requirit decennalem habitationem, ut quis sit Diœcesanus ratione domicilii. Idem requisierat *Concil.* Mediol. IV. §. 2. Cap. 8. Conc. Tom. XV. *p.* 463. Alia *ibid.* habet in Dimissoriis servanda, quæ collecta sunt inter Requisita ad Ordines.

LI. Nullus nisi à proprio ordinetur: quod si ob legitimam causam ab alio Episcopo promoveri quis petat, nullatenus ei permittatur, nisi ejus probitas, ac mores, Ordinarii sui testimonio commendentur. *Conc.* Mexic. *an.* 1585. Lib. I. T. 4. *De Mod. Confer. Ord.* §. 1.

LII. Ad abolendam pravam Consuetudinem contra Decreta hujusmodi, in hanc Provinciam introductam, qua multi alienigenæ ab alio, quàm à proprio Episcopo, & absque ejus consensu, & approbatione, ad Titulum quem vocant *Domicilii*, sive *Jurati*, ordinari consueverunt, præstito solùm juramento sibi esse in animo, in ea Diœcesi, ubi promoti fuerint permanere: Interdicit hæc S. Synodus, ne quisquam ad Titulum hujusmodi ordinetur, aut ordinari permittatur, nisi per tantum tempus in ea Diœcesi vitam duxerit, ex quo probabile sit velle se ibi permanere. Quod si aliqui contra hoc Decretum fuerint promoti, ipso facto ab executione susceptorum Ordinum suspenduntur, & cujusque Beneficii seu administrationis Indorum sint incapaces per triennium. *Ibid.* §. 2.

LIII. Qui in una Diœcesi ordinari cœperint, in alia, quamvis ibi per tres annos fuerint commorati, reliquos Ordines non suscipiant, nisi à proprio Prælato cum Literis dimittantur, & unusquisque proprium Pastorem agnoscat. *Ibid.* Hinc patet Mexicanos Patres sensisse, ut par est, non convenire, ut qui inferiores contulit, spolietur jure conferendi majores, ex eo solo, quod qui ab eo illos accepit, extra ipsius Diœcesim commoratur.

LIV. Felicis recordationis PII II. & aliorum Prædecessorum, qui per suas Constitutiones contra hujusmodi malè promotos (absque Literis Dimissoriis) diversas pœnas inflixerunt, vestigiis inhærentes, eosdem Clericos posthac malè promotos ab executione Ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ad alios superiores ascendendi perpetuò suspensos declaramus. SIXTUS V. *Constitut.* 9. *ann.* 1588. §. 3. Prædecessores quos laudat, à superiorum susceptione expressè non interdixerant; sed eam pœnam in perpetua suspensione comprehenderant.

LV. Quicumque absque Episcopi sui Dimissoriis Literis, in subreptitiam Ordinum quorumvis promotionem occultè se insinuarint, ipso se jure suspensos esse, & si sic suscepto Ordine ministrarint, PII II. Constitutione irregularitatem se subiisse noverint, ob quam & pœnis aliis Jure sancitis, & Beneficiorum privatione mulctentur. Id ne facilè accidat junctam huic Constitut. SIXTI V. de malè promotis Bullam, & in Diœcesana Synodo quotannis promulgari, & pridiè illius diei, quo Ordines conferentur, ordinandis Clericis palam legi edicique præcipimus. *Conc.* TOLOS. *an.* 1590. *C.* 7. *n.* 1. *Part.* 2. Idem habet. *Conc.* AQUEN. *an.* 1585. *Tit. De Ordine.* Eo excepto quod de solis Sacris Ordinibus loquatur, ut & PII Constitutio, nec de Constitutione SIXTI mentionem faciat.

LVI. Promovendi etiam ad minores, præter Literas Dimissorias, testimonium afferant de vita & moribus... Qui alienæ est Diœcesis hæc afferat, Literas Dimissorias, &c. *Conc.* AVENION. C. 19. *an.* 1594. Colligitur ex priori hujus Canonis Parte in Provincia *Avenion.* Liter. Dimissor. de vita & moribus mentionem tum non fecisse.

LVII. Clericos alienos cum legitimis Dimissoriis recipere, si fuerint eorum Episcopi impediti, & examinatos dimiserint, laudabile & honestum. *Concil.* AQUILEI. *ann.* 1596. *C.* 11.

LVIII. Episcopi subditos suos nonnisi jam probatos & examinatos ad alium Episcopum dimittant, juxta Decretum *Conc.* TRID. *Concil.* MECLIN. *ann.* 1607. *C.* 5. TOM. IX.

LIX. Si infirmitate, aut alio legitimo detentus impedimento, Episcopus proprius ad alium remiserit eum, qui est ordinandus, hoc faciet Literis Dimissoriis, quas non concedet pro quocumque Ordine, nisi ita priùs examinato & approbato, ac si ipse eumdem Ordinem pro quo dimittitur eidem conferre debet. *C.* 1. *Conc.* NARB. *ann.* 1609.

LX. Nullæ externorum admittantur Dimissoriæ, nisi sint Regulares, qui per annum in Regno resederint, & ibidem ab Ordinariis Regni Dimissorias obtinuerint. *Ibid.*

LXI. *Conc.* BURDIG. *an.* 1614. *T.* 6. *n.* 9. loquens ex professo de Dimissoriis tria vetat: 1. Ne dentur absque vera necessitate: 2. Ne concedantur non examinatis: 3. Ne quis ordinetur vi facultatis de promovendo à quocumque, absque Literis Commendatitiis Ordinarii, sub pœna a *Conc.* TRID. præscripta.

LXII. URBAN. VIII. *Constit.* 37. *v.* 3. *an.* 1624. innovat Constitut. CLEM. IV. contra promotos absque Literis Dimissoriis, & addit illos plectendos aliis pœnis ad arbitrium Summi Pontificis; hæc enim habet: *Insuper promotos hujusmodi (absque Literis Dimissoriis) non solùm prædictis pœnis (perpetua suspensione absque spe Dispensationis) verùm etiam majoribus, arbitrio nostro, & pro tempore existentis Pontificis, infligendis pœnis.*

Quæ ex collectis Canonibus inferre liceat?

Relati Canones in hacce Prima Parte demonstrant.

I. Nulli unquam Jus Commune permisisse, ut à quocumque vellet Ordines susciperet: nec cuiquam ad id plures quam tres Episcopos concessisse origines Domicilii & Beneficii.

II. Ante sæculum XIII. mentionem expressam non fieri de Episcopo Beneficii; antiquior enim circa id Canon est CLEM. IV. *ann.* 1265. creati; nec mirum, tum quia de Beneficio propriè dicto, de quo hic agitur, nullus sermo ante sæculum XII. tùm quia ad usque idem tempus Ordinatione ipsa Beneficium conferebatur; nam ALEX. III. primus Ordinationes Titulo Patrimonii probavit.

III. De Episcopo Domicilii dicendum quod de Episcopo Beneficii dictum est, siquidem BONIF. VIII. *ann.* 1294. creatus, primus est qui illius expressè meminerit; cujus rei ratio: Quandiù reprobatæ sunt Ordinationes absolutæ, quod factum (ut mox dictum est) usque ad sæculum XII. Clerici inferiores ratione Domicilii nunquam ordinabantur, cùm se in aliam Diœcesim transferre non possent, absque Dimissoriis Episcopi, à quo primum Ordinem susceperant, quique illos ordinando suæ Diœceseos Ecclesiæ alicui alligarat: Ex alia Parte ante sæculum XIII. paucissimi sunt Canones, qui de Episcopo Laicorum, quoad Ordines loquantur; illi verò, qui illius meminerunt, admodum generales sunt, & ita concepti, ut de Episcopo originis, peri de ac de Episcopo Domicilii intelligi possint, quod percurrenti collectos Canones facillimè patebit & clarissime: Primus enim, scilicet CARTHAG. his verbis utitur: *Laicum de aliena Plebe, ut potest quis esse de Plebe duplici modo, origine & domicilio.* Secundus, nempe ARAUSICANUS has voces adhibet: *Alienos Cives, & Civis fieri quis potest tàm domicilio quàm origine* Tertius, nimirum HADRIANICUS sic loquitur: *Alterius Parochianum.* Idem habet MOGUNTINUS, qui est quartus &c. *& Parochiatus acquiritur & origine & domicilio:* Alios autem non colligimus qui de Episcopo Laicorum sermonem faciant, præter *C.* 4 *De Temp. Ord. in* 6. quod etiam voce generali utitur. Præterea hic Textus posterior est laudato Textu BONIFACIANO.

IV. Facultates de promovendo à quocumque, ante sæculum XII. non visas, ab initio causas justas habuisse, scilicet quod Ordinarius, vel Hæreticus esset, vel Schismaticus, vel gratis Ordines conferre nollet, nec ordinandis qui laxiores Episcopos quærere potuissent datas, sed illorum Superioribus, quorum intererat, idoneos ad id Episcopos eligere; non enim aliis quàm Monasteriis, aut Abbatibus concedebantur. Progressu temporis passim & omni petenti datas, atque etiam ordinandis qui illis abuti possent, & plerumque absque justa causa, denique illarum concessionem prohibitam, nisi justa causa ad id cogat, eaque ut verificari possit in facultate exprimatur. In quo prærogativa Papæ valdè discrepabat à privilegio Episcopi CARTHAG. qui alienos Diœcesanos non ordinabat, vel aliis ordinandos non committebat, nisi requisitus ab Ecclesiis, quæ illis egebant.

V. Canones vetantes Episcopis, ne alienos subditos ad Ordines admitterent, non consentiente Episcopo proprio, non excepisse ab hac Lege Summum Pontifice.

Non obstant Canones, *qui probant facultates promovendi ab alio quàm à suo, nec etiam hi, qui supponunt Summum Pontificem dispensare posse ab habendo Dimissorio:* Hi etenim, aliique similes Canones nihil aliud evincunt,

cunt, nisi utramque exceptionem, usu potiùs introductam fuisse, quàm Lege, tolerari & non probari, præsertim in Gallia, aliisque nonnullis Ecclesiis: Harum autem sententia in eo nititur, quod vocatio ad Ordines Episcopo pertineat, illiusque solus Judex, & de illa rationem non debet, nisi Deo.

VI. Dimissoriarum formam variam fuisse, ac etiam nunc esse, quoad tempus durationis, vel quoad numerum Ordinum, vel quoad examen dimissorum, quod aliàs remittebatur Episcopo ordinaturo, ejusque conscientia reddendæ illius rationis Deo onerabatur; sed illa clausula *suam conscientiam onerantes*, à pluribus rejecta fuit, utpote odiosa, exactaque à dimittente, ut de illo examine responderet, nec dimitteret nisi examinatos & probatos.

Pars Secunda.

De Literis Dimissoriis Exeat *nuncupatis.*

I. Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Clericorum Catalogo, relicta sua Parochia, in aliam abscesserit, & cùm penitùs transierit, præter Episcopi conscientiam in aliena Parochia maneat, eum non ampliùs celebrare jubemus; maximè si eum adhortante Episcopo, ut rediret, non paruerit, in contumacia & insolentia perseverans: Is tamen ut Laicus communicet. *C. 14. Apostol.* Gentiano Herveto *Interprete.*

Ab hoc Canone incipimus, non quòd aliis mox adducendis antiquiorem existimemus; sed quia Canones Apostolorum primorum sæculorum Disciplinam continere communis opinio sit.

Non deponit Canon, nisi obstinatos, ideuque mitior Canone Trullano, infrà referendo *n.* 13. deponente, sine ulla contumaciæ conditione, Diœcesim deserentes sine Dimissoriis *Exeat* nuncupatis.

Decimus quintus est apud Dionysium *Exiguum*, qui illum ita punctuat, ut culpa consistat in eo quod Clericus absque Episcopi licentia Parochiam suam deserat; virgula enim collocatur post illa verba, *præter Episcopi conscientiam.*

II. Omninò visum est; ut Consuetudo, quæ præter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut à Civitate in Civitatem, nec Presbyter, nec Diaconus transeat: Si quis tale quippiam aggressus fuerit, quod factum erit omninò infirmabitur, ei Ecclesiæ restituetur cui Presbyter ordinatus. *Concil.* Nicæn. *C. 15. ann. 325. ex interpretatione* Herveti. Demigrationem ex una Parochia in aliam *Concil.* Nicæn. non damnat, nisi quia fiebat absque Superioris consensu, sicut & sine justa causa.

III. Nullus externus sine pacificis suscipiatur. *C. 7. Concil.* Antioch. *ann.* 341.

IV. Nec Presbyteri, qui sunt in Pagis, dent Canonicas, vel ad solos vicinos Episcopos, Epistolas emittant: Coepiscopi autem nulli reprehensioni affines dent pacificas. *Ibid. C. 8. ex versione* Herveti.

Dionis, ita interpretatur Canonem, ut doceat Presbyteros agrorum posse literas ad vicinos Episcopos tantùm, non ad omnes Coepiscopos, nec posse dare generales Epistolas, nisi sint irreprehensibiles.

Isidor. restringit *Can.* 7. ad peregrinos Clericos, alii absolutè vertunt, quoad cætera cum Dion. pene omninò convenit. Cùm Presbyteros agrorum à Coepiscopis distinguat, per Presbyteros agrorum aliud intelligere non est quàm Parochos rurales, quibus alii non suberant, in quo à Coepiscopis differebant, quibus alii suberant.

V. Sæpe Thessalonicam ex Provinciis Presbyteri & accedunt, & brevis temporis mora non contenti permanent, & omne tempus illic agentes transigunt, vel vix tandem ad suas Ecclesias post plurimum tempus reverti coguntur: De iis ergo definiendum est. Osius Episcopus dixit: *Ea Decreta, quæ de Episcopis constituta, (nempe ut excommunicentur, si tribus Dominicis continuis absint à Diœcesi) serventur etiam in ejusmodi personis.* Conc. Sardic. *ann.* 347. C. 16. *in Versione* Harvet. C. 20. *in aliis.*

VI. De Clericis, qui de Civitate in Civitatem transeunt, placuit eos, qui à Sanctis Patribus editi sunt Canones, vires obtinere. *Conc.* Calced. *C.* 5. Confirmat ergo hic Canon Canonem Antioch. expressè prohibentem, ne Clericus externus absque Commendatitiis recipiatur, atque etiam Canonem Apost. Canonem Nicæn. Canonem Sard. idem quodammodo vetantes.

VII. Quidam putant unde istam habeas potestatem Fr. Cariss. ut censuerimus, censeamusque quicumque de illis ad nostras Regiones veniunt, sine tua non suscipiendos esse *formata.* Zozim. *Ep.* 11. *ad* Patroclum *Episcopum* Arelat. creatus est Pontifex *ann.* 417.

VIII. Nullus Clericus cujuscumque Ordinis, non Diaconus, non Presbyter, quacumque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam; sed omnimodis, aut excommunicetur, aut redire cogatur. *Conc.* Arelat. II. *C.* 13. *ann.* 452. Loquitur de Clerico, qui exivit sine Literis Episcopi, præcipitque ut revocetur, ac, nisi paruerit, excommunicetur.

IX. Ne Presbyter territorii alieni, sine conscientia sui Episcopi, in alterius Civitatis territorio præsumat Basilicis atque Oratoriis inservire, nisi fortè Episcopus suus illum cedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disposuit. In quo si excessum fuerit, Episcopus, cujus Presbyter fuerit, fratri suo noverit culpabilem se futurum, qui Clericum juris sui illicita facientem sciens, à scandali admissione non revocat. *Concil.* Epaon. *ann.* 517. *C.* 5.

Episcopus ad celebrationem Divinorum alienum Clericum admittens, sibi a proprio Episcopo non dimissum, particeps furti habetur: Qui verò cedit ad tempus Clericum suum alii Episcopo, illum corrigere tenetur, si intra sessionis tempus deliquerit.

X. Presbytero, vel Diacono, sine Antistitis sui Episcopi ambulanti communionem nullus impendat. *Ibid. C.* 6. Idem dixerat *Conc.* Agath. *C.* 52. *ann.* 506. Ex hoc Canone inferre licet, præcedentem loqui de Clericis Literas Commendatitias habentibus, cùm prohibeat tantùm, ne in Ministerio Sacro retineantur, nisi dimittantur à suis Episcopis.

XI. Incognitos peregrinos ad Ordines Ecclesiasticos, nulla ratione suscipias, quia . . . plurimi peregrini etiam in minoribus constituti ad fortiores honores prætendisse sæpe probati sunt. S. Greg. Lib. II. *Ep.* 25. *ad* Joannem *Episcopum* Squillatinum. Canonem hunc intelligimus de exercitio Ordinum susceptorum, quia illa verba, *fortiores honores pratendisse*, significant illos sibi Ordines attribuisse, quos non susceperant.

XII. Si Clericus, proficiscens de Civitate ad alias Civitates voluerit aut Provincias pergere, Pontificis sui Epistolis commendetur: Quod si sine Epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur. *Concil.* Rhem. *ann.* 625. *C.* 12. *Manifestis* idem significare videtur quod *patentibus.*

XIII. Nullus omninò Clericus, in quocumque gradu sit, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta Dimissoria in alienæ Civitatis Catalogum referri; qui enim hoc non servaverit, sed quod in se est, eum qui illi manus imposuit dedecore affecerit, deponatur & ipse, & qui eum præter rationem suscepit. *Conc.* Trullan. *C.* 17. *ann.* 691. Canonis Præfatio docet communem tunc fuisse damnatum abusum, indeque Clericos insolentes & inobedientes fuisse dedecus quo Episcopus proprius afficiebatur, duplici ex capite; nam temnebatur ejus autoritas, ansa quoque præbebatur de illo pravi aliquid suspicandi.

XIV. De Clericis, qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de iis agi debeat, ex Canone Sanctorum Apostolorum *Capite* 15. ita continetur: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam Parochiam, pergat ad alienam, & omninò demigrans propter Episcopi sui conscientiam, in aliena Parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans, verumtamen tanquam Laïcus ibi communicet.* Zachariæ ad Pipinum C. 16. is creatus est Pontifex *ann.* 741.

Cùm suspensus ad Ordines majores promoveri non possit memorati Clerici dum à susceptis suspenduntur

tur à majoribus suscipiendis prohibentur. Pro Episcopis, qui alterius Clericos susceperunt, ut excommunicentur. *In eod. Canon. Cap.* 16. contioetur: Episeopus verò apud quem memoratos esse constiterit, si contra eos decreram cessatioοem pro nihilo reputans, tanquam Clericos forrè susceperit, velur Magister inquietudinis Communione priverur. *Ibid.* Cap. 7.

XV. Nullus Episcoporum de alterius Titulo Presbyterum, aut Diaconum suscipere præsumar, absque causa rarionabili, & Lireris Commendatoriis. *Conc.* CALCHUTENS. *ann.* 787. Cap. 6,

XVI. Presbyteros peregrinos vel absolutè ordinatos sine literis Commendaritiis circumeuntes Provincias nusquam eos ministrare parimur, vel Sacramenta tradere, absque conscientia Episcopi: quæ verò necessaria, placuit eos (videtur legendum eis) administrare: ad ministeria tamen Sacrorum rales nolumus admitti sine grandi discretione. EGBERT. EBORAC. Archiep. inclinante Sæculo VIII. idem refert. *Cap.* 17. *Conc.* NIC. *in Excerpt. n.* 5n. *&* Cap. 6. *Conc.* CALCEOx. 51.

XVII. Ut unusquisque Episcoporum Parochiam suam diligenter perscrurari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alrerius Parochia in suam commigrans Offieium celebrare præsumat, sine literis Commendaritiis, sicut olim multis in locis actum esse repertum est. *Conc.* TURON. III. Cap. 13. *ann.* 813.

XVIII. Nullus vagantem ex aliena Parochia audeat recipere, aut secum commorandi, aut Missam celebrandi, nisi permissione oostra. *Capitul.* AHITON. *Ep. Basil. n.* 19. *Sæc. IX.*

XIX. Inter ea quæ requirenda sunt à Parocho dùm Parochia visirarur, unum est quod Commendaritias Literas respicit; hoc autem est: Si de alia Parochia ostendat Literas Commendatitias, quas *formatam* vocanr. REGIN. LIB. I. *p.* 28. *n.* 79. *Sæc. X.*

XX. Duo sunt in IVONE *Ep.* 4. quæ ad rem facere videntur: 1. Dicit dimissos à se Monachos aliquos ad custodiam animarum, queriturque illos ab Abbare in Monasterio detineri; hæc enim habet: „ Contra instituta Majorum quosdam fratres semel à nobis dimissos ad custodiam animarum apud vos derinetis „. 2. Insinuat ad Episcopum pertinere ut de discessione Monochorum à Monasterio cognoscar, causamque discutiar; sic enim loquitur: „ Transmittaris Dominum GALTERIUM quondam Monasterii *Bonæ-Vallis* Abbatem, quatenus audita ab eo suæ discessionis causa, solutio ejus si probanda est, à nobis probetur, vel si approbanda non est, consilio & auxilio cooperatorum nostrorum in Officio & loco suo plenissimè reformetur „. Scripta est *Epistola* BERNARDO Majoris Monasterii Abbari circa *an.* 1090. ut SOUCHET arbitrarur.

XXI. Quod extranei Clerici sine Commendaririis Literis non recipiantur. *Conc. apud* WINTONIAM. Cap. 3. *ann.* 1076.

XXII. Ad hæc inhibemus districtiùs, ne Sacerdotes ignoti de quorum Ordinatione non constar, ad Divinorum celebrationem admittantur sine Lireris Testimonialibus, vel Testimonio bonorum virorum; & eos qui contravenerint puniendos decernimus arbitrio Prælatorum. *Conc.* PARIS. *Part.* 1. Cap. 9. *ann.* 1212. Hæc verba *De quorum Ordinatione non constat* denotare videntur Literas Dimissorias requisitas fuisse duntaxat ut de Ordinatione constaret, non aurem ut de licentia ab Episcopo concessa pateret, sed verosimillimum illam circumstantiam notatam tanquam præcipuam; aliam verò non omissam, velut non necessariam: qui inferre liceret Testimonium de moribus non fuisse necessarium, cùm de illo *Conc.* PARIS. sileat; reformandus abusus in eo solo situs erat, quod permitteretur Ordinum Sacrorum exercitium illis, quos non constabat hos Ordines ritè suscepisse; in hujus reformatione potissimè immorarum est.

XXIII. Presbyreri, qui non sunr de hac Civirare, vel de Diœcesi, ad celebrandum Divina ut Presbyteri non admittantur, cùm ignorerur an Presbyreri existant aut aliqua irregularitate innodari. *Conc.* COPRINIAC. *in Provincia* BURDIG. Cap. 6. *ann.* 1260.

Canon hic supponit Episcopi esse examinare Literas Dimissorias, aliaque extraneo Clerico necessaria, ut sibi permittatur Divinorum celebratio, in eo enim jure fundatur quam facir prohibitio.

XXIV. Nullus Clericus nostræ Legarionis in quovis Ordine constitutus, peregrinari extra Regnum vel Provinciam suam præsumat absque Diœcesanorum Episcoporum, vel aliorum Ordinariorum suorum licenria speciali. *Conc.* BUDEN. *an.* 1279. *Cap.* 31. Per alios Ordinarios intelligi possunt Abbates, sive habeant Jurisdictionem quasi Episcopalem, sive non, Capirula quorum membra sunt discedentes, aliove Titulo adstricti.

XXV. Ne quis Rector vel Prior alicujus Ecclesiæ Diœcesis, nemo præsumat tenere aliquem Sacerdotem alterius Diœcesis, nisi priùs eum cum Literis Testimonialibus sui Episcopi præsentaverit coram nobis. *Concil.* NEMAUS. *ann.* 1284.

Etsi prædictus Presbyter Episcopo præsentandus esset duplici de causa, & quia ab alio animarum curam suscipere non poterat, & quia ut Clericus extraneus ab Episcopo exercendi Ordines licentiam suscipere deberet, de posteriori fit tantùm mentio, quia peculiaris extraneo Sacerdoti.

XXVI. Clericum nostræ Diœcesis ab alieno Episcopo ordinatum ad celebrandum in nostra Diœcesi non admittant, donec Literas Commendatitias sui Ordinatoris inspexerint, per quas constet taliter ordinatum à nobis priùs Literas Dimissorias habuisse; aliter enim suspensus remaneat, quousque secum duxerimus dispensandum. *Synod.* OXON. *ann.* 1287. *Cap.* 37. De suspensione ordinatorum absque Dimissoriis Synod. loquitur, tanquam de re ubique recepta. Hæc verba: *Secum duxerimus dispensandum* ostendunt Dispensationem hanc Sedi Apostolicæ in hâc Diœcesi reservatam non fuisse, ideoque quod habet CLEM. IV. Cap. 1. *De Tempor Ord. in* 6. vel non receptum in Anglia, vel intellectum de solis Italiæ Episcopis, ideoque ut odiosum ad illos restringendum.

XXVII. Nullus talium admittatur omninò (loquitur de Presbyteris non oriundis de Cypro) nisi sui Ordinatoris vel Successoris ostendat Literas omni suspicione carentes, suscepti Ordinis mentionem expressam, & causam perigrinationis idoneam continentes; vel aliàs de bona vita, fama & conversatione antiqua, & quod in terra de qua venit Sacerdotio fungebatur in habitu sæculari, faciat plenam fidem, alioquin tàm recipiens, quàm receptus puniatur ad arbitrium *Concilii* subsequentis. *Constitut.* NICOS. *an.* 1298. Cap. 10. Quod de exprimenda peregrinationis causa nondum notatum, ut non semper ita nec ubique usurpatum.

XXVIII. Statuimus quod nullus in Ecclesia sua recipiat Clericum peregrinum ad officiandum sine Literis Commendatoriis Ordinarii & licentia sui Episcopi, alioqui Clericus peregrinus sententiam excommunicationis incurrat. *Cap.* 1. *Conc.* NUGAROL. *in Provincia* AUSCIT. *an.* 1303. *Conc.* MARCIAC. *in ead. Provincia* Cap. 1. *ann.* 1326. *Licentia Episcopi*, hæc verba videntur intelligenda de *Episcopi recipientis*, alioquin superflua, nisi ista *Commendatoriis Ordinarii* de illo intelligantur, vel unum intelligatur de Literis Testimonialibus de vita & moribus, & alterum interpretemur de permissione ejusdem Ordinarii, ut demissus maneat in aliena Diœcesi. *Ejusd. Conc. Cap.* 2. ad recipientes excommunicationem extendit, si ad Sacramenta ministranda recipiant sine suorum Diœcesanorum recommendatoriis; idem habet dictum *Conc.* MARCIAC. *Cap.* 2. quæ confirmant postremam explicationem.

XXIX. Sed nec aliquis Presbyter in Civitate, aut Diœcesi audeat celebrare, qui nobis, aut Prædecessoribus nostris, non præstiterit obedientiam, prout decet, *Priorum Constitut. ejusdem Provinciæ. n.* 22. NICOS. *ann.* 1313. Canon nullus de præstanda obedientia ab extraneo Clerico anteà locutus est expressè, sed illum ad ipsam obedientiam omnes obligant dum exigunt, ut licentiam exercendi Ordines petat, nam licentiam hanc postulans agnoscit suum Episcopum esse eum à quo illam poscit, seseque illius imperio subjicit.

XXX. Omnes Clerici de partibus alienis venientes certificent Episcopum, in cujus Diœcesi eligunt residere,

fidere, de fufcepris Ordiuibus per literas, vel per Teftes, & alirer eos non ordinet fi requirant, nec permittat eos Sacramenta Ecclefiaftica miniftrare. *Conftitut.* Nicos. *ann.* 1313. *n.* 22. Quod de Teftibus dicitur nunc non fufficeret, nifi producerentur ad Literarum amiffionem probandam.

Ordinari in Hibernia, Vallia, vel Scotia maximè fine Literis fui Diœcef. & noftris Commendatoriis, feu Dimifloriis, non admittantur ad Ordinis fic fufcepti execurionem in Epifcopatu noftro, nifi magna neceffitas, ut cum eis difpenfetur, à nobis aliud inducat. *Concil.* Lameth. *in Provincia.* Cantuar. *ann.* 1330. *Cap.* 6. Supponit *Concil.* hujufmodi ordinatos ipfa inordinata promotione incurrere fufpenfionem. Quod dicit de Commendatitiis habendis à Metropolitano nondum obfervatum, id ita fortè cautum erat, quia in alieno Regno Ordines fufcipiendi erant. Hinc *Concilium* unum alterumve docet: 1. Receptam in *Provincia* Cantuar. fufpenfionem ordinatorum abfque Dimifforiis: 2. Epifcopos ab ea abfolvere potuiffe, fed non debuiffe, nifi urgente fumma neceffitate.

XXXI. Statuimus quod Ordinarii Clericos aut Religiofos quofcumque de alienis & remotis Diœcefibus, fe ad fuas Diœcefes transferentes, ad Divina Officia publicè non admittant fine fuorum Literis Prælatorum. *Concil.* Vauren. Cap. 22. *ann.* 1368. Idem dixerat *Conc.* Marciac. Cap. 2. *ann.* 1326.

Vox *Publicè* notanda; nam cautela de qua agitur adhibetur, ut fcandalum evitetur, & nullum timendum eft ex clandeftina celebratione; præterea in occultis fuæ quifque dimittitur confcientiæ.

XXXII. Firmiter inhibemus, ne Presbyteri peregrini vel ignoti ad Miffarum folemnia celebranda in publico admittantur, nifi per Literas Teftimoniales, vel Canonicè de ipforum Ordinatione fiat fides. *Conc.* Saltaburg. Cap. 15. *ann.* 1386.

Disjunctiva *vel* in fecundo membro poni videtur pro conjunctiva; nam Teftimoniales folos mores refpicere folebant.

XXXIII. Statuimus ut pro Litera Dimifforia, quâ cuique fe ad alias partes transferendi licentia conceditur, poffint fex marabetini & duo denarii pro Cancellaria, & unus marabetinus pro regefto, & non ampliùs recipi ullo modo. *Concil.* Tolet. Cap. 4. *ann.* 1347. Primus Canon, qui de taxa Literarum *Exeat* dictarum locutus fuerit.

XXXIV. Nullus Capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua Diœcefi *Provinciæ* Cantuar. in qua oriundus, five ordinatus non fuerit, nifi fecùm deferat Literas Ordinum fuorum, atque Literas Commendatorias Diœcefani fui, & nihilominus aliorum Epifcoporum, in quorum Diœcefi interun per magnum tempus converfatus fuerit: In quibus expreffè caveri volumus de moribus ejufdem . . . Alioquin tàm ipfe celebrans, quàm ipfum fic celebrare permittentes, ad arbitrium Ordinarii acriter puniantur. *Cap.* 10. *Concil.* Oxon. *ann.* 1408.

Relatorum hactenus Canonum primus hic eft, qui præter Dimifforias exigat Literas Ordinum; iftarum autem vices fupplere poterant Dimifforiæ, quia expreffam de Ordinatione dimiffi mentionem faciebant, quæ narratio cùm fieret ab eorumdem Ordinatio, qui Dimifforias conceffiffet, non minorem merebatur fidem, quàm ipfæ Ordinum Literæ. Idem *Can.* 1. quoque, qui meminerit Teftimonialium conceffarum ab Epifcopo, in cujus Diœcefi dimiffus poftremò aliquandiù commoratus eft.

XXXV. Mandamus univerfis noftræ Diœcefis Prælatis, Decanis, Ecclefiarum Rectoribus, Plebanis, & Viceplebanis, ne de cætero aliquem alienæ Diœcefis, feu ignotum, etiam peregrinum fe pro Presbytero gerentem, ad ipforum Confortium Sacramentorum & Sacramentalium Adminiftrationem, vel alias ad Regimen quoquo modo admittant, nifi de fuper Literis noftris, aut Vicarii, noftri Patentibus, aut aliis legitimis documentis fuerint certificati. *Concil.* Frisingen. *ann.* 1440. Cap. 1.

XXXVI. Clericis Curatis & non Curatis ubilibet per Provinciam conftitutis præcipimus, Sacro approbante *Concilio*, ne Clericos extraneos ad Sacramentorum adminiftrationem recipiant, aut in fuis Ecclefiis miniftrare permittant, noftra, vel Epifcoporum in quorum Diœcef. moram traxerint, non obtenta atque edocta commendationis licentia. *Concil.* Tolet. *an.* 1473. *Cap.* 4. Archiepifcopus, qui de hoc Concilio loquitur, fe in illius Præfatione Primatem Hifpaniatum nuncupat. Fortè ergò prætendit poffe fic licentiam exercendi Ordines, per omnes Hifpanias Clericis extraneis concedere; atque is eft vocis *noftra* fenfus: vel reftringenda ad Diœcefim Toletanam, vel ad Provinciam cujus erat Concilium.

XXXVII. Quod attinet ad ordinatos in Urbe, vel in aliena quacumque Diœcefi, fancimus, ut & illi fuarum Ordinationum Literas & Titulos oftendant, & fimili modo ad Divina peragenda priùs non admittantur, quàm ab Epifcopo, vel Vicario, feu Officiali fuerint ritè admiffi. *Cler. German. Reform.* *ann.* 1524. Cap. 4. Per Urbem intelligitur Roma: Agitur de ordinato extra Diœcefim, habetur ut fufpenfus, cùm Divina celebrare nequeat, nifi ritè admiffus. Intelligi etiam poteft de Clericis extraneis non recipiendis; nifi probati fuerint ab Ordinario loci.

XXXVIII. Ut Paftor vocem ovis agnofcat, & illa viciffim vocem Paftoris audiat, tollaturque omnis vagandi occafio; ordinamus, quod Presbyteri peregrini & ignoti ad Miffarum Sacrificium non admittantur, nec ultra menfem in confortio Sacerdotum tolerentur, nifi exhibeant Literas admiffionis Epifcopi in cujus Diœcefim fe transtulerint, ac Documenta & Literas Teftimoniales fui Ordinarii è cujus Diœcefi proximè difcefferunt, quibus de eorum Ordinibus & honeftate conftet. *Ibid. Cap.* 17. Adhibita hic cautela admodum neceffaria erat, ut Paftores Germani ad iter agendum propenfi refidere cogerentur, fperandumque ut ex Refidentia fructum populus perciperet.

XXXIX. Statuit *Concilium* alienæ Diœcefis Presbyteros ad Sacra & Ordinum Executionem nullo modo recipiendos, nifi Commendantias fuorum Epifcoporum Literas oftenderint, eafque, ut par eft, compofitas; nimirum quibus de vita, moribus, ipforumque Ordinibus laudabile Teftimonium perhibeatur.

Præterea ab Epifcopo ad quem accedunt, five ejus Vicario, de contentis ipfis in Literis & neceffaria rerum cognitione periculum fiat, neque nifi idonei admittantur. *Concil.* Narbon. Cap 13. *an.* 1551. Excipit Viatores, iifque permittit, ut celebrent clanculum femel tantùm, facta de Literis fide Parochis.

XL. Nullus Clericus peregrinus fine Literis Commendatitiis fui Ordinarii ab ullo Epifcopo ad Divina celebranda & Sacramenta adminiftranda admittatur. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 16. Rhem. *ann.* 1564. *Stat.* 12.

XLI. Clericis alienæ Diœcefis rei Divinæ faciendæ facultatem ne permittat Epifcopus, nifi oftendant Literas Teftimoniales feu Dimiflorias Ordinarii fui, duobus tantùm menfibus ante, fi in Provincia; fi extra Provinciam in Italia, quatuor; pluribus fi extra Italiam datas, vel fi eæ antiquiores fint; afferant etiam fcriptum Teftimonium de vita & moribus ab iis Ordinariis, in quorum Diœcefi poft illud tempus aliquandiù permanferint. *Conc.* Mediol. I. Cap. 5. *ann.* 1565.

XLII. Parochus, ubi primùm cognoverit in Parochia fua Ecclefiafticum hominem alienæ Diœcefis vel Domicilium conftituiffe, vel apud aliquem divertiffe, vel in Caupona Hofpitio exceptum effe, ut aliquot dies commoretur, quàm citiffimè poterit, octo ad fummum dierum fpatio, ejus nomen & Patriam, fi in Urbe eft, Epifcopo, ejufve Vicario; fin autem, in Diœcefi, foraneo Vicario denunciet. *Concil.* Mediol. II. *Tit.* 2. Decr. I. *ann.* 1569.

Præcepta hic cautela fcandalum omne prævenitur, nedum ex Divinorum celebratione, fed etiam ex prava Clericorum extraneorum converfatione profectu-

tum. *Conc.* MEDIOL. III. *ann.* 1573. Cap. 10. loquitur. *De Dimiss.* ad Ordines quod habet, referetur inferiùs ex *Concil.* TOLOS.

XLIII. Præcipit Ecclesiarum Rectoribus ne ignotum Sacerdotem sine licentia sui Diœcesani inscriptis obtenta ad celebrationem Missarum aut ad Sacramentorum administrationem admittant . . . Episcopi autem prædictam licentiam non concedant, nisi visis Literis Sacerdotii & Commendatitiis & Testimonialibus Episcopi, vel Vicarii loci ultimæ eorum Residentiæ . . . Nullus peregrinus quantumcumque notus, recipiatur ad habitationem & deservituram alicujus Beneficii in aliena Diœcesi sine Literis Commendatitiis Episcopi à quo ultimè discessit. *Concil.* MECLIN. Cap. 8. 9. *De Ministr. Eccles.* *ann.* 1570. Literæ Testimoniales à Commendatitiis distinguuntur in eo quod istæ contineant licentiam exeundi; aliæ verò bonos mores attestantur. Utrumque simul habetur in eisdem Literis, ut patet ex Canone proximo & ex Canone *Conc.* MEDIOL. I.

XLIV. Nullum alienæ Diœcesis admittant, nisi acceptas ab Ordinario suo Literas, sibi concessæ facultatis & anteactæ vitæ, morumque ac Religionis testes exhibeat, quæ vetustiores non appareant, quàm quæ intra annum scriptæ sunt. *Conc.* BURDIG. Cap. 5. *ann.* 1583 Confer hunc Canonem cum Canone *Conc.* MEDIOL. I. suprà relato & nota Canonem BURDIGAL. benigniorem esse Canone MEDIOL. ex utroque eædem Literæ sunt Permissoriæ & Testimoniales.

XLV. Omnibus Clericis saltem uno Sacrorum Ordinum caractere insignitis, etiam Musicis prohibemus, ne sua Domicilia, aut Parœcias deserant inconsultis suis Episcopis, Capitulis, aliisve Ecclesiasticis, quibus sunt adscripti, & absque causæ (cur id fiat) expressione & cognitione, scriptoque probata licentia, debiteque attestata omnibus Episcopis . . . Monasteriis vetamus, ne dictos Clericos recipiant, vel ad Sacra peragenda admittant, absque Literis Testimonialibus probato sigillo firmatis ac diligenti super eorum vita & moribus inquisitione, nisi etiam legitimè docuerint de sua ad Ordines promotione per Ordinarium loci approbata. *Conc.* TURON. *an.* 1583. *Cap.* 14. De utroque Dimissoriarum genere hic mentio, de vocitatis, *Exeat*, in priori parte; in qua notandum quod præter Ordinarii licentiam postuletur etiam permissio Ecclesiæ, cui adscriptus est qui discedit, atque in ea sit exprimenda discessionis causa. In posteriori de Dimissoriis ad Ordines suscipiendos, cùm in ea requiratur, ut Clericus peregrinus non solùm ostendat se ordinatum, sed etiam id factum, probante suo Episcopo, si ab alio quam ab isto ordinatus fuerit, ideoque commemoratio Dimissorii ad Ordines recipiendos merè accidentalis est.

XLVI. A Missæ celebratione prohibeantur vagi, qui Literas Commendatitias sui Pastoris non habuerint. *Conc.* BITURIC. *ann.* 1584. *Tit.* 23. *Cap* 4. Idem habet *Tit.* 26. *Cap.* 3. extenditque ad omnia Sacra. Paratio cum licentia exeundi è Diœcesi ad quodvis Sacrorum Ordinum exercitium extra illam necessaria sit.

XLVII. Peregrinorum nullus absque sui Episcopi Dimissoriis Literis, bimestri, si in Provincia sit; semestri, si in Gallia; anno, si extra Galliam, non vetustioribus, quibus loci, si quis sit, cui inserviendo adscribi, dimitique se postularit, mentio habeatur, ad Divina facienda, vel Sacramenta ministranda, à Parochis, Regularibus, imò nec ab Episcopis, admittatur. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. Cap. 6. *n.* 2. *Part.* 2. Desumptus est ex *Concil.* MEDIOL. III. *ann.* 1573. quoad determinationem temporis quo Literæ duraturæ sint.

XLVIII. Non admittatur Sacerdos alterius Diœcesis ad celebrandam Missam, & alia Divina Officia, qui non habeat Literas Dimissorias. *Conc.* AVENION, Cap. 22. *ann.* 1594.

XLIX. *Conc.* MEXIC. præcipit sub pœna suspensionis ad arbitrium Ordinarii, ut servetur Decretum *Concilii* TRID. circa Clericos peregrinos, quo vetatur, ne recipiantur absque Literis Commendatitiis sui Ordinarii, atque etiam ut hæ Literæ examinentur. Cap. 1. *Tit.* 7. §. 1. Idem præcipit *Concil.* AQUILET. *ann.* 1596. Cap. 4.

L. Ex Sacerdotibus alienigenis, si quis in Regionem venerit, ne admittatur ad celebrationem Missæ, nisi licentiam à foro Episcopali obtentam in scriptis habuerit. *Conc.* AQUILET. *ann.* 1596. Cap. 18.

LI. Vago & ignoto Sacerdoti, etiam Regulari, Missam celebrare non liceat, nisi ostensis Testimonialibus vel Commendatitiis sui Ordinarii. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607. *Tit.* 12. Cap. 15.

LII. Non permittant Rectores Ecclesiarum quemquam Sacerdotem in suis Ecclesiis celebrare, nisi visa licentia eidem in scriptis concessa per Episcopum, aut Vicarium Generalem Diœcesanum: Facultatem autem hujusmodi non concedant Episcopi, nisi visis Literis Ordinum Clerici & Attestatione proprii Episcopi de vita & moribus eo anno concessis: quam Attestationem Clerici peregrini ab Episcopis, in quorum Diœcesibus morati fuerint, discessuri obtineant. *Conc.* NARB. Cap. 20. *ann.* 1609. à Regularibus exigit obedientiam in formâ obtentam. *Ibid.* *Cap.* 43. *Vita* Officialibus foraneis ne licentias hujusmodi dent vi facultatis de promovendo à quocumque absque Literis Commendatitiis Ordinarii sub pœna à *Concil.* TRID. præscripta.

LIII. Sacerdotes ex alia Diœcesi in Civitatem accedentes in Ecclesiis hujusmodi Civitatis, etiam Religiosorum, absque Ordinarii licentia in scriptis obtenta, atque adeò in Monialium Monasterio, nisi ex speciali Mandato in Literis approbationis expresso ad Sacrum faciendum non admittantur; sintque difficiles Ordinarii ad eos Sacerdotes admittendos, qui paupertate pressi singulas Provincias peragrantes, facilè inducuntur ad præscripta Canonum transgredienda. *Tit.* 3. *n.* 2. *Conc.* BURD. *ann.* 1624.

Quæ ex hac Collectione inferenda sunt.

Ex Collectis Canonibus colligitur semper & ubique vetitum ne Clerici extranei ad Ordinum suorum exercitium admittantur, absque licentia Episcopi in cujus Diœcesim se transtulerunt, nec ab hac lege expressè exceptum Romanum Pontificem: Colligitur etiam prohibitionem semper & ubique absolutam fuisse, nec Consuetudinem, nec Privilegium excepta fuisse: Colligitur etiam ad id necessariam fuisse licentiam Episcopi loci, quem adiere, cujusque erat approbare ad celebranda Divina qualiacumque: Colligitur quoque Consuetudinem contarariam, quæ sit rationabilis & legitimè præscripta introduci non potuisse, cùm conditi quolibet die ac quovis loco Canones præscriptioni aditum præclusetint, impedientes, tùm bonam fidem, tùm pacificam possessionem: Colligitur denique illos, qui jactitant sibi indultum, ut inscio Episcopo Sacerdotes extraneos aliquandiu in Diœcesi commorantes ad Missæ celebrationem admittere possint, vel subreptitium habere Privilegium, vel quod habent malè interpretari, vel illud receptum non fuisse.

Hinc etiam dignoscuntur causæ utriusque disciplinæ. Præcipua prioris petitur ex eo quod Episcopus Ordinationis Jurisdictionem habeat in illos, quos proprio nomine ordinavit, eaque per Translationem illorum in aliam Diœcesim privetur, proindeque ut justa sit Translatio ejus consensus requiritur, alioquin furtum committitur. Posterioris rationem sumunt ex eo quod Episcopus Translationis etiam temporaneæ certus esse debeat quod translati legitime ordinati sint, dignique quibus Divinorum celebratio vel administratio concredatur: undè translati tenentur illi exhibere Literas Ordinum suorum, & Literas Testimoniales de bonis moribus.

Ex

Ex iisdem Canonibus inferre etiam licet varias pœnas latas fuisse contra Cletieos discedentes sine dimissoriis, easque esse, vel depositionem, sive ante contumaciam; sive post vel suspensionem, sive à Jure pronunciatam, sive pronunciandam ab Ordinario; vel excommunicationem, cujus severitatis ratio est quod ut desertores haberentur.

Quoad Dimissoriarum, de quibus agitur, durationem nihil Canones collecti definiunt, determinationem illius concedentibus Episcopis relinquunt. Aliud dicendum de Literis Testimonialibus, de vita & moribus; sunt nonnulli illorum, qui illarum durationem præfiniunt, prout necessarium judicarunt, petita diversitatis ratione ex locorum distantia, ex quibus dimissi venerunt, vel aliundè, ut videre est *n.* 44. 47. Hodiernus autem usus est, ut licentia exeundi è Diœcesi ad tempus præcisè determinatum detur, vel cum clausula *quoad usque placuerit dimissum revocare.* Juxtà mentem Canonum clausula hujusmodi subintellecta censetur, nisi Episcopus abundans Presbyteris, nonnullos dimittat, ut in alia Diœcesi Sacerdotalia munera exerceant; tunc enim præsumendum videtur ex abundantia sua Confratres sui penuriam sublevare velle, sed si quis Sacerdotes superfluos habeat à se ordinaros peccat in Canones, qui vetant, ne fiant Presbyteri plures quàm necessitas postulet.

Varii usus fuere circa formam dictarum Dimissoriarum, sed omnes Diœceses omni tempore convenerunt, quod de legitima ordinatione dimissorum, necnon de bonis moribus, necnon de libertate ab omni censura, & irregularitate, ac de justa causa dimissionis fidem facerent: Inter causas recensentur peregrinatio ad loca Sancta, necessitas Ecclesiarum, vel Monasteriorum negotia urgentia. Secunda potissima est & memoratur in testimonio Ivonis. Dimissio ut plurimùm temporanea fuit, & tunc dimissus remansit subditus correctioni Episcopi dimittentis, id testatur *Canon* Epaonensis: Si quando perpetua fuit Translatio, vera extitit, eoque casu dimissus solutus est à lege dimittentis, factusque omninò Clericus recipientis; tales erant profectò qui ab *Episcopo* Carthag. sumebantur ex una Diœcesi in utilitatem alterius.

Tanta est Dimissoriarum, de quibus mox actum est, cum Ordinibus, sive recipiendis, sive exercendis, connexio ut Collectioni Canonum circa utrumque Dimissoriarum genus optimè subjungatur Collectio sequens Canonum circa Ordinationum praxim.

SECTIO XXVI.

Canones circa Ordinationum praxim extra Corpus Juris vagantes, quibus explicantur ac confirmantur, qui in illo extant, supplenturque ea quæ in illo desunt.

Dividuntur in quinque Partes. Prima continet Canones Ordinationis tempora, diesque respicientes. Secunda est, eorum qui spectant ad examen Ordinandorum. In Tertia recensentur, qui loquuntur de requisitis in ordinandis, generaliter sumptis. Quarta comprehendit Canones, qui præscribunt, quæ requiruntur in promovendis ad Ordines Majores. Quinta est eorum, qui Ordinationis formam respiciunt.

Seliguntur hic Canones praxim proximè respicientes, quos Ordinarores, eorumque Ministri, necnon & ordinandi præ aliis nosse tenentur. Qui ad Theoriam pertinent colligentur dum *De Sacramento Ordinis.* Cæterum in facienda hac Collectione non prætermittentur notabiliores Canones de veteribus abusibus mentionem facientes, multòque minùs causæ illorum condemnationis: Hinc enim fiet hodiernus usus æstimabilior simul ac venerabilior. Præferentur quoque Canones ob Gallos præsertim conditi, quorum notitia illis acceprior esse debeat; non negligentur omninò Caoones aboliti, sed seligentur aptiores, ut ad conservandum Sacris Ordinibus debitum Ordinem, qui præcipuus hujus Collectionis finis.

§. I.

Notabiliores Canones Ordinationis tempus proximè spectantes à CHRISTO *ad nos juxtà antiquitatis Ordinem digesti.*

I. Cognovimus sanè quod non potuimus silentio præterire à quibusdam fratribus solos Episcopos tantum diebus Dominicis ordinari, Presbyteros verò & Diaconos, circa quos par Consecratio fieri debet, passim quolibet die Dignitatem Officii Sacerdotalis accipere, quod contra Canones & Traditiones Patrum usurpatio corrigenda committit. S. Leo. *Ep.* 4. C. 6.

II. Quod à Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, à vobis hoc voluimus custodiri, ut non passim omnibus diebus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur; sed post diem Sabbathi ejus noctis, quæ lucescit in prima Sabbathi exordia deligantur, in quibus, his qui consecrandi sunt Jejunis & à Jejunantibus Sacra Benedictio conferatur; quod ejusdem observantiæ erit, si manè ipso Dominico die continuato Sabbathi Jejunio celebretur; nam præter autoritatem Consuetudinis quam ex Apostolica novimus venire Doctrina, etiam Sacra Scriptura manifestat. S. Leo *Ep.* 11. C. 1.

III. Anatolius adeò nimia commotione turbatus, ut consecrationem Presbyteratûs quam pro injuria dabat Archidiacono sexta Sabbathi, Traditionis Apostolicæ, aut nescius, aut oblitus, inferret, quasi non ad Episcopum magis quàm ad Presbyterum Ordinationis illius vitium pertineret. S. Leo. *Ep.* 84. C. 2.

IV. Ordinationes etiam Presbyterorum, Diaconorumque, nisi certis diebus & temporibus exerceri non debeant, *id est,* primi & quarti mensis Jejunio, septimi & decimi, sed etiam Quadragesimalis initii ac mediana Quadragesima die, Sabbathi Jejunio circa Vesperam noverit celebrandas. Decr. Gelas. C. 11. Regin. Lib. I. C. 440. Ivo *Part.* 6. C. 74. Grat. Dist. LXXV. *C.* 7. Greg. II. *Epist.* 4. idem haber. Conc. Tom. VI. *p.* 1443. *ab ann.* 714. *ad* 731.

V. In multis *Conciliis* hoc statutum est, etiam nunc confirmatum a vestra prudentia, Sanctissimi Fratres, ut primi, quarti, septimi, & decimi mensis horum Sacerdotum debeant fieri Ordinationes. Qui norunt Canonum seriem, observent, & qui nesciunt, meditentur, nedum fuerint lapsi, Canonicæ succumbant sententiæ. Zachar. *in Concil.* Rom. *ann.* 743. C. 11.

VI. Revoluta sunt Patrum Statuta, & inventum est, quia graduum Ordinationes rectè fiunt per mensem Martium, Junium, Septembrem quoque, atque Decembrem, Sabbatho, videlicet 12. Lectionum, quando Jejunia Quatuor Temporum aguntur, ubi si tanta fuerit ordinandorum multitudo, ut Sabbatho non possit omnes Episcopus consecrare, in crastina Dominica usque ad horam sextam à manè qui superfuerunt debent ordinari. *Concil.* Lamovic. *ann.* 1038. Sess. II. Conc. Tom. IX. *p.* 90.

Archidiaconi constitutis Quatuor Temporibus tales Clericos ad Ordines ducant, qui perfectè totum Psalterium, Hymnos, & Cantica, Epistolas, Evangelia, & Orationes sciant. *Concil.* Coyac. *ann.* 1050. C. 5.

VII. Ne fiant Ordines, nisi quatuor certis temporibus & Sabbatho, mediante Quadragesima; & tunc protrahatur Jejunium usque ad Vesperas, & si fieri potest usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico Ordines fieri. *Conc.* Claromont. *ann.* 1095. C. 24.

VIII. Respondemus quod licitum est Episcopis, Dominicis & aliis Festivis diebus, unum aut duos ad Minores Ordines promovere. Sed ad Subdiaconatum, nisi in Quatuor Temporibus, aut Sabbatho Sancto, vel in Sabbatho ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare. Alex. III. C. 3. *De Temp. Ordinat.*

IX. Sex Sabbathis in anno celebrantur Ordines, scilicet quatuor Sabbathis Quatuor Temporum, Sabba-

tho ante Dominicam in Passione & Sabbatho Sancto in Vigilia Paschæ. *Sya.* LINGON. *ann.* 1404.

X. Cùm itaque sicut Dignorum relatione nonnisi molestè accepimus, quod nonnulli Clerici extra tempora à jure statuta se faciunt ad Sacros Ordines promoveri, nos eorumdem temeritatem tali castigatione reprimentes, ut aliis in posterum committendi similis aditus præcludatur valitura; statuimus quod omnes & singuli absque Dispensatione Canonica, aut legitima licentia, extra tempora à Jure statuta, ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure sint suspensi. PIUS. II. *Constitut.* 7. *§.* 1. *&* 2. 1461.

XI. Dominico illo die, qui Quatuor statuta Jejunii Tempora, quibus Ordinis Sacramentum ministratur, proximè antecedit, Parochi solemne illud Jejunium hujus rei causa institutum denuncient. *Conc.* MEDIOL. *Tit.* I. DECR. XXII. *an.* 1569. *Conc.* AQUEN. *an.* 1585. *Conc.* TOLOS. 1590. Cap. 7. *N.* 7.

§. II.

Ordinandorum Examen ad quos pertinet? Non committendum, nisi in necessitate, & quibus hoc casu, qua diligentia faciendum tàm à Commissario quàm à Committente? Circa qua versetur idem ante Dimissorias, ac ante Ordines? In illo novi & veteres Canones ferè conveniunt circa dispositiones & obices ad Ordines.

I. Si qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti manus confessis imponenere tentaverunt, tales Regula non admittit, quia quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia. *Conc.* NIC. *ann.* 325. Cap. 9. DION. EXIGUO *Interprete.* *Conc.* AQUISGRAN. *ann.* 769. Cap. 2.

II. Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper negotiis suis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in Lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in Dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, &c. *Concil.* CARTH. IV. *ann.* 398. Præcedenti anno *Conc.* CARTH. III. *Cap.* 22. de cujusvis Clerici Ordinatione hæc dixerat: „Ut nullus Clericus ordinetur, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio „.

III. Episcopus quando Ordinationem facere disponit, omnes qui ad Sacrum Ministerium accedere volunt, Feria quarta ante ipsam Ordinationem evocandi sunt ad Civitatem, unà cum Archipresbyteris, qui eos repræsentare debent, & tunc Episcopus à Latere suo dirigere debet Sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros Legis Divinæ, & exercitatos in Ecclesiasticis Sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, Patriam, ætatem, Institutionem, locum ubi educati sunt, si sint benè litterati, si in Lege Domini instructi, diligenter investigent. *Conc.* NANNET. Cap. 11. *ante medium sæculi* IX. REGIN. LIB. I. Cap. 441. *Conc.* NARBON. *ann.* 1551. Cap. 3. TOM. XV. CONC.

IV. Ipsi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti, à vero devient, ut indignum, & minùs idoneum, ad Sacros Gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent; quod si fecerint, & ille qui indignè accessit, ab Altari removebitur, & illi qui donum Spiritûs Sancti vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati, Ecclesiastica Dignitate carebunt; igitur per tres continuos dies diligenter examinentur; & sic Sabbatho, qui probari inventi sunt Episcopo repræsententur. *Ibid.* C[illegible]. SALMUR. *Cap.* 3. *ann.* 1315. Suspendit examinatores, qui à dignis pecunias exigunt, vel recipiunt, usque ad restitutionem.

V. Placuit ut ordinatis Episcopis, vel Clericis, priùs ab Ordinatoribus suis placita Conciliorum eorum auribus inculcentur, ne se aliquid contra Statuta fecisse illos pœniteat. *Cod. Eccles. Afr.* Cap. 18.

VI. Presbyter priusquam ad Consecrationem Presbyteratûs accedat, maneat in Episcopio discendi gratia Officium suum tamdiu donec possint & mores & actus ejus animadverti, & tunc si dignus fuerit ad Sacerdotium promoveatur. *Conc.* TURON. III. Cap. 12. *ann.* 813. CONC. TOM. VII. *p.* 1262. Hic Canon & sequens continent antiqua Seminatiorum vestigia.

VII. Qui ex nostris Parochiis, aut ad Titulum, aut absolutè ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in Clero certo & Religioso, vel etiam in Civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita & conversatione, atque Doctrina illorum certitudo possit agnosci. *Conc.* MELD. *ann.* 845. Cap. 52. CONC. TOM. VII. *p.* 1835.

VIII. Episcopi nullum de Clericis seu Monachis ordinet, nisi priùs ejus vitam qualis extiterit, vel tunc quæ morum probitas ac scientia fidei existat, manifestè perquirant; qua namque ratione poterit aliis integritatem fidei prædicare, Sermonis scientiam conferre, peccatoribus discretionem Pœnitentiæ indicare, nisi prius vigilanti intentione hæc pro viribus ingenioli sui studeat ediscere, ut juxtà Apostolum *potens sit exhortari in Doctrina sana.* Conc. CLOVESHOV. II. *ann.* 747. *in Anglia.*

IX. Quia penitùs indigni ad Dignitatem Sacrorum Ordinum contra Canonicas Sanctiones in partibus hujus Legationis hactenus sunt admissi; præcipimus ut quilibet ordinandus examinetur de vita, scientia & moribus diligenter. *Conc.* BITERR. Cap. 6. *ann.* 1233. *à* VALTHERO *Episcopo* TORN. *Sedis Apost. Leg.*

X. Cum Sacris Ordinibus conferendis fidele, solemne, & devotum præcedere debeat scrutinium, Examen in scientia, moribus, & ætate, statuimus, ne Episcopi aliquos ad Sacros Ordines præsumant promovere, nisi sint ætatis, probæ vitæ, & conversationis honestæ &c. *Conc.* SENON. *ann.* 1485. Cap. 2.

XI. Promovendi ad Sacros Ordines, Ordinario aut deputandis Examinatoribus tali tempore se præsentent, quod ab illis benè & maturè possint examinari, nec recipiantur aliqui ad Ordines ipsos, nisi per examinationem sufficientem & debitè factam reperiantur ætatis & qualitatum aliarum, quas Sacri Canones definiunt. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1445. Cap. 15.

XII. Religionis nostræ aditum pervigili cura custodire volentes, Episcopos per viscera misericordiæ Domini Nostri JESU-CHRISTI hortamur, & in virtute obedientiæ monemus, quatenus si Ordinum celebrationi, & promovendorum ad Ordines examini personaliter non adfuerint, duos saltem viros idoneos scientia & moribus approbatos deputent, quibus Officium examinationis pariter committant; injungendo eisdem sub excommunicationis pœna, ut onus hoc sibi creditum fideliter exequantur, nec quidquam dolo, prece, negligentia, munere, vel aliàs indebitè agant. *Conc.* TOLET. *ann.* 1473. Cap. 3.

XIII. Attendant Episcopi, cui Divina Sacramenta committant, ne si ultra debitam mensuram alicui credant, aut infidelitatis, si scienter; vel imprudentiæ, si ignoranter, in districto Dei judicio valeant culpa notari; sed providi ad Sacros Ordines de ætate, moribus, & scientia debito subjiciantur examini; & circa eos quæ Jure Communi & Particulari constituta sunt serventur; nec spe futuri profectus aliquis ordinetur, nisi actualiter tempore promotionis reperiatur idoneus, & promoti insufficientes reperti ab Officio Sacerdotali suspendantur, us-

& ani-

que ad acquisitam debitam sufficientiam. *Conc.* Dertusan. *ann.* 1429. Cap. 5.

XIV. Cum quanta tevetentia, cordis contritione, & animi devotione, ad Sacramentum Ordinis sit accedendum, ex eo patet, quod nisi à Summo Sacerdote, & hoc certis temporibus, & Jejunio non solùm ab ordinandis, sed ab universa Plebe. Hinc est quod Sanctorum Canonum Statuta servantes, prohibemus, ut nullus ad Ordines accedat vel admittatur, nisi fuerit Canonicè examinatus. *Conc.* Lameth. *ann.* 1330. Cap. *6. Sive Constitut. Provinciales* Simon. Mepha. *Archiep.* Cantuar. *apud* Lameth. *edita.*

XV. Nullus ad examen per Sacrorum Ordinum susceptionem aliquatenus admittatur, nisi tecentet confessus fuerit omnia sua delicta idoneo Sacerdoti. Et quia pauci sunt, qui sua delicta cum sequelis intelligant, per districtum informatorem debet instrui ordinandus, an expediat sibi ordinari, an verò irregularitatis alicujus prætextu ei potiùs sit abstinendum. *Conc.* Saltzburgensa. *ann.* 1420. Cap. 5.

XVI. Idem habent Stat. *Syn. Eccles.* Trec. *ann.* 1520. *ultimo* editæ & pleraque *Concilia* Provincialia. Post *Conc.* Trio. *Conc.* Rothom. præcipit ut Pœnitentiarius interroget an aliqua irregularitate, aut excommunicatione obstricti teneantur ordinandi maximè ad Sacerdotium.

XVII. Vicariis nostris, quos disquisitioni circa ipsos peragendæ deputamus, ipsisque nostra autoritate in eo munere adjungendis Theologis, se repræsentent examinationique eorum submittant, à qua neminem excipimus, etsi Magisterii Titulum prætexat, nisi quem publicum sit, & vitam integram egisse, & ea quæ Ordo impertiendus requirit facilè callere. *Conc.* Colon. *ann.* 1536. *Part.* 1. Cap. 14. & 15.

XVIII. Eos, qui ad Sacerdotalem Benedictionem suscipiendam accedunt, & jam à Congregatione sunt electi, examinent priùs Chorepiscopus & Archidiaconus simul, & videant an probè sciant Scripturarum Sacrarum Lectionem, & in Sacerdotalibus Legibus ac Statutis Ecclesiasticis sint periti; quod si cognoverint illos dignos esse, qui Sacerdotes constituantur, & quod à Deo qui secrete novit, sint electi, tunc recitentur super illos preces absolutoriæ, ut digni efficiantur purificatione & propitiatione. *Cap. 65. Canonum Conc.* Nic. *Arab corum Collectionis versæ ab* Abrah. Echell. Maron. & 60. *Collect. versæ* ex Turria. Horum Canonum ætas ignoratur, sed à viris doctissimis existimatur certum summæ autoritatis illos esse in Ecclesiis Orientalibus, illarum jus etiam nunc usurpatum continere.

XIX. Ad hæc ut ordinandi scientia explendis saltem Ecclesiæ Ministeriis sufficiens, non titulis, sed diligenti constet examinatione.... Pro examinatione verò nullam ab his, qui à nobis ad hoc deputati fuerint, pecuniam exigi debere præcipimus; quod hactenus in Ecclesia nostra factum fuisse compertum habemus. *Syn.* August. *ann.* 1548. *Statut.* 5.

XX. Sancta Synodus antiquorum Canonum vestigiis inhærendo, decernit ut, quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad Sacrum Ministerium accedere voluerunt, Feria quarta ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad Civitatem evocentur, Episcopus autem Sacerdotibus & aliis prudentibus viris, peritis Divinæ Legis ac Ecclesiasticis Sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget & examinet. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 7. *ann.* 1563.

XXI. Eos, qui Ecclesiæ ministrant (Subdiaconos) recepta olim in Ecclesiis Consuetudo diligentissimè probatos admittebat; & omnis eorum vitæ agendæ ratio curiosè inquirebatur, an non essent maledici, an non ebriosi, an non prompti ad pugnas, an suam juventutem instituerint, ut possent Sanctificationem rectè gerere sine qua nemo Dominum aspicit: Et hæc quidem examinabant Presbyteri ac Diaconi, qui cum eis versabantur. Referebant autem ad Chorepiscopos, qui acceptis suffragiis à sinceris testibus, & eorum admonito Episcopo, Ministrum deinde in Sacerdotalem numerum cooptabant. S. Basil. *ad Chorepiscopos* Conc. Tom. II. *p.* 1767. *saeculo* IV.

XXII. Deinde re per summam socordiam tractata Presbyteris & Diaconis permisistis, quos voluerint, vita eorum non examinata, ex affectione vel cognationis vel alicujus alterius amicitiæ indignos in Ecclesiam introducere. *Ibid.* De integro autem fiat eorum à vobis examinatio, & si vestro suffragio sunt digni, suscipiantur. *Sæculo* IV.

XXIII. In numerum autem ne referte, priusquam ad nos retuleritis, vel scitote Laïcum futurum, qui sine nostra sententia in Ministerium admissus fuerit. *Ibid.* Quoniam ad ædificationem populorum omnia à nobis facienda sunt, hæc vestra observet pietas, ut si est quidem ordinandus Clericus de vita ejus inquirat, & an uxorem habeat an non, & quomodo duxit & abstinuit, si non est aliquis ex his, qui ejecti sunt à Sanctissimo Episcopo vel ex Monasterio, &c. Cyrill. *Episc. Alex. ad quosdam Episcopos sæcul.* V.

XXIV. Volentes impetrare literas dimissorias accedant ad Diœcesanos, qui super Ætate, Literatura, Moribus, Beneficio, seu Patrimonio, inquirant, serventque diligenter prædictas solemnitates, perinde ac si in propria Diœcesi ordinare vellent, & tunc sic examinato concedantur Literæ Dimissoriæ, remittaturque ita examinatus cum literis ipsis. *Conc.* Senon. & Bitur. *ann.* 1528. Cap. 15. Regin. Polus, *De Reform. Angl. ann.* 1556. Decr. VI. *Conc.* Rhem. *ann.* 1583. *Conc.* Tolos. *ann.* 1590. Cap. *7. n.* 4. irritas facit Literas Dimissorias, in quibus examinis nulla fiet mentio. *Conc.* Mechlin. *ann.* 1607. Tom. IX. Cap. 5. Narbon. Cap. 11. *ann.* 1609.

XXV. Non putent Episcopi se muneri suo satisfecisse, si eorum qui ordinandi sunt examinatione ad alios rejecta, manus tantùm ipsi imposuerint; ita enim plerumque fit, ut qui inutiles & indigni sunt, eos, ab aliis temerè quos ea cura non tangit admodum, dignos judicatos Sacris Ordinibus præter conscientiam insigniant; quapropter omnes & singulos Episcopos hortamur, iisque mandamus ut ipsimet hoc munus examinandi omni studio & diligentia exerceant. Regin. Polus *Decretorum Angl. ann.* 1556. *Decret.*

XXVI. Simile quid dixerat *Conc.* Colon. II. Mediol. II. *n.* 26. *ann.* 1549. adjeceratque post factam ab his, quibus peculiari jure pertinet examinationem, Episcopos posse, & debere admissos iterum examinare, vel examinandos aliis committere.

XXVII. In examinatione eorum, qui ordinandi sunt, hoc præcipuè attendi debet, ne qua ii sint Hæresi infecti, ut sint legitimis natalibus orti, & in ætate à Sacris Ordinibus requisita constituti, omnique defectu careant propter quem jure ab Ordinibus repellantur, sintque vitæ ac morum honestate & probitate commendabiles, ac literarum scientia pro cujusque Ordinis ratione præditi. *Ibid.*

XXVIII. Quamobrem, reformandam nempe Ecclesiam, vitandaque incommoda gravissima ex malis Ministris nascentia, in primis statuimus, ne quis ad Sacrorum Ordinum perceptionem admittatur, nisi diligenter examinatus, de fide quam teneat, de affectu quo ducatur ad petendos Ordines, de scientia quæ sufficiat ad Ordinis, quem petit, Ministeria explenda, de moribus Ordinem decentibus, & ætate legitima. *Conc.* Colon. II. Med. II. *n.* 1. *ann.* 1549.

XXIX. Quoniam diversi Ordines alias atque alias requi-

requirunt conditiones, visum fuit præsenti *Concilio* expedire, ut extarent formulæ, ad quas examinarentur ordinandi secundùm diversos suscipiendorum Ordinum gradus. *Ibid. n.* 8.

XXX. Cùm quis in examen venerit, ejus vultus & habitus corporis, & vestitus, & incessus, & gestus, & sermo inspiciatur diligenter . . . Ne ad ullam examinis rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus & Tonsura præscripta. &c. . . . Ne antea fiat quàm ætatis, natalium, aut Dispensationis concessæ Beneficii Ecclesiastici vel pensionis, Patrimoniive testificationes scriptas à Vicario Episcopali, recognitas, signatas attulerit, nisi aliter visum sit Episcopo. *Conc.* MEDIOL. V. Cap. 2. *Part.* III. *ann.* 1579.

XXXI. Si à servitio Principis pii nostri aliquis Clericorum venerit, ut alicui Civitati præponatur Episcopus, timore casto solicitè examinetur, nec præsumat illiteratum & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti sui rationem, populo Dei præficere. *Concil.* VALENT. *sub* LOTHAR. Cap 7.

XXXII. Neque Episcopus, neque Abbas in Monasterio, viliorem meliori plus diligat, eùm propter consanguinitatem suam vel aliquam adulationem melioribus suis præferre studeat, & talem nobis offerat ordinandum, cùm meliorem eo habet occultatum & oppressum, quod nequaquam fieri volumus, quia invisio & delusio nostra hæc fieri videtur, sed tales in Monasterio nutriantur ad ordinandum, in quibus & nobis merces, & profectus accrescat Commendatoribus suis. *Capitulare ann.* 802. *n.* 16.

XXXIII. Omnes ad quos spectat dicta examinatio ad Ordines, & præsentatio ad Ordines, sive ratione Officii, sive ratione Commissionis, qui de cætero à promovendis aliquid receperint, seu exegerint hac occasione; si Sacerdotes fuerint, suspensinnis; si verò non Sacerdotes fuerint, excommunicationis sententias incurrant ipso facto, à qua nullatenus absolventur quo usque recepta per eos sive exacta restituerint cum effectu. *Concil.* SALMUR. *ann.* 1315. Cap. 3.

XXXIV. Illi verò ad quos ratione Dignitatum, vel Personatuum quos obtinent, competit examinare Clericos, & ad Ordines præsentare, propensiùs caveant, si hujusmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum super hoc patientes, scienter ad Ordines audiant præsentare (de scientia loquitur) *Concil.* VAURAN. Cap. 20. *ann.* 1368. Potestatem autem dispensandi super his ex causa, & quatenus à Jure permittitur, per hoc non intendimus Episcopis interdictam. *Ibid.*

Fusè de examine actum est, quia fons est bonæ ac malæ Ordinationis.

§. III.

Requisita in ordinandis quibuscumque, vel semper vel extra necessitatem. Quæ in necessitate sufficiant? Perpetua & constans Disciplina ferè in omnibus, in paucis varia.

I. Didicimus etiam licentes ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad præfatas Dignitates (Sacerdotalem & Leviticam) prout cuicumque libuerit aspirare, quod non tantùm illis, qui ad hæc immoderata ambitione perveniunt, quantùm Metropolitanis specialiter Pontificibus, imputamus. SIRIC. DECRET. Cap. 4.

II. Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat. Addunt antiqui Codices quod si præ accepta Ordinatione in fraude inventus fuerit, ipsi qui eum testimoniant, quamdiu Episcopo visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceantur. *Concil.* CARTHAG. IV. *ann.* 328. Cap. 22.

III. Illud quoque par nos fuit providere, ut sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pænitudinem ac reconciliationem nulli umquam Laico liceat honorem Clericalem adipiscis, quia quamvis sint omnium peccatorum contaginne immunes, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum. *Ibid.* Cap. 14.

IV. Ut is, qui viduam, licèt Laicus, duxit uxorem, sive ante Baptismum, sive post Baptismum, non admittatur ad Clericum, quia eodem vitio videtur exclusus, in Baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur. INNOCENT. I. DECRET. Cap. 12. & *Cap.* 51. ubi addit non solùm Ecclesiam Romanam, sed etiam omnes tàm Orientis quàm Occidentis Ecclesias viduarum maritos à Clericatu arcere & promotos deponere.

V. Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris Curiales, vel quoslibet publicis functionibus obligatos Clericos facere contendunt, quibus postea major tristitia cum de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia nascitur de adscitis. *Ibid.* Cap. 18.

VI. Laici, qui sic se instituerint, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti sint, aut Monasteriis, ex quo baptisati sunt, hæserint, si non concubinam non pellicem noverint, si in bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi. *Ibid.* Cap. 51.

VII. Nostræ Lex est Ecclesiæ venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptisati sunt, per manus impositionem Laïcam tantum tribuere Communionem, nec ex his aliquem in Clericatûs honorem vel exiguum subrogare. *Ibid.* Cap. 54.

VIII. Abstineatur etiam ab illicitis Ordinationibus, nullus ex Laicis, nullus bigamus, nullus qui sit viduæ maritus, aut fuerit, ordinetur, sed irreprehensibilis, & qualem elegit Apostolus fiat. . . Ad hanc ergo eligantur formulam Sacerdotes, & si quæ factæ sunt Ordinationes illicitæ removeantur. CALIST. DECR. Cap. 19.

IX. Audivimus quasdam propriis destitutas Rectoribus Civitates Episcopos petere velle de Laïcis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo sed sæculo militaverunt æstiment nos posse conferre; non solùm malè de suis Clericis in quorum contemptum hoc faciunt judicantes, sed de nobis pessimè quos credunt hoc posse facere sentientes . . . quid proderit per singula Clericos stipendia militasse & omnem egisse in Dominicis castris ætatem . . . si quibus præfuturi sunt ex Laicis requiruntur, qui vacantes sæculo & omnem Ecclesiasticum Ordinem nescientes, saltu præpostero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere & in aliud vitæ genus calcata reverentia Ecclesiasticæ Disciplinæ transire. *Ibid.* Cap. 21.

X. Admittuntur passim ad Ordinem Sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum Dignitas suffragatur, & qui à Dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigium Sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur, & probari Deo posse creditur, qui Domino suo nec dum probare se potuit. S. L. 20.

XI. Si quis de Religioso proposito, & Disciplinis Monasterialibus eruditus ad Clericale munus accedat, in primis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, vel si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis uxorem, nec à marito relictam sortitus ostenditur, si Pœnitentiam publicam fortassis non gessit, nec ulla Corporis parte vitiatus appareat, si servilis aut originariæ non est conditioni obnoxius, si

curiæ

Curiæ jam probatur nexibus absolutus, si assecutus est literas sine quibus vix fortassis Ostiarii posset implere Ministerium. Gelas. Decr. Cap. 2.

XII. Si de Laicis quispiam Ecclesiasticis est aggregandus Officiis, tantò solicitiùs in singulis quæ superiùs comprehensa sunt hujusmodi decet examinari personam, quantùm inter mundanam Religiosamque vitam constat esse discriminis .... tantòque magis, quod Sacris aptum esse possit servitiis, in eorum quærendum est institutis, quantùm de tempore quo fuerant hæc assequenda, decerpitur, ut morum habere doceatur hæc probitas, quod prolixior Consuetudo non contulit, nec per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius Divinis Cultibus intulisse judicemur, non legitimæ familiæ confutemur procurasse compendia. Gelas. Decr. Cap. 3.

XIII. Nec tantùm de Laïcis conservati inhibemus, sed nec de Pœnitentibus quidem quispiam ad hujusmodi gradum profanus temerator aspiret, satis illi postulanti sit venia, qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis enim quem paulo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem? Præferens miserandi criminis labem non habet lucidam Sacerdotii Dignitatem. *Hormisd. Ep. ad Episcopos Hispaniæ.* Cap. 1.

XIV. Interdicimus, ut nullus Episcoporum audeat, juxtà Sanctorum Canonum Instituta, quemlibet Clericum bigamum, aut qui viduam duxerit uxorem, ad Sacros Ordines promovere, aut alterius Civitatis Clericum sine Dimissoriis sui Episcopi suscipere, vel ordinare, neque eum usurpet, nisi Episcopus ejus precibus exhortatus concedere voluerit. Zachar. *in Conc. Rom. ann.* 743.

XV. S. Greg. postquam dixit lapsos Clericos ad exercendos Ordines sacros non admittendos, etiam post Pœnitentiam, hæc addit: „Ne umquam, ii qui ordinati „sunt pereant, provideri debet quales ordinentur, ut „priùs aspiciatur, si vita eorum continens in annis „plurimis fuit, si studium Orationis, vel Lectionis, si „eleemosinæ morem habuerint „. *Epist.* 6. Lib. 3.

XVI. Promovendi non sunt qui in aliquo crimine detecti sunt, qui scelera aliqua per Pœnitentiam publicam admisisse confessi sunt, qui in Hæresim lapsi sunt, qui in Hæresi baptisati, aut rebaptisati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, qui viduam vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum fuerunt mariti, qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophiti, aut Laïci, qui Sæculari militiæ dediti, qui Curiæ nexibus obligati sunt, &c. *Conc.* Tolet. IV. *ann.* 633. Cap. 19.

XVII. Sacer Ordo eò est digno digniùs conferendus, quò ab ordinato Sacramenta cætera conferuntur. Quare cùm periculosum sit minùs dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut sine titulo certo & vero aliquos ordinari; statuimus, ut ante Collationem Ordinum de his omnibus per Episcopum indagatio diligens habeatur. Et ne approbatis clanculò se valeant immiscere reprobati, in examinatione scribantur numerus, & nomina approbatorum, & qui scripti fuerint, postmodum in Ordinationis limine perlecta scriptura discretione solicita requirantur, ipsaque scriptura apud Episcopum vel Ecclesiam conservetur. *Conc.* Londoon. *ann* 1237. Cap. 6.

XVIII. Prohibemus, ut nullus Abbas vel Prior, Monachos suos, vel Canonicos, ab alienis Episcopis faciat ordinari, nisi cum literis sui Episcopi Diœcesani, vel gerentis vices suas, assensum suum exprimentibus. *Cap. 6. Conc.* Lameth. *ann.* 1330.

XIX. De Clericorum præmittenda conversione, id omnimodis observetur, ne ullus ex Laicis ante annualem conversionem vel ætatem legitimam, Diaconus, vel Presbyter ordinetur; ita ut de ipsis quoque, qui ordinandi sunt Clerici Regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut Pœnitentiam professus, aut simus corpore (fortè servus) vel qui publicè aliquando arreptus est, ad suprascriptos Ordines promoveatur. *Concil.* Aurel. III. Cap. 6. *ann.* 538.

XX. Decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus cui manus imponitur, genus respicere; sed examinantes an digni sint juxtà exposita in Sacris Canonibus Decreta, in Cleri Catalogum referri, ut eos Ecclesiasticè promoveant, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. *Conc.* Trull. Cap. 33. *ann.* 706. Damnatus hic abusus vigebat apud Armenos, ut patet ex omissa Canonis Præfatione. Similis huic successit erga Beneficia, quæ ut plurimùm aut proximis resignantur aut conferuntur.

XXI. Ut quicumque ad gradus Ecclesiasticos condignè ascendere voluerint, unusquisque intelligeret qualiter secundùm possibilitatem intellectus sui in eo gradu ubi constitutus est (legendum videtur constituendus) Deo militans & se ipsum valeret custodire. *Conc.* Rhem. II. Cap. 3. *ann.* 813.

XXII. Sed dicitur vera ac justa legitimi Sacerdotis Benedictione auferri omne vitium, quod à vitioso fuerat injectum: Ergo, si ita est, applicentur sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia per Benedictionem Ordinis crimina vel vitia putantur auauferri, nullus sit Pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio quod longa satisfactio præstare consuevit. Innoc. I. *Decret.* 53. & 54.

XXIII. Quoniam illi sunt ad honores Ecclesiasticos promovendi, qui moribus, ætate, & scientia pollere noscuntur, statuimus prohibentes, ne ad Sacros Ordines promoveantur, nisi personæ quæ Grammaticam sciant, seu Latinis verbis loqui valeant competenter. *Conc.* Vauren. Cap. 20. *ann.* 1368. *Conc.* Tolat. Cap. 3. *ann.* 1475.

XXIV. Constitutione Pii II. Pont. Max. quicumque Clericum absque Dimissoriis Ordinarii sui literis ad aliquem Sacrum Ordinem promoveri fecerint, ab suorum Ordinum quos susceperint executione ipso jure suspensi sint. *Conc.* Mediol. III. Cap. 10. *ann.* 1573.

XXV. Videat Episcopus, ne cuiquam, antequam Sacræ Ordinationis tempus proximè instet, Literas hujusmodi Testimoniales, Dimissoriasque pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine causa necessaria, unquam concedat, neque iisdem Literis facultatem det plures Ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tantùm quos uno eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per Sacros Canones licuerit; præsumat in illis ipsis certum tempus suscipiendi Ordines, tempus menstruum scilicet vel bimestre, vel longius, vel quod pro loci distantia, aliave ejusmodi causa opus esse viderit. *Conc.* Mediol. IV. Cap. 13. *ann.* 1576. *Conc.* Aquen. *ann.* 1585. *Tit. De Ordin. Conc.* Tolos. Cap. 7. *n.* 6. *ann.* 1590. *Conc.* Narbon. Cap. 11. *ann.* 1609. *Conc.* Burdig. Cap. 6. *n.* 9. *ann.* 1624.

XXVI. Superioribus Monasteriorum, in quibus Religiosi fixam & firmam commorandi sedem habent, prohibemus, ne Literas Dimissorias Religiosis suis, ut à quocumque ordinentur, concedant, sed à suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos esse dumtaxat decernimus: Eos verò, qui pro instituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum literis Provincialium suorum, de voto Religionis emisso fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantùm præcipimus: Ab aliis nunquam, nisi attestatione præ habita à Pontifice loci, seu Vicario Generali obtenta, quæ cur nequiverunt apud se ordinari perhibeatur. *Concil.* Burdig. Cap. 6. *n.* 12. *ann.* 1624.

XXVII. Omnes autem Literas Ordinis proximè suscepti ordinanti Episcopo exhibere aut aliàs de eodem facere fidem teneantur. *Conc.* Meclin. *ann.* 1607. exigit ut literas exhibeant. *Tit.* 9. Cap. 4.

XXVIII. Propter abusus, quos experimento cognovimus

vimus

vimus in extrancis, qui sub falsis & fictis Dimissoriis ad Ordines suscipiendos, & ut examen à Sanctis Sanctionibus ordinatum evitare possint, in Galliam veniunt; statuimus ut nullæ exteriorum Dimissoriæ admittantur; sed cùm illis à susceptione Ordinum rejiciantur, nisi sint Regulares, qui saltem per annum intra Regnum resederint, & ibidem ab Ordinariis Regni præseutis Dimissorias obtinuerint. *Conc.* NARBON. Cap. 21. *ann.* 1609.

XXIX. Vehementer exoprans Synodus præterita damna resarcire, Ecclesiasticumque Ordinem in pristinum Dignitatis ac splendoris locum restituere quantùm potest, Episcopos hujus Provinciæ exhortatur, ne contra Apostoli Præceptum citò manus imponant, sed cum omni diligentia examinent & merita expendant, neque eos, qui minùs idonei fuerint, paucitatis Ministrorum prætextu, ad Sacros Ordines suscipiendos ullatenus admittant, cùm Divinus Cultus animarumque commodum paucis dignè quàm multis indignè ministrantibus accrescant. *Conc.* MEXIC. LIB. I. T. IV. Cap. *De Scientia &c.* §. 1. *Cleri Germ. Reform.* Cap. 13. *ann.* 1524. in quo hæc notanda, quæ in plurimis etiam *Conciliis* habentur, præstat paucos bonos & doctos quàm plures indoctos & imperitos habere Ministros.

XXX Ne quis existimet nos lucrum per exactiorem Ordinum Collationem aucupari, aut quærere, Sanctis Synodis obsequentes pro Collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, sive pro Literis Dimissoriis aut Testimouialibus, sive pro sigillo aut alia quacumque de causa, etiam sponrè oblatum, non licere nobis, sive Ministris nostris quidquam quovis prætextu accipere declaramus. *Conc.* RHEM. *Stat.* 16. *ann.* 1564.

XXXI. Cùm nullus debeat ordinari qui, judicio sui Episcopi, non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; Syn. vestigiis *Can. 6. Conc.* CALCED. inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur Sedibus. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. Cap. 16.

XXXII. Cùm indistinctè loquatur *Conc.* & præterea innovet *Cononem Conc.* CALCED. de omnibus Ordinibus intelligendum est. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1624. ad Tonsuram extendit.

Ex collectis patet inter Requisita ad Ordines, quædam esse Juris Naturalis vel Divini, quæ non subsunt Dispensationi, ut boni mores, scientia sufficiens, prudentia: alia Juris merè Ecclesiastici, atque ideò Dispensationi obnoxia urgeute necessitate, vel evidenti Ecclesiæ utilitate id postulante.

§. IV.

Requisita peculiariter in promovendis ab Ordinibus Minoribus ad Majores. Hujus peculiaritatis causa patebit ex Canonibus colligendis, ostensuris Majores Majora requirere.

I. Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis, à sua infantia ante pubertatis annos baptisari, & Lectorum debet Ministerio sociari, qui ab accessu adolescentiæ usque ad trigesimum ætatis annum si probabiliter vixerit, Acolitus & Subdiaconus esse debebit, post quæ ad Diaconici gradum si se ipse primitùs, continentia præeunte, dignum probavit, accedat, ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministraverit, congruè Presbyterium consequetur, & exinde post decennium Episcopalem Cathedram poterit adipisci; si tamen per hæc tempora integritas vitæ, ac fides ejus fuerit approbata. SIRICII DECR. Cap. 9. *Idem* INNOC. I. *in Epist.* 23. *ad Syn.* TOLETAN. *Cap.* 5. Adjiciens, vel si majores sunt, cùm fuerint gratiam Dei consecuti, statim se Ecclesiasticis Ordinibus mancipaverint.

II. Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. INNOCEN. I. DECRET. Cap. 14.

III. Ita sanè ut in eos Laïcos ad Clericatum altiùsve promovendos tempora à majoribus constituta serventur, nec citò quilibet Lector, citò Acolytus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat; quia in Minoribus Officiis, si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium postea emersis stipendiorum meritis, veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere. *Ibid.* Cap. 32.

IV. Ne quis penitùs contra Canonum Præcepta, qui Ecclesiasticis Disciplinis imbutus, per ordinem non fuisset, & temporis approbatione Divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad Summum Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumeret, & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verùm etiam in Ordinatores ejus, ut carerent eo Ordine, quem, sine ordine, contra Præcepta Patrum crediderant præsumendum. ZOZIM. DECR. I.

V. Si Officia sæcularia Principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis temporibus deferunt: Quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in Cœlesti Militia, quæ propensiùs ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus explorandum, statim Dux esse desideret, cùm tiro ante non fuerit, & priùs velit docere quam discere. *Ibid.*

VI. Adsuescat in Dominicis castris, in Lectorum primitùs gradu, rudimenta servitii, nec illi vile sit Exorcistam, Acolytum, Subdiaconum, Diaconum per Ordinem fieri, nec hæc saltu, sed statutis Majorum Ordinationi temporibus. Jam verò ad Presbyteri fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testentur. *Ibid.* Cap. 2.

VII. Si ab infantia Ecclesiasticis Ministetiis nomen dederit inter Lectores, usque ad vigesimum ætatis annum coutinuata observatione perduret; si major jam, & grandævus accesserit, ita tamen ut post Baptismum statim se Divinæ Militiæ desideret mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas, quinquennio teneatur; exinde Acolytus, vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad Benedictionem Diaconatûs, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit; exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus, datia propriæ fidei documentis, ad Presbyterii Sacerdotium poterit promoveri; de quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita produxerit, Summum Pontificatum sperare debebit. *Ibid.* Cap. 3.

VIII. Debet ante esse Discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omuis vitæ institutio hac ad id quo tendit se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, Præceptor esse nnn potest Literarum: qui non per singula creverit, ad emeritum stipendii ordinem non potest pervenire: Solum Sacerdotium inter ista, rogo, vilius est, quod faciliùs tribuitur, cùm difficiliùs impleatur? CÆLEST. DECR. Cap. 16.

IX. Urgente necessitate Monachus continuò Lector, vel Notarius, vel Deffensor effectus, post tres menses existat Acolytus; maximè si huic ætas etiam suffragatur, sexto mense Subdiaconi nomen accipiat; ac si modestæ conversationis, honestæque voluntatis existit, nono mense sit Diaconus, completoque anno sit Presbyter; cui tamen, quod annorum fuerant interstitia collatura, Sancti propositi spontè suscepta doceatur præstitisse devotio. GELAS. DECRET. Cap. 2. Quorum (Laïcorum) promotionibus sex menses nihilominus subrogamus. *Ibid. Cap.* 3. pro qualibet promotione, idque quia majori egebant probatione, proindeque longiori interstitio seu stipendio.

X. Me-

X. Meritò Sanctorum Patram venerabiles Sanctiones, cùm de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos Sacris Administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas, à pueribus exordiis usque ad provectiores annos, per Disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita præberet, nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. S. Leo *Epist.* 1. Cap. 4.

XI. Quamvis inculpati quisquam sit meriti antequam Sacerdos ordinetur, per distinctos Ordines Ecclesiasticis exerceatur Officiis, videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, ut postea non debeat errare qui eligitur, sed viam salutis errantibus demonstrare. S. Grego. Lib. VII. *Epist.* 111.

XII. Cùm scriptum sit, *ut priùs quis probetur, & sic Ministret*; multò ampliùs ante probandus est, qui Populi Intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ Populi Sacerdotes mali. Ordinatè ad Ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. *Ibid.*

XIII. Ex Laico ad gradum Sacerdotii nemo veniat, nisi priùs anno integro in Officio Lectorum vel Diaconatùs Disciplinam Ecclesiasticam discat; & sic per singulos gradus eruditus ad Sacerdotium veniat; nam satis reprehensibile est, ut qui non didicit, jam docere præsumat, dum & antiquis hoc Patrum Institutionibus interdictum sit. *Conc.* Brac. I. Cap. 20. *ann* 561.

XIV Eligere Episcopos dignos Domino, item Presbyteros & Diaconos viros pios, justos, mansuetos, non cupidos habendi, veraces, probatos, Sanctos, liberos à vitio acceptionis personæ, idoneos ad docendum verbum pietatis, & qui Domini dogmata rectè tractent. *Constitut.* Apost. Cap. 7. & 32.

XV. Nullus Dignitatis Ecclesiasticæ percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel Canticorum usualium & Hymnorum, sive baptisandi perfectè noverit supplementum. Absurdum siquidem est, eos, qui cæteros simpliciores & Laicos habent docere (quibus & Disciplinæ, & vitæ debent esse veluti quoddam speculum) Legem Dei ignorare. *Conc.* Tolet. VIII. *ann.* 653. Cap. 8.

XVI. Qui ad Ordines promoveri volunt habeant Beneficium ad alimonium sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum & juratorum. *Statut. Eccl.* Rhem. *per* Sonnatium. *Cap.* 12. Sub Dagoberto Conc. Tom. VI. *p.* 1694. Hac voce *Beneficium*, tunc intelligebatur fundus ad usumfructum gratiosè datus. Sine Titulo Patrimoniali 100. Solid Turon. ad minus, vel competente Beneficio Ecclesiastico, sicut in Jure Canonico cautum est, ordinandus de cætero nullatenus admittatur. *Conc.* Biterr. Cap. 6. *ann.* 1233.

XVII. Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquiret eumdem, Ordinator a Collatione, Præsentator ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec Dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverint se suspensos. *Cap.* 45. *De Simon.* Hujus Autor Grego. IX. *ab ann.* 1227. *ad* 1241. Pontifex.

XVIII. Promovendi habeant Beneficium, seu Patrimonium, vel Titulum verum & non fictum à suis parentibus & propinquis sine fraude, in quo si quis suos datores aut promotores circumvenerit suorum sint Ordinum executione suspensi. *Conc.* Rothom. *ann.* 1445. *Cap.* 16. Ordinat quod de cætero non admittantur aliqui ad Sacros Ordines, nisi sint instructi expressè in Articulis fidei, Præceptis Decalogi, Sacramentis Ecclesiæ, & quod sciant distinguere inter peccata & peccata, & opera misericordiæ, corporalia & spiritualia, & alia, prout convenit tanto Ordini, præsertim Sæculares Beneficiorum Curatorum capaces. *Idem. Conc.* Rothom. Cap. 8. *ann.* 1445.

XIX. Agri Dominici cultura non est indignis Operariis committenda; sed illi dumtaxat conducendi sunt in Domo Domini, qui secundùm Apostolum sciant quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, & inter lepram & lepram discernere noverint. Ideoque Sacro approbante *Concilio*, statuimus nullum ad Sacros Ordines de cætero promovendum, nisi sciat Latinaliter loqui. *Conc.* Tolet. *ann.* 1473. *Cap.* 3. Idem exegerat *Conc.* Tolet. *an.* 1339 Cap. 2. Litteraliter vel litteratè sciat loqui. *Constitut.* Nicos. *ann.* 1313. *n.* 6.

XX. Provehantur ad Ecclesiasticam Potestatem, qui plurimo tempore probantur, tàm verbo fidei, quàm rectæ conversationis exemplo. Et juxtà Excerpta Martini; Ut non liceat Populo electionem facere, sed judicium sit Episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent, si in sermone & fide & spirituali vita edoctus sit. *Can.* 8. *ex his qui relati sunt in Conc.* Tull. I. *ann.* 859 Hæc verba, *Excerpta* Martini, de *Collect.* Martini Brachar. intelliguntur.

XXI. Cùm Ordines Sacri, Sancto afflante Spiritu, sint ad augmentum gratiæ suscipientium illos maximè constituti; & ob hoc conferendi sint præcipuè viris scientia & vitæ sanctitate præditis. *Conc.* Ravenn. III. Cap. 1. *ann.* 1314.

XXII. Quoniam Dominus Ordinem Levitarum quorum locum obtinent Clerici voluit esse discretum à Populo, ut coram eo starent semper & audirent sapientiam ejus, & species Cœli est gloria Stellarum, & in antiquis est prudentia, cùm nemo eligat tirones, quos non constat esse prudentes; statuimus quod nullus ad Sacerdotium, nisi vigesimum quintum; ad Diaconatum, nisi vigesimum; ad Subdiaconatum, nisi decimum sextum annum ætatis attigerit. In præscribenda ætate Presbyteri & Diaconi *Conc.* conforme Clem. III. *De Ætate Præf.* non item in determinanda ætate Subdiaconi; exigit enim Clementina decimum octavum annum ad illum Ordinem; attamen dicendum non est *Concilium* in hoc derogatum voluisse citatæ Clementinæ, cùm in lucem edita non sit, nisi duobus annis & ampliùs post istud *Concilium*, cùm publicatæ à Joanne XXII. *ann.* 20. sui Pontificatùs, & promotus fuerit *ann.* 1316. 7. *Idus Augusti.*

XXIII. Ad Minores Ordines promovendi, bonum à Parocho & à Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò, qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat; ac Literas Testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 5. *an.* 1563. Eadem dixerat Reginaldus, *De Reform. Angl. ann.* 1556. Deca. VI. Præter ea, quæ publicationem faciendæ Ordinationis & temporis determinationem, quo ordinandus præsentari debeat Episcopo, eadem quoque habet *Conc.* Aquen. *ann.* 1585. Similia dixerat *Conc.* Colon. II. *ann.* 1549. Mediol. II. *a.* 4. *&* 5. ubi post exacta prædicta testimonia addit, *ut Episcopo constare possit an irreprehensibiles sint.*

XXIV. Hortatur Syn. omnes qui ad Subdiaconatûs, Diaconatûs, aut Presbyteratûs Ordines promovendi sunt, ut antequam accedant, de peccatis omnibus totius anteactæ vitæ generaliter confiteantur, ac spirituales aliquas exercitationes ab Episcopo præscribendas obeant &c. *Conc.* Mediol. *Conc.* Aquen. *ann.* 1585. *Conc.* Burdig. *ann.* 1624. Cap. 6. a. 4.

XXV. Quicumque de vestitu Ecclesiastico, de frequenti Sacramentorum usu, de Ecclesiasticis functioni-

bus, de vita & morum Disciplina Literas testificationis exhibiturus est, eas recenter datas; aut renovatas, confirmatasque afferat; ita scilicet, ut ne vetustiores sint duobus vel tribus mensibus ante Ordinationis diem: Si quis verò à domicilio suo diù abfuerit, quamobrem vetustiores testificationis Literæ accipi debeant, recentiores simul à quibus debeat afferat eo loco datas, obi proximè moratus est. Et si locus extra Diœcesim est, ab ejusdem loci Episcopo obsignatas, vel ejus autoritate commonitas. *Concil.* AQUEN. *an.* 1585. *De Sacram. Ordinis. Conc.* MEDIOL. *Conc* MEXIC. Quod non dentur, nisi ad unum Ordinem.

XXVI. Nulli ad Sacros Ordines, & maxime ad Sacerdotium promoveantur, nisi sint vita & moribus commendabiles, ac literatura, seu scienria sufficientes. *Conc.* ANDEG. *ann.* 1448. Cap. 2. *Concil.* NARB. *ann.* 1551. *Cap.* 5. in quo hæc leguntur: *Æquum est eum moribus clarum esse, cujus exemplo alii meliores fieri debeant.*

XXVII. Satiùs est promovendos ad Sacros Ordines, diù multùmque antea probare & explorare, quam de temerè admissis postea pudere, & pœnitere. Quapropter Sanctarum Synodorum vestigiis inhærendo, cunahuntur Episcopi suos Clericos gradatim, omni adhibita cautione, ordinare. *Conc.* RHEM. *Statut.* 8. *ann.* 1564.

XXVIII. Unusquisque qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoria Consecrationem accipiat, quàm placiti innodatione promittat, ut Fidem Catholicam sincera cordis devotione custodiens, justè & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus suis, Canonicis Regulis contradicat. *Conc.* TOLET. XI. Cap. 10. *ann.* 675.

Hac ex Collectione infertur, quod prout par est ad Superiores Ordines, habita ratione illorum Dignitatis, requiritur major Ætas, Pietas, Scientia, Probatio, Cautela, in Dimissoriis concedendis, & Ordinibus conferendis, præterea Titulus Clericalis, publicatio Ordinationis, ut impedimenta detegantur.

§. V.

Canones Ordinationum formam, vel medum proximè præcedentem, vel comitantem, vel subsequentem, respicientes.

I. Quod ipsum videmus, de Divina autoritate descendere, ut Sacerdos, Plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio & testimonio comprobetur, ut Plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit Ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata, id etiam in Diaconorum Ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus. S. CYPRIAN. *ad Clerum & Plebes in Hispania consistentes.*

II. De iis, qui ordinandi sunt, hæc erit forma, ut quidquid est Sacerdotalis Ordinis consentiat, & eligat, & tunc Episcopus approbet, vel certè ordinet in media Ecclesia, assentiente ipsi Sacerdotali Ordine, præsente Populo, & Episcopo interrogante, *an etiam ferre ei possit populus testimonium.* Ordinatio autem non fiat clanculum, Ecclesia enim pacem habente decet, præsentibus Sanctis, Ordinationes pro Ecclesiis fieri. THEOPH. ALEXAND. Cap. 6. CONC. TOM. II. *p.* 1800.

III. Ordinandorum Parochus, aut alter cui magis expedire videbitur, committatur, qui nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri per tres Dies Dominicos aut Festivos, publice in Ecclesia proclamatis, sicut fit in Matrimoniis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis inquirat; & Literas Testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. Cap. 5. *ann.* 1563. *Conc.* RHEM. *ann.* 1564. *Statut.* 14. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Conc.* TURON. *ann.* 1583. Quod de numero publicationum additum est à *Conciliis* Provinc. *Conc.* TRID. subjunctis. Idem habent *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *Conc.* MEXICAN. *an.* 1585. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Conc.* TURON. vetat ne fiat Proclamatio, si verisimilis sit suspicio malevolos homines Clericos innoxios ab Ordinum susceptione velle deterrere.

IV. Eadem cautela præcipitur à *Concil.* COLON. II. MEDIOL. II. *n.* 4. quod etiam loquitur de trina proclamatione facienda: Hoc autem *Concilium* anno 1549. celebratum. Unde sequitur præfatam Disciplinam institutam antequam quidpiam de ea præciperet *Conc.* TRID. Unde fit ut sicuti publicationes Matrimonii ortum habuere à Gallia, ita proclamationes Ordinationis a Germania.

V. *Conc.* BURDIGAL. loquens de loco Ordinationis hæc notanda habet: „ Quod autem ordinatis in „ ipsa eorum Ordinatione multum proderit & memi-„ nisse juvabit, se quasi intra Cœlestes Choros fuisse „ constitutos, ut hinc aspirent ad eam puritatem, quæ „ à Ministris Ecclesiæ Dei expectatur „.

VI. Ordinationes Sacrorum Ordinum, statutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, etiam ad majus Altare, & inter Missarum solemnia celebrentur; si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior quantùm fieri poterit Ecclesia semper adeatur. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. Cap. 8. *ann.* 1563. BITUR. *ann.* 1584. *Conc.* ROTH. *ann.* 158. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *Conc.* AQUEN. 1585. *Conc.* AQUIL. T. 11. *Conc.* MECLIN. T. 9. Cap. 3. *ann.* 1007. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1624. Cap. 6. *n.* 8. *Conc.* MEDIOL. IV. Cap. 13. *ann.* 1576. *Conc.* RHEM. *ann.* 1564. *Statut.* 14.

Quæ ad ritus Ordinationum spectant colliguntur dùm *de Sacramento Ordinis.* Quoad illa quæ subsequuntur Ordinationem, legenda allocutio Episcopi in fine Ordinationis, quâ monet Ordinatos de officio, & imponit Psalmos Pœnitentiales, vel nocturnum dici, vel Missas tres dicendas.

Impedimenta ad Ordines etiam nunc recepta.

Ac ut ab initiis exordientes, quascumque priùs personas ineptas, & à Sacris alienas secludamus; hinc ad singulos gradus progressuri declaramus in primis quoscumque Sacramento Chrysmatis non confirmatos, rudes & ignaros, criminosos, solemniter pœnitentes, neophytos, ebrietati & gulæ deditos, impudicos, lapsos post Ordinem susceptum, perjuros, usurarios manifestos, infames, ratiociniis obligatos, servos, corpore vitiatos, insigniter deformes, illegitimè natos, peregrinos & ignotos, bigamos, irregulares, quovis modo suspensos, interdictos, excommunicatos, dementes, morbo caduco laborantes, energumenos, ab Ordinationibus Cleri longè arcendos, salva tamen Episcoporum potestate in casibus à jure permissis dispensandi. *Concil.* BURDIG. Cap. 6. *n.* 2. *ann.* 1624.

Præcipui Canones cujusque sæculi circa Titulum Clericalem seu Ordinationis.

Inter collectos Canones circa Requisita ad Ordines, nonnulli de Titulo Clericali meminerunt, insufficientes omninò ad docendum quæcumque de illo nosse necesse est; ut ergo hæc non ignorentur, adjiciendos alios de illo agentes duximus, atque ad hos seligendos cujusque sæculi notabiliores, præsertim qui praxim hodiernam stabiliunt, aut confirmant, aut illustrant: Hinc quodammodo texetur Historia Ecclesiasticæ Disciplinæ circa hunc Articulum ex monumentis authenticis, ostendeturque inter cæteraTitulum Clericalem, qui aliàs fuit unicus, nempe Ecclesiæ, cui ordinandus, addicebatur, in ea perpetuò serviturus, factum multiplicem, nempè Beneficii, Patrimonii, paupertatis, mutatumque illius finem, quæ omnia

omnia explicabuntur, subjunctis notis cuique Canoni illis indigenti, vel io fine Collectionis in consecutionibus inde eliciendis, ac insimul conjungendis.

I. De fermento verò, quod die Dominica per Titulos mittimus superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ sint intra Urbem constitutæ. INNOC. I. *Decret.* Cap. 5.

Ecclesiæ Titulorum nomine insigniuntur, eoque nomine etiam extra Romam intelligebantur, cùm INNOC. hic respondeat Episcopo EUGUBINO. Is sciens, quod Pontifex Romanus Eucharistiam miserit Presbyteris proximè sibi subditis, interrogaverat INNOCENTIUM *an idem sibi facere liceret*; respondet INNOCENTIUS *suos Presbyteros intra Urbem constitutos, ac propter creditam Plebem secùm Sacrificio adesse non posse, ideoque, ne viderentur à sua Communione separari, se ad illos Eucharistiam mittere, Presbyteros verò Episcopo* EUGUBINO *proximè subjectos extra Eugubium manere, ideoque ad illos non mittendam Eucharistiam, cùm longè non sint portanda Sacramenta, atque etiam Presbyteri extra Urbem constituti jus faciendi sacrum habeant.*

II. Quod non oporteat in villulis, aut in agris, Episcopos constitui Visitatores, (seu Circuitores) *Conc.* LAODIC. *Cap.* 57. longè ante finem sæculi IV. certissimè celebr. non enim serius collocatur quàm *anno* 364. Hinc patet versus medium sæculi IV. jam determinatos locos, quibus alligarentur, qui ad Dignitates Ecclesiasticas promoverentur, undè sequitur Disciplinam, quæ certis Ecclesiis inerat, antea institutam, illam enim jam firmam supponit hujusmodi distinctio.

III. Nullum absolutè ordinari debere Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiæ Civitatis, aut Possessionis, aut Martyrii, aut Monasterii, qui ordinandus est pronuncietur: qui verò absolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare, ad ordinantis injuriam. *Conc.* CALCED. Cap. 6. *ann.* 451. DIONIS. *Interprete.*

Vox *Possessionis* ansam præbuit distinguendi duplicem Titulum Clericalem, nempe Beneficium & Patrimonium. Qui exindè distinctionem hanc commenti sunt, non adverterunt verbum Græcum, quod DIONISIUS *Possessionem* vertit, significare vicum, & *Possessionem* pro *vico* accipere DIONISIUM, sensumque esse, ordinandum, qui Ecclesiæ Civitatis non alligatur, debere alligari Ecclesiæ vici, aliive simili, *id est* si non majori, saltem minori.

Legèm scriptam circa Titulum Clericalem habemus nullam, quæ sit Canone illo antiquior; sed quod præcipit, jam Consuetudine introductum fuisse constat exemplis tùm PAULINI, qui dum in Ecclesia BARCINONENSI ordinaretur, petiit, ne huic Ecclesiæ neve alii Ecclesiæ addiceretur, tùm HIERONYMI, tùm PAULIANI Fratris ejus, similes gratias postulantium. Idem ostendunt *Conc.* ARELAT. *an.* 314. Cap. 21. *Conc.* NICÆN. Cap. 15. *Conc.* ANTIOCHEN. *Cap.* 3. vetantia Translationes, nedum Episcoporum, sed etiam Presbyteri, ac Diaconorum; fundantur enim in eo quod Ecclesiæ alligati erant, cui deserviendæ ordinati fuerant.

IV. Nec illum quisquam ordinet, qui localem se futurum primitùs non spoponderit: Ut per hoc nullus à Regula, vel Disciplina Ecclesiastica, deviare permittatur impunè. *Conc.* VALENT. *in Hispania.* Cap. 6. *ann.* 524. Hinc patet in Hispania tunc extitisse, qui à *Canone* CALCED. eximi volebant, eorumque voluntati tanquam iniquæ *Concilium* restitisse.

V. Si quos qualibet occasione à Clericatu in Monasticam conversionem venire contigerit, non liceat eis ad eamdem, vel aliam, quarum milites fuerant, sua voluntate remeare, nisi talis vitæ fuerit Monachus, ut Episcopus, cui ante militaverit Sacerdotio dignum prævideriit, ut ab eo debeat eligi, & in loco quo judicaverit ordinari. S. GREG. LIB. I. *Epist.* 40. Supponit Pont. Max. quemvis Clericum alicui Ecclesiæ alligatum, docetque Professione Monastica vinculum illud relaxari, seu, ut nunc loquimur, Beneficium vacare ob tacitam quam includit renunciationem; docet etiam idem Papa Clericum Monachum non ordinandum Presbyterum absque Titulo.

VI. Qui ad Ordines promoveri volunt, habeant Beneficium ad alimonium sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum, & juratorum. *Statuta Eccles. Rom. per Dominum* SONNATIUM *ante medium septimi Sæculi.* Sunt qui propter quædam vocabula, quæ videntur hoc ævo paulo minùs antiqua, inferant illorum Statutorum SONNATIUM Autorem non esse. Qui aliud sentiunt, respondent *quasdam voces immutatas ut faciliùs Statuta intelligerentur.*

VII. Dictum est de quibusdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi sunt jurare cogant, quod obedientes sint Ecclesiæ in qua ordinantur. *Conc.* CABILON. II. *Can.* 13. *ann.* 813.

VIII. In eadem Synodo (CALCEDON.) ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronuntiatione, & stabilitate loci ad quem ordinatur. *Capitul.* CAROL. MAGNI *ann.* 789. *Cap.* 24. *Capitul.* TOM. I. *p.* 223. Caput hoc referens REGIN. LIB. I. *Cap.* 387. posteriorem Partem sic legit: *Sine pronuntiatione stabilitatis loci ad quem ordinatur.* Eodem modo habetur LIB. I. *n.* 25. utravis lectio rectè explicat *Can.* CALCED. docetque germanum illius sensum esse, nullum ordinandum quin promittat se determinatæ Ecclesiæ deserviturum, illamque Ecclesiam non relicturum.

IX. Ut non absolutè ordinentur. *Capitul.* CAROLI MAGNI *ann.* 794. *n.* 26. Idem reperit in *Capitulari* 1. *anni incerti n.* 11. his verbis: *Ut nullus absolutè ordinetur.* Idem quoque habes in *Append.* 1. LIB. IV. *n.* 12. quod non oporteat absolutè quoslibet ordinare.

X. Clericum permanere oportet in Ecclesia, cui in initio ab Episcopo prætitulatus est, ac sortitus est, ad quam confugit quasi ad potiorem, hoc autem refutantes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua ordinatus est. *Capitul.* LIB. I. *Capitul. n.* 28. ISAAC. LINGON *Tit.* 10. Cap. 1. & ISAAC. *Cap.* 2 Ut Presbyteri, qui in Titulis consecrantur, secundùm Canones antequam ordinentur promissionem stabilitatis loci illius faciant. *Ibid. n.* 12. & ISAAC. Cap. 3.

XI. Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundùm meritum, vel reditum Ecclesiarum. LIB. VI. *Capit.* C. 127. . . 2. *Cap.* 27. Insinuatur hic Clericos alicui Ecclesiæ in sua Ordinatione alligatos ex cujus reditu sustentandi sunt. Qui verò ex nostris Parochiis, aut ad Titulum, aut absolutè ordinati petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in Clero certo, aut Religioso, vel etiam in Civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita & conversatione, atque doctrina illorum certitudo possit agnosci, & nemo absolutè quemquam ordinare præsumat, Sancti Canones sanxerunt. *Conc.* MELD. Cap. 52. *an.* 845.

Favet hic Canon Ordinationi ratione domicilii.

XII. Ut qui proprium Titulum non habet, præter illos qui in Monasteriis conversantur, in nostra Parochia vel extra licentiam ministrandi non præsumat. *Capitula* GUILLEBERTI. *Episcopi. de Interdict.* Cap. 2. *Capitularum* TOM. II. *p.* 1377. BALUS. suspicatur eumdem esse ac GUILLEBERTI, qui suscripsit *Capitular.* CAROLI CALVI *ann.* 877. . . . Plura Canon hic docet: 1. Absque Titulo Monachos tunc, sicuti & nunc, licitè ordinatos fuisse: 2. Extitisse etiam Clericos, qui sine Titulo ordinarentur: 3. Eamque Clericorum Ordinationem ita illicitam fuisse, ut GUILLEBERTUS non pateretur Clericos eo modo ordinatos in Diœcesi sua ministrare, nisi data à se venia, nec in hoc suos ab alienis Clericos distinguere. Huc pertinet *Cap.* 14. *Statutorum Syn. apud* RAVENNAM *ann.* 877. jubens ut qui Presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet Ecclesiæ in qua Domino serviens jugiter perseveret. CONC. TOM. IX. *p.* 302.

XIII. Si sit de eadem Parochia, inquirendum est à quo Episcopo fuerit Ordinatus, vel ad quem locum

prætitulatus REGIN. LIB. I. *p.*318. desumitur è formula inquisitionis faciendæ ab iis, qui Diœceses perlustrant. Scripsit Collectionem suam REGIN. *ann.* 1306. ostenditque juste inquiri sub quo Titulo quis ordinatus sit duobus Canonibus relatis *Cap.* 386. 387.

XIV. Postquam antiphonam ad introitum dixerint data oratione, annuat Pontifex in populum dicens: „ Auxiliante Domino & Salvatore JESU CHRISTO „ eligimus in Ordinem Diaconi, sive Presbyterii, illum „ Subdiaconum, sive Diaconum de Titulo Si quis „ habet aliquid contra hos viros pro Deo & propter „ Deum, cum fiducia exeat & dicat; veruntamen memot sit communionis suæ „. *Ex Pontif.* EGBER. EBORAC. 900. *annis antiquiore Ord. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus.* Cap. 1.

XV. Postquam antiphonam & introitum dixerint data oratione, dicat Archidiaconus: *Postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Subdiaconum ad onus Diaconi, vel Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis.* Interroget Episcopus: *Scis illum esse dignum ad hujus onus Officii?* Respondeat Archidiaconus, *Quantum humana fragilitas nosce sinit, & scio & testificor ipsum dignum esse ad hujus onus Officii.* Postea admonet Populum Pontifex dicens: *Auxiliante* &c. *Ex M S. Pontific. Anglic. Monasterii* GEMENTIC. *ann.* 900. *Ord.* 3. *ibid.*

XVI. Si Presbyter Ecclesiam sponte sua deseruerit in quam ordinatus est. Id idem emendatæ *Leges Presbyter.* NORTUMBRENS. Cap. 28. *sæculo* X.

XVII. Sanctorum Canonum Statutis consona sentientes decernimus, ut sine Titulo facta Ordinatio irrita habeatur. URBAN. II. *in Syn.* PLACENT. *Can* 15. *ann.* 1095. Pœna, quam subjicit URBANUS Legi suæ, palam fit, se innovare Canonem CALCEDONENSEM; ex iis enim, qui huc usque collecti sunt, solus est, qui irritam fecerit Ordinationem absolutam. Aliorum etiam plerique citant referuntque potius CALCEDON. *Legem*, quàm novas condunt.

XVIII. Ut omnis Clericus ad eum Titulum ad quem primitùs ordinatus est semper ordinetur. *Conc.* CLAROMONT. ad hoc circiter tempus *ann* 1095. *Cap.* 13. pertinere videtur. Cap. 28 *Ex Canonib.* ÆLFRICI ad VULFINUM *Episcopum*: Verisimile enim est VULFINUM istum eumdem esse ac illum, qui *Concilio* WESTMONASTERIENSI adfuit *an.* 1066. cùm alium non inveniamus Episcopum Anglum ejus nomine, qui undecimo sæculo, in quo illos refert LABBÆUS, vixerit.

XIX. Is autem *Can.* sic se habet: „ Nullus itemque „ Presbyter, ex quacumque lucri vel cupiditatis causa, ab una Ecclesia ad aliam transeat, ad mortem „ usque in eadem hæreat cui primitùs ordinatus fuit „. Ostenditque Presbyteros dum ordinarentur Ecclesiæ cuidam alligatos fuisse.

XX. Non licet ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nulla alimonia præstare, sed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis unde vivere possint. *Cap.* 2. *De Præben.*

In inscriptione dicitur desumi ex Corpore Canonum; at Collectionem Canonum nullam adhuc vidimus, quæ habeat hunc Textum; nescimus ergo de quo Corpore Canonum hic sermo fiat. Observat PITHÆ. hunc Textum peti ex *Nov.* JULIANI 5. & 2. Idem jam notaverat ANT. AUGUST. quæ observatio lucem præit ad interpretandas has *Cit. p.* 5. quæ leguntur in antiqua Collectione ante ista verba *ex Novell.* indicatque significare illum Textum esse *Partem* V. *Novell* JULIANI. Quod habet hic *Julianus* sumpsisse dicitur ex *Novell.* 3. JUSTINIANI *Cap.* 2. in quo prohibet ne ultra numerum à se præfinitum in Ecclesia *Constantinop.* aliisve, aliquis ordinaretur, tùm quia iniquum videretur, ut quis suis stipendiis militare cogeretur, tùm quia futurum esset ut positæ Legi fraus fieret; idque ita interpretatus Julianus, aut non ordinandi Clerici, aut si ordinentur, ordinaria præstanda sunt alimonia. Hinc patet Textum hunc Ordinationes absolutas non respicere illius fonte, at illas certè respicit ex mente tùm Autoris primæ Collectionis, & ALEX. III. qui illam probavit, tum ex mente RAIMUNDI DE PEGNAFORT. & GREGORII IX. cujus jussu quam citavimus Collectionem fecit, perindeque pertinet ad sæculum VI. quo vixit JUSTINIANUS, non ad sæcula XII. & XIII. quibus cæteræ Collectiones citatæ factæ sunt. Vid. GONZALEM *in* Cap. 2. *De Præb.*

XXI. Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum Titulum ordinetur; qui verò absolutè ordinatus fuerit sumpta careat Dignitate. *Cap.* 8. *Conc.* LONDIN. *ann.* 1125.

XXII Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia Clericalis militiæ assignet: Nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. *Conc.* LATER. *sub* ALEX. III. Cap. 5. *ann.* 1179. CONC. TOM. X. *p.* 1511. *refertur etiam.* Cap. 4. *De Præb.*

Conc. staturæ jam pœnæ mentionem non facit, nempe ut irrita esset Ordinatio, & pœna, quam fert, illi non adversatur, ita ut utraque simul stare possit: Hinc fit ut existimandi sit locus *Concilium* noluisse priorem pœnam abrogare; sanè ita illud interpretatus videtur INNOC. III. Cap. 16. *De Præb.* de quo postea. In eo enim supponit pœnam hanc eo tempore, quo scribebat, adhuc viguisse, cùm abrogationem sibi ipsi adscribat. De Subdiacono etiam silet *Conc.* idque fortè quia nondum in illo vim suam plenè habebat Lex irritum faciens Clericorum in Sacris constitutorum Matrimonium.

XXIII. Illud etiam juxtà tenorem LATER. *Conc.* firmiter observari præcipimus, ut si Episcopus aliquem sine certo Titulo in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei subministret, donec ei in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet, nisi fortè, qui ordinatur, talis extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidia vitæ habeat. *Conc.* LONDIN. Cap. 6. *ann.* 1200. In eo quod hactenus retulimus hoc unum præstat *Conc.* ut Decretum *Concilii* LATER. executioni mandetur. Postea duo adjicit: 1. Decretum illud ad Subdiaconatum extendit: 2. Archidiaconum prædictos Clericos sine Titulo ad Ordines præsentantem eidem, cui subest Episcopos, illos conferens submittit. Idem in Subdiaconi Ordinatione statuimus, adjungentes, ut si Archidiaconus citra speciale Mandatum Episcopi sui aliquem prædictorum Ordinationi præsentaverit, & is ad ejus præsentationem ordinatus fuerit, prædictæ pœnæ subjaceat.

XXIV. Cùm secundùm Apostolum, *Qui servit Altari vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur repelli non debeat à mercede*, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio JESU CHRISTI cujus obsequio deputantur. Licèt autem Prædecessores nostri Ordinationes eorum, qui sine Titulo promoventur, irritas esse voluerint & inanes, nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiu per Ordinatores vel Successores eorum providere volumus, donec per eos Ecclesiastica Beneficia consequantur. INNOC. III. ZAMOR. *Episcopo circa annum* 1210. Loquitur Pontifex ac si ipse primus statueret pœnam latam à *Conc.* LATER. citato; hoc autem facit, quia pœnam hanc antiquam primus subrogat, & ad Successores extendit, idenque novum quid circa illam constituit. Sunt & alia in eodem Canone notanda; nam in priori ipsius parte, fundamentum pœnæ prædictæ, necnon & extensionis illius indigitatur, cum nemo ordinandus sit, nisi ut Altari serviat, & ex eo quod quis ei servit, jus habeat petendæ sustentationis ab eo, cujus est huic servitio providere, quique alius non est quàm Episcopus.

XXV. Quidam Clerici desperantes ordinari ab Episcopis suis, vel ob imperitiam, vel ob defectum Tituli, extra Provinciam suam etiam à transmarinis Episcopis ordinantur. *Conc.* LONDON. *an.* 1175. Cap. 5.

XXVI.

XXVI. Nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ab Superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare. INNOC. III. Cap. 57. *De Simonia.* Loquitur de promoto ad Subdiaconatum cum Titulo Simoniaco.

XXVII. Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab eo recipiens, quòd super provisione sua non inquiret eumdem, Ordinator à Collatione, Præsentator ab executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec Dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos. *Cap.* 45. *De Simon.* Hujus Autor GREG. IX. *ab ann.* 1227. *ad ann.* 1241. Pontifex. Cùm provideri possit sustentationi alicujus, nedum Collatione Beneficii, sed etiam & pensione, de utravis usurpata in hoc Capitulo ista vox *Provisio* intelligi potest: pœna lata à GREG. est sententiæ latæ, verba hæc, *Noverint se suspensos*, id demonstrant.

Circa Simoniam ratione Tituli Clericalis antiquius nihil habemus quàm Caput antea proximè relatum & ex INNOC. III. desumptum.

XXVIII. Caveant ad Sacros Ordines promovendi, ut Titulum habeant sufficientem, sine quo omnibus ad Sacros Ordines accedere interdicimus facultatem. Alioquin ipsos tanquam furtivè promotos decrevimus reputandos, eo quod intentionis nostræ non est, aliquos aliter ordinare. *Synod.* EXONIE. *an.* 1287. Cap. 8.

XXIX. Sine Titulo Patrimoniali centum solidorum Turonensium ad minus, vel Ecclesiastico Beneficio competenti, sicut in Jure Canonico cautum est, Ordinandus de cætero nullatenus admittatur. *Conc.* BITERR. Cap. 6. *ann.* 1233. Loquitur tantùm de Sacris Ordinibus, ut patet his verbis *Sacrorum Ordinum Dignitatem*, quæ leguntur in Priori Canonis Parte. In eo quod habet de Titulo Patrimoniali, duo sunt nova, ipsa locutio, & determinatio valoris: primus videtur esse qui illam fecerit.

XXX. Si Episcopus, cui nullis personis designatis in genere commisisti, ut vice tuâ in tua Diœcesi (quod locum frequenter habet in Episcopis vices gerentibus vel Suffraganeis) ad Ordines Sacros promoverit quempiam Titulum non habentem; ei (cùm in culpa fuerit, taliter ordinando eumdem) tenebitur vitæ necessaria ministrare, donec sibi per eum vel alium de competenti Beneficio sit provisum. Si verò certas commisisti eidem ordinare personas, ut fieri solet per Literas Dimissorias, tu (qui prævidere hoc casu debuisti, an haberent Titulum) taliter ordinato ad prædicta, donec per se Beneficiatus fuerit, obligatus existis. Idem si alicui licentiam dederis à quocumque voluerit Ordines suscipiendi. *Cap.* 37. *De Præb. in* 6. BONIF. VIII. *ab ann.* 1294. *ad ann.* 1303. *Pontifex.* His verbis *per se*, addenda *vel per alium*, quia Beneficium undecumque profectum tollit paupertatem, quæ illum Ordinarium obligat, ut Beneficium conferat.

XXXI. Qui etiam Titulum habent de promovendo ad Sacros Ordines in re certa, & Literam ad hoc illius Domini vel Dominæ, firmam & stabilem, qui vel quæ sibi Titulum assignavit, multi enim victum promittunt pariter & vestitum de novo accedentibus ad Ordines, & postea cùm Ordinati repetunt reddere contradicunt, & oportet eos in vituperium Dei & Ordinis quem acceperunt sub eorum confidentia vilissimè ut est notorium mendicare. *Constitut.* NICOSIAN. XIII. *n.* 9.

XXXII. Non admittatur quisquam, nisi sufficiens habens Beneficium pro sustentatione competenti: qui portaverint Literas de Patrimonio, jurent ordinandi, & Testimonium sufficiens producant, quod talia cuncta bona, non sint eis à vivis adhuc donata; sed quod dantium ad ipsos excessione, vera hæreditaria devoluta, ut ipsorum sint propria, & libera, & non aliàs sub aliquo eis data sint colore, sed quod eisdem uti & gaudere debeant possint & velint, nec illa bona eadem dimittere, aut restituere teneantur, nec velint, quousque de Beneficio sufficienti, ut suprà, eis fuerit provisum; item præsentati per Pastores ad Vicarios Ecclesiarum Parochialium, nisi Ecclesiæ sint incorporatæ. *Ex MS. Pontificalis Ecclesiæ* MOGUNT. *annorum circiter* 400. LIB. 1. *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus ann.* 471.

Ex Ordinibus quos R. P. MARCINUS edit antiquior nullus, qui de Titulo Patrimoniali mentionem faciat quam mox citatus; quæ in eo Titulo requirit notatu digna sunt, postulat enim: 1. Quod bona quibus constat, à mortuo teneantur non à vivo, idque probent juramento & Testimonio, id est duobus aut tribus Testibus idoneis: 2. Quod libera sint, suoque nomine possideat ordinandus; non alieno: 3. Quod possit vel velit ea retinere, donec habeat Beneficium sufficiens. Notatu quoque dignum quod exigit ut Vicaria habeatur pro Titulo, nempè quod sit incorporata atque inter Beneficia recenseatur.

XXXIII. Nullus admittatur ordinandus vel promovendus ad Ordinem super Vicaria, (nisi sit perpetua) à qua non possit ad inordinatum placitum amoveri. *Conc.* SALTZBURG. Cap. 5. *ann.* 1410.

In margine notatur Parenthesim abesse à quibusdam MS. videtur etiam superflua, quia nihil dicit, quod in subsequentibus verbis non comprehendatur; perpetuum enim habendum est, quod sine justa causa tolli non potest. Finis quoque Canonis non postulat perpetuitatem absolutam sed, eam tantùm, quæ rationi congruit, nempe quod Titulus Clericalis conservari possit.

XXXIV. Cùm aliquis ordinatur ad Subdiaconatum habeat Titulum Patrimonii aut Beneficii. *Synod.* LINGON. *an.* 1404. Patrimonium Beneficio præponit, quia Titulus Patrimonialis communior erat quàm Titulus Beneficii.

XXXV. Ad celebrandos Sacros Ordines Episcopus indutus plenis Pontificalibus cum debito Ministro, & Ordine, Missam dicturus ad Altare procedat, & dicta prima Collecta, vocentur ordinandi hoc modo per se, vel per alium ad Titul. S. MARIÆ *de Domo*, Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolythi ordinandi procedant; & sic fit ad omnes gradus ordinandos. *MS. Pontif. Ecclef.* MOGUNT. *an circiter.* 400. *ideò versus quintum decimum Seculum collocandum.*

XXXVI. Ipsi promovendi habeant Beneficium, seu Patrimonium, vel Titulum verum, & non fictum à suis parentibus & propinquis sine fraude, in quo si qui suos datores aut promotores circumvenerint, suorum sint Ordinum executione suspensi. *Concil.* ROTHOM. Cap. 16. *ann.* 1445.

XXXVII. Non concedantur Dimissoriæ ad Sacros Ordines non Beneficiatis, nisi priùs fecerint fidem de Titulo Patrimoniali. *Conc.* BITUR. Cap. 20. *ann.* 1528.

XXXVIII. In grave Clericalis Ordinis scandalum ac dedecus videmus haud paucos Sacerdotes nudos ac mendicos. Prohibemus itaque, ne aliqui ad Sacrum Subdiaconatùs Ordinem assumantur, nisi sub Titulo Beneficii viginti Librarum Parisien. ad minus, vel Patrimonii similis valoris. Super quo diligens inquisitio fiat. Si Patrimonii Titulus ex cessione pervenerit, diligenter inquiratur, an aliqua fraus intercesserit, & uterque, cedens scilicet, & cessionarius, juret quod nulla fraus intervenerit .... Prohibemus ne ordinatus ad Tit. Patrimonii, eumdem vendat, vel alienet, sine permissione ordinantis, donec Beneficium aut Patrimonium prætaxati valoris fuerit assecutus. *Conc.* SENON. Cap. 4. *an.* 1524. Notandæ cautelæ ad fraudem præveniendum præceptæ. Item de valore Tit. quem adeò sufficientem duxit. *Synod.* PARIS. 29. abhinc annis duplum exegerit.

XXXIX. Literas Dimissorias concedere volens, de Beneficio aut Patrimonio priùs inquirat, & in Literis semper fiat expressa mentio de Beneficio vel Patrimonio. *Ibid.* Idem habet *Conc.* TOLOS. Cap. 7. *n.* 5. *an.* 1590. Idem quoque præceperat *Conc.* MEDIOL. III. Cap.

Cap. 10. *ann.* 1573. & etiam diligenter animadvertendum est, ne simulato, aut minùs sufficienti quisque Titulo promoveatur; qui postea in Ordinis Clericalis dedecus aut mendicare, aut quod maximè nefarium est Sacrosanctum Missæ Sacrificium quasi venale facere cogatur. REGINALD. POLUS, *De Reform. Angl.* DECR. VI. *ann.* 1556. Quod de timenda Missarum venalitate ex Ordinatione absoluta, quotidiana experientia confirmatur: si enim ordinatos cum Titulo paupertas cogit quandoque ut Missas quodammodo vendant, quid non timendum de iis qui sine Titulo ordinarentur?

In fine hujus Decreti nonnulla habet REGIN. unde inferre licet se postulasse Titulum ad Minores Ordines; ait enim in eis curam habendam omnium quæ dicta sunt, & in iis sermo factus est de Titulo.

XL. Neminem ad Sacros Ordines, nisi Titulo Beneficii debitè fundati, volumus admitti: quod si nonnulli Patrimonium sufficiens habeant, eos itidem admitti volumus, jurejurando primitùs præstito, quod Patrimonium illud non vendent, nec ullo alio modo alienabunt, donec Beneficium ejusdem valoris habeant, qui est 40. Libr. Paris., quod fraus omnis absfuerit. *Syn.* PARIS. *ann.* 1557.

XLI. „ Defendons à tous Prélats .... recevoir à „ l'Ordre de Prêtrise .... n'ayant aussi bien temporel „ ou Benefice suffisant pour se nourrir & entretenir, „ lequel revenu sera certifié sans fraude devant le Ju„ge ordinaire de la valeur de 50. liv. par an, au moins „ par quatre Bourgeois ou Habitans du lieu, solva„ bles, qui seront tenus fournir & faire valoir la som„ me. Avons déclaré le revenu inalienable, & non „ sujet à aucunes Obligations & Hypothéques créées „ depuis la promotion du Prêtre & durant sa vie „. *Ordin.* AUREL. *Art.* 12. *ann.* 1560.

„ L'Archevêque ou Evêque, qui contreviendra à „ cette Ordonnance sera nourrir à ses despens celui „ qu'il aura promu à l'Ordre de Prêtrise & sera con„ traint par saisie de son Temporel, jusqu'à-ce qu'il „ l'aura pourvu de Benefice competant „. *Ibid. Art.* 13. Ordinatio loquitur tantùm de promotione ad Presbyteratum, sub eo fortè nomine alios Sacros comprehendit.

XLII. Nemo ad Sacros Ordines in posterum promoveatur, qui ex Beneficii, Patrimonii, aut Pensionis fructibus seu emolumentis annuis non habeat ad minimum triginta Carolinos, qui Titulus erit in Registris Episcopi, & literis Ordinationum exprimendus. *Conc.* MECLIN. *De Ordin.* 3. *ann.* 1530. Possint nihilominus Episcopi ob Ecclesiæ necessitatem quosdam ætate & moribus idoneos, etiam sine Titulo, ad Sacros Ordines promovere, cum conditione tamen quod illis de congruo Titulo providebunt. *Ibi.* Cap. 5.

Quod de juramento de non alienando Titulo habetur *Cap.* 4. infra referetur dum colligetur Testim. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607.

XLIII. Tituli Subdiaconatum quærentium non recipiantur, nisi Decani ruralis, vel Officialis, vel utriusque Testimonio per Literas expresso comprobentur; sintque ut minimum quinque Librarum grossorum in singulos annos. *Conc.* CAMER. *an.* 1565. *Tit.* 7. Cap. 4.

XLIV. Ne Clerici cum Ordinis sui dedecore mendicare, aut sordidum quidpiam exercere cogantur; nullus juxtà Sanctorum Patrum Decreta ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem recipiatur, nisi priùs legitimè constet Beneficium Ecclesiasticum, & quidem non controversum, obtinere, quod postea resignare non poterit, nisi aliundè habeat, unde commode honesteque vivere possit; & ne in ea re fraus committatur, nullam resignationem admittant Episcopi, nisi priùs verè exploratum habuerint Beneficium quod resignandum proponitur, Tituli loco non esse. Ad Patrimonii vel Pensionis Titulum nullus admittatur, qui non sit utilis aut necessarius alicui Ecclesiæ aut pio loco; sed & priùs perspiciendum erit, an Patrimonium verè illud obtineat, & utrum ad vitam illius honestè sustentandam satis esse possit; id verò nullomodo alienare liceat, nisi priùs Beneficium obtineat, vel habeat unde vivere possit. *Conc.* TRID. SESS. XXI. Cap. 2. *ann.* 1562. *Conc.* TURON. *ann.* 214. *Conc.* BURDIGAL. *an.* 1583. *Conc.* AQUILEI. *an.* 1596. T. 11. *Conc.* RHEM. *an.* 1564. *Conc.* CAMERAC. *Tit.* 7. Cap. 4. *ann.* 1565.

Anteriora testimonia de Pensione locuta non sunt; novum ergo quod de illa habet Canon citatus. Idem dicendum de cautela ab eodem præcepta, ne quis Beneficium Ordinationis suæ Titulum illegitimè resignet. *Conc.* BURDIGAL. transcribit Decretum *Conc.* TRID. illud tamen expresse non laudat. Qui sub Titulo Beneficii ad Sacros Ordines promotus fuerit, huic nullomodo cedere queat (cætera ut in *Conc.* BURDIGAL. præterquam ista) aliàs cessio nulla ex *Conc.* TRID. DECR. censeatur.

XLV. Qui autem Titulum Beneficii promovendus non habuerit, habeat Patrimonium arbitrio Episcopi æstimandum, an illi sit satis ad vitam sustentandam; quod alienare nequeat, nisi aliunde suppetat victùs facultas, ac nisi consultus Episcopus consenserit. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *De Ordine.* *n.* 7.

Novum est quod dicit *Conc.* de determinatione valoris Patrimonii arbitrio Episcopi derelicta, ostenditque sensisse vim Legis non habere, quod hac de re habet relatus suprà *Art.* 12. *Ordinat.* AURELIAN. ubi id ad victum non sufficit.

XLVI. Nullus Sacerdos absque sufficienti Titulo sive Patrimoniali, sive Ecclesiastico, aut quomodocumque legitimo & idoneo, servatis iis, quæ à Concilio Tridentino continentur, ordinetur; ne eum inopia ad malos mores & actus improbos per carnis infirmitatem traducat. *Conc.* BITURIC. *ann.* 1584. *Tit.* 26. Cap. 1. *Tit.* 24. Cap. 6.

XLVII. Novum hic tangitur incommodum; nempe, ne paupertas ad turpia cogat, quoniam primitivæ Ecclesiæ facies, quoad institutionem Ministrorum attinet, paulatim innovata fuit; nimirum dotatis Templis, Sacerdotiisque, ac certis stipendiis ministrantibus constitutis. Visum subinde Sanctis Patribus non absque multa ratione fuit, ne quisquam sine certo Titulo, qui illi victum necessarium suppeditaret, ad majores, quos & Sacros Ordines vocamus, ordinaretur; adhibita etiam non levi severitate in Episcopos, qui secùs facere præsumpsissent. *Conc.* COLON. *ann.* 1536. Cap. 2. *Part.* 1. Ante dotationem unicus Ministrorum reditus ex oblatione fidelium, & sub illius spe ordinabantur.

Loquitur *Conc.* de Titulo sumpto pro Beneficio, vel saltem pro reditu ex Ecclesia proveniente, idque poscebat tractandi argumenti natura, acturum enim erat de recta Beneficiorum conferendi ratione: Nec quisquam ordinandus recipiatur, nisi ad certum Titulum Ecclesiastici Beneficii, quod sit perpetuum, à quo non possit ad inordinatum alicujus placitum amoveri, aut cui de proprio Patrimonio sufficienter sit provisum. *Conc.* MOGUNT. *an.* 1549. *Part.* 2. *n.* 81. Prior Pars Canonis desumpta videtur è *Conc.* SALTZBURG. suprà citato.

XLVIII. Nemo Sacros Ordines consequatur, cui speciatim destinata ad victum bona non sint; sive à Sacerdotio, seu Beneficio aliquo, sive à Patrimonio petantur. Reditus autem annuus erit triginta saltem Librarum Turonensium; cujus rei fidem faciet testatione tabularum à Judice Ordinario loci, ubi Beneficium vel Patrimonium situm est, acceptarum. Ipsæ autem tabulæ, vel earum exemplar, ab eo, qui est à secretis Episcopo retinebuntur; jurabitque promovendus apud Episcopum, se nullomodo alienaturum illud Patrimonium, nisi fortè ad pinguiorem fortunam pervenerit. Quod si fraude, aut dolo, aut alia quavis iniqua & non permissa conventione desierit possidere, ita ut mendicare & egestate urgeri deprehendatur, Officii administratione ab Episcopo privetur, quousque ipsum recuperarit, ejusque fructibus gaudeat. *Conc.* NARBON. *ann.* 1551. Cap. 8.

Quæ

Quæ de valore Tituli, testificatione Judicis circa illum, juramento non alienandi, pœna alienantis, notatu digna sunt. Loco Tituli censusve testificatio præstitæ Professionis Regularis.

XLIX. Episcopus, ne Clericum Regularem, ne Sæcularem, qui Regularium more in communi vitæ Disciplina sit, Beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus Sacris adscribat, nisi à Superiore fidem ille attulerit, se Religionis, cui adscriptus est, Professionem confecisse, juratusque affirmet, scripto manu sua subsignato coram Episcopo, se id sponte fecisse, aut ratum habuisse. Illud autem scriptum in Archivo asservandum Episcopus curet. Hoc autem Decretum citatur à *Concil.* Mediol. V. *Part.* 3. Cap. 3. *ann.* 1579.

Si metus causa seu vis adhuc manest, juramentum præfatum non impediret, quominùs in foro exteriori obligatio ad continentiam irritanda vel relaxanda censeretur.

L. Minora Beneficia etiam ejusdem Ecclesiæ sic uniantur, ut si non sufficiant ad honestum & tolerabilem victum, saltem ad Titulum, in promotione ad Sacros Ordines requisitum, possint sufficere. *Concil.* Meclin. *ann.* 1570. *De Unionibus*. Cap. 4. Mirum omninò videtur, quod ex una parte Titulus requiratur, ne Clericus mendicet, ex alia verò in Titulum admittatur Beneficium ad victum insufficiens.

LI. Seminarii Titulus ad Sacros Ordines adipiscendos suis alumnis erit sufficiens, quousque Sacerdotium aliquod ab Episcopo eis collatum fuerit. *Conc.* Burdig. *De Institut. Semin.* Cap. 9. *ann.* 1583.

Locus hic explicandus per desumpta loca è *Concil.* Mediol. circa eamdem rem: Nemo Titulo Seminarii Sacris Majoribus Ordinibus adscribatur, neque Titulo Beneficii, aut Pensionis, alteriusve census quem ei ad victum Episcopi judicio sat esse non constet, quod alio *Concilio* vetitum est, ne Seminarii Titulo cuique Episcopus Ordinem Sacrum conferat. *Conc.* Mediol. IV *an.* 1576. Id decernimus locum habere, nisi cum Beneficii, unionis jure adjuncti, usui & cultui Ministerium est ab illo præstandum, tuncque census annuus constituatur, undè qui eo Titulo Ordinem suscepit sustentari possit judicio Episcopi. *Concil.* Mediol. V. Cap. 3. *ann.* 1579.

LII. Si quis ei, qui Sacris initiandus est, verè spondeat certa cautione, se quæ ad vitæ cultum sunt necessaria suppeditaturum, saltem donec ei aliundè provisum sit, huic ob Sacerdotum penuriam ab Episcopo Sacer Ordo conferatur, licèt sine alio Titulo. *Ibidem.*

LIII. Qui Titulum Beneficii in gratiam promotionis suæ tantùm acceperit, cum conditione de eo reddendo, tàm ipse, quàm qui in fraudem Ecclesiæ ei resignant, à suo Gradu & Ordine dijiciantur. *Ibid.* Hactenus nihil de fraude relata circa Titulum Beneficii; pœna autem qua punitur admodum conveniens est; Sacrorum enim Ordinum muniis perpetuò indigni habendi sunt, qui illos indiguè adeò susceperunt. *Concil.* Mexic. *ann.* 1585. suspendit, ipso facto, qui fraudes circa Titulum Clericalem committunt. Idem *Conc.* Aquen. *ann.* 1585.

LIV. Censum item Ecclesiasticum, vel Laïcalem, quem & pacificè & suum verè esse constet, quantùm ad vitæ ejus usum sustentandæ satis esse censuerit Episcopus, aut census loco sponsionem certa cautione factam ab aliquo, se quæ ad vitæ cultum necessaria sunt, illi qui Sacris initiandus est, suppeditaturum, saltem donec eis aliundè provisum fuerit, eaque donatio sponsiove verè & sine fraude dolove facta sit, ejusque Tabulæ ritè & rectè confectæ. *Concil.* Aquen. *ann.* 1583. Hunc autem Titulum publicari præcipit, nedum in Parochia originis domicilii ultimi, situs bonorum, quibus constat præcipuè, sed etiam in Cathedrali & ubicumque Episcopo visum fuerit, & de ea publicatione fidem fieri; quæ omnia simul nusquam servantur. *Concil.* Mediol. *ann.* 1576. Cap. 8. *Part.* 2. publicationis primum meminit.

LV. Perpendens Syn. quanta in hac Provincia sit necessitas Ministrorum, maternam indigenarum linguam callentium; decernit, ut qui aliquam Indorum linguam noverint, ad Sacros Ordines promoveantur, etiamsi Beneficium, Patrimonium, vel Pensio ab eis obtenta talia non sint, quæ congruè victum suppeditare possint. *Conc.* Mexic. Lib. I. T. 4. §. 1. *De Titul. Beneficii* &c. Hujus Dispensationis hanc affert causam, quod timendum non sit, ne hujusmodi Ministri mendicare cogantur, si rectè vixerint, ac munia sua obierint. Sunt plures in Gallia Provinciæ, in quibus relata Dispensatio necessaria esse potest, tales inter cæteras Britannia minor, Vasconia, ipsaque Provincia.

LVI. Juxtà *Concilii* Tridentini Decretum illi tantùm Patrimonium, vel Pensiones obtinentes, ordinari possunt, quos Episcopus assumpserit pro commoditate alicujus Ecclesiæ, cui adscripti esse debent ad Munera Ecclesiastica obeunda, neque eam sine Ordinarii licentia deserere possunt. Verùm, quia multi ad Titulum Patrimonii vel Pensionis promoti, facile Ecclesiam, cui adscripti sunt, relinquunt; jubetur ut Ecclesiæ deputatio, in Titulis Ordinum scripta inseratur, Visitatores quoque inquirant an prædicti, quæ præstare tenentur muneribus functi fuerint; quod si contra se gessisse compererint, ad præscriptum *Concil.* Trident. ab Ordinum executione suspendantur &c. *Concil.* Mexic, *eod. Tit.* §. 3. Idem dixerat *Concil.* Rothom. *ann.* 1581. & *Concil.* Aquen. *ann.* 1585.

LVII. *Concil.* Burdigal. vetat, ne quis ordinetur ad Titul. Patrim. si non sit utilis aut necessarius alicui Ecclesiæ. Nemo ad Titulum Patrimonii ordinetur, qui revera Patrimonium ad congruam sustentationem non habuerit, quique alicui Ecclesiæ adscribatur; quod diligentissimè observent Episcopi. *Concil.* Avxn. *Tit.* 12. *ann.* 1594. *Conc.* Medidl. V. Cap. 3. *ann.* 1579. Etsi Testimonium hoc nihil contineat, quod in quibusdam ex præcedentibus non habeatur, notandi tamen quid novum occasionem præbebit, nempè eum, qui ordinatus Titulo Patrimonii alicui Ecclesiæ adscribitur, duplici Titulo quodammodo gaudere, nempè Patrimonii, quo sustenetur, & Ecclesiæ cui deserviat, ejus emolumentis potiturus.

LVIII. Regularis hæc testata faciet . . . loco Tituli emissam Regulæ Professionem. *Ibid.*

Secundus locus, qui de Titulo Regulari expressè loquatur, quique est Titulus paupertatis Religiosæ. Primus in *Conc.* Mediol. V. *Episcopi recipientis ad Ordinationem suam Clericos alienos, non est Titulos ab Episcopo dimittente probatos judicare. Concil.* Aquil. T. 2. *ann.* 1596.

LIX. Tituli Patrimoniales, & Beneficiales sint deinceps ad minimum quadraginta florenorum, nec ullus eorum, nisi visis Literis in debita forma expeditis admittatur: Nemo ad Ordines Titulo Beneficii quantumvis opimi promoveatur, nisi Canonicam Institutionem, & pacificam possessionem ejusdem antea obtinuerit. *Concil.* Meclin. *an.* 1607. T. 9. Cap. 6.7.

De Institutione Canonica non loquuntur præcedentia Testimonia.

LX. Juret deinceps quilibet ordinandus ad Titulum Patrimonialem, aut Beneficialem, quod Titulum, quem pro futura sua promotione exhibet, verè & sine ulla fraude possideat; quodque illum non resignabit, vel alienabit, nisi ei de alio sufficienti Titulo sit prospectum; neque tunc quidem aliter, quàm scitu & consensu sui Episcopi, in Literis ipsius resignationis aut alienationis exprimendo. Item quod Titulum illum, qui in locum prioris successerit, absque simili consensu non resignabit, vel alienabit. *Ibid.* Cap. 8. Quod de Juramento non resignandi &c. antea non notatum, nisi in *Concil.* Meclin. *an.* 1570. *De Ordin.* Cap. 4. *Conc.* Mediol. VI. *Cap.* 16. idem circa Patrimonium exigit.

LXI. Literæ Dimissoriæ illis tantùm conferantur, . . . quique vel Titulo Beneficii, vel Patrimonii

valorem 30. aureorum annuis reditibus actualiter possideant; & ne talis supponatur Titulus, illum non recipient, nisi instrumento publico atestatum per Officiarios & Consules loci, in quo erunt bona Patrimonii, qui dicant & testentur bona expressa in dicto Titulo vere possideri à constituente, & ipsum ære alieno non gravatum, talia bona date posse quæ ad valorem annuum reditûs præfati ascendunt; cujus Tituli & atestationum copiam penes se, debitè signatam, reservabit Episcopi Secretarius. *Concil.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 21. *Concil.* BURDIG *ann.* 1624. Præcipit inseri in Registro Curiæ Ecclesiasticæ omnia acta Titulum Clericalem concernentia. *Cap. 6. n.* 4.

LXII. Nulli Episcopi Ordines, vel Literas conferant Dimissorias, nisi his, quos sciverint de sua Diœcesi oriundos, aut in ea per tres annos Beneficium pacificè possederint annui reditus valoris supra dicti triginta aureorum. *Idem Concil.* NARBON. Cap. 21. *an.* 1609. Canonis hujus ratio. Rejecti ut indigni Beneficia mendicabant, in alia Diœcesi, vi quorum Ordines, vel Dimissorias obtinebant; ipsam affert in Præf. loci relati. Qui Titulo sufficienti ad vitam honeste sustentandam, vel Ecclesiastico, vel Patrimonii, valoris habita ratione annonæ nostræ Provinciæ centum viginti Librarum ad minus annui, muniti sint. *Conc.* BURDIG. Cap. 6.

LXIII. Insuper promotos hujusmodi, sic etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiducialibus Patrimonii Titulis, scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solùm prædictis (perpetuæ suspensionis, absque spe Dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, ipso facto incurrendæ) verùm etiam majoribus arbitrio nostro & pro tempore existentis Pontificis infligendis pœnis. URBANUS VIII. *Const.* 35. *§.* 3. *ann.* 1624.

§. *Ultimus.*

Quæ ex collectis Canonibus circa Titulum Clericalem inferenda?

Vetustiores de illo loquentes supponunt, illum jam institutum usuque receptum, illi autem sunt ineuntis sæculi IV. Ex illius perpetuitate factum, ut Canones coætanei & posteriores pluries vetuerint migrationem & translationem ab una Ecclesia ad aliam. Dictus videtur Titulus ex eo quod sub illo ordinati ab Ecclesia, in cujus servitium destinabantur, denominari solerent; quod subsistit adhuc erga Episcopos nomen distinctivum sumentes, ab Ecclesia Ordinationis vel Translationis, prioris loco subrogatæ, etiam quoad Titulares ita dictos quòd Titulum habent sine re, nempe nomen Ecclesiæ, cui ordinati sunt, carentque Clero, & populo, quibus illa constare debet. Undè si verum est, quod fertur nonnullos Episcopos sæculo VIII. & IX. consecratos fuisse sine Titulo, sive addictione alicui Ecclesiæ, nullo Ecclesiastico nomine inter se distinguebantur, sed ex patria denominabantur; ideoque cum ex Scotia venirent, *Scoti* vocitabantur. De his loquitur *Concil.* CABIL. II. *ann.* 813. *Can.* 43. è quo sumptum *Cap.* 65. *addit.* 2. *Capitular.*

A prædicta Lege, sive scripta, sive non scripta, vetante Ordinationes sine Titulo, jam dispensatum sæculo IV. justa de causa cum Sanctis viris. Patet, exemplis supra notatis SS. PAULINI, HIERONIMI, & PAULIANI fratris illius. Hinc fortè natus frequens abusus à *Canone 6. Conc.* CALCEDON. *ann.* 451. repressus, qui renovatus est, quoties idem abusus renatus est; quod ostendunt, plurimi Canones posteriores, hujus Canonis expressam mentionem facientes; sed hic abusus versatus est circa Ordines Episcopatu inferiores, qui cum ut plurimum conferrentur multò pluribus, quàm quos Ecclesiæ locorum alere possent; necesse erat, ut non pauci sine Titulo ordinarentur; e contra Episcopatus quilibet uni tantùm conferri poterat, tùm propter illius Dignitatem, quæ impatiens consortis est, quæque divisa inter plures vilesceret, tùm propter modum, quo illi providebatur, nempe electione, quæ a Clero Diœcesano, Plebeque plerumque fieri solebat, in plures hujus in simul Possessores haud facile consentientibus; tùm propter Episcoporum Provinciæ, & Metropolitani, necnon & Principis, necessariam consensionem ad novorum Episcoporum promotionem.

Cum Canone CALCEDONENSI innovata quoque pœna irritæ Ordinationis, sive quoad substantiam, sive quoad executionem Ordinum, absque Titulo receptorum, usque ad sæculum XII. quo antiquo Ecclesiæ, vel Beneficii, ut postea nuncupata est, adjectus alius Titulus, nempe Patrimonii, sive ex malè intellecto Canone CALCEDONENSI, ut suprà expositum est, sive ex indulgentia concessa cupientibus ordinari, absque adscriptione alicui Ecclesiæ, quorum alii agebantur cupidine vagandi, alii amore lucri ex libertate spectati, alii devotione aliam non expendi functionem Sacerdotii, quam Missarum celebrationem.

Post introductum hunc novum Ordinationis Titulum, alius Legi vetanti Ordinationes sine Titulo attributus est finis; nempè ne Clerici ad mendicitatem aliave Clericalem statum dedecentia cogerentur, à veteri multum discrepans, qui erat, ne ulla Ecclesia Ministro egeret; atque ut illi, quos haberet, stabiles essent in ipsius servitio, necnon meliùs probarentur per Inferiores ad Superiores gradus in eadem transeuntes. Hinc prior finis longè utilior, nobilior, præstantiorque, cùm animarum salutem, Divinumque Cultum proximè respiceret; posterior verò ad solum exteriorem Ecclesiæ honorem pertineret. Successu temporis, Episcopis sæpè sæpiùs negligentibus, tum veteres, tùm novos Canones, contra Ordinationes sine Titulo, Ecclesia ut huic malo mederetur, illiusque augmento obviam iret, pœnam efficaciorem contra Episcopos hujusmodi Canones transgressuros constituit, præcipiendo, ut qui sine alterutro Titulo Clericos ordinarent, ad eos alendos cogerentur, donec Beneficium ipsis contulissent, vel ab alio obtinuissent, vel bona acquisivissent. Prior pœna, nempè Ordinationis irritatio cadebat potiùs super Ordinatos, quam super Ordinatores, qui indè nullum vel modicum damnum paterentur, etsi majori culpa tenerentur quàm alii. Posterior unicè petit Episcopos, onerans illos mali reparatione, quod intulerint. Hæc pœna instituta est sæculo XIII. ab INNOCENTIO, qui insimul abolevit, quod utrumque post plura sæcula confirmatum est à *Concilio* TRIDENTINO, nec ullas mutationes passum est; hodieque pro Regula habetur cui Clerici soli Sæcolares subsunt, cum circa alios Titulus Paupertatis invectus sit, dummodo communem vitam agant, nec ab his alius exigi potuit, cùm hi voti paupertatis peculio carere teneantur, paucis exceptis, quibus permissum est habere Beneficia. Quo tempore institutus Patrimonialis ad Ordines illius valor præfixus non est, sed statutum dumtaxat, ut ad vitam honestè sustentandum sufficeret, ut contigit circa portionem congruam Vicariis perpetuis assignandam, quæ initio determinata non fuit, nisi hoc verbo *congruam*, quod significat illam sufficere debere ad victum, & vestitum, oneraque portanda. Primus Canon, qui valorem præscripsit, est *Concilii* BITERRENSIS: Posteà factæ variæ præfixiones, pro locorum & temporum diversitate, inter quas plures sunt, quæ ad finem hujus Tituli non respondent, cùm insufficientes sint ad honestam sustentationem. Quod dictum est de hoc Titulo, producendum ad Titulum Beneficialem, qui ejusdem conditionis, ac etiam nunc est, adeò ut differere liceat, quod Litera Canonum servetur & ab illorum mente recedatur, sed hac in re, ut in aliis benemultis, quæ Disciplinam spectant,

spectant, usui Ecclesiæ suæ quisque adhærere debet, donec reformetur, sed unà simul cavere periculum ex modicitate Tituli, tùm Patrimonialis, tùm Beneficialis provenient, in eo situm quod egestas ad turpia, ut assolet Ministrum Sacrum compellat, quorum alia conscientiæ obsunt, ut quæ in se mala sunt, qualia ut plurimum, nimirum indulgentia, seu munerum aviditas, lucri cupiditas, alia honori Clericatûs, qualis mendicitas, quæ nedum viva voce exercetur, sed captatione alienæ Mensæ, interdum sæcularium sæculariter viventium, quorum excessus in cibo & potu, ut placeat, vel ne displiceat, imitatur.

Cætera quæ ex collectis Canonibus inferuntur ad quatuor reduci possunt; nempè: 1. Quod Titulus Patrimonialis constitui possit, nedum in re immobili, sed in usufructu, censu, pensione, atque ad illum sufficiat sponsio administrandi necessaria debitè facta: 2. Quod Titulus Seminarii eodem redit ac Titulus Beneficii, cùm ex *Concil.* MEDIOLAN. illum permittente, consistat in cessione fructûs Beneficii Seminario uniti: 3. Quod Simonia committi possit circa Titulum Patrimonialem, sicuti circa alium, committaturque quoties à præsentato ad Ordines promittitur se non exacturum rem promissam, sibi censum, pensionem, alimenta, vel dimissurum datori datæ rei fruitionem, ac incurratur ab eo suspensio ipso facto: 4. Quod omnis cautela adhibenda ne fraus fiat, ideoque juramentum exigi queat nullam intervenisse, nec etiam Simoniam.

SECTIO XXVII.

Peculiares Canones circa Requisita in Episcopo, tàm consecrando quàm consecrato.

Ordinandum esse Episcopum de quo in nulla re sit querela, & qui sit à cuncto populo ex optimis quibusque electus. Princeps Episcopus percontetur Presbyteros, & populum, *an ipse sit, quem præesse petunt*; & illis annuentibus, rursus percontetur *an tribuant ei omnes Testimonium, quod dignus sit hoc magno & illustri munere præsidendi; an quæ ad pietatem erga Deum pertinent rectè peregerit; an jura adversus homines servaverit; an domum suam resque domesticas benè administraverit; & an vita ei per omnia honestè & laudatè acta fuerit?* Constitut. APOST. LIB. VIII. Cap. 4.

I. Ut in Sacerdotibus ordinandis, quæ sunt à Patribus præscripta, & definita cogitetis, quia sicut est Caput Ecclesiæ CHRISTUS, CHRISTI autem Vicarii Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse perspicuam, irreprehensibiles esse convenire quos præesse necesse est corrigendis, nec quidquid illi deesse personæ penès quam est Religionis summa, & substantia disciplinæ. Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris. HORMIS. *Ep. ad Episcopos Hispaniæ.*

II. Omni cura vigilandum est, ut Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, disertus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus. S. GREG. *Ep.* 24. LIB. I.

III. Attende quid exigitur à te, ut sis devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in curis, in risu rarior, suavior in conversatione, gravior in vultu, gestu, & habitu, moderatior in verbis, profusior in lachrymis, in charitate ferventior. P. BLAS. *De Institut. Episcopo.*

IV. Episcopum non oportere nimiùm profusis incumbere conviviis, sed parco & moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententia, dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*, & quamdiu convivatur, potiùs Sacra Lectio ante mensam ejus recitetur, quàm otiosa à susurronibus resonent verba. *Conc.* TURON. III. Idem *Conc.* BURDIGAL. *ann.* 1583. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. AQUEN. *ann.* 1585.

V. Ab omnibus quæcumque ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebras, undè vigor animi emolliri possit, (quod de aliquibus generibus Musicarum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei Sacerdotes abstinere debent; quia per aurium oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet, histrionum quoque turpium, & obscænorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, cæterisque Sacerdotibus effugienda prædicare debent. *Idem Conc.*

VI. Officii sui esse putent eos excipere atque audire, qui ipsos vel tamquam Judices, vel tamquam Patentes, vel Consultores, Adjutoresque adeunt; itaque his peractis, quæ ad Divinum Cultum, Religionis Officia, & animi, spiritusque pia studia pertinent, omnibus adeuntibus se faciles benignosque præbeant; ita tamen, ut ne à gravitate recedant, in auditorio omnibus satisfacere studeant, ac ne infimos quidem audire negligant; sed hos vel in primis, cùm adsunt ad se accersant, expediant statim quæ rectè possunt, omnibus autem, vel re ipsa, vel consilio, vel consolando prodesse studeant. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585.

TITULUS XII.

De aliis præcipuis Obligationibus Clericorum, tùm omnibus communibus, tùm plerisque, tùm plurimis.

SECTIO I.

De Vocatione Divina ad Clericatum, & quibus modis dignosci possit?

§. I.

Necessitas Vocationis Divinæ.

I. GRatia fidei omnibus præstatur, gratia autem Clericatûs non omnibus, sed dignis; quia in illa causa salutis est, in ista autem Dispensatio Ministerii. *Apud.* S. CHRISOSTOM. *Homil.* 53. *in* MATTH.

II. Nonnulli Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non Divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium: plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti feruntur alios in locum suum, designatis nominibus, subrogare, quod quàm grave est æstimate, atque hanc licentiam auferamus, ne quod turpe dictu est hujusmodi se putet debere homini quod Dei est. HILAR. *in Synod.* ROMAN. *ann.* 461.

III. Esse quidem Christianum in nostra potestate est, Apostolos verò & Episcopos non est, sed potiùs penès Deum, qui charismata tribuit. *Constit.* APOSTOLIC. LIB. VIII. Cap. 1.

Quod in injuriam Dei (loquitur de vetita Ordinatione) à quo specialiter Sacerdotalium est gratiæ Dignitatum, didicerimus admissum, nec Episcopalis honor hæreditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate confertur. HILARIUS ASCANIO, *& universis Episcopis Taracon. Proverb.*

IV. Cùm hujus Divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro & sanguis creavit eligitur; sed cessante privilegio, Patrum & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis atque Legalis est, non prærogativa terrenæ originis, obtineat unctionem, sed dignatio Cœlestis gratiæ gignat

gignat Antistitem. S. LEO *Serm. 2. in anniversar. assumpt.* C. 1.

V. Audeat-ne quis vestrum terreni alicujus Reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare Ministeria, præripere Beneficia, negotia dispensare: nec tu Deum putes, qui in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. S. BERNARDUS. *De Conver. ad Clericum.* C. 27.

VI. Quid istud temeritaris est? Imo quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Tu irreverenter irruis, nec introductus, nec vocatus, usurpati ausus Sacerdotii Sacrificium in Sacrilegium, & vitam convertis in mortem. S. BER. *Declam.* C. 5. *Blesf. Ep.* 116. *&* 119.

VII. Curritur passim ad Sacros Ordines, & reverenda ipsis quoque Spiritibus Angelicis Ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Curritur in Clero passim ab omni ætate & Ordine, à doctis pariter ac indoctis. ad Ecclesiasticas Curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cùm ad Curas pervenerit. S. BERNARDUS. *De Convers. ad Cler.* C. 29. *Ep.* 42 *ad* HENRIC. *Senon.* C. 7.

VIII. Initium Episcopalis culminis post Divinam Prædestinationem esse videtur, quomodo quisque ad culmen hujus honoris pervenit.

Nullus Episcopale Ministerium per ambitionem munerum attentare præsumat *Concil.* AQUISGRAN. II. *ann.* 836. *C.* 1.

IX. Sacrum Regimen; sicut à nullo est temerè usurpandum, ita petente Ecclesia à nullo tuo simili est vitandum, quoniam tantorum perditionis reus eris, quantorum salnti exemplo & doctrina prodesse potuisses. JOAN. XVIII. *ad Sanctum* ODILONEM, *qui Archiepiscopatum* LUGDUN. *recusaverat.* Is autem creatus fuit Papa *ann.* 1024.

X. Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem, humana affectione ad Episcopatus Dignitatem, quem vult eligere: Episcopatûs enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt largientem; si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione mulctetur. APOST. *C.* 75.

XI. Illud magnopere commonentes, ut ii, qui non Dei gratia, sed promissione rerum Ecclesiasticarum præmissa, præmiis ad Sacerdotium conantur accedere, desideriorum talium reprimantur, affectus priventur effectu, aut ab hujusmodi se intentione cohibeant, aut vindictis Canonum sciant se sine dubitatione subdendos. SYMMACHUS *Cæsar. Arelat.* *C.* 2. *ann.* 502. CONC. TOM. IV. *p.* 1295.

XII. Sunt nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur; si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantùm, sed etiam pro aliis acceperunt. S. GREGORIUS. LIB. I. *Pastor.* *C.* 5. *Concil.* AQUISGRAN. *C.* 17.

XIII. Sunt nonnulli, qui ex sola humilitate refugiunt, ne his, quibus se impares æstimant, præferantur, quorum profectò humilitas, si cæteris virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cùm ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est; neque enim vere humilis est, qui superni nutus arbitrio, ut debeat præesse intelligit, & tamen contemnit. *Ibid.*

XIV Vir Ecclesiasticus & crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, & Dispensationem Ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat. *Ibid.* LIB. III. *C.* 33. *Concil.* AQUISGRAN. *C.* 18.

XV. Quod si cognoverint Corepiscopos & Archidiaconos esse dignos, qui Sacerdotes constituantur, & quod adeò qui secreta novit, sint electi, tunc &c. *Canon Arab.* 84. *ex vers. Abraæ.* *C.* 65.

XVI. Monendos in primis Sacerdotes putavimus, ut ad tantæ potestatis administrationem noverint se Sanctos esse debere, quia Sanctus est qui illos ad tam sublime Ministerium vocavit. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583.

§. II.

Vocationis indicia 1. Morum innocentia seu probitas, &c. 2. Recta intentio. 3. Apta in istâ re media.

INDICIUM I.

Morum probitas aliaque animi corporisque dotes ad Ordines requisita.

I. Irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis; emendatiorem esse convenit populo quem necesse est orare pro populo. HORMISDAS. *ann.* 514. *creatus Papa.*

II. Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis Cœlis collocatus foret, inter Cœlestes illas virtutes medius staret. S. CHRYSOSTOMUS LIB. III. *De Sacerdot.* *C.* 2.

III. Per Sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima Ministeria, quibus ipsi CHRISTO servitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major Sanctitas interior quàm requirat etiam Religionis statûs. S. THOM. 2ª. 2ª. *q.* 184. *a.* 8.

IV. Si homo apud hominem, de quo minimè præsumit fieri intercessor, erubescit, qua mente apud Dominum intercessoris locum pro populo arripit, qui familiarem ipse ejus gratiæ per vitæ meritum nescit. S. GREGOR. *Pastor. Part.* 1. *C.* 11.

V. Idcirco nos ille elegit, ut simus quasi luminaria, ut Magistri cæterorum efficiamur, & veluti Angeli cum hominibus conversemur. S. CHRISOSTOM. *Homilia* 10. *in primo ad* TIMOTH.

VI. Merita debent præire bonorum operum, ut dignus habeatur: ad Ordinationem viros probatos oportet eligi, non probandos. AMBROSIUS. *in* LIB. I. TIMOTH. 5. S. BERNARD. LIB. IV. *De Consid.* C. 4.

VII. Ita age & vive, ut Clericus esse merearis, & nulla sorde adolescentiam commacules, ut ad Altare CHRISTI, quasi de thalamo virgo, procedas. S. HYERONIMUS *ad* RUEST. *Episcop.* 4.

VIII. Post plenitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatûs adipisci, quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum. SIRIC. *Epistol.* 1. *C.* 14.

IX. Tales esse convenit Dei Cultores, graves, prudentes, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos stupeat, & admiretur, & dicat, hi homines sunt Dei, quorum talis conversatio. S. AUGUST. *De Vita* CHRISTI. *C.* 9.

X. Illi, qui Divinis Ministeriis applicantur, perfecti in virtute debent esse. S. THOMA. *in* 4. *Distinct.* 24. *q.* 3. *Art.* 1.

XI. Ergo ad ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per CHRISTUM; ipse autem per CHRISTUM ingreditur, qui de eodem Creatore Redemptore Generis Humani vera sentit, & prædicat, prædicata custodit, curæ quoque suscepti ovilis celeriter invigilat, ne oves Dei, aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamentum vitiorum persuadentes devastent. S. GREGORIUS. *Regest.* LIB. IX. *Epistol.* 40.

XII. Sed dicitur vera ac justa legitimi Sacerdotis Benedictio auferre omne vitium quod à vitioso fuerat injectum. Ergo si ita est, applicentur ad Ordinationem Sacrilegi, Adulteri, atque omnium criminum rei; quia per Benedictionem Ordinationis crimina vel vitia putantur. Nullus sit Pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. *N.* 1. *Decret.* LIII. LIV. XIII.

XIII. Ex Pœnitentibus, quamvis sit bonus Clericus, non ordinetur; si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à Clero, quia se Ordinationis tempore non prodidit fuisse Pœnitentem; si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ipse ab Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur. *Concil.* Carthag. IV. *C.* 68. Conc. Tom. II. *p.* 1205.

XIV. Si tales quærimus ad Sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes & corpora præpediat; quanto magis si post Ordinationem suam quisquam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omninò prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis Misterium nostræ salutis tractare. S. Martin. *Epis. ad* Amandum *Episcopum* Ultrajectensem. Conc. Tom. VI. *p.* 381.

XV. Si Regulæ præcedentium Patrum eos, qui Pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt ex devotione, & nulla de se manifesta scelera confitentur, si adsit tamen in his & talibus probitas morum, ad Ecclesiasticos gradus pervenire permittunt, quanto magis &c. *Concil.* Tolet. XIII. *C.* 10. Conc. Tom. VI. *p.* 1265.

XVI. Considerandum quoque est, quia cùm causam populi electus Præsul suscipit, quasi ad ægrum Medicus accedit; si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat. S. Gregorius. *C.* 9. Lib. 1. *Pastor. Concil.* Aquisgran. *C.* 14.

XVII. Si est Clericus ordinandus, inquirat de vita ejus, tunc si inculpatus inventus fuerit, ordinet, ita enim & nostram conscientiam puram conservabimus, & inculpatum Sacrum ac venerabile Misterium. S. Cyrillus *Episcop. Alex. ad quosdam Episcopos.*

Indicium II.

Recta intentio.

I. Qui per Clericatûs Officium aliud quærit quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit. Ivo *Carnot. Serm. De excellenti Sacramento Ordinationis.*

II. Quo affectu accedunt ordinandi, videndum; num videlicet Dei tantùm causa ad Ordines capescendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi... Quisquis ergo talis est non Dei Filius, nec ovili Christi idoneus Pastor futurus, sed Mercenarius est. *Concil.* Colon. *ann.* 1536. *Part.* 1. Conc. XXI.

III. Si gradus Ecclesiasticos eo quærit animo, ut hujus vitæ habeat necessaria, Evangelisat ut manducet, & perverso nimis Ordine Cœlestibus terrena mereatur. *C.* 5. S. Bernard. *Declam.* C. 5.

IV. Hodie in promotione quorumdam prima quæstio est, *quæ sit summa redituum*, non *quæ est conversatio subjectorum*, verumtamen Deus non irridetur. Petrus Bles. *Epis.* 5. *ad Episc.* Carnot.

V. Obsecro te ne Officium Clericatûs genus antiquæ militiæ putes, *id est*, ne lucra sæculi in Christi militia quæras. S. Hyeronimus *ad Nepot. Epist.* 2.

VI. Ille ad ovile ovium intrat per ostium, qui culmen Regiminis ad Officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ & transitorii honoris. S. Gregor. Lib. VII. *Epist.* 48. Lib. IX. *Ep.* 4.

VII. Plerique Sacerdotes, suæ magis utilitatis causa, quàm gregis præesse desiderant, nec ut prosint Præsules fieri cupiunt; sed magis, ut divites fiant & honorentur; suscipiunt sublimitatis culmen, non pro Pastorali Regimine, sed pro solius Regiminis vel honoris ambitione. Lib. III. *C.* 34. *Concil.* Aquisgran. Lib. I. *C.* 25.

VIII. Plerumque qui subire Magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt, & quamvis hæc elationis intentione appetant operaturos tamen ad magna pertractant; fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractante animo superficies cogitationis ostendat,... ac penset quisque quid subjectus egerit, & repentè cognoscit, si Prælatus bona agere, quæ proposuerit, possit, quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. S. Gregorius *in Prol Pastor. Concil.* Aquisgran. Lib. I. *C.* 14.

IX. Admonendi sunt omnes, & hortandi in primis erunt ne, ad Ordines suscipiendos accedant proprii commodi gratia, nec quærentes quæ sua sunt, sed tantùm quæ Jesu Christi. Reginaldus Polus, *De Reformat. Angl. ann.* 1556. *Decret.* 6.

Indicium III.

Non injusta media.

I. Quid enim refert spondeas pecuniam? Sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris: quot fucatæ humilitatis servitia quis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit. S. Chrisostom. *Tom.* 3. *in* Acta. S. Damian. *Ep.* 22. *contra Clericum aulet. C.* 2.

II. Tria dicuntur esse munerum genera, scilicet munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua. Et munus quidem à manu, pecunia; munus ab obsequio, obedientia subjectionis; munus à lingua, favor assentationis. S. Dam. *ibid.*

III. Non intrat per ostium ad Ecclesiam qui per Laïcalem portam intrat, non enim Laïcis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini Vicariis. S. Augustin. *ad Fratres in eremo. Epist.* 47.

IV. Alius pro alio, alius fortè & pro se rogat; pro quo rogaris fit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est: non interest per se aut per alium quis roget. S. Bernard. Lib. IV. *De Consid. C.* 4.

V. Quicumque revera voluntatem Dei addiscere volunt, suam priùs voluntatem mortificare debent; abdicatis omnibus affectionibus, in neutram partem magis vergentes, Divinæ voluntatis cogitationem perceperunt. S. Joan. *Clem. Grat.* 16. *C.* 4.

VI. Pendeat inter utrumque voluntas nostra, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper ne fortè magis altera pars Deo placeat. S Bernard. *Serm. Quomodo voluntas.*

VII. Nemo sibi sufficit ad electionem utilium: intolerabilis est superbiæ argumentum existimare se nullius egere consilio. S. Basil. *Orat. De Fælicit. in* Psalmo *Conf.* 1. *vers.* 26.

VIII. Propterea quod naturaliter se ipsum quisquis amat, & quia quisquis in se ipsum propensus est, ideò in veritatis judicio fallitur: porro ab alio cognosci, curarique facile est. S. Basil. *Instit. Monast. C.* 22.

IX. Vehementer claudit oculos cordis amor privatus, quia privato nos amore diligimus, clausis oculis, in nostra nobis deceptione blandimur. Sæpe mens de se ipsa mentitur & fingit se bono opere amare quod non amat; de mundi autem gloria non amare quod amat. S. Gregor. *Homil.* 4. *in* Ezechiel. *Part.* 5.

X. Quis tam præsumptor & cœcus sit, qui se audeat suo judicio & discretioni committere, cùm vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum Collationem testetur. *Cass. Colla.* 2. *C.* 15.

XI. Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorumcumque, sed tantùm bonorum; ad consilium soli eligantur qui prudentes esse videantur. S. Bernard. *Epis.* 28. & 42.

XII. Quisquis Sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, priùs vires suas cum hoc quod subiturus est onere metiatur, ut si impar est abstineat, & ad id cum metu etiam qui se suffi-

ſe ſufficere exiſtimat, accedat. S. GREGORIUS. LIB. VII. *Epiſt.* 110.

XIII. Nullus Laïcus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repentè promoveatur, niſi, poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturna converſatione inter Clericos comprobatus fuerit. *Concil.* ROM. *ann.* 1059. Cap. 13. *Conſtabat* 113. *Epiſcopis.*

XIV. Saulus factus repente Paulus, repentè vas electionis, repentè Doctor Gentium: Hæc mutatio dexteræ excelſi, non tàm exemplum, quàm miraculum; ſi occurrat de AMBROSIO, quod de Tribunalibus ad Sacerdotium ductus fuerit, non me valde conturbat, cùm à puero mundam in Mundo duxerit vitam. S. BERNARD. *Ep.* 8. *ad* BRUN. *Colon. Epiſ.*

XV. Diſcipuli ſimul Magiſtrique pietatis creantur heri Sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum Antiſtites, veteres vitio, pietate rudes & recentes. S. GREGORIUS NAZIAN. *Orat.* 21.

XVI. Quid eſt manus citò imponere, niſi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam Diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis. S. LEO *Epiſt.* 87.

XVII. Quales eſſe in Sacris Ordinibus poterunt qui ad hoc non meritò, ſed præmio provehuntur? quid eſt aliud in Templo columbas vendere, niſi in Sancta Eccleſia eam, per quam Spiritus Sanctus, datur, ad pretium manus impoſitionem dare? Sed Cathedræ vendentium columbas everſæ ſunt, quia talium Sacerdotium in Sacerdotio non deputatur. S. GREGORIUS. LIB. IX. *Epiſt.* 4.

XVIII. Placuit etiam, ut Sacrum ejus Pontificii honorem non votis quærat, ſed meritis, nec Divinum Munus videatur rebus comparare, ſed moribus, atque eminentiſſimæ Dignitatis apicem electione conſcendat omnium, non favore paucorum, non patrocinia Potentum adhibeat, non calliditate ſubdola, ad conſcribendum Decretum, alios hortetur præmiis, alios timore compellat, quod ſi quis fecerit, Eccleſiæ, cui indignus præeſſe cupit, communione privabitur. *Conc.* AVERN. *ann.* 535. Cap. 2.

XIX. Ut illa perniciosa Conſuetudo, & inexplebilis avaritiæ corruptela funditùs eradicetur, quâ multos perniciosa munera undequaque collegiſſe audivimus, quibus Principem Regni, & familiares ejus corrumpere valeant, ut ad Epiſcopatus honorem valeant pervenire, quod nulla quidem humilitate, ſed ambitioſa dominatione fieri non dubium eſt: Undè hanc peſtem à finibus Eccleſiæ repellendam judicamus, ne gratiam Sancti Spiritûs, vilis mercaturæ compendiis appretiabilem facere videamur. *Concil.* ROTHOM. Cap. 2. *ann.* 1050.

XX. Nemo per pecunias ordinandus eſt, nec per munera Eccleſiam debet occupare, quod ſi factum fuerit, & ipſe, & Ordinator ejus ſunt deponendi; quia manifeſtum eos Simoniaca Hæreſi ægrotare, & talem non per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendentem aliunde, furem eſſe, & latronem, & non ſolùm ipſi qui hoc faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, excommunicandi ſunt. *Capitul.* AHITON. *ſæculo* IX.

XXI. Nullus per ambitum ad Epiſcopalem honorem permittatur accedere; nam cùm hic exceſſus in Laica converſatione culpetur, quis dubitat quod Religioſis & Deo ſervientibus inurat opprobrium? Si quis Epiſcopatum deſiderat, data pecunia potentes perſonas minimè ſuffragatrices adhibeat. SYMMACH. *ad Cæſar.* ARELAT. Cap. 6. CONC. TOM. IV. *p.* 1295.

SECTIO II.

Canones circà primam Tonſuram, Clericaturam vulgò vocitatam, aliundè quàm ex Corpore Juris deſumpti.

Duplex eſt Tonſura, alia Monachalis, quæ fit à Prælato in ſuſceptione habitûs Monachalis, vel Regularis; alia Clericalis, quæ communiter fit ab Epiſcopo, in iis qui ſtatum Clericalem amplectuntur. De utraque loquitur *Cap.* 1. *De Regularibus* infrà colligendum. Ad poſteriorem Collectio hæc reſtringitur. In hacce facienda ordo temporis ſervabitur; in illis qui ſunt diverſi ſæculi, ſelegentur præcipuè Canones, qui de requiſitis ad illam Tonſuram loquuntur, nempè ætate, ſcientia, exemptione ab impendimentis ad Ordines, intentione, necnon ii qui de illius prærogativis mentionem faciunt, ac de delictis quibus amittuntur: Quæ in illis conjunctìm ſumptis notanda erunt in fine colligentur, quæ peculiaria cuique ad calcem illius ſubjicientur; recentiores antiquioribus præferentur, quia ad praxim utiliores ſunt.

Nulli ex omnibus permittant, juxtà Ordinem eorum, qui ſunt in Clericorum Ordinem relati, populo in ſuggeſtu Divinas Scripturas recitare, niſi is Sacerdotali Tonſura uſus fuerit, & Benedictionem à ſuo Paſtore Canonicè ſuſceperit. Si quis præter facere deprehenſus fuerit, ſegregetur. *Conc.* TRULLA. Cap. 33. *an.* 692.

II. Nulli Tonſura detur, niſi idoneo, & ad Sacros Ordines poſtea probabiliter aſſenſuro: quid opus enim mittere panem filiorum canibus, & ſpiritualia Mundi amatoribus? Cap. 13. *Statut.* RHAM. *Eccl. per Dominum* SONNATIUM VII. *Sæculo.*

III. Prætermittitur hic *Canon* 14. *Concil.* NICÆNI II. *ann.* 787. relatus à GRATIANO *Can.* DIST. LXIX. Quia licet pro Tonſura Clericali citari ſoleat, illam non reſpicit, ſed ad Lectoratum ſpectat, quo deficiente nullus ad ambonem aſcendere poterat, cujus rei cauſa datur hoc Canone Abbatibus Benedictis & Presbyteris facultas illum conferendi ſubditis ſuis Monachis.

IV. Deinceps cavendum eſt, ut nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate. *Concil.* MOGUNT. *ann.* 813. Cap. 23. Cap. 1. *De Regularibus.* Per legitimam ætatem intelligitur ætas pubertatis, quæ ad eligendum vitæ genus à Legibus præſcribitur.

V. Clericus, ſi Tonſura dimiſſa uxorem acceperit, qui quidem ſi ſine gradu nec Monaſteriis apparentibus traditus, uxorem permittatur habere, & iterum tondeatur, nec in vita ſua uxorem dimittere audeat. *Conc.* TRIBUR. *exeunte ſæculo* IX. Aliter refertur à GRATIANO Cap. 6. *q.* 1. *Canon.* 20. Neutro modo habetur in illo *Concilio*, CONCIL. TOM. IX. Sed quod non abſimile legitur in *Concilio* XXVII. quod præcipit de iterenda Tonſura reſpicit Clericum in minoribus Tonſuratum, qui non obſtante Matrimonio, Tonſuram deferre tenebatur. GONZAL. *in illum Textum*, qui Tonſuram Monachalem cum Clericali confundit.

VI. Cùm in ſeptima Synodo, per primam talibus Abbatibus, Benedictis, & Presbyteris, juxtà formam Eccleſiæ datam Clericalis Ordo confertur. INNOC. III. ROTHOM. *Archiepiſcop.* qui ab eo quæſierat an per Tonſuram ab Abbatibus datam Laïcis ad Monaſteria tranſvolantibus *anno* 13. Pontificatûs, qui cœpit circa finem ſæculi XII.

VII. Statuimus, ut nullus etiam ad primam Tonſuram de cætero admittatur, niſi ſciat legere, & cantare, & de libero utero, & legitimo Matrimonio ſit procreatus, niſi ex cauſa viſum fuerit Epiſcopo loci ſuper procreatis ex contubernio diſpenſandum. *Concil.* BITUR. *ann.* 1233.

VIII. Nullus Epiſcopus, vel quivis alius, infanti (niſi fortè Religionem intraret) ſeu illiterato, ſed nec abſque Superioris ſui licentia homini Diœceſis alienæ, Clericalem præſumat Tonſuram conferre; nec etiam conjugato, niſi volenti Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri, prout eſt Sacris Canonibus definitum, *id eſt* uxore conſentiente & Epiſcopo approbante. Qui contra fecerit, per unum annum à Collatione Clericalis Tonſuræ noverit ſe ſuſpenſum. *Cap.* 4. *De Temporibus Ordin. in* SEXTO. BONIF. VIII. *ab ann.* 1294. *ad annum*, 302. *Pontifex, ſuæque Collect. editor. ann.* 1298.

IX. *Conc.*

IX. *Concil.* Auscit. *ann.* 1300. *Cap.* 12. idem prohibet quod Bonif. VIII. mox citatus prohibuit.

X. Prout Ordo est Sacramentum, & imprimit caracterem, prima Tonsura non est Ordo; sed prout Ordo largo modo sumitur, & pro tunc non est Sacramentum, sed quædam dispositio ad Divinum Officium, sic Tonsura est Ordo. *Synod.* Lingo. *ann.* 1404.

XI. Inhibemus sub excommunicationis pœna & 20. libr. Turon. licitis usibus vertendarum, ne aliquis aliquem puerum coram Reverendo Patre vel ejus gentibus adducat, vel adduci faciat pro Clericali recipienda Tonsura, nisi idem puer septimum annum compleverit. *Stat. Synod.* Trec. *edita* 1°. *an.* 1399. 2°. *an.* 1440. 3°. *ann.* 1530.

XII. Non Sacram capillorum incisionem, quam Clericalem Tonsuram dicunt, adipiscantur, nisi septimum annum attigerint. Narbon. *ann.* 1551. Cap. 4.

XIII. Si aliqui ex nostra Diœcesi velint esse de sorte Domini, & statu Clericali, & voluerint à nobis primam Tonsuram habere, tales sint de legitimo thoro, non servi, nec servilis conditionis, nec usurarii, nec infames, nec membris truncati, & valde deformes, non furiosi, nec Diabolica afflictione vexati, non bigami, aut simoniaci, non uxorati, non sint minoris ætatis quàm septem annorum. *Synod.* Senon. *ann.* 1524. Exemptio ergo ab omni irregularitate ad Tonsuram requiritur, sicut ad Sacros Ordines; est janua, seu præambula dispositio, in quo convenit cum sponsalibus, quæ exigunt exemptionem ab omni impedimento, perinde ac Matrimonium cujus sunt præparatio.

XIV. Inhibemus omnibus subditis, ne se temerario ausu ingerant, ad suscipiendam à nobis primam Tonsuram, nisi sint majores 7. annis & de legitimo Matrimonio, salva tamen Summi Pontificis, aut nostra Dispensatione. *Synod.* Carnot. *ann.* 1526. De Dispensatione idem omninò habet Synod. Senon. mox citata. Unumquemque Ordinem præcedere debet Clericalis, quæ dicitur Tonsura, qua quis initiari cupiens nothus esse non debet, aut si nothus sit, necesse est ut cum illo sit dispensatum. *Syn.* Paris. *ann.* 1557.

XV. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non Sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 4. *Concil.* Rothom. *ann.* 1581. *Conc.* Burdig. *ann.* 1583. *Concil.* Aquilen. *Cap.* 11. *Is qui ad Ordines. Conc.* Rhem. *ann.* 1564. *Statut.* 9. *Conc.* Tolet. *ann.* 1565. *Act.* 3. Cap. 2. *Conc.* Narbon. Cap. 21. *ann.* 1609. *Dispositiones requisita ad Tonsuram.*

XVI. Tonsura insignitus Privilegio Clericali non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum deferens & Tonsuram alicui Ecclesiæ ex Mandato nostro inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, aut Universitate de licentia nostra, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. *Concil.* Rhem. *ann.* 1564. *Stat.* 9. Notandæ conditiones necessariæ ad fruendum Privilegio Clericali.

XVII. Hæc præterea testimonia afferet, qui prima Tonsura initiari voluerit, se Sacro Chrismate confirmatum esse, in Ecclesia frequenter religioseque versatum esse, spem esse se in Clericalis Ordinis disciplina permansurum; hunc verò testimonium, à Parocho habeat: Sacram item Communionem crebro per annum suscepisse. *Concil.* Aquen. *De Sacram. Ordinis.* Idem quod suprà *n.* 15. notandum.

XVIII. Nullus, nisi priùs præstito juramento de intentione permanendi in habitu Clericali admittatur, nec ad primam Tonsuram promoveatur; ille verò ante quartum decimum annum poterit prima Tonsura initiari, qui in Cathedrali Ecclesia Clericali toga & superpelliceo induti per duos saltem annos Divino Cultui inservierint, si priùs eorum Parentes vel Tutores propositum sibi esse juraverint in Ecclesiæ Ministerio conservandi. *Concil.* Mexic. Lib. I. Tom. IV. Cap. *De Sententia* & §. 2.

XIX. *Concil.* Tolos. *ann.* 1590. Cap. 7. *n.* 2. recenset tonsurandos inter eos quorum Ordinatio publicanda est.

XX. Quisquis tonsurandus est ad examen vestitu Clericali indutus accedat. *Conc.* Avenion. Cap. 19. *ann.* 1594.

XXI. Quæcumque à Sacris Canonibus & maximè à Sacrosancta *Synodo* Trident. constituta sunt, in conferendis Ordinibus inviolabiliter ab Episcopo observentur; iis verbis idem *Concil.* præcipere videtur ut *Concil.* Trident. Decreta circa Tonsuram custodiantur; solet enim sub nomine Ordinis latè sumpto comprehendi. Eadem quoad sensum habet *Concil.* Mediol. *Part.* 2. *Cap.* 9. unde idem inferre est.

XXII. Ne cuiquam, antequam prima Tonsura is initietur, Clericalem habitum sumere liceat, sine Episcopi concessu, eoque scripto dato. *Concil.* Mediol. III. *ann.* 1573. *Cap.* 20. Non servatur, sed servandum esset, ne, ut sæpe sit, publico contemptui objiceretur.

XXIII. Episcopi non alios ad primam Tonsuram admittant, quàm eos, quibus statim Beneficium aliquod Ecclesiasticum sit conferendum, aut quos constiterit eo studio Literis operam dare, ut in via ad Majores Ordines suscipiendos, juxtà *Concil.* Trid. formam, versari videantur; vel quos viderint expedire Ministerio alicujus Ecclesiæ deputari. Ecclesiarum verò Ministeriis non alios deputent, quàm eos, qui secundùm Consuetudinem cujusque Ecclesiæ in Altaris vel Chori vero Ministerio, aut in iis, quæ ad ordinarios ritus & ceremonias Divinorum Officiorum pertinent, eisdem Ecclesiis servire debeant. *Conc.* Tolet. *Act.* 3. Cap. 2. *ann.* 1565.

XXIV. A jejunis & confessis tantùm recipiantur Ordines; Tonsura autem Clericalis, quovis tempore opportuno & convenienti, pro more Ecclesiæ. *Concil.* Bitur. *ann.* 1584. *Tit.* 24. Cap. 5.

XXV. Quicumque ad primam Tonsuram eligi possunt, oportet ut ejus sint ætatis, in qua quid agant & quam viam sibi aperiant dignoscere possint, cumque ea sit, quæ circa 12. annum versatur, statuimus, nullum deinceps ad primam Tonsuram admitti debere, quin id ætatis annum attigerit. *Concil* Burdig. Cap. 6. *n.* 2. *ann.* 1624. Ita verò promotus certæ statim alicui Ecclesiæ Episcopo ita ordinante adscribatur. Inservitius habitum Clericalem quotidie gestet, Sacerdotibus pareat ad nutum, obedientiam præstet, humilitatem præ se ferat, & ritus Ecclesiasticos discat. Sin autem habitum Clericalem ponat, Ecclesiæ Dignitati non inserviat, & frequenter in ea Sacramenta non sumat, Privilegiis Clericatus lui privari, ac de cætero inhabilem, tùm ad Beneficia Ecclesiastica, tùm ad Ordines suscipiendos censemus. Primus Canon, qui tonsuratos negligentes Officia sua Clericali Privilegio privet.

Notanda in collectis Canonibus conjunctim sumptis.

Primò, Tonsura, de qua agitur, passim vocatur *Prima Tonsura*, nonnunquam verò *Tonsura Clericalis*, *n.* 11. & 12. Quandoque, simpliciter *Tonsura*, eoque casu intelligi potest de Monachali ac Clericali, nisi addantur hæc verba: *Ad Sacros Ordines*

simulare. Interdum etiam dicitur *Tonsura Sacerdotalis*, ut in *n.* 16. idque quia à Sacerdote Episcopo datur.

Secundò, Examen præmittendum ante illius Collationem. *n.* 20. Illud versatur circa ætatem, quæ ut plurimùm septennis esse debuit, nisi justa causa subesset dispensandi eum tonsurandi. *n.* 14. Nunc verò vel 12. vel 14. annorum. Circa legitimitatem, aliaque necessaria ad Ordines, quorum est veluti janua, circa scientiam, sciat prima rudimenta fidei, legere & scribere; circa Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, an illa receperit; circa intentionem, an propter Tonsuræ prærogativas, habendi Beneficia, exemptionem à foro sæculari, atque ab oneribus bonorum Patrimonialium, an verò ob studium melioris vitæ, ac seipsum, aliosve sanctificandi per susceptionem Sacrorum Ordinum, illorumque exercitium, unde aliàs promissio stabilitatis nonnullis in locis exigebatur, etiam juramento firmata. *n.* 15. 16. 17. Quæ promissio exigebatur quandoque à Parentibus, aut Tutoribus, aliisve, in quorum potestate erat, qui ad Tonsuram præsentabatur.

Tertiò, Attestatio bonæ conversationis, & qualia continere debet?

Quartò, Adscriptio alicui Ecclesiæ ab Episcopo, cui inserviturus esset in minoribus Ministeriis, donec ab eodem ad majora vocaretur.

Quintò, Conditiones requisitæ, ut Privilegiis Clericalibus gaudeat, nempe ut habeat Beneficium vel saltem sit in servitio actuali alicujus Ecclesiæ.

Sextò, Qui non implet obligationes, Officiave Tonsuræ Clericalis, illa Privilegia amittit, fitque inhabilis ad Sacros Ordines. *n.* 25.

SECTIO III.

Præcipui cujusque sæculi Canones circa Tonsuram Clericalem.

Tonsura, de qua hîc, differt ab illa de qua mox dictum est, in eo quod ista fit gradus & ingressus ad Ordines, illa verò insigne fit status Ecclesiastici.

Quæ in sequentibus Canonibus præsertim sunt attendenda, 1um. est, quod inter Canones de Tonsura Clericali loquentes, sunt plures, qui tria eo nomine comprehendunt, nempè: 1. Crinium incisionem, seu detonsionem: 2. Rasuram verticis per modum sphæræ & Coronæ. 3. Rasuram barbæ. Hujus denominationis exemplum habes evidentissimum in *Concil.* Bitur. *ann.* 1031. ubi postquam jussit, ut qui Ministerium in Ecclesia tractant, Ecclesiasticam Tonsuram habeant, hæc verba sic interpretatur: hoc est, *Barbam rasam, & coronam in Capite.* Conc. Tom. IX. *p.* 866. Hic Canon infrà integer refertur: 2um. est, Quæ sit origo Tonsuræ, quæ Coronæ: 3um. Quæ forma: 4um. Quæ in his mutationes: 5um. Quæ pœnæ contra delinquentes circa Canonica his de rebus præcepta: postremum, Quæ inde utilitas quoad hodiernum usum vel abusum.

I. Clericus nec comam nutriat, nec barbam. *Conc.* Carthag. IV. C. 44. *ann.* 398.

II. Duo sunt genera Christianorum: Est autem unum genus, quod mancipatum Divino Officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici.... inde dicti, quia sorte electi, omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, *id est*, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo Regnum habent; & hoc designat corona in capite: hanc coronam habent ab Institutione Ecclesiæ Romanæ, in signum Regni quod in Christo expectatur; rasio verò Capitis est temporalium omnium depositio. *C.* 7. *Can.* 12. *q.* 1. *ex D.* Hyeron. *circa annum* 410.

III. Non oportet Clericos comam nutrire, & sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, Martin. Bracar. *sæculo VI. exeunte.* Lib. IV. C. 66.

IV. Tonsuræ Ecclesiasticæ à Nazareis (ni fallor) usus exortus est, qui priùs servato crine, denuò post magnam vitæ continentiam, devotione completa, caput radebant, & capillos in igne Sacrificii ponere jubebantur; scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent; hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui in Divinis Cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, *id est*, Sancti Dei, crine præciso innoventur. Isidor. Lib. II. *Off. Ecclesiast.* C. 4. *sæculo VII.*

V. Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant: Non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur; qui prolixis, ut Laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent; ritus enim iste in Hispania hucusque Hæreticorum fuit. Unde oportet ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & una sit Tonsura... sicut totius Hispaniæ fuit usus. *Concil.* Tolet. IV. C. 41. *ann.* 633.

VI. Quoniam videmus sine manûs impositione à parvula ætate Tonsuram Clericos quosdam accipientes, nondum ab Episcopo manûs impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus non modo id minimè fieri. *Conc.* Nicæn. II. *ann.* 787.

VII. Si quis ex Clericis laxaverit comam anathema sit. Et responderunt omnes tertio: *Anathema sit.* Gregor. II. *in Conc.* Rom. *ann.* 721. C. 17.

VIII. Clericus si, Tonsura dimissa, uxorem acceperit, qui quidem fit sine gradu, nec ad Monasterium aliquod à Parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur; nec in vita sua Tonsuram negligere audeat. Hunc *Can.* refert Ivo *Part* 7. C. 15. ex *Conc.* Triabur. *ann.* 895. Res sive sensus in C. 27. habetur.

IX. Docemus ut nemo in sacris Ordinibus constitutus cæsariem alat, nec tonderi perperam se permittat, si Dei Benedictionem & S. Petri & nostram. &c. *Canon. sub* Edgano. *n.* 47. *sæculo X.*

X. Ut Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Capischoli, Canonici, Ostiarii, & omnes qui Ministerium intra Sanctam Ecclesiam tractant, Tonsuram Ecclesiasticam habeant, hoc est, barbam rasam & coronam in capite. *Concil.* Bitur. *ann.* 1031. C. 7.

XI. Presbyteri, Diaconi, qui Ministerio Ecclesiæ funguntur, semper coronas apertas habeant. *Concil.* Coyac. *ann.* 1050. C. 3.

XII. Clerici, qui comam nutriunt ab Archidiacono etiam inviti tondeatur. *Concil.* London. *ann.* 1175. C. 4. & C. 4. 5. 7. *De Vita & Hon. Cler.*

XIII. Præcipimus etiam, quod tàm Episcopi quàm Clerici in habitu corporis Deo & hominibus placere studeant, nec in Tonsura, intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant aspectum. *Conc.* Later. II. *an.* 1139. C. 4. *Conc.* Rhem. *an.* 1148. C. 2.

XIV. Clerici Rasuram & Tonsuram teneant Clericalem, qui autem hoc non fecerit ab Episcopo districtione Canonica compellatur. *Concil.* Dalmatic. *ann.* 1199. C. 7.

XV. Statuimus insuper, ut Clericus Cathedralis vel Conventualis Ecclesiæ, vel alterius, qui de Beneficio vivit Ecclesiastico, talem Tonsuram ferat, quæ gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum; ita quod capilli, qui inter inferiorem & superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem, meritò dici possint corona. *Concil.* Monspel. *ann.* 1215. C. 4.

XVI. Tonsuram & coronam habeant congruentem. *Conc.* Later. Cap. 16. *ann.* 1215.

XVII. Edicto perpetuo prohibemus ne Clerici comam nutriant; maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, ut pateant eis aures. Cæteri inferioris Ordinis Clerici in Tonsura non multùm discrepent ab eisdem, coronam & desuper congruentem habeant. Nec ipsi (Archidiaconi, Decani & similes) nec alii Cleri-

Clerici comam nutriant, sed honestè tonsi & coronati incedant. *Cap.* 33. *Conc.* Oaon. *ann.* 1222.

XVIII. Nec crines, nec comam nutriant, sed decenter & circulariter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, prout exegerit Ordo, quo fuerint insigniti... Si secùs actum fuerit, tàm ipsi, quàm Archidiaconi, qui fuerint desides correctores, se noverint peculiariter ad pios usus, per Episcopum puniendos, &c. *Synod.* Wigor. Cap. 21. *ann.* 1240 Peculiariter hic à peculio derivatur, & pro pecunialiter accipitur; subjuncta verba *ad pios usus* id demonstrant.

XIX. Coronam & Tonsuram habeant congruentem, quod sic intelligi volumus & servari, ut omnes Prælati & Regulares personæ suprà aures in gyrum, ita quod aures omninò pateant, sint attonsi; alii verò in rotundum, ad minus usque ad medium aurium tondeantur. *Conc.* Albiense. *Can.*48. *ann.* 1254. Conc. Tom. XI. *p.* 732.

XX. De Clericis non deferentibus Clericalem Tonsuram... præcipimus, ut Tonsuram comæ, quæ Clericalis sit, habeant, & suas coronas competentes, & eas radere non omittant: Quod tamen invenimus aliquos omittere, quod detestamur, dum tales, & taliter se gerentes privilegio quidem Clericali gaudere contendant, & tamen signum illius privilegii aspernentur. *Conc.* Colon. *ann.* 1260. Cap. 4.

XXI. Statuimus quod Episcopi in suis Synodis, Archidiaconi & Decani in suis Capitulis, Rectores Ecclesiarum Parochialium in suis Ecclesiis, ter in anno publicè denuntient omnibus, qui privilegio Clericali gaudere voluerint, quod Tonsuram decentem, & coronam capitis rasi deferant competentem, maximè coram Ordinariis suis in Ecclesiis & in Congregationibus Clericorum, nec erubescant ipsius portare stigmata, qui pro eis spineam non dedignatus est portare coronam... comminaturi eis, quod qui signum Salvatoris erubuerint frontibus suis imponere, frustrà Salvatoris debebunt auxilium implorare. *Conc.* Lambeth. *ann.* 1261. *sive Constitut. eo anno in hoc Conc.* à Bonif. *Archiep.* Cantuar. *edita.*

XXII. Statuimus, quod ipsi Prælati coronam & Tonsuram patentibus omninò auribus circularem, juxtà Regularium, seu Religiosorum Generalem Consuetudinem approbatam, cùm nulla Religio Pontificali Religione sit major, de cætero deferant, ab omni excessu in capillis & defectu notabili in corona protinùs abstinentes: Sic enim servantes, sibi subditos in prædictis poterunt reformare. *Conc.* Buden. *ann.* 1279. Cap. 1.

XXIII. Quilibet Clericus... nec crines deferat. Prohibemus, ne... Decanus, Archid. notabiliter infrà aures *Conc.* Tolet. *ann.* 1324. *Cap.* 2. & alii Beneficiati vestes breves vel botonitas ante pectus deferant, nec capucia cum longa corneta... *Conc.* Andegav. *ann.* 1365. *Cap.* 12. Idem de Clericis *Cap.* 13. qui addit vestes ad minus propendere debere usque ad genu.

XXIV. Clerici Comam & Tonsuram patentibus auribus habeant congruentes. *Conc.* Bunanse. *an.* 1279. Cap. 8.

XXV. Coronam etiam condecentem portent, per quam designetur Regalis esse generis, & sperare se assequi debere partem hæreditatis Divinæ, quæ scilicet sit rotunda; & ita tonsi sint inferiùs, quod aures pateant; ita quod si sit in Sacris, aut Beneficiatus in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata venerabili, secundùm condecentiam sui statûs, portet latiorem, &c. *Conc.* Ravenn. III. Cap. 10. *ann.* 1314.

XXVI. Istud idem (Statutum privans distributionibus certo casu Clericos, vel arbitrariæ Ordinarii punitioni subdens) in Clericis crines nutrientibus, barbamque prolixam, seu Tonsuram inhonestam deferentibus, volumus observari. *Conc.* Sanun. *Loco* 4. *ann.* 1320.

XXVII. Omnes Clerici cujuscumque statûs aut conditionis existant, coronam rotundam deferant non nimia parvitate notandam, infrà octo dies ex quo illam receperint... & singulis mensibus (justa cessante causa) radi facere teneantur, alioquin Beneficia obtinentes in Provincia pœnam centesimæ fructuum hujusmodi Beneficiorum, quoties defecerint, ipso facto incurrant; non habentes, in pœnam duodecim denariorum monetæ currentis incidant ipso facto, in usus pios Ordinariorum arbitrio convertendam. *Conc.* Avanion. *ann.* 1337. Cap. 41.

XXVIII. Licèt Clericorum gestus exemplum esse debeat & informatio Laïcorum; tamen Clericorum abusus, qui plus solito invaluit, in Tonsuris, abominabile scandalum populo generavit, dum Ecclesiasticas Dignitates, Personatus, Præbendas bonorabiles, & Beneficia Curata obtinentes, in Sacris etiam Ordinibus constituti coronam, quæ Regni cælestis & perfectionis est indicium, deferre contemnunt, & crinium extensorum, quasi ad scapulas utentes, discrimine velut effeminati, &c. *Conc.* Lond. *ann.* 1342. Cap. 2.

XXIX. Clericus, qui gaudere velet privilegio Canonis, Tonsuram seu Clericam quantitatis inferiùs descriptæ deferat... Tonsuræ autem formam, ad omne ambiguitatis tollendum dubium, hîc fecimus circumscribi; quam in eadem mensura per singulos Prælatos, seu eorum Vicarios vel Officiales, jubemus imprimi loco utique publico & patenti, in valvis Ecclesiarum Cathedralium & aliarum majorum Ecclesiarum locorum insignium Diœcesum earumdem. *Conc.* Palent. *ann.* 1388. Cap. 3.

XXX. Nullus Clericus Officiis Ecclesiasticis vacans, deferre audeat tortos crines; cùm secundùm Petrum Apostolum, talis cultus sit habitus Mulierum... Quicumque contrarium fecerit, non recedens à tali habitu muliebri, Ecclesiam & ejus Beneficium, si quod in ea percipit, sibi pro pœna noverit interdictum. *Constitut.* Nicos. *ann.* 1313. *n.* 8.

XXXI. Canonici & alii Beneficiati, sive majoris Ecclesiæ, sive nostræ Diœcesis, in habitu corporis & statu mentis, Deo & hominibus studeant placere; ut nec in superstitiosis vestibus aut Tonsura, intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant aspectum... nec capillos habeant descendentes ultrà extremitatem ultimam auris. *Const.* Nicos. *ann.* 1320. *n.* 4.

XXXII. Volentes cavere, ne favore Ecclesiasticæ libertatis, quidquam illicitum attentetur, quod vel Divinam offendat Majestatem, vel scandalum inducere possit, statuimus ut de cætero Clerici in minoribus constituti, tàm conjugati quàm non conjugati Tonsuram quantitatis unius regalis deferant.

XXXIII. Ad reformationem moris Ecclesiastici statûs, ordinamus & statuimus, quod Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii Clerici in minoribus Ordinibus constituti, de cætero Tonsuram deferant Clericalem, atque crines longos, & tamen sic detonsos, quod auribus patentibus incedant; Ita quod status & gradus cujuslibet eorumdem discerni commodè possint. *Conc. Colon.* 1452. Conc. Tom. XIII. *p.* 1380. *§. Insuper.*

XXXIV. Clerici in minoribus Ordinibus constituti, si velint gaudere Privilegiis Clericalibus, Tonsuram deferant quantitatis unius Regalis. *Conc.* Tolet. Cap. 24. *ann.* 1473.

XXXV. Clerici à novitatibus scandalosis, & deformitatibus monstrosis ... in coma capitis per capillorum dilatationem & defluxum circa nuda colli, & usque ad superficiem frontis & oculorum... abstineant. Illis adhærentes ad Ordines, Beneficia, muniaque qualiacumque Ecclesiastica, non admittantur. *Cap.* 6. *Conc.* Senon. *ann.* 1485.

XXXVI. Clerici Sacros Ordines consecuti, coronam gerant grandem, rotundam, & apertam, Ordinibus suis congruentem. *Conc.* Narb. Cap. 15. *ann.* 1551.

XXXVII. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, Clericali Tonsura insigniti sint, ad eam formam, quam ratio cujusque Ordinis Episcopi arbitrio postu-

postulabit, ita sint abraso Capillo, ut Tonsura conspicua sit omnibus, comam... ne studiosè nutriant, capillis simplicem cultum adhibeant. *Conc.* MEDIOL. *ann.* 1565. Cap. 23. *Concil.* MEXIC. *an.* 1585. *De Vita & Honest. Cler. Conc.* AVEN. *ann.* 1594. *Cap.* 32. restringit ad Clericos in Sacris constitutos, aut Beneficiatos; præcipit, ut renovetur octavo quoque die.

XXXVI. Capillitium dependens à fronte ad auriculas sensim & rotunditer prædicatur; Tonsuram & Coronam, in vertice conspicuam, & notabilis magnitudinis, pro gradu Ordinis sui semper gerant. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1570. *De Vita & Honest.* Cap. 1.

XXXVII. Coronam in vertice capitis morem antiquum iosequendo deferant. *Conc.* ROTHOM. *an.* 1581. *De Episcopis. n.* 21.

XXXVIII. Tonsura utantur, ampliori quàm Sacerdotali. Loquitur de Abbatibus Commendatariis. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Monast. n.* 4. *Conc.* AQUEN. *De Monast.*

XXXIX. Receptionis in Seminario Clericorum, non alia sit ceremonia, quàm in vertice capitis rasura, quæ aliud non est quàm Corona. *Conc.* ROTHOM. *an.* 1581. *De Seminar. fundatione. n.* 16. Clerici omnes Tonsuram gerant; crines calamistratos, ac retortos nonhabeant. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584. *Tit.* 25. Cap. 2.

XL. Tonsura sit conspicua; non ea quidem in omnibus Clericis una; sed major Sacerdotalis digitis tribus undequaque à vertice pateat; duobus Diaconalis; semidigito Subdiaconalis angustior; Minorum Ordinum omnium minima, & digito undique sit diducta. *Conc.* TOLOS. Cap. 4. *n.* 5. *Part.* 1. *ann.* 1590.

XLI. Insigne Clerici Tonsura est... Qui igitur in militiam Clericalem adscitus est, norit hoc à se primùm requiri, ut Tonsuram deferat; qui non detulerit, sciat se pœnis Juris subjacere. *Conc.* AQUILEI. Cap. 11. *an.* 1596. addit præterea plura notanda: 1. Clericum qui Tonsuram negligit, non gaudere privileg. fori: 2. Eundem, si Beneficiatus sit, Beneficio privandum: 3. Se præscripsisse formam Cleric (sic vocat Coronam cujusque Ordinis) ut per Clericum dignosceretur cujusvis Ordo.

XLII. Quilibet Tonsuram habeat suo gradui & Ordini congruam, eamque semper conspicuam. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607. *Tit.* 18. Cap. 2.

Consequentia hinc inferenda.

Ex Collectis Canonibus, sequitur: 1. Nullum esse sæculum à IV. ad XVII. quod non subministret Canones, circa Tonsuram, nec ullam Ecclesiam celebrem, quæ illam non præceperit; atque in hoc Ecclesiarum concordiam non immeritò attendendam: 2. Illam semper & ubique spectatam fuisse, tamquam insigne status Ecclesiastici, quo à Laïcali discernitur; ideoque in illam negligentes, sed præcipuè contumaces, variæ pœnæ constitutæ sunt, pro locorum vel temporum indigentia; has esse excommunicationem, mulctas, Beneficiorum jacturam, necnon privilegiorum Clericalium: 3. Tonsuræ originem desumptam ex usu Nazaræorum, eamque significare Clericos renonciare sæculo, Dominumque in hæreditatem suam eligere; junctamque illi Coronam, ut hinc discerent se Reges esse debere erga affectus suos, ac etiam illorum, quorum Duces sunt, & Ministros illius, qui Coronam spineam pro ipsis ipsorumque subditorum salute gestavit: 4. Coronam eò majorem esse debere, quò major est cujusque Ordo, atque plura Concilia in præscribendo quæ & qualis debeat, immorata fuisse, & typum effinxisse, ne angustior, aut latior, quàm par est, deferretur, Tonsuramque in rotundum faciendam præcepisse: 5. Nihil frequentius in his Canonibus, quàm capillos ita detonsos esse debere, ut pateant aures: 6. Archidiaconis & Decanis à nonnullis Canonibus præceptum esse, ut invigilarent observationi Sacrarum Regularum circa Tonsuram & Coronam, & punitionis minitatos si suo in hoc Officio deessent: 7. Tonsuram variis in Regionibus vocari *Clericam.*

SECTIO IV.

Notabiliores Canones circà habitum Clericalem à CHRISTO *ad nos juxtà ordinem temporum collecti, cum Generalibus inde deductis Regulis.*

Quæ in Canonibus circà Clericorum habitum præcipuè notanda sunt, ad hæc Capita reducuntur.

I. Quæ materia, scilicet an laneus, an lineus, an sericeus?

II. Quæ forma, an brevis, an longus, an apertus, an clausus?

III. Quis color, an niger, an albus, an rubeus, an purpureus?

IV. Quæ distinctio in hoc inter Prælatos & alios, inter Clericos & Laïcos, quæ inter vestes interiores & exteriores, inter illas, quæ domi & in itinere permittuntur, & alias?

V. Quæ peculiaria circà tegumentum capitis, tibiarum, pedum?

VI. Qui abusus damnati?

VII. Quæ pœnæ?

VIII. Quæ potissimæ mutationes?

Hæc autem omnia singulatim & accuratè notabuntur in fine Collectionis; quæ verò speciali nota egebunt in Canonibus seorsim sumptis, ad calcem illorum necessariæ observationes apponentur, undè exurget Historia Ecclesiasticæ Disciplinæ, circà Clericales vestes ex certissimis monumentis desumpta. Cæterùm tanta est connexio Clericalis habitûs cum Clericali Tonsura, ut multi Canones de ista loquentes, de illo quoque mentionem faciant, & è converso. Hujus autem rei ratio, quod vestis & Corona, sint insimul Clericatus insigne potissimum; ondè fit ut utriusque generis Canones, præ aliis maximè vetent circà Tonsuram, ut circà vestes, illa, quæ Clericos cum Laïcis confunderent, si Clerici illa diligenter non effugerent.

I. Clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet, & ideò nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. *Conc.* CARTH. IV. Cap. 45. *ann.* 398.

II. Vestimenta vel calceamenta, etiam iis Clericis, nisi quæ Religionem deceant, uti vel habere non liceat. *Cap.* 20. *Conc.* AGATH. *ann.* 506.

III. Nullus Clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta Sæcularia, nisi quæ Religionem deceant, induere præsumat. *Conc.* MATISCON. I. Cap. 5. *an.* 581.

IV. Non oportet Clericos comam nutrire, & sic ministrare; sed attonso capite, patentibus auribus, & secundùm Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato. *Martin.* BRACAR. LIB. I. *Cap.* 66. Ea Collectio approbata extitit à *Conc.* LUCENS. II. *ann.* 572.

V. Nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad Religiosam Dignitatem, ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore. *Conc.* NARB. *an.* 589. Cap. 1.

VI. Nullus eorum, qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in Civitate degens, neque iter ingrediens; sed utatur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributæ fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur. *Cap.* 27. *Conc.* TRULLA. *ann.* 692.

VII. Episcopus, Presbyter, & Diaconus, sæculari indumento minimè utantur, nisi ut condecet Tunica Sacerdotali; sed nec dum ambulaverit in Civitate, aut in via, aut in plateis sine operimento præsumat ambulare, præter si in itinere longo ambulaverit. *Cap.* 3. *Conc.* ROM. I. ZACHAR. *ann.* 743.

VIII. Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena est à Sacrato Ordine; eos ergo Episcopos vel Clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, Epitimio tradantur. Similiter eos, qui unguentis inunguntur.... Priscis temporibus omnis Sacratus vir cum mediocri ac vili

ac vili veſte converſabatur. Omne quippe quod non propter neceſſitatem ſuam, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam. *Cap.16. Conc.* Nic. II *ann.* 787.

IX. Sicut non eſt communicatio lucis ad tenebras, neque participatio juſtitiæ & iniquitatis; ita neque divitiarum concupiſcentia & mollium amictus veſtimentorum, amictus ad Evangelicam formam atque Hiſtoriam. Aſterius Amiſen laudatus in *Conc.* Nic. II. Conc. Tom. VII. *p.* 487. *ann.* 787.

X. Sunt enim quidam ignorantes menſuram ſuam, & tantæ ſtolididatis ac ſocordiæ, ut & in motu & in inceſſu & in habitu & in ſermone communi riſum ſpectantibus tribuant, & quaſi intelligentes quid ſit ornatus, comunt ſe veſtibus & munditiis corporis, & lautioris menſæ epulas parant, cum omnis iſtiuſmodi ornatus & cultus ſordibus fœdior ſit. *Concil.* Aquisgr. L. I. Cap. 9. *ann.* 816. Conc. Tom. VII.

XI. Ut Presbyteri non vadant, niſi ſtola vel orario induti. Et ſi in itinere Presbyteri ſpoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur, non ſtola veſtiti, ſimplici emendatione ſua ſolvantur; ſi autem cum ſtola, triplicitet. Prior Pars reperitur in *Conc.* Mogunt. *ann.* 813. *Cap.*28. Pars altera non eſt inventa. Totum locum refert Regin. L. I. Cap. 333. ex *Conc.* Tribur. quod eſt *ann.*895. & ſæculo X. referri etiam poteſt, quia hic Collector ineunte hoc ſæculo opus ſuum edidit.

XII. Quærere Deum potiùs cultum cordis quam corporis, evidentibus Scripturæ Sanctæ patet indiciis; proinde Canonicis totis viribus laborandum eſt, ut indumenta virtutum habeant interius, & per immoderatum cultum caveant dehoneſtare Religionem exteriùs. *Conc.* Aquisgr. Cap. 124. *ann.* 816.

XIII. Quoniam propter incompoſitum habitum quorumdam Regularium & Sæcularium Clericorum jam adeò Laïci ſcandaliſantur, quorum frequenter nobis ſunt oblatæ querelæ, quòd non ſolùm in reverentia Viros Eccleſiaſticos habere contemnunt, verùm etiam ipſos & Eccleſias aggravant multipliciter & moleſtant; non credentes his Clericis magis deferendum eſſe quàm Laïcis ..... Jubemus, ut quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus talaribus veſtimentis & camiſia linea ſuper alios pannos extra domum ſuam, ſi pedes vadat, ſemper utatur. Idem obſervet in domo cum Curiam publicè cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat ſuper ſcapulas conſutam more Romano &c. *Conc.* Monspel. Cap. 1. *ann.* 1214.

XIV. Admonemus Presbyteros, ut Populum Dei bonis exemplis, habitu Sancto doceant, & Doctrina erudiant, & informent. *Conſtitutiones* Odon. *Archiep.* Cantuar. *ann.* 943. *n.* 4.

XV. Docemus, ut nec Miſſalia Sacerdos, nec Parochialis aliquis, intra Oſtium Eccleſiæ veniat, vel intra Cancellos, abſque Superiori ſuo indumento. *Canon ſub* Edgaro *n.* 46. *ann.* 967.

XVI. Presbyteri & Diaconi, Miniſterio Eccleſiæ fungentes.... Veſtimentum unius coloris & competens habeant. *Conc.* Coyac. *ann.* 1050. Cap. 3.

XVII. Ut omnia ſcandala, omneſque occaſiones Laïcis ſubtrahantur, ſciſſis veſtibus Clericos aburi ulteriùs prohibemus, & ne pompoſis induantur exuviis admonemus. Penſandum namque eſt quantùm viris flagitii adſcribatur, à quibus cura Paſtoris exigit & fœminas prohibere. *Conc.* Melfitan. *ann.* 1089. Cap. 13.

XVIII. Tàm Epiſcopi quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant, nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in Tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum. *Conc.* Latar. II. *ann.* 1139. *Cap.* 4. Idem habet *Conc.* Rham. *ſub* Eug. III. *ann.* 1148. Cap. 2.

XIX. Prohibemus ne Sacerdotes cappis manicatis utantur, & conſtituti in Sacris Ordinibus manicas conſutitias, ſotulares roſtratos, veſteſque rubri coloris habeant. Galo. Paris. quem *ann.* 1109. adfuiſſe coronationi Ludov. *Junioris* refert Ciaconius. Veſtimentis etiam vel calceamentis, niſi quæ honeſtatem & Religionem deceant, eos uti non liceat.

XX. Si quis autem contra hæc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunioni ſubjaceat. *Conc.* Lond. Cap. 4. *ann.* 1175.

XXI. Clauſa deferant deſuper indumenta nimia brevitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut ſotularibus conſutitiis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur.... Fibulas omninò non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes; ſed nec annullos, niſi quibus competit ex Officio Dignitatis. *Conc.* Latar. Cap. 16. *ann.* 1215.

XXII. Ut Clericalis Ordinis honor debitus ſerveretur, authoritate præſentis *Conc.* decernimus, ut tàm Archid. quàm Decani, & omnes alii in Perſonatibus & Dignitatibus conſtituti, & omnes Decani rurales, & Presbyteri, decenter incedant in habitu Clericali & cappis clauſis utantur &c. *Cap.* 32. *Conc.* Oxon. *ann.* 1222.

XXIII. Ne Clerici de ſuperbia ſint notabiles, præcipimus ut juxtà Statuta *Conciliorum* pannis ſericis, aut viridibus, aut rubeis non utantur... Cappas deferant clauſas Sacerdotes & Perſonatum habentes... Si ſecùs actum fuerit, tàm ipſi, quàm Archidiaconi, qui deſides fuerint in hac parte Correctores, ſe noverint per Epiſcopum peculiariter ad pios uſus puniendos. *Synod.* Wigor. Cap. 21. *ann.* 1240.

XXIV. Antiquos Canones, qui in Clericis ſuperflua & inhoneſta prohibent, ad memoriam reducentes, ſtatuimus, quod nullus Clericus ſuper-tunicale vel tabardum poſt menſem à præſentis Conſtitutionis publicatione, deferat ita longum, quod ſi ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cùm hæc non honeſtas, ſed ſuperfluitas & indecentia cenſeatur. Qui contra fecerit, ſuper-tunicale ipſo facto amittat, per proprium Epiſcopum, ſeu ejus Vicarium, aut Officialem, pauperibus erogandum. Caveant mantellos ſeu Chlamydes nimia longitudine notandos, nec cum chordis nimis longis, nec tunicarum manicas nimis breves, ita ut brachia nuda appareant. *Conc.* Tolat. *ann.* 1324. Cap. 2.

XXV. Quoniam qui abjectis veſtibus, proprio congruentibus Ordini, alias aſſumere & in publico portare præſumit, Profeſſorum illius Ordinis prærogativa ſe reddit indignum; ſancimus quod quicumque Clericus virgata vel partita veſte publicè utetur, vel caligis ſcacatis, rubeis aut viridibus, à Beneficio ſuſpendatur ſi habeat, ſin autem ad obtinendum inhabilis fiat. Clem. II. *De Vita & Hon. Clericorum.*

XXVI. Cùm inceſſus, habitus & veſtimenta Clericorum in gravitate, forma, ac colore diſtincta ſæpiùs non videantur ab habitu Laïcorum, quemadmodum eſſe deberent: Proinde ſtatuimus pro honeſtate Ordinis Clericalis, quod nullus Clericus portet veſtimenta alterius coloris, quàm jure permiſſi, quæ deſuper clauſa ſint, atque talaria. *Conc.* Ravann. III. Cap. 10. *ann.* 1314. *Conc.* Raven. IV. Cap. 4. *ann.* 1317.

XXVII. Sacerdotes & alii in Sacris conſtituti, per Civitates & ſuburbia incedentes, portent habitum decentem, videlicet Cappas vel Chlamydes; extrà Civitates & ſuburbia, ſaltem tabardos talares portent. In Eccleſia utantur Cappis nigris, vel ſaltem coctis albis. *Ibid.*

XXVIII. Ordinamus ut Clerici Beneficiati, tàm Cathedralium quàm Collegiatarum Eccleſiarum, ſive ſint Capellani, Canonici, Vicarii, ſeu ſimplices Choriales, caligis rubeis, viridibus, ſcacatis croceis, ſeu albis, ita publicè non utantur, ſed caligis nigris, ſeu alius honeſtis tantummodò ſint contenti; quod ſi à delatione dictarum caligarum Canonicè moniti non deſtiterint, ipſo facto medietate diſtributionum, &c.

eos privamus ; quod extendetur ad Presbyreros Ordinarii arbitrio puniendos. *Conc.* SENON. *Loco* 4. *ann.* 1320.

XXIX. Canonici Cathedralium & Collegiatarum, necnon Rectores, perpetui Vicarii, & Capellani Curati Parochialium Ecclesiarum .. vestes superiores clausas non nimia brevitate notandas, cum manicis decenter longis pariter & rotundis . . . portare astringantur ; alioquin vestibus sint ipso facto privati. *Conc.* AVENION, Cap. 47. *ann.* 1337.

XXX. Si qui Clerici publicè incedentes in veste superiori, brevi & stricta notabiliter, aut ea cum longis & latis manicis excessivè, cubitos circumquaque non tangentibus, sed pendulis, annulis suis utantur publicè, vel aliis quibusdam præmissorum excesserint (zonis pretiosis miræ magnitudinis, caligis rubeis, etiam scaccatis, viridibus sotularibus; adeò quod à Laicis vix aut nulla pater distinctio Clericorum) ipso facto suspensionem ab Officio incurrant, si intra sex menses moniti non se correxerint; in qua si tres menses steterint, sint eo ipso suspensi à Beneficio, à quo absolvi non possint, nisi ab Episcopo, & post solutam quintam redituum annuorum partem, pauperibus locorum per Ordinarios erogandam *Conc.* LONDIN. Cap. 2. *ann.* 1342.

XXXI. Statuimus injungentes omnibus Decanis, Capitulis, & aliis Judicibus Ecclesiasticis, in virtute Sanctæ obedienriæ, quatenùs Canonicos & Clericos sibi subditos, moneant, ut incedanr cum Tonsura & habitu congrun & decenti, eosdem per substractionem distributionum, & aliàs Canonicè ad hoc compellentes. *Conc.* NOVIOMEN. Cap. 11. *ann.* 1344.

XXXII. Præterea cùm sit certum, eos, qui abjectis vestibus proprio convenientibus Ordini, alias assumere & in publico portare, rationabili causa cessante, præsumunr, se indignos reddere prærogativa illius Ordinis professorum; Starurum Provincialis *Conc.* (SENON. *an.* 1320. suprà relarum) extendimns ad Presbyteros utentes corrigiis inbonestis, seu annulis in manibus, aut sotularibus ad boucletas argenteas. *Conc.* PARIS. Cap. 2. *ann.* 1346.

XXXIII. Cùm nos & Episcopi Suffraganei Capellos detulerimus rotundos & in superiori parte laneos, nullatenùs sericos, cum nigra & non alterius coloris sodratura portemus. *Conc.* TOLET. Cap. 1. *ann.* 1347.

XXXIV. Cùm in *Conc.* TURON. salubriter fuerit ordinatum, ne Presbyteri prodeant in publicum sine Cappis vel mantellis clausis, & quod etiam portent clausa supertunicalia: Nos latiùs prohibere volentes, prohibemus, ne aliqua persona Ecclesiastica... vestes breves in publico deferat... Si Canonicus, à voce Capituli & distributionibus per mensem eo ipso sit suspensus; ita ut vox sit nulla, & distriburiones ad usum assignentur, cui distributiones absentium committuntur. Si aliàs Beneficiatus, à fructibus Beneficiorum per mensem sit suspensus. *Conc.* ANDEGAV. Cap. 13. *ann.* 1365.

XXXV. Dignitates & Personatus vestes Superiores clausas deferant, & honestas; nisi eos contingeret equitare, vel aliàs justa causa subesset, per quam, qualitatem prædictam deberent rationabiliter immutare; supertunicales tales deferant, quod oon possint de inhonestate notari. *Conc.* VAURENS. Cap. 47. *ann.* 1368.

XXXVI. Episcopi, & Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, quantùm in eis fuerit, faciant, ut nullus familiaris ipsorum sotulares deserat cum polanis, nec vestes nimia brevitate norandas; sed in tali & tàm convenienti longitudine, quamdiu erunt in eorum servitio, quod de honestate potiùs commendari valeant, quàm de inhonestate reprehendi. *Ibid.* Cap. 48.

XXXVII. Nullus Clericus Cathed. vel Convent. Ecclesiæ, vel alius de Beneficio Ecclesiastico vivens, indumentis, vel caligis rubeis, vel viridis coloris, vel manicis consuritiis, vel capillis ferratis, vel annulo, vel capa utatur manicata. Archid. verò, Decani, Cantores, & alii, qui in Ecclesiis Cathedr. vel Convent. obtinent Personatus, superinrem vestem, sive lanea sit, sive linea, clausam habear & talarem, quod observari volumus à Clericis curam habentibus animarum. *Cap.* 3. *Conc.* MONSPEL. *ann.* 1215.

XXXVIII. Prælati de cætero cùm equitant, vel etiam in publico pedestres incedunr, habeant cappas rotundas sub quibus habeant camiscias albas, seu rosetas, quas semper sub cappis, sive mantellis, ante pectus vel post collum connexis deferant, cum in publico, hoc est, extra habitationis secreta ipsos contigerit ire vel stare. *Conc.* BUDEN. *ann.* 1279. Cap. 2.

XXXIX. Permittimus, quod possint habere mantellos rotundos, sive tabarda longitudinis moderatæ, eosque deferre cum capuriis separatis tempore pluvioso, nivosn, sive pruinoso &c. *Ibid.*

XL. Ne Prælari, aut alii in Dignitatibus, Personatibus, Canonicaribus, aur Ecclesiis habentibus curam animarum, aut Sacerdotio constituti, manicas deferant consutitias, nec togas, sive guarnacias, seu supertunicalia, aut quæcumque alia vestimenta desuper portent aperta; sed ipsa superiora indumenta circumcircà usque ad fimbrias habeant clausa, nulla collaria, nisi in tabardis vel mantellis ad equitandum, circumcircà omninò rotunda, vel botones, sive fibulas aureas vel argenteas, aut aliquid auri vel argenti habens ornatum in aliquibus suis vestibus deferentes. Quod si qui contrarium fecerint, vestes ejusmodi per Ordinarios suos auferantur in usus pauperum, aut alios pios convertendæ. *Ibid.* Cap. 3.

XLI. Item qnia periculosum est & turpe, quod habitus Sacerdotales, ut sunt cappæ rorundæ clausæ, quibus ambulando per vias & plateas Ministri Ecclesiastici à cunctis popularibus discernuntur, perfidis Judæis, & Infidelibus cum eisdem CHRISTI Sacerdotibus sint communes &c. *Conc.* ARELAT. *ann.* 1260. *in Append. ad* TOM. XI. CONC. *Conc.* ALBIENSE *ann.* 1254. *Cap.* 64. Obligans Judæos ut ferant cappas cum manicis æque longis ac sunt ipsæ cappæ.

XLII. Vestes non deferant, nisi clausas, quas omnimodo prohibemus à latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo ordinatis (fortè ornatis) singulis, fibulis, modulis, in manicis, & capitiis non utantur; sed nec procedant in publicum circumcincti veste suprema. In pileis suffuraturas non habeant, nisi fortè de nigro cendato vel panno, aut nigra pelle aguna, (fortè agnina) Caudata pilea districtissimè prohibemus. *Conc.* SALTZBURG. Cap. 11. *ann.* 1274.

XLIII. Clericos in Sacris constitutos, vel Beneficiatos sericum præterquam ab interiori sutura Chlamydis aut capuciolorum, quæ vulgariter *forratæ* appellantur, nec rubeas, seu claras virides vestes induere, aur caligas ejusdem coloris, seu sotulares albos... nisi cum nigris desuper sotularibus calciare de cætero prohibemus. *Conc.* TOLET. *ann.* 1473.

XLIV. Cùm vestitu honesto incedant qoem Paulus alicubi præscripsit, quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne hi, quibus præest in Sacris Ordinibus constituti, vestes varii coloris velut virgatas & fimbriatas deferant, sed longis atque talaribus utantur... tùm summopere curantes, ne quem Laicorum indecentia vestitus offendanr, ut Sacris Canonibus cautum est. *Constit. ad Cler. Germ. Ref. ann.* 1524.

XLV. Omnes Clerici semper deferant habitum Clericalem, nisi talis necessitas immineat, quod ad tempus possint apud Deum & homines excusari. Et qui contrarium attentare præsumpserit, timeat verbum Domini crudeliter increpantis omnes illos, qui indnunt vestem peregrinam. *Constit.* NICOS. *ann.* 1313. *n.* 2.

XLVI. Cùm omnis jactantia lasciviæ corporalis à Sacro Ordine fieri debeat aliena; penitùs à S. Canonibus & Sanctis Patribus providè prohibetur, sub gravibus pœnis & censuris, ne viri Ecclesiastici in Sacris Ordinibus constituti, potissimè Sacerdotes ... deferant vestes nimia

nimia brevitate ridiculosas vel notandas, nec in calceamentis quærant gloriam & decorem. *Conc.* Eborac. *an.* 1367. *C.* 7. Eaplicans inferiùs quæ sint illæ vestes nimiùm breves, dicit illas esse, quæ medium tibiarum non atringunt.

Statuimus universos Clericos, vestes nnn rubei coloris nec viridis deferre desuper clausas, sic quod superior aliis superemineat, ut inferior nequeat maximè in summitate apparenter videri; hirretum capiti superpositum cum caputio humeris imposito portare ipsis in publico deambulantibus. *Conc.* Frising. C. 4 *an.* 1440.

XLVII. Ne Clerici præsertim in Sacris constituti longas & amplas cornetas in suis caputiis deferant, sed breves & decentes; nec fimbrias soderatas habeant superiùs & inferiùs in tunicis suis, quæ nimia longitudine aut brevitate notari possint. *Concil.* Rothomag. C. 32. *ann.* 1445. Clerici vestes deferant competenter longas, decentes, & honestas, in lateribus clausas, juatà morem & Consuetudinem Diœcesium, seu locorum. *Concil.* Colon. *ann.* 1452. *§. Insuper.*

XLVIII. Statutis Canonicis quæ olim sunt prodita pro honestate Clericornm ac vita, illud duximus adnectendum, ut aliquis Clericus botones vel firmallos aureos vel argenteos, deauratos, vel deargentatos, deferre in aliquibus vestibus non præsumat. *Concil.* Albic. *ann.* 1254. C. 47.

XLIX. Canonici & Parochi decenti indumento, nempè talari veste, incedant ornari; nisi fortè urgeutia negotia curaturi gradum accelerent: Tunc enim saltem ad genua demissam æquum est eos deferre... cujus color Sacerdotem deceat, quam nec longitudo nimia, nec brevitas deformem reddat. Prohibetur Clericis omnibus Sacris sumptuosisque vestibus uti, iis eaceptis qui in Dignitate, dummodo modestiam servent. *Concil.* Narbon. C. 15. *ann.* 1551.

L. Personæ Ecclesiasticæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint ... aut Beneficia qualiacumque obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum Ordini & Dignitati coogtueotem, & juxtà ipsius Episcopi Ordinationem & Mandatum non detulerint, per suspensionem ah Ordinibus, Officio, Beneficio, & si semel correcti denuò deliquerint per privationem coerceri possint & debeant. *Conc.* Trid. *Sess.* XIV. *ann.* 1551. Cap. 6.

LI. In omui vestitu color tantùm niger adhibeatur, nisi fortè alium colorem requirat Dignitatis gradus. Omnem habitus & Ornamenti novitatem Clerici fugiant; ne serico vestimento domi aut foris utantur; eaterna vestis simplea ac talaris erit toga, quod *mantelletum* vocant, aut æque cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur, nisi sit ea numero Prælatorum, quibus ea Dignitatis gradu judicio Episcopi interioe ejusdem generis, ad talos demittatur. *Concil.* Mediol. I. Cap. 23. *ann.* 1565. *Conc.* Mediol. II. *T.* 2. *Decret.* 31. in quo nominantur, quibus mantelletiusus permittitur ex lege ut talare sit.

LII. Quo hujus vani sæculi loxus à Dei Ministris arceatur, nullus Clericorum nimis pretiosis, aut statui incongruentibus in pollerum utatur vestibus, neque caligis follicantibus, & peregrina forma levitatem præferentibus. Dum in publicum prodeunt, qoi in Sacris Ordinibus constituti sunt, pileum Sacerdotalem & vestem gestent talarem, potissimùm qui in Oppidis agunt; qui verò ruri, ad dimidium ribiarum usque promissam ad minimum habere debeant. *Concil.* Mechlin. *De Vita & Honest. C.* 2. 3. *ann.* 1570.

LIII. Modesto, atque absque sericis in Ecclesia togis, & extra eam decenti habitu utantur. *Conc.* Rothom. *De Epis. & Canon. ann.* 1581.

LIV. Veste Ecclesiastica, eaque talari ac decenti, utantur omnes Clerici; nec sine illa Pallium breve aut longum deferant, aut nunquam prodeant in publicum; nec crispatis indusiis vel arte scissis calceis dissolutorum Laïcorum personas referant. *Concil.* Rham. *De Cler. in genere. ann.* 1583.

LV. Qui Sacris Ordinibus initiati sunt, vel qui Beneficia etiam simplicia obtinent .... habitum Ordini suo atque Dignitati congruentem gerant; alioqui multentur privatione redituum illius anni, quos Episcopus pro suo arbitratu piis rebus attribuet. Vestes eorum sint talares; neque foris, neque domi vestimento ullo serico, alteriusve quàm nigri coloris, nisi causa Dignitatis id eis liceat, ullo modo utantur. *Conc.* Burdigal. *ann.* 1583. C. 21. Ecclesiasticos omnes tàm Sæculares quàm Regulares honestos ac Ordini suo convenientes habitus, deferre; neve penulati, maximè in Civitatibus & Oppidis, incedant; sed togis talaribus, non tamen sericeis. *Conc.* Turon. *T.* 13. *an.* 1583.

LVI. Clerici omnes vestibus talaribus utantur, ita ut manicas non ab humeris dependentes, nec dissectas, sed brachiis indutas habeant. Sericeis indumentis, alteriusve quàm nigri coloris omnes Ecclesiastici abstineant, iis eaceptis, quibus id ratione Dignitatis concessum est. *Conc.* Bitur. *T.* 25. C. 2. 3. *ann.* 1584.

LVII. Vestes coloris tantùm nigri, ac simplices, sericis omnibus ornamentis exclusis, adhibeant; eateriorem quidem talarem, interiorem saltem usque ad tibiæ medium; quamquam in Civitate utraque talaris esse debet; in itinere verò breviores quidem permittimus, sed ne omninò suprà genua sint vetamus. *Concil.* Aquen. *De Vita & Honest. Cleric. ann.* 1585.

LVIII Habitum honestum deferant, tunicas clausas, aut alterius generis cum pallio quod *mantellum* vocant, ad talos usque dimittant, & in omni vestitu non alium quàm nigrum colorem adhibeant; verumtamen si iter faciendum sit, contractiori habitu & ad iter accommodato, nigri tamen coloris, & parùm infrà genu demisso, eis uti liceat, ut ex habitu Clericos esse ubique appareat *Conc.* Mexic. Lib. III *T.* 5. *n.* 1. *an.* 1585.

LIX. Quo major Ordini autoritas concilietur, honesto decentique habitu incedant; quæque super hac re à Sanctissimo Domino Nostro Sixto V. Bulla huic *Concilio* inserenda sancita sunt, debitè observent. Vestem talarem utramque, si fieri possit adhibeant, sin minus exteriorem saltem, alteram verò ad suræ imum demissam. Hoc autem discriminis intererit, ut qui interiori talari utentur, pallium ad talos usque eatensum gestare poterunt; sola aliis toga, eaque sumptis admorisque brachio manicis, nisi fortè domi privatimque, concedetur. *Conc.* Tolos. *Part.* 1. C. 4. *n.* 3 4. *ann.* 1590.

LX. Habitus Clericorum sit decens, & honestus, nec nimiùm elegans, nec sordidus; sed hujusmodi, qui ipsorum vocationi & statui respondeat, totus nigri coloris, non vanus, non effæminatus, non militaris. Clerici omnes Beneficiari, vel in Sacris constituti, duas talares vestes gestabunt, vel saltem tunicam usque ad genua demissam sub altero indumento, quod talos contingat. *Conc.* Avenion. *ann.* 1594. C. 32.

LXI. Habitum Clericalem in Civitatibus, terris, & Oppidis dicimus esse vestem talarem collo constrictam cum pallio superiore longo; colorem nigrum modestiæ Clericali aptum, convenientemque dicimus: Colores alios quoscumque etiam in manicis & fibulis caligarum damnamus & probibemus. Statuimus vestem Clericalem itinerantium eam esse, quæ saltem usque ad genu longitudine producta, genu Clerici stantis operiat; hæc autem coloris nigri esse debet, & Clericaliter ad collum formata. *Conc.* Aquil. *T.* 11. *an.* 1596.

LXII. Tunicas eateriores manicatas, & Clericale biretum, quod est Ecclesiasticorum hominum proprium, semper gerant; galerum verò non adhibeant, nisi cum ob adversam valetudinem, aut aëris intemperiem ...., qui tamen sericus non sit, aut ad instar militatium turbinatus. *Conc.* Mechlin. *T.* 18. C. 4. *ann.* 1607.

LXIII. Quoniam mundana curiositas quotidianas adinvenit levitates, omnis ille babitus Ecclesiasticis interdictus sit, à quo Episcopus abstinendum mandarit; & qui ab Episcopo moniti, etiam per Edictum publicum, honestum habitum Clericalem non gestaverint, per suspensionem ab Ordinibus, Officio,

Beneficio ac fructibus ipsorum; necnon si semel correcti, iterum in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum & Beneficiorum coerceantur. *Ibid. Concil* MEDIOL. III. *C.* 10. *ann.* 1573.

LXV. Vestes non sericas aut serico foderatas, aut quocumque modo dissectas, vel bombicino limbo ornatas nec caligas tumentes gestent, non sordidas, sed decentes; ne in nimio cultu vanitas, in abjecta incuria rusticitas accusetur. *Concil.* NARBON. Cap. 4t. *ann.* 1609.

LXVI. Si qui suæ sortis, & Calicis & hæreditatis Domini immemores, eadem à se abjiciant, & Canonicum, seu Clericalem, tanti momenti ad existimationem Ecclesiasticam conservandam, ornatum induere renuerint: ii omnes quamprimùm à suo Ordinario tet moneantur, ut infrà competentem terminum Clericalem habitum & Coronam gestare habeant, aut secùs crescente contumaciâ suâ, omnibus suis Beneficiis priventur, & de cætero ad alia obtinenda inhabiles censeantur. *Concil.* BURDIGAL. Cap. 13. *n.* 4. *ann.* 1624.

Alii Canones notabiles de eadem re ex Bullario deprompti.

I. Qui in sortem Domini ad Ecclesiæ decus & ornamentum sunt vocati, & ex eo Clerici nomen consecuti, quique Ecclesiastico censu vivunt, singulari aliquo signo, à reliquo populo, distingui debent, ne cui eorum dici possit, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? *Bulla* XCII. SIXTI V. *Cùm Sacrosanctam.* §. 1. *ann.* 1589. BULLARII TOM. II. *pag.* 658.

II. Clerici, qui Clericali honore neglecto in vestibus Laicalibus incedunt, eo se mirifico indignos privilegio reddunt. *Ibid.*

III. Sacris Canonibus, *Conciliis* Generalibus, & Apostolicis Constitutionibus, certus circa eorum, qui Clericali charactere insigniendi sunt, habitum, ætatem, & alias qualitates est præscriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali, & Tonsura non incedentes, imposita pœna; nempè ut gratiis, immunitatibus, & aliis privilegiis Clericalibus, minimè gaudeant. *Ibid.*

IV. Præceptum est & mandatum omnibus & quibuscumque Clericis, non solùm in Sacris, sed etiam in aliis Minoribus Ordinibus constitutis, & Clericali tantùm Tonsura insignitis, & nedum Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque etiam simplicia obtinentibus, & in illis vel ad ea jus habentibus, verùm etiam Pensiones super quibusvis fructibus, redditibus, aut proventibus, quarumcumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Præposituraram, Canonicatuum, Præbendarum & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, Tonsuram & habitum Clericalem, vestes scilicet talares, & quacumque remota excusatione assumere, & jugiter deferre. *Ibid.* §. 2.

SECTIO V.

Notabiliores Canones de Interdicto Clericis cum Mulieribus Consortio, ex purioribus Juris fontibus deprompti, servatoque temporis Ordine à CHRISTO *ad nos digesti, ac notis necessariis illustrati.*

Non infrequentes Clericorum lites, vel querelæ adversus Statuta Synodalia, quibus ætas, & qualitas famulorum, quos in servitio suo habere possint, præscribitur, Collectioni, quam suscipimus, ansam præbuerunt. Ad illarum decisionem necessaria visa est, cùm ostendat illa Statuta continuæ Ecclesiæ praxi ab ipsius fundatione ad sæculum nostrum usque, conformia esse, quod unum sufficit, ut illa justa esse omnibus notum certumque fiat; in hac autem videbitur, quæ & qualia *Concilia* Clericorum cum Mulieribus consortium prohibuere, quibus de causis, quæ Mulieres in prohibitione comprehensæ, quæ exceptæ, quomodo exceptiones restrictæ sunt, quæ restrictionum, necnon & exceptionum motiva, quæ cautelæ adhibendæ ne exceptiones noceant, aliaque non pauca, quæ in clericodis ex illa consequentiis enucleabuntur?

I. Episcopus, vel quilibet Clericus alius, aut Sororem, aut Filiarum Virginem, dicatam Deo, tantùm secum habeat, extraneam verò nequaquam secum habeat. *Concil.* ELIBERIT. Cap. 27. *an.* 305.

II. Vetuit omninò magna Syn. ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitùs eorum, qui sunt in Clero, introductam habere Mulierem, præter quàm utique Matrem, vel Sororem, vel Amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt. *Concil.* NICÆN. Cap. 3. *an.* 325. *Concil.* CARTHAG. III. Cap. 17. *ann.* 397.

III. Pastoris cura, quantùm debet & potest, præmoneat, ut nullis liceat, ab affectu abstinentibus carnali, apud extraneas pariter commorari; occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ suspiciones, quibus subtilitas Diaboli, sub prætextu charitatis & dilectionis incautas animas, vel ignaras irretire consuevit. *Concil.* CARTHAG. *ann.* 348. Cap. 3.

IV. Clerici, vel continentes, ad viduas, vel Virgines, nisi ex jussu vel permissu Episcoporum, aut Presbyterorum, non accedant, & hoc non soli faciant, sed cum Conclericis, vel cum his, quibus Episcopus, aut Presbyter jusserit; nec ipsi Episcopi & Presbyteri soli accessum habeant ad hujusmodi fœminas; sed ubi aut Clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani. *Cod. Eccles. Afric. Cap.* 38. Codex creditur à Doctis nonnullis conditus *an.* 419. *Can.* verò desumitur è *Concil.* CARTH. III. *ann.* 397. Cap. 25.

V. Si quis Clericus à gradu Diaconatûs in solatio suo Mulierem, præter Aviam, Matrem, Filiam, Neptem, vel Conversam, secùm uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur; par quoque & Mulierem, si se separare noluerir, pœna percellat. *Concil.* ARELAT. II. Cap. 3. *ann.* 452.

VI. Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus, ad cellarii secretum intromittat Puellam, vel Ingenuam, vel Ancillam. *Cap.* 4. *Ejusd. Conc.*

VII. Quia nullum Diabolo locum dari oportet, hoc præcipue custodiendum decrevimus, ut nullam Clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, ne ullum malè loquendi, vel sentiendi hominibus aditum tribuant; quia frequenter, per hanc indecentem occasionem contigit, ut Diabolus, qui insidiatur, sicut Leo in cubili suo, de ruina Servorum Dei triumphaverit. Si quis verò Clericus post interdictum Episcopi sui illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum voluerit inhærere, à Communione habeatur alienus. *Conc.* TURON. I. *ann.* 461. Cap. 3.

VIII. Id etiam ad custodiendam vitam & famam speciali Ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ Mulieri, qualibet consolatione, aut familiaritate jungatur; & non solùm in domo illius extranea Mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam Mulierem habeat potestatem. *Cap.* 10. *Conc.* AGATH. *ann.* 506.

IX. De his, quibus cura pro parentelæ proximitate haberi permittitur, ut cautela eorum necessitates sustentent, pietatis Beneficia quæ ipsis necessaria longiùs præbeant: Ipsi verò pro visendis eis, cùm ingressi fuerint, celeri salutatione recurrant, nec inibi mansionem faciant: Qui tamen, cùm ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide & ætate probatum adhibeant secùm. *Concil.* TARRACON. Cap. 1. *ann.* 516.

X. De conversione vitæ id statuere placuit à Pontifice usque ad Subdiaconum, post suscepti honoris officium, si quis ex conjunctis fuerint ordinati, ut sine

fine conjuge habitent; quod si habitare voluerint, alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vitæ ejus debeat clarior apparere. *Cap. 6. Conc.* Gerand. *ann.* 517.

XI. De his verò, qui sine conjugibus ordinantur & familias domi habent, habito secùm pro vitæ conversatione fratre in testimonium, non per quamcumque fœminei sexûs personam ejus substantia gubernetur; nisi aut per puerum, aut per amicum suam domum debet ordinare. *Ibid.* Cap. 7.

XII. Episcopo, Presbytero, & Diacono, vel cæteris Clericis, horis præteritis, *id est*, meridianis, vel vespertinis, ad fœminas prohibemus accessum; quæ tamen, si causa fuerit, cum Presbyterorum, aut Clericorum testimonio videantur. *Cap.* 20. *Conc.* Epaon. *ann.* 517.

XIII. Illud præterea speciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua *Concilia* in universis penè *Conciliis* siluerunt, ut nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus & suprà, in consortii familiaritate habeat Mulierem vel Ingenuam, vel Libertam, aut Ancillam . . . Sanè si post datam hanc monitionem, quisquis horum consortio frui voluerit, noverit se non solùm à Clericatûs Officio retrahi, vel Ecclesiæ foribus pelli; sed etiam ab omnium Catholicorum, Clericorum, vel Laicorum Communione privari. *Cap.* 3. *Conc.* Tolet. II. *ann.* 531.

XIV. Fugiatur his (Episcopis, Presbyteris, Diaconis) extranearum Mulierum culpanda libertas . . . in cubiculo, atque cellario, vel familiari servitio, neque Sanctimonialis ulla, neque extranea Mulier, atque Ancilla, ullo modo admittatur. Quod si quis Præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, sciat se autoritate Canonica Communionis subire jacturam; quod si Antistes culpam hanc in Presbytero, aut Diacono distringere Canonico rigore noluerit, ipse severitate sententiæ teneatur. *Cap.* 16. *Conc.* Arver. *ann.* 535. *Concil.* Matisc. I. Cap. 1. *ann.* 581.

XV. De familiaritatibus Mulierum licèt crebriùs sit in Canonibus replicatum, attamen necesse est, ut si secta virgulta, quæ malè pullulaverant, redeant, rursus fidei falce succidantur: Nullus ergò Clericorum pro occasione necessitatis, aut causa ordinandæ domûs, extraneam Mulierem in domo sua præsumat. Et cùm jubeamur victum aut vestitum Artificiolo quærere, & propriis manibus laborare, quid opus est in domo serpentem includere pro veste, quæ multiformem vestem non propterea deponit, ut nudetur; sed ut se, dùm renovatur, ostendat clariorem. *Cap.* 10. *Conc.* Turon. II. *ann.* 567.

XVI. Habeant Ministri Ecclesiæ, utique Clerici, qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, licentiam extraneas Mulieres de frequentia cohabitationis ejicere. *Ibid.* Cap. 11.

XVII. Sancimus, ut nullum Clericum, ab Ordine Sancto Antistitis usque Subdiaconi gradum, Mulierem præter Matrem, Amitam, Sororem in hospitio suo habere liceat. *Conc.* Lugdun. Cap. 1. 583.

XVIII. Si qui Clericorum, præter Matrem, aut Germanam, vel etiam, quæ proxima affinitate junguntur, alias aliquas quasi adoptivas fœminas secum retinent, & cum ipsis habitant, sicut Priscillani Secta docuit, anathema sit. Refert Martin. Bracar. Lib. I. Cap. 32. ex *Conc.* Bracar. I. *Cap.* 15. Quod autem jure primum appellandum venit, sine Canonibus habes. 10: *Conc.* 2. *p.* 1508. Is scripsit exeunte sæcul. VI.

XIX. Nec Mulieres alloquantur, aut domi retineant. *Stat.* Rhem. *n.* 7. per Sonnatium *circa an.* 630.

XX. Ea tamen circa Monachos, (qui Moniales dirigunt) disciplinæ cautela servata, ut remoti ab earum peculiaritate, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum; sed nec Abbati, vel ei qui præficitur, extra eam quæ præest, loqui Virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit; nec cum sola quæ præest, frequenter eum eis loqui oportet; sed sub testimonio duarum aut trium Sororum; ita ut rara sit accessio, & brevis omninò locutio. *Cap.* 11. *Conc.* Hispal. II. *ann.* 619.

XXI. Omnem fornicandi occasionem auferre cupientes, id omnimoda sancimus autoritate tenendum, ut nullus de Clero absque honesto & competenti testimonio (excepta sola Matre) eum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adjungere . . . ne licentia Sororum vel propinquarum Mulierum familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. *Cap.* 5. *Concil.* Bracar. IV. *ann* 675.

XXII. Neque Presbyteri, vel Diaconi, vel quilibet de Clero . . . quasi Visitationis, vel Prædicationis causa, sine permissu Episcopi, sibi licentiam tribuat ineundi Monasteria Puellarum; quin etiam nec Episcopus absque Sacerdotibus, vel Clericis suis, ut decet, & honestè convenit, adire illuc licentiùs se existimet; sed sive ipse, sive alius, alienus ab illicita suspicione, eum idoneis testibus peragant, ne propter incautam præsumptionem Sanctæ Ecclesiæ infametur Angelicus Ordo. *Concil.* Forojul. Cap. 12. *ann.* 791.

XXIII. Nullus eorum, qui in Sacerdotali Catalogo degunt, extra eas, quæ in Canone recensentur, à suspicione alienas personas, Mulierem possideat, vel Ancillam, se nulli reprehensioni affinem ex hac servans. *Concil.* Trull. *an.* 692. Cap. 5.

XXIV. Nullus (Presbyterorum vel Diaconorum) in domo sua Mulieres habitare permitat. *Capitulare I.* Carloman. *ann.* 742. Lib. V. *Capitul.* Cap. 2.

XXV. In eadem Synodo (Nicæna) interdictum est Presbyteris, & Diaconis, vel omnibus, qui in Clero sunt, Mulierem habere in domo sua propter suspicionem, nisi Matrem, aut Sororem, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt. *Capitul.* Aquisgran. *ann.* 789. Lib. I. *Capitul.* Cap. 4.

XXVI. Si quis autem Presbyter, sive Diaconus, posthac in domo sua secùm Mulieres extra Canonicam licentiam habere præsumpserit, honore simul & hæreditate privet, utriusque ad nostram præsentiam (privet, id est Comes). *Capitul. ann.* 802.

XXVII. Omnibus Clericis fœminas secum in domibus suis habere ultra licentiam Canonum firmiter sit contradictum. *Concil.* Mogunt. Cap. 49. *ann.* 813.

XXVIII. Nullus ergò deinceps Clericorum pro occasione necessitatis vestes faciendi, aut causa ordinandi domus, extraneam Mulierem in domo sua habere præsumat. *Additio* 4. *Capitul.* Cap. 87. ex *Concil.* Turon. II.

XXIX. Ut in Monasteria Puellarum, nonnisi probatæ vitæ & ætatis provectæ viri, ad quascumque earum necessitates vel ministrationes, permittantur intrare; ad faciendas verò Missas qui ingressi fuerint, statim exacto Ministerio regredi festinabunt. Aliàs autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ad Puellarum Congregationem habebit accessum, nisi aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere. *Concil.* Arelat. VI. Cap. 7. *ann.* 813. *Conc.* Turon. III. Cap. 29. *ann.* 813.

XXX. Presbyteris, qui in Monasteriis Puellaribus Missarum solemnia celebrare debent, extra Monasterium sit locus, & Ecclesia, ubi cum Ministris suis habitent, & Divinæ servitutis obsequium expleant, & nonnisi statuto tempore Monasterium ingrediantur, & cum eis Diaconus tantùm & Subdiaconus, qui scilicet & vitæ honestate clarescant, & non se, sed Christum amare cupiant . . . & ampliùs ibi commorentur, nisi in Missarum Celebrationibus ad Sanctimoniales publicè faciendis. Quibus ritè ac devotè celebratis foras egrediantur. Sanctimoniales ante posito, ut moris est, horas Canonicas & Missarum solemnia celebrent . . . Nulla illarum cum Presbyteris aliisque Ministris aliquam sermocinationem familiarem habeant; si qua Sacerdoti peccata sua confiteri voluerit, id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur,

deatur,

deatur, ficut in dictis Sanctorum Patrum continetur, exceptis infirmis, quibus in domibus id facere necesse est; nam Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum, qui utique boni sint testimonii secum habeat ob vitandam detractionem. *Conc.* AQUISGR. *Lib.* II. Cap. 27. *ann.* 816.

XXXI. In domibus Sacerdotum, propter malæ opinionis famam habitatio fœminarum penitùs tollatur, neque illi in domos earum intrare indiscretè præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illus blasphemetur, per quos laudari piè & jugiter debet. *Capitul.* CAROL. CALVI. *an.* 877. Cap. 9.

XXXII. Ut nullus in domo sua pro aliqua occasione fœminam teneat, præter eam, quæ Ecclesiæ deservierit, juxtà Ecclesiam collocare studeat . . . ab Ecclesia ei domum providcat, & non per se, sed per suos Ministros necessaria præbeat. *Capitul.* GUILLEBERTI *Episcopi. De Interdictis.* Cap. 5. BALUS. suspicatur eumdem esse ac GISLEBERTUM *Episcopum* CARNOT. qui subscripsit *Capitular.* CAROL. CALVI. *ann.* 877.

XXXIII. Neque Mulieres quamcumque frequentationem habeant in locis, in quibus Presbyteri aliquem recursum [illegible] uerint. *Conc.* MELO. *ann.* 845. Cap. 36. RE[illegible] I. Cap. 83. legit *habitationem.*

XXXIV. Nullus Sacerdos eas personas fœminarum, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat; sed neque illas, quas Canones concedunt (quia instigante Diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) sed si quis de his habuerit, talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico, aut villa, domum longè à Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. *Conc.* NANNET. *Cap.* 3. *sæcul. IX.* Annus autem nescitur. CONC. TOM. IX. *p.* 469.

XXXV. Inquirendum . . . si aliquis Presbyterorum Mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel quod turpius est, tales Mulieres ibi habuerit, quæ lanificium suum exerceant, & curam domus agant; & ad eadem loca Presbyter incongruè recurrerit, frequentaverit, vel manserit, quoniam contra Decreta Canonum hoc malum agitur. HINCMAR. *in Capitul. datis Presbyteris.*

XXXVI. Beatus GREGORIUS ad Ministros Ecclesiæ Romanæ scripsit. B. AUG. nec cum Sorore habitare consenserit, dicens: *Quæ cum Sorore mea sunt, Sorores meæ non sunt*: Et ex hoc dicit S. GREG. *Docti ergò viri cautela magna nobis esse debet instructio; nam inhonesta præsumptionis est, quod fortis pavet, minùs validum non timere; sapienter enim illicita superabit, qui didicerit etiam non uti concessis.* *Conc.* TROSLAIAN. *ann.* 909. Cap. 9.

XXXVII. Illud quoque non minùs periculosum esse didicimus, quod in quorumdam Episcoporum Parochiis quosdam Presbyteros, contra interdicta Sanctorum Canonum, fœminas in domibus suis, non solùm habitare, sed etiam sibi faciunt ministrare, quas & laqueum Sacerdotibus persæpè extitisse, & multos hac occasione in scandalum, & in detractionem corruisse cognovimus. *Conc.* AQUEN. *ann.* 836. Cap. 2. *Part.* 2. *n.* 7.

XXXVIII. Ut juxtà Sanctorum interdicta Patrum, nullus Sacerdotum quamlibet sexûs muliebris in domo sua cohabitare permittat; neque sine arbitris, vel testibus idoneis cum aliqua solus loqui præsumat, ne fortè sibi, aut alicui famulorum derogationis suspicio oriatur. WALTERUS AURELIAN. *in suis Capitul. n.* 2. Hunc sedere cœpisse *ann.* 870. conjicit CELLOTIUS & *ann.* 871. hæc Capitula fecisse, quia in inscriptione dicitur WALTERUS ea promulgasse *anno* 2°. *Ordin.*

XXXIX. Observandum quoque monemus, ne Presbyteri, vel Clerici fœminis cohabitent, neque detrahendi se locum donent: De qua re CLEMENS Sanctæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Præsul ita edocet: *Clericus*, inquiens, *ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet*: Nec Presbyter solus cum solâ fœmina fabulas misceat, definiente S. NICÆNO *Concilio*, neque Presbytero, neque Diacono, neque ullo Clerico licere habere secum Mulierem extraneam: Nos verò etiam à Matribus, Amitis, Sororibus, vel propinquis cavendum dicimus &c. . . . Quod si aliquis vestrûm eas ad convescendum vocaverit, expleto convivio, ad domos suas, vel hospitia à domo Presbyteri remota, cum luce diei eas remeare faciat. RIEULF. SUESS. *Constitut.* Cap. 14. *ann.* 889.

XL. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Mulierum consortium plus æquo diligat; sed propriam uxorem diligito, *id est*, Ecclesiam. *Canones dati sub* EDGAR. *Rege.* Cap. 60. *De Ordinat. vivendi form.*

XLI. Quoniam impudici Sacerdotes bonorum famam lædunt, & Ministerium Sanctum vituperant; insuper & Canonica Sanctorum Statuta violant Patrum, quibus interdicitur cum fœminis accessus & frequentatio ac cohabitatio Clericorum; cogimur & priorum quædam commemorare Decreta Patrum, & contra nova recrudescentium semper genera morborum nova quærere experimenta medicamentorum. *Concil.* TROSLEIAN. *an.* 909. Cap. 9.

XLII. Episcopus sicut nullam habebit (fœminam) ita cum nulla penitùs habitabit. Quod si fecerit, & nostris Regulis & mundanis Legibus concordantibus, honore, quo se ipse fecit indignum, abjicietur. *Cap.* 2. *Concil.* TICIN. *sub* BENEDICT. VIII. *an.* 1012. *Pontifice creato, & mortuo ann.* 1024.

XLIII. Presbyteri & Diaconi, qui Ministerio Ecclesiæ funguntur . . . Mulieres secum in domo non habeant, nisi Matrem & Sororem, aut Amitam, aut Novercam. *Conc.* COYAC. Cap. 3. *ann.* 1050.

XLIV. Episcopus cum nulla unquam Muliere habeat tectum, cum nulla habeat lectum; quod si fecerit, servato antiquo & moderno Ecclesiæ judicio, deponatur. Eritque tantò casus gravior, quantò gradus altior. HENR. II. *Imp.* confirmans *Can.* 2. *Conc.* TICIN. *mox cit.* 15. regnavit ab anno 1002. ad ann. 1024.

XLV. Decreverunt primùm tùm omnes unanimi cogitatione, ut neque Episcopus, neque Sacerdos Missalis, neque Diaconus, neque qui verè est Canonicus in domo sua secum haberet aliquam Mulierem, nisi Matrem, vel Sororem suam, Amitam, vel Materteram suam; & qui aliter fecerit Ordine & gradu suo privaretur. *Canon* ÆLFRICI ad WULFINUM *Episcopum n.* 5. Horum ætas incerta LABBÆO. Illam conjicere est ex subscript. *Conventus* WESTMONASTER. *an.* 1066. in his enim 3. loco recensetur WULFINUS *Episcopus*. *Ego* WULFINUS *Episcopus consensi & subscripsi.*

XLVI. Videsne quod penitùs Clericis conjugale Opus interdicatur, qui pro ipsâ cohabitatione fœminarum, non solùm de Ministerio Altaris, sed de Clericatu suo periclitari jure censentur. Hæc addit GREGORIUS VII. in Apologitico pro Decretis suis *n.* 11. post relatum NICÆNUM *Can.* qui vetat Clericis ne habeant secum Mulieres extraneas, circa *an.* 1077.

XLVII. Ut in domibus Clericorum nullas liceat habitare Mulieres, nisi quas S. Canones permittunt. *Conc.* CLAROM. *sub* URBAN. II. *ann.* 1095. Cap. 10.

XLVIII. Nullus Sacerdos vel Capellanus teneat in domo sua aliqua occasione Mulierem, nisi Matrem, aut Sororem, aut talem, de qua visum sit Episcopo quod careat omni suspicione inhonesta. ODO *Paris Successor* MAURITII. *ann.* 1196. *defuncti. n.* 12. *T. De Præcep. Commun.*

XLIX. Excommunicamus . . . quoscumque Clericos, qui, post legitimam admonitionem, Mulieres, de quibus suspicio mala suboriri possit, in domibus propriis vel alibi . . . duxerint retinendas. Moneantur quoque ne Matres vel Uxores, aliasque conjunctas personas secum habeant, cum quibus etsi nihil sævi criminis fœdus naturale existimari permittat, tamen frequenter, suggerente Diabolo, cum talibus noscitur fuisse facinus perpetratum. *Cap.* 1. *Constitut.* GALLO. *ann.* 1208.

L. Fœmina familiaris est inimicus, habitans non procul sed propè; non extra sed intrà; nam virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbiculo ventris ejus. Numquam fugatur, nisi eum fugitur; numquam mactatur, nisi cum maceratur. Nos autem in Sacris Ordinibus constituti, jam ex necessitate tenemur pudicitiam custodire. Innocent. III. *in Conc.* Lateb. 1215. Conc. Tom. XI. *Part.* 1. *p.* 138. Idem Papa paulò antea scripserat Episcopo *Pistoriensi*; Cum Clericis quoque non permittas habitare mulierculas, nisi fortè de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittat sævi criminis suspicari. *Cap.* 9. *De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.* In antiqua legitur *existimari.*

LI. An aliqui frequentent Ecclesiam Monialium sine causa rationabili inquire. *Archidiaconi* Lincolniens. *n.* 7. *ann.* 1233.

LII. Nullus Clericus Beneficiatus, aut in Sacris Ordinibus constitutus, Mulieres aliquas in domibus suæ habitationis retinere, vel alibi eis cohabitare præsumat: Qui verò ipsas nunc tenent, nisi intra tres menses eas à cohabitatione sua prorsus ejecerint, vel qui ejectas resumpserint, vel eis cohabitaverint, extunc se sciant excommunicationis sententia innodatos. *Cap.* 12. *Conc.* Bloen *ann.* 1279.

LIII. Monemus in generali una monitione perhibita pro omnibus, ne Clerici Beneficiati, & alii in Sacris Ordinibus constituti, Mulieres undè suspicio mala suboriri possit in domibus propriis, vel alibi teneant, alioquin sciant se excommunicationis sententia innodatos. Galter *Epis. Pictav. ann.* 1280. Cap. 8. *in fine* Conc. Tom. XI. *p.* 1141.

LIV. Ex *Concil.* Mogunt. inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat; sed nec illas, quas Canones concedunt, matres &c. quia instigante Diabolo, etiam in iis scelus perpetratum esse reperitur, aut etiam in pedissequis earum; quod intelligimus ubi dictæ Mulieres sunt suspectæ. *Syn.* Andegav. *ann.* 1312. Ultimæ clausulæ sensus non est citatum Canonem loqui tantùm de propinquis suspectis, alioquin falsus est, & sibi ipsi contrarius, cùm vetet consortium cum omni Muliere de qua esse possit suspicio, sed Synodum Partem ultimam ad propinquas suspectas restrictam velle.

LV. Nullus Clericus, maximè inter Sacros Ordines constitutus, suspectam Mulierem teneat, vel habeat in domo sua, de qua possit apud Deum vel homines incontinens diffamari. Quicumque contrarium fecerit, sit excommunicatus, privatus à Beneficio, suspensus ab Ordine, donec mereatur restitui. *Cap.* 10. *Constitut.* Nicos. *ann.* 1313.

LVI. Nullus Sacerdos, vel Clericus Regularis aut Sæcularis, aliquam fœminam teneat intra septa Ecclesiæ, de qua mala suspicio valeat exoriri. *Conc.* Alaien. *an.* 1254. Cap. 41.

LVII. Constitutiones addimus, in quibus omnibus indistinctè, tàm Clericis quàm Laicis, prohibuimus ad easdem (*Moniales*) accessum, sine nostra, seu Vicarii nostri, vel aliùs loci Ordinarii, seu Vicarii ejus, nobis seu Ordinario loci in remotis agentibus, licentia speciali, pœnas pecuniarias, & sententias excommunicationis certo modo in contra facientes promulgantes. *Conc.* Ravenn. IV. Cap. 25. *ann.* 1317.

LVIII. Nullus Clericus, Sponsalibus, Baptismo, Nuptiis Filiorum suorum, aut Filiarum, aut Nepotum rectè descendentium, audeat interesse: Alioquin si Clericus Beneficiatus fuerit, ipso facto medietate fructuum Beneficii, vel Beneficiorum, illo anno quo interfuerit, in usum Fabricæ convertenda privetur; si non fuerit Beneficiatus, usque ad annum eo ipso inhabilis sit ad Beneficium obtinendum. *Conc.* Palent. Cap. 6. *ann.* 1322. Id vetitum videtur propter interdictum Clericis cum fœminis consortium; his enim Festivitatibus adesse solent fœminæ comptiùs ornatæ ac amari studentes.

LIX. Publici Concubinarii intelligendi non solùm hi, quorum concubinatus per sententiam, aut per confessionem in Jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla tergiversatione celari possit; sed qui Mulierem suspectam & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus ipsam cùm effectu non dimittit. *Conc.* Basil. *ann.* 1435. Guimier. *in Pragmat. Sanct. p.* 534. *editionis Pensoniana.*

LX. Mulieres suspectas Prælati modis omnibus curent à suis subditis etiam per Brachii Sæcularis auxilium, si opus fuerit, penitùs arcere. *Conc.* Basil. *ann.* 1435. Sess. II. Deca. I. *Conc.* Frising. *ann.* 1440. Cap. 5. *Conc.* Rothom. *ann.* 1445. Cap. 21. Guido Ling. *Ep. in Syn. ann.* 1456.

LXI. Inhibet ipsa Synodus omnibus in Sacris constitutis Ordinibus, ne Mulieres aliquas, nisi de illis sint in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, secum teneant. *Conc.* Rothom. *an.* 1445. *n.* 22.

LXII. Honestas Sacerdotum est, in consortio & societate bonarum personarum ..... Non teneant Mulieres de incontinentia suspectas; possunt in sua cohabitatione habere Matrem, Aviam, Neptem, quæ tamen non habeant pedissequas, aut servitrices suspectas.

LXIII. Præcipimus sub pœna Juris & excommunicationis cum suspectis nullatenus conversari. *Syn.* Ling. *ann.* 1404. Philip. *Ep.* Ling. *in Syn.* 1452. Addit pœnam 10 lib Turo. prout sibi videbitur applicandarum.

LXIV. Cùm per incontinentiam nomen Sacerdotum contemptibilius fiat, eorum bona temporalia, tempus, corpus, anima, charitas Dei, & dilectio proximi malè perdatur: Sacrorum Generalium *Conc.* Constitutiones innovantes, inhibemus omnibus & maximè Sacris initiatis, ne Mulieres de incontinentia suspectas, secum in domibus suis, aut alibi quocumque prætextu, habeant .... Ut quisque à carnis contagione immaculatum se servet, abstineat à frequentatione Mulierum, confabulationibus, conversationibus & locis maximè solitariis. *Syn.* Senon. *ann.* 1524. & *Syn.* Carnot. *ann.* 1526.

LXV. Rarissimè, aut nunquam Sacerdoti cum Mulieribus familiaritas intercedat; imò & nomen earum nesciat. Non potest enim toto & sincero pectore Deum colere, qui fœminarum dumos habitat; cùm fœmina secum habitantis conscientiam exurat. *Concil.* Narbon. *ann.* 1551. Cap. 32.

LXVI. Qui cæteris præesse cupiunt, summo nitantur studio suam famam servare illæsam, ne pusillis scandalum pariant, aut majores ludibrio afficiant; quapropter cùm Sanctorum Patrum Decretis suspecta Mulierum cum Clericis cohibitatio interdicta fuerit, omnibus Clericis nobis subditis, maximè iis qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, interdicimus ne secum ullam Mulierem suspectam habeant, aut alibi frequentent, undè sinistra possit oriri suspicio; quos nisi ab hujusmodi scandalo temperent, ab Officio & Beneficio donec resipiscant suspendimus, ut quos Divinus timor à malo non retrahit, temporalis saltem pœna cohibeat. *Syn.* Paris. *ann.* 1557.

LXVII. Clericis in Sacris constitutis non liceat fœminas cujuscumque conditionis & ætatis sint, nec manu, nec secum equitando eodem jumento ducere: Alioqui tàm ipsæ fœminæ, quàm Clerici eas sic ducentes, sint ipso Jure excommunicati; nec Episcopi possint ullo modo, quod hoc Decreto prohibetur cuiquam permittere. *Concil.* Tolet. *Actio* 2. Cap. 22. *an.* 1565.

LXVIII. Quia frequenter vitam & honestatem Presbyterorum dehonestant & deturpant consortia mulierum suspectarum, propter hoc omnibus Presbyteris, seu cæteris viris Ecclesiasticis nostræ Diœcesis prohibemus, ne Mulieres aliquas in domibus suis, vel alibi præsumant tenere, de quibus aliquod scandalum in populo oriri valeat. *Synod. Statut. Eccles.* Tarc. *ann.* 1399. 1440. & 1530. *edita.*

LXIX. Consortium Mulierum Sacerdoti non convenit, quem castitas & continentia ornare perpetuò debent; & utut castitas servari queat in muliebri consortio,

fortio, tatò tamen bonum nomen retineri potest; quare præcipit Sancta Synodus, ne qui Sacros Ordines susceperit, in familia secum habeat Mulierem extraneam, de qua suspicio facilè sinistra concipi possit, quam suspicionem vitare nequeunt, qui juvenes cultas, procaces, otiosas, impudentes .... secum alunt, vel frequenter aut adeunt, aut admittunt. *Conc.* CAMER. *Tit.* 8. Cap. 3. *ann.* 1565.

LXX. In ædibus, in quibus Clerici habitant, fœminas quascumque, etiam quovis sanguinis, cognationis, aut affinitatis vinculo conjunctas, habitare prohibemos; nisi Episcopus in alicujus urgenti necessitate aliter faciendum esse duxerit; cujus conscientiam in hoc valdè oneramus. *Conc.* MEDIOL. *ann.* 1565. Cap. 24.

LXXI. Sicut populus suos Rectores, & quoscumque Clericos eò magis reveretur, quò eos honestiore vita esse cognoverit .... Quibuscumque Clericis prohibemus, ne Mulieres, de quibus suspicio esse possit, in domo vel extrà retinere, nec cum illis ullam consuetudinem habere audeant. *Conc.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Curatorum Officiis n.* 8.

LXXII. Ante omnia munditiam cordis & castitatem corporis, tanquam proprium & præcipuum Clericorum Ornamentum omni studio servare studeant, & ab omni incontinentiæ suspicione famam suam integram liberamque custodiant. Nec Mulieres, de quibus propter ætatem, inverecundiam, aut anteactæ vitæ turpitudinem sinistra suspicio possit haberi, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1583. Cap. 21. *De vita & Moribus Clericorum.*

LXXIII. Ut Ecclesiastici, qui ferè omnes, propter nonnullorum lasciviam, & libidinem, apud bonos & graves malè audiunt, & ab hujusmodi ignominia & scandalo liberentur; omnibus præcipit hæc Syn. à Mulierum de incontinentia suspectarum consortio, familiaritate, & cohabitatione, non obstante cujusvis consanguinitatis, aut affinitatis prætextu, omninò abstinere; vetando ne illas, quacumque necessitate, etiam faciendæ aut resarciendæ vestis, aut ornandæ supellectilis, vel rei familiaris gratia admittant. *Syn.* TURO. *ann.* 1583. Cap. 15. *De Parochis &c.*

LXXIV. Continentiæ sint amantes, pestemque libidinis, cane pejus & angue, quod dicitur, exosam habeant. *Conc.* RHEM. *De Clericis in genere. n.* 5. *an.* 1583. Canonici, Vicarii, Capellani & alii Capitulorum Ministri, Mulieres de incontinentia suspectas nec clam nec publicè domi retineant. *Ibid. De Capitulis & Canonicis. n.* 13.

LXXV. CHRISTUS Dominus, continentiæ, sicut & cæterarum virtutum, Magister, Sacerdotum Evangelicorum, quibus se tanquam exemplar imitandum proposuit, mentes puras, & corpora casta esse vult, ut imaginem ejus quam præ se ferant, cum omni quidem vitæ suæ tempore, tùm maximè in Sacrificii Altaris oblatione fideliter custodiant .... Omnes Sacerdotes, ac Clerici Beneficiati, Mulierum, quæ ejus ætatis erunt, cujus ratione oriri possit sinistra suspicio, consortio, sive intra, sive extra domum prorsus abstineant. *Conc.* NARBON. *ann.* 1551. *Cap.* 22. Idem quoad suspicionem ex ætate ortam. *Conc.* BITUR. *ann.* 1584. *Tit.* 32. *De Concubinariis. Can.* 1.

LXXVI. Ne cum Mulieribus cujusvis generis, & conditionis cohabitent, præterquam cum Matribus & Sororibus, sine Ordinarii licentia scriptis concessa: Fœminas autem Ancillas eis habere non liceat, nisi quæ 50. ætatis annum exegerint, & vitam non suspectam duxerint; qua in re perscrutanda, omnem diligentiam adhibeat Episcopus; neque ejus rei facultatem, ulli cuipiam, nisi scriptis concedat, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Clerici ejus curæ commissi, non culpa tantùm, sed etiam omni culpæ careant suspicione. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Vit. & Hon. Cler.*

LXXVII. Non permittantur Mulieres, de quibus possit haberi suspicio, Clericis cohabitare. Ancillæ dummodo sint provectæ ætatis, quæ scilicèt 50. annum expleverint, nec aliàs impudicè vixerint, obtenta priùs licentia in scriptis ab Ordinario, concedantur. *Conc.* AVENION. *ann.* 1594. *Tit.* 32. Caveant Clerici, ne partem domus quam inhabitant, Laico habenti uxorem, vel alias Mulieres de quibus possit haberi suspicio, etiamsi sit Frater, locent. *Ibid.*

LXXVIII. Curati omninò ad quodcumque vel vile Ministerium fœminas non adsciscant sibi in familiam, quæ aliquando infames corpore fuerint, vel infamibus domestico Ministerio inservierint, aut propter ætatem & alia suspectæ esse possint. *Conc.* AQUILEIEN. *ann.* 1595. Cap. 4. §. *Domus.*

LXXIX. Mulierum suspectarum conturbernium, & familiaritatem declinent & fugiant Clerici; de Episcopis enim fas non est suspicari, ne mali suspicione laborent, vel periculosæ rei tractatione tabescant. *Idem. Conc.* Cap. 2. §. *Mulierum.*

LXXX. Si qui sint (Clerici) suspectam cum Mulieribus consuetudinem habentes, juxtà Decreta Canonum & *Concilii* TRIDENTINI rigorosè puniantur, & hujusmodi Mulieres, si monitæ ab Ordinario, se ab eorum consuetudine non sejunxerint, extra Oppidum vel Diœcesim, invocato etiam, si opos fuerit, Brachio Sæculari, ejiciantur. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607. *Tit.* 18. Cap. 8.

LXXXI. Neque verò ubi fuerit Sacerdotum cum Mulieribus habitatio antiqui hostis stimuli deerunt .... Mulieres, de quibus suspicio esse possit propter ætatem, aut inverecundiam, aut anteactæ vitæ turpitudinem, in domo vel extra detinere, vel cum illis ullam consuetudinem habere non audeant Clerici; alioquin pœnas ex Sacris Canonibus, aut Statutis Ecclesiarum de illis legitimas Superiores exposcant. *Conc.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 41. §. *Obscœna.* & §. *Concubinas.*

LXXXII. Quoniam vel minimam criminis suspicionem personis Ecclesiasticis affingere, plurimos offendit, quoscumque Presbyteros in nostra Provincia degentes exhortamur, ne pro charitate erga Sorores & Neptes exercenda, eas secum solas in eadem domo retinere, sed potiùs extra alere procurent: Numquam secum in eodem cubiculo quiescere sinentes, curent Episcopi, ne sub eodem parentelæ titulo quosvis Sacerdotes cum Mulieribus cohabitare, antequam de consanguinitatis veritate plenè sibi constet, permittant. BURDIG. Cap. 13. *n.* 2. *ann.* 1614.

Quæ inferenda ex præmissa Collectione?

Ex Collectis Canonibus sequitur: I. Quod per totum Orbem Christianum, consortium Clericorum cum Mulieribus vetitum fuit quovis sæculo, cùm desumpti sint ex pluribus *Conciliis* Generalibus, nempè NICÆNO, TRULLANO, LATERANENSI III. & IV. BASILIENSI, necnon & TRIDENTINO, ac innumeris propè *Conciliis* Particularibus, sive Africæ, sive Galliarum, sive Hispaniarum, sive Germaniarum, sive Italiæ, insimulque ex plurimis Summorum Pontificum Decretis CLEMENTIS I. GREGORII I. GREGORII VII. URBANI II. ALEXANDRI III. INNOCENTII III.

II. Quod hæc prohibitio primùm facta sit à *Concilio* ELIBERITANO, quod habetur velut Codex Canonum Ecclesiæ Hispanicæ trium priorum sæculorum.

III. Quod Canon NICÆNUS sit omnium celeberrimus, normaque subsequentium, qui illum, vel expressè innovarunt, vel nulla facta illius mentione executioni mandarunt, idem vel simile prohibentes.

IV. Quod nonnulli illum restrinxerunt quoad id quod excipit, permittitque, nimirum cohabitionem Clericorum cum fœminis propinquioribus, de quibus suspicio prava oriri non solet, quodque circumstantiæ peculiares quibusdam Regionibus ad hanc restrictionem impulerunt, scilicet patrata scelera cum hujusmodi Mulieribus, vel earum pedissequis, quæ ut plurimùm in illarum servitio commorantur: Hæc autem

restric

restrictio potissimùm habetur in *Concil.* Nannetense & in *Conc.* Moguntino sæculo IX. habitis, quæ meminerunt præfatæ circumstantiæ, ut restrictionis causæ impulsivæ.

V. Quod inter collectos Canones extent nonnullæ Leges Sæculares conditæ à Regibus vel Franciæ, nempe Carolo Magno, Ludovico Pio, Carolo Calvo; vel Angliæ, qualis Edgarus; vel Germaniæ totius Imperii, qualis S. Henricus II. undè factum quod inter pœnas, quibus prohibitum consortium punitum fuit, quædam sunt merè temporales, qualis privatio bonorum temporalium, aliæ mixtæ, qualis privatio Beneficiorum; prædictæ autem Leges latæ sunt, non solùm ut confirmarentur Canones, sed etiam ut obviam iretur adulteriis, incestis, sacrilegiis ex hoc consortio plerumque provenientibus, quæ mala temporalia sunt in Republica.

VI. Prohibitio, de qua agitur, plura continet seorsim explicanda: Primum est, quod Clerici retineant in domo sua mulieres extraneas, per quas intelliguntur illæ, quæ propinquæ non sunt, cum opponi soleant propinquis: 2um. Quod ad illas accedant, vel cum illis sine necessitate colloquantur: 3um. Quod apud ipsos admittant & confabulentur sine justa causa.

VII. Hujus prohibitionis plures causæ afferuntur, quarum præcipua est periculum incontinentiæ, qua Status Ecclesiasticus dehonestatur; nomen Dei blasphematur; Ministerium Sacrum vituperatur; Ecclesia injuriâ afficitur; Res Ecclesiasticæ dilabuntur; tempus, corpus, anima, charitas, Dei dilectio & proximi male perduntur; fideles scandalisantur; Religio Christiana ingens detrimentum patitur; Sacramenta profanantur administratione & receptione indignâ, necnon & Sacrificia Sacrilega confectione & oblatione; eaque omnia in Christi contumeliam insignem vergunt: Hoc autem periculum quale quantum sit demonstrant collecti Canones, Alii dicendo quod mulier est velut serpens in sinu Clerici cum illa cohabitantis vel confabulantis, Alii quod familiaris est inimicus maximè timendus, qui numquam jugatur, nisi cùm fugitur.

VIII. Prætextus, quibus consortium vetitum coloratur, variis modis refelluntur. Præcipui sunt, necessitas servitii muliebris; cui respondetur, quod per viros fieri possit, quod fit per mulieres; imò ipsi Clerici illud sibi exhibere possint, qui, si necesse est, Artificiolo parare sibi necessaria debeant. Inopia vel penuria propinquarum aliarumve, quibus Clerici subvenire tenentur; cui respondetur, illud auxilium dari posse per Ministros mulieribus extra domum Clericorum habitantibus. Indigentia opis spiritualis; cui respondetur, quod quoties necessaria est, testes secum habere debeant, ut omnis occasio aliquid inhonesti vel indecentis agendi, vel aliis suspicandi, vel detrahendi occasio tollatur.

Quod mox dictum est de auxilio spirituali mulieribus præstando, in Monialibus præsertim locum habet, de quibus propterea frequens mentio in collectis Canonibus, & præfata cautela sæpissimè præcipitur.

IX. Ut prohibitio in Canonibus collectis contenta servetur, pœnæ diversi generis adhibentur, eæque præter temporales suprà notatas; hinc excommunicatio, suspensio ab Officio, Beneficioque, depositio; quæ sunt vel ferendæ sententiæ, quas monitio præcedere debet, vel latæ, quæ ipso facto incurruntur.

SECTIO VI.

Canones congruo ordine digesti circà Concionatores.

Divisio.

Quinque Classes sunt Canonum ad Concionatorem pertinentium; alii loquuntur de requisitis in Concionatore; alii, de personis quæ prædicare debent; alii, de potestate committendi, prædicandi munus alii, de rebus prædicandis; alii denique, de modo prædicandi & fine. *Conc.* Burdigal. *ann.* 1624. *Cap.* 11. Canones cujusque Classis subministrat.

§. I.

Quæ in Concionatore requirantur?

I. Tria soleot in Prædicatore requiri: sanctitas conversationis, plenitudo scientiæ, fœcundior eloquentiæ vena. Sanctitas conversationis... Cujus vita contemnitur, restat ut & Prædicatio contemnatur. Perfectin scientiæ... ut habeat Prædicator, unde possit de Thesauro cordis sui proferre nova & vetera... ut sciat, quibus debeat lac potum dare, non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia... quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat; ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quomodo dicat. Utrumque necessarium... Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum majestati respondeat, & sibi invicem quasi concentu quodam res & verba concurrant. Arnulp. Lexov. *Ep. in Conc.* Turon. *sub Alexand.* III. *ann.* 1163.

II. Ad id verò exequendum (concionandum) scientia Divinæ Legis exposcitur, desideratur Ordo, & vitæ integritas etiam postulatur; scriptum est enim: *Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi; quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirunt ex ore ejus:* Alias, prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non posset discernere, nec peccator existens Dei deberet enarrare justitias, & testamentum ejus assumere per os suum; nam cujus vita despicitur, consequens est, ut ejus Prædicatio contemnatur. Benedict. XI. *ann.* 1304. Cap. 1. *De Privileg.* Extravag. Com. *§. Verum quia post.*

III. Definiunt Rhetores Oratorem, qui sit vir bonus, dicendi peritus, antè vita quam lingua irreprehensibilis, quæritur ut doctus meritò suscipiatur; perdit enim authoritatem dicendi, cujus sermo opere destruitur. *Conc.* Aquisgr. L. 1. Cap. 9. 816. *Conc.* Rothom. requirit quoque ut Prædicatores sint irreprehensibiles. *De Off. Curator. n.* 4. *ann.* 1581.

IV. Scit Propheta quædam esse peccata, quæ ex ore auferunt verbum veritatis; peccatori enim dixit Deus: *Quare tu enarras Justitias meas?* Non enim ait: *Quare memor es justitiarum mearum?* Sed peccatorem monuit eum, qui in peccato permansisset, Prædicationis Officio abstinere; vult enim liberum à crimine esse Doctrinæ Cœlestis Prædicatorem; vult eloquia sua à casti corporis casto ore tractari. S. Hilar. *in Psal.*

V. Non à Doctrina, sed ab opere incipiat Prædicator; quæque alios agere monet, prior ipse agat; ne dum recta docet & perversa facit, operum exempla, quæ plus verbis excitant, vim suæ Prædicationis evacuent. Si quis claudicans formam doceat rectè ambulandi, nonne risum omnibus movet plusquàm attentionem? Nicol. de Clemang. *De Studio Theol.* T. VII. *ann.* 144. Luc. Dacheri.

VI. Posset aliquis Auditorum audacior frontem talis Prædicatoris magno his verbis rubore perfundere: „Te, qui nobis in via morum, & laudabiliter „agendæ vitæ Ducem profiteris, in ipsa quam doces „& nosti via præcedere oportuerat, nos sequi, qui „nescimus: quid tanta nobis de pudicitia prædicas, „Præceptor impudicus, verba facis? si ea ad Paradisum via est, quam prædicas, cur illam non tenes, „sed per contrarium incedis„? *Ibid. p.* 145.

VII. Quæ res majorem homini gratiam, majorem amorem apud populum conciliat, quàm bona vita, bona doctrina, & zelus fervens salutis anima-

animarum ? Quæ si in aliquo cernantur, ita colitur & diligitur, ut felicem se is existimet, de cujus ille dignatur bonis accipere. Invitatur ille, ondique trahitur, undique urgetur, undique fortunata indicatur Domus, quæ talem meretur hospitem accipere: numquid tali magnum imminet periculum ne fame laboret? NICOL. DE CLEMANG. *De Stud. Theolog. T. VII. p.* 145. LUC. DACHERI Sustentatio vitæ indubius est Prædicationis fructus, sed illius finis esse non debet. Postrema Pars pertinet ad quintam Classem.

VIII. Non dubitandum reliquos fideles ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem & Cœlestem Patriam cogitare. Inprimis ergo, quod est præcipuum prædicandi genus, ita mores suos componant, ut cæteri ab eis pietatis, frugalitatis, modestiæ, continentiæ & humilitatis, quæ nos tantoperè commendat Deo, exempla petere possint. *Syn.* ROTHOM. *ann.* 1581. *De Episcopis & Capitulis. n.* 9.

IX. Duabus ex causis inefficacem spiritualium rerum constat esse doctrinam. Nam aut ille qui docet, inexperta commendans, vano verborum sono instruere nititur Auditorem, aut certè nequam, ac vitiis refertus Auditor, salutarem Spiritualis viri Sanctamque doctrinam obturato corde non recipit. CASSIAN. *Collat.* 14. C. 18. *Conc.* MEDIOL. I. C. 6. *ann.* 1565. Maximè caveant, ne quod præceptis & hortatu ædificant, id vita & moribus destruant.

§. II.

Quis prædicare teneatur ?

I. Præcipitur Sacerdotibus, ut frequenter Dominicis, aliisve Festis diebus, in aliqua parte Sermonis proponant fideliter populo Symbolum Fidei, & omnes diligenter distinguant Articulos Fidei, & in singulis confirment populum autoritatibus & rationibus Sacræ Scripturæ pro posse suo. ODO *Paris. Episcop. in Syn. obiit ann.* 1208 *Conc.* MEDIOL. I. C. 6. *ann.* 1565. Evangelii Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, primorum Præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, & Sacrorum Rituum dilucidam explicationem versent. Hujus Canonis potissima Pars spectat quoque ad quartam Classem.

II. Cùm per Generalis *Concilii*, (LATERAN. *sub* INNOCENTIO III.) Statura, Sanctè ordinatum existat, quod quælibet Ecclesia Metropolitana teneatur & debeat unum habere Theologum, qui sua doctrina, & Prædicationibus fructum salutis afferat; ordinat hæc Sancta Synodus, quod extendatur etiam hujusmodi Ordinatio ad Ecclesias Cathedrales, quod quilibet Collator ipsarum Præbendarum unam conferat uni Magistro ..... qui onus Residentiæ, Lecturæ, & Prædicationis subire voluerit. *Concil.* BASIL. SESS. XXXI. *n.* 3. *ann.* 1438. Supponit *Conc.* BASIL. Theologum institutum fuisse à *Conc.* LATERAN. ad prædicandum, quod tamen expressum non est in hoc *Concilio*, sed dicto Theologo impositum duntaxat docendi onus Sacerdotes & alios in Sacra pagina, quod Lectionibus Theologicis, ut & Prædicationibus fieri potest.

III. Scriptura desiderat Pastores omnes esse potentes exhortari populum in doctrina sana, & contradicentes revincere... ferè fit etiam ut oves libentiùs vocem proprii Pastoris audiant, quàm Mercenarii: æstu fidei & salutis populi sui ardeant, ita usu veniet, ut qui loqui non audebant, vel non poterant, Magistri in Israel repentè fiant. *Syn.* EBROIC. *ann.* 1576.

IV. Ad Evangelisandum missi sunt Parochi; væ ergo illis si non Evangelisaverint; si quis autem eorum sapientia indiget, *scrutetur Scripturas, & postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Concil. COLON. *ann.* 1536. *P.* 6. *C.* 8.

V. Quoniam inter præcipua Episcoporum Pastorumque munia, jure Divini Verbi Prædicatio numeratur; propterea autoritatem S. *Concil.* TRIDENTINI, veterumque Patrum secuti, RR. Coepiscopos imprimis monemus & exhortamur, ut ipsimet in suis Ecclesiis tàm necessarium munus obeant, aut si in conscientia verè præpeditos se noverint, viros, idoneos probitate, doctrina & Religionis ardore præstantes, asciscant, qui ea in parte vices suas gerant. *Conc.* BURDIG. *ann.* 1583. *Conc.* MEDIOL. C. 6. *ann.* 1565.

VI Nos ergo, ut B. ait GREGOR. pereunte populo, Autores mortis existimus, cùm Duces esse ad vitam debuerimus; ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est; quam terribilem nimis & imminentem, nobis & ipsis damnationem, & per nos & per secundi Ordinis Consacerdotes, omnimodis evadere conemur, erudientes assiduè commissos nobis, & fidei verbis, & bonorum operum exemplis. *Conc.* TROSLEIAN. Cap. 15. *ann.* 909. Pars ultima ad primam Classem pertinet.

VII. Si fortè non fuerit Episcopus in domo sua, aut infirmus est, aut alia aliqua ex causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit qui, diebus Dominicis aut Festivis, Verbum Dei prædicet, juxtà quod intelligere vulgus possit. *Concil.* MOGUNT. *ann.* 813. *C.* 25.

VIII. Perdifficile est Episcopis, præsertim in latioribus Diœcesibus, Ecclesias omnes perlustrare, & in iis Concinnem habere. Eos hortatur Synodus, ut Apostolorum exemplo populos sæpè per literas invisant, & consolentur; idque potissimùm iis temporibus, quibus anniversaria Redemptionis nostræ Mysteria celebrantur. Hæc frequenti populo perlegentur, quo is paternam charitatem, propensumque Pastoris erga se animum agnoscere possit. *Concil.* TOLOS. *ann* 1590. *Part.* 1. *Cap.* 5. *n.* 5. Ad quintam Classem pertinet, cùm doceat fructuosissimum prædicandi modum.

IX. Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi placuit, ut non solùm in Civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem. *Conc.* VASENS. II. *ann.* 529. *Can.* 2. Huc pertinet ultimus §. 5. Hinc patet ad Prædicationem teneri: 1. Episcopos: 2. Curatos: 3. Theologos Canonicos. Huc pertinet *Can.* 16. *quinta Classis.*

§. III.

Quis ad prædicandum alios mittere vel committere possit, quique ea commissione indigeant, qua ratione mittendi ?

I. Quod si præstare non possint (pusillanimes consolari, pios exhortari, & eos qui contradicunt arguere) viros doctrina & vita insignes substituant, qui Vicariam præstent operam; nec sine eorum licentia quisquam ad Verbi Dei Prædicationem admittatur. *Concil.* RHEM. *ann* 1583. *n.* 16. *De Episc.*

II. Nullus in Diœcesi nostra ad prædicandum, sive annuntiandum Verbum Dei admittatur, nisi missus sit, & de missione sua constiterit. *Concil.* FRISINGEN. *ann.* 1440. C. 16. Synodus est Diœcesana magnæ autoritatis, quæ inter *Concilia* recensetur, ut Synodus ALTISSIODORENSIS *ann.* 578. quæ eodem honore potitur.

III. In Civitatibus & in Diœcesi, in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenùs ad prædicandum admittantur, nisi loci Diœcesanis Canonice præsentati fuerint priùs, & admissi. *Concil.* SALTZBURG. *ann.* 1186.

IV. Nemo Regularis ad Prædicationis munus obeundum admittatur, nisi qui ab Episcopo de vita, moribus, & scientia, examinatus & approbatus fuerit... Regulares

gulares missi teneantur licentiam suam exhibere Curatis, ac cum ipsis de correctione populi, Prædicationis ædificatione, atque hora & loco convenire. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *Syn.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Constit. ad Cleri German. Ref. n.* 1. *ann.* 1524. OXON. *ann.* 1408. *C.* 1. *Conc.* TOLET. *ann.* 1473. *C.* 13. *Concil.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 4. *C.* 7. *Conc.* ROTHOM. monet Parochos impediendos non esse à Regularibus ne prædicent, quia isti Subsidiarii duntaxat sunt. Idem habet *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Concionib.* §. *Et quoniam.* Idem quoque dixerat *Concil.* COLON. I. *ann.* 1536. *Part.* 4. *C.* 8.

V. Regulares, cujuscumque sint Ordinis, prædicare non præsumant, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi priùs examinati & approbati à suo Superiore, & impetratâ ab Episcopo, aut ejus Vicario, Benedictione & licentiâ. *Concil.* MEDIOL. *ann.* 1565. *Concil.* BITUR. *ann.* 1584. *T.* 3. *C.* 4. Aliaque passim CONCILIO TRIDENTINO posteriora. Licentia jungitur Benedictioni, quia utrumque necessarium, cùm, Episcopo contradicente, prædicare nequeant.

VI. Stationarii Regulares justo spatio antè tempus Adventûs & Quadragesimæ licentiam petant, ut si illi non fuerint capaces, sibi de aliis providere possit Episcopus. *Concil.* ROTHOM. Idem præcipit de his qui præsentandi Prædicatorem jus habent *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *De Concionibus.*

VII. In Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt, ultrà licentiam Superiorum suorum, etiam licentiam Episcopi in scriptis habere teneantur, sine qua ..... nullo modò in iisdem Ecclesiis prædicent. Ipsam licentiam Episcopi gratis concedant, quæ licentia non suffragetur, nisi tempore in eadem præfinito. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585.

VIII. Cùm omnibus sit perspicuum ob non adhibitam seligendis Concionatoribus & Verbi Dei Interpretibus diligentiam, ortas Hæreses vix evelli posse, novosque errores in dies exoriri; statuimus ne in posterùm quisquam Sancto concionandi & Verbum Dei interpretandi muneri præficiatur, qui non sit Sacro, saltem Diaconatûs, Ordine insignitus, & accurato examine ab Episcopo, aut ab eo deputando probatus; quique sui ad concionandum mandati, literis manu Episcopi & sigillo, seu ejus Vicarii & Secretarii signo firmatis, gratisque concedendis, fidem faciat. *Concil.* TURON. *ann.* 1583. *T.* 4.

IX. Quin imò vetamus, ne quis Parochus aut Vicarius in posterum ex suo ingenio concionari, & Evangelium interpretari præsumat, antequam à suo Episcopo examinatus, ad id idoneus repertus fuerit, & in scriptis expressam concionandi licentiam habuerit: Sed illis satis sit homilias à nobis, & Coepiscopis nostris approbatas, ex scripto populo recitare. *Concil.* BURDIGAL. *ann.* 1583. *Tit.* 20. *Conc.* NARBON. Cap. 32. *ann.* 1609. BURDIGAL. *ann.* 1624. Cap. 12. *n.* 5. Quod justum, ut & necessarium fuit propter Curatorum imperitiam, & exortas non ita pridem Hæreses confirmandi periculum; iis cessantibus causis, injustum esset, & appellationis quasi ab abusu materiam subministraret.

X. Quæ Episcopus Ecclesiæ suæ rationibus accommodata (vel aliàs) ab illis (Concionatoribus) servanda censuerit, illis literis describi jubeat, quibus vel concionandi facultas permittetur, vel præsentationis, postulatæque Benedictionis testimonium fiet. *Concil.* MEDIOL. III. *C.* 3. *ann.* 1573. Quæ cautela necessaria, ut detegi possint, qui concionantur non probati ab Ordinario. Cætera, quæ ibidem babentur, ad hoc reducuntur, quod instructiones tempori congruere debeant.

XI. Episcopi solùm sit, abrogatis quibuscumque contrariis Consuetudinibus & Privilegiis, & in Ecclesia Cathedrali, & in aliis, non modo Jurisdictioni suæ subjectis, sed etiam in exemptis, quæ Curatæ sunt, Concionatorem libere deligere, atque constituere: Idemque ad eum spectet in Regularium etiam Ecclesiis, ubi pro majore commoditate moris est populi, Universitatisve, aut pii loci, Scholæ, aut Confratriæ, etiam Laicalis sumptibus, vel eleemosynis collectis, vel legato pio, aliave hujusmodi ratione, quotannis certo stato tempore permissu Episcopi concionem haberi *Conc.* MEDIOL. V. *Part.* 1. C. 2. *ann.* 1579. In his statur Consuetudini vel fundationi.

XII. Cùm prædicandi Officium privilegiatum existat, ad cujus executionem exigitur industria personarum pollentium ætate, gravitate morum, vitæ sanctitate, scientia, & sermone; & indifferenter alicubi admittantur, & recipiantur tales, ex quorum receptione scandalum & animarum periculum dicitur provenisse... districtiùs prohibemus, quod ad Prædicationis Ministerium, qui 30. ad minus non attigit annum, cujuscumque Religionis existat, de cætero nullatenùs admittatur; nec etiam Quæstuarii ad id Officium recipiantur. *Concil.* RAVENN. *Cap.* 13. *ann.* 1311. Hic Canon adprimam Classem spectat, in eo quod de dotibus in Concionatore requisitis loquitur.

XIII Si Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei Prædicationem interdicat. Quod si Hæreses prædicaverit, contrà eum secundùm Juris dispositionem aut loci Consuetudinem procedat, etiam contrà exemptum, Sedis Apostolicæ autoritate Episcopis hac in re concessa. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1581. *Concil.* AQUEN. *ann.* 1585. *de Concion. Conc.* NARBON. *ann.* 16.9. *Cap.* 4. *Aliaque passim Concilia Concilio* TRIDENT. *posteriora.*

XIV. Declarat hæc Sancta Synodus, non licere Abbatibus, Capitulis, in Ecclesias suas Concionatores introducere absque Episcopi autoritate, cujus est Prædicatores Verbi Dei probare vel reprobare, quapropter prohibet juxtà Sacros Canones, ne cujusvis privilegii, exemptionis, Consuetudinis prætextu, aliqui Concionatores non probati ab Episcopo in aliqua admittantur Ecclesia. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. Hic Canon notandus ob expressam mentionem reservationis juris approbandi Prædicatores, factæ Episcopo ineunte sæculo IX. tamquam rei jamjam per Canones præcedentes statutæ.

§. IV.

Quæ prædicanda sint?

I. Sermo Sacerdotalis debet esse purus, simplex, apertus, tractans de Mysteriis Legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ, plenus gravitate & honestate, plenus suavitate & gratia, unumque diversa admonens exhortatione, juxtà professionis, morumque qualitatem, videlicet ut prænoscat, quid, cui, quandò, vel quomodò proferat. ISID. *L.* II. *De Off.* C. 5. *sæculo* VII. Hic Canon. pertinet etiam ad modum prædicandi, de quo §. 5.

II. Concionatores, Festis quibusque diebus, ambas Lectiones, quæ Epistolæ & Evangelium, Missæ ejus diei dicuntur, ad verbum enarrabunt, deinde regrediantur ad utriusque Lectionis brevem dilucidationem, denuntiabunt quoque quid Ecclesia Dei eo die Deum potissimùm oret, ac precetur, quod in precationibus seu collectis continetur. *Idem p.* 6. *C.* 22. *Conc.* BITUR. 1584. *T.* 23. *C.* 3. Addit his Missæ ipsius Mysteria itidem exponenda.

III. Illud proprium ac peculiare sit, non solùm Episcopi, sed etiam Parochi, genus docendi, ut Beati Pauli Epistolarum exemplo sigillatim cujuscumque statûs homines uterque instruat, & præcipua virtutum Officia demonstret, modò filios, modò parentes, nunc servos, nunc Dominos, nunc viros, nunc uxores, nunc senes, nunc juvenes erudiens, ac diligenter quæ cuique propria sunt præscribens. *Conc.* MEDIOL. IV. *C.* 25. *ann.* 1576.

Inter collectos sub §. 2. nonnulli sunt qui ad hunc §. 4. pertinent, sed præcipuè 1. Idem de §. 5. in quo jus huic rei convenit.

§. V.

Quòmodo & qua mente prædicandùm est?

Cùm Prædicatio, ut & alia Sacra munia ad gloriam Dei, animarumque salutem præcipuè tendat, evidens est collectos suprà Canones huc quodammodo pertinere; nam illis non servatis Prædicatio conferre nequit in utrumque finem, illisque gaudere.

I. Summopere vobis videndum, Dilectissimi & Venerabiles Pastores... ut Presbyteri, quos mittetis per Parochias, ad regendum & prædicandum per Ecclesias Populum Deo servientem, rectè & honestè prædicent, & non suaris nova, vel non Canonica, aliquos ex suo sensu, & non secundùm Scripturas Sacras, fingere & prædicare populo, sed & vosmet ipsi utilia honestè, quæ ad vitam æternam ducunt, prædicare, aliosque instituere ut hæc eadem prædicent. L. 1. *Capitul.* Cap. 76. *Conc.* TOLET. Cap. 3. *Act.* 3. *ann.* 1566. Abstineant se à fabulosis.

II. Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis... & emendare noluerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminatè, sicut dixit CHRISTUS: *Unus vestrùm me traditurus est.* ALEXAND. III. Cap. 2. *De Off. Jud. Ord. Ibid.* Peccata & vitia tantùm reprehendant, personas verò nec nominatim, nec quibusdam notis perstringant. *Conc* TOLET. Cap. 3. *Act.* 3. *ann* 1566. *Conc.* MEDIOL. I. Cap. 6. *ann.* 1565. In reprehendendis vitiis ita se gerant, ut pietatis & charitatis studio eos adductos, non hominum sed peccatorum odio id facere, omnes intelligant.

III. Quæ docentur in Academiis, & disceptantur in Scholis, & inter Scholasticos agitantur, sint inter illos, qui ingenia exercent & animos acuunt: In Prædicatione mentes fidelium instituantur, & studio pietatis vocentur ad observationem Mandatorum Dei, ut virtutes Christianas colant, vitia declinent, & ad futuræ vitæ præmia implorato Dei auxilio contentis studiis aspirent. *Conc.* AQUILEI. *ann.* 1596. *Cap.* 3. *In fine. Conc.* MECLIN. Cap. 3. *Tit.* 11. *ann.* 1607.

IV. Inter concionandum à scommatis, maledictis, & conviciis omninò abstinendum; prædicetur purè & sincerè Verbum Dei juxtà Ecclesiasticam Traditionem, & Patrum ab Ecclesia Catholica approbatorum interpretationem. Erit quoque Parochus in reprehendendis criminibus vehemens atque acer. Constitutus est enim, ut annuntiet Populo scelera eorum; sic tamen ut in suggesto vitia tantùm reprehendat, non personas nominatim perstringat. *Conc.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 6. Cap. 13. 15. *Conc.* MEDIOL. I. Cap. 6. *an.* 1565. *Conc.* BURDIG. Cap. 20. *an.* 1583. *Conc.* MECLIN. *ann.* 1607. Cap. 3. *Tit.* 21. *Conc.* NARB. IX. *ann.* 1609. Cap. 4.

V. Magna ex parte Christianum decus vilescit, quando renati in CHRISTO, ea quibus in Baptismate renunciaverunt, nec intelligere curant, nec ab hisce, ut CHRISTO polliciti sunt, abstinere satagunt. Quæ si intellexissent, procul dubio, adjuvante CHRISTI gratia, se ab his vigilantiùs custodissent, undè necesse est, ut Prædicatores in admonendo, & Auditores in discendo & opere complendo, abhinc, ut suum cavere periculum possint, majus adhibeant studium. *Conc.* PARIS. VI. L. 1. & 11. *Capitul.* L. 6.

VI. Sicut bonus Paterfamilias triticum spargit in terram ad hoc dispositam, ut fructum plus afferat, mandamus & volumus, ut Prædicator in prædicando Clero vel populo, secundùm materiam subjectam honestè se habeat, spargendo semen secundùm convenientiam subjecti Auditorii, Clero præsertim prædicans de vitiis pullulantibus inter eos; & Laicis de vitiis inter eos communiter usitatis. *Cap.* 3. *Conc.* OXON. *ann.* 1408.

VII. Sint memores non eosdem esse omnium mores, atque ideò oportere varietate, quæ semper Christianam Charitatem exigat, uti, ut juxtà Auditorum conditionem, nunc hoc, nunc illud vitium improbent... modo acres sint & vehementes in criminibus reprehendendis. *Conc.* TOLET. Cap. 3. *Act.* 3. *ann.* 1566.

VIII. Diligentes sint & vehementes in iis vitiis & peccatis exagitandis, in quibus magis volutarum populum, aut ad ea procliviorem vident. In pravas Consuetudines invehantur, & in eas quæ etsi malæ non videntur, tamen facilè peccandi ansam afferunt. *Conc.* MEDIOL. I. Cap. 6. *ann.* 1565.

IX. Ne in Ordinem ullum, statum, aut vitæ genus, ab Ecclesia receptum invehantur. Ne Episcopos, aliosve Prælatos, neve Civiles Magistratus, cum Auditorum offensione asperiùs objurgent; sed piè potiùs admoneant, populumque doceant, Præpositis suis, etiam Discolis, obedire. *Conc.* MEDIOL. I. Cap. 6. *ann.* 1565. *Conc.* BURDIG. Cap. 20.

X. Ne ostendendæ Doctrinæ & Eloquentiæ causa, difficiles atque inanes Quæstiones... orationis & pigmenta conquirant, unde sui ipsius potiùs quàm JESU CHRISTI Prædicatores esse videantur. *Ibid.* Si gravi oratione, & ab omni vel artificii, vel hominis sua spectantis, aliena suspicione tractetur; inde fructum, juvante Domino, fore sperandum. *Conc.* MEDIOL. IV. *Part.* 1. Cap. 25. *ann.* 1576.

XI. Id planè sibi proponat, optimè nosse, quæ in populo vitia, peccatave potissimùm evellenda, quæ rursùs virtutes disseminandæ sint; eoque intendat maximè omnem vim Prædicationis suæ. Nec verò semel atque iterùm, sed sæpè, prout usu venerit, in eodem unius, vel virtutis suadendæ, vel vitii detestandi studio versetur; quoad, quantum in se est, perenni quadam Doctrinæ perseverantia, & perpetua quasi pugna & contentione, id quod olim Sanctissimos Episcopos, AMBROSIUM AUGUSTINUM & CHRYSOSTOMUM, fecisse constat, fidelium animos etiam in male agendo penè obfirmatos expugnet, depravatosque vivendi mores jam inveteratos, radicitùs juvante Deo evellat. *Ibid.*

XII. Quoniam vel sola avaritiæ suspicio in omnibus Ecclesiasticis, tùm verò maximè in Verbi Dei Concionatoribus populum non mediocriter offendit, cavebunt quàm diligentissimè Concionatores, ne Concionum suarum mercedem paciscantur: Quod si populus eleemosynam Concionatoribus præbere neglexerit, Episcoporum erit date operam, ut iisdem victu & congrua eleemosyna provideatur. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1590. Cap. 5. *n.* 8. *Part.* 1. Idem *Conc.* AQUENS. *ann.* 1585. quod addit pactiones has sapere Simoniam. Idem habet *Conc.* NARBON. *ann.* 1609. Cap. 4.

XIII. Pro fine utique proponatur gloria Dei, & salus animarum pro medio non curiosiores Quæstiones & oblectamenta verborum auribus prurientia. *Conc.* AQUILEI. *ann.* 1596. *n.* 3.

XIV. Missi atque probati Evangelicum negotium tractabunt rectè, sobriè, purè; loca quæque intellectu difficilia, juxtà sensum Sanctorum Patrum, & ab Ecclesia receptorum DD. præcipuè CYPR. CHRYSOST. AMBROS. HIERON. AUGUST. GREGOR. interpretentur; omni etiam opere studeant, ne pro veris somnia & aniles fabulas, pro certis dubia, pro receptis apocripha depromant: Idque omni modestia, ne unquam eos ad convitia injuriasque delabi contingat. *Constit. ad Cleric. Germ. Reform. n.* 1. *ann.* 1524.

XV. De Prædicationis semper Ministerio cogitet, intentissimo timore considerans, quod recessurus ad præcipiendum Regnum Dominus, & talenta servis distribuens, dicat: *Negotiamini donec venio.* Quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si vivendo, & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quosque,

Cœlestis

Cælestis Regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si protervos ac tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus. Si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis deditì, humanas inimicitias non timemus. S. Greg. Lib. II. *Ep.* 39.

XVI. Nos proindè nostri gradum Ordinis, vel suscepti Regiminis modum magnoperè cogitare debemus, ut qui Officium Prædicationis (ad secundam classem pertinet) suscepimus, nullis curis à Divina Lectione privemur. Insistendum ergo semper erit majoribus, ut quos sub Regiminis sui cura tuentur, famæ Verbi Dei perire non sinant. *Concil.* Tolet. II. *C.* 2. *ann.* 675.

XVII. Prædicationis Officium, quod animarum pabulum est spirituale, illis duntaxat est commendandum, qui non ambitione temporalis substantiæ, sed animarum zelo intendant & profectui. *Concil.* Tolet. *ann.* 1473. *C.* 13.

SECTIO VII.

De Divinis Officiis Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino deprompta.

Divisio Tractatus.

Præmisso Argumento proprio Tractatûs & Generalibus Regulis, spectatur:

I. Distinctio Divinorum Officiorum à Sacrificio Missæ ex eo petita, quod sint Sacrificium laudis, oris, & cordis, istud verò, sit Sacrificium reale, ut & laudis, in quo victima offertur & immolatur in honorem Dei, ut Holocaustum, in remissionem peccatorum, ut Sacrificium expiationis, in impetrationem gratiarum necessariarum; & in gratiarum actionem pro receptis Beneficiis, ut Hostiæ pacificæ.

II. Quæ diversa illorum nomina istorumque explicatio & origo?

III. Quæ & quot species, quæ omnibus communia, quæ cuique peculiaria, ubi de nominibus, tùm communibus, tùm propriis, de partibus item communibus vel propriis; qui Textus circa omnes & singulas, sive supposititii, sive legitimi; illorum ætas, expositio, conciliatio; qui usus circa illas antiquiores, medii, & recentiores; qui illarum fontes?

IV. Quæ regula, ordo, forma, in his recitandis tàm erga Monachos quàm erga Clericos, quæ utrorumque obligatio, sive privatim, sive publicè recitandi?

V. Quæ obligatio Laïcorum circa illa, sive publica, sive domestica?

VI. Quis finis proximus vel remotus, sive erga Deum, sive erga homines?

VII. Quæ pœnæ contra negligentes vel recitare, vel assistere: ubi nonnihil notabile circa distributiones, de quibus fusè in fine Tractatûs de Residentia, illarum proprio loco?

VIII. Quæ remunerationes in favorem diligentium circa recitationem vel assistentiam?

IX. Mutationes disciplinæ circa illa historicè explicatæ, prout Textus Juris restantur. In istis servatur Ordo temporis & rerum quoad fieri potest.

De Divinis Officiis tractaturi ad illa Tractatum restringimus, quæ in recitatione quarumdam precum certo numero, rituque dicendarum consistunt. Hic ergo Officia Divina à Missa, Sacramentis, aliisque similibus, quæ ad Divina Officia pertinere possunt distinguimus; de istis alio loco congruentiùs acturi.

Interea tamen Juris Textus, qui de prædictis Officiis, ac de Missa intelligi possunt, non prætermittemus, ne imperfectus remaneat Tractatus; sed priùs Regulæ Generales præmittendæ sunt.

REGULA I.

Quæ in Officio exteriora sunt de voluntate Ecclesiæ pendent; ista verò Lege vel Consuetudine declaratur.

REGULA II.

Circa Officium Divinum Jurisdictionem habent Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius; Episcopus in tota Diœcesi; Archidiaconus & Archipresbyter in Ecclesia Matrice & in Districtu suo; Primicerius in Ecclesia Matrice.

REGULA III.

Hac in re, ut in aliis, Prælatus Inferior Superiori subest, ita ut iste, ne subditus suus Jurisdictionem suam exerceat, impedire possit.

REGULA IV.

In præcipiendo circa Officium Archipresbytero Archidiaconus major est; in celebrando verò Archipresbyter Archidiacono præfertur.

Prior Pars infertur ex *Capite* 2. *De Officio Archidiacon.* quod Archidiaconum omne Officium providere docet, & Posterior ex *Capit.* 1. *De Officio Archipresbyt.* in quo Archipresbyter Episcopi vices gerit in Divino celebrando Officio.

REGULA V.

Officium Festi alicujus differre debet ab Officio illius commemorationis. *Cap.* 4. *De Celebr. Miss.*

REGULA VI.

Cujus est Missam solemnem celebrare, ejus est Officio præesse.

REGULA VII.

Qui Divina Officia nuncupat, rem de qua hîc, Juris Textus antiquior nullus occurrit quàm qui legitur *Capite* 7. *De Consecr.* Dist. I. *desumitur à* Gelasio. *ann.* 494.

REGULA VIII.

Officium Divinum de quo hîc non aliis in Jure donatur nominibus quàm istis.

I. Ecclesiæ servitium. *C.* 1. Dist. XCI.

II. Servitutis Clericalis pensum. *C.* 2. Distinct. XCI.

III. Psallendi ordo. Hic enim per psallendi Ordinem idem intelligitur ac Officium circa quod præcipitur, ut in eadem Provincia unum idemque Officium sit. *C.* 13. 14. Dist. XII.

IV. Horæ Canonicæ. *C.* 1. *De Offic. Archipresb.* Cap. 4. 2. *De Off. Custodis.*

REGULA IX.

Prædicti Officii genus multiplex distingui potest, nempè

I. Publicum & privatum. *Cap.* 54. *De Consecr.* Dist. I.

II. Solemne & non solemne. *Cap.* 1. Dist. XXV. §. 13. his verbis: *Pro solemnitate temporum.* Cap. 2. *De Offic.* Cap. 16. *De Consf.* Dist. I.

III. Nocturnum & diurnum. *Cap.* 9. *De Celebr. Mis.*

IV. Vivorum & mortuorum. *Cap.* 7. *De Consecr.* Dist. I.

V. Duplex & simplex. *Cap.* 1. *De Reliq. & Vene. in* 6.

REGULA X.

Privatum Officium duplex esse videtur, nempè quod nullo extraneo præsente, vel januis clausis à Collegio celebratur, vel quod quilibet seorsim recitat.

Prioris privati Officii generis mentionem facere videtur *Canon.* 13. DIST. XII. in quo *Concilium* TOLETANUM XI. hæc habet: „Abbatibus sanè in- „dultis Officiis, quæ juxtà voluntatem Episcopi re- „gulariter ab illis implenda sunt, cætera Officia pu- „blica, *id est*, Vesperas, Matutinum, sive Missam, „aliter quàm in Principali Ecclesia celebrare non „liceat„. Hinc enim colligi posse videtur Monachos, præter Officia publica mox enumerata, quæ eodem ac Principalis Ecclesia celebrabat modo celebrare tenebantur, aliud habuisse quod aliter quàm Ecclesia Principalis celebraret, celebrare poterant; istudque non publicum fuisse, cum à publico expresse hic distinguatur; quid autem, per illud Officium non publicum, aliud intelligi potest, quàm Officium, januis clausis, vel nullo extraneo admisso, à Monachis simul collectis celebratum?

Alterum privari Officii genus commemorant *Canon.* 2. DIST. XCI. Cap. 54 *De Conf.* DIST. I. nam in priori, agitur de Parocho, qui, necessitate cogente, plures Officii sui partes seorsim recitat, quas per se vel per alium recitare publicè postea tenetur; in posteriori, sermo fit de Officio privato, à Collegio vel à privato indistinctè celebrando.

REGULA XI.

Quoad Officium solemne, hoc unum dici potest, Officium Festi conditionem sequi. *Cap.* 2. *De Feriis*, Cap. 16. *De Conf.* DIST. I.

REGULA XII.

Nocturnum Officium *Vigiliarum* nomine etiam insignitur.

REGULA XIII.

Sub isto quàm sub illo nomine longè citiùs apparet in Jure.

Vigiliarum nomen legitur in *Can.* 3. DIST. XCI. desumpto è *Concilio* CARTHAGINENSI *anni* 398. *Nocturni* nomen conjunctum Vigiliis ante annum 506. non videtur in Textibus Juris, cùm nullus sit antiquior quàm *Caput* 5. *De Celebrat.* quod *Concilio* AGATHENSI illo anno celebrato adscribitur; conjunctum verò cum Officio non legitur in Jure ante sæculum XIII. cùm antiquior nullus locus in illo habeatur, quàm in *Cap.* 9. *De Celebratione Missarum*, desumpto è *Concilio* LATERANANSI IV. *anni* 1215.

REGULA XIV.

Non ubique sæculo VI. celebratas fuisse Vigilias diebus non Festivis, conjicere licet ex *Canone* 1. DIST. XCI. in quo GELASIUS I. refert jussu suo ELEUTERIUM Episcopum promisisse, ut quotidianis diebus in sua ipsius Ecclesia Vigiliæ celebrarentur.

REGULA XV.

Quarto & sexto sæculo Clericos multominùs assiduos Vigiliis, quàm aliis Officii Partibus, significant *Canon* 1. & *Canon* 3. DIST. XCI. qui de Clericorum negligentia circa Vigilias conqueruntur, pœnasque præscribunt.

REGULA XVI.

Diurnum Officium aliud erat Matutinum, aliud Vespertinum, utrumque à tempore quo fiebat nuncupatum. *Cap.* 13. DIST. XII. Cap. 50. *De Consecr.* DIST. I.

REGULA XVII.

Quoties Vespere Missa dicebatur, Missæ Vespertina Officii Pars jungebatur. *Cap.* 50. *De Conf.* DIST. I. Cap. 13. *De Conf.* DIST. V.

Usus hujus exemplum habes in Missa Sabbathi Sancti, quæ manè dici solet, eodem planè modo quo aliàs initio noctis dicebatur.

REGULA XVIII.

Pro defunctis Officium, in locis, inconsulto Pontifice consecratis, celebrari poterat, sed publica frequentatione vel processione cessante. *Cap.* 7. *De Conf.* DIST. I.

Circa quod notandum, Episcopos Italiæ nulli Metropolitano subditos, sine Summi Pontificis licentia, Ecclesiam vel Oratorium, in quibus publicum Officium celebraretur, consecrare non potuisse: Ecclesiam sæculo V. non solùm pro defunctis orasse, sed pro ipsis solis Officium aliquod celebrasse: Citatum Textum de Missa intelligi posse, ac de alio quovis Divino Officio, hæc enim verba, *Ministeria pro solemnitate præstanda*, Missæ ac alii Officio conveniunt; Si autem de Missa intelligantur, locum hic habes qui Missam pro defunctis privatam eo tempore celebratam fuisse ostendat.

REGULA XIX.

Circa Officium duplex non alius est Juris Textus quàm citatus, id unum docens, conveniens esse ut Festa Majora sub Duplici Officio celebrentur.

REGULA XX.

Officium octo constat Partibus, quæ sunt, Nocturnæ Vigiliæ, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorium; quælibet è tempore, quo dicitur, nomen habet, præter ultimam.

Quæ *Pars Nocturnæ Vigiliæ* dicebatur, nunc *Matutinum* vocatur, quia manè jamdiù recitari solet, plerisque in locis; quæ verò *Matutinum* vocabatur, nunc *Laudes* dicuntur.

Qui de singulis Officii Partibus mentionem faciant Textus non sunt antiquiores, quàm *Canon* 2. DIST. XCI. *Canon* 1. *De Celebr. Missar. è Concilio* NANNETENSI, *fortè anno* 890. *celebrato*, *desumpti*. Circa quod notandum in *Canone* 1. *De Celebrat. Miss. Canonem* NANNETENS. *Concilio* AGATHENSI tribui, sed ad illud *Concilium* pertinere non verosimile.

REGULA XXI.

Quælibet Officii Pars componitur his sequentibus, vel omnibus, vel illorum aliquibus; Antiphonis, Psalmis, Hymnis, Capitulis, Benedictionibus, Lectionibus, Responsoriis, Orationibus.

Ex Regulis quæ subjicientur patebit Regula.

REGULA XXII.

Ineunte sexto sæculo ubique viguit hic Officii Ordo, ut post Antiphonas Collationes *, per Ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicerentur, & Hymni Matutini, vel Vespertini, diebus omnibus decantarentur, & in conclusione Matutinarum vel Vespertinarum Missarum post Hymnos. Capitula de Psalmis dicerentur, & Plebs collecta Oratione ab Episcopo cum Benedictione mitteretur. *Cap.* 13. *De Conf.* DIST. V. *è Concilio* AGATHENSI *ann.* 506. *celebrato.*

* Vetus Codex *Collectiones* habet, quod haud dubiè magis quadrat; Collationes enim legebantur, non dicebantur, cùm nil esse possint, quàm Patrum Collationes, ac si lecti fuissent non ab Episcopis vel Presbyteris id factum esset, sed à Lectoribus, aliisque inferioribus Ministris; Collectiones verò, quæ idem sunt ac Orationes, ab iis, qui Officiis præsunt, dici debent, quales Episcopi & Presbyteri. Præterea magis convenit ut post completas Antiphonas Orationes dicerentur, quàm ut Collationes legerentur, cùm Collationes Patrum lectas in Officio non constet, ac post quaslibet Antiphonas completas, legi non potuerint, sed in iis tantùm horis, quibus lectio fiebat.

Ex eo quod de solis Hymnis Matutinis & Vespertinis dicitur illos quotidie dici, inferre licet, alios quotidie dici non consuevisse.

Per *Matutinas & Vespertinas Missas*, non Missæ Sacrificium quod manè vel vesperè offerretur, intelligendum est, sed illa Officii Pars, quæ *Matutinum* vel *Vespera* dicitur; improbabile omninò videtur post Sacrificium dictos esse Hymnos & Capitula de Psalmis. Præterea insinuatur id factum esse quotidie, cùm id factum esse dicatur post Hymnos, qui quotidiani erant; Sacrificium autem Missæ Vespere non celebrabatur, nisi Jejunii diebus, qui pauci erant comparati cum aliis.

Populi Benedictio ab Episcopo fiebat, quia Episcopi erat solius Populum benedicere.

REGULA XXIII.

Eodem sæculo ineunte, post Matutinas & Vesperas, à Sacerdote proferenda erat Oratio Dominica. *Cap.* 14. *De Conf.* DIST. V. *desumitur è Concilio* GERUNDENSI *ann.* 517. *celebrato.*

Inter Orationes, quibus componitur Officium, velut præcipua, post præcipuas horas, dicebatur Oratio Dominica; tanquam omnium bonarum petitionum epilogus habebatur ista Oratio.

REGULA XXIV.

Quamlibet Officii Partem ex Scriptura Sacra desumi nullus Juris Textus requirit: sunt è contra qui de Hymnis illud non necessarium esse docent, atque idem de aliis nonnullis judicandum.

Prima Pars impugnari non potest; nullus enim extat Textus ipsi contrarius.

Secunda Pars patet ex *Canone* 54. *De Conf.* DIST. I. in quo *Concilium* TOLETANUM IV. *ann.* 633. variis ostendit rationibus in Officio recitandos Hymnos, etsi ab hominibus compositos. Rationum illarum prima est, Beatissimi HILARIUS & AMBROSIUS in honorem Martyrum Hymnos ediderunt: Secunda, Hymnus, qui cuiliber Psalmo jungitur, hisque conceptus verbis: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in sæcula sæculorum, Amen*, ab hominibus compositus est: Tertia, Hymnus *Gloria in excelsis* dictus, ab hominibus quoque compositus est.

Tertia Pars Regulæ ex eodem *Capite* infertur; dicitur enim ibi PAULUM præcipere, ut Obsecrationes, Postulationes, Orationes, gratiarum Actiones, fiant; hujusmodi autem Preces pro petendæ rei qualitate necessariò diversas ab hominibus componendas esse; quod si Preces & Hymni ab hominibus facti in Officio recitandi non sunt, Officia manca sunt Ecclesiastica; cujus conclusionis ratio est, quod magna sui Parte carerent.

REGULA XXV.

Circa Antiphonas nihil in Jure antiquius quam citatus AGATHENSIS *Concilii* locus.

REGULA XXVI.

Ex Antiphonis componebatur Liber *Antiphonarius* dictus, inter illos recensitus quos Sacerdos adeò discere debebat, ut si unum nesciret, Sacerdotis nomen vix in illo constaret. *Canone mox citando in Regula consequenti.*

REGULA XXVII.

Libri hujusmodi sunt, Liber Sacramentorum; Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon Pœnitentialis. Psalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus & singulis Festivitatibus aptæ. *Cap.* 5. DIST. XXXVIII. *ex* BEDA *Anglo desumitur, ann.* 720.

REGULA XXVIII.

Ex eo quod Antiphonarius à Psalterio distinguitur, suspicari licet, vel Antiphonas aliud fuisse quàm simplices Psalmorum versus, vel ad Cantum notatas fuisse, ita ut Psalmorum Liber nimiùm excrevisset, si Antiphonæ Psalmis junctæ fuissent.

REGULA XXIX.

Circa Antiphonas alii non extant Juris Textus quàm citati.

REGULA XXX.

Quot Psalmis constare debeat quælibet Officii Pars, nullus est Juris Textus qui doceat.

REGULA XXXI.

De Solis Matutinis in Jure exprimitur quot in illis Psalmi dicendi sint; illa autem determinatio non omnem locum, ut nec omne tempus respicit, sed illa tantùm quæ morem Ecclesiæ Romanæ sequuntur. *Cap.* 15. *De Conf.* DIST. V.

REGULA XXXII.

Is autem mos est, ut in die Resurrectionis usque in Sabbathum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbathum ejusdem, tres Psalmi tantùm cantentur & legantur: omnibus diebus aliis per totum annum, si Festivitas est, novem Psalmi; aliis verò diebus, Psalmi duodecim; in Dominicis Diebus, excepto Pascha & Pentecoste, Psalmi octodecim. Is mos antiquus dicitur à GREGORIO VII. Autore hujus Canonis *ann.* 1078.

REGULA XXXIII.

Ex numero Psalmorum ad Matutinas præscripto, quis aliarum Officii Partium fuerit, colligi non potest.

REGULÆ RATIO: Aliis aliæ longiores esse debent, sunt enim diei tempora, quibus per longius temporis spatium orandum est, quale noctis tempus propter amicum Orationi silentium, quietemque, consuetos illius temporis comites.

Nonobstat *Can.* 14. DIST. XII. in quo idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis servandus dicitur, quia de Ordine inter Partes cujusque Partis Officii ponenda sermo fit, non de cantando Psalmorum numero. *Cap.* 24. *De Conf.* DIST. V.

REGULA XXXIV.

In præfigendo Psalmorum numero, cuique Officii Parti, hoc imprimis ante oculos habendum est, indiscretam Psalmorum decantationem menti & corpori obesse, atque melius esse quinque Psalmos cum cordis puritate, serenitate, & spirituali hilaritate decantare, quàm totum Psalterium modulari cum anxietate cordis & tristitia. *Cap.* 24. *De Consecr.* DIST. V.

Cujus Regulæ habenda est qunque Ratio in Pænitentia imponenda, quæ in precum recitatione consistat.

REGULA XXXV.

Extra necessitatem in Ecclesia Romana à Subdiaconis solis cantandi erant Psalmi. *Cap.* 2. DIST. XCII.

REGULA XXXVI.

Adeò proprii sunt Divino Officio Psalmi, ut idem sit Officium illud ac psallendi ordo. *Cap.* 14. DIST. XII. Cap. 1. DIST. XXI. §. 5.

REGULA XXXVII.

Ex Inferioribus Ecclesiæ Ministris unus ordinabatur ad Psalmos canendos; ideoque Psalmista vocabatur; apud Hispanos Hostiario præponebatur; apud Africanos verò eidem postponebatur. *Ibid.* Cap. 2. DIST. XXIII. *cùm praecedentibus collato.*

REGULA XXXVIII.

Psalmistis cum Orariis psallere non licebat. *Cap.* 28. DIST. XXIII.

REGULA XXXIX.

Officium ex Psalmis componendi usus ex Divi PAULI Doctrina desumptus. *Cap.* 54. *De Conf.* DIST. V.

REGULA XL.

Quod de Psalmis mox dictum est ad Hymnos quoque extendendum; hoc autem peculiare Hymno, quòd Hymni usus ex CHRISTI exemplo depromatur. *Ibid.*

REGULA XLI.

Anathemate plectendi sunt, qui Hymnos ex eo rejiciunt ab Officio, quod ex Divinis Libris non desumantur. *Ibid.*

REGULA XLII.

Ut quidam annui Missarum Hymni Pœnitentiæ tempore intermittuntur, ita & quidam annui Officii Divini Hymni intermittuntur, tàm Pœnitentiæ, quàm Passionis tempore. *Cap.* 55. *De Conf.* DIST. V.

In Missa intermissi Hymni sunt: Hymnus *Gloria in excelsis*, & Hymnus *Alleluja*. In Officio intermissi Hymni sunt: Hymnus *Alleluja*, & Hymnus *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quorum prior Pœnitentiæ tempore intermittitur; posterior Passionis tempore; de posterioris intermissione nulla mentio in Jure. Mysticam hujus intermissionis causam in citato *Can.* lege, si placet.

REGULA XLIII.

Nomine *Laudum* Hymni intelligi videntur. *Cap.* 1. DIST. XXV. §. 13.

REGULA XLIV.

Conjugati Clerici ad canendos ex Officio Psalmos admittebantur. *Cap.* 3. DIST. XXXII.

Hæc Regula jungenda est his, quæ ad Psalmos pertinent.

REGULA XLV.

Hymnorum aliqui Angelici dicuntur, tales sunt *Gloria in excelsis* & *Alleluja*. Cap. 55. *De Conf.* DIST. I.

REGULA XLVI.

De Capitulis aliud nihil docet Jus Canonicum, quàm illa ex Psalmis desumpta olim, & post Hymnos dicta. *Cap.* 13. *De Conf.* DIST. V. *è Concilio* AGATHENSI *desumitur. ann.* 506.

REGULA XLVII.

Circa Capitula alius non est Juris Textus, quàm mox citatus.

REGULA XLVIII.

Tàm ad Lectiones Officii Divini, quàm ad Lectiones Missæ, Lectoris Ordo institutus est. Qui utrasque legeret unus idemque erat Lector.

REGULA XLIX.

Nullus in pulpito legere debet, nisi sit ex illis, qui ab Episcopo Lectores ordinati sunt. *Cap.* 3. DIST. XCII. colligitur è *Capitulari* MARTINI BRACHARENSIS *collecto anno* 572.

REGULA L.

Ex his, quæ præceperat *Concilium* CARTHAGINENSE IV. Lectori dicenda, dum ordinabatur, inferre licèt nonnisi ex Verbo Dei Lectiones tunc desumptas fuisse. Idem colligi possec ex animi dotibus, quæ in illo requiruntur.

Patet Regula ex *Can.* 18. DIST. XXIII. in quo hæc leguntur: „ Lector cùm ordinatur, faciat de illo Episcopus verbum ad Plebem, indicans ejus fidem, & „vitam, atque ingenium; post hæc spectante Plebe „tradat ei Codicem, de quo lecturus est, dicens ad „eum: *Accipe & esto Relator Verbi Dei, habiturus, si „fideliter & utiliter impleveris Officium, Partem cum „eis, qui Verbum Dei ministraverint „.*

Circa relatum *Caput* notandum, quod ad aliorum inferiorumOrdinum Collationem,quod de ordinandis non loquebatur Episcopus ad Plebem, nec apud illam illorum fidem, vitam, ingeniumque commendabat; cùm autem id fieret in Lectoris Ordinatione, credendum id factum propter Ordinis Dignitatem, quæ aliundè peti non potest, quàm ex Verbi Dei legendi Officio. Notandum etiam tanti fieri Lectoris Officium, ut eademLectori promittatur ac Prædicatoribus merces, si,

ſi, ut par eſt, impleverit illud; Prædicatores autem tunc temporis non alios fuiſſe quàm Paſtores.

REGULA LI.

Sub Gelasio Pontifice Lectiones nonnullæ ex Sanctorum Patrum Homiliis deſumebantur. *Cap.* 3. Dist. XV.

REGULA LII.

Ceſſante neceſſitate, in Eccleſia Romana, juxtà Sancti Gregorii Conſtitutionem, ſolis Subdiaconis Lectiones exhibere licebat, Diaconis & Presbyteris vetabatur. *Cap.* 2. Dist. XCII. Pſalmos inter Lectiones videtur comprehendere his verbis: *Pſalmos ac reliquas Lectiones*, ac hic *Lectionis* nomen impropriè ſumit.

REGULA LIII.

Orariis uti Lectoribus non licebat, multòque minùs cum iis legere *Cap.* 28. Dist. XXIII. Idem prohibetur Pſalmiſtis in Regula XXXVII.

REGULA LIV.

Lectores populum ſalutare non debebant, dicendo ſcilicet, *Dominus vobiſcum*. Cap. 5. Dist. LXXVII.

REGULA LV.

Primicerio Lectores ſuberant; quis Clericorum Lectiones dicere deberet Primicerii erat determinare, id autem per Diaconos faciebat. *Cap. unic. De Officio Primicerii.* Hujus loci verum eſſe ſenſum patebit illum legenti.

REGULA LVI.

Quoad illa omnia Archidiacono ſuberat Primicerius, ad illum ſiquidem pertinebat in Eccleſia Matrice Lectores auſcultare, ita ut nullus ab ipſo non auſcultatus Lectionem in Eccleſia legeret.

REGULA LVII.

Divini Officii Lectiones ſeorſim ab aliis illius Partibus in uno Libro habebantur; is Liber *Lectionarius* dicebatur; in illorum numero quos ſcire debebat Sacerdos, ſi Sacerdotis nomen retinere vellet, collocabatur. *Cap.* 5. Dist. XXXVIII.

Nota, colligi non poſſe ſæculo VIII in Anglia Sacerdotes Lectiones legiſſe, ex eo quod Beda *Anglus*, quæ mox relata ſunt, eo ſæculo dicat; nam cognitio Lectionarii eſſe potuit neceſſaria Sacerdoti, ex eo quod Lectoribus, quomodo legere deberent, monſtrare tenebatur.

REGULA LVIII.

Si in *Capite* 13. *De Conſ.* Dist. V. *Collationes* non *Collectiones* legendum eſſet, per illa verba, *poſt Antiphonas*, ſignificaretur, poſt alternatum tantum, & *per Collationes* Lectiones intelligerentur, quæ ex Collationibus fierent, eoque modo Lectiones, eodem quo nunc ordine ponerentur.

REGULA LIX.

Exeunte ſæculo XI. jam ex antiquo more, per Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, tres tantùm Lectiones ad Nocturnas dicebantur; omnibus verò diebus per totum annum, ſi Feſtivitas eſſet, novem Lectiones dicebantur; aliis verò diebus tres tantùm Lectiones; Dominicis autem novem Lectiones. *Cap.* 15. *De Conſ.* Dist. V.

Eodem tempore extabant Eccleſiæ, quæ quotidie tres tantùm Lectiones legerent; idque factum dicitur, non ex Regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia. *Ibid.*

Circa Lectiones, ſicut & circa alias Officii Partes, in Eccleſia Romana, maximè ex quo Teutonici Pontificatum regere cœperunt, ordo antiquus mutatus fuerat, à Gregorio VII. reſtitutus in *Concilio* Generali habito *anno* 1078.

REGULA LX.

Circa Lectionem Sancti Evangelii hoc peculiare ut omnes venerabiliter curvi ſtantes audire tenerentur. *Cap.* 18. *De Conſ.* Dist. I.

REGULA LXI.

De Lectionibus aliarum Officii Partium, nullus Juris Textus expreſſam diſtinctamque mentionem facit.

Patet Regula ex eo quod alius Textus non eſt, qui de Lectionibus Divini Officii loquatur, quàm qui ſupra citati; horum autem nullus præter proximè citatum, de Lectionibus alicujus Partis ſeorſim meminit; iſte verò de ſolis Matutinarum Lectionibus mentionem facit.

REGULA LXII.

Benedictionum multiplex eſt genus, ſed duplex tantùm ad Officium Divinum ſpectat: Prius eſt illarum, quæ Lectoribus dantur antequam legant: Poſterius eſt illarum, quæ in fine Officii dantur.

REGULA LXIII.

Circa utrumque hæc ex Jure colliguntur.

I. De utroque verum eſſe Majorem à Minori non benedici. *Cap.* 6. Dist. XXI. indiſtinctè loquitur, ideoque utrique convenit; unde teſte Nicolao I. imprætermiſſa Eccleſiæ Romanæ conſuetudo eſt, ut anterior Lectionem pronunciaturus ſtans Benedictionem quidem poſtulet, ſed inferior nullus benedicere illum audeat. *Ibidem.*

II. Ad Primicerium pertinere, ut determinet quis Clericorum Benedictiones dicere debeat. *Cap.* 1. Dist. XXV §. 3. Cùm autem Archidiacono ſubſit Primicerius, *Cap. unic. De Officio Primic.* quæ dicta ſunt, ita intelligenda eſſe, niſi per ipſum facere velit, quod per Primicerium facit: de qua verò Benedictione interpretanda ſint dubitari poſſe, quia Lectionibus ſubjunguntur Benedictiones, quæ præmittendæ erant, ſi ad Lectiones pertinerent; ſed nihilominùs de Benedictionibus circa Lectiones, intelligenda veroſimiliùs; præcedentia & ſubſequentia ſatis indicant hic mentionem fieri de Benedictionibus, quæ ad Officium pertinent; ſubſequentia verò inſinuant de Benedictione in fine Officii danda hic non agi, cùm Pſalmus, Laudes, Reſponſoria præcedant, non ſubſequantur Benedictionem finalem; quæ interpretatio pro certa non datur, quia in prædicta enumeratione potuit Autor non naturalem, ſed arbitrarium, vel fortuitum ordinem ſequi, ſcribendo ſcilicet res prout ſeſe menti offerebant ſuæ.

III. Benedictionem, quæ in fine Officii datur, ab Epiſcopo dandam, ſi præſens ſit. *Cap.* 14. *De Conſ.* Dist. V. Ipſo verò abſente, ab Archipresbytero, qui circa Officium Divinum Epiſcopi abſentis vices gerit. *Cap.* 1. Dist. XXV. *Cap.* 1. *De Offic. Archipresbyt.*

Vel

Vel à quovis alio, qui hoc in casu, quæ Episcopus facere deberet, per seipsum facit.

REGULA LXIV.

De Responsotiis duo tantùm Juris Textus meminerunt, nempè *Cap.* 1. DIST. XXV. Cap. 2. *De Offic. Archid.*

Prior nihil aliud docet, quàm Primicerii esse, ut, quis Clericorum Responsoria dicere debeat, determinet; desumitur ex *Epistola* ISIDORI *ad* LUDIFREDUM *ann.* 633. An Textus iste de Responsoriis Officii Divini loquatur, dubitari posset.

Dubitandi causa: In illo subjunguntur Responsoria Offertorio, quod ad Missam tantùm pertinet; sed cùm alia eo in Textu præposterè collocentur, fieri potest, ut Responsoria suum ibi locum non occupent. Ad id verò quod de Primicerio dicitur addendum, *annuente Archidiacono*, cui subest Primicerius.

In posteriori legitur: *Nemini licere in Matrice Ecclesia Responsoria legere, vel cantare, quin priùs ab Archidiacono auscultatus fuerit & probatus;* desumi dicitur è *Concilio* TOLETANO; de quo ootatur nondum inventum esse quotum sit.

Eo in Textu Responsoria Lectionibus mox subjunguntur, qui illorum naturalis est locus; mox post Epistolam collocantur, undè inferre est illa tàm ad Missam, quàm ad Officium Divinum pertinere.

Utrumque testimooium sæculo VII. collocatur ab eo, qui Corpori Juris Canonici Cronologicas Notas inseruit.

In *Capite* 64. DIST. L. Responsorii fit mentio, sed ad Ritum Pœnitentiæ publicæ, non ad Officium Divinum pertinet. *Concilio* AGATHENSI *Caput* hoc à GRATIANO tribuitur, ideòque ineunte sæculo VI. & nominis & rei usus jam extitit, si vera sit inscriptio, sed in illo *Concilio* nil quidquam simile reperitur.

REGULA LXV.

Orationes quæ ad Officium Divinum pertinent Collectæ dicuntur, æque ac illæ, quæ ad Missam spectant.

Colligitur ex *Capite* 13. *De Conf.* DIST. V. in quo ut ostensum est, Collectiones pro Orationibus ponuntur. Textus autem est anni 506. Colligitur etiam ex *Capite* 1. DIST. XXV. & Cap. 1. *De Officio Archipresbyt.* in quibus collecta pro Oratione sumitur, & tàm ad Officium, quàm ad Missam pertinere potest, quod de ea dicitur: Hæc autem testimonia sæculi VII. esse creduntur.

REGULA LXVI.

In Orationibus, quæ in Officiis Sanctorum dicuntur, pro Sanctis orandum non est.

REGULÆ RATIO: Sancto, sive sit Confessor, sive sit Martyr, injuria fit, si pro ipso oretur. *Cap.* 6. *De Celebr. Missar.* §. 2.

REGULA LXVII.

Ab eo, qui Officio præest, dicendæ sunt Collectæ; præesse autem debet, vel Episcopus, vel Archipresbyter, vel Presbyter. *Cap.* 13. 14. *De Conf.* DIST. V. Cap. 1. DIST. XXV. Cap. 1. *De Offic. Archip.*

Non obstat quod duo ultima *Capita* de Missa loquantur, quia cujus est Missam solemnem cantare, ejus est Officio præesse.

REGULA LXVIII.

Ab Apostolis traditus mos est, ut à Pascha ad Pentecosten usque, genibus flexis Orationes non dicantur, sed erecto vultu Deus oretur, idemque fiat diebus Dominicis. *Cap. ult.* DIST. XXX. Cap. 8. DIST. LXXVI.

Violatam alicubi Consuetudinem hanc *Concilium* NICÆNUM restituit. *Cap.* 10. *De Conf.* DIST. III.

REGULA LXIX.

Apostolica quoque Traditio est, quod versa ad Orientem facie Orationes proferantur. *Cap.* 5. DIST. XI.

Circa prædictas Traditiones, nota: I. Quod sub ALEXANDRO III. adeò vigeret prædicto tempore non flectendi genu mos, ut eo tempore nonnisi secretò & devotionis gratia id facere liceret. *Cap.* 2. *De Feriis.* Quod locum habebat non solùm dum Collectæ dicerentur, sed etiam dum Corpus & Sanguis CHRISTI elevarentur. *Cap.* 10. *De Celebr. Missar.* II. Quod altera Traditio jam à multis sæculis secum amiserit vigorem, cujus rei fidem faciunt quàmplurima Ecclesiarum etiam vetustarum Altaria Orientem versùs non constructa, etsi in illis præcipua siot.

REGULA LXX.

Præter citatos circa omnes, Officii Divini Partes, Textus, nullus est, qui de aliis loquatur, quàm de Matutinis & Vespertinis horis.

REGULA LXXI.

Quæ de istis duabus Partibus dicuntur, vel toti Officio conveniunt, vel solis Matutinis, vel solis Vespertinis, vel utrisque simul.

REGULA LXXII.

Toti Officio communia sunt, quòd circa illas horas idem servetur in Comprovincialibus Ecclesiis, qui in Metropolitana servatur ordo. *Cap.* 13. 14. DIST. II. Cap. 31. *De Conf.* DIST. I. Cap. 31. *De Conf.* DIST. II.

REGULA LXXIII.

Matutinis peculiare, quòd his certus Lectionum numerus pro tempore diversus annectatur. *Cap.* 15. *De Conf.* DIST. Quòd qui his adesse negligunt Clerici, stipendio privati excommunicentur. *Cap.* 3. DIST. XCI.

REGULA LXXIV.

Vespertinis peculiare, quod tempore Jejunii nonnisi post Vesperas cœnandum sit. *De Cap.* 50. *De Conf.* DIST. I. Quòd Plebs ad Vesperas collecta Oratione cum Episcopi Benedictione mittatur. *Cap.* 13. *De Conf.* DIST. V.

REGULA LXXV.

Matutinis & Vespertinis commmunia, quòd de utrisque simul junctis sigillatim dicatur, eumdem in tota Provincia ordinem servandum esse. *Cap.* 13. 14. DIST. XII. Quòd publica Officia dicantur. *Cap.* 13. *cit.* Quòd post utrasque Oratio Dominica dicenda sit. *Cap.* 14. *De Conf.* DIST. V. Quòd qui illas monitus cum aliis non cantaverit, deponatur. *Cap.* 9. DIST. XCII. Quòd quotidie dici, iisque Clerici adesse, debeant. *Cap.* 9. *cit.*

De Ordine in Officiis Divinis servando citati Canooes desumpti sunt, vel è *Concilio* EPAUNENSI *anno* 517. *celebrato*, vel ex *Concilio* GERUNDENSI *eodem anno convocato*, vel ex *Concilio* BRACHARENSI I. *anni* 563. vel ex *Concilio* TOLETANO XI. *anni* 675. Circa eum-

eumdem ordinem alii in Jure non habentur Canones. Ex citatis nullus ampliùs requirit quàm, ut ejusdem Provinciæ Ecclesiæ quem servat Metropolitana eumdem & illæ servent; de extendenda illa Metropolitanæ prærogativa ad Primatialem, aliamque Superiorem ne verbum quidem. Quod circa ordinem in Officiis Divinis servandum dictum est, ad Missam extendunt *Concilium* TOLETANUM & *Concilium* GERUNDENSE jam citata: prius *Capite* 13. DIST. XII. posterius *Capite* 31. *De Conf.* DIST. II. Ecclesias Regulares expressè subjicit huic Legi *Caput* 13. mox citatum; idque tantùm quoad Officia publica, *id est*, Vesperas, Matutinum, sive Missam; Disciplinæ hujus causam exprimit citatum *Caput* 13. his verbis: *Justum est, ut indè unusquisque sumat Regulas Magisterii, unde honoris Consecrationem accipit, ut juxtà Majorum Statuta Sedes, quæ unicuique Sacerdotalis Dignitatis est Mater, sit Ecclesiastica Magistra rationis*: Quæ causa in Regularibus locum habet ac in Sæcularibus Ecclesiis. Metropolitani Consecratio, cùm ad Primatem non pertineret, allata causa erga Metropolitanum uti non poterat Primas. Quod de Primate dictum est, de Patriarcha quoque dicendum.

Hinc sequitur ad solum Metropolitanum olim pertinuisse circa Officia Divina statuere; sed Statuta, quæ condebat, cùm omnes Provinciæ suæ Ecclesias tangerent, ab omnibus illarum Episcopis probanda erant, juxtà REGULAM XIX. *in* 6.

REGULA LXXVI.

Ad Ritum Metropolitanæ in Officio sequendum singulas cujusque Provinciæ Ecclesias varii Juris Textus obligant. *Cap.* 13. DIST. XII. *Cap.* 31. *De Conf.* DIST. I. Cap. 31. *De Conf.* DIST. II.

REGULA LXXVII.

Convenit Ecclesiæ ordinem ab omnibus æqualiter custodiri, ab eo tamen, si justa subsit causa, eximi quis potest. *Cap.* 13. *De Conf.* DIST. V. CLEMENT. II. *De Celebr. Missarum.*

Ordo hîc sumi videtur pro Officii Directorio, quod etiam nunc ordo dicitur: saltem certum est formam sequendam in Officio dicendo, sive ex scripto, sive ex usu sumatur, significare.

REGULA LXXVIII.

Ab Ordine Ecclesiæ suæ jure quis eximitur, si Cardinalis, vel Pontificis Commensalis fuerit, alterum Ordinem sequentis. CLEM. II. *mox cit.*

REGULA LXXIX.

Ne Sanctimoniales cum Canonicis, vel Monachis, in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum, prohibetur. *Cap.* 25. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Sicut in eodem Officio sociari non decet qui dispares sunt professionis, ita nec qui dispares sunt sexûs. *Cap.* 22. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

REGULA LXXX.

Cum Hæreticis, aut cum Schismaticis orare non licet, nec etiam cum peccatoribus publicis. *Cap.* 67. CAUS. I. QUÆST. I.

Certa est Regula erga notorios notorietate Juris, mandarique facile potest in executionem: erga notorios notorietate facti, non usquequaque certæ nec facilis executionis.

REGULA LXXXI.

Tàm ex GRATIANO quàm ex GREGORIO IX. clarè colligitur Officium privatim saltem recitandi obligatio.

Apud GRATIANUM *Concilium* TOLETANUM IV. *an.* 633. Cap. 54. *De Conf.* DIST. I. refert Hymnum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in fine*, in publico privatoque Officio quotidie dici. Privato autem Officio nihil aliud intelligere potest quàm Officium privatim recitatum; quotidie verò privatum recitatum fuisse verosimile non est, nisi Lex aliqua ad illud coegerit.

Apud eumdem, *Concilium* NANNETENSE *ann.* 890. celebratum præcipit, ut Presbyter, qui, cogente operis ruralis necessitate, rus petiturus est, prius dicat Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, easdem per se, vel per alios publicè cantaturus, illamque recitationem vocat pensum servitutis, solutionemque; si legitimè impeditus ne Officium recitaret publicè, privatim recitare tenebatur; quid de non impedito credendum est? Alioquin negligens, vel contemnens potioris conditionis esset quàm nullus culpæ reus.

Apud eumdem sunt alii Textus, ex quibus conjicere licet, Clericos publicè Officium non cantantes ad illud privatim recitandum obligatos fuisse, nam *Cap.* 3. DIST. XCI. desumptum ex *Concilio* CARTHAG. IV. *ann.* 398. *Caput eadem* DIST. desumptum è PELAGIO I. *ann.* 557. decernunt Clericos, qui Vigiliis adesse negligunt, vel contemnunt, correctione, pœnis, modisque omnibus ad id compellendos; inter hos autem modos, eum ad privatam Officii recitationem obligatio non minimus esset, adhibitum fuisse non improbabile. Prætereà Officium Divinum à Clericis celebrandum institutum fuit, ut ab illis pro aliis Deus laudetur & oretur; idque quia ad utrumque munus pro aliis obeundum deputati sunt; undè si publicè id non præstent, ut privatim præstent obligatos fuisse existimare est. De illa deputatione expressè meminit *Canon.* 33. CAUS. X. QUÆST. I.

Dici posset ex qualitate pœnarum, quibus plectuntur Clerici, qui moniti Divinis Officiis non adsunt, colligi eos, qui publicis Officiis non aderant, illa privatim recitare obligatos non fuisse, cùm excommunicentur & deponantur. *Cap.* 3. DIST. XC. Cap. 9. DIST. XCII. Cùmque inter privatam & publicam recitationem parùm adeò intersit, ut vix credi possit, qui privatim dixisset horas, ob id solùm quod publicè cum aliis non recitarit, tantis pœnis punitum fuisse: Verùm si quis sic discurreret, non rectè discurreret, nam præterquam quod de privata recitatione non constat, contumax publicorum Officiorum contemptus grande scandalum generat, ideoque tantis dignus est pœnis.

Instari posset: Qui à Divinis aberant Officiis toto stipendio privabantur, nam stipendio indistinctè privandi dicuntur *Capite* 3. DIST. XCI. Atqui si ad privatum Officium obligabantur, stipendii tantùm parte privandi erant. Sed illa instantia non urget; citatus enim locus de eo, qui à Vigiliis tantùm abest, loquitur, quique ideò toto privandus non esset stipendio, attamen propter contumaciam toto privatur.

Apud GREGORIUM IX. Canon, quem GRATIANUS *Concilio* NANNETENSI tribuit, eoque sub nomine supra expositus, iisdem refertur verbis: *De Celebrat. Missarum.* & *Sacramento Eucharistiæ*; & *Divinis Officiis*; & *Concilio* AGATHENSI tribuitur. Idem Canon habetur *Cap.* 1. *De Suffrag.* LIB. 5. *Tit.* 22. *in secunda Collectione*, apud ANTONIUM AUGUSTINUM, eidemque *Concilio* AGATHENSI tribuitur; hic autem quædam leguntur, quæ apud GREGORIUM IX. non leguntur, nempè post hæc verba, *Temporis qualitate*, additur, *opportunitate*, & antè illa, *Propheta dicente*, additur *ex dictis Beati* BENEDICTI; quædam verò omittuntur, quæ apud GRATIANUM

NUM sunt, nempè verbum *item* mox relata præcedens.

Ex prima additione infertur, pro negotiorum necessitate Horas Canonicas seriùs, vel citiùs dici posse.

Ex altera colligitur, Canonem istum non pertinere ad *Concilium* AGATHENSE, citatus enim BENEDICTUS illo *Concilio* posterior est, & in illo Canone *Beati* titulo donatur. Istius additionis sensus est, Beatum BENEDICTUM laudasse Prophetæ DAVIDIS verba, *Septies in die laudem dixi tibi*, ut ostenderet, in septem Partes Officium diurnum rectè dividi, vel fortè meliùs, quæ sequuntur ex Beato BENEDICTO desumi, quod confirmari potest ex verbo, *item ista ex dictis Beati* BENEDICTI, præcedenti, quo GRATIANUS citationes diversas denotare solet. Quæ cùm ita sint, sequitur ex GREGORIO IX. ut ex GRATIANO clarè inferri ad Officium privatim recitandum Clericos obligatos. Apud eumdem GREGORIUM sunt alia loca, ex quibus subodorari licet rem sese ita habuisse; nempè quæcumque Capitula, quibus justa de causa non residentibus Beneficiorum fructus percipiendi dimittuntur; vix enim credi potest id Indulti iis concessum fuisse, qui fructus pro aliis laudandi, orandique Deum gratia donatos, privata saltem Officii recitatione lucrati non fuissent.

Sunt etiam apud BONIFACIUM VIII. Textus ex quibus idem subodorari fas est; sed illi maximè qui residentes, qui à Divinis Officiis sine justa causa absunt, solis privant distributionibus, dimisso etiam reis reliquo proventu; id enim non facerent, nisi privata saltem Officii recitatione, ut & residendi onere illum proventum lucrarentur.

Citatis suprà ex GRATIANO Textibus alius ex eodem sumptus adduci potest, qui insinuare videtur Laicos, qui Divinis adesse Officiis non poterant, partem, cui non aderant, privatim recitare obligatos fuisse; is autem est *Caput* 50. *De Cons.* DIST. I. *ex Capitulari* THEODULPHI *Aurelianensis depromptum* in quo hæc habentur: *Si quis necessitate constrictus ad Missam venire non valeat* (de Missa Vesperis juncta loqui precedentia docent) *æstimata Vespertina Hora completa Oratione sua Jejunium solvat.* Quid enim per illa verba: *Completa Oratione sua* ex præcedentibus interpretanda aliud significat, quàm Vesperis recitatis. Si autem interpretatio hæc, quam ut conjecturam damus, vera esset, relatus Textus maximè valeret ad ostendendum Clericos, qui Officiis publicis adesse, vel non poterant, vel nolebant, ad privatim recitandum Officium obligatos fuisse. Huic accedit validior alius, nempè *Caput* 2. DIST. XCII. è S. GREGORIO desumptum, in quo prohibet, ne in Ecclesia Romana Officio Cantoris fungantur Diaconi, neve isti aliud canant, quàm Sanctum Evangelium, qua prohibitione Diaconi à toto Officio, excepta Missa, eximebantur; si ergo qui publico Officio non aderant, privatum, quod recitarent, Officium, non haberent, è præcipuis Ecclesiæ Ministris nonnulli erant, qui pro aliis orandi onere præcipuis saltem Ministris imposito liberi erant.

Non obstat desumpto ex *Conciliis* vel AGATHENSI, vel NANNETENSI argumento, quod apud GRATIANUM & apud ANTONIUM AUGUSTINUM, post hæc verba: *Pensum servitutis tuæ*, vox *canendo* addatur, qua de Officio publico *Concilia* loqui insinuatur: *canere* siquidem eo loci idem significat ac *dicere*, *recitare*; ut ex ipso Canonis contextu videre est; vocem autem hanc eo sensu quandoque usurpari, DUCANGE in verbo plura exempla refert; idemque MABILLONIUS *in Liturgia Gallicana.*

REGULA LXXXII.

Antiquo Jure nedum Presbyter ac Diaconus, sed etiam quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, Officio publico adesse nominatim obligari dicebantur, idque jure merito, quia ipsi Presbyter & Diaconus non alio Titulo ad Officium tenebantur, quàm deputationis Ecclesiæ servitio. *Cap.* 9. DIST. XCII.

REGULA LXXXIII.

Jure Novo ad Officium privatum vel publicum tenentur Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, & quilibet Beneficii Possessor.

Duplex ergo nunc erga Clericos dicendi Officii obligationis fons; nempe Ordo Sacer, & Beneficium. Quod de Beneficio dicitur, confirmatur ex *Capite* 15. *De Rescript. in* SEXTO, quod docet Beneficium dari propter Officium, quodque hinc concludit ab iis, qui non adsunt Officiis cùm possunt, Beneficiorum fructus non percipiendos esse. Dictum est erga Clericos de quibus solis agebatur, ut insinuaretur quòd alio nomine Monachi ad illud obligantur, nempè professione Religionis, exceptis Conversis.

REGULA LXXXIV.

Episcopus diebus Dominicis, nisi infirmus esset, Ecclesiæ, cui proximus erat, deesse non debebat. *Cap.* 4. *De Cons.* DIST. III.

REGULA LXXXV.

Quandiù Clericis inferioribus ab Ecclesia permissum fuit, ut & uxores & Beneficia retinerent, Clerici conjugati, ad Officium obligati fuerunt, *Cap.* 3. DIST. XXXII.

REGULA LXXXVI.

Diebus Festivis populus Divinis Officiis adesse debet, atque ad id per Judices ac per Sacerdotes cogendus est. *Cap.* 2. *De Consecr.* DIST. III.

REGULA LXXXVII.

Quod de assistente Divina celebranti dando dicitur, ne scilicet ex repentino casu celebrante incapaci facto imperfecta remaneant, tàm Officium prout à Missa distinguitur, quàm Missam respicit. *Cap.* 58. *De Cons.* DIST. I.

REGULÆ RATIO: Utriusque Canon expressè meminit, etsi major necessitas pro Missa, quam pro Officio Divino.

REGULA LXXXVIII.

Extant Juris Textus, quibus constat ob Jejunium certis diebus omissum Missæ Sacrificium; sed nullus extat qui propter eamdem causam prætermissam fuisse Officii Divini decantationem doceat.

Regula colligitur ex *Capite* 13. *De Cons.* DIST. III. in quo INNOCENTIUS I. ostendere volens jejunandum esse, Feria Sexta, & Sabbatho cujuslibet Hebdomadæ, his utitur rationum momentis: „ Sicut „ dies Dominica est dies lætitiæ, quia in eo fit Re„ surrectionis CHRISTI memoria, atque diem, quo illa „ ab Apostolis celebrata est, exhibet; eodem planè „ modo Feria Sexta, & Sabbathum, sunt dies tristitiæ, „ quia illo biduo aliàs CHRISTUS passus, mortuus, & „ sepultus, & in sepulchro remansit, & sicut die Domi„ nica propter prædictam lætitiæ causam, ita illo „ biduo

„ biduo propter memoratam tristitiæ causam jeju-„ nandum est, præterea Apostolorum exemplum ad „ id quoque ferre debet, quos adeò certom eos „ illo biduo jejunasse, ut Ecclesiæ traditio habeat „ illo biduo Sacramenra penitùs non celebrari „. *Sacrificium Missæ*, per verbum illud Sacramenta hic intelligimus; quia per illud quid aliud hic significari posse non videmus: Missæ siquidem Sacrificium propter excellentiam suam *Sacramenta* simpliciter vocari potest; quæ sine solemnitate danrur in necessitate, Sacramenta hic comprehendi verosimile non est. Officia Divina à Sacrificio Missæ separata Sacramenta dici non solent.

Nec obstat verbum, *penitùs*; hic enim nihil significare videtur, nisi nec umbram Sacrificii prædicto biduo celebrari, eo nomine donamus Sacrificium præsanctificatorum, quo Missæ Sacrificium repræsentatur.

Existimare quis posset Innocentii I. tempore, diebus quibus jejunabatur Missæ Sacrificium offerre non licuisse, atque ita sentire, quod ipse concludat Apostolos prædicto biduo jejunasse, ex eo quod his diebus Sacramenra non celebrari traditum sit.

Si quis ita discurreret, non rectè ratiocinaretur, quia de Jejunio non interrupto Innocentius I. loqui videtur; unde ex Innocentii discursu concludi tantùm posset, ab antiquis judicatum non esse celebranda hoc biduo Sacramenta; quia non congruebat, ut quo tempore tanto affecti erant Apostoli mœrore, quod ab omni cibo abstinuerint, Missæ Sacrificium offerretur. Præterea rectè discurritur, dùm dicitur: *Hodie ex Apostolica Traditione non sacrificatur in memoriam mœroris, quo affecti fuit Apostoli pari die; eo ergo tempore Apostolos jejunasse oportet*; sed malè discurreretur, si diceretur: *Hodie jejunatur, ergo non sacrificandum, nisi Lege, vel Consuetudine introductum sit, ut quovis Jejunii die non sacrificetur; majus est enim mœroris signum Sacrificii suspensio, quam Jejunium etiam per duos dies continuatum*; undè cum plus contineat quod est minus, non è contra, ex eo quod propter dictum finem non sacrificatur, inferre est quod jejunatum sit ab Apostolis, sed ex eo quod simpliciter jejunatur, concludere nefas est sacrificandum non esse.

REGULA LXXXIX.

Qui concubinam palam durit Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, aut ductam retinet, in Presbyterio, seu Choro manere non debet, nec partem ab Ecclesia habere. *Cap. 6.* Dist. XXXII.

REGULA XC.

Quando pro decem, *verbi gratia*, Officium dicitur, nihil minùs quàm si pro uno quolibet diceretur, accipitur. *Cap. 24. De Consf.* Dist. V.

Restringenda videtur ad Preces publicas de quibus loquitur.

REGULA XCI.

Laïcis, multominùs fœminis, intra Chorum psallentibus destinatum, stare, vel sedere non licet. *Cap.* 1. *De Vita & Honest. Clericorum.* Cap. 2. *De Cohabit. Cler. & Mulier.*

REGULA XCII.

Per singulas horas Canonicas tintinnabulorum signa jubente Archidiacono pulsanda sunt à Custode. *Cap.* 1. 2. *De Offic. Custodis.*

REGULA XCIII.

Cujusque Superioris est, qua valet in subditos potestate, quæ circa Divinum Officium delicta fiunt corrigere. Clem. *I. De Celebr. Missarum.*

REGULA XCIV.

Circa Officia Divina statutæ sunt à Jure pœnæ & remunerationes; pœnæ contra illos, qui in illa peccant; remunerationes erga illos, qui, ut par est, Officiis adsunt.

REGULA XCV.

Prædictæ pœnæ aliæ in Jure non recensentur, quàm sequentes.

I. Stipendii Divini privatio latæ sententiæ. *Cap.* 5. Dist. XCI.

II. Excommunicatio ferendæ sententiæ. *Ibidem.*

III. Depositio ejusdem generis. *Cap.* 9. Dist. XCII.

IV. Suspensio ejusdem generis. *Cap. 9. De Celebr. Missarum.*

V. Annexarum certis Officii partibus distributionum amissio. *Cap. unic. De Cler. non Resid.*

REGULA XCVI.

In Divina Officia peccant, tàm qui, cùm adesse debeant & possint, non adsunt; quàm qui debito modo non intersunt, quales qui seriùs, vel continuatâ sincopâ celebrant, vel dùm celebrantur vanè confabulantur.

REGULA XCVII.

Contra peccantes in Divina Officia Juris pœnæ aliæ sunt ab ipso Jure determinatæ, aliæ Superioris judicio relictæ.

REGULA XCVIII.

Determinatæ sunt, quæ supra recensitæ sunt.

REGULA XCIX.

Ex recensitis quædam sunt contra illos, qui ab Officiis absunt, quales omnes præter suspensionem; aliæ contra eos, qui indebitè adsunt, qualis suspensio.

REGULA C.

Ex iis quæ determinatæ sunt, aliæ sunt abrogatæ, aliæ adhuc vigent.

REGULA CI.

In Clericos, qui Vigiliis sine justa causa decrant à *Concilio* Carthaginensi IV. statuta anno 398. partim abrogata est, partim viget.

Pœna hujusmodi est, quod stipendio privati excommunicentur, atqui abrogata est illa pœna quoad excommunicationem, etsi diurno privabantur hî Clerici stipendio; quoad pœnæ quoritatem etiam abrogata est, etsi quoad genus subsistat; qui enim nunc à Matutinis absunt, huic horæ annexa distributione duntaxat privantur.

REGULA CII.

Pro distributionum origine, & instituentis intentione, illarum substractio iis, qui Officiis non adsunt, pœna est, vel non; pœna, si ex ipso Beneficio detrahantur, & in negligentes tantùm feratur

feratur; non pœna, si aliundè desumantur & absentes ex quacumque causa respiciat.

De priori distributionum genere hic agere convenit. De posteriori dum *De Remunerationibus*.

REGULA CIII.

Distributionum privationis pœna ex citato *Concilio* CARTHAGINENSI ortum sumpsisse videtur.

REGULÆ RATIO: Ut CARTHAGINENSIS te debitâ privat & legitimè impeditos non respicit, ita & distributionum substractio quæ pœna est, debita re privat, & contra solos negligentes statuta; ea propter omnium hujus generis antiquissima est, ideòque aliarum exemplar esse potuit.

Non obstat quod Constitutio CARTHAGINENSIS à lata pœna solos excipiat infirmos; nam etsi alios non exprimat, non ideò tamen illos excludit, imò excipiens infirmos alios æque ac infirmos legitimè impeditos excipiendos insinuat: Hinc excepti intelliguntur captivi, injustà de causa carcerati, atque ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, vel absentes, vel in loco Residentiæ occupati.

REGULA CIV.

Nihilominùs pœnarum, quæ à Jure determinatæ sunt, nulla viget præter quintam.

REGULÆ RATIO: Prima vi Legis, quæ illam tulit, non subsistit; sed ex sola ipsius cùm posterius instituta, similitudine, imò propriè non subsistit in se ipsa, sed in alia illius ad instar constituta.

Secunda in genere suo abrogata est, nam excommunicatio minor, sivè quæ Clericis propria, quæque posita erat in privatione alicujus Communionis, ipsis peculiaris; sive quæ Laïcis & Clericis communis, quæque ut nunc facit, à Sacramentorum participatione excludebat, jam diu in desuetudinem abierunt, præter casum communicationis cum excommunicato denunciato, in quo posterior adhuc incurritur.

Tertia durior apparet, præsentique disciplinæ non conveniens, quâ nullus titulo Beneficii privatur propter obstinatam à Choro absentiam, nisi contumaci non Residentiæ conjuncta sit.

Quarta, nempè suspensio contra eos, qui irreverenter Officia Divina celebrant, si alicubi incurratur, non vi Canonis, sed vi Statuti, vel Episcopalis, vel Capitularis, incurritur.

REGULA CV.

De indeterminatis Juris pœnis contrà peccantes in Divina Officia duo tantùm extant Textus qui mentionem faciant.

Prior est *Caput* 1. DIST. XCI. solosque spectat Clericos, præcipiens ut modis omnibus ad Vigilias compellantur. Posterior est *Caput* 2. *De Cons.* DIST. III. Laïcosque tantùm respicit, jubens ut Sacerdotum ac Judicum curâ impediatur, ne saltationibus ac Canticis turpibus deturbentur Officia, iisque adesse cogantur.

REGULA CVI.

Concessæ à Jure remunerationes iis, qui Divinis adsunt Officiis, temporales sunt vel Spirituales.

REGULA CVII.

Remunerationes temporales sunt distributiones aliàs indebitæ, præsentibus tantùm concessæ, eo fine, ut alacriùs assistant, tales autem esse deberent quæcumque legitimè impeditis denegantur.

Hinc distributiones, quæ è Præbenda desumuntur, inter has remunerationes collocari non debent, cùm largitiones sint è bonis illius, cui dantur, factæ; illarumque institutio est pœnalis, non gratiosa, contra negligentes facta.

REGULA CVIII.

Etsi æqua admodùm sit prædicta inter distributiones distinctio, in Jure non servatur, nisi in defunctorum anniversariis.

Regula patet ex *Capite* 35. *De Præb.* in quo HONORIUS III. absentes studiorum causâ quotidianis frui distributionibus non debere declarat.

Exceptio deducitur ex eo quod fundationes strictè interpretandæ sunt, undè nisi legitimè impeditis distributiones expressè adjudicent, illis frui non debent.

REGULA CIX.

In eo quod ad Officia frequentanda, quæ spirituales res sunt, temporalis commodi spe excitantur Clerici, timenda non est Simonia. *Cap.* 9. DIST. LXXIV.

REGULÆ RATIO: Tantum non est commodum, ut credi debeat, quem propter ipsum solum Officia frequentare, & si qui adeò esset lucri cupidus, ut distributionis lucrandæ causâ Officiis adesset, non Simoniacus, sed Mercenarius habendus esset; dici enim non potest Ecclesiam, quæ distributiones instituit, ab iis, qui Divinis intersunt, lucrandas, ab aliis verò perdendas, eo dato pretio Officia emere velle, aut qui adsunt Officiis, illa vendere velle, aut æquivalens quid ab illis fieri.

REGULA CX.

Remunerationes Spirituales nihil aliud sunt quàm Indulgentiæ certis Officiis annexæ, tùm pro absentibus, tùm pro celebrantibus.

REGULA CXI.

Duo tantùm sunt Officia, quibus à Jure annexæ sint Indulgentiæ, nempè Officium Corporis & sanguinis CHRISTI, & Officium Conceptionis Beatæ Virginis: dantur centum dies pro primis Vesperis, centum pro Matutinis, centum pro Missa, centum pro secundis Vesperis, & quadraginta pro Horarum parvarum qualibet, quadraginta quoque pro Completorio, centum pro Officio toto cujuslibet Octavarum dici. CLEM. I. *De Reliquiis &c.* EXTRAVAG. I. *eod. Tit.* In hac remuneratione proportio servata non videtur, cùm 560. dies dentur pro Officio Festi, & 100. pro Officio cujusque diei Octavæ; sed hæc enormis inæqualitas necessaria judicata est, ut augmentum notabile solemnitatis & devotionis primi diei.

REGULA CXII.

Quæ notatu digniora circa Officia Divina in Corpore Juris Historica referuntur, ad sequentia reducuntur, solo numero distincta, servato ut plurimùm sæculorum Ordine.

I. Exeunte sæculo IV. Vigiliæ sive Nocturna, quæ nunc *Matutinum* nuncupantur, jamjam institutæ supponuntur, atque iis adesse Clericos debuisse adeò certum declaratur, ut qui sine justa causa ab iis

iis abeſſent, ſtipendio privati excommunicandi eſſent. *Concil.* Carthag. IV. *ann.* 398. *relatum in* Cap. 3. Distinct. XCI. Eodem tempore ſolemnes Paſchæ & Pentecoſtes Vigiliæ fieri conſueverant; inter iſtas & illas hoc interfuiſſe veroſimile, ut omnes fideles in prædictis ſolemnibus cum Clero per totam noctem Orationibus inſiſterent, in aliis verò communibus ſoli Clerici noctis partem orationi darent. *Cap.* 9. Dist. LXXVI. *è Divo* Ambrosio *deſumptum.*

Dicet non nemo: „Vigilias Carthagin. *Concil.* „non alias fuiſſe quàm Vigilias ſolemnes, ſeu quæ „Feſtivitates ſolemnes præcedunt, idque colligi ex „pœnarum gravitate, quibus illarum neglectus puni„tur„. Verùm præterquàm quòd *Canon* Carthaginensis de ſolis Clericis loquitur, Vigiliæ autem ſolemnes, tàm Laïcos quàm Clericos reſpiciebant, cùm utriſque præceptæ eſſent; privatio ſtipendii & excommunicatio minor comminatoria, qualis eſt haud dubiè de quâ prædictus Canon, cùm Clericos tantùm ſpectet, nec ullam in ſe habeat anathematis notam, ſeveriores non videntur pœnæ pro contumaci Vigiliarum ſolemnium neglectu, qualem arguit ferendæ excommunicationis comminatio. Præterea Grattanus Dist. XCII. *§. Quod autem.* per *Vigilias*, de quibus Canon Carthaginensis, Matutinas intelligit, eoque modo confirmat, quam ſecuti ſumus interpretationem.

Ineunte ſæculo V. decantandæ preces *Officia* vocabantur. *Cap.* 24. *De Conſ.* Dist. V. cujus hæc ſunt verba: *Nonne rationabilis homo Dignitatem amittit, qui vel Jejunium Charitati, vel Vigilias præfert ſenſus integritati, ut propter abſtinentiam immoderatam, atque indiſcretam Pſalmorum, vel Officiorum decantationem, &c.* Deſumitur hic locus è Monachorum Regula, quæ apud Hieronym. habetur; ſed illam Regulam Hieronymi non eſſe, colligitur ex eo quod in fine citati *Capitis* legitur, quod quando Pſalmus, Miſſave, pro cunctis animabus dicuntur, non minùs quàm ſi pro uno quolibet ipſorum diceretur, accipitur; ſimiles enim Quæſtiones nondum agitari cœperant, quia nondum factæ fuerant donationes cum onere certi numeri Precum vel Miſſarum. Sæculo IV. Pſalmorum recitatio Monachalium exercitationum non minima erat. *Cap.* 33. *Ead.* Dist. In eo enim Sanctus Hieronymus ad ruſticum Monachum de vivendi forma hæc habet: *Dicatur Pſalterium ad verbum*, legendum *diſcatur*, ſed cum Pſalterium diſceretur ut recitaretur, utraque lectio ad propoſitum facit.

II. Pelagius I. *anno* 557. coegerat Eleutherium, ut promitteret ſe curaturum Vigilias in Eccleſia ſua quotidiè celebrari, promiſſio ſcripto Mandata in ſcrinio ſervabatur, Eleutherius quod in ſe erat faciens, ut promiſſa res impleretur, Clericis nolentibus impleri non poterat; idcirco de Clericis apud Pelagium conqueſtus, qui reſpondit, *illos debita objurgatione compeſcendos, & modis omnibus Vigiliis vacare compellendos.* Refertur *Capite* 1. Dist. XCI.

Præter relatum locum nullus in toto Juris Corpore reperitur, qui adeò clarè doceat Matutinas vel Nocturnum Officium Vigilias nuncupata fuiſſe; non enim aliud per *Vigilias quotidianas* intelligere eſt quàm *Matutinas*; de aliis verò locis idem dici non poteſt, *Vigilias* in iis aliud eſſe non poſſe quàm *noſtras Matutinas.*

III. Certum eſt exeunte ſæculo IV. quotidianum pſallendi Officium quoad Matutinas & Veſpertinas viguiſſe, Clericos autem iis adeſſe adeò obligatos fuiſſe, ut niſi moniti ſeſe corrigerent, graviter punirentur; utrumque enim clarè docet *Concilium* Toletanum I. *eo tempore celebratum* & Caput 9. Distinct. XCII. *relatum ex Concilio* Martini *Papæ*, id eſt, *ex Capitulis* Martini Bracharensis quæ eo nomine citat Grattanus. Certum eſt quoque, initio ſæculi VI. Matutinas & Veſpertinas in Provincia Narbonensi quotidie dictas, necnon in Provincia Tarraconensi; nam *Concilium* Agathense celebratum anno 506. & *Concilium* Gerundinense celebratum anno 517. dicendas fuiſſe quotidie ſupponunt; prius, dum præcipit, ut omnibus diebus dicantur Matutini, Veſpertini Hymni; poſterius verò, cùm poſt Matutinas & Veſpertinas Orationem Dominicam omnibus diebus proferri jubeat. Textus in quibus hæc habentur, ſunt *Capit.* 13. 14. *De Conſecrat.* Dist. V. Certum eſt iterum eodem tempore de Pſalmis fuiſſe deſumpta Capitula, cùm id expreſsè dicat *Concilium* Agathense Cap. 13. *De Conſ.* Dist. V. Certum eſt antè ſæculum VI. in Provincia ſaltem Tarraconensi, nec Matutinas, nec Veſpertinas finitas fuiſſe per Orationem Dominicam, atque hanc Orationem poſt alias Horas, ſi quæ erant, ibi dici non conſueviſſe; cùm Gerundinense *Concilium anni* 517. poſt Matutinas & Veſpertinas hanc Orationem dici præcipiat. *Cap.* 14. *De Conſecratione* Dist. V.

IV. An ex Hiſpania, an ex Gallia ortum habuerit præclariſſima ſimul & juſtiſſima circa Officium Divinum Regula, quoad Officii Ordinem Eccleſias cujuſque Provinciæ ſeſe conformare debere Metropolitanæ, neſcitur; eodem anno nempe 517. celebrata ſunt *Concilium* Apaunense in Gallia, & *Concilium* Gerundense in Hiſpania. Prioris Canon refertur *Capite* 31. *De Conſ.* Dist. I. Poſterioris *Capite* 31. *De Conſ.* Dist. II. Ex his autem *Conciliis*, quorum Canones in Corpore Juris referuntur, nullum eſt antiquius, nec Galliæ, nec Hiſpaniæ *Concilium*, nec aliud cujuſvis Regionis, in quo prædicta Regula legatur.

Ratio verò hujus Regulæ, petita ex eo quod Comprovinciales Epiſcopi à Metropolitano conſecrantur, in ſolo Toletano XI. *Concilio ann.* 675. celebrato legitur; & qui illam Canon continet, habetur *Capite* 13. Dist. XII. Ex quo cœperunt Pontifices Epiſcoporum Conſecrationem ſibi vindicare, ita ut vel ipſi illos conſecrarint, vel Conſecrationem commiſerint, ex eo cunctas Eccleſias Officio Romanæ Eccleſiæ ſubjicere potuerunt.

Quod de ratione dictum eſt, de pœna contra Regulæ illius transgreſſores dicendum. Pœna autem hæc in eo ſita eſt, quod ſex menſibus Communione privati apud Metropolitanum ſub Pœnitentiæ cenſura permaneant corrigendi, quatenus apud illum & Pœnitentiæ tranſgreſſionis culpam lacrimis diluat, & neceſſariam Officiorum doctrinam addiſcat. Quæ pœna non abſimilis videtur illi qua quis in Seminario Metropolitani ſub ejus oculis detineretur.

Circa annum 530. Felicis III. vel IV. de octava Dedicationum Eccleſiarum mentionem facit, ut de re ſervanda *Cap.* 17. *De Conſ.* Dist. I.

V. Verſus medium ſæculi VI. in Monaſteriis contrariæ principalis Eccleſiæ uſui circa Officia Conſuetudines jamjam introductæ erant; *Concilium* etenim Bracharense I. *anni* 563. prohibet, ne Monaſteriorum Conſuetudines cum Regula Eccleſiaſtica permiſceantur; ſicut autem per Eccleſiaſticam Regulam Principalis Eccleſiæ uſum intelligit, ita per Conſuetudines Monachales, quas cum illa Regula permiſceri vetat, illas Conſuetudines intellectas vult quæ principalis Eccleſiæ uſui contrariæ ſunt. Cùm Bracharense *Concilium* mox citatum, relatum *Capite* 14. Dist. XII. prædictas Monachales Conſuetudines non abroget, ſed prohibeat tantùm illas introduci in Eccleſiam Principalem, indicat Monachis jam permiſſum fuiſſe nonnulla Officia, aliter quàm in Eccleſia Principali fiebat, celebrare: Officia autem circa quæ id Monachis indultum erat, illa profectò erant quæ januis clauſis, extraneoque

nullo admisso, celebrabant, sed quoad publica Officia, nempè Vesperas, Matutinum, ut etiam & Missam versus sæculi VII finem, nondum ab usu Principalis Ecclesiæ discedere sibi licebat; hoc saltem ita constitutum erat à *Concilio* TOLETANO XI. *ann.* 675. celebrato, ut videre est in *Capite* 13. DIST. XII. in quo etiam legitur *quòd peculiare in Officiis habebant, id ab Episcopis indultum fuerat, & juxtà illorum voluntatem implendum erat.*

VI. Sæculo VII. in Gallia ac in Hispania extabant Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, & ex quolibet istorum genere aliqui Hymnos ab hominibus in laudem Dei compositos, utpote res è Scripturis non sumptas, rejicientes; hos autem *Concilium* TOLETANUM IV. *anni* 633. damnavit, prohibens, *Ne ullus eorum, qui Concilium componebant*, quique nonnisi Episcopi, Presbyteri, Diaconi esse poterant, *hujusmodi Hymnos ulteriùs improbaret*; atque ut omnibus Decreti sui æquitas pateat, in illo varias rationes inserit, quibus ostendat, hujusmodi Hymnos recipiendos, inter quas potissima videtur, quod Preces, sive Orationes, aliundè quàm ex Sacra Scriptura desumptæ, in Officio usu receptæ sint. Pœnam autem Decreto adjicit, nempè excommunicationem majorem ferendæ sententiæ, cujus pœnæ gravitate, quanti momenti putet Decretum suum, manifestum facit. Relatum Decretum legitur *Capite* 54. *De Conf.* DIST. I. in quo inter Hymnos rejectos recenset, quos Beatissimi HILARIUS & AMBROSIUS in laudem Dei, & in Apostolorum, & Martyrum triumphos ediderant.

Ineunte sæculo VIII. Officii Lectiones in unum Corpus redactæ erant; idem factum fuerat de Antiphonis: Id testatur BEDA, de Lectionario & Antiphonario mentionem faciens *Capite* 5. DIST. XXXVIII. Eodem sæculo exeunte fideles diebus Jejunii Vespertinis Officiis adesse tenebantur, ac si cùm adesse poterant ab illis abessent, non jejunare dicebantur; ad Jejunium enim requirebatur, ut ad Missam concurreretur, & auditis Missarum solemnibus, & Vespertinis Officiis, & largitis eleemosinis ad cibum accederetur.

Ex eo quod testante NICOLAO I. *ann.* 864. *Cap.* 56. *De Conf.* DIST. I. Hymnus *Gloria in Excelsis* die in Cœna Domini inter Missarum solemnia in Ecclesia Romana dici consueverat, inferri certò non potest *Alleluja* in Officio tunc etiam dici solitum fuisse; quia tristitiæ signa hoc die quoad Missam tantùm intermittuntur; sed ex eo quod idem NICOLAUS insinuat, extra hunc diem in Quadragesima *Gloria in Excelsis* dici non consuevisse, inferre licet idem factum de *Alleluja*, quia eadem est conditio hujus ac illius Hymni conditio quoad illorum intermissionem tempore tristitiæ. Utrumque à Septuagesima ad Pascha intermitti consuevisse sæculo XI. fidem facit LEO IX. *ann* 1050. Cap. 55. *De Conf.* DIST. I. in quo hujus intermissionis affert causam mysticam ævo nostro non probandam.

Caput 1. *De Conf.* DIST. III. è *Concilio* LUGDUNENSI ignoto tempore celebrato desumptum, quod tamen conjicere fas est ante sæculum IX. vel X. non fuisse celebratum, ex eo quod Festi Assumptionis Beatæ Virginis antea incogniti meminit, duo docet apud GRATIANUM alibi non reperienda: 1. Festa, ideoque Officia, à Vespera ad Vesperam celebranda: 2. Nonnulla Officia per octo dies celebranda. Prius apud GREGORIUM IX. quoque habetur *Capite* 1. *De Feriis* è *Concilio* apud COMPENDIUM ignoti temporis desumptum. Posterius verò tùm apud GREGORIUM eumdem *Capite* 4. *De Feriis*, tùm in CLEMENTINIS, CLEMENTINA *unica. De Reliquiis &c.* tùm in *Capite* 1. *eod. Tit.* EXTRAVAG. COMMUN.

Concilium Generale sub GREGORIO VII. celebratum *ann.* 1078. Cap. 15. *De Conf.* DIST. V. refert tunc temporis extitisse, qui quotidianis diebus tres tantummodò Psalmos & tres Lectiones celebrarent, atque *illos non ex Regula Sanctorum Patrum, sed ex fastidio & negligentia probari hoc facere.*

In Italia versus sæculum XII. introductum fuerat, ut Sanctimoniales cum Canonicis vel Monachis in uno Choro convenientes psallerent, quod tamquam rem indecentia ac periculo plenam prohibuit INNOCENTIUS II. in *Concilio* ROMÆ habito *ann.* 1139. Refertur *Canone* 25. CAUS. XVIII. QUÆST. II. §. *Simili modo.*

Paulo post medium sæculi XII. declaratum est Moïsis Præceptum circa Festorum principium & finem *à Vespera ad Vesperam, celebrabitis Sabbatha vestra*, in Christianorum Festis locum non habere, sed pro istorum qualitate & diversarum Regionum Consuetudine priùs, vel tardiùs, tùm incipienda, tùm finienda; & circa Festorum qualitatem hoc observandum, quod illorum magnitudo exigat, illa priùs incipere, tardiùs terminari. Refertur *Capite* 2. *De Feriis* desumpto ex ALEXANDRO III. ad Archiepiscopum TERDONENSEM, STRIDONENSEM vel STRIGONIENSEM scribente; ALEXANDER autem III. ad Pontificatum *ann.* 1159. promotus est.

Anno 1212. INNOCENTIUS III. docuit quomodo interpretandæ Orationes, quibus petitur, ut Officia Divina Sanctis proficiant; illiusque Doctrinæ summa hæc est, sensum illarum Orationum esse, ut à fidelibus Sancti magis ac magis glorificentur, vel si qua gaudent in Cœlo Gloria augeri possit augeatur: hæc habentur *Capite* 6. *De Celebrat. Missarum* in quo INNOCENTIUS variis ab Archiepiscopo LUGDUNENSI propositis Quæstionibus respondet, inter quas hæc erat, cur Sacra Beati LEONIS his concepta verbis: *Annue nobis, ut animæ famuli tui* LEONIS *hæc prosit oblatio* in istam mutata esset: *Annue ut intercessione Beati* LEONIS *hæc nobis prosit oblatio?* Cui respondens §. 2. postquam dixit Sanctos, tàm Confessores quàm Martyres, nostris non egere Orationibus, quia Beati; sed è contra nos illorum intercessione indigere, quæ relata sunt addit.

Eodem anno nempè 1212. INNOCENTIUS III. Archiepiscopo BRACHARENSI scribens testatur in Ecclesia Romana diebus profestis sæpiùs dimitti, *Te Deum* in Laudibus Matutinis, quàm dicatur, idque ut inter solemnitatem & commemorationem differentia ostendatur. *Cap.* 4. *De Celebr. Missar.* Hinc colligere est *Te Deum* ad Laudes tunc pertinuisse.

Concilium Generale sub INNOCENTIO III. celebratum *anno* 1216. circa Officium hæc habet: „ Dolentes referimus, quod non solùm quidam minores „ Clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum Prælati in comessationibus superfluis & fabulationibus illicitis (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata sincopa „ Matutinum.

Hinc videre est Nocturnum Officium inter Clericos abrogari cœpisse, eo quod voluptuosa illorum vita ad Officium canendum pigros effecerit. Videre est etiam Nocturnum Officium jam dictum Matutinum, idque ex tempore, quo illud dicebatur; de eodem abusu psallendi transcurrendo & sincopando loquitur *Concilium* VIENNENSE *anni* 1312. CLEMENTINA I. *De Celebr. Missar.* in qua præterea notatu digna hæc leguntur: „ Quod Clerici nedum ad Chorum tardiùs veniebant, sed ante finem Officii sine justa causa frequenter exibant, aves interdùm portabant, vel portari faciebant, canesque secum ducebant venaticos, & quasi nihil prætendentes de Clericali militia, in Corona, Vestibus & Tonsura, Divina etiam Officia nimis indevotè celebrare præsumebant. Nonnulli eorum Laïcis permixti in Festorum certorum Vigiliis, dùm in Ecclesiis Orationi insistere debebant, non verebantur in ipsis, earumque Cœmeteriis, Choreas facere dissolutas

„ &

& interdùm canere cantilenas, ac multas insolentias perpetrare, ex quibus Ecclesiarum, Cæmeteriorumque violationes, inhonesta, variaque quandoque delicta sequebantur, & Ecclesiasticum plerumque Officium perturbabatur, in Divinæ Majestatis offensam & ad stantium scandalum populorum. Ex eadem causa nascente *ann.* 1312. CLEMENS V. in *Concilio* VIENNENSI circà Officium Festi Corporis & Sanguinis CHRISTI sic loquitur: „ Nos CHRISTI „ Fideles ad colendum tantum Festum & celebran- „ dum donis volentes spiritualibus animare, omni- „ bus verè Pœnitentibus & confessis, qui Matutinali „ Officio Festi ejusdem in Ecclesia, in qua idem cele- „ brabitur, interfuerint, centum; qui verò Missæ, to- „ tidem; qui verò Vesperis ipsius Festi primis inter- „ fuerint, similiter centum; qui in secundis, totidem; „ qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii „ Officiis interfuerint, pro qualibet Horarum ipsa- „ rum, quadraginta; illis autem, qui per Octavas „ illius Festi Matutinalibus, Vespertinis, Missæ, ac „ prædictarum Horarum Officiis interfuerint, centum „ dies singulis Octavarum diebus, de Omnipotentis „ Dei misericordia, ac Beatorum Apostolorum ejus „ Petri & Pauli autoritate confisi, de injunctis sibi „ Pœnitentiis relaxamus„. Refertur CLEMENTINA *unica*, *De Reliquiis.*

Primam hic habes concessam à jure Indulgentiam pro fidelibus, ad Divino Officio certis diebus assistendum, excitandis. Qui illud celebrant Clerici inter illos qui indulgentiam lucrantur comprehendi nemini dubium videri potest, etsi de iis solùm, qui interfunt, sermo fiat, nam celebrantes interfunt.

Cùm de Laudibus hic nulla fiat mentio, etsi singulas Horas *Concilium* recenseat, credere licèt Laudes in Matutino comprehendi.

Ad lucrandam indulgentiam non sufficit Officii Horæ cui annectitur adesse, sed prætereà requiritur, ut assistentes verè pœnitentes sint & confessi. Indulgentia concessa in relaxatione de injunctis pœnitentiis posita est.

Quamquam Matutinæ cum Laudibus duplo longiores sint quàm Vesperæ, ac minùs opportuno tempore dicantur, non major his Horis quàm istis annectitur Indulgentia, quod haud dubiè provenit ex eo quod Vesperæ, ut principium & finis Festi, maximâ cum solemnitate dicerentur.

Festum Corporis CHRISTI sub duplici Officio fuisse tunc celebratum patet ex eo quod de duabus Vesperis memio fit; alias Officii Partes duplices non habuisse colligere est ex eo quod de illis non meminit citata CLEMENTINA, iisque ut & Vesperis Indulgentia annexa fuisset, si extitissent.

Quam *Concilium* VIENNENSE concessit in honorem Festi Corporis & Sanguinis CHRISTI Indulgentiam, eamdem SIXTUS IV. *ann.* 1477. extendit ad illos, qui circa Festum Conceptionis fecerint, quæ circà Festum Corporis CHRISTI facienda sunt, ut Indulgentiæ illius fructus obtineatur. Refertur in EXTRAVAGANT. I. *De Reliquiis &c.* Nonnulla tamen hic peculiaria sunt.

I. De celebrantibus expressa fit mentio, quod confirmat interpretationem factam.

II. Missa & Officium Beatæ Virginis dicenda sunt juxtà Ordinationem Magistri LEONARDI DE NOGAROLIS Clerici VERONENSIS, SIXTI Notarii; & juxtà Institutionem, quæ à SIXTO emanavit.

III. Indulgentiam priorem ab URBANO IV. primùm concessam, & à *Concilia* VIENNENSI tantùm confirmatam.

IV. Peccatorum remissionem vocat SIXTUS quam CLEMENS V. relaxationem de injunctis nuncupavit; Indulgentia autem *peccatorum remissio* dicitur, quia pœnam peccati remittit.

Eodem *ann.* 1311. ab eodem *Concilio* VIENNENSI Cardinalium & Episcoporum Commensalibus indultum est, ut illorum Officium dicere possint, quin ad proprium teneantur. CLEMENT. II. *De Celebratione.*

BONIFACIUS VIII. nonnullorum Prædecessorum suorum, qui specialis devotionis affectum prosequentes aliquorum Festa Sanctorum sub duplici Officio celebranda ordinaverunt, vestigiis inhærens præcipit sub duplici Officio celebrari præcipuas Apostolorum, Evangelistarum, & Confessorum Festivitates. Qui fuerint illi Prædecessores, an Antiqui an Moderni, cùm non exprimat BONIFACIUS, hinc divinare non licèt, quo tempore celebriores Sancti coli sub duplici Officio cœperint, certum est tantùm ante BONIFACIUM VIII. hoc jam introductum fuisse.

Quid per Officium duplex intelligeretur, credere est nil aliud quàm iteratum Officium, nec de illo duplici Officio ex hodierno judicandum; certum est enim sub ALEXANDRO III. jamjam consuetum fuisse, ut pro magnitudine sua dies Festi celebrarentur, ita ut quo majores erant priùs inciperent & tardiùs terminarentur, undè sicut temporis duplum Festorum quorumdam celebrationi insumebatur, ita quoque ut duplex Officium in illo temporis spatio fieret, conveniens erat.

In Corpore Juris circà ritum Constitutio Pontificum, quæ per totam Ecclesiam ritus quidam servari præcipiatur, antiquior nulla quàm mox citata.

Nec obstat *Caput* 71. *De Cons.* DIST. I. nam 1. Germanos & Gallos tantùm respicit; 2. Falsitate suspectus est iste Textus, tùm propter inscriptionem, tùm quia CAROLUM MAGNUM in Gallias primùm Romanæ Ecclesiæ ritum invexisse constat.

SECTIO VIII.

Regula circà Cantum Ecclesiasticum, è Corpore Juris Canonici deprompta.

Pauca de Cantu in Jure, sed hæc continent quidquid de illo scitu dignius; nempè I. An Cantus proprius sit Officio publico & quomodò? II. Quæ origo illius? III. Quis finis proximus? IV. Quæ significent hæc verba *Cancentor*, *Præcentor*, *Succentor*? V. In quo differant, psallendi ordo, & psallendi modus? VI Quot cantandi modi, & quod discrimen inter illos? VII. Quæ dispositiones mentis & corporis afferendæ ad Cantum? VIII. Quibus Clericis competebat, vel non, cantandi Officium, an Lectoratus ordinem illud exposcebat? IX. Quæ potestas Episcopi, Archidiaconi, Primicerii circa Canonem, hac in re quod inter illos discrimen? X. Quæ erga Monachos, Monialesve circà cantum notanda? XI. An obligati ad Cantum per se semper canere teneantur, quæ, & qualis exceptio?

REGULA I.

Loquentes de Cantu Ecclesiastico Canones; Officium publicum, non privatum, respiciunt: de illo tamquam de re præcepta loquuntur.

REGULÆ RATIO. Utrumque cantari potest, & propter quas causas quis eximendus ab Officio publico, propter easdem eximendus est à canendo privato; illæ antem causæ aliæ non sunt quàm quæ legitima impedimenta dicuntur; qualia sunt infirmitas, evidens Ecclesiæ utilitas, cæteraque hujusmodi, quæ non pariuntur, ut quis Officium privatum canat; sed nullum extat Præceptum de Cantu privati Officii, *sed* frequens de Cantu publici.

REGULA II.

Cantûs Ecclesiastici Autorem CHRISTUM; Apostolosque, indigitant nonnulli Juris Textus.

Huc facit 1. *Cap. ult. De Cons.* DIST. I. in quo *Concilium* TOLETANUM IV. *ann.* 633. Hymnos in Ecclesia canendos probat, tùm exemplo CHRISTI post Cœnam Paschalem Hymnum canentis, tùm PAULI Præcepto,

EPHES. *Cap.* 5. verf. 1 1. 18. 19. fic concepto: *implemini Spiritu Sancto, loquentes vobis ipsis in Psalmis, Hymnis & Canticis Spiritualibus.*

Huc etiam facit *Cap.* 1. DIST. XCII. in quo S. HIERONYMUS ex ultima versus 19. mox citati parte à *Conc.* TOLETANO omissa, nempè *cantantes & psallentes in cordibus nostris Domino*, colligit quomodo cantandum sit, atque existimat præceptum à Paulo cantum tàm corde quàm ore faciendum.

REGULA III.

Notatus à Jure Ecclesiastici Cantûs finis est, ut ad compunctionem excitetur audientium animus. *Cap.* 1. DIST. XXI. §. 15. vel quod eodem recidit, ut fidelium devotio accendatur. *Cap. Unic. De Vita & Honestate.* EXTRAVAG. COMMUN. Hinc qui contrarium operari potest effectum, Cantus omnis prohibetur.

REGULA IV.

Qui cum aliis canit, Cantoris nomine dignus non est, nisi Concentor etiam sit, concinit autem qui consonat. *Ibid.* §. 16.

REGULA V.

Cantor vel Concentor alius est Præcentor, alius Succentor. Præcentor, qui vocem præmittit in Cantu; Succentor, qui subsequenter canendo respondet. *Ibidem.*

REGULA VI.

Psallendi ordo cum psallendi modo confundendus non est: Prior idem videtur ac forma in componendo Officio sequenda, tàm quoad partium qualitatem, quàm quoad illarum dispositionem; is autem est quem immediatè pendere à Metropolitano diximus. Psallendi modus idem videtur ac canendi modus. Proximam circa illam potestatem Primicerio tribuit *Cap.* 1. DIST. XXV. §. 13. Quod ad executionem restringendum est.

Nec obstat quod psallendi modus psallendi ordini ibidem conjungatur, quia uterque debet esse diversus pro diversitate temporum, quod insinuant hæc verba sequentia *in Choro pro solemnitate temporum.*

REGULA VII.

Psallendi modi alii congruunt Cantûs Ecclesiastici fini, alii non congruunt.

REGULA VIII.

Prioris generis sunt illi, qui dignos faciunt Cantores, ut de illis dicatur quod dulcis in eorum ore resonat sonus, quodque corde suscipiunt Deum dum loquuntur verbis. EXTRAVAG. *unic. De Vita & Honest.* Sunt etiam illi, quibus sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantatur, ita ut eadem distinctione collibeant & maturitate delectent. *Ibidem.*

REGULA IX.

Posterioris generis illi sunt, qui à S. HIERONYMO moduli Theatrales vocantur. *Cap.* 1. DIST. XCII. Sunt illi, quibus Ecclesiastici Cantûs integreditas læditur: Quales autem sunt in quibus Cantores melodias hoquetis intersecant, discantibus lubricant, triplis & motelis vulgaribus inculcant, adeò ut interdum Antiphonarii & Gradualis fundamenta despiciant, ignorent super quo ædificant, tonos nesciant quos non discernunt, imò confundunt; cùm ex notarum multitudine ascensiones pudicæ, descensionesque temperatæ, plani Cantus, quibus toni secernuntur ad invicem obfuscentur: Currunt enim & non quiescunt; aures inebriant & non medentur; gestibus simulant quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. EXTRAVAG. *unic. De Vita & Honest. Cleric.*

REGULA X.

Ad congruum cantandi modum pertinent quicumque Canones, quibuscum animi corporisque dispositionibus cantandum sit docentes.

REGULA XI.

Hujus generis Canones non alii sunt quàm *Cap.* 9. *De Celebrat. Missar.* in quo præcipitur, ut Officium tàm Nocturnum quàm Diurnum devotè studioseque cantetur. *Cap.* 24. *De Cons.* DIST. V. quod eum puritate cordis & serenitate ac hilaritate spirituali canendum dicit. CLEM. I. *De Celebr. Missar.* quæ præterea docet in corona, veste, & Tonsura convenienti, psallendum esse.

REGULA XII.

Sicut nec canendi modo, ita nec exemplo cuiquam Cantores scandalo esse debent, nec isto, aliove modo Deo displicere.

Hinc Cantori dum ordinabatur, dicebatur: „ Vide „ ut quod ore cantas, corde credas, & quod ore cre- „ dis, operibus comprobes„. *Cap.* 20. DIST. XXIII. Hinc de Cantore dicit S. HIERONYMUS: „ Non vo- „ ce sed corde Deo cantare debere, nec in Tragœdo- „ rum modum guttur, faucesque dulci medicamine „ liniendo ad cantum se præparare, sed in timore, „ in opere, in scientia Scripturarum„. *Cap.* 1. DIST. XCII. Hinc S. GREGORIUS conqueritur, quod dum in Cantore blanda vox quæritur, congrua vita quæri negligatur, quodque indè accidat, ut Cantor Deum moribus stimulet, cùm populum vocibus delectat.

REGULA XIII.

In pulpito psallere non licet, nisi ordinatis ab Episcopo Lectoribus. *Cap.* 3. DIST. XCII.

Huic Canoni adversari videtur *Canon* 20. DIST. XXIII. in quo Cantori sola Presbyteri jussione ordinato plena cantandi potestas tribuitur, cùm Cantor hujusmodi Lector non esset ab Episcopo ordinatus; sed *Canon* 20. de pulpito mentionem non facit, ideoque ad Cantum extra pulpitum restringi posset; quæ tamen conciliatio non placet, vix enim credere est quem ad canendum ordinatum à canendo in pulpito exclusum; quapropter ex locorum diversitate, temporumve, quibus conditi sunt, Canones prædictos conciliare mallemus.

Pro priori conciliatione quæ rejecta est, dicere posset aliquis: „ *Canon* 3. *citatus* manifestè insinuat „ extra pulpitum psallere posse qui Lector non est „ ordinatus, ideoque duplex esse Cantorum genus, „ aliud nempè illorum, quibus in pulpito psallere fas „ est, aliud illorum, qui nonnisi extra pulpitum psal- „ lere possunt„: Sed nihilominus rejicienda est illa conciliatio; verum enim quidem est extitisse Cantores, quibus in pulpito psallere nefas erat; illos autem fuisse ad canendum ordinatos, propter allatam suprà rationem, negamus, credimusque è contra non alios illos fuisse quàm Laicos canendi peritos, quibus in Ecclesia cantare licuisse verosimillimum est, tùm propter

propter Divi Pauli verba suprà citata, quæ ad omnes fideles diriguntur; tùm propter S. Apolloni Abbatis dictum apud Palladium relatum & à Gratiano citatum *Cap. 16. De Conf.* Dist. III. nempè diem Dominicam Hymnis, & Psalmis, & Canticis spiritualibus transfigendam; Apollonius enim, ad instar Divi Pauli, Cantum qui fit in Ecclesia ab alio hac in re non distinguit, nec à Clericis Laicos. Hæc Regula XIII. jamdiu in Gallia saltem exolevit, Laici canunt in pulpito.

REGULA XIV.

In Ecclesia Romana Diaconos ad Cantoris Officium eligere non licebat. *Cap.* 2. Dist. XCII.

REGULA XV.

Cantoribus Orariis uti & cum illis psallere prohibetur. *Cap.* 28. Dist. XXIII.

Sicut præcedens Regula Diaconis Cantoris Officium interdicit, ita & præsens Diaconalis ornamenti usum Cantoribus prohibet. Quod prohibitio posterior quàm prior conveniens sit, ostendit, indicans tàm dedecere Diaconum, ut multùm inferioris sibi Cantoris Officium exerceat, quàm dedecet, ut Cantor Diaconi sibi pluribus gradibus superioris ornamentum assumat.

Prioris ejusdem prohibitionis justitia aliis ex Titulis in Jure comprehensis declaratur: I. Quod vocis modulationi tempus insumerent Diaconi, sive extra Chorum, sive in Choro, quod ipsis necessarium erat ad Prædicationis Officium, & ad eleemosinarum studium, sive Dispensationem, majoris autem momenti Officium aliis minoris utilitatis præponendum nemo dubitat.

II. Dum blanda vox quærebatur, quæri congrua vita negligebatur. Adde quod ut vulgò dicitur, Doctores quales esse debent, Diaconi Cantores esse non consueverint, quodque è contra qui ad Cantum bene dispositi sunt, ad scientias minùs apti sint.

REGULA XVI.

Jure Communi singulas Officii horas per se & Clericos suos, vel per Clericos solos, cum per se non potest, canere tenetur Parochus. *Cap.* 1. *De Celebrat. Miss.*

Non obstat hunc Canonem à *Concilio* Particulari desumptum, ideoque non Generalem, qualis quæ ad Jus Commune stabiliendum requiritur, auctoritatem habere; ex eo enim quod in Corpore Decretalium insertum fuit, eamdem habuit ac istud auctoritatem, proindeque universalem.

REGULA XVII.

Quoad maximam Parochiarum partem Juri Communi derogavit usus, quo in illis jamdiù cessavit publica Horarum decantatio, saltem quotidiana.

REGULA XVIII.

Monachi & Moniales intra Claustra Officium canere cœperunt statim atque à communi fidelium Conventu exempti sunt.

REGULA XIX.

Quando Monialibus Presbyter præponi cœpit, Moniales Officium in Oratoriis suis cantare cœperunt.

REGULA XX.

Etsi de Præposito Monialibus Presbytero, nullus Juris Textus loquatur antiquior quàm *Canon* II. Caus. XVIII. Quæst. II. qui est sæculi IV. tunc demùm institutionem hanc ortum habuisse certum non videtur.

Posterioris Partis Ratio: *Concil.* Carthaginense IV. *anni* 398. præsupponit Præfectum hujusmodi jam institutum, cùm dumtaxat præcipiat ut Religiosis fœminis præponendus ab Episcopo probetur.

REGULA XXI.

Circa Cantum de Monialibus, aliisve similibus, non aliud expressè dicitur in Jure Canonico, quàm illas cum Canonicis vel Monachis in uno Choro convenire non debere ad psallendum. *Cap.* 25. Caus. XVIII. Quæst. II. §. *Simili modo.*

Regulæ Ratio petitur, vel ex indecentia, vel ex periculo, vel ex utroque simul juncto.

REGULA XXII.

Quicumque ad Officia Divina publicè recitanda tenentur, ad canendum obligantur.

Recitatio publica à privata solo Cantu differt: Hinc sicut qui privatim recitare tenentur, per se recitare debent, & si per alium recitent, obligationi suæ non satisfaciunt; sic qui publicè recitare tenentur, Officio desunt suo si per alios recitent. Id fusè ostensum est, dum *De Canonicis* in Collectione Canonum extra Corpus Juris maxima ex parte vagantium.

REGULA XXIII.

Sine justa causa Vicarios, sive perpetuos, sive temporaneos, Canonici instituere non debent, instituti autem in canendo præsentes Choro Canonicos juvare tantùm debent, non ipsi soli cantare.

Vicariorum ad canendum institutorum genus duplex distinguendum est, alii nimirum sunt, qui absentium sive aliàs impeditorum vices supplere debent; alii, qui ad præsentes coadjuvandos destinantur.

De utroque genere loquitur prior Regulæ Pars, idque non immeritò, nemini siquidem licet proprium in alios onus transmittere, nec eum aliis illud partiri retentâ sibi oneris mercede, nisi legitime impeditus sit, vel ferendo oneri non sit.

Posterior Regulæ Pars patet ex eo, quod Vicarii posterioris generis similes sint Vicariis Parochorum Coadjutoribus, qui *in partem oneris* vocantur.

Neutrum faciendum sine Superioris autoritate, qui de necessitate judicet, & à servitio personali dispenset, si talis visa fuerit, quæ hanc Dispensationem requirat.

Cætera, quæ ad Cantum Ecclesiasticum pertinent, habes in præfata Collectione, ubi de illo variis locis amplè agitur.

SECTIO IX.

De Clericorum Residentia Regulæ è Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino *desumptæ.*

Circa Clericorum Residentiam alia sunt certa & ab omnibus ita habita, alia controversa: Quæ certa per Regulas explicabuntur: Quæ controversa per Quæstiones tractabuntur. Regularum aliæ sunt Generales, & cæterarum velut fundamenta; aliæ verò Particulares, & illarum velut consequentiæ. Generales hæ sunt.

REGULA I.

Beneficium datur propter Officium; sive quod eodem recidit, Beneficia ad Cultum Divinum & ad Sacra Munia obeunda constituta sunt. *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6. Cap. 3. SESS. XXII. *De Ref.*

REGULA II.

Officium propter quod dari dicitur Beneficium, in privata Breviarii recitatione positum non erat, sed in publico bono Ecclesiæ, in qua erant servitia exhibenda.

Infertur ex eodem *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6. in eo enim BONIFACIUS VIII. incommoda, quæ ex perpetuis de non residendo Indultis nascuntur, recensens, ex his sequi ait: *Ut Officium propter quod datur Beneficium plerumque omittatur, Officii autem privati recitatio ubique fieri potest.*

REGULA III.

Si Operarius dignus est cibo suo vel mercede sua, utroque indignus est qui non operatur.

REGULA IV.

Si denario defraudandus non est in Vinea Domini laborans, nullus dandus est non laboranti. *Cap.* 5. *De Magistris.*

REGULA V.

Officii quod quis implere non valet, stipendia sibi vindicare non debet.

REGULA VI.

Pastoris excusatio non admittitur, si oves lupus rapiat & Pastor nesciat. *Cap.* 10. *De Reg. Juris.*

Hinc gregi intendere & vigilare debet, oves agnoscere, Prædicatione Verbi Dei, bonorum operum exemplo, & Sacramentorum administratione pascere; miserabilium personarum, quales Viduæ, Orphani, Pupilli, Extranei, Inopes, curam paternam gerere. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Ref.*

REGULA VII.

Pro gregis qualitate major vel minor in Pastore requiritur vigilantia. *Cap.* 3. *De Elect. in* 6.

REGULA VIII.

Plura sunt in quibus per alium facere quis non potest quod per se ipsum facere potest. Vide CANISIUM *in* 68. & 72. *Regulis Juris.* Talia sunt præcipuè quæ industriam vel laborem personalem requirunt. Vide *quæ dicta sunt suprà de Jurisdictione delegata.*

REGULA IX.

Plus continet quod est minus. *Cap.* 35. 53. 76. *De Reg. Juris in* 6.

Unde majus servitium quod Ecclesiæ exhibetur, exhibendum minus includit.

REGULA X.

Autoritate Superioris justa de causa melior res cum minus bona commutari potest. Idem de pari cum pari. *Cap.* 1. *De Voto.*

REGULA XI.

Reipublicæ causa absens pro præsenti habetur. *Cap.* 3. *De Postulat. Prælat.* Cap. 15. *De Cler. non Resid.*

REGULA XII.

Canones qui prohibent Clericis, ne de Civitate in Civitatem migrent, perpetuò manendi causa, quales plures citati sunt, dùm *De Translat.* Residentiam proximè non respiciunt, sed Resignationes, Permutationes, Translationes, aliaque similia, quibus Beneficium dimittitur.

REGULA XIII.

Ad Residentiæ materiam propriè pertinent Textus Juris, qui plura simul in diversis Ecclesiis Beneficia habere vetant: Quales quamplurimi collecti, tàm aliundè quàm ex Corpore Juris, dùm *de pluralitate Beneficiorum* disseruimus.

Hinc inter Beneficia Residentiam exigentia collocari possunt, de quibus dicitur cum aliis ejusdem vel diversi generis in diverso loco sitis possideri non posse. Hæc de Generalibus Regulis circa Residentiam, nunc de Particularibus. Sed antequam has Particulares Regulas colligamus, notandum Titulum *De Clericis non Residentibus* in antiquis Collectionibus sic inscribi; in prima, *De Clericis non Residentibus in Ecclesia Præbendata*; in secunda, *De Clericis non Residentibus in Ecclesia Præbendaria*; in tertia, *De Clericis non Residentibus Præbendatis*; apud GREGORIUM verò IX. inscribi, *De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.* Sed qualiscumque sit differentia illa, certum est sub diversa inscriptione eadem Beneficii genera comprehendi, ut Tituli *Capita* percurrenti patebit. Unde quoad illorum mentem qui prædictas inscriptiones composuerunt, non re, sed nomine illos tantùm differre consequens est.

Notandum etiam nullum in Jure extare Textum sæculo XIII. antiquiorem, qui Beneficiorum divisionem, in illa quæ Residentiam exigunt, & illa quæ Residentiam non exigunt, clarè indigitet. Primus enim in quo id fit, est *Cap.* 17. *De Clericis non Residentibus*, è GREGORII IX. *Epistola ann.* 1231. *desumptum.* Nec mirum tàm serò patuisse hujusmodi divisionem, cùm fundamentum illius usque ad hæc tempora ignotum fuerit; nempè quod à BONIFACIO sejunctum sit obsequium certæ Ecclesiæ, vel certo loco ab ipsius Possessore exhibendum; quodque Beneficia aliud sint quàm ex hujusmodi obsequio reditus percipiendi jura.

Nec obstat quod de simplici Beneficio mentio fiat ab ALEXANDRO III. *Cap.* 2. *De Cler. Conjug. in prima Compilatione*, permittente Beneficium hujusmodi Clerico conjugato dimitti, si in minoribus tantùm constitutus sit; nam præterquam quod etiam nunc sint Beneficia simplicia, quæ Residentiam exigant eamdem, ALEXANDER *Cap.* 6. *Tit. & Compil. eisdem*, quid per Beneficium simplex intelligat, explicat, dum simili Clerico Beneficium, undè sustentari valeat extra fratrum consortia, conferri præcipit, de quibus fusiùs dum *De Beneficiorum Divisionibus.*

REGULA XIV.

Juxtà Canonum mentem residere est eò loci cum effectu commorari in quo servire quis debet. *Cap.* 4. *De Cler. non Resid.* in quo verba cum effectu accipienda dicuntur.

REGULA XV.

Quæcumque in Canone colligi possunt Residentiæ fines, causæve, ad servitium Beneficio annexum reducuntur.

Ex

Ex hoc Refidentiæ fine patet quæ Beneficia ad Refidentiam obligare debeant, quæ non; fi enim fervitium Beneficio annexum tale eft, ut per alium quis exhibere non valeat, nec à fe ipfo extra certum locum, evidens eft Beneficium, ad illud fervitium deftinatum, ad Refidentiam obligare; secùs verò fi oneri annexo, vel ab alio vel extra certum locum à Rectore fatisfieri poffit.

REGULA XVI.

Ex Beneficiis, quorum Officium Refidentiam exigit, alia funt de quibus in Jure id nominatim dicitur; alia de quibus id colligitur.

REGULA XVII.

Prioris generis Beneficia funt hæc.

I. Epifcopatus, variique illius gradus. *Cap. 9. De Cler. non Refid.*

II. Cardinalatus. *Cap. 2. De Cler. non Refid.* Cap. 5. *De Poftulat.*

III. Dignitates. *Cap. 3.* Quarum exprimuntur Præpofitura. *Cap. 13.* Decanatus. *Cap. 3.*

IV. Canonicatus five Præbenda. *Cap. 7. 10. 12. &c.*

V. Affifiatus. *Cap. 16.*

VI. Ecclefia Parœcialis. *Cap. 3.*

VII. Vicaria perpetua. *Cap. 6. De Off. Vicar.*

REGULA XVIII.

Pofterioris generis funt quæcumque ad Officia vel illorum aliquod obligant, quæ mox recenfitis annectuntur.

REGULA XIX.

Annexa prædictis Beneficiis Officia reducuntur ad exterius interiusve animarum Regimen, ac publicam Divinorum Officiorum Celebrationem.

Exterius Regimen fit per Leges, Judicia, Punitiones, Difpenfationes, Officiorum Beneficiorumque Diftributiones. Hinc Abbatiæ, Prioratus Conventuales, quibus fimile Regimen annectitur, Refidentiam exigunt.

Interius fit præcipuè per Sacramentorum Adminiftrationem, falubres Monitiones, Exhortationes, Prædicationes. Hinc Prioratus Clauftrales ad talc Regimen deftinati refidere obligant.

REGULA XX.

Officiorum Divinorum duplex genus, nempè Miffarum folemnia, & Divinarum Laudum recitatio.

Hinc ad Refidentiam obligant ratione Divinorum Celebrationis Capellaniæ, quibus Evangelium vel Epiftolam canendi onus, in folemni Miffa annectitur, vel quarum Officium partim fitum eft in Divinis Laudibus canendis.

EGULA XXI.

Vicariæ perpetuæ fub Ecclefia Parochiali comprehenfæ cenfentur. Infertur ex CLEMENTINA *unica. De Offic. Vicar.* in qua Vicariæ iftæ qnoad incompabilitatem Ecclefiis Parochialibus æquiparantur.

REGULA XXII.

Sub Dignitatis vel Præbendæ nomine Archidiaconatus & Archipresbyteratus comprehenduntur.

REGULÆ RATIO: Annexas habent Præbendas; Jurifdictio quoque ad illos pertinet, vel faltem habent Jurifdictionem Dignitati propriam. Hinc ob parem Præbendæ annexionem, Perfonatus, qualis Præcentoria; Officia, qualis Sacriftia, fub Præbendæ nomine comprehenfa intelligi poffunt.

REGULA XXIII.

Qui in diverfis Ecclefiis Beneficia ejufdem vel diverfi generis fimul poffidere nominatim prohibent Canones, illa inter Beneficia Refidentiam exigentia collocant. Exempla habes quoad Archidiaconatus. *Cap. 14. De Præb.* quoad Perfonatus. *Cap. 28. De Præb.*

REGULA XXIV.

Quando Ecclefiam vel Minifterium Ecclefiafticum committi vetat Jus Canonicum ei, qui refidere vel non poffit vel nolit. Ecclefiæ vel Minifterii Ecclefiaftici nomine intelligere eft quodvis Beneficii genus, cui perfonale munus certo loco obeundum annectitur.

Hinc Officium Cuftodis, de quo Titulo *De Offic. Cuftodis.* Sacriftæ Officium, de qno Titulo *De Offic. Sacriftæ.* Officium Primicerii, de quo Titulo *De Offic. Primicer.* etfi Canonicatus non effent, nec Præbendæ, ad Refidentiam obligarent, quia annexa habent munia perfonalia certo loco obeunda. Hinc ubicumque Magifterium Ecclefiafticum, de quo ALEXANDER III *Cap. 2. De Cler. Conjug. in prima compilatione* Beneficium eft à Canonicatu diftinctum, Refidentiam exigit, quia fibi annexum eft munus perfonale certo loco obeundum.

REGULA XXV.

Sæculo GREGORII IX. Beneficia quæ Refidentiam non requirebant extitiffe certum eft; fed quæ fuerint, incertum.

Prima Pars patet ex *Capite 17. De Cler. non Refid.* in quo GREGORIUS IX fupponit Beneficia extitiffe, quæ ad Refidentiam non obligarent, dum hæc habet: *Clericos Beneficia, qua Refidentiam exigunt affecutos &c.*

Secunda colligitur tùm ex eo quod nullus eft Juris Textus, qui Beneficii Refidentiam non exigentis nominatim meminerit, tùm ex eo quod Beneficiorum, de quibus mentio fit in Jure, nullum eft de quo dici poffit quod Refidentiam tunc temporis non requireret; non enim id convenit Perfonatui, qui infrà decimum quartum annum haberi poterat. *Cap. 3. De Ætate & Qualit.* cùm fibi annexa effet Ecclefiam gubernandi cura. Non Capellis, quæ Canonicatibus uniuntur. *Cap. 33. De Præb.* cùm Presbyteris refervetur congura portio ad delatum ibi fervitium exhibendum. Non Capellis ad Monachos pertinentibus, quæ regendæ erant per Presbyteros Sæculares. *Cap. 5. De Capellis Monach.* cùm illarum Rectoribus regendi populum cura incumberet. Non Altaribus, quæ Epifcopi ante *Concilium* CLAROMONTANUM Monafteriis vendiderant. *Cap. 4.* CAUS. I. QUÆST. III. cùm ibidem Ecclefiæ decimæ vocentur, quæ nomina Parœciis conveniunt. Non Prioratibus Regularibus, quos ob facultatem tenuitatem regendos per Clericos Sæculares præcipit HONORIUS *Cap. 4. De Capel. Monach.* cùm ad Refidentiam adeò obligarent, ut ob id folùm Clericis regendi concedantur, quia Monachi cum fociis ibidem refidere nequirent. Non Beneficio fimplici, de quo fuprà ALEXANDER III. idque ob rationem ibidem allatam.

Hinc

Hinc cùm verisimile non sit Beneficia, quæ Gregorius IX. supponit ad Residentiam non obligare, illa esse, quæ in Jure nominatim dicuntur Residentiam exigere; consequens est, ut de aliis intelligatur prædicti Pontificis suppositio. Nec dici potest à tempore, quo Textus suprà citati circa Beneficia, de quibus in Jure expressè dicitur ad Residentiam obligare, conditi sunt, ad Gregorium IX. sat temporis effluxisse, ut introduci potuerit Consuetudo ab hâc obligatione eximens; nam præterquam quod quidam de Beneficiis loquuntur, quæ semper Residentiam postulasse extra dubium est, qualia Episcopatus & Ecclesia Parochialis, alii ex Innocentio III. vel Honorio, vel ex ipso Gregorio IX. desumuntur; ab Innocentio autem ad Gregorium mutatio hæc fieri non potuit, cùm assiduatum, qui inter prædicta Beneficia minimus est, tempore Greg. IX. ad Residentiam obligasse idem Greg. doceat *Cap.* 16. *De Cler. non Resid.*

REGULA XXVI.

Etsi *Concilium* Tridentinum Beneficiorum, quæ Residentiam non requirunt, meminerit, attamen non exprimit quæ sint. *Cap.* 2. Sess. VI. *De Ref.* C. 17. Sess. XXIV. *De Ref.*

Ex hâc & proximè præcedenti Regula sequitur nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* Tridentino, determinari quæ Beneficia ad Residentiam non obligent.

REGULA XXVII.

Residentiæ onus vel ex Lege, vel ex Consuetudine, vel ex Fundatione.

REGULA XXVIII.

Ex Lege oritur erga Beneficia, quæ inter Residentiam exigentia suprà collocata sunt, quorum alia sunt quæ Lege Divina illam exigant; alia quæ Humana Lege.

REGULA XXIX

Ex Consuetudine oriri potest hoc onus erga Beneficia, quæ Jure ad Residentiam non obligant, qualia illa de quibus suprà Gregorius IX. ad illam non obligare supponit. Id insinuat *Concilium* Tridentinum Cap. 2. Sess. VI. *citato*, dum duo Beneficiorum genera distinguit; aliud nempè quod Jure Residentiam requirit; aliud quod Consuetudine. Præterea quod Jure scripto statui potest, id etiam Consuetudo introducere valet. Residentia autem erga quædam Beneficia Humano tantùm Jure statuta est. Adde quod ex *Cap.* 6. *De Constitut.* inferri possit quod Canonicatus, qui Jure ad Residentiam obligant, Consuetudine possint ad illam non obligare, in eo enim mentio fit Consuetudinis qua Canonici Trecensas fructus perciperent etsi non residerent. Hinc si Personatus qui aliàs *Prioratus simplex* dicitur, Jure Residentiam non requirat, illam ex Consuetudine exigere valebit.

REGULA XXX.

Fundatione quoque Canonica, Beneficio annecti potest Residentiæ onus.

Colligitur ex locis, qui docent acceptatam Fundatorum voluntatem servandam esse, nam Fundatoribus licet ad Residentiam obligatos velle Beneficiorum quæ fundant Rectores, atque hæc voluntas ab Ecclesia probari potest. Vide *Dicta circa Patronos.*

REGULA XXXI.

Quibus viis Beneficio annectitur Residentiæ onus, iisdem ab illo eximitur. *Cap.* 1. *De Reg. Jur.*

Hinc Cardinalatus, qui Jure Residentiam exigebat, Consuetudine non exigit. Consuetudo autem ista ante *Concilium* Trident. viguisse videtur, atque ab eo probata fuisse: nam *Cap.* 1. Sess. VI. Cap. 1. Sess. XXIII. *De Ref.* de obligatione ad Residentiam agens, & Prælatos, qui ad eam tenentur recensens, Cardinalium non meminit. Idem dic de Capellis ad Missam tantùm obligantibus, ex quibus facta est major pars Beneficiorum ad Residentiam non obligantium.

REGULA XXXII.

A præcedenti Regula excipienda Beneficia quibus Jure Divino annectitur Residentiæ onus.

Juri Divino derogari non posse, nec Consuetudine, nec Constitutione Humana, nec Fundatione, adeò notum est, ut exceptionis, de qua Regula, veritas & justitia neminem latere queat.

REGULA XXXIII.

De nullo quidem Beneficio expressè dicitur, sive in Corpore Juris Canonici, sive in *Concilio* Tridentino, quod Jure Divino ad Residentiam obliget.

REGULA XXXIV.

De Beneficiis tamen, quibus actu animarum cura annexa est Jure Divino, ad Residentiam obligare in *Concilio* Tridentino non obscurè insinuatur.

Colligitur ex *Cap.* 2. Sess. VI. Cap. 1. Sess. XXIII. *De Ref.* in quibus duo docet *Concilium*: 1. Pastores Præcepto Divino teneri gregem suum pascere, ducere, custodire, curare: 2. Hæc sine Residentia fieri non posse.

Ad Regulæ explicationem notandum est: I. Nonnulla Beneficia Jure Divino habere sibi annexa munia, quæ Residentiam exigunt; aliis verò Jure tantùm humano hujusmodi munia annecti, *verbi gratia*, Episcopatibus, Parœciis, Jure Divino munia annectuntur, quæ Residentiam postulant; quia sine illa, ut par est, obiri nequeunt; quid enim Episcopus vel Parochus aliud sunt quàm Pastores? Pastoris autem est Jure Divino invigilare, ne quid gregi noceat, devias reducere oves, morbidas pro viribus curare, pascere Verbo Dei, exemplo bonorum operum, Sacramentorum Administratione, illarum saluti prospicere. Pœnitentiariæ Sacramenti Pœnitentiæ administrandi munus annectitur; Theologali verò Præbendæ prædicandi munus; utrumque tamen Jure tantùm Humano.

Non obstat quod Ecclesia dispenset interdum Episcopos & Parochos à Residentia, ut & alios Beneficiatos, quorum Beneficiis Jure tantùm Humano annexa est Residentia: Hinc enim colligi non potest Episcopatum & Ecclesiam Parochialem ad Residentiam non obligare Jure Divino, cùm Ecclesia dispensare possit ab hoc jure, ut patet ex *Cap.* 1. *De Voto*, atque ex veteri, constanti, ac quotidiana praxi.

Non obstat etiam quod *Concilium* Trident. noluerit definire de Episcopatu quod ad Residentiam adstringat Jure Divino: Hinc enim non sequitur quod hæc obligatio non sit Juris Divini, aut saltem incertum sit id ita esse, sed tantùm *Concilium* visum fuisse non expedire, ut id definiret; sed sat esse ut doceret Pastores teneri Jure Divino implere munia, quæ sine Residentia vix impleri queunt.

Notandum II. eodem Jure Beneficia Residentiam requirere, quo munia, quorum ratione illam requirunt,

quirunt, sibi annectuntur; nempe Divino, si illo Jure facta sit hujusmodi annexio; Humano; si Humano tantùm jure facta sit: Dici qnidem posse posterioris generis Beneficia Divino etiam Jure ad Residentiam obligare, non solùm quia Jure Divino Ecclesiæ obedire tenemur, sed præcipuè quia ea Lege dantur ab Ecclesia illorum Beneficiorum reditus, ut munia ipsis annexa, ut par est, obeantur, eoque modo obiri sine Residentia nequeant; ut autem Jure Divino liceat, quod sub conditione datur, percipere, implenda est conditio; sed hoc ad Jus Divinum remotè tantùm pertinere, cùm à Deo nusquam præcipiatur, ut sint, *verbi gratiâ*, Canonici, qui quotidie locis & horis præfixis Divina Officia percantent; jubeat verò, ut sint Pastores, qui, quæ salutis sunt, administrent.

Notandum III. Beneficiorum, quibus annexa sunt munia Residentiam exigentia, nonnulla esse, quæ deficiente populo in quem illa munia exerceantur, talia habenda sunt quoad residendi obligationem, ac si illa munia sibi annexa non essent, quoquo jure annexio facta sit.

Notandum IV. non residendi consuetudinem circa Beneficia animarum curam actu habentia à *Concilio* Tridentino loco posteriùs citato vocari corruptelam, eamque nullo modo excusare à peccato; hujus autem rei causam esse, quod nonnisi reclamante Divino & Humano Jure, Consuetudo hujusmodi stabiliri queat, ideòque semper tamquam irrationabilis, nec unquam legitimè præscripta ubicumque rejicienda. *Cap. ult. De Consuet.*

Si quis plura cupiat circa Divinum Præceptum de personali Residentia Pastorum, videat Fagnanum in *Cap. Ex parte. De Cler. non Resid.* ubi præcipua, quæ Theologi & Canonistæ circa illud docent, accuratè collegit.

REGULA XXXV.

Beneficia quæ Residentiam exigunt, non æqualem exigunt, sed alia alis majorem, quod in Beneficiis ejusdem generis etiam locum habere videtur.

Prima Pars colligitur ex *Cap. 3. De Jure Patron. in tertia Compil.* quod docet Beneficium Curatum, quàm Præbendam ad rigidiorem Residentiam obligare.

Secunda verò desumitur ex *Cap. 1. Sess. XXIII. De Ref.* in quo *Concilium* insinuat Parochum, quàm Episcopum ad Residentiam strictiùs obligari. Nam I. longiorem absentiam quolibet anno Episcopo permittit quàm Parocho, hanc ad tres menses extendens, istam ad duos restringens. II. Parocho abesse non permittit, nisi duplici Lege; nempè quod causam Episcopo exponat, eamque Episcopus probet; quodque licentiam scriptis ab isto obtineat: Episcopo verò abesse permittens, nullam talem, nec aliam Legem imponit. Hanc secundam pro certa non damus, quia ex aliis causis dicta differentia nasci potest; nempe ex majori subjectione Parochi erga Episcopum, quàm Episcopi erga Superiorem suum; necnon ex eo quod per seipsum Episcopus providere potest suæ Diœcesi pro absentiæ suæ tempore; Curatus verò id non possit sine Episcopi autoritate.

Primæ Parti favet *Canon* 29. Caus. VII. Quæst. I. in quo Presbyter & Diaconus, si per tres hebdomadas absuerint, severè puniuntur; aliis verò Clericis longè majus absentiæ tempus impunè dimittitur

REGULA XXXVI.

Sunt tempora, quibus minùs abesse licet. *Cap.* 21. Caus. VII. Quæst. I. Quod de temporibus dictum est, dicendum est de locis, quando plura eidem Beneficio subduntur.

Utriusque Partis Regulæ Ratio: Sunt tempora, sunt loca, quibus Beneficiorum servitia necessaria magis sunt

REGULA XXXVII.

Circa loca hoc tantùm in Jure, *Consilioque* Tridentino, legitur.

I. Ne cui liceat relicta Principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se transferre. Desumitur è *Concilio* Carthagin. IV. *ann.* 398. quod mox relatum est; Etsi de Episcopis dictum sit, ad Abbates, aliosque omnes Prælatos in plura loca Jurisdictionem habentes, extendendum est; quia ad illos citati Textûs ratio extenditur.

II. Ne Episcopi ab Ecclesia sua Cathedrali, temporibus de quibus infrà, ullo pacto absint, nisi Munia Episcopalia illos aliò vocent. *Cap. 1. Sess.* XXIII. *§. Eosd.*

Exceptio maximè notanda est, atque ad alios Prælatos, de quibus mox dicebamus, extendenda: congruum siquidem est, ut sicut circa Residentiam in Diœcesi, vel Abbatia, necessitas excipitur, ita circa Residentiam in præcipuo Diœceseos vel Abbatiæ loco eadem necessitas excipiatur.

Regula hæc locum habere videtur in Curato, qui Parochiæ suæ Capellas, Ecclesiasve alias annexas habet.

REGULA XXXVIII.

Circa tempora quibus præcipuè residendum; non alia in Jure, *Concilioque* Tridentino habentur, quàm ista.

I. Si quis in Clero constitutus, diebus Solemnibus defuerit, *id est*, Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, Pentecoste, dùm potiùs sæcularibus lucris studet, quàm servirio Dei, convenit ut triennio à Communione suspendatur. *Cap.* 29. Caus. VII. Quæst. I. Recensitis Festivitatibus nunc addenda est Patroni locorum Festa dies.

Excommunicatio, de qua hic, cùm sit ad tempus determinatum, nonnisi minor esse potest, & minorum antiquarum non alia quàm ab Eucharistia.

De absentia propter res temporales sermonem facit citatus Canon, illamque punit ob nimium lucri sæcularis ardorem, in Clericis præsertim, servitio Dei longè postponendi.

Clerici inferiores, quorum Beneficia maximè simplicia erant, ad Residentiam renebantur, & quanta esset hæc obligatio quoad Festivitates solemniores, ex gravitate pœnæ, qua horum dierum absentia plectitur, sat judicare licet.

II. Intra tempus quo Episcopis abesse licet à Diœcesi, Adventum, Quadragesimam, Festivitates Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi non comprehendi declaratur. *Cap. 1. Sess.* XXIII. *§ Eosdem.* Cujus Ratio: His diebus maximè resici, & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves debent, utpote sibi magis necessaria.

Quæ circa loca suprà facta est exceptio, circa tempora locum quoque haber.

Hæc quoque Regula Parocho, necnon Canonico, Theologo, & Pœnitentiario, valdè convenit.

REGULA XXXIX.

Quæcumque dicta sunt de Divina Pastorum obligatione ad Residentiam, ad Abbates, Priores Conventuales, necnon & Claustrales extendenda sunt, exceptis pœnis.

Colligitur Regula ex Decretis Tridentinis citatis, quæ docent hanc obligationem peti ex Muniis Sacris circa subditorum salutem, quæ Prælatis hujusmodi incumbunt; sunt enim propriè Pastores alüs nominibus donati. Hanc extensionem probat Tamburinus *De Jure Abbatum.* Tom. I. *Disput* 14. ubi de Residentia Prælatorum hujusmodi fusiùs agit

Exc

Excipiuntur ab illa pœnâ, quia pœnæ, ut res odiosæ, locum non habent, nisi in casibus expressis; citata verò Decreta de Prælatis prædictis mentionem expressam non faciunt. Hanc exceptionem admittit TAMBURIN. *loco citato* QUÆST. VII. *n.* 3. aliamque rationem adducit, nempè Prælatos Regulares non residentes demissos quoad pœnas Statutis Ordinum suorum; ibidem refert Constitutionem PII V. in Galia non receptam, quæ Prælatorum non Residentium spolia Cameræ Apostolicæ reservat.

REGULA XL.

In numerandis diebus absentiæ permissæ, vel servitii debiti, computandi nedum continui, sed etiam interpolati.

Infertur ex *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Refor.* ubi *Concilium* TRIDENTINUM loquens de permissa Episcopis absentia per duos vel tres menses per singulos annos, hæc habet: *Sacrosancta Synodus, vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, proindèque intendit, ut dies absentiæ interpolati computentur, sicut & continui.*

Illationis ratio est, quod cæteri Beneficiati potioris conditionis esse non debeant, quàm Episcopi, ideòque computandi sint dies interpolati, in numerando bimestri vel trimestri absentiæ illis concesso.

REGULA XLI.

Statuta circa absentiæ tempus Beneficiatis ad Residentiam obligatis concessum, prævalent Juri Communi, si strictiora sint; secùs si laxiora.

Eruitur ex *Cap.* 12. SESS. XXIV. *De Reform.* ubi *Concilium* TRIDENTINUM concedens Canonicis, ut possint tribus mensibus abesse quotannis, excipit casus, in quibus Statuta longius servitii tempus exigunt; eaque exceptione insinuat, indultum à Jure Communi Beneficium odiosum esse; Statuta verò rigidiora favorabilia, ideòque ista illi præferenda; hoc autem eo notandum magis, quod Jus Commune spectari soleat, ut favorabile, Statuta verò ut odiosa.

RATIO REGULÆ. *Concilii* TRIDENTINI meos fuit, ut abusum veterem, nimiumque communem non residendi tolleret, vel quoad posset, moderaretur, eaque de causa innovavit Canones ad Residentiam obligantes, & timens ne frustranea esset hæc innovatio, si aliquot menses absentiæ non concederet, tres indulsit ea lege, ut ii, de quibus nihil timeret, Statuta quæ majorem Residentiam exigebant, servare pergerent; uno verbo minus malum permittendo, majus arcere voluit, non solâ tolerantiâ, quæ non aufert peccatum, sed Dispensatione, quæ à culpa liberat.

Quod dictum est de Statutis, dicendum quoque de Consuetudine ac Fundatione, cùm pro utraque eadem ratio militet.

REGULA XLII.

Quantacumque sit residendi obligatio, & ex quocumque Jure nascatur, super illam cadit Dispensatio, dummodo justa subsit causa. *Cap.* 2. SESS. VI.

REGULA XLIII.

Quò major residendi obligatio, quæ ex digniori Jure nascitur, eò major subesse debet dispensandi causa.

Patet ex dictis, dum *De Dispensationibus*, & ex infrà dicendis.

REGULA XLIV.

A Residentia justæ dispensandi Causæ aliæ sunt Generales, aliæ Particulares.

REGULA XLV.

Scriptæ Generales omnes hæ sunt:

I. Christiana charitas, vel erga Ecclesias Pastore destitutas, vel erga miserabiles personas. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Reform.*

II. Urgens necessitas personalis periculi imminentis. *Ibid.*

III. Debita obedientia erga Superiorem, justa de causa, vel manifestè non injusta, ad se vel aliò vocantem. *Ibid.*

IV. Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas; Ecclesiæ, quando absentia Parochi, vel Canonici, toti prodest Diœcesi, vel Episcopi absentia toti prodest Provinciæ; Reipublicæ, quando Episcopus aliusve Prælatus Ecclesiasticus administrandæ, vel tuendæ Reipublicæ utilior est, quàm quivis ad Residentiam similem non obligatus *Ibid.*

Eo loco *Concilium* loquitur de Beneficiis, quæ Jure Divino ad Residentiam obligant; undè sequitur illas causas magis vigere circa alia Beneficia, quæ Jure tantùm Humano ad Residentiam obligant; Nullus autem Canon hujusmodi causas sigilatim simul recensuerat.

REGULA XLVI.

Particularium aliæ sunt scriptæ, aliæ non scriptæ.

REGULA XLVII.

Non scriptæ sunt, quæcumque scriptis similes sunt.

REGULA XLVIII.

Scriptæ dispensandi Causæ Particulares sunt.

I. Infirmitas. *Cap.* 13. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 5, *De Cler. non Resid.* Cap. unic. *De Cler. non Resid. in* 6.

II. Justa & rationabilis corporis necessitas, qualis injusta in carcere, vel alibi detentio. *Cap. unic. De Cler. non Resid. in* 6.

III. Literarum studium sive amor, quod tàm docentes, quàm studentes spectat. *Cap.* 15. *cit.* Cap. 5. *De Magist.* Cap. 34. *De Elect. in* 6. Cap. 1. SESS. V. *De Ref.*

IV. Peregrinationis labor, ex Voto scilicet à Prælato probato. *Cap.* 15. *cit. in parte decisa.*

V. Commoratio in servitio Ecclesiæ Romanæ. *Cap.* 14. *Tit. cit.* de Canonico METENSI Papæ familiari loquitur; Jure hoc uti potest Decanus Cardinalium, Decanatûs fructu potiri volens.

VI Commoratio in servitio Episcopi. *Cap.* 7. *Ejusd. Tit.* & Cap. 5. *cit.*

VII. Prosecutio Jurium Beneficii sui, vel Ecclesiæ in qua situm est. *Cap.* 13. *Ejusdem Tit.* Cap. 30. *De Elect. in* 6. Priùs de Præposito loquitur Præposituræ Jura prosequente. Posterius de Ecclesiæ suæ utilitatem prosequente.

VIII. Privatorum suorum negotiorum ordinatio. *Cap.* 3. CAUS. VII. QUÆST. I. de Parocho loquitur.

Prædictæ Particulares causæ præter octavam, aliud non sunt, quàm exempla Causarum Generalium; nam prima, secunda, quarta ad necessitatem pertinere videntur; tertia ad utilitatem Ecclesiæ & Reipublicæ, quinta & sexta ad eamdem Ecclesiæ utilitatem, & ad debitam obedientiam; septima ad Ecclesiæ utilitatem. Ex iisdem Particularibus Causis aliud commodum colligi potest, nempè cognitio propter quas alias causas à residendo dispensari possit. Ex Particularium Causarum ad generales redactione sequitur, quod Particulares in Beneficiis Jure Divino Residentiam exigentibus locum habeant, sicut & in aliis, cùm hoc tamen discrimine, quòd in illis intra idem causæ genus quid majus requiratur, *verbi gratia* major infirmitas.

REGU-

REGULA XLIX.

Prædictæ Particulares Causæ à Residentia excusarent, etsi juramento promissa esset. *Cap.* 13. *Ejusd. Tit.* De sola septima facit quidem mentionem, sed cùm eadem sit ratio, imò in quibusdam potior, ad omnes extendendum videtur: Hæc autem ratio est, quod in Juramento excepti intelliguntur Dispensationis à Jure probatæ casus; casus verò suprà notati, omnes à Jure probentur.

REGULA L.

Cum quo à residendo dispensatur propter memoratas Causas, tàm Generales, quàm Particulares, grossos omnes fructus lucratur; sed quoad quotidianas distributiones, excepto tantùm propter infirmitatem, vel corporalem necessitatem justam & rationabilem, vel propter evidentem Ecclesiæ utilitatem, à Jure conceduntur. *Cap.* 1. *De Cler. non Resid. in 6.*

Regulæ Ratio *quoad Primam Partem*: Hujusmodi exempti pro præsentibus habentur.

Quoad Secundam, seu quoad Exceptionem: Distributiones quotidianæ residentibus in locis, in quibus sita sunt Beneficia, non dantur, nisi Divinis Officiis adsint, vel legitimè impediantur ne adsint. *Cap. unic. De Cler. non Resid. in 6.*

Dici non potest exceptionem respicere tantùm residentes, ac solùm in ipsorum favorem factam: etsi enim occasione abusûs solos residentes respicientis, in eoque siti quod distributiones perciperent, etsi Officiis non adessent, dùm adesse poterant, exceptio prædicta facta sit, non ideò ad illos restringenda; cùm Decreti ocasio non spectanda sit, sed ratio quæ est: *Ad impossibile nemo tenetur: Puniendus non est qui mercedem meretur: Qui autem abest ex infirmitate, residere non potest: Qui verò propter Ecclesiæ utilitatem abest, propter absentiam remunerandus, non puniendus.*

Ad explicationem Causarum propter quas non residenti distributiones dantur: Nota I. quod ut qui ex infirmitate non residet, distributiones percipere queat, infirmitas ea esse debeat, quæ illum residere non patiatur sine gravi salutis, vel valetudinis detrimento, quodque etiam debeat esse sufficienter nota, qualis quæ manifesta est, vel quæ Medicorum fide dignorum testimonio comprobatur.

Nota II. per justam rationabilemque corporis necessitatem ab infirmitate distinctam, intelligi aliud non posse, quàm injustam incarcerationem, vel quid simile; ad injustam verò restringendam interpretationem; justa siquidem incarceratio, qualis quæ propter incarcerati crimen, ex parte non residentis, justa ac rationabilis non videtur, corporis necessitas, quæ distributionum perceptionem mereatur:

Hujus rei Ratio: Impotentia residendi, quæ ex tali incarceratione nascitur, ac intuitu cujus distributiones darentur, in se quidem culpa caret, sed in causa sua culpa non caret; undè cùm ex malitia sua nemo commodum reportare debeat, propter crimen incarceratus distributiones lucrari non debet. Nec dici potest Canones infirmo indistinctè dare, non considerata infirmitatis causâ; id enim factum est, quia in Clericis ex alia quàm ex peccato causa infirmitatem nasci præsumitur; sed verisimile non est, quod si ex crapula, vel ebrietate, aliove graviori peccato, quod in foro contentioso probari posset, non residentis oriretur infirmitas, Canonum mens foret, ut hujusmodi infirmus distributiones haberet.

Hac in re incarcerationi similia habenda sunt captivitas & exilium, atque cùm eadem, vel par ratio sit, ad utrumque extendendum, quod de incarceratione dictum est.

Eadem in re incarcerationi quoque similis residendi impotentia, quæ ex justo metu proficiscitur, cùm vitandæ mortis necessitas justissima ac maximè rationabilis corporis necessitas esse videatur.

Nota III. Tàm infirmitatem, quàm prædictam Corporis necessitatem, ut sint justa distributiones percipiendi causa, unicam non residendi causam, vel saltem præcipuam esse debere: Hinc, *verbi gratia*, si quis prosequendæ domesticæ rei causa abesset, & ante finitam litem in morbum incideret, vel in carcerem injustè mitteretur, distributiones non lucraretur, cùm infirmitas, vel incarceratio suæ non Residentiæ causa, vel una, vel præcipua non essent.

Nota IV. Ad sanè judicandum de iis, quæ propter evidentem Ecclesiæ utilitatem à residendo excusant, sine distributionum jactura, certa ab incertis statim secernenda.

Certum est Bonifacium VIII. *in Cap. unic. De Cler. non Resid.* circa cujus explicationem versantur Observationes istæ, causarum propter quas non residenti distributiones dantur, numerum augere, vel minuere non intendisse, sed receptam Jure Communi, vel usu exceptionem servari, nec ultra casus eo modo exceptos non residenti distributiones dari voluisse.

Certum est *Caput 7. De Clericis non Residentibus*, Canonicis in Episcopi servitio commorantibus victualia denegare, ac præterea docere absentibus illa dari non consuevisse; victualia autem idem esse ac distributiones, cùm *Capite unic. De Clericis non Resid.* sinonima sint distributiones, Victualia, Manualia Beneficia.

Certum est à nullo Juris Textu ante *citatum Caput unic. De Cler. non Resid.* absenti, quantumcumque ex justa causa, distributiones expressè concessas fuisse, nec ullum, qui Officiis non adest deberi, agnovisse, vel significasse.

Nec obstant Textus, qui absentes studendi, vel docendi causa, vel commorantes in Episcopi servitio, suorum Beneficiorum fructus integrè percipere præcipiunt: Quales *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* Cap. 5. *De Magistris.* Hujusmodi enim Textus, quod præcipiunt, restringunt ad Præbendarum fructus, istos autem à distributionibus tunc distinctos haud dubium est; nam eodem tempore Honorius III. *Cap.* 32. *De Præbendis*, illos à distributionibus ita distinctos supponit, ut velit illos dari Theologiæ studio vacanti, absque quotidianis distributionibus; atque ut id æquum ostendat, addit has distributiones solis residentibus, qui Divinis Officiis adsunt, exhiberi, & quod fortius est, in *eodem Capite* in quo vetat distributiones dari, præcipit, ut Præbendarum fructus integrè concedantur. Imo longè antea Alexander III. *Cap. 7. De Cler. non Resid.* Præbendarum fructus à Distributionibus distinxerat: Quid enim per Victualia, quæ absentibus exhiberi non consuevisse ait, aliud intelligit, quam quotidianas distributiones, cùm, ut dictum est, idem omninò sint Victualia ac Distributiones quotidianæ. Vide Regulas, quæ *De Distributionibus* infrà subjiciuntur.

Certum est, nec etiam *Concilium* Tridentinum ulli absenti quotidianas distributiones concessisse; attamen ex Decretis illius, sicut ex *Capite unic. De Cler. non Resid. in 6.* colligi posse, absenti illas dari licere, quoties majus commodum ex illius absentiâ Ecclesia manifestè percipit, quàm ex præsentia perciperet; distributiones siquidem Pœnitentiario munus suum obeunti dum Divina celebrantur Officia *Cap.* 8. Sess. XXIV. *De Reform* tribuit; id autem non facit, nisi quia Pœnitentiarius, ut cuique evidens est, munus suum exercendo, quàm Divinis assistendo Officiis, Ecclesiæ multò plus prodest.

Certum est Consuetudine introductum, ut nonnullis ex causis absentibus distributiones concedantur.

tur, nempè Deputatis ad *Concilia*, in servitio Episcopi vel Papæ commorantibus, ad negotia Ecclesiæ prosequenda missis: Consuetudinem autem hanc æquissimam videri, & Juri Communi maximè conformem, quia prædicta absentia Ecclesiæ manifestè prodest, ideoque in casu evidentis Ecclesiæ utilitatis existit.

Nec dici potest, distributiones quotidianas institutas tantùm in favorem Divinis Horis assistentium, ac consequenter illas percipi non posse, nisi ab iis, qui actu iis adsunt, vel qui cùm proximè possent & vellent legitimè impediuntur ne adsint. Verus enim distributionum illarum instituendarum finis non alius est, quàm qui à *Conc.* TRID *Cap.* 3. SESS XXII. *De Ref.* exprimitur, nempè, *Ne Cultus Divinus minuatur, sed debitum in omnibus illi præstetur obsequium.* Hic autem finis obtinetur duobus modis, proximè, & remotè: Proximè, dum qui ad id tenentur, Divinis adsunt Officiis: Remotè, dum circa Divinum Cultum abusus corriguntur, dum bona è quibus desumuntur Distributiones, conservantur: Primum autem fit per Deputatos ad *Concilia*, ac etiam per commorantes in Episcopi vel Papæ servitio: Secundum verò per prosequentes Ecclesiæ negotia fieri solet, interdum verò per Deputatos ad *Concilia*; sunt enim quæ ad bonorum hujusmodi conservationem utilia statuunt.

REGULA LI.

Cessante à residendo Dispensationis causa cessare debet Dispensatio. *Cap.* 16. *De Cler. non Resid.*

Hinc si quæ necessaria erat vel Ecclesiæ proderat Dispensatio, necessaria esse desinat, vel Ecclesiæ noceat, revocanda est.

REGULA LII.

A Residentia exempti Vicarios constituere debent, nisi Collegas habeant, qui vices ipsorum supplere possint. *Cap.* 32. *De Præb.* Cap. 5. *De Magistris.*

Prior Pars patet ex *Cap.* 34. *De Elect. in* 6.

Posterior colligitur ex *Cap.* 7. 14. 15. *De Cler. non Resid.* in quibus Canonici à residendo exempti per Vicarios deservire ooo obligantur; quod aliundè non provenit, nisi ex eo quod Collegas habeant, qui vices absentium supplere queant.

REGULA LIII.

Sine causa justa, & personis indignis concessa à residendo Dispensatio, plura & gravia secum trahit incommoda.

REGULA LIV.

Quæ in Jure exprimuntur hæc sunt.

I. Hinc insolentiæ oriuntur vagandi. *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6.

II. Præparatur materia dissolutionis. *Ibid.*

III. Minuitur Divinus Cultus. *Ibid.*

IV. Officium, propter quod Beneficium, omittitur. *Ibid.*

REGULA LV.

A residendo Dispensatio vel est temporalis, vel perpetua. *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6. De Perpetua Cap. 5. *De Magistris*, de temporali loquitur item *Cap.* 2. SESS. VI. *De Ref.*

REGULA LVI.

Vel à Jure, vel ab homine. *Cap.* 13. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 34. *De Elect. in* 6. Cap. 4. 16. *De Cler. non Resid.*

REGULA LVII.

Juxta Textus in Corpore Juris inclusos, circa Residentiam dispensare possunt.

I. Papa. *Cap.* 32. *De Præb.* Cap. 5. *De Magistris.* Cap. ult. *De Rescript. in* 6.

II. Episcopus. *Cap.* 4. 16. *De Cler. non Resid.*

III. Capitulum. *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* quod docet, *Capitulum* MELNENSE Statutum fecisse, quo quatuor personarum genera sine Residentia fructus suos percipiebant.

Nec obstat quod confirmatum à Sede Apostolica fuerit, quia confirmatio valuisse supponit.

IV. Metropolitanus erga Episcopos. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Ref.* Atque id inferunt ex *Cap.* 4. *De Cler. non Resid.* Prælatum Episcopo inferiorem addunt nonnulli; sed verba hæc, *Prælatorum suorum licentia*, de Episcopis intelligi possunt; in eo enim ALEXANDER III. Archiepiscopo EBORACENSI scribit, qui plures sub se Suffraganeos habebat, de quibus rectè explicari possunt citata verba: Alii id colligunt ex *Cap.* 14. *De Elect. in* 6. quo hæc potestas tribuitur Ordinario, cujus nomine Prælatus inferior comprehenditur. Vide TAMBURINUM, *De Jure Abbatum.* TOM. I. *Disput.* 14. QUÆST. III. ubi idem aliis mediis probat.

REGULA LVIII.

A tempore quo citati Canones conditi sunt, nullus factus est quo à residendo Dispensatio Sedi Apostolicæ reservetur.

Non obstat *Caput* 15. *De Rescript. in* 6. aliaque hujus generis, in quibus extra Italiam circa Residentiam pluries à Papa dispensatum legitur. Quod enim ab Ordinario impetrari potest, à Papa quoque peti potest; ob majorem autem quæ in Papa potestatem multoties ab illo gratiam habere malunt quàm ab Ordinario.

Non obstant *Caput* 28. *De Præb.* Caput 9. *De Concess. Præb.* Cap. 54. *De Elect.* quæ docent Summo Pontifici reservari Dispensationem circa incompatibilium possessionem. Etsi enim Dispensatio illa Dispensationem à Residentia includat, certum tamen non est illam ideò Papæ reservari, quod istam secum trahat, cùm aliam gratiam contineat, nempe plura simul Beneficia retinendi facultatem, quæ plura secum alia incommoda invehit, quàm Residentiæ defectum, atque ideò gravioris sit momenti Dispensatio circa incompatibilia quàm simplex à residendo Dispensatio.

Nec dici potest in Dispensatione circa incompatibilia pluralitatem non considerari, cùm plura Beneficia compatibilia sine Dispensatione retineri valeant; sunt enim incompatibilia propter animarum curam sibi annexam, quæ simul qui retinet, non eximitur ab animabus per alium regendis, à vigilandi onere; super Vicarium, à ratione coram Deo tàm Vicarii quàm animarum reddenda; oportet ergo, ut in Dispensatione circa plura illorum simul possidenda, pluralitas consideretur, cùm ad multiplex onus ferendum majores vires requirantur quàm ad unum ejusdem ponderis. Præterea extant Beneficia incompatibilia, quæ simul possideri possunt sine Dispensatione à Residentia, qualia quæ sunt in eodem loco.

REGULA LIX.

Inter Dispensationes à residendo à Jure concessas nulla est propriè perpetua.

Non obstat *Cap.* 1. SESS. V. *De Ref.* in quo sine ulla temporis limitatione Sacram Scripturam docentes, ipsiusque studio vacantes, à Residentia eximuntur: nam quoad docentes Dispensatio limitatur his verbis: *Dum publicè docuerint*; quoad studentes istis: *Scholares qui in ipsis scholis studeant*; verum quidem

quidem est Dispensationes illas perpetuas quodammodo esse, prout à Jure sunt, cùm ab opere pendeant, quod perpetuum esse potest.

Quod de Dispensatione Professorum Theologiæ dictum est, de commorantium in servitio Episcopi, vel Papæ Indulto dicendum; nempè suo frui effectu quandiù durat ipsius causa, seu prædictum servitium, ideoque quodammodo perpetuum esse, cùm pendeat ab opere, quod perpetuum esse potest.

REGULA LX.

Temporales à residendo Dispensationes à Jure concessæ, vel nominatim probatæ sunt, vel indeterminati temporis, vel determinati temporis.

REGULA LXI.

Indeterminati temporis sunt.

I. Dispensatio commorantium in servitio Episcopi.
II. Dispensatio commorantium in servitio Papæ.
III. Dispensatio infirmorum.
IV. Dispensatio justa & rationabili Corporis necessitate detentorum.
V. Dispensatio absentium propter evidentem Ecclesiæ utilitatem.
VI. Dispensatio Sacræ Theologiæ Professorum.

Non obstat *Canon.* 13. Caus. VII. Quæst. I. in quo Dispensatio Episcopo ob infirmitatem concessa, ad quadriennium limitatur. Nam 1. Episcopus ille jam antea diu abfuerat: 2. Concessum non est ipsi quadriennium, ut restringeretur ipsius à residendo Dispensatio; sed ut intra illud tempus recuperandæ saluti vacans, vel illam recuperaret, vel agnosceret recuperandæ spem sibi non superesse, eaque amissa spe pro suo erga sibi commissum gregem zelo sese abdicaret: 3. Agitur hîc de Dispensatione ab homine concessa, non de Dispensatione à Jure indulta; non enim ibi constituitur, ne ultra quadriennium infirmo abesse permittatur, sed exemplum refertur simili in casu sequendum.

Ex prædictis de non residendo Dispensationibus ad tempus indeterminatum à Jure concessis, antiquissima est, quæ sub Regula primò recensita est; illam siquidem concessit Alexander III. *ann.* 1170. aliæ verò sunt, vel ab Honorio III. vel à Bonifacio VIII. vel à *Concilio* Tridentino concessæ.

Non obstat *Caput* 13. Caus. VII. Quæst. I. suprà oppositum circa concessam infirmo non residendi Dispensationem, quod ex S. Gregorio desumitur; jam enim dictum est, de Dispensatione ab homine, non de Dispensatione à Jure mentionem facere.

REGULA LXII.

Temporales à residendo Dispensationes à Jure concessæ ad tempus determinatum, hæ sunt:

Dispensatio studentium Sacræ Theologiæ ad quinquennium. Circa quam notandum, ut quis illa gaudeat requiri, ut in publicis Scholis studeat, atque ad illud studium, vel ab Ecclesiarum Prælatis, vel à Capitulis mittatur; illam ab Honorio III. concessam *ann.* 1220. Cap. 5. *De Magistris*; Innocentium III. Cap. 12. *De Cler. non Resid. ann.* 1214. mentionem facere Indulti Canonicis concessi, ut studiorum gratia absentes Præbendarum fructus perciperent; sed hanc Dispensationem differre ab illa, de qua nunc, tùm in eo quod ab homine esset; tùm in eo quod solos Canonicos respiceret; tùm in eo quod ad Theologiæ studium non restringeretur; tùm in eo quod de Missione ad studium mentionem non faceret; Honorii verò Dispensatio fit à Jure; quoad personas, quibus conceditur, generalis fit; quoad studium, ad Theologicum restringatur, Missionem ad illud requirat.

Ejusdem generis est Dispensatio Parochorum ad septennium studiorum causa. *Cap.* 34. *De Elect. in* 6: Hujus Indulti Autor Bonifacius VIII. exponit ad illius concessionem se motum ex eo quod Ecclesia ad sui Regimen Viris Literatis maximè indigeat, & sine tali Indulto talibus Viris Ecclesiæ Parochiales quandoque careant. Hanc autem circa Dispensationem nota, Parochos propter strictiorem residendi obligationem excipiendos à præcedenti Dispensatione visos fuisse; sed cùm ipsis scientia longè magis necessaria sit, quàm aliis, de quibus præcedens Indultum, rectissimè Bonifacius VIII. nedum in illo Indulto comprehensos significare voluisse; sed, quod majus est, duos illi annos adjicere; quoad fruitionem verò hujus Indulti ad Episcopum pertinere, ut judicet, an hic, illeve Parochus, hoc vel illo tempore Indulti commodo gaudere debeat.

Ejusdem generis est Dispensatio Parochorum, quoad bimestre, longiusve tempus, si gravis causa id exigat; gratis tamen ac scriptis concedenda: Quæ Dispensatio pendere etiam videtur ex Episcopi judicio; si enim scriptis concedenda, à quo alio id fieri potest, quàm ab Episcopo?

Episcopis duos aut tres menses continuos, aut interruptos impunè abesse permittitur, modò aliqua adsit æqua causa, cujus æquitatis judicium ipsorum conscientiæ relinquitur. *Cap.* 1. Sess. XXIII. Undè hæc absentiæ parvæ licentia, à concesso non residendi per longum tempus Indulto differt, cùm istud exigat causam manifestam à Superiore probandam.

Canonicis trimestrem absentiam idem *Concilium* Cap. 12. Sess. XXIV. concedit, nisi Consuetudine, vel Statuto minor tantùm indulgeatur, nec ullam exigit absentiæ hujus causam præter illam, quæ Christianorum multoque magis Clericorum actionum princeps causa esse debet, nempè charitatem: Hinc maximè confirmatur, quod suprà dictum est, Beneficia quædam quàm alia rigidiorem exigere Residentiam.

REGULA LXIII.

Non Residentiæ reus à proximo Superiore monendus, ut resideat.

REGULA LXIV.

Duplex esse potest prædictæ monitionis finis: Prior, ut moniti negligentia, alia quàm Beneficii privationis pœna plectatur: Posterior, ut monitus, si contumax fuerit, Beneficio privetur.

REGULA LXV.

Ad quem non residentis correctio proximè pertinet, ad eumdem proximè spectat prius monitionis genus; posterius verò ad illius Ecclesiasticum Judicem.

REGULA LXVI.

Quovis prædictorum fine non residens moneatur; si monitus residere negligat, illius vices alii committere licet, cui assignanda est ex negligentis reditibus congrua portio, etsi Collegas habeat, qui absentis defectum supplere possint. *Cap.* 16. *De Cler. non Resid.* Cap. 28. *De Appellat.* Utrumque de Canonicis loquitur.

Hinc inter sine licentia non residentes, & cum licentia non residentes, hoc interest, quod in eodem Beneficii genere illi Vicarios constituere cogantur, isti non item; nullibi enim legitur Canonicos à Residentia exemptos ad constituendum Vicarios obligatos fuisse, & in citatis mox Textibus Canonici sine licentia non residentes astringuntur, ut per Vicarios deserviant: Hi Textus quoad Vicariorum substitutionem abrogati videntur.

REGULA LXVII.

Quod absentiæ tempus requiratur, ut quis Beneficii privatione dignus habeatur, nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO determinatur.

Non obstat *Canon* 3. CAUS. VII. QUÆST. I. in quo Parochus ob bimestrem absentiam ab Episcopo suo deponitur, quia depositionem hanc damnat S. GREGORIUS, depositumque restitui jubet.

Non obstat *Canon* 13. *ead.* CAUS. & QUÆST. in quo Episcopus absens per quadriennium expectatur; hic enim de justa absentia agitur, illud tempus Episcopo datur, ut sanitati recuperandæ vacet, antea jamdiu expectatus fuerat; intra prædictum tempus non rediens deponendus non erat, sed sibi ipsi permittenda erat Episcopatûs abdicatio, si sibi placeret.

Non obstat *Cap.* 2. *De Clericis non Resid.* in quo ob quinquennalem absentiam deponitur ANASTASIUS Presbyter Cardinalis Beati MARCELLI; nam I. Revertendi animum non habuisse ANASTASIUS videtur, cùm de eo dicatur post illud quinquennium in alienis adhuc demoratum fuisse. II Hinc solùm inferre licet quinquennalem absentiam in Parocho, qualis erat ANASTASIUS, sufficere ad illius depositionem, non autem totum id temporis ad illam requiri.

Non obstat *Cap.* 8. *eod. Tit.* in quo præcipitur, ut MAGDEBURGENSIS Decanus à decem annis absens deponatur, si vocatus redire noluerit, aliusque eligatur; ex hoc enim quod post decennalem absentiam adhuc monendus est, decennium solùm non sufficere jure meritò infertur; undè sequitur à Jure non determinari decem annorum tempus, ut quis Beneficii privatione dignus habeatur.

Non obstat *Caput* 9. *eod. Tit.* in quo Capitulo RAGUSIENSI permittitur, ut si Archiepiscopus suus ultra quadriennium expectatus non redierit intra mensem, alium eligat, cùm post quadriennium & ultra adhuc per mensem expectandus sit absens Archiepiscopus.

Non obstat *Caput* 11. *eod. Tit.* in quo ultra sex menses suam deserens Ecclesiam, ea meritò spoliandus est; tempus enim illud à citatione numerandum est; citatio verò quo facienda sit tempore ibidem nec alibi definitur, undè indefinitum manet requisitum ad Beneficii privationem absentiæ tempus.

Non obstat *Cap.* 1. SESS. VI. in quo *Concilium* TRIDENTINUM præcipit, ut Episcopus, vel Metropolitanus per annum absens intra tres menses Papæ denuncietur; hæc enim denunciatio non ideò facienda est, ut statim Episcopus absens deponatur, sed ut pro sua in absentia perseverantia quisque puniatur; quod patet ex his verbis: *Qui in absentes, prout major vel minor cujusque contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis autoritate animadvertere &c.* Quid enim major hæc vel minor contumacia, quàm major minorve in non residendo perseverantia.

Ex solutis hactenus locis, qui Regulæ adversari videbantur, nihil certi concludi potest, nec quoad tempus absentiæ requisitum, ut quis Beneficio privandus sit, nec quoad modum, quo quis post requisitum tempus illo privandus sit, nempè an sine monitione, an adhibita monitione, cum in iis visum sit alios post longius tempus, & nonnisi monitione præcedente privatos esse, *Cap.* 8. *De Cler. non Resid.* Alios post brevius tempus, & sine ulla monitione. *Cap.* 2. *eod. Tit.*

REGULA LXVIII.

Quod circa requisiti absentiæ, ut quis Beneficio privari possit, temporis indeterminationem dictum est, ad Monitiones ad eamdem rem necessarias extendendum non est.

Colligitur Regula è *Capite* 11. *De Cler. non Resid.* in quo fraudulenter absens tribus Edictis in Ecclesia sua citandus dicitur; quid enim hæ citationes, quàm monitiones, quæ ideò tribus Edictis publicis in Ecclesia absentis fiunt, quia alibi propter occultationis suæ fraudem citari nequit?

Non obstat *Cap.* 2. *De Cleric. non Resid.* in quo non residens Beneficio privatur absque prævia monitione; non enim requiritur, ut Textus quilibet de hac privatione mentionem faciens de monitione præmittenda loquatur; sive quia plerumque contingit, ut rei propositæ id non conveniat; sive quia quoties res generatim præcipitur, vel facta generatim narratur, modus quo facienda est, vel quo facta est, non exprimitur; sed subintelligitur facienda, vel facta juxtà communem & solitum modum.

Non obstat *Caput* 10. *eod. Tit.* in quo non residens congruo tempore expectatus deponendus dicitur.

Non obstant etiam *Capita* 8. 9. 17. aliaque similia, in quibus nulla fit monitionum mentio, vel de una tantùm; nam præterquàm quod recurrunt huc prædictæ solutiones, addere licet, ad servandam Regulæ veritatem sufficere, ut aliquis Juris Textus monitiones præceperit, illarumque numerum determinarit, at nequaquam requiri, ut utrumque in quolibet legatur.

Sunt qui dicunt *Caput* 11. *De Cler. non Resid.* ad casum de quo loquitur restringendum, nempè fraudulentæ occultationis; sed allucinari videntur, cum sese fraudulenter occultans non alia de causa ter citetur, quàm quia quilibet alius absens, sine justa causa, ter monendus est: eo autem modo citatur, ne gravioris culpæ reus potioris fiat conditionis, quàm minori culpa ligatus.

REGULA LXIX.

Privationem Beneficii contra non Residentiæ reum à Jure præceptam per sententiam ferendam esse, variis ex Juris Textibus colligitur, sed ex nullo certo concluditur.

Inter Textus per quos probari potest prior Regulæ Pars, præcipuus est *Caput* 2. *De Cler. non Resid.* in quo hujusmodi privatio per sententiam lata legitur à *Concilio* ROMANO sexaginta & septem Episcoporum; quæ autem in Jure facta referuntur & probantur, vim Legis habent; non enim alio fine referuntur, quàm ut juxtà illa in posterum judicetur.

Cæteri sunt quicumque docent depositionem ab homine, quæ à Jure præcipitur, per sententiam fieri; quàmplurimi autem sunt Textus hujusmodi, illosque videre est simul collectos in Tractatu *De Depositione, Titulo De Casibus*, in quibus à Jure depositio præcipitur. Editus est in Libro cui Titulus: *Usus Gallicani circa Censuras.*

Posterior Pars patet ex *Can.* 3. CAUS. VII. QUÆST. I. & ex *Cap.* 8. 9. *De Cler. non Resid.* in quibus non Residentiæ reus deponitur, nulla facta sententiæ mentione; in primo enim narratur, non residentis loco alium ordinatum fuisse; in aliis permittitur, ut si non Residentiæ reus intra certum tempus non redierit, alius eligatur; si autem his in casibus non lata sit in forma consueta privationis sententia, id fortè provenit, quod rei in se tulerant sententiam suâ contumaciâ, vel pro derelicta habuerant Ecclesiam suam, eique renunciarant; in similibus casibus, si occurrerent, sententia ferenda esset antè Collationem.

REGULA LXX.

Contra non Residentiæ reum præter Beneficii privationem aliæ sunt Juris pœnæ sententiæ ferendæ, hæ autem sunt.

I. Suspensio à communione per triennium. *Cap.* 29. CAUS. VII. QUÆST. I.

II. In Monasterium intrusio, si monitus non emendetur. *Ibid. Cap.* 20.

III.

III. Fructuum subtractio. *Cap. 6. De Off. Vicar.* Cap. 1. Sess. VI. *Cap. 12. Sess. XXIV. De Ref.*

REGULA LXX.

Prædictæ suspensionis à communione duplex est casus: Alter quo Clericus sine justa causa ab Ecclesia sua abest solemnibus Festis: Alter quo Presbyter, Diaconus, etiam sine justa causa à suis Ecclesiis per tres hebdomadas absunt. *Cap. 25.* Caus. VII. Quæst. I.

REGULA LXXI.

An illam pœnam monitio præcedere debeat non constat.

Patet Regula ex eo quod hinc à Jure non præcipitur hoc casu monitio; præterea agitur de censura tempore determinato duratura: Ad censuram autem hujusmodi monitio non necessaria videtur, nisi sine contumacia, pro culpæ qualitate, durior fit, illinc verò dici solet censuras non ferri, nisi in contumaces.

REGULA LXXII.

Prædicta suspensio jam diu abrogata est, attamen aliàs viguisse scitu non inutilis res est.

Prior Pars patet tùm ex eo quod excommunicatio ad tempus determinatum jamdiù exolevit, nisi id genus excommunicationis erga Clericos idem sit ac hodierna suspensio, quod verisimile non est, cùm excommunicatio ad tempus determinatum Clericis communis esset & Laicis, iisdem in utrosque verbis feratur. *Cap. unic.* Caus. XXXI. Quæst. III. Tùm ex eo quod executionis hujus pœnæ in non Residentiæ reos, vel illius innovationis nulla extet memoria.

Posterior Pars colligitur ex eo quod pœnæ gravitas quantùm habitum sit non Residentiæ crimen, clarò indicet, hoc autem scire referat.

Priori Parti non obstat *Cap. 1.* Sess. XXIII. *§. Eadem*. juxtà quod Episcopo licet per censuras non residentem coërcere, nam de usitatis loquitur, non de exoletis.

REGULA LXXIII.

Unicus in Jure Textus circa intrusionem in Monasterium propter obstinatam non residendi culpam, soliusque Episcopi meminit; sed à majori ad omnes ejusdem culpæ reos extendi potest: Hic autem Textus est *Canon 20.* Caus. VII. Quæst. I. *suprà citatus*.

REGULA LXXIV.

Prædictam intrusionem inter Juris remedia, quibus non residentem compellere potest Episcopus, juxtà *Caput 1.* Sess. XXIII. *De Ref. §. Eadem.*, comprehendere fas est.

Circa memoratæ intrusionis pœnam nota: I. Illam aliàs maximè viguisse, atque unicum publicæ Pœnitentiæ genus fuisse, cui Clerici subderentur, aut saltem præcipuum.

II. Pœnitentiam publicam qualemcumque Dignitati Clericali multùm detrahere, ideoque nonnisi ob gravissimas culpas illi subjici Clericos debuisse; idcircò cùm inter Clericos primum locum habeat Episcopus, & Episcopus obstinatè non residens in Monasterium includatur, ut contumacem Episcopi absentiam pro maxima culpa habuerit citatus Canon oportet.

III. Hujus Canonis Autorem S. Gregor. Magni nomine ab aliis distinctum, de peccatorum gravitate, tùm ob peritiam, tùm ob prudentiam, sanissimum, Judicem fuisse.

REGULA LXXV.

Inter fructuum subtractionis casus, alii sunt sententiæ ferendæ, alii sententiæ latæ.

REGULA LXXVI.

Prioris generis sunt.

I. Si Vicarius perpetuus residere nolit in Ecclesia in qua Vicariam habet, ad Residentiam per proventuum subtractionem compellendus est. *Cap. 6. De Offi. Vicar.*

II. Idem dicendum de Parocho, qui per Edictum citatus, etiam personaliter, abesse perseverat. *Cap. 1.* Sess. XXIII. *§. Eadem.*

III. Si Canonicus, cui ex Consuetudine absentia trimestris permittitur, ultra tres menses sine justa causa à Superiore probata volens abfuerit, primo anno dimidia fructuum, quos residendo lucratus est, parte privandus est; quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, omnibus fructibus eodem anno, quos residendo lucratus fuerit, privari debet. *Cap. 12.* Sess. XXIV. *§. Alioquin.*

Etsi non alii ferendæ sententiæ casus in Jure, *Conciliove* Tridentino exprimantur quam mox relati, hinc non sequitur in aliis similibus pari pœna uti non licere; relati exempla tantummodo: quæ in illis præscribuntur, indicant quid in aliis faciendum.

Ex Tertio Primus & Secundus explicandus est, eaque propter Vicarius vel Parochus non residentes, fructibus, quos residendo lucrati sunt, privari debent, non iis tantùm quos ex non Residentia lucrari neglexerunt: Etsi in utroque strictior residendi obligatio, non omnibus statim fructibus privandi sunt, sed parte majori vel minori pro culpæ qualitate: ut in Canonico sic in Parocho secunda culpa severiùs punienda quàm prima.

REGULA LXXVII.

Fructuum subtractionis casus, qui est latæ sententiæ, duplex est. Alter, quo Episcopus ultra sex continuos menses absens, sine ulla legitima causa, quartæ partis fructuum unius anni pœnam eo ipso incurrit. *Cap. 1.* Sess. VI. *De Ref.* Alter, quo idem Episcopus abesse perseverans quartam aliam eo ipso amittit. *Ibidem.*

Utroque autem casu amissa fructuum Pars Fabricæ vel pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicanda est. *Ibidem.* Superior his in casibus est Metropolitanus, vel antiquior Provinciæ Episcopus, si de Episcopo agatur; si Metropolitanus reus est, & Primati vel Patriarchæ subsit, Superior tunc Primas vel Patriarcha; si verò immediatè subjiciatur Summo Pontifici, Superior tunc est ipse Papa.

Quod de applicatione fructuum ipso facto ob non Residentiam amissorum dictum est, ad fructus per sententiam eadem de causa perdendos extendendum est, eoque casu pro Judicis arbitrio huic vel illi causæ piæ applicatio est facienda.

REGULA LXXVIII.

Fructuum subtractio, quæ illos fructus tantùm respicit, quos non residens suos non facit, pœna non est, sed coacta debiti solutio. Hujusmodi autem sunt, qui impenso pro Beneficio labori deberentur, ideoque ei indebiti, qui hunc non impendit laborem; adeò clara & certa est Regula ut probatione non egeat: Hinc *Concil.* Trident. *Cap. 1.* Sess. XXIII. prohibet ne ab illa restitutione quis eximatur, facta compositione pro fructibus malè perceptis, quibuscumque aliàs debeantur.

REGULA LXXIX.

Fructuum subtractio, quos non residens aliàs residendo vel alio modo suos fecit, verè propriè pœna est, eaque realis est, utpote in rei ad punitum pertinentis privatione consistens.

REGULA LXXX.

Fructuum substractio quæ pœna non est, mera Juris Naturalis executio est; substractio verò pœnæ Positivi Juris additio est eidem Juri Naturali facta.

REGULA LXXXI.

Fructuum substractionem qui indistinctè præcipiunt Textus, de utraque intelligendi videntur.

REGULÆ RATIO: Substractio, pœna ab alia sejuncta, pœna non est, cùm substractioni huic subjectus de alieno solvat, non de suo. Hinc qui substractionem pœnam distinctè præcipiunt Textus, etsi de alia taceant, illam quoque præcipere præsumendi sunt.

REGULA LXXXII.

Substractio non pœna ab alia in eo etiam differre videtur, quod in foro conscientiæ prioris reus ipse executor esse debeat, nulla interveniente sententia; posterioris verò non item.

Prior Regulæ Pars colligitur ex *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Ref.* in quo *Concilium* TRIDENT. de Episcopis non Residentibus dicit non facere fructus suos, nec tuta conscientia, etiam nulla alia declaratione secuta, sibi detinere posse, atque ad Parochos, quod de Episcopis dixit, posteà extendit.

Posterior Regulæ Pars infertur ex eo quod Juris Positivi pœnæ effectu non gaudent suo, nisi post Judicis sententiam, quæ vel pœnam incursam declarat, si latæ sententiæ pœna sit, vel in executionem Juris hoc vel illo modo hanc illamve pœnam irrogari præcipientis, præceptam pœnam infligit, si ferendæ sententiæ sit.

Non obstat Priori Parti quod de Beneficiis, quæ Jure Divino Residentiam exigunt, *Concilium* TRID. dumtaxat loquatur; in hoc enim quod non residentes fructus non faciunt suos, pejoris conditionis non sunt Beneficiorum Jure tantùm humano Residentiam exigentium Possessores, quàm qui alterius generis Beneficia habent, cùm de Canonicis non Residentibus *Concilium idem* fructus non lucrari insinuet. *Cap.* 12. SESS. XXIV. *§. Alioquin.* Canonicatus verò Jure Humano tantùm ad Residentiam obliget. Idem infertur ex *Cap. unic. De Cler. non Resid. in 6.* nam quod dicit de percipientibus distributiones sibi indebitas, illos scilicet illarum dominium non acquirere, extenditur ad perceptores fructuum sibi indebitorum ob neglectam Residentiam.

Nec etiam obstat eidem Parti verbum, *statuit*, quo *Concilium* utitur dicens: *Se statuere Episcopum non residentem pro rata temporis non facere &c.*

Nec enim hinc certò inferre licet à *Concilio* Jus Novum condi, cùm *statuere* hoc in casu pro *declarare* à *Concilio* usurpari potuerit; præterea etsi Legem novam *Concil.* hîc ederet, Lex ista aliud non esset quàm clarior Juris Naturalis explicatio quoad illa quæ impenso alibi pro Beneficio labori non debentur; quoad alia verò Juris Positivi additio, eamque propter additionem *statuere* verbo *Concilium* uti potuit & debuit. Verùm ut Lectori distinctio hæc probari possit, advertat Beneficiis quædam inesse onera, quibus extra Residentiæ locum fieri satis potest, atque onera illa implenti mercedem labori congruam deberi: Hinc sequi Positivi Juris aliquid inesse in eo quod non residens nullos fructus faciat suos, eaque de causa in *Concilii* TRIDENT. Decreto Positivum Jus Naturali Juri commistum esse. Naturale Jus in hoc situm, ut debiti fructus propter onera, quæ non residens vel non implet, vel si impleat, ut par est, non facit, ab eo non percipiantur. Positivum verò Jus in hoc positum, quod propter impleta alibi onera sibi debetur, in culpæ suæ pœnam amittat.

SECTIO X.

De Controversis circa Residentiam.

QUÆSTIO I.

Quæritur I. An extra casus sibi nominatim permissos à residendo dispensare valeant Episcopi?

Quærendi Causa: Jure Communi præcipitur Residentia; præcipitur à *Conciliis* Generalibus; præcipitur à Summis Pontificibus; in his autem omnibus utpote suprà Episcopum existentibus, nihil aliud potest quàm quod sibi expressè permittitur: Sunt præterea Canones, qui docere videntur à residendo Dispensationem Papæ reservari.

Nihilominus contrariam sententiam præferendam existimamus, his ducti rationum momentis: I. Dum *De Dispensationibus* in Tractatu *De Jurisdictione Ecclesiastica*, vel *De Vicario Generali* agebamus, ostendimus Dispensationes expressè Episcopo non prohibitas ab ipso concedi posse, iis exceptis, quæ Majores Causas spectant, quæque sicut istæ Papæ reservatæ sunt, illi quoque reservari debent; II. Quotquot Canones, quibus Episcopum à residendo dispensare posse constat, hanc in illo supponunt potestatem, non illam illi conferunt.

Non obstat *Caput* 34. *De Elect. in 6.* in quo BONIFACIUS VIII. expressè permittit Episcopo, ut dispenset cum Parocho studiorum causa per septem annos; nam Dispensatio quam Episcopo permittit, cadit suprà non promotionem ad Sacerdotium, ideoque ad Residentiam non pertinet.

Non obstat *Caput* 5. *De Magistris*, nec *Caput* 1. SESS. V. *De Ref.* quibus permittitur, ut cum docentibus & cum studentibus à residendo dispensetur; his enim in locis non permittitur Episcopo, ut dispenset, sed præcipitur, vel potiùs Jus ipsum dispensat, solaque Dispensationis executio Episcopo committitur.

ALEXANDER III. in *Concilio* LATERAN. *ann.* 1179. Cap. 3. *De Cler. non Resid.* ne Ecclesia vel Ecclesiasticum Ministerium aliis quàm iis, qui residere possint & velint, conferantur, prohibet; Idem tamen *Cap.* 4. *Eodem Titulo* agnoscit, de licentia Prælatorum justa causa concessa, ab Ecclesia sua quem abesse posse, etsi circa prædictum *Concilii* LATERANENSIS Decretum Episcopo dispensandi facultatem expressè non concesserit, nec illo Decreto, nec alibi.

Postea INNOCENTIUS III. *Cap.* 10. *Eod. Tit. anno* 1214. eamdem quoque potestatem in Episcopo agnoscit, dum decidit: *Absentem sine justa causa & sine Episcopi sui licentia, post certum tempus Beneficio suo privandum:* Hinc enim insinuat contrarium dicendum de absente cum licentia prædicta.

GREGORIUS IX. *anno* 1230. *Cap.* 16. *Eod. Tit.* Episcopo cum Canonicis & Assisiis dispensare licuisse testatur, dum propter Ecclesiæ necessitatem concessas à Prædecessoribus istius licentias Patriarchæ ANTIOCHENO revocare præcipit.

Nec obstat quod is, cui scribit, Patriarcha sit, quia nullibi legitur in hoc Patriarcham plus potuisse quàm simplex Episcopus posset.

Nec obstat quod Patriarcha iste Sedis Apostolicæ Legatus fuerit, quia de Prædecessoribus illius fuisse itidem Legatos non constat; præterea ibidem distinguit Papa Dispensationes à Prædecessoribus Patriarchæ concessas ab Apostolicis Dispensationibus, quod non fecisset si à Legatis suis, ut Legatis, concessæ fuissent.

Idem GREGOR. *Cap.* 17. *Eod Tit.* supponit etiam in Episcopi potestate esse, ut à residendo dispenset, cùm inter non residentes eos solos puniat, qui sine Episcopi licentia absunt.

Inter relatos Canones, qui in Episcopo supponunt à residendo dispensandi potestatem, nullus est qui illam ad determinatos casus restringat.

Sunt

Sunt nonnulli, qui dicentes Episcopum posse dispensare à Residentia, utuntur verbo permissivo *possit*: Talis est *Cap.* 14. *De Elect. in* 6. ubi Gregorius X. in *Concilio* Lugdunensi II. *ann.* 1275. hæc ea de re habet: *Super Residentia verò, ut præmittitur facienda, possit Ordinarius gratiam Dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis exposcit*; sed is Textus, aliive similes intelligi possunt de modo dispensandi, nempè ad tempus, & causa Dispensationis, scilicet necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, quæ solæ sint legitimæ Dispensationum causæ, declarantque his in circumstantiis Episcopo licere dispensare.

Quæstio II.

Quæritur II. An Capitulum propria autoritate aliquod ex membris suis à residendo dispensare valeat?

Dubium nascitur ex eo, quod Honorius III. *Cap.* 5. *De Magistris.* Capitulis præcipit, ut studiorum causa Canonicorum suorum aliquos à residendo dispensent. *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* Statutum à Capitulo Maldensi factum à residendo nonnullos eximens commemorat.

Nihilominus verosimillimum est Capitulum propria autoritate concedere non valere hujusmodi Dispensationem, nisi Jurisdictionem habeat, quasi Episcopalem.

Hujus rei Causa: Canonicis Jure Communi præcipitur Residentia; Jus autem Commune à Capitulis non conditur, nec in illo constituendo votum suum habent; undè eùm ejus sit solvere, cujus est ligare, & per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvatur, consequens est, ut Capitula à vinculo residendi, quod nullo modo formarunt, liberare nequeant.

Nec obstat *Cap.* 5. *De Magistris.* hic enim de sola Dispensationis à Jure concessæ executione agitur.

Nec etiam obstat *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* Etsi enim Episcopi autoritatem in illo constituendo Statuto intervenisse non legatur, id tamen ita sese habuisse credendum est: quod si Episcopi autoritas defuerit, illius defectum supplevit Papæ confirmatio.

Quæstio III.

Quæritur III. An Collegiatæ Ecclesiæ Canonici in Episcopi Comitatu commorantes Prabendarum suarum fructus percipiant?

Dubitandi Ratio: Nullus Juris Textus Canonicis hujusmodi id Privilegii tribuit; qui enim de illo loquuntur, vel de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis expressam mentionem faciunt, *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* Vel de illis intelligendi sunt, quia eos, de quibus loquuntur, sine ullo additamento Canonicos nuncupant, quod maximè convenit Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, qui præcipui sunt inter Canonicos. Nihilominus certum videtur Collegiatæ Ecclesiæ Canonicos eodem, quo Canonici Cathedralis Ecclesiæ Privilegio gaudere, si in Episcopi servitio commorentur; nam I. De Privilegio in honorem Ecclesiæ Cathedralis concesso non agitur, sed de Privilegio in Ecclesiæ utilitatem dato: II. Expressa in Jure hujus Privilegii causa, tàm Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ convenit, quàm aliis, hæc enim est: *Præsentes non absentes dici debere, cùm Episcopo, pro Episcopi ipsiusque Ecclesiæ servitio, commorantes.* Cap. 15. *De Cler. non Resid.* III. Inter Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ interdum reperire est, qui Diœcesi utiliores esse queant, si eum Episcopo commorentur, quàm quivis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus: IV. Bonifacius VIII. Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ Canonicis Ecclesiæ Cathedralis æquiparat, quoad distributionum perceptionem, quoties justa causa non patitur ut Divinis adsint. *Cap.* 1. *De Cler. non Resid. in* 6. Jure ergo æquiparantur in prædicto Privilegio.

Oppositis rationibus uno verbo respondere est, 1. Textus, qui expressè loquuntur de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis id facere, quia de iis agebatur in casu, de quo Papa interrogatus fuerat: 2. Alios, qui de Canonicis indistinctè loquuntur, indistinctè intelligendos, quia res quæ agitatur favorabilis est.

Quæstio IV.

Quæritur IV. An Sede vacante à residendo valeat dispensare Capitulum Ecclesiæ Cathedralis?

Dubitandi Ratio: Eo casu necessariæ tantùm Jurisdictioni succedere videtur Capitulum; hujusmodi autem Dispensatio ad Jurisdictionem Voluntariam, cùm sit gratia, non ad Jurisdictionem Necessariam, ea quæ sunt Justitiæ respicientem, pertinere.

Nihilominùs verosimile est, Sede vacante, à residendo dispensare posse Capitulum; nam I. Toti Episcopi Jurisdictioni succedit, excepta libera Beneficiorum Collatione; II Etsi à residendo Dispensatio gratia semper sit eo sensu, quod illam concedere nemo compelli possit, quandoque tamen adeò necessaria est, ut tamquam debita haberi possit, ac consequenter justitiæ rem esse, undè eo saltem casu ad Capitulum, Sede vacante, pertinere posset: Hic autem Casus pluries contingere potest, Sede vacante, ut Sede plena, occurrentibus negotiis urgentibus Parocho, aliive simili, quæ illum abesse cogant.

Quæstio V.

Quæritur V. An non residendi licentia idem sit, ac à residendo Dispensatio?

Ridicula videtur hæc Quæstio, sed non inutilis: Sunt Autores magni nominis, qui licentiam non residendi ab indulgentia à non residendo distinguant; eaque in re distinctionem ponant, quod licentia justam causam exigat & supponat, indulgentia verò non; finxerant autem hanc distinctionem hi Autores, qui solum Papam à residendo dispensare posse existimantes & plures Juris Textus legentes, quibus Beneficiorum Possessores cum Prælatorum suorum licentia abesse posse dicuntur, istos cum opinione sua conciliare aliter non valebant.

Non frustrà ergo quæritur *An licentia ab indulgentia differat?* Cui Quæstioni nihil aliud respondendum habemus, nisi errorem secum alium errorem trahere, sicut peccatum aliud secùm trahit peccatum: Error est solum Papam à residendo dispensare posse; error quoque & maximus, Papam sine causa dispensare posse; error denique, indulgentiam concessam sine causa per Dispensationem significari. De primo diximus suprà, dum *De Dispensatione à Residentia* egimus. De secundo fusè admodum in Tractatu *De Jurisdictione Ecclesiastica*. *De Vicario Generali*, Titulo *De Dispensationibus.* De tertio nihil est, quod dicamus, nisi quod Indulgentia, Privilegium, Dispensatio sint sinonima, atque aliud nihil significarent nisi gratiam, quæ justa est, si eum causa justa; quæ injusta, si sine justa causa.

Quæstio VI.

Quæritur VI. An Consuetudo, quâ Parochi per Vicarios Parochias suas regunt, probanda sit?

Dubitandi Ratio: Parochis Residentia (ut dictum est) à Deo præcepta videtur, quia præcipua quæ ipsis

ipsis credidit munia, à non residente ritè obiri nequeunt. Contrà verò quamplurimi sunt Parochi quibus à Jure indultum est, ut per Vicarios Parochias suas gubernent; nam I. Parochiæ omnes Præbendis annexæ Parochos hujusmodi habent; tales autem Parochiæ benè multæ sunt. II. Parochiarum in Beneficia simplicia sine unione, sed sola Vicariæ perpetuæ erectione conversarum Rectores, per Vicarios Parochias regunt suas: hujus autem generis paucæ non sunt. III. Si placeat Episcopo, potest Parochus studiorum causa per septem annos à Parochia sua abesse, & per totum illud septennium per Vicarium Parochiam suam administrare; Episcopus autem quilibet pluribus Parochis id permittere potest.

Quæ cùm ita sint, consuetudine introduci posse oportet ut per Vicarios Parochias suas regere Parochis liceat, aut in perpetuum, aut saltem ad longum tempus; quod enim Jus scriptum potest, id quoque Consuetudo potest.

Ad Quæstionis solutionem nota, indulgentiam à Jure concessam, qua quibusdam casibus Parocho licet per Vicarium Parochiam suam gubernare, legitimam esse, quando duo concurrunt, nempè justa causa cum legitima autoritate; alterutro defficiente, Divino Juri contrariam videri; de Consuetudine verò, ac de Jure circa eamdem indulgentiam idem dicendum esse: Hinc fieri posse, ut Consuetudo prædictam indulgentiam inducens, quandoque valeat, quandoque non valeat; valeat, si Prælato non reclamante, & justa exigente causa stabiliatur; nonvaleat si Prælatus reclamet, vel justa desit causa. Prælatum cujus consensus hic desideratur eum esse cujus est à Residentia dispensare; justam causam non aliam agnosci, quàm quæ ad legitimam Dispensationem requiritur, ac de qua actum est dum *De Dispensationibus*. Prædicta Consuetudo, quæ erigeret Vicariam perpetuam in Beneficio Curato, in Gallia non toleraretur, quia constare debet de utilitate hujus erectionis, hoc autem ritè fieri non potest sine inquisitione de commodo & incommodo debitè facta, vocatis vocandis, & auditis quorum interest, nec ab illa eximit qualiscumque facti notorietas.

Quod de Parocho quæsitum est, de Canonicis quoque quæri potest, quibus ut & Parocho per seipsos & non per substitutos Officia obire præcipitur: Circa quam Quæstionem dicendum, quod etsi Jure tantùm Ecclesiastico ad Residentiam obligentur Canonici, ipsorum obligationi contraria Consuetudo valere nequit, nisi justa subsit causa, & legitima autoritas interveniat; tolli enim Lex Ecclesiastica non potest, nisi concurrente Ecclesiæ vel necessitate vel utilitate, & Legislatoris consensu; magnum tamen discrimen inter utrumque casum, quoad causam, nam major causa requiritur in priori quàm in posteriori, cùm Residentia Parochi sit de Jure Divino; Canonici verò de Jure purè Ecclesiastico; quoad cætera convenire videntur, etiamsi sit perpetua Dispensatio, dummodo Parochia & Canonicatus non sint immediatè subdita Papæ, cùm agatur tunc de unione Beneficiorum Episcopatui inferiorum & Episcopo subjectorum. *Cap. 8. De Excessib. Prælat.* Quo casu unio non est propriè Dispensatio à Residentia, sed separatio muniorum Parochi vel Canonici ab ipso reditu, cujus major pars in Beneficium, cui unio fit Vicaria perpetua, erigatur, ut fit in unione Parochiæ alteri Beneficio; vel totus transmittitur, quando Vicaria non erigitur, ut fit plurimùm in unione Canonicatus alteri Beneficio.

QUÆSTIO VII.

Quæritur VII. An Jure DECRETALIUM *non Residentiæ rei omnibus Beneficiorum suorum fructibus priventur?*

Sentiendi Ratio: Qui à Residentia eximunt Canones, volunt ut exempti omnes Beneficiorum suorum fructus percipiant, his exceptis, quæ iis, qui Divinis adsunt Officiis, reservantur: Hi autem exempti illis opponuntur, qui sine Dispensatione absunt; carere ergo debent isti omnibus Beneficiorum fructibus. *Cap. 7. 14. 15. De Cler. non Resid.* Cap. 32. *De Præb.* Cap. 5. *De Magistris.* Cap. 1. *De Rescrip.* Cap. 30. *De Elect. in 6.* E contra prædicti Canones ut integri Beneficiorum fructus à Residentia exemptis darentur, præcipere potuerunt ob aliam causam, nempè quia absentes sine Dispensatione aliquam fructuum partem amittebant; undè ut inter illos & exemptos à residendo justum interesset discrimen, præcipiendum erat, ne exempti aliquid perderent ex his, quæ præsentes lucrabantur.

Quæstionis solutio ex alia pendet, nempè num aliquod Beneficii munus tunc annexum esset, quod absentes obire possent? Circà quam dicendum videtur, ex quo quotidianæ Distributiones institutæ fuerunt, ab iis qui Divinis Officiis assisterent, dumtaxat percipiendæ, oportuisse ut alia Beneficiis munia annexa essent quàm Divina Officia celebrandi munus, quæ obeuntes alios Beneficiorum fructus lucrarentur; si autem talia fuerunt munia, probabile non esse ex his nullum fuisse, quod extra Beneficii locum obiri non posset, præsertim cùm ea ipso Juris Corpore colligatur, jam VI. vel IX. saltem sæculo privatum Officium in usu fuisse, cujus rei fidem facit *Cap. 1. De Celebrat. Missarum*, quod apud GREGORIUM *è Concilio* AGATHENSI *ann.* 506. celebrato desumitur; apud GRATIANUM verò *Cap.* 2. DIST. XCI. *è Concilio* NANNETENSI *ann.* 890. celebrato. Si autem Beneficiis munus hujusmodi quod alibi quàm loco Residentiæ obiri posset, annectebatur, non Residentiæ rei fructus omnes perdere non debebant, nisi illos privandos iis, quæ lucrabantur, in culpæ suæ pœnam diceretur: Odiosæ cùm sint pœnæ ad id quod distinctè expressum est restringendæ, tale autem nihil in Jure distinctè exprimitur. Sed de his alio loco fusiùs, nempè dùm *De Divinis Officiis*, necnon dùm *De Usibus*, quibus insumendi sunt Beneficiarii reditus.

QUÆSTIO VIII.

Quæritur VIII. An fructuum privatio qua plectitur non Residentiæ reus, ipso facto incurratur?

Circa propositam Quæstionem sunt quædam certa. Certum I. juxtà *Concilium* TRIDENTINUM prædictam pœnam quibusdam in casibus ipso facto incurri. *Cap.* 1. SESS. VI. Cap. 1. SESS. XXV. Cap. 11. SESS. XXIV.

Certum est II. apud GRATIANUM hujus pœnæ mentionem non fieri.

Certum est III. nullum Juris Textum præcipere ut Residentiæ reus moneatur, priusquam Beneficiorum fructibus privetur.

Certum est IV. in toto Juris Corpore nullum legi Textum, qui de non Residentiæ reis expresè dicat Beneficiorum fructibus eo ipso privari, præter *Cap.* 30. *De Præb.* quod tàm de residentibus quàm de non residentibus Parochis explicari potest; privat enim ipso facto, qui per seipsos deservire nolunt in Ordine, quem Ecclesiæ ipsius cura requirit, quod Residentibus æquè convenit ac non Residentibus.

Hinc

Hinc incertum an extra *Concilium* Taioentinum prædicta pœna sit sententiæ latæ: Nec dici potest, quod verosimilius sit apud Gragorium IX. latæ sententiæ esse, idque colligi ex eo quod inter pœnas à Jure præscriptas, nulla sit quæ non sit vel latæ vel ferendæ sententiæ, quodque privatio fructuum apud Gregorium ferendæ sententiæ esse nequeat, cùm circa eamdem materiam, volens Beneficii privationem ferendæ sententiæ esse, non Residentiæ reum priusquam Beneficio privetur, pluries moneri præcipiat, nihil autem simile præcipiat circa fructuum privationem: Hoc, *inquam*, frustra dicitur, cùm nullus Textus præfiniat tempus intra quod residere quis debeat sub pœna privationis fructuum, quod necessarium videtur, ut quis possit illam pœnam ipso facto incurrere; unde *Concilium* Tridentinum volens, ut substractio fructuum quam præcipiebar contra non residentes, incurri posset ipso facto, tempus præfixit intrà quod ad Ecclesias suas redire tenerentur.

Non obstat *Cap. 30. De Præb.* in quo *Concilium* Lateranense sub Innocentio III. celebratum, Parochum non residentem Beneficio suo privatum declarat, nulla adhibita monitione; hic enim Textus ad rem non facit, cùm proximè respiciat tantùm Parochos illos, qui ad Ordinem requisitum non promoti, & per alios servientes, Parochiarum reditus percipere volebant; ideoque ob solam non Residentiam fructibus privari non sunt ipso facto.

Hujus explicationis Ratio: Ad promotionem prædictam extabat aliquod à jure determinatum tempus, *Cap. 7. De Elect.* unde eo lapso non promoti se privatos nosse poterant absque ulla monitione, sententiave: nullum autem erat præfinitum tempus intra quod residere tenerentur; unde non residentes, quando se privatos Beneficio habere deberent, nosse non poterant, ideoque monitione opus erat ante privationem Beneficii ob non Residentiam; quæ ratio ad fructuum privationem sese extendit.

Quæstio IX.

Quæritur IX. An ut, verbi gratia, *Canonicus propter Ecclesiæ utilitatem absens, quotidianas distributiones percipere possit, utilior esse debeat quàm ut Præbendæ suæ fructus lucretur?*

Certum est Canonicum, qui absens Ecclesiæ suæ non minùs utilis est quàm si præsens esset, lucrari Præbendæ suæ fructus. *Cap. 14. De Cler. non Resid.*

Certum est etiam evidentem Ecclesiæ utilitatem Canonicum excusare ab assistendo Divinis Officiis, justamque ipsi esse causam percipiendi distributiones horarum, quibus non adest. *Cap. 1. De Cler. non Resid. in 6.*

Utriusque Constitutionis Ratio: Qui Reipublicæ causa abest, præsens habetur; absens ergo propter Ecclesiæ utilitatem illi præsens censendus est. *Cap. 15. De Cler. non Resid.* cùm Reipublicæ Sacræ causa absit.

Certum est quoque, quò Canonicus absens Ecclesiæ utilior est, eò majori dignum gratia, eum autem cui absenti, & Præbendæ fructus & quotidianæ distributiones dantur, duplici donari Beneficio; posterius verò alio longè majus videri, cum nonnullis, quibus prius conceditur, posterius denegetur, ut videre est in studentibus & docentibus Sacram Theologiam.

Certum est denique, non distinguere Canonem inter utilitatem, quæ Ecclesiæ obventura est, ex absentia Canonici, ut Distributiones percipiat, & illam quæ eidem contingere debet, ut fructus grossos lucretur.

His suppositis, hinc videtur utilitatem, quæ ad percipiendos fructus sufficit, sufficere etiam ad lucrandas distributiones, illic verò contrarium colligitur.

Quid sentiendum dubitatur; sed dubium facilè resolvitur, non enim necessarium est ut Canon inter utilitatem priori casu requisitam, & illam, quæ posteriori exigitur, distinguat; sed sufficit rei naturam postulare, ut inter utramque distinguatur; ex his autem, quæ ut certa supposita sunt, manifestum est in Quæstione proposita, natura rei considerata, prædictam distinctionem nonnisi injustè rejici posse, cùm plus exigatur ab eo, qui plus accipit.

Quæstio X.

Quæritur X. An Indultum de non residendo per quinquennium studiorum causa à Jure concessum solos Canonicos respiciat?

Dubitandi Ratio: Cap. 5. *De Magistris.* Cap. 1. Sess. V. *De Ref.* quæ Indulti hujus meminerunt, se de Canonicis loqui insinuant, dum Beneficia quorum fructus ea de causa absentibus tribuunt, Præbendas nuncupent; præterea *Cap. 5. De Magistris* tale Indultum non concedit, nisi ut docti Theologi pro Metropolitanis Ecclesiis reperiri queant, isti autem è Canonicis desumendi erant; adde quod solis Capitulis committi videatur hujus Indulti executio, cùm per Ecclesiarum Prælatos, qui Capitulis junguntur, illorum Capita intelligi possint: Quod de *Cap. 5. De Magistris* mox dictum est, idem ferè dici potest de *Cap. 1.* Sess. V. *De Ref.* cùm utriusque idem finis & eædem penè locutiones.

Nihilominus ex iisdem locis colligi potest ad alios quàm ad Canonicos extendendum esse prædictum Indultum: nam I. Iis quibus datur, conceditur, nedum ut Præbendarum, sed & ut Beneficiorum fructus percipiant, undè si Præbendæ nomen ad Canonicos restringit Indultum, ad omnes Beneficiorum Possessores Beneficii vocabulum extendit. II. *Præbendæ* nomine Beneficia quæcumque à Dignitatibus distincta intelliguntur, ut patet ex *Titulo De Præb. & Dignit.* in quo non solùm de Canonicatibus, sed etiam de quibusvis Beneficiis simplicibus tractatur, sicut & de Dignitatibus, tàm non Capitularibus, quàm Capitularibus. III. Indulti memorati præcipuus nunc finis est, ut floreat studium Theologicum, ac Literatos Viros, quibus maximè indiget, Ecclesia habeat. IV. Etsi concessum esset Indultum ut Metropolitanæ Ecclesiæ idoneos habere possent Theologos, non ideò esset restringendum ad Canonicos, cùm falsum sit è solis Canonicis Theologos desumendos esse, cùm eligi possint ex aliis Beneficiatis ad Residentiam obligatis, quales sunt Capellaniarum Sacerdotalium, vel Semipræbendarum Possessores, qua de causa Parochis olim septennium ad studium dabatur. *Cap. 34. De Elect. in 6.* demùm contingere potest ut inter non Canonicos, sint nonnulli ad studium aptiores quàm inter Canonicos.

Quæstio XI.

Quæritur XI. An Capellanus ad Residentiam ex fundatione obligatus, ex causa à Jure probata à residendo eximi possit, Patrono Laico inconsulto?

Dubitandi Ratio: Concessum à Jure Indultum indistinctè loquitur, ideoque tàm de Beneficiis Patronatis intelligendum quàm de aliis; præterea inter Canonicatus, de quibus nominatim meminit pluribus in locis prædictum Indultum, sunt nonnulli Collationis vel Præsentationis Laicæ, isti autem ab aliis nullibi distinguuntur.

Atta-

Attamen tanto digni sint favore Patroni Laïci, ut si vellent, ne præsentati à se per aliquot annos à residendo eximerentur, impedire possent.

Hujus Ratio: A Lege fundationis, inaudito Patrono, dispensare non licet.

Nec obstat quod Beneficiorum Institutiones ad Ecclesiæ utilitatem fiant, quodque ideò cùm Ecclesiæ utilitas postulat, ut aliquis à residendo eximatur, is Dispensationem obtinere debeat, sive Patronus consentiat, sive dissentiat. Nam si alicujus Ecclesiæ commodum exigit, ut hæc Dispensatio concedatur, dissentiente Patrono, ad magis Ecclesiæ universalis utilitatem pertinet, ne à fundationum Lege etiam ad tempus dispensetur, illo invito cujus interest.

QUÆSTIO XII.

Quæritur XII. An per trimestrem absentiam sibi concessam Canonici distributiones lucrentur?

Quærendi Causa: Eodem loco in quo *Concilium* TRIDENTINUM Cap. 12. Sess. XXIV. prædictam Canonicis concedit Indulgentiam, indistinctè præcipit, ut ii tantùm distributiones recipiant, qui statis Horis interfuerint; præterea innovat BONIFACII VIII. Constitutionem *Capite unic. De Cler. non Resid.* relatam, quæ distributiones denegat quibuscumque à Divinis absentibus, nisi illos excuset vel infirmitas, vel corporalis necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas, quæ excusationes locum non habent in proposito casu; ad hæc qui Studiorum causa absunt, distributiones non lucrantur, etsi justior sit hæc non residendi causa quàm quæ prædicto trimestri à residendo Canonicos excusat.

E contrà verò ex ipso *Concilio* colligi videtur, casu proposito distributiones Canonicos lucrari; eodem enim loco *Concilium* insinuat ab illis Canonicis per illud tempus servitium non exigi; undè sequitur illos nihil amittere debere; verba autem *Concilii* quæ huc faciunt, hæc sunt: Postquam Canonicis prædictum Indultum concessit, addit clausulam istam: *Salvis Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt*; quibus verbis *Concilium* detegit causam propter quam trimestri absesse Canonicis permiserit, uempè abusum, quo quibusdam diebus præsens omnes fructus lucrabatur, tollendi studium; hunc autem abusum corrigit novem mensium servitium exigens ab his Canonicis, qui ad minus tenebantur.

Quoad rationes adversas responderi posse ducitur: I. *Concilii* prohibitionem, *ne aliis quàm qui Divinis adsunt, distributiones concedantur*, restringendam ad tempus quo Canonici servire tenentur: II. BONIFACII Constitutionem factam contra abusum, quo residentes distributiones percipiebant, etsi Divinis non adessent, ejusque finem alium non esse quàm ut qui servire tenentur, Divinis adsint: III. Insudentibus serviendi obligationem remanere, undè quantum possunt, servire tenentur, sed per prædictum trimestre nulla est serviendi obligatio.

Verùm, re accuratiùs pensata, priores rationes prævalere posterioribus sentimus; idque petitur ex eo quod citatus TRIDENTINI *Concilii* locus, qui ex istis potior validiorque est ratio, malè explicatur, cùm de servitio loquatur necessario ad lucrandos fructus, non autem de servitio requisito ad percipiendas distributiones, quæ, ut ostensum est dum de illis actum, non debentur, nisi iis, qui adsunt Divinis, vel legitimè impediuntur ne adsint, quales dici nequeunt qui recreationis causa absunt: Hinc FAGNANUS, hanc sententiam tamquam certam ac indubitatam supponens, docet Cannicum absentem tempore varationis non potiri distributionibus; idque concludit ex eo quod infirmitas ratione cujus conceditur vacatio non est causa absentiæ à Choro, sed ipsa vacatio juncta cum voluntate non assistendi Divinis Officiis, qua voluntate renunciatur distributionibus.

QUÆSTIO XIII.

Quæritur XIII. An, verbi gratiâ, qui anno abesset Canonicus, prædicti trimestris fructus lucraretur?

Ex mox dictis suppono hunc Canonicum non lucrari distributiones; idem videtur dicendum de fructibus, sed alia ratione; prædictum trimestre in servitii labore pleni levamen dari videtur, quo gaudere non debent qui non servierunt.

Nihilominus verosimile, est saltem quoad forum exterius, prædictum absentem fructus lucrari, ut Canonici, qui novem menses resederunt, deducendosque è summa quam per absentiam suam amisit, nisi Statuto vel Consuetudine peculiari, qui per totum annum non serviunt, nihil lucrentur; vel qui requisitum servitii tempus non impleverunt, dimissi servitii Privilegio non potiantur.

Hujus rei Causa: Privilegium non serviendi, nisi per novem menses Jure Communi concessum iis, qui aliàs ad servitium longius non tenentur, pejoris non est conditionis quàm Privilegium Canonicis, qui apud Reges quamdam anni partem Officium aliquod exercent, Indultum, aliisque à Residentia exemptis; isti autem omnes, si reliqua anni parte non resideant, non amittunt, nisi quod per illam residendo lucrati fuissent: Cujus rei ratio alia non est, nisi quia ad longius servitium non teneantur. Præterea in Ecclesiis, quæ novem tantùm mensium servitium exigunt, Canonici ad servitium majus non tenentur; si autem per tres reliquos menses servire non teneantur, non est quod illius temporis fructus amittant, per illud tempus non servientes.

Oppositæ verò rationi respondendum, prædictum levamen non unicam esse remissi per tres menses servitii causam: Verosimile siquidem est, tempus illud quoque concessum, ut negotiis suis quisque vacet. Quæstio decisa eadem videtur ac ista: *An absens sine justa causa per annum alios fructus amittat, quàm illos pro quibus lucrandis residere tenebatur*: Hoc autem modo proposita solutu facilior apparet, cùm nullus Textus servitium majus ab absente exigat, quàm à præsente; iique qui obligant tantùm ad servitium novem mensium de trimestri indistinctè loquuntur, ideoque tàm de absentibus quàm de præsentibus intelligi possunt.

QUÆSTIO XIV.

Quæritur XIV. An Canonicus, qui ratione Officii sui per quatuor menses à Beneficii sui servitio eximitur, præter istos, alios tres, de quibus suprà, alio Jure sibi concessos, habere debeat?

Dubitandi Ratio: Dictum est prædictum trimestre concedi, ut suis quisque negotiis vacet; inter negotia autum Canonici de quo Quæstio, collocare licet servitium ad quod Officii sui ratione tenetur; ideoque trimestre omnibus sui Capituli Canonicis concessum, intra quadrimestre peculiare sibi propter Officium indultum, comprehendendum videtur.

Contrarium tamen probabilius ducimus, hac moti Juris Regula in pati casu à BONIFACIO VIII. allegata *Cap. 10. De Elect. in 6.* hisque concepta verbis: *Non decet alicui suum Officium esse damnosum*: ex Officio enim suo Canonicus prædictus indultum aliis concessum amitteret; præterea quoad istum

Cano-

Canonicum servitium Beneficio ab ipso exhibendum in aliud mutatur, ideoque si trimestre memoratum in levamen detur, illo (ut alii) gaudere debet. Adde quod Officiarius apud Regem, vel in Curia, ut aiunt, Parlamenti, utilior est Capitulo quàm si Canonici munus impleret, ac consequenter iniquum esset, ut concesso aliis Privilegio non potiretur. Prædictum Officium situm in eo esse posset, quod Canonicus per aliquot menses Capellæ rurali deserviret, vel Capitulare feudum, aliave bona immobilia administraret, vel Parochialia munia obiret, vel aliquid simile præstaret.

Dubitandi rationi respondendum, servitium à Canonico exhibendum Officii sui ratione, inter privata negotia, quibus agendis trimestre conceditur, collocandum non esse, sed potiùs inter publica, quæ qui implet, pro præsenti in Ecclesia sua habendus est.

Quæstio XV.

Quæritur XV. An Statuto vel Consuetudine introduci possit, ut qui per trigenta, vel quadraginta, vel quinquaginta annos Canonici munus obierunt, reliquo vitæ tempore à servitio exempti distributiones lucrentur, etsi Divinis non adsint atque, ut dici solet, Jubilati fiant? Uno verbo, an Canonicorum qui Jubilati *dicuntur, Privilegium Statuto vel Consuetudine introductum licitum sit?*

Dubitandi Ratio: Ex Privilegio Jubilati licitè fiunt; quidni Statuto ab Episcopo non reprobato, vel Consuetudine eodem non reclamante introducta, fieri etiam poterunt?

Multa tamen sunt, quæ contrarium suadere videntur. Bonifacius VIII. *Cap. 1. De Cler. non Resid. in 6.* morum, non Disciplinæ, Legem condens, Consuetudine, qua qui sine justa causa Officiis non adest, ex eo quod resideat, distributiones lucretur, penitùs improbata; statuit, ut quem infirmitas vel corporalis necessitas justa & rationabilis, vel evidens Ecclesiæ utilitas non excusat, quas percipit distributionum non acquirat dominium, nec faciat suas: sed ad restitutionem teneatur.

Circa quam Legem notandum, Consuetudinem quam improbat hic Bonifacius, non ideò malam esse quia illam improbat, sed è contra illam à Bonifacio improbari, quia illam malam judicat; judicari autem malam, quia iniquum videtur, ut qui Officiis adesse debet & potest, distributiones præsentibus solis debitas lucretur, eademque sit non laborantium ac laborantium conditio.

Ad cujus rei confirmationem, in memoriam revocandum est ad bonam Consuetudinem requiri duo: Primum, quod sit legitimè præscripta: Secundum, quod rationabilis sit: In re autem præsenti legitimè præscripta est Consuetudo, quando requisito ad Præscriptionem Ecclesiasticam tempore durat, nempe quadraginta annos, & bona fides, & pacifica possessio cum duratione concurrunt: Hæc autem concurrunt, cùm in re indifferenti multitudo contra Legem agens illam non utilem, imò potius exitiosam existimat, nec sunt viri prudentes & probi, qui multitudinis opinionem vituperent; Superior verò qui reclamare potest & debet, Consuetudinem sic stabiliri sciens non reclamat. Undè, *verbi gratia*, si Episcopus in his, quæ potestatem non excedunt, Consuetudinem per quadraginta annos durare sciens & volens patiatur, contra Legem legitimè præscribitur, si aliundè multitudo in re, nec bona, nec mala, contra utilitatem publicam agere se, nec putat, nec putare debet, ob contrariam virorum, tùm sapientium, tùm proborum sententiam. Si verò ex his unum defuerit, legitimè præscripta non est Consuetudo, undè si de Lege agatur, quæ à solo Papa abrogari possit, & Consuetudinem huic Legi contrariam introduci Papa nesciat, vel sciens reclamet, innovata Lege, aut facto Ordinariis Mandato, ne Legem violari permittant, non legitimè præscribitur contra Legem quantumcumque duret illius inobservatio.

Cùm utilitas publica sit Legum ratio, quæcumque utilis est Consuetudo, rationabilis est; utilis autem non est quæ utiliori Legi derogat; nulla enim utilitas: imò verò pernicies, minori bono majus bonum impedire. Hinc patet quid sentiendum de Consuetudine, qua post aliquot annorum servitium ab Horis Divinis quis eximitur; utcumque enim legitimè præscripta esset, rationabilis videri non debet, cùm publicæ Ecclesiæ utilitati non faveat, imò ipsi adversetur servitio quod adhuc exhibere potest Canonicus illam frustrans; & quod longè majus est, Cultum Divinum sine justa causa diminuat, ideoque Dei maledictionem in Ecclesiam attrahere valeat.

Quod si quis dicat: Justam subesse causam, in eoque sitam quod Jubilatorum Indulto potiendi spes Canonicos Ecclesiæ aliundè valdè utiles moveat, ut Canonicatus retineant, qui illos junioribus Nepotibus alioquin resignarent. Cui Objectioni respondemus: Prædictam spem in pios Canonicos aliquid posse, veritati proximum non esse; propter alios verò Legi, quæ iis, qui debent & possunt, nolunt tamen Divinis adesse, distributiones denegat, derogare non æquum est; cùm enim quæ ea illis provenit utilitas, nonnisi temporalis sit, ideò sufficere non videtur Divini Cultûs minuendi causa. Porrò nec etiam legitimè præscripta esse potest prædicta Consuetudo, tùm quia (ut ostensum est) evidens est illam rationabilem non esse, Consuetudini autem quæ talis est necessariam bonam fidem deesse; tùm quia improbabile Pastorem vigilantem contra Consuetudinem id Indulti inducentem semel & iterum non reclamasse, ac consequenter ut & bonam fidem, sic pacificam possessionem desiderari.

Ad Statutum extendenda videntur, quæ de Jubilatorum Consuetudine Privilegium inducente dicta sunt; hæc enim ad legitimam potestatem & justam causam, quæ Statuto pariter necessaria sunt, reducuntur; hæc autem Statutis simile Privilegium concedentibus, si quæ sunt, deesse solent; ad hoc enim requireretur ut is, qui Legi contrariæ derogare potest, autoritatem præstaret; requireretur etiam, quæ non occurrit, major Ecclesiæ utilitas quàm quæ ex contrariæ Legis observatione, aut saltem æqualis.

Hactenus explicatam Bonifacii Constitutionem innovat *Concilium* Tridentinum, quibuscumque contrariis Consuetudinibus derogat, unde huic Constitutioni nova addita est autoritas, nempe illa qua tota pollet Ecclesia.

Objectæ rationi respondendum, nonnulla Privilegio concedi posse, quæ Consuetudine introduci non possunt, ut dum *De Decimis & De Præscriptionibus* dictum est.

Quoad Privilegia, si quæ sunt, ab Apostolica Sede concessa, vel importunitate extorta sunt, vel subreptitiè sunt obtenta, falsi suggestione: Exponendo, *verbi gratia*, inveterata Consuetudine, nullo reclamante introducta ea quæ sine scandalo reformari non possunt, vel præsumptæ senum infirmitati fundantur, nihilque operantur aliud quàm ut Jus Commune confirmando, impediant ne circa distributionum perceptionem senes inquietentur, vel demùm ab his Horis illos tantùm eximunt, quibus adesse nequeunt, quin perdendæ salutis periculo sese exponant.

Aliæ Objectiones addi possunt: Dicere namque licet: 1. Militiam Sacram non esse pejoris conditionis quàm Militiam aut armatam aut togatam; undè sicut in istis sunt Milites emeriti, Consiliarii emeriti, ita in illa esse debent Canonici emeriti: Sed huic Objectioni facilis est Responsio, nempe Militem esse nullum, qui servitio quod exhibere potest exemptus, eadem omninò percipiat emolumenta; Consilia-

filiarios emeritos Juribus honorificis gaudere, sed nullomodo emolumentis; Emeritos Scientiarum Professores, si servire desinant, etsi adhuc possint, Cathedrarum suarum emolumenta non retinent.

2. Dici potest Canonicorum munus labore plenum esse, ideoque æquum esse ut post aliquor annorum servitium Indulto aliquo potiantur.

Huic Objectioni respondendum: Hinc à fortiori ostendi Parochos Jubilariorum Privilegio gaudere debere, cùm illorum servitium longè laboriosius sit.

Nec obstar quod ad Pastorale munus Jure Divino Parochi teneantur; Canonici verò ad Officium celebrandum Jure tantùm Ecclesiastico, quia à quocumque Jure fluat munus laboriosum & lucrosum, iniquum est quem sine justa causa labore eximi & lucrum retinere.

Præterea Evangelii vinitoribus non absimiles videntur Canonici, cùm ut isti ad diurnum opus pro diurno denario astringantur; undè quemadmodum qui in vinea tota die non laborarunt, denarium diurnum exigere non possunt, quantumcumque temporis antea in eadem vinea laboraverint, ita Canonici post quantumcumque temporis servitium actu servientibus debitum salarium petendi jus sibi injustè vindicarent.

Præter derectas in Jubilariorum Indulto injustitias, aliæ duæ sese offerunt non prætermittendæ.

Priorem in eo sitam ducimus, quòd tàm qui Divinis Officiis assidui non fuerunt, quàm qui assidui, eodem potiantur Indulto, undè si Indultum hujusmodi merces sit, indigni æquè ac digni mercedem recipiunt.

Posteriorem in eo ponimus, quod cùm ad Canonicarum in ætate tenera puberique promoveantur, passim contingeret ut Canonici quadragesimum vel quinquagesimum annum vix agentes à servitio eximerentur ac consequenter servire desinerent, cùm utiliùs servire inciperent.

SECTIO XI.

De distributionibus quotidianis Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino deprompta.

REGULA I.

Triplicis distributionum generis mentio fit in Corpore Juris Canonici, vel in *Concilio* TRIDENTINO, quarum aliæ quotidianæ sunt, & ratione Divini Officii debitæ, & omnibus communes; aliæ statutis tantùm diebus debentur, & ratione Officii peculiaris illis diebus implendi, nec aliis quàm quibus prædictum Officium competit; aliæ demùm pro defunctorum anniversariis juxtà Fundatorum voluntatem largiendæ.

Regula patebit ex sequentibus.

REGULA II.

Rei per distributiones significatæ nulla in Jure mentio ante duodecimum sæculum.

Qui illius prior meminit Juris Textus est anni 1170. & habetur in *Cap. 7. De Cler. non Resid.* desumpto ex ALEXANDRO III.

Non obstar *Cap. 3. DIST. XCI. è Concilio* CARTHAGINENSI IV, *ann.* 398. celebrato desumptum; nam stipendium quo privatur Clericus qui absque Corporis sui inæqualitate Vigiliis deest, multùm differt à distributionibus quotidianis, cùm tunc temporis stipendium illud totus esset Clericorum proventus; distributiones verò prædictæ tertiam illius partem ut plurimùm non excedant.

REGULA III.

Distributiones quotidianæ sunt Jura Canonicis, aliisque similibus, qui Divinis adsunt Officiis dietim debita.

Hinc quotidianæ communiter dicuntur, etsi quotidiè non solvantur.

REGULA IV.

Aliis duobus donantur etiam in Jure nominibus, sed communius est distributionum nomen.

Pars Prima patet ex *Capite unico De Cler. non Resid. in 6.* in quo & Victualia, & Mannalia *Beneficia* vocantur.

Secunda Pars verò patebit ex citatis circa illas Textibus.

REGULA V.

In eodem Jure *Victualium* nomen aliis antiquius.

Patet ex eo qood victualia nuncupentur ante sæculum XIII. *Cap. 7. De Cler. non Resid.* aliis verò nominibus non donentur, nisi ineunte saltem sæculo XIII.

REGULA VI.

Sub distributionum nomine non apparent ante Sæculum XIII.

Patet ex eo quod HONORIUS III. eo sub nomine primus meminerit *ann.* 1222. Cap. 32. *De Præb.*

REGULA VII.

Manualium nomen non habent, nisi in *Capite unic. De Clericis non Resid. in 6.* idque *ann.* 1298.

REGULA VIII.

Distributionum quotidianarum finis est, ne Cultus Divinus minuatur, sed è contra ut debitum Deo hac in re, sicut in cæteris rebus, præstetur obsequium. *Cap. 3. Sess. XXI. De Ref.*

REGULA IX.

Tàm in Cathedralibus quàm in Collegiatis Ecclesiis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues ut negligantur, Episcopi est etiam, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, in illas tertiam Præbendæ cujuslibet fructuum partem in distributiones convertere, quæ inter Divinis Officiis præsentes dividantur, juxtà divisionem ab Episcopo faciendam in ipsa prima fructuum deductione. *Ibidem.*

REGULA X.

Episcopi quoque est etiam, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, è Dignitatum, Personatuum & Officiorum proventibus tertiam partem deducere in distributiones convertendam, quas lucrabuntur qui personaliter sibi competens Officium juxtà formam ab Episcopo præscribendam quolibet die statuto implebunt, alioquin amittent. *Cap. 3. Sess. XXII. De Ref.*

Hinc Præbendæ Theologalis tertiam partem in distributiones convertere posset Episcopus, & cuique vel Prædicationi vel Lectioni certum quid assignare.

In utroque loco autoritate Apostolica Episcopus munitur à *Concilio* propter Ecclesias Exemptas.

REGU-

REGULA XI.

Distributiones pro defunctorum Anniversariis largiendas examinare, probare, Episcopi est, dum fundationes fiunt, & postquam factæ sunt, si tenues nimium sint, aliis junctis augere. *Cap.* 4. Sess. XXV. *De Ref.*

REGULA XII.

Etsi juxtà Juris rigorem distributiones quotidianæ non debeantur, nisi iis, qui Divinis adsunt Officiis, ex indulgentia tamen aliis conceduntur.

I. Infirmis; quod intelligendum est de illis, quorum tanta est infirmitas, ut Choro interesse nequeant, solaque vel præcipua Choro non assistendi causa illis est; hoc autem locum habet, sive infirmi in loco Beneficii, sive alibi degant, dummodò infirmitas absentiæ causa sit, ut fit in eo, qui recuperandæ salutis causa abest, vel etiam in eo, qui alia de causa absens, dum reditum seriò meditatur, qui illum impediat morbo afficitur. *Cap. unic. De Cler. non Resid. in 6.*

II. Præpeditis ab eodem Officio ex justa ac rationabili corporis necessitate: Necessitas autem hæc prout ab infirmitate distincta, nihil aliud esse videtur quàm incarceratio, vel captivitas, vel propter persecutionem, justumve vitæ perdendæ periculum. Circa quod notandum, Pastori non sufficere ortum ex persecutione periculum, nisi personalis sit persecutio; ortum verò ex peste nullo modo; erga alios verò utrumque sufficere: Hujus discriminis causa videtur petenda ex eo quod Pastor ad id quod Pastoris est Præcepto Divino teneatur; Canonicus verò, *verbi gratiâ*, ad id quod Canonici est ex Præcepto tantùm Ecclesiastico obligetur, cùm Pastores à Deo instituti sint, ab Ecclesia Canonici. *Ibid.*

III. In evidentem Ecclesiæ utilitatem vocatis & occupatis. *Ibid.*

Inter quos *Concilium* Tridentinum Pœnitentiarios munus suum obeuntes collocavit; *Concilium* Basiliense & *Concilium* Lateranense sub Leone X. Theologos Canonicos; Usus verò Canonicos in Episcopi comitatu commorantes annumerat. Regium *Consilium ann. 1636.* iis adjicit Generales Cleri Procuratores, ad Comitia ejusdem Cleri delegatos; Vicarios Generales; Archidiaconos dum visitant; Sindicos cujusque Diœcesis.

Fevretus Tom. I. *p.* 245. 246. agens de iis, qui sine abusu Beneficiorum suorum fructus percipiunt, etsi non resideant, de solis, qui absunt propter Communia Ecclesiarum suarum negotia, vel qui Vicarii Generalis, Officialisve munus obeundi causa, dicit quotidianas distributiones lucrari.

Acta Cleri Gallicani iis addunt Officiales, Promotores in Ordinationibus *ann.* 1635. & 1645. quæ adjiciunt ab Episcopo missos ad visitandum, vel ad prosequenda Ecclesiastica ipsius negotia.

Caput 30. *De Elect. in 6.* ab hoc Indulto Ecclesiarum, quarum membra sunt, negotia prosequentes expressè excludit.

Circa quod notandum, ad Episcopum pertinere, ut judicet an ex evidenti Ecclesiæ utilitate à Divinis Officiis quis absit, idque non solùm, quia Episcopi est Canones juridicè interpretari, sed etiam quia illa est Episcopi circa similia autoritas, ut, illo reclamante, Consuetudo nova inducens, quem Divinis Officiis non præsentem, quotidianas distributiones lucrari, quantumvis aliàs utiliter occupatus videatur, non valeat.

IV. Canonicis, qui & Parochi, ex Ecclesiæ Parochialis annexione ipsi Canoniæ, cùm in Parochia resident. *Cap.* 3. Sess. XXII. *De Ref.*

Si qui hujusmodi nunc essent, cogerentur ex his duobus Beneficiis unum optare, saltem in Gallia. *Senatus Consult.* Paris. *ann.* 1665. *pro Ecclesia* Laudunensi. *n.* 23.

Sunt qui non probent eos, quibus diurnum stipendium solvitur ad vacandum Ecclesiasticis, negotiis, distributiones lucrari, existimantes illis has dari ne Officium suum sibi damnosum sit, damnum autem vitari ipsa stipendii perceptione; sed non rectè ii sapiunt, cùm stipendium plerumque non æquet expensas, multòque minus labori respondeat, cujus tamen maximè ratio babenda.

REGULA XIII.

Prædictæ indulgentiæ contraria Statuta non derogant, sive re, sive specie tantùm contraria sint.

Infertur ex *Capitibus* 14. 15. *De Cler. non Resid.* quæ docent Canonicos in servitio vel Papæ, vel Episcopi commorantes, Beneficiorum suorum fructus percipere debere, non obstante contrario Statuto à Sede Apostolica confirmato; indulgentia etenim quâ residentes, ne Divinis adsint Officiis legitimè impediti, distributiones percipiunt, pejoris non est conditionis, quàm facultas percipiendi Præbendarum fructus absentibus justa de causa concessa, cùm illa ut ista Juris Communis sit, & in Corpore Juris contineatur.

Nec obstat quod ut mox dicetur, ad pauciores casus prior sese extendat quàm posterior; hoc enim non impedit quominus sit Juris Communis, ideoque Statutum sibi contrarium valere non debeat, cùm Statuta quæ Juri Communi adversantur, nulla sint. Excipiendi videntur casus, in quibus omnes Canonici consentirent, vel Statutum fundationis Lex esset.

REGULA XIV.

Quicumque extra casus à Jure exceptos distributiones percipit, etsi Divinis Officiis non intersit, illarum dominium non acquirit, illasque restituere debet. *Cap. unic. De Cler. non Resid. in 6.*

Hinc is, in cujus commodum cedunt amissæ ab aliis distributiones, illis dare non potest, alioquin Lex suo fraudaretur fine.

REGULA XV.

Etsi Bonifacius VIII. omnes prædictos casus omnium primus commemorarit, exceptionis tamen hujus Autor non esse videtur.

Prior Regulæ Pars adeò certa est, ut quod contra illam objici queat, nihil occurrat.

Posterior Pars patet ex *Capite* 16. *De Verb. Signif.* in quo Innocentius III. distributiones dat ei, quem à residendo exemerat justa de causa; eamdem quoque ex modo quo exceptio concipitur, inferre licet, *Exceptis illis quos infirmitas, seu justa & rationabilis Corporis necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas excusaret;* hoc enim verbo, *Excusaret*, Bonifacius insinuare videtur hos exceptos iri, etiamsi non exciperet, idque quia ipsa impedimenti natura ab assistendo per seipsam illos excusat.

Eadem Posterior Regulæ Pars confirmari potest ex Constitutionis causa, nempè Consuetudine, qua residentes, etsi Divinis non adessent, quotidianas distributiones percipiebant; nam extra dubium est legitimè impeditos, ne Divinis assisterent, ex numero prædictorum esse: Bonifacius autem, dum sua Constitutione hanc Consuetudinem abolet, legitimè impeditos excipit, undè sequitur quod istis primus distributiones quotidianas non concessit, sed expressè conservavit.

Non obstat Priori Parti *Caput* 15. *De Cler. non Resid.*

Resid. quo infirmis dantur Præbendarum fructus, nam de distributionibus quotidianis expresse non meminit.

Nec obstat, quod in Capite objecto exceptio quoad infirmos iisdem verbis exprimatur ac in Textu BONIFACIANO, ita ut BONIFACIUS locutionem suam inde sumpsisse videatur: Dici enim potest BONIFACIUM interpretatum esse Caput objectum, atque declarasse distributiones quotidianas comprehendi sub his verbis: *Præbendarum suarum integrè percipiant fructus.*

REGULA XVI.

Quotquot distributiones quotidianas percipere nunc possint Canonici, etsi Divinis Officiis non intersint, Beneficiorum fructus percipere quoque possunt, etsi non resideant, sed non è contra.

REGULA XVII.

Ex non residentibus Ecclesiæ utilitatis causa, quibus Beneficiorum fructus à Jure conceduntur, de solis non residentibus studiorum causa vel propter Ecclesiarum suarum negotia expressè dicitur quotidianas habere distributiones non debere. *Cap.* 32. *De Præb* Desumitur ex HONORIO III. *ann.* 1222. Cap. 30. *De Elect. in* 6. ex BONIFACIO VIII. *ann.* 1299.

Non obstat, in eo dici distributiones non exhiberi, nisi residentibus, ac idcircò absenti studiorum causa denegari; verum enim semper est de solis absentibus studiorum causa, vel ad prosequenda Ecclesiarum suarum negotia, nominatim exprimi distributiones illis non esse dandas.

Non obstat *Cap.* 15. *De Rescript. in* 6. mentionem faciens de Indultis, quibus non solùm studentes, sed & in altera Ecclesiarum suarum residentes, necnon & Romæ commorantes, Beneficiorum suorum fructus percipiebant, exceptis distributionibus; Non obstat, *inquam*, hoc Caput, cùm Regula loquatur de Textibus, qui declarant absentes nonnullos etiam Ecclesiæ utilitatis causa, distributiones quotidianas non percipere.

REGULA XVIII.

Ex eo quod non residentibus studiorum causa tunc denegarentur distributiones, certò inferre non licet, infirmis quoque & corporali necessitate detentis, atque etiam ob evidentem Ecclesiæ utilitatem absentibus, denegatas fuisse.

REGULÆ RATIO: A residendo Dispensatio propter studia à Jure Positivo fluit: Dispensatio propter tres subsequentes causas à Jure Naturali manat, undè ab illo ad istud non æqua est consequentia.

Nec obstat quod ad Ecclesiæ utilitatem vergat Dispensatio à Residentia propter studia; nam quæ hinc provenit utilitas evidens dici non potest, cùm ex futuro pendeat, ac idcircò incerta sit.

Nec obstat *Cap.* 15. *De Cler. non Resid.* infirmitatem inter causas positivas Dispensationis à residendo collocari. Non enim hinc sequitur illam non esse naturalem causam, sed positivam; quidni potuerint hic jungi omnes hujus Dispensationis causæ? Verum quidem est naturalem Dispensationis causam subintellectam semper censeri, ideoque necessarium non esse ut exprimatur; attamen ne ullus superfit dubitandi locus, quandoque exprimitur, atque in objecto Textu ita factum esse sentire fas est.

In Quæstionis elucidationem, an BONIFACIUS memoratæ exceptionis sit Autor, plura adhuc hinc inde adduci possent, sed curiosa potiùs quàm utilia cum sint, hactenus dictis adjecisse sufficiet, hac in re certum videri distributiones in victualibus positas, quæ in refectionis loco consumendæ erant, eodem loco non præsentibus semper denegatas, sed illas communem vitam degentibus dumtaxat venisse distributiones in victualibus positas, quo libebat loco consumendas, necnon quæ in pecunia fiebant justa de causa absentibus, cùm præsentes censeantur pro Ecclesiarum usu, statutove concedi & denegari potuisse, exceptis infirmis & corporali necessitate detentis, quibus afflictis non addenda afflictio, sed eorum miseriæ potiùs misertendum.

REGULA XIX.

Verosimillimum est quotidianas distributiones excipi consuevisse in Indultis, quibus in perpetuum concedebatur non residenti integra Præbendæ fruitio.

Colligitur ex eo quod in præcipuis hujusmodi Indultis, illæ distributiones excipiebantur, ut videre est in *Capite ultimo De Rescript.* Hoc enim docet exceptas fuisse in Indultis perpetuis, vel ratione studii, vel ratione commorationis in Curia Romana, vel ratione Beneficiorum incompatibilitatis; hæc autem inter hujus generis Indulta præcipua esse nemo negabit.

REGULA XX.

Quibus in rebus consistere debeant distributiones, à Jure non determinatur, imò in quibuscumque consistere posse supponitur. *Capit unic. De Cler. non Resid. in* 6.

REGULA XXI.

In pecunia solutas semper non fuisse constat ex victualium nomine.

REGULA XXII.

Quandiu victualia in distributiones data sunt, absentes distributionibus caruisse certum est. *Cap.* 7. *De Cler. non Resid.*

REGULA XXIII.

Si in re portatu & attrectatu facili solutæ non fuissent, Beneficia Manualia dictæ non fuissent.

REGULA XXIV.

Tenues adeò esse non debent, ut negligantur; idcirco tertia Præbendæ pars in illas convertenda, & si Præbenda adeò modica ut tertia illius parte in distributiones conversa, tenues nimiùm adhuc essent, vel augenda Præbenda, vel major illius pars in dictum usum deputanda. *Cap.* 3. Sess. XXI. *De Ref.*

REGULA XXV.

Distributionis percipiendæ capax est quicumque cum aliis Officia Divina collegialiter celebrare tenetur.

Dictum est, *tenetur*, propter illos, qui honoris causa tantùm gaudent jure assistendi Officiis cum Canonicalibus insigniis.

REGULA XXVI.

Illorum, qui hujusmodi sunt, nominatim memorantur Dignitates, Personatus, Portiones, Officia, Canonicatus possidentes. *Cap.* 3. Sess. XXI. *De Ref.*

Bene-

Beneficiati alii, si qui sunt, demùm Clerici Ecclesiarum, in quibus Officia fiunt. *Cap. unic. De Cler. non Resid. in 6.*

REGULA XXVII.

Quicumque in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, Sæcularibus, vel Regularibus, Dignitates, Personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi Ordines annexi sunt, pacificè obtinent, si intra annum, quantùm in ipsis est, ad illos Ordines promoti non fuerint, dimidiâ distributionum parte privandi sunt. CLEM. II. *De Ætat. & Qualit.*

Hic solum est ferendæ sententiæ distributionum privatio, alibicumque est sententiæ latæ.

REGULA XXVIII.

Si Dignitatis, Personatûs vel Officii Possessor, cui aliquid muneris certo die obeundum est, hâc die non obierit, istius diei distributionem ad hoc destinatam amittit. *Cap. 3. Sess. XXII. De Ref.*

Hinc, *verbi gratia*, Theologus, qui diebus, quibus tenetur, non prædicat, vel non legit, illorum dierum distributiones ad illa munia destinatas amittit, eoque æquius quod locum teneant assistentiæ Divinis Officiis.

REGULA XXIX.

Amissæ hujusmodi distributiones, vel Fabricæ quatenus indigeat, vel alteri pio loco, Episcopi arbitrio, applicandæ sunt. *Ibid.*

Hinc illam pœnam remittere non licet, nec Episcopo, nec Capitulo: Hinc hujusmodi distributiones non accrescunt sociis muneris omissi & ab istis impleti.

Quod de hujusmodi distributionibus dicitur, de quotidianis dici etiam potest.

Non obstat quòd distributiones ratione peculiaris Officii debitæ ex proprio Beneficiati reditu deducantur, cùm idem fiat quandoque de distributionibus quotidianis.

Præterea in accrescendi jure, quo amissæ ab aliis distributiones aliis accrescunt, non consideratur undè illæ desumantur; sed unicus hinc proveniens fructus, nempè major Divinis Officiis assiduitas.

Hæc omnia pendent, vel ex Fundatoris mente, vel ex voluntate Ecclesiæ, vel ex peculiari locorum, vel personarum conditione.

REGULA XXX.

Circa distributiones juris accrescendi nulla mentio, nec in Corpore Juris Canonici, nec in *Concilio* TRIDENTINO.

Non obstat *Caput 4. de Privil.* EXTRAVAG. COMM. quod docet non residentium fructus non accrescere Capitulo, quia debitum ab illis servitium non impendit; præterea dantur propter Residentiam, quâ cessante Beneficiato non debentur, sed iis, qui Beneficiorum vacantium Annalia habent, accrescere debent; quia sunt proventus quorum Annalia habent. Hæc enim Decretalis circa distributiones accrescendi jus non respicit, cùm de istis non agatur, sed de fructibus, quos residentes lucrantur, & non residentes amittunt; prima tamen ratio sumpta in sensu contrario prædicto juri applicari posset, cùm Canonici præsentes absentis officium impleant.

Ad hujus rei elucidationem nota, accrescendi jus æquissimum videri, quia præsentibus ex aliorum absentia major labor, ideòque retributio major debetur; sed id incommodi secum trahere, quod reus per aliorum negligentiam deinceps recuperet quidquid per suam negligentiam amiserit; undè si in Capitulo, *verbi gratia*, decem Canonicorum, in quo jus accrescendi vigeret, inter se convenire omnes vellent, ut quòd ex aliorum absentia præsentes lucrarentur, absenti redderent, quilibet alternatim una die ab Officio abesse posset, quin aliquid amitteret, cujus incommodi ratio non habetur in jure accrescendi distributiones pro Anniversariis spectante, quia ex mente Fundatoris tota retributio ad hæc relicta, solis præsentibus dividenda, ideoque similis conventio fieri nequit.

REGULA XXXI.

Quod circa distributiones pro Divinis Officiis decrevit BONIFACIUS VIII. *Cap. unic. De Cler. non Resid.* servari etiam vult circa distributiones pro defunctorum Anniversariis.

Circa quod notandum, hujus Decreti duplicem esse Partem: In priori, à distributionum perceptione excludi residentes, qui Divinis non adsunt Officiis: In posteriori, ex illo numero excipi infirmos, aliosque similes: Dubitari autem, an exceptio ad distributiones pro defunctorum Anniversariis sese extendat; discentiendum argò quid de hoc dubio sentiendum.

REGULA XXXII.

Probabilissimum est exceptionem Decreti circa quotidianas distributiones pro Divinis Officiis sese non extendere ad distributiones pro defunctorum Anniversariis.

REGULÆ RATIO: Posterioris generis distributiones percipiendi modus à Jure Communi non pendet, sed à Fundatorum voluntate; unde nisi Fundatores prædictæ exceptionis meminerint, eamque probarint, exceptio illa locum non habet in distributionibus pro defunctorum Anniversariis; id enim Fundatoribus favorabilius, ideoque ab ipsis intentum præsumendum.

Nec obstat quod illa exceptio ad Jus Naturale pertinere videatur; id enim verum dumtaxat est, quoad distributiones pro Officiis Divinis, non autem quoad alias.

Hujus discriminis Ratio: Prioris generis distributiones aliud non sunt quàm Beneficii pars substracta, quâ privatur Possessor, si Officiis Divinis adesse neglexerit, illam lucraturus, si dum poterit & debebit, interfuerit; unde sequitur quod æquitate naturali vetante, si propter infirmitatem aliudve simile, vel non possit, vel non debeat, aliò vocatus propter evidentem Ecclesiæ utilitatem, illis distributionibus privandus non sit.

REGULA XXXIII.

Distributiones pro defunctorum Anniversariis nullo alio Jure mihi debentur quàm fundationis adimpletione; undè si illam non adimplevero, ex quacumque causa oriatur hæc omissio, mihi meritò denegantur.

Controversia magni momenti circa distributiones.

Antequam de distributionibus Tractatum finiamus nonnulla dubia non negligenda decidenda sese offerunt, idcirco I. Quærere abs re non erit, *An juxtà Canonum mentem Præbenda nomine distributiones cum grossis fructibus intelligantur, post distributionum institutionem.*

Quærendi causa: Distributiones cùm è Præbendis detrahantur, illarum pars esse videntur; distributionum à Præbendis distinctio odiosa est, sub Præbendis ergo comprehendi debent, nisi expressè excipiantur: Hinc quoties Præbendæ fructus absenti concedunt Pontifices, ab illis quotidianas distributiones excipere solent, si illas exceptas velint.

Contra verò post distributionum à Præbenda divisionem, suo nomine donatæ, eædem à Præbenda distingui cœperunt, undè sub Præbendâ comprehendi non debuerunt.

Post eamdem divisionem concessa absentibus Præbendam integrè percipiendi Indulta, ita interpretantur Pontifices, ut ab his quotidianas distributiones exceptas velint. *Cap. 15. De Rescript. in 6.* Cap. 32. *De Præb.*

Inter distributiones & Præbendam tantum est discrimen, ut distributiones non dentur, nisi residentibus, qui Horis intersunt. *Cap. 32. De Præb.* Præbenda verò absentibus justa de causa, sicut & residentibus percipi permittatur. *Cap. 5. De Magistris & alibi passim.*

Ad propositæ Quæstionis solutionem notandum, genus duplex distributionum esse: Aliud nempè quæ ex Præbendis numquam detractæ sunt; quales quæ in victualibus positæ sunt, illas autem sub Præbenda comprehendi haud dubium videri: Aliud verò quæ ex Præbenda deductæ sunt; quales quæ factæ sunt ex Decretis *Concilii* TRIDENTINI *Cap. 3.* SESS. XXI. Cap. 3. SESS. XXII. *De Ref.* nempè ex tertia Præbendarum parte; istas autem, si Præbendæ pars in distributiones conversa à corpore distributionum distincta adhuc remaneat, sub Præbenda comprehendi posse, præsertim si in Præbendæ concessione vox *aliqua* adhibeatur, quæ totam, integramque dari significet, ut in eis *De Cler. non Resid.* Cap. 32. *De Præb.* Cap. 5. *De Magistris.* Undè sequitur quod distributiones, quas excipit *Cap. 32.* è Præbendis deductæ non essent: Hinc factum videtur quod Jure Gallicano excusati à Residentia distributiones hujusmodi percipiant, ac illis solis excludantur, quæ aliundè quàm ex Præbenda desumptæ sunt; quales censentur, quæ in Choro & in pecunia præsentibus tantùm dantur. Si verò pars ex Præbenda deducta, similibus ex aliis Præbendis etiam detractis commixta sit, adeoque confusa ut nulla remaneat distinctio, sub Præbenda distributiones comprehensas non videri, etiamsi totam dari significetur.

Non omittendum, distributionum prioris generis mentionem facere non solùm Textus, qui de distributionibus in victualibus positis loquuntur, sed etiam, qui residentibus nonnullis Præbendam dari sine distributionibus. *Cap. 4. De Magistris*, vel distributiones sine Præbenda concedi significant. *Cap. 13. De Præb.* Cap. 8. *De Concess. Præb.*

II. Quæri etiam posset, *An quicumque absentes, qui pro præsentibus habendi sunt, quotidianas percipere debeant distributiones?*

Solutu facilis Quæstio; nam vel de præsentia in Choro sermo est, eoque casu absens pro præsenti habitus haud dubiè gaudere debet distributionibus; vel de præsentia in loco Beneficii agitur, & tunc extra dubium esse videtur hujusmodi absentem distributiones petere non posse.

Hujus rei Ratio: Omnis justa de causa absens pro præsenti habetur (si cum Superioris licentia absit) in loco Beneficii, non in Choro.

III. Scire volet fortè non nemo, *An in Corpore Juris Canonici de Dignitatibus Cathedralium vel Collegiatarum mentio fiat, quæ nullas percipiant distributiones, etsi Divinis Officiis adsint, quibus assistentes Canonici distributiones recipiunt?*

Huic curiositati ut faciamus satis, dicimus 1. Exemplum hujusmodi nullum in Jure reperiri, nec etiam in *Conc.* TRIDENTINO; istud quidem loco suprà citato de Collegiatis Ecclesiis tàm Cathedralibus quàm simplicibus loqui, in quibus distributiones nullæ assignabantur iis, qui Divinis Officiis intererant, sed hunc locum tàm Canonicos quàm Dignitates respicere.

2. *Caput 35. De Præb.* de Archidiacono EBROICENSI, cui distributiones debebantur quando Divinis Officiis intererat, mentionem facere; præcipiens enim ut prædicto Archidiacono, studiorum causa absenti, Præbendæ suæ fructus darentur, excipit distributiones, quia solis illis, qui Divinis aderant Officiis, debebantur.

3. BONIFACIUM VIII. de Dignitatibus quæ distributiones perciperent loqui *Cap. 15. De Rescript.* dum ait *Indulta de percipiendis Beneficiorum fructibus sive Residentia, personis non Dignitatibus concessa, se revocare.*

4. Eumdem BONIFACIUM *Cap. unic. De Cler. non Resid.* Legem quidem circa distributionum perceptionem condere, in qua nulla Dignitatum fit mentio, sed sub Canonicorum vel Beneficiatorum nomine comprehendi, cùm Dignitates Collegiatarum Ecclesiarum illarum sint præcipui Canonicatus vel præcipua Beneficia.

5. Dignitates, quæ distributiones non percipiunt, etsi Divinis adsint Officiis, non esse Capitulares, nec eo nomine Officiis interesse, sed Diœcesis Dignitates esse, eoque nomine Divinis adesse; Juris autem Textus, qui dum de distributionibus Dignitatum mentionem faciunt, de Capitularibus loquuntur, non de aliis.

IV. Circa easdem distributiones Quæri etiam potest, *An in Corpore Juris vel in Concilio* TRIDENTINO *singulis Horis singula distributiones assignentur, ita ut quis ab una abesse nequeat, quin aliquid amittat?*

Huic Quæstioni respondendum neutro in loco expressum quidquam circa prædictam assignationem reperiri, verùm ex utriusque Textibus, qui distributiones indistinctè denegant iis, qui Officiis Divinis non intersunt, vel qui indistinctè tribuunt iis qui illis adsunt, colligi posse, tàm in Corpore Juris quàm in *Concilio* TRIDENTINO supponi, vel singulis Horis singulas distributiones assignatas fuisse, vel pro omnibus simul aliquid præfinitum, cujus tamen parte privaretur pro Prælati judicio, qui aliqua ex Horis Divinis non adesset. Si quis autem, omissa facti Quæstione, quid hac in re de Quæstione Juris sentiendum sit quærat, quod dicamus nil habemus, nisi distributiones institutas ut Divina non negligantur Officia, ab iis quibus ea celebrandi cura incumbit; undè colligi potest singulas distributiones singulis Horis assignandas esse, cùm pro qualibet Hora eadem militet ratio; verùm quidem alias aliis gravioris esse momenti; sed nulla est tamen cujus neglectus præcavendus non sit. Hæc ergo Horarum differentia ad id unum movere debet, ut pro cujusque qualitate major vel minor distributio cuique annectatur, non autem ut minoribus Horis nulla omninò assignetur; quapropter *Concilium* BASILEENSE & ex illo *Pragmatica Sanctio*, jussit ut si aliquibus Ecclesiis singulis Horis distributiones certæ statutæ non sunt, omninò etiam (si opus sit) de grossis fructibus deputentur. Cujus Constitutionis hanc affert causam, ut juxtà mensuram laborum plus minusve quisque capiat emolumenti. *Pragmat. Tit. 11. §. 2. Jubet.*

Non omittendum *Caput unicum. De Cler. non Resid. in 6.* insinuare, qui à Divinis Officiis absunt pro qualitate Horæ neglectæ privandos distributionibus; referens etenim, damnansque abusum, quo, qui Officiis non aderant, Beneficia Manualia percipiebant, hanc notat circumstantiam, illa Beneficia ab illis ex integro percipi, quæ circumstantia, nisi Beneficia Manualia propter aliud darentur, quàm propter Divini Officii decantationem, ostendere videtur, ut sicut nihil percipere debebant, qui omninò Divinis non aderant, ita non totum, qui non toti Officio intererant, sed quo minor majorque Officii neglecta pars, minori majorique distributionum parte privandi erant.

V. Tractatus hujus initio diximus distributiones victualia in Jure vocari, ad id probandum Textus duos adduximus, nempe *Cap. 7. De Cler. non Resid.* & Cap. 1. *Eodem Tit. in 6.* In priori dicitur victualia absen-

absentibus dari non consuevisse: In posteriori verò distributiones alias manualia & victualia nuncupari: Ex isto Textu alium exposuimus, circa hanc autem expositionem quæri potest an certum sit quod illa Textui conformis sit?

Dubitandi Ratio petitur ex eo quod in citato Textu non dicatur victualia illa iis tantùm, qui Divinis Officiis adsunt, dari, sed absentibus denegari, distributiones verò id peculiare habeant, ut solis qui Officiis intersunt Divinis tribuantur.

Ad propositæ Quæstionis solutionem notandum: 1. Priorem Textum ex Alexandro III. desumi: Posteriorem verò ex Bonifacio VIII. ab illo autem ad istum sat temporis effluxisse, ut quæ residentibus, sive Divinis abessent, sive adessent, victualia darentur, jam solis, qui Divinis interessent, distribuerentur: 2. Contingere etiam potuisse aliud genus victualium, propter eos tantùm, qui Divinis adsunt Officiis, introductum fuisse, atque ita tunc duo victualium genera extitisse; aliud nempè quod in communi refectionis loco distribueretur, quodque ad residentes pertineret, non considerata Divinis præsentia vel absentia; aliud quod in Ecclesia daretur, quodque solos, qui Officiis adessent, spectaret. 3. Alexandrum quidem dixisse absentes ab victualibus, de quibus loquebatur, fuisse exclusos, sed nullo modo qui residerent, ipsa sola Residentia, illa lucratos esse.

His notatis, Quæstioni respondendum: Prædicti *Capitis 7. De Cler. non Resid.* explicationem, quoad victualia, de quibus loquitur, non esse quidem certò veram, sed verosimilem videri.

VI. Dictum est suprà ad Episcopum pertinere, ut distributiones assignet: Hinc quæri potest an res hæc Episcopum semper spectarit?

Quærendi causa: Bonifacius VIII. *Cap. 1. De Cler. non Resid. in 6.* præcipiens, ut iis tantùm, qui Divinis Officiis affuerint, distributiones dentur, idque juxtà cujusque Ecclesiæ ordinationem faciendam vel factam, insinuat cuique Ecclesiæ pertinere, pro judicio suo distributiones dividere & assignare. Attamen Textus hic prædictam assignationem non adjudicat alteri quàm Episcopo, cùm cujusque Ecclesiæ præcipuus sit Rector, cumque iis, quæ à qualibet statuuntur & ordinantur, autoritatem præstet.

VII. Spectata ad quam progressa sit laxior circa mores doctrina, dubitare aliquis posset, num Lex quæ distributionibus privat Divina Officia negligentes purè pœnalis sit?

Dubitandi autem causam hinc petere posset, quod prædictæ privationi nulla adjiciatur censura. Cui inauditæ hactenus dubitationi ut fiat satis, notandum; Legem purè pœnalem esse non posse quæ rem aliàs præceptam negligentes punit; si quæ enim sit Lex purè pœnalis circa rem aliàs indebitam versari debere videtur, cùm optionem relinquat vel faciendi rem quam præcipit, vel pœnam quam irrogat solvendi; præterea id genus Legum Politiam externam respicere tantùm docent, qui illud existere existimant.

His notatis, respondetur privantem distributionibus Legem purè pœnalem non esse, cùm præceptam, Clericis quos afficit, Officiorum decantationem esse, ostensum sit, istamque Legem non Politiam externam, sed Divinum Cultum, atque non minimam illius partem spectare certum sit.

VIII. Dubiolum alius forsan adjiciet, nempe an quibus nulla assignata est distributio Horis, iis adesse teneantur Canonici; dicet enim distributionis privatione obligationem designari, undè sequi videtur nullam inesse obligationem, cùm nulla adest distributionis privatio: Hoc autem dubiolum facilè solvitur, pœna enim etsi Præceptum designet, supponatque, hinc tamen non sequitur nullum adesse Præceptum, cùm nulla adest pœna, cùm plurima extent Præcepta, quibus nulla adjicitur pœna.

Instabit idem & dicet, ideò statutam esse contra illos qui alias Horas negligunt pœnam, quia imposita est illas publicè recitandi obligatio, oportere ergo quo casu nulla pœna statuta est, eodem nullam adesse obligationem. Verùm quàm vitiosa sit hujusmodi ratiocinatio cuique patet consideranti, culpas non omnes puniri, magnas quandoque impunitas dimitti; leves autem quales Horarum, quibus non assignatur distributio, neglectus pluribus de causis pœna plecti non solere, nam præterquam quod vulgò dicitur *de minimis non curare Prætorem*, culpæ leves nonnisi levi pœna plecti possunt, leves autem pœnæ facilè spernuntur, quæ verò contemnuntur, pœnæ frustrà constituuntur.

IX. Quæri posset, num extet aliquis Juris Textus qui de distributionibus pecuniariis mentionem faciat; Huic Quæstioni respondendum nullum extare, qui illarum expressè meminerit, sed illas posse comprehendi sub nomine Beneficiorum Manualium, quo donantur distributiones *Cap unic De Cler. non Resid in 6.* Hinc discrimen quod ponitur in Gallia inter distributiones pecuniarias, & alias, erga Canonicos qui absentes justa de causa ab Officiis Divinis pro præsentibus habentur, ideoque distributiones lucrantur, expressum non habet in Jure fundamentum.

Quæstio I.

Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium Tridentinum *definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini?*

Facti, de quo agitur, veritatem supponimus, quia Historici *Concilii* Tridentini circa illud consentiunt; illud etiam videtur in *Epist.* Gentiani Herveti, qui Theologus erat Cardinalis a Lotharingia, ad P. Salmeronem Jesuitam: Illius autem facti causam investigamus. Circa quod sciendum est, in Ultramontanis quorum præcipui sunt Itali, duo ingentia esse plerumque obstacula, quæ eos impediant quominùs credant Residentiam Episcoporum esse Juris Divini. Primum obstaculum menti insidet, & provenit ex eo quod putent Episcopatum non esse ex Institutione Divina, sed Pontificem esse Episcoporum Institutorem, eum omnia ipsorum munera, seu Officia assignavisse, atque præscripsisse, pariterque ipsis Residentiæ ad ea obeunda necessariæ obligationem imposuisse. Aliud obstaculum cordi inhæret; cupiunt illi, ambiuntque Officia Curiæ Romanæ, perinde ac Episcopatus, voluntque illa cumulatim possidere, volunt quoque Cardinalatum, Legationes, Nunciaturas conjungere cum Episcopatibus. Porro exoptata adipisci nequeunt, nisi Pontifex eos pro beneplacito suo dispensare possit à Residentia: Secùs, conscientiæ stimulis urgerentur, quia sibi conscii non sunt aliquam necessitatem, aut evidentem Ecclesiæ utilitatem sempèr requirere ejusmodi Dispensationes; at quantumvis exiguam habeant cognitionem Dignitatis Juris Divini, nequeunt ignorare non licere Pontifici ab eo dispensare pro arbitrio suo; credentes autem Pontificem esse Juris Ecclesiastici Positivi Dominum, parùm curant secum dispensare absque ulla Canonica causa, sed ipsis ad securitatem conscientiæ sufficit, ut Pontifex eos dispensare velit, sive ex mera indulgentia, sive ex alio humano quovis motivo.

Præmissa hac observatione, facilè percipimus Episcopos Italos, qui impedierunt quominus *Concilium* Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum Jure Divino præceptam esse, ad id impulsos fuisse ab ipsorum peculiari commodo, necnon à Pontificio, cujus valde studiosi erant ob multas rationes, sed præsertim quia à suo secerni non poterat. Profectò eorum referebat hoc Caput indecisum manere, quia tunc licebat credere obligationem Residentiæ quoad Episcopos à Jure Positivo solùm proficisci; hanc autem juxta opinionem facilè exonerari poterant ab illa obligatione, 1°. per Consuetudinem

legitimè præscriptam, ad quam sufficiunt 40. anni non Residentiæ, sine ulla Superioris quamvis scientis querela: 2°. Per Dispensationem Pontificiam expressam aut tacitam: Expressam, qualis est ea, quæ per Literas ad hunc effectum conceptas conceditur: Tacitam, qualis est ea, quam impetrat Episcopus, qui, conscio Pontifice, Officium aliquod in Romana Curia adipiscitur, vel qui ad illud ab ipso Pontifice promovetur, vel qui ab eodem accipit aliquam commissionem incompatibilem cum Residentia in Diœcesi. E Pontificio quoque commodo erat, ut non definiretur Residentiam Episcoporum esse Juris Divini; quam quamdiu licebit credere eam Juris esse Humani tantùm, tandiu in Curia sua magnum habebit numerum Episcoporum, suum favorem & gratiam venantium, poteritque inter famulos habere Episcopos etiam magnarum Sedium, ipsis dare aut vendere Officia Curiæ suæ, eosdem absque necessitate Nuntios aut Legatos mittere, cognatis aut familiaribus suis plures Episcopatus conferre, nec tamen eos conspectu suo privare; denique illi, qui Diœceses suas deserere audebunt, ut Curiam sequantur, omnem scrupulum excutere poterunt, credendo opinionem à Pontifice toleratam à peccato excusare.

Cum Itali sint primi, quibus prosit extraordinaria potestas, quam Ultramontani Pontifici attribuunt, quia plerique ex illis hujus subditi aut aulici sunt, Episcopis illius Nationis haud fit injuria, dum creditur eos opiniones Sedis Apostolicæ magnitudini faventes amplecti, ob sui emolumenti amorem; Jure igitur præsumimus illorum ambitionem, non minùs quam immodicum gloriæ Pontificiæ studium, valde influxisse in machinationes, quibus illi ad avertendam definitionem de qua agitur, usi sunt.

Sed, inquies, qui fieri potest, ut nequitia aliquot Patrum Concilii Generalis impediat, quominus fiant definitiones Ecclesiæ tàm necessariæ, quàm decisio Institutionis Divinæ Episcoporum, necnon obligationis ad Residentiam è Jure Divino; non autem efficere possit ut decisiones falsæ fiant.

Huic difficultati sic occurrimus: Concilium Generale non potest facere definitiones circa fidem veritati contrarias, quin destruatur Ecclesia quam illud repræsentat; hæc enim corrueret, si portæ Inferi adversùs eam prævalerent; hoc autem fieret si Concilium Generale à quo repræsentatur definitiones erroneas conficeret, quia tunc ea fidem amitteret super quam ædificata fuit. Aliunde Ecclesia consistere potest sine definitionibus, de quibus agitur, quandoquidem tot sæculis floruit antequam eas faciendi rationes nascerentur. Uno verbo CHRISTUS Ecclesiæ infallibilitatem promisit, hæc autem promissio illam præservavit quominus faceret definitiones erroneas in Concilio Generali; non verò promisit fore ut omnes veritates revelatas simul ipsi detegeret, sed successivè prout ipse volet: Nos Ecclesiæ Historia compellit, ut sic exponamus hunc locum; *Paraclitus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixero vobis.* Illa enim docet præcipuas definitiones circa fidem per quas veritates revelatæ certò cognoscontur factas fuisse successivè, ita ut ab alia ad aliam non mediocre tempus effluerct.

QUÆSTIO II.

An æquale sit, seu indifferens, Decreta Conciliorum concipi eorum nomine, vel nomine Præsidentis, expressam mentionem faciendo consensûs Episcoporum, qui cum Præsidente congregati sunt?

Principio videtur id promiscuum esse, quia hinc Decreta quocumque modo concipiantur, nec majorem nec minorem autoritatem habent, nec magis, nec minùs perspicua sunt; aliunde verò id quod Legum autoritatem & perspicuitatem nec auget, nec minuit, merum accidens videtur nullius momenti. Quoad perspicuitatem vel obscuritatem, manifestum est neutram nasci posse, ex eo quod Præsidens loquatur in Decretis, vel ex eo quod Synodus ipsa loquatur. Quoad autoritatem, hæc servatur per expressionem consensûs aliorum Episcoporum, hæc enim ostendit Decreta facta fuisse ab Episcopis perinde atque à Præsidente, & proinde esse opus Corporis congregati, non verò unius capitis.

Ubi tamen altiùs penetramus, reperimus nonnihil referre, ut Decreta nomine Synodi concipiantur potiùs quàm nomine Præsidentis, quamvis hic expressè dicat Collegas suos consensisse. Sanè hæc forma concipiendi Decreta prorsus convenit formæ Regiminis Ecclesiæ, quod est Aristocratico-Monarchicum, at in Regimine Aristocratico Leges concipiuntur nomine Senatûs, qui illas conficit, non verò nomine Præsidentis, cui unicum suffragium, sicut aliis Senatoribus, competit. Quod profectò æquissimum est, quia Leges gerere debent nomen eorum, in quibus sita est potestas illas conficiendi. Porrò in Regimine Aristocratico, autoritas residet in Senatu, qui est Collegium Primatum; Caput verò est solùm Minister Collegii, sive Corporis, & electum est solùm ad illius jussa exequenda. Inde est procul dubio quod Apostoli Decretum suum circa observationes Legales adscripserunt Concilio, non verò S. PETRO. *Visum est Spiritui Sancto & nobis* ait Apostolus *Cap.* 15. Verisimile est autem, quod si haberemus Acta aliorum Conciliorum, in quibus Decreta scripto fecerunt iidem Apostoli, vel potiùs si talia Decreta in aliis Conciliis fecissent, communis esset omnium eorum forma. Inde est etiam quod omnes Synodi Generales in Oriente habitæ novem prioribus sæculis, Decreta & Canones suos nomine suo conceperint, inter Occidentales verò præcipuarum pleræque idem fecerunt, ut videre est in *Concil.* PISANO I. in CONSTANTIENSI, in BASILEENSI, in TRIDENTINO. Concilia hæc aliis multis Generalibus anteponimus, ideò quod habita fuerint ad restaurandam autoritatem Conciliorum Generalium à Pontificibus usurpatam, sive quoad fidei definitiones, sive quoad Canones reformationis generalis, à qua immunes se esse hi contendebant. Quod si natura Regiminis Ecclesiastici poscat, ut Decreta Conciliorum horum nomini adscribantur; inde sequitur illa nomine Præsidentis concipiendo, recedi ab illius Regiminis forma, quamvis expressa mentio fiat consensus aliorum Episcoporum; hæc enim expressio non impedit, quominus Decreta, in quibus solus Præsidens loquitur Regimen Monarchicum sapiant, & significent ad ejus solius Officium pertinere, ut condat Leges, & reliquos, qui earum participes dicuntur esse meros Consiliarios, quorum consensum adhibet Præsidens, ut majus Constitutioni suæ pondus attribuat. Imò cum clausula *de consilio & assensu Fratrum nostrorum*, in Decretis Pontificis apponatur solùm ob Consuetudinem styli, metuendi locus est ne clausulæ, *de Concilio & assensu Coepiscoporum nostrorum*, vel *approbante Concilio*, quæ leguntur in Conciliorum Constitutionibus Præsidentis nomine conceptis, eodem vitio laborent. Adjice quod Decreta Conciliorum Præsidenti non sine aliqua injustitia adscribuntur, quia Præsidenti attribuitur id quod magis ad reliquam Synodum quàm ad ipsum pertinet, nam Decreta fiunt juxtà pluralitatem suffragiorum, porro votum Præsidentis unici suffragii vim habet, itaque cæteri Patres Concilii simul juncti majorem habent partem in ejus Decretis, quàm solus Præsidens, præsertim ubi numerus Patrum magnus est. Cùm, *v. gr.* si centum Patres Decreto consenserint, Præsidens si ex illis est centesimam duntaxat partem habet, sive non influit nisi ex centesima parte.

Dicimus, *si ex illis est*, quia nonnunquam accidit, ut Decreta fiant contra votum Præsidentis, quando Corpus aut major ipsius pars sententiam tenet contrariam

trariam opinioni Capitis ſeu Præſidentis, quo in caſu contra ſuam ſententiam concludere debet, necnon pronuntiare, ſive edere Corporis nomine Decreta quæ ipſe non probat, unde nova naſcitur ratio non concipiendi Decreta nomine Præſidentis, nam in caſu quo ſententia corporis vincit opinionem Præſidentis, deceme ut hic loquatur in Decretis, & dicat ſe prohibere, id quod volebat; & fortè etiam vellet præcipere, aut permittere; vel ſe præcipere, id quod vetare voluiſſet, atque etiamnum cuperet, ſi res à ſuo arbitrio penderet?

Cùm igitur forma concipiendi Decreta nomine Præſidentis multis incommodis obnoxia ſit, quorum plura ordinaria ſunt; nullum autem ſequatur, ex eo quod illa Concilio adſcribantur, imò hoc bonum ſit; conſtare debet indifferens, ſeu promiſcuum non eſſe alterutram formam uſurpari; ſed è contra valdè referre, ut poſterior priori anteponatur.

Quæstio III.

An poſt Concilium Tridentinum *reperiantur Concilia Particularia, quorum Decreta confecta ſint ſub Archiepiſcopi nomine, cum Suffraganeorum conſilio, & conſenſu; & quanam illa ſint?*

Synodos Particulares, quoad formam Decretorum ſuorum, Conciliis Generalibus immediatè præcedentibus conformare ſe ſolere conſtat, & ex obſervationibus ſequentibus patebit.

I. Antè *Concilia* Lateran. quæ Generalibus annumerantur, & quorum primum *ann.* 1121. *ſub* Paschali II. habitum fuit, nullum eſt Concilium Generale, cujus Decreta ſub nomine Pontificis tanquam Præſidentis Concilii concepta fuerint. Anteà loquebatur ipſa Synodus. Inde eſt quod Synodi Particulares antè ſæculum XI. habitæ numquam Decreta ſua conceperint ſub nomine Præſidentis, ſed ſuo: credebatur, & meritò, quod cùm illa ex communi Epiſcoporum congregatorum autoritate, non verò ſolius Prælati Præſidentis fierent; deceret ut illa omnibus adſcriberentur & proinde loqueretur Synodus.

Poſt *Concilia* Latsaan. & alia Concilia, quæ eorum exemplum ſecuta ſunt, qualia ſunt utrumque Lugdun. necnon Viennanse, multas reperimus Synodos Particulares, in quarum Decretis loquitur Præſidens, tanquàm à ſui unius autoritate ea profectæ eſſent, & aliis Epiſcopis uſus eſſet tanquam Conſiliariis, quorum conſenſum requiſiverat. Multa ſunt exempla in Tom. II. Conc. *Part. I. & II.* & præ cæteris, *Concilium* Cantuar. *ann.* 1200. Narbon. *an.* 1227. & 1258. Burd. Gal. *ann.* 1237. & 1258. quatuor *Concilia* Raven. *ann.* 1286. 1311. 1314. 1317. Multas prætermitto Synodos itidem Particulares, quibus Legati Pontificii præfuerunt, idenque Decretis earum nomen ſuum præfixerunt. Præcipuæ ſunt Paris. *ann.* 1212. Londin. *ann.* 1268. Budensis *ann.* 1279.

II. Poſt *Concilia* Pisan. *ann.* 1408. Constant. *ann.* 1414. Basil. *ann.* 1431. quæ Decreta ſua nomine ſuo conceperunt, extant Synodi Particulares, quæ illa imitatæ ſunt; talis eſt Rothomagensis *an.* 1445. in cujus quadraginta Canonibus verba hæc *Sancta Synodus* exprimuntur, aut ſubaudiuntur.

Cùm igitur certum ſit *Concilia* Particularia in Decretorum ſuorum forma ſequi formam Conciliorum Generalium immediatè præcedentium, credibile eſſet Concilia Provincialia poſt Trident. celebrata ſuo ipſorum nomine Decreta ſua concepiſſe; tamen multum abeſt, quominùs id verùm ſit; nam plusquam ſunt duodecim ex illis, in quibus Archiepiſcopus loquitur, & dicit ſe ſtatuere ex conſilio & conſenſu Suffraganeorum ſuorum: Talia ſunt ſex *Conc.* Mediolan. *Conc.* Rothomag. *ann.* 1581. *Concil.* Rhem. *ann.* 1583. *Conc.* Aquens. *ann.* 1587. *Conc.* Tolos. *ann.* 1590. *Conc.* Avenion. *ann.* 1594. *Conc.* Aquil. *ann.* 1586. *Conc.* Narbon. *ann.* 1609. ut patet ex initio uniuscujuſque *Concilii.*

In pleriſque aliarum Synodorum poſt Trident. habitarum ipſa Synodus loquitur: Tales ſunt Rhem. *an.* 1564. Camerac. *an.* 1565. Tolatana *an.* 1566. Mechlin. *ann.* 1570. Turon. *ann.* 1585. Bitur. *ann.* 1584. Mexic. *ann.* 1585. Mechlin. *ann.* 1607. Quoad Synodos Burdigal. *ann.* 1583. & 1624. quarum forma diverſa eſt, Archiepiſcopus loquitur unà cum Suffraganeis, ut videtur in fine quarti Decreti prioris Synodi *Nos & Coepiſcopi noſtri*, & in Præfatione *Cap.* 1. poſterioris; *quod non modo nos, ſed & Reverendiſſimi Coepiſcopi.*

Quæstio IV.

Quamnam utilitatem Gallia reſpectivè ad Curiam Romanam traxit, nolendo publicare Concilium Tridentinum?

Quò magis attendimus ad ea, quæ geſta ſunt propter denegationem publicationis *Concilii* Tridentini in Gallia, eò magis agnoſcimus eam denegationem Galliæ utilem fuiſſe.

I. Quidem omnes moliriones Curiæ Romanæ, ſive mittendo Nuntios & Legatos, ſive urgendo Regios apud Pontificem Oratores, tùm machinationes, quas à factione Hiſpano-Catholica, necnon ab aliquot Epiſcopis Sedi Apoſtolicæ devotis fieri procuravit, adeò ut illud publicaretur ſine conſenſu Regio, oſtendunt illam Curiam credidiſſe publicationem eſſe neceſſariam, ut Concilium haberet vim Gallos obligandi; porro opinio illa tàm ſæpè manifeſtata notabiliter confirmat Regulam Gallicanam circa neceſſitatem pulicationis Legum in locis ipſis, ut eorum incolas obligare valeant. Hinc eò majus in Galliam commodum oritur, quò illi ipſi, qui hanc Regulam criminantur, multoties eam ſolemniter approbaverunt.

II. Jus Galliæ competens modificandi Decreta Pontificum & Conciliorum Generalium, validam confirmationem accepit ex deliberationibus vario tempore factis publicandi Trident. cum aliquot ex his clauſulis, ſublato eo quod tranquillitati Nationis officere poſſet, ſalvis exemptionibus Capitulorum, ſalvo Jure Regio; ſalvis Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, aliiſve ſimilibus à Curia Romana approbatis; nam præterquam hoc hæ clauſulæ inſertæ fuerant Edicto, quod Henricus IV. meditabatur, & Clemens VIII. approbaverat, credibile eſt Cardinalem ab qui pluries ſcripſit omnia obſtacula vinci poſſe unius *ſalvo* ope, id non facturum fuiſſe, niſi certus fuiſſet Pontificem conſentire receptioni cum modificatione.

III. Quantùm certum eſt Pontificem Clementem VIII. diſpoſitum fuiſſe ad approbandam publicationem *Concilii* Trident. cum clauſula *Salvis Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus*, tantùm emolumenti cepit Gallia, ex eo, quod Pontificem ad authenticam approbationem Libertatum ſuarum adduxerit reſiſtendo publicationi quam cupiebat.

IV. Quamdiù Pontifices aliquam ſpem habuerunt impetrandæ publicationis *Concilii* Trident. in Gallia, tamdiù faciles fuerunt, in concedendis rebus quas petebat. Plura exempla afferre facilè foret; verùm ſufficiet allegare abſolutionem Henrici IV. quam Rex Hiſpaniæ tantis conatibus Romæ impediebat, quæque tandem conceſſa eſt ob ſpem quod Rex publicationem Tridentini in Gallia procuraret.

Quæstio V.

Momenta precum frequentium Pontificum, ut Concilium Tridentinum *in Gallia publicaretur.*

Cùm attendimus ad Sedem, quam in Eccleſia obtinet

net Pontifex, qui est Caput Ministrorum à Spiritu positorum ad regendas animas fidelium, proclives sumus ad credendum molitiones Pontificum ad obtinendam publicationem *Concilii* TRIDENT. in Gallia profectas esse à zelo salutis animarum; sperabant quippè fore ut Decreta istius Concilii, valdè idonea essent, ad morum Reformationem, atque eorum publicatione restitutum iri rectum ordinem. Sed dum consideramus, quod licet alios suprà homines evecti nihilominùs homines sunt, quodque magna sublimitas humanam sæpè infirmitatem auget, possumus absque injuria præsumere, quod amor sui ipsorum emolumenti multùm contulerit ad vehemens illorum erga publicationem studium: nam TRIDENT. plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honorifica; talia sunt.

I. Illud quod Pontificem Concilio Generali præponere videtur, petendo à Pontifice confirmationem omnium TRIDENTINI Constitutionum.

II. Illud quod declarat mentem suam non fuisse, ut Pontificia autoritas ullo suo Decreto restringeretur, *salva in omnibus Sedis Apostolicæ autoritate*, undè eadem consequentia elici potest.

III. Illa, in quibus Pontifici reservatur cura conficiendi Catechismi, concessio Calicis, interpretatio Decretorum suorum, continuatio, vel abrogatio Commendatum, cognitio causarum Episcoporum.

IV. Illa, in quibus conventum est, ut solis Legatis competeret facultas proponendi argumenta discutienda, aut deliberanda, utque Decretis insereretur clausula, *proponentibus Legatis*.

QUÆSTIO VI.

An Principes aliquam partem habuerint in Conciliis Provincialibus post TRIDENTINUM *habitis ad procurandam executionem Decretorum ipsius; & posito quod aliquam habuerint, an indè elici possit aliquid illi Concilio favorabile?*

A Posteriori Quæstione exordiemur, quippè, quæ finis sit prioris: solutio illius Lectorem inducet ad evolvenda facta, per quæ prior deindè decidetur. Duo autem præsupponenda sunt. Omnia illa Concilia aliquatenus acceperunt Decreta TRIDENT. alia expressè sanxerunt executionem omnium illius Constitutionum: Talia sunt, CAMBRAC. *ann.* 1565. MEDIOLAN. *ab anno* 1565. *ad* 1582. *habita.* TOLET. *ann.* 1566. MECHLIN. *ann.* 1570. MEXIC. *ann.* 1585. AVANION. *ann.* 1594. AQUIL. *ann.* 1596. alia suis Decretis pleraque illius Decreta inseruerunt, vel ad verbum, vel æquipollenti sermone, sive illud nominatim laudando, sive ejus mentione omissa: Talia sunt omnia Concilia apud Gallos habita, uti per illorum excerpta comprobavimus.

Aliud Caput est, quod non appareat ullum Principem Synodis in Ditione sua habitis vitio vertisse, quod sic Decreta TRIDENT. accepissent.

His præsuppositis manifestum est, multùm ponderis adjectum iri TRIDENT. si Principes aliquam partem in Conciliis posterioribus habuerint, sive jubendo, sive invitando, aut exhortando, ut illa celebrarentur, sive idem permittendo, & precibus Prælatorum annuendo, seu denique sanciendo executionem Decretorum, ab illis Synodis confectorum, nam sic validè probatur eos approbavisse Decreta *Concil.* TRIDENT. & consensisse, ut in sua Ditione, vel ex integro, vel ex parte observarentur.

Operæ igitur pretium est investigare, an Principes aliquam partem habuerint in Conciliis post TRIDENT. habitis, & quænam illa fuerit?

Inter Synodos, quarum Principes participes fuerunt laudare non possumus RHEN. *ann.* 1564. quia non supersunt instrumenta convocationis & publicationis, aut similia, in quibus, ut plurimùm reperiuntur vestigia rei quam Princeps erga Synodum gessit.

Adjice contumeliam Galliæ à Concilii Patribus inustam, qui noluerant Oratoribus Gallicis primas quas possidebant antè Hispaniam dare, adeò recentem fuisse, aliasque offensas adeò crudas, ut credibile sit RHEM. de qua agitur Synodum, sine consensu expresso Regis habitam fuisse, vel hunc tacitè duntaxat consensisse. Aliud est de CAMBRAC. edita & habita die 3. *Aug. ann.* 1565. nam instrumento editionis expressè dicitur PHILIPPUM II. Hispaniæ Regem ad quem Provincia CAMBRAC. tùm pertinebat excitavisse Episcopos, ut eam celebrarent: *Huic autem inditioni nostræ addidit animum Invictissimi neque Religiosissimi Principis* PHILIPPI *Regis Catholici omnium optimi ac maximi pietas, (in cujus Ditione penè tota Provincia patet) qui cùm id sibi vehementer placere ac probari, pro suo erga rem Christianam studio declarasset &c.*

S. CAROLUS in Oratione, quâ primam *Synodum* MEDIOLAN. exorsus est *ann.* 1565. insinuat Regem PHILIPPUM, aliosque MEDIOLAN. agri Principes aliquàm in ista Synodo partem habere: *Hoc optimus maximus Rex* PHILIPPUS *in cujus dignitate, ut verbo complectar, Sacerdotalem animum licet agnoscere; hoc cæteri hujus Provinciæ Principes de populorum salute solliciti à nobis desiderant, quorum studia & Officia non vereor, ne nobis Sanctisque hujus Synodi Decretis semper adsint, eamque potestatem, quam à Deo acceperunt, ad Dei, & Cultum, & voluntatem libentissimè conferunt.*

In reliquis *Synodis* MEDIOL. nihil reperitur, quod saltem remotè respiciat influxum Principum in illas Synodos; quod fortè provenit ex eo quod S. CAROLUS unamquamque earum considerando tanquam continuationem prioris, quia ad perficienda prioris cœpta habebantur, crediderit consensum Regium ad priorem prorogari ad reliquas, ita ut illud taceri posset in reliquis, propterea quod satis expositum fuisset in priore.

Conjectura hæc eo verisimilior est, quod aliæ Synodi in Ditione Regis Hispaniæ habitæ, hunc earum fuisse participem doceant, ut jam notavimus erga *Synodum* CAMBRAC. & mox ostendemus erga *Synodum* TOLETAN. in cujus exordio Præsidens dicit eam haberi ob operam & curam PHILIPPI Regis Hispaniæ &c. *Igitur favente Deo Opt. Max. Reverendissimi Episcopi hujus Provinciæ juxtà præscriptum Sanctæ Synodi Generalis* TOLET. *convenientes, Concilium, cui nos licet indigni præfuimus, celebraverunt, id etiam agente & curante Invictissimo Religiosissimo Principe & Domino nostro* PHILIPPO *Hispaniarum Rege Catholico, cui conservandæ rectæ fidei tantus ardor, tantus amor restituendi Ecclesiasticas Leges insedit, ut meritò cum Sanctissimis illis Imperatoribus* CONSTANTINO *&* THEODOSIO *Deo dilectis conferri possit & debeat &c.*

Similes habemus probationes quod Reges Hispaniæ similiter contulerint, ad *Concilium* MEXIC. *ann.* 1585. & ad *Concilium* MACHLIN. *ann.* 1607. Duo sunt prioris loca, quæ ad rem faciant; primus est in Præfatione, ubi dicitur illud Concilium à Regio Senatu Indiarum discussum fuisse; *Subjectum fuit hoc celebre Concilium integerrimæ censuræ Senatus Regii Indiarum, de cujus licentia & approbatione, Romam translatum est Autoritate Apostolica firmandum.* Secundus est in Inscriptione Statutorum pro Ecclesiâ MEXIC. compositorum. *Statuta ordinata à Sancto Concilio Provinciali* MEXIC. *tertio, ann. Domini* 1585. *ex præscripto Sacrosancti Concilii* TRIDENTINI SESS. XXIV. Cap. 12. *De Ref. verbo cætera, revisa à Catholica Majestate, & à Sacrosancta Sede Apostolica confirmata ann. Domini* 1585. Regem Hispaniæ contulisse ad celebrationem *Synodi* MECHLIN. probatur ex Præfatione Synodi PROVINCIALIS: *Convocationem existimavimus non diutiùs differendam, sed eam proxima æstate Deo opitulante celebrandam, idque prout etiam Serenissimæ suæ Celsitudini visum est in Civitate* MECHLINIENSI. Et hæc sunt omnia Concilia post TRIDENT. habita in Ditione

Regis

Regis Hispaniæ; quæ conjunximus, neglecto ordine temporum, ne interrumperetur ordo testimoniorum, quæ probant Regem Hispaniæ contulisse ad celebrationem Synodorum in ipsius Ditione habitarum. Simili de causa Synodos in Gallia habitas seorsim & successivè lustrabimus, ut sine ullo intervallo exhibeamus potestatem, quam Rex exercuit, quoad Concilia in Gallia habita. Sed priùs observandum est *Edictum* MELODUNENSE *ann.* 1580. *Art.* 1. his verbis præcepisse, ut Concilia Generalia celebrarentur.

Premierement nous admonestons les Archevêques Metropolitains de nôtre Royaume, & néantmoins leur enjoignons de tenir les Conciles Provinciaux dans les six mois prochainement venans, & dès lors en avant de trois ans en trois ans, en tel lieu de leur Province, qu'ils connoîtront être plus propre & convenable pour cet effet, pour pourvoir à la Discipline, Correction des Mœurs, & Direction de la Police Ecclesiastique, & Institution des Seminaires & Ecoles, selon la forme de Saints Decrets.

Observandum est præterea, omnes Synodos in Gallia habitas post *Conc.* TRID. huic Edicto posteriores esse, excepta RHEM. *ann.* 1564. undè concludere licet, quod licet deficerent probationes speciales circa partem, quam in iis Synodis Rex habuit, suppeteret generale argumentum ex eo sumptum, quod earum celebrationem jusserit, & quod earum celebratio sit hujus jussionis effectus.

Propter hoc fortè Edictum *Synodus* TURON. *ann.* 1583. Deo gratias agit, ideò quod Regi inspiraverit consilium procurandi celebrationem Conciliorum &c. *Imprimis Deo Opt. Max. hac Synodus gratias referendas censuit, prout refert, quod Divini ejus Spiritûs afflatu, Christianissimus Rex noster, Ecclesia Dei statum & ordinem roborare disponens, Conciliorum Provincialium in universo Gallia Regno celebrationem gratam non solùm habuerit, sed eam etiam indici procuraverit: Hinc futurum sperans, ut quæ summo nostro malo diutiùs grassatæ sunt Hæreses radicitùs extirpentur, & quibus turpiter Ecclesia deformatur prorsus aboleantur abusus.* Igitur si aliquot è *Synodis* GALLIC. de quibus locuturi sumus, nihil dicant, quo probari possit Regem ad eas contulisse, ex earum silentio concludi non poterit ipsas absque ejus participatione habitas fuisse, quia nulla est earum, quæ habita non fuerit, propter Generale Præceptum Regium celebrandi Concilia Provincialia. Præterea silentium hoc provenire posset ex neglecta mentione jussionis, aut permissionis, aut suggestionis Regiæ, ad Concilii celebrationem, quandoquidem extant Synodi ejusdem ferè temporis, quæ illam circumstantiam exprimunt. Porro nulla est ratio propter quam Rex his potiùs quam illis Synodis se immisceret.

Synodi, in quibus hoc silentium observatur, sunt BITUR. *ann.* 1584. AQUENS. *ann.* 1585. TOLOS. *ann.* 1590. NARB. *ann.* 1609. BURDIGAL. *ann.* 1624. *Syn.* ROTHOMAG. *ann.* 1581. quæ prima habita est in Gallia post MELODUN. Edictum confirmat observationem superiorem, nimirum Regem contulisse ad omnes Synodos subsequentes, nam Cardinalis BORBONIUS rationes convocationis afferens, expressè loquitur, de judicio quod Rex & Regni Ordines tulerant, circa necessitatem Conciliorum Provincialium. *Regemque nostrum Christianissimum, ac cunctos hujus Regni Status & Ordines, nihil magis congruum & necessarium quàm frequentem in unaquaque Provincia Synodorum celebrationem existimasse, in quibus & attrita resarciantur, collapsa restituantur, maculæ, quibus facies sponsæ* CHRISTI *fœdata est, abluantur, & statuantur denique quæ suo reddendo Ecclesiæ splendori, Duce Spiritu Sancto, judicantur necessaria.* CONC. TOM. XV. *pag.* 877. Expressum hoc *Synodi* ROTHOMAGENSIS testimonium, quod convocata fuerit ad obtemperandum Edicto laudato, suadet reliquas Synodos, quæ de Regis opera silent, partim ob eamdem causam convocatas fuisse. Prima inter reliquas Synodos est RHEM. *ann.* 1583. in cujus instrumento convocationis leguntur hæc verba: *Necnon Christianissimi Regis nostri* HENRICI *consensu simul & hortatu.* Quibus consona sunt alia hæc verba actûs publicationis: HENRICO *Rege Nostro Christianissimo nos piè admodùm cohortante*; sic loquebatur Cardinalis GUISIACUS referendo rationes, quibus inductus fuit ad cogendam hanc Synodum.

Synodus BURDIGAL. ex iis quoque est, in quas aliquo actu speciali Rex influxit, ut certò cognoscitur ex instrumento editionis in quo Archiepiscopus Regem deprecatur, ut ejus Decretis suam protectionem impertiatur, eodem cum studio quo ad illam celebrandam Prælatos hortatus erat. *Ut autem hæc absque ullo impedimento nobis & Reverendissimis Fratribus Coepiscopis, aliisque, quibus hæc ex Officio cura incumbit, liberè & integrè præstari, implerique possint, Regem nostrum* HENRICUM *Christianissimum, quo possumus animi sensu rogamus, atque in Domino obsecramus, ut pari pietate, cura, & sollicitudine, hanc Synodum tueatur, ejusque Sancta Decreta servari omninò jubeat, qua nos ad eamdem cogendam & habendam pro singulari sua in Religionem, Deique Cultum, propensione adhortatus est.* Cùm Princeps protegere legitimè, atque observanda jubere Concilii Decreta non possit, nisi simul illa approbet, dicendum est, Preces *Synodi* BURDIGAL. Regi oblatas, ut ipsius Decreta protegere, atque observanda jubere, dignaretur, includere supplicationem, ut illa approbaret.

Suprà ostensum fuit *Synodum* TURON *ann.* 1583. commemorare jussionem HENRICI III. ut Concilia Provincialia haberentur, atque eorum celebrationem illi jussioni attribuere. Idem legitur in Epistola Archipræsulis TURONEN. ad eumdem HENRICUM; nam post enumerata bona, quæ gignuntur à Synodis Provincialibus, sic pergit: *Quorsum hæc quid ad rem hæc omnia? nimirum, ut ostendam quam rectè, quàm prudenter, quàm in totius Ecclesiæ Christianæ rem fecisti, cum universo Galliarum Clero Provincialium Conciliorum celebrationem permisisti.*

Ex eadem Epistola discimus ejus Concilii Patres plus ponderis virium, atque autoritatis Decretis suis conciliare volentes, ea obtulisse Regi, ut illa confirmaret, eorumque defectus suppleret. Factum hoc legi meretur, fusiùsque relatum est in Observationibus circa *Concilium* TRID. *Tit. Peculiaria notabilia circa Public.* TRID.

Cùm hic aliquatenus agatur de autoritate Principum quoad Concilia Particularia, non abs re fuerit observare id quod in eadem Epistola legitur de Procuratore Regio, qui Synodis aderat. *Quin etiam, ut ne quid ex Regia decerperetur dignitate & autoritate aderat ibi Regius Procurator, quem appellabant* Executorem, *qui in exequendis contra Sæculares Ecclesiæ Decretis operam navaret strenuam & efficacem.*

Verùm redeamus ad probationes operæ, quam Rex ad celebrationem Synodi TURON. contulit; una superest luculenta in gratiarum actione & dimissione Conventus, facta ab Archiepiscopo; hic enim loquens de personis quibus agendæ grates erant, ob celebrationem Concilii, secundo in gradu Regem Christianissimum collocat: *Agenda præterea . . . Regique Christianissimo* HENRICO *ob liberè permissa Concilia gratiæ, si coram in os nobis loqui liceret.* Instrumentum hoc solius permissionis Regiæ mentionem facit; laudata Epistola jussionem adjicit: *Cujus non solùm permissu, sed pio jussu coacta est hæc Synodus.*

Ex hæc sunt omnia Concilia Gallicana TRID. posteriora, quæ locuta sunt de influxu Regis in Concilia Ditionis suæ.

Quoad reliqua extra Galliam & Hispanicos Status celebrata, duo tantùm à P. LABBÆO referuntur, nempè AVENION. *ann.* 1594. & AQUIL. *ann.* 1596. Nihil est in eorum Actis, quod doceat Principes earum Regionum aliquid ad eas contulisse, quod nemini mirum esse debet; nam Avenio est Civitas Capitalis Comitatûs Vin-

Vindóſcini, cujus Pontifex eſt Dominus temporalis: Porrò PIUS IV. præceperat, ut Synodi Provinciales haberentur, ſanciendo executionem Decretorum TRIDENT. inter quæ unum injungit Metropolitanis, ut Concilia Provinciæ ſuæ tertio quoque anno celebrent, itaque haud neceſſarium erat, ut CLEMENS VIII. ſub quo Synodus hæc habita fuit, autoritate ſua uteretur, ut ea convocaretur.

Quoad *Synodum* AQUIL. diei poteſt Titulum *Principis*, quem Archiepiſcopus in inſcriptione aſſumit, oſtendere eum non alia autoritate temporali præter ſuam indiguiſſe, ut Synodos in ſua Provincia celebraret.

SECTIO XII.

De Feſtis, Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque TRIDENTINO *deſumptæ.*

Feſta conſiderabuntur: I. In Genere. II. In Specie.

DE FESTIS IN GENERE.

REGULA I.

Etſi Divinum Jus in Scripturis habeamus *Cap.* 1. DIST. VIII. quidquid in Scripturis continetur Divinum Jus non eſt.

REGULÆ RATIO: Præterquàm in Scripturis leguntur facta, quæ nec præcipi, nec vetari à Deo debent, cùm nil charitati contrarium, vel neceſſarium contineant, nonnulla ſunt in Novo Teſtamento, quæ ſolis Apoſtolis tamquàm Eccleſiæ Rectoribus præcepta ſunt, vel ad tempus tantùm, quale Decretum de abſtinendo ab Idolothito & à ſuffocato; vel propter rationem myſticam, qualè Decretum de orando nudo Capite.

Hinc ſequitur colligi non poſſe, *Verbi gratia*, à Deo præcipi diei Dominici celebrationem, ex eo quod varia Novi Teſtamenti loca teſtentur eum celebratum ab Apoſtolis fuiſſe. 1. COR. 16. ℣. 2. APOCAL. 1. ℣. 10. *Actuum* APOSTOL. Cap. 20. ℣. 7.

REGULA II.

Divinum Jus aliud Naturale, aliud Poſitivum: de iſto ſermo fiet quoties circa Feſta aliquid à Deo præcipi negabitur.

REGULÆ RATIO: Circa Feſtos dies à Jure Canonico plurima ſtatuuntur, quæ ex ipſo Juris Naturalis fonte fluunt, nempè quod Deus certis diebus in ſe, vel in CHRISTO, vel in Sanctis colatur, quod ad illum Cultum hæc vel illa, quæ neceſſaria videntur, adhibeantur.

REGULA III.

Etſi Feriatum nomine Feſta comprehendantur, non omnis tamen dies Feria dictus, feſtus eſt. *Toto Tit. De Feriis, &* Cap. 16. *De Conſ.* DIST. I.

REGULA IV.

Feſta ſunt precum, quietis, & lætitiæ dies: hinc Feſtorum celebrationi repugnant, quæcumque Orationi, quieti, & lætitiæ adverſantur.

REGULA V.

Exterior Feſta celebrandi modus à Conſuetudine totus pendet, ut à Lege. *Cap.* 2. *De Feriis.*

Ad exteriorem modum Regula reſtringitur, quia Deus in ſe vel in Sanctis, niſi Fidei, Spei, Charitatis actibus interiùs non colitur; iſte autem Cultus immutabilis cùm ſit, à Lege, vel Conſuetudine mutabili pendere non poteſt, ita ut illis mutatis ipſe mutetur.

REGULA VI.

Quod de modo mox dictum eſt, ad diei determinationem quoque extendendum. *Cap.* 14. *De Verb. Signif.* §. 1.

REGULA VII.

Exterior Feſta celebrandi modus ſub ſe comprehendit Cultum in ceremoniis poſitum; Cantum magis, minùſve ſolemnem; Officium citiùs incipiens & tardiùs finiens; majori minorive Pſalmorum Lectionumve numero conſtans; operis ſervilis, Jejuniique ceſſationem, vel permiſſionem.

Hinc patet cujus ſit Feſta inſtituere; eorum enim eſt à quibus mox dicta pendent. Hinc etiam Cultum exteriorem, ut & interiorem ad hæc duo reduci, ad opera facienda, & ad opera vitanda.

REGULA VIII.

Qua autoritate ager, vel domus, vel ſervus, vel famulus poſſidetur, eadem colitur ager, vel domus conſtruitur, ſua præſtant opera ſervus, famuluſve. *Cap.* 1. DIST. VIII.

Hinc patet qua ceſſare debeant autoritate opera ſervilia.

REGULA IX.

Circa præcipua Feſta, conſona & conveniens per omnes Eccleſias Conſuetudo cuſtodienda eſt. *Cap.* 10. *De Conſ.* DIST. III.

Hinc abroganda huic contraria quævis particularis Conſuetudo. Vide *Regulas De Conſuetudine.*

REGULA X.

Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus; quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas commendata, atque Statuta retineri. *Cap.* 11. DIST. XII.

Per non ſcripta hîc intelliguntur, quæ in Scriptura Sacra non habentur, nam quæ à Conciliis Statuta & commendata retinentur, ſcripta ſunt. Hinc quæ à Conciliis conſtituta non leguntur, quorumque initium ignoratur, ab Apoſtolis manaſſe credendum eſt.

REGULA XI.

Ad Feſti quo ab opere ſervili abſtineatur inſtitutionem, ſat non eſt ut ratio myſtica etiam maxima adſit, ſed præterea requiritur, ut res id publica ferat.

Colligitur ex *Capite* 3. *De Feriis.* quod die Dominico opus ſervile permittit, id exigente publica alicujus populi neceſſitate: Hinc enim ſequitur, quod, pari caſu, Feſtum non eſt inſtituendum.

REGULA XII.

Uſurpatum in *Capit.* 21. 22. *De Conſ.* DIST. III. axioma, quod membra non debeant à Capite diſſidere, in Feſtis, etiam præcipuis, locum non habet.

Colligitur ex *Capite* 3. in quo ALEXANDER III. quod ab Eccleſia Romana non ſervari Trinitatis Feſtum teſtatur, ab aliis ſervari conſentit; Feſtum

enim

enim illud, si non solemnitate, saltem dignitate, inter præcipua collocandum est.

REGULA XIII.

Etsi Moysis Leges circa Festa Christianos non obligare semper creditum fuerit, nihilominus ex Judæorum Festis in Christianorum Festa multa invecta sunt.

Posterior Pars patet ex *Capitibus* 1. 2. *De Feriis.* Cap. 17. *De Conf.* Dist. I. Cap. 1. *De Conf.* Dist. III.

Prior certa habenda donec contrarium appareat, idque quia extra dubium est, Legem Ceremonialem, ad quam Festa pertinent, ab Evangelii publicatione non obligasse.

Non obstat quod *Concilium* Lugdunense Cap. 1. *De Conf.* Dist. III. præcipiat ut à Vespera ad Vesperam dies Dominica celebretur, idque ne Christiani Judaismo capiantur, *id est*, vincantur: Hinc enim patet Lege Moysis circa Festa Christianos non teneri, sed piâ æmulatione à Judæis se vinci pati non debere.

REGULA XIV.

Ut Consuetudo Particularis derogat Constitutioni Particulari, ita Consuetudo Generalis Constitutioni Generali derogat. Idque servatur incipiendo Officium Festi subsequentis à Vesperis diei præcedentis.

Hinc factum ut etsi Constitutione Universali, qualis quæ à Traditione Apostolica, vel à Concilio Generali emanat, Passio Domini pari solemnitate S. Augustini tempore, ac ejus Resurrectio celebraretur, Consuetudine abrogata est hæc solemnitas quoad ea quæ Festis propria sunt.

REGULA XV.

Cujus est Festa instituere, ejus est & dispensare, juxtà Regulam, *Cujus est ligare, ejus est & solvere.*

REGULA XVI.

Manifesta esse debet inter solemnitatem & commemorationem differentia. *Cap.* 4. *De Celebr. Miss.*

REGULA XVII.

Devota & Religiosa Festorum celebratio ad pietatem augendam facit. Sess. XXV. *De Ref.* Decret. *De Diebus Festis.*

REGULA XVIII.

Absque Romanæ Ecclesiæ autoritate quemquam pro Sancto venerari non licet, etiamsi per eum miracula fierent. Id ita esse declarat Alexander III. *ann.* 1170. de quo fusè, dum *De Canonisatione Sanctorum.*

REGULA XIX.

Quo tempore genuflexio prohibetur, duo excipiuntur casus, devotionis nempè, & necessitatis: Devotionis, quâ genu flecti clam potest: Necessitatis, quâ in Ordinatione quæ eo tempore fit pro Consecrationis ritu consecrans & consecratus genua flectere possunt. *Cap.* 2. *De Feriis.*

REGULA XX.

Ex absolutâ Martyrum natalitia in Quadragesima celebrandi prohibitione, certò colligitur apud Græcos Sabbatho vel Dominico die illa celebrata non fuisse, quando iis diebus occurrebant.

Dici non potest, Festi Sanctorum celebrationem in eo positam esse, ut in illorum honorem Deo offeratur, atque id fieri in commemoratione Martyrum; ideoque totum discrimen in hoc consistere, quod propter Jejunium dierum, quibus occurrunt, illorum Festorum celebratio in dies, quibus non jejunatur, transferenda sit. Nam si hoc ita esset, illorum Festorum celebratio absolutè non prohiberetur, sed illa excepta essent, quæ die Dominico & Sabbatho occurrerent. Vid. Reg. LXV. ubi de eadem re sermo fit.

REGULA XXI.

Textus Juris nulli sæculo IV. antiquiores, qui Festorum meminerint, sed isti Festa, quorum tàm sera mentio fit, jamdiu antea instituta supponunt.

Regula patet ex eo quod in Jure circa Festa antiquius nihil babeamus quàm *Capita* 10. 15. 23. 26. *De Conf.* Dist. III. Cap. 7. Dist. XXX. *Caput* autem 10. *è Concilio* Nicæno *anno* 325. desumatur, *Caput* 15. *è Concilio* Cæsaraugustano *ann.* 380. Caput 23. *è Concilio* Carthaginensi IV. *ann.* 398. Caput 26. *è Concilio* Arelatensi *ann.* 319. Caput 7. *è Concilio* Gangrensi *ann.* 329. & singula de Paschate, vel de die Dominico loquuntur, quæ ita instituta supponunt, ut celebrandi modum tantùm determinent. Ejusdem sæculi est *Can.* 9. Caus. XXXIII. Quæst. IV. in quo *Concilium* Laodicense Martyrum natalitiorum meminit, illaque jam consuevisse celebrari testatur. Ejusdem sæculi est *Caput* 9. Dist. XXX. quo memorias Sanctorum Martyrum contemnentes, necnon quæ in iis fiunt Oblationes, Anathemate feriuntur.

Non obstat *Cap.* 19. *De Conf.* Dist. III. è Papæ Eusebii *Epistola* 3.*ann.* 307. *vel* 312. scripta desumptum; etsi enim Textibus citatis paulò antiquius sit, est tamen sæculi IV. & præterea supposititium esse constat, ut Epistola è qua desumitur.

Non obstat *Cap.* 20. *ead.* Dist. in quo Pius I. *ann.* 157. ex revelatione Hermæ, facta ab Angelo sub habitu Pastoris, sese ostendente, probat Pascha celebrandum esse die Dominico; Decretalem siquidem è qua sumitur, supposititiam esse apud eruditos in confesso est.

Nec etiam obstat *Cap.* 21. *ead.* Dist. *è prima* Victoris Decretali *ann.* 186. *scripta* desumptum, in quo Prædecessorum exemplo idem quod Pius constituit, nempè die Dominico Pascha celebrari; nam supposititia quoque est hæc Decretalis ex unanimi Criticorum consensu.

Non obstat *Cap.* 14. *ead.* Dist. in quo Melchiades diei Dominici meminit; nam præterquam quod ex eodem judicio supposititia est Epistola, è qua desumitur, *ann.* 314. collocatur.

REGULA XXII.

In toto Juris Corpore nullus extat Textus, qui Festorum celebrationem damnet.

Non obstat *Cap.* 11. Caus. XXVI. Quæst. V. in quo *Concilium* Carthaginense IV. *ann.* 398. hæc habet: *Auguriis vel Feriis inhærentem ab Ecclesia Conventu separandum præcipimus*: Feriæ enim hic pro Festis non usurpantur, sed in sensu opposito; inhærere autem Feriis idem hic est, ac dies observare profanos, hac vel illa re, *verbi gratia*, die Lunæ abstinere vel hoc illudve facere, quia dies Lunæ vel primus non facer bebdomadæ dies.

REGU-

REGULA XXIII.

Festorum quæ in Ecclesia celebrantur, nullum est de quo aliquis Juris Textus dicat à Deo institutum fuisse.

Noo obstat *Cap.* 13. *De Feriis*, in quo ALEXANDER III. de septimo die dicit: *Illam tàm Novi Testamenti quàm Veteris paginam ad humanam quietem deputasse*; ALEXANDRI etenim sensus est in Novo Testamento mentionem fieri de septimi diei ad quietem deputatione, sed nullatenus dicit hanc à Deo deputationem factam.

Dici non potest, ALEXANDRUM deputationem à Novo Testamento factam, deputationi à Veteri factæ conjungendo, insinuare sese sentire illam, ut istam, à Deo factam, atque Testamentum pro Autore Testamenti hìc usurpare. Ut enim (quod sufficit) propositionis ALEXANDRI veritas servetur, satis est ut verum sit, septimum diem à Novo Testamento quieti deputari, sive ab Apostolis id fiat, sive à Deo: Adde quod idem ALEXANDER postea subjiciat hunc diem, sicut & alios Divinæ Majestati deputatos observandos, Ecclesiam decrevisse, atque hinc insinuare Ecclesiam Spiritùs Sancti lumine doctam, hunc diem aliosque, quos præcipuis hominis Dei Mysteriis Deus consecravit, honore debito celebrandos, interpretatam fuisse.

Non obstat *Cap.* 11. DIST. XII. In quo AUGUSTINUS Festa, vel Apostolica Traditione, vel Conciliorum Generalium Constitutione ubique servata, referens, diei Dominicæ non meminit, etiamsi quæ subjungit illam ubique servatam manifestent; unde sequitur illum existimasse neutra via diem Dominicam fuisse institutam, ideoque Deum habuisse Autorem. Non obstat, *inquam*, cùm exempla rerum alterutra via institutarum, eo loci tantùm referat, additaque clausula (& si quid aliud tale occurrerit quod ab universâ servetur Ecclesia) insinuet, alia extare exempla tàm ex Festis quàm ex aliis rebus desumenda, quæ à se hùc adduci non conveniret.

Nota 1. ex Regula non sequi, nullum novæ Legis Festum à Deo præcipi positivo etiam Præcepto, quia alibi quàm in Canonici Juris Corpore inveniri potest.

Nota 2. Monitum Regulæ Secundæ suum hìc habere locum, nempe eo loci non agi de Præcepto Naturali & Divino.

REGULA XXIV.

Ex Juris Textibus, qui de operis servilis cessatione diebus Festis facienda mentionem habent, nullus est qui doceat à Deo præcipi; ac si quis id doceret, id unum significare videretur, Ecclesiam, Dei exemplum in Lege Moysis scriptum secutam, ab opere servili abstinere jussisse.

Priori Regulæ Parti contrarium nihil apparet, pro certa ergo habenda.

Posterior patet ex eo, quod de operis servilis cessatione discurrendum videatur ac de decimis: sicut enim Ecclesiæ Præceptum circa illas, Divini Præcepti circa easdem imitatio est, ita quando cessationem operis servilis diebus Festis præcipit, quod in Lege Deus fecerat, *imitatur*.

Nec dici potest id inferre licere, ex eo quod cessationem ab opere servili à Judæis Christianorum figura, exegerit Deus; nam si qua pari racionio vis inesset, nimium probaret, nempè ab accendendo igne die Dominica abstinere debere Christianos: Adde quod prædicta cessatio ab opere servili pertinet ad Legem Ceremonialem, abrogatam per publicationem Evangelii.

REGULA XXV.

Illorum qui de cessatione ab opere servili expressè loquatur Textuum sæculo IV. antiquior nullus; neque ille qui omnium primus alios quàm Monachos spectare videtur, nempe *Caput* 10. *De Consecr.* DIST. III.

Citatus Textus ex dictis S. APOLLONII desumitur, estque *ann.* 388. Ad Monachos restringitur, quia omnem omninò operationem interdicit, ac prætera Abbas erat, & apud PALLADIUM, inter dicta ad Monachorum institutionem, refertur.

REGULA XXVI.

Quæ sint opera servilia Festorum ergò non extat Juris Textus, qui in genere determinet, nec etiam ullus, qui in specie singula recenseat.

Non obstat *Cap.* 3. *De Cons.* DIST. III. qood diebus quibusdam Festivis servos & ancillas ab opere relaxari præcipit, nam 1. in eo de Festo die non agitur, sed de die supplicationum. 2. Si opera quæ hìc relaxanda dicuntur, die Festo cessare debent apud Christianos, Parefceve instituenda erit, cum prædicta opera, tàm ea, quæ ad victum spectant, quàm ea, quæ ad cubitum aliaque domestica servitia, respiciant.

Non obstant Textus, qui nonnulla diebus Festis opera fieri prohibent; in his enim de quibusdam tantùm sermo fit, idque quia vel ad tollendos abusus quosdam conditi sunt, vel responsa sunt, quibus, ad ea tantùm quæ quæsita erant, respondetur.

Non obstat *Cap.* 16. *De Cons.* DIST. III. in quo omnis operatio prohibetur: nam 1. de solo die Dominico loquitur: 2. Monachos, ut dictum est, dumtaxat respicit: 3 Operationis nomine tàm non servilia quàm servilia opera intelliguntur.

REGULA XXVII.

Opera quibus die Festo tamquam servilibus abstinendum docent Canones, non alia in Corpore Juris Canonici exprimuntur quàm ista.

I. Inter servilia opera peccata numerantur; nam præterquam quod Concilium apud *Compendium* habitum, peccata inter opera die Dominico vitanda comprehendit, dum præcipit, ut illo die ab omni opere illicito abstineatur, haud dubiè enim peccata sunt opera illicita, maximè die Festo. *Cap.* 1. *De Feriis.* ALEXANDER III. Cap. 3. *eod. Tit.* per opus servile actionem peccati præcipuè intelligendam expressè significat, idque profectò quia qui peccat, servus est peccati.

II. Inter eadem opera Mercatum collocatur, dum idem Concilium prohibet, ne Mercatum illo die fiat.

III. Judicia criminalia, dum vetat, ne quis ad mortem vel ad pœnam judicetur, quo loco sicut pœnas Capitales omnes mors, ita vox, *pœna*, omnes non Capitales comprehendit.

IV. Sacramenti præstatio, nisi pro pace, vel alia necessitate, idque fortè propter actus solemnitatem tali stipatam strepitu, qui festivæ quieti repugnaret. *Cap* 1. *De Feriis.* Cap. 17. CAUS. XXII. QUÆST. V.

V. Piscatio saltem quoad diem Dominicum & Majora Festa, de iis enim solis expresse loquitur. *Cap.* 3. *De Feriis.*

VI. Omnis actus judicialis, ita ut Partibus etiam consentientibus processus habitus non teneat, nec sententia lata valeat. *Cap.* 5. *De Feriis.*

REGU-

REGULA XXVIII.

Crimen in opere servili positum, quale injusta alienæ messis exatatio, vel terminorum agri eradicatio, ex eo quod de Festo fiat maximè augetur. *Cap.* 24. Dist. XXXVI.

REGULA XXIX.

Ex operibus quæ inter prohibita diebus Festis mox recensita sunt, de non recensitis judicare licet.

Ex dictis patet Regula.

Hinc, quæ à Divino Cultu magis aut æquè avocant opera prædictis, adduci possunt, *verbi gratia*, agricultura aliaque opera ruralia; mercium, aliarumve rerum similium venalium expositio; transactiones, contractus emptionis, venditionis, locationis, aliique similes.

REGULA XXX.

Excepto peccato nullum est ex prædictis operibus super quo non cadat Dispensatio, modò justa subsit causa.

REGULA XXXI.

Quod de piscatione & de strepitu judiciali quoad Dispensationis causas dicitur, ad alia opera extendendum est; hoc autem est. propter utilitatem publicam, urgentem necessitatem, suadentem pietatem, ab iis dispensari posse. *Cap.* 5. *De Feriis.*

Hinc opera militaria, ruralia, aliave, quæ sine publico privatove gravi detrimento differri non possunt, permittuntur: Hinc etiam licent quæ ad vitæ conservationem proximè necessaria sunt: Hinc quoque Transactiones, Testamenta, Donationes causa mortis, Matrimoniales Conventiones, Notarii recipere possunt: Hinc pauperum, Orphanorum, Viduarum, aliarumve miserabilium personarum causæ tractari amicabiliter, dirimique possunt.

REGULA XXXII.

Cum evidens sit opera servilia pendere à potestate temporali cujus Legibus reguntur, consequens est illâ non consentiente cessationem illorum operum ab Ecclesia præcipi non posse. *Cap.* 1. Dist. VIII.

REGULA. XXXIII.

Qui Sabbatho ut Dominico otiandum docet, Antichristi Prædicator dicitur. *Cap.* 12. Dist. III. *è* S. Gregorio *ann.* 600.

Hujus rei Ratio: Antichristus Dominicum diem celebrare faciet, quia se resurrexisse finget; Sabbathum quoque ut judaisando Judæos sibi comparet. *Ibid.* Hinc non sequitur similem Græcorum usum vituperandum esse, cùm alius istius finis sit, æque io se bonus ac ille in se malus est; intendunt siquidem diem Creationis ac diem Resurrectionis Christi pariter honorare.

REGULA XXXIV.

Festorum alia sunt Universalia; alia Particularia; alia cum operum cessatione; alia sine tali cessatione; alia solemnia; alia non solemnia; alia præcepta; alia devotioni cujusque relicta.

REGULA XXXV.

Universalia sunt quæ per totum observantur Orbem, vel Traditione Apostolica, vel plenariorum Conciliorum Constitutione.

Talia dicuntur esse Passio Domini, Resurrectio, Ascensio, Adventus Spiritûs Sancti. *Cap.* 11. Dist. XXII. in quo refertur illa singula anniversaria solemnitate celebrari, ex S. Augustino desumitur: Undè patet illius tempore Passionem Domini pari solemnitate cum prædictis celebratam, etsi tanta cum tristitia, quanta cum hilaritate cætera celebrabantur.

REGULA XXXVI.

Particularia Festa, quæ Episcopi in Diœcesibus celebranda ducunt propter peculiares his Diœcesibus causas; qualia Patronorum Festa; qualia etiam Dedicationes Ecclesiarum, Episcoporum, Sacerdotumque Consecrationes: Undè de illis *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III. dicit: *Vicinis tantùm commorantibus indicenda esse, non generaliter omnibus. Concil.* Lugdun. *incertæ ætatis.*

REGULA XXXVII.

Sine operum cessatione esse videntur; quæ Episcopus dicitur sine populo celebrare: cum dicta verò cessatione, quæ cum Clero populoque ab Episcopo celebrari dicuntur. *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III. Cap. 5. *De Feriis.*

REGULA XXXVIII.

Præcepta Festa illa sunt, de quibus dicitur quod ferianda sunt. Devotioni relicta illa sunt, de quibus dicitur quod ad illa ferianda nec cogendi fideles, nec prohibendi. *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III.

REGULA XXXIX.

Sine cessatione operum celebrari tam Festis Universalibus quàm Particularibus convenit.

De Universalibus exemplum habes *Cap.* 11. Dist. XII. in Passione Domini pari cum Pascha solemnitate aliàs celebrata. Multa quoque alia frequens usus tibi subministrat; nam diem tertium tùm Paschatis, tùm Pentecostes, sine operum cessatione plures Diœceses celebrant. Nullus est Apostolorum cujus Festus dies ab universa Ecclesia non celebretur quoad Officium; nonnulli tamen sunt, quorum non celebratur quoad operum cessationem, saltem in quibusdam Ecclesiis: Adde quod Sabbathum apud Græcos dies Festus erat, undè eo die Jejunium sicut die Dominico vetabatur. *Cap.* 65. Apostolorum, attamen *Concilium* Laodicense eo die otiari prohibebat. *Cap.* 29.

De Particularibus exempla leguntur in locis super Regula præcedenti citatis.

REGULA XL.

Solemnia Festa sunt, in quibus insignia Dei Beneficia commemorantur: Non solemnia, in quibus minora Dei Beneficia celebrantur.

REGULA XLI.

Festorum solemnium prærogativæ sunt.

I. Quod Festis solemnibus Jejunium præmittatur, Vigilia celebretur, orationi vacando pernoctetur. *Cap.* 9. Dist. LXXVI.

II. Quod Clerici, qui sine legitima causa à suis Ecclesiis diebus solemnibus absunt, puniantur. *Cap.* 29. Caus. VII. Quæst. I.

III. Quod diebus solemnibus Missa non celebrari nec audiri debeat in Oratoriis privatis, sed iis diebus celebrari & audiri debet in Parochiis aut Ecclesiis, in quibus legitimus Ordinariusque Conventus est. *Cap.* 35. *De Conf.* Dist. I.

IV. Quod iis diebus nedum Missa tota audiri debet, sed & communio percipi. *Cap.* 62. *Ibid.*

V. Quod his Festis die Sabbatho occurrentibus abstinentia à carne cessat. *Cap.* 31. *De Conf.* DIST. V. GREGORIUS VII. versus finem sæculi XI, quod jamdiu fuit ubique abrogatum.

REGULA XLII.

Prærogativæ prædictæ non omnes omnibus Festi solemnibus conveniunt, sed nullum est cui aliqua non conveniat.

REGULA XLIII.

Festa quæ in Jure Vigilias habere dicuntur, sunt.
I. Pascha. *Cap.* 9. DIST. LXXVI.
II. Pentecostes. *Ibid.*
III. Duodecim Apostolorum, præter JOANNEM Evangelistam, JACOBUM & PHILIPPUM, S. BARTHOLOMÆI Vigilia, sicut & illius Festivitas è Consuetudine pendet. *Cap.* 2. *De Observ. Jejunii.*
IV. CHRISTI Nativitas. *Ibidem.*
V. Assumptio Beatæ Virginis. *Ibid.*

REGULA XLIV.

Festa, quibus Clerici non residentes puniuntur, sunt, NATALIS DOMINI, EPIPHANIA, PASCHA, PENTECOSTES. *Cap.* 29. CAUS. VII. QUÆST. I.
Quâ plectuntur pœna est triennalis à Communione suspensio. *Ibid.*
Punitionis tantæ Causa : Quod in casu gravissimo lucris temporalibus servitium Dei postponunt. *Ibid.*

REGULA XLV.

Festa etiam Laïcis in Parochiis celebranda, sunt præter quatuor mox memorata, Ascensio Domini, Natalis Sancti JOANNIS Baptistæ, & si qui maximi dies in Festivitatibus habentur, quod de Patronorum Festis intelligendum est. *Cap.* 35. *De Conf.* DIST. I. Qui iis diebus in Oratoriis privatis, Episcopo non jubente, vel non permittente, Missas celebrant, Clerici Communione privandi sunt. *Ibid.*

Etsi Laïci hujus Constitutionis transgressores rei essent, perindè ac Clerici, isti, non illi, puniuntur. Hujus rei Ratio esse potest, quod Laïcorum culpæ causa essent ipsi Clerici; si enim nullus in Oratoriis celebrasset, nullus ibidem Missas audisset.

REGULA XLVI.

Majorum Festivitatum, quibus die Sabbathi occurrentibus carnis abstinentia cessare debeat, nulla in Jure nominatim exprimitur; aliæ autem esse non possunt quàm Nativitatis Domini, omnium Sanctorum Assumptionis, similesque Festivitates, quæ Sabbatho occurrere cùm possint, magnâ solemnitate celebrantur.

REGULA XLVII.

Festa, quibus Communio percipienda est, olim tria erant, nempè Natalis Domini, Pascha, Pentecostes. *Cap.* 16. 19. 21. *De Conf.* DIST. II. Nunc autem unum. *Cap.* 12. *De Pœnit. & Remiss.*

Non obstat *Caput.* 8. *eod. Tit.* in quo INNOCENTIUS III. jubet ut Livonienfibus, etsi nondum plenè instructis, consuetis Festivitatibus, ut & mortis articulo, Communio detur; quibus verbis plures Festivitates fuisse, in quibus communicandum erat; nam *Caput.* 12. duobus annis posterius est & omnium primum quod Communionis præceptum ad unam Communionem reducit.

REGULA XLVIII.

Festorum alia sunt, quæ eodem mensis, sed non hebdomadæ die celebrantur; alia quæ eodem hebdomadæ die, sed non eodem mense: Ista dicuntur mobilia respectu mensis, licet respectu diei hebdomadæ immobilia sint. Alia è contra immobilia respectu mensis, etsi alio respectu mobilia sint.

Festa posterioris generis sunt Pascha, Ascensio, Pentecoste, Festum Corporis CHRISTI. Ex Paschate cætera pendent. De Paschatis mobilitate loquuntur *Capita* 22. 25. *De Conf.* DIST. III.
Prioris generis sunt omnia alia Festa.

REGULA XLIX.

Nonnulla novæ Legis Festa in Sancta Scriptura memorari à Canone dicuntur. *Cap.* 3. *De Feriis*, quod nonnisi diei Dominico, de quo mentio fit citatis suprà Novi Testamenti locis, convenit.

REGULA L.

Inter Festa, quæ præcedentes habent Vigilias, alia die Lunæ occurrere possunt; alia non: Posterioris generis sunt tantùm Pascha & Pentecostes: Prioris verò cætera; ista autem cum eo die occurrunt, præcedenti Sabbatho Vigilia celebratur. *Cap.* 2. *De Observ. Jejun.*

REGULA LI.

Tàm Dominicis quàm Festis aliis hæc communia sunt.

I. His diebus Episcopis licèt Virgines Deo dicatas consecrare, Ordines Minores conferre. *Cap.* 1. 3. *De Tempor. Ordin.*
II. Commessationes & Compotationes in honorem Sanctorum faciendæ non sunt. *Cap.* 1. DIST. XLIV.
III. Non saltationibus vacandum, sed Divinis Officiis adesse oportet. *Cap.* 2. *De Conf.* DIST. III.
IV. Missa tota audienda est, & in Parochia, nisi nimiùm distet. *Cap.* 4. 5. CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 35. *De Conf.* DIST. I. Cap. 62. *Ibid.*
V. Monendus populus, ut saltem diebus Dominicis & majoribus Festis ad Parochias suas accedat. *Conc.* TRID. *in Decreto De Sacrificio Missæ.*
VI. Ad audiendum Verbum Dei iis Festis diebus, quibus Parochus prædicare tenetur, ad Parochias quoque accedere debet populus. *Cap.* 4. SESS. XXIV. *De Ref.*
VII. His diebus continere expedit, sed solùm ex mutuo consensu. *Cap.* 1. 2. 4. 5. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. De consensu mentio fit. *Cap* 11. *ibid.*
VIII. Qui die Dominico, vel Festo, Missam sibi cantari volunt, de die illam audire debent pro salute vivorum & etiam defunctorum. *Cap.* 2. *De Celebrat.*
Hujus Regulæ Ratio : Officio conformari debet Missa, præsertim publica, sive pro mortuis, sive pro vivis dicatur.

REGULA LII.

Festorum Catalogi seu Indices duo tantùm extant in Corpore Juris Canonici.

In *Capite* 1. *De Conf.* DIST. III. prior habetur: Quæ in eo recensentur, hæc sunt: *Dominica*, *Natalis Domini*, *Sanctus* STEPHANUS, *Sanctus* JOANNES *Evangelista*, INNOCENTES, *Sanctus* SYLVESTER, *Octava Domini*, *Theophania*, *Purificatio Beatæ Mariæ*, *Sanctum Pascha cum tota hebdomada*, *Rogationes tribus diebus*, *Ascensio Domini*, *Pentecostes*, *Sanctus* JOANNES BAPTISTA, *Sancti duodecim Apostoli*, *maximè tamen* PETRUS & PAULUS, LAURENTIUS, *Assumptio* *Sancta*

Sancta Mariæ, Nativitas ejusdem, Dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis *Archangeli, Dedicatio cujuscumque Oratorii, omnes Sancti*, S. Martinus, *Festivitates quas Episcopus cum Clera & populo collaudaverit.*

Hunc Indicem *Concilia* Lugdunensi, cujus nec annus, nec numerus notatur, tribuit Epigraphe sæculo X. Antiquiorem esse conjicitur, ex eo quod totam Paschæ hebdomadam inter Festa enumeret, atque etiam de Pentecoste idem sentiendum insinuet, dicendo sine ulla restrictione Pentecostes dies celebrandos esse, cùm Festum istud Paschæ Festo æquiparatum semper fuisse videatur; nam in Festorum Catalogo sub Caroli Magni Neporibus facto, quatuor tantùm Festi dies in hebdomada Paschæ celebrabantur: Hi autem sæculo IX. regnaverunt.

Ante Ludovicum *Pium* celebrari non potuit Concilium hoc, cùm Assumptio sub illo Principe celebrari cœperit, ut patet, tùm quia sub Carolo Magno, an celebranda esset dubitabatur, atque deliberatum fuerat quærendum esse quid circa illius celebrationem faciendum esset, Lib. I. *Capitul. C.* 164. tùm quia in Catalogo sub Ludovico Pio facto inter Festa celebranda primùm apparet. Refertur hic Catalogus Lib. II. *Capitularium.*

In relati *Concilii* Lugdunensis Indice Festorum multa notanda occurrunt, sed ante omnia Grattianum Collectioni suæ illum inserendo significasse à sæculi sui usu non aliena continere; de Gratiani mente ex Gregorii IX. animo, dum Compilationi suæ similem Indicem inseri curavit, judicare licet; iste autem hac insertione aliud nihil voluit quàm in praxi quid sequendum ante oculos ponere. Præterea ni prædicto usui relatus Index convenisset, alium profectò retulisset praxi temporis sui conformiorem.

I. Nulla in eo mentio de Annunciationis Festo, nec de Transfigurationis Festo, nec de Circumcisione, hoc tamen Festum sub Octava Natalis potest comprehendi.

II. Præter Virginis Festa nullius fœminæ Festum ibidem recensetur.

III. Sanctorum Patrum tùm Græcorum, tùm Latinorum nullus enumeratur.

IV. Ex Sanctis Pontificibus solus Sylvester memoratur.

V. Etsi in Gallia factus supponatur dictus Index, nec Sancti Remigii, nec S. Dionisii ulla mentio, nec ullus in eo Provinciæ Lugdunensi peculiaris Sanctus legitur, quamvis *Concilio* Lugdunensi tribuatur.

VI. Rogationum dies feriabantur.

VII. Singuli Apostoli, ut patet his verbis *maximè tamen* Petrus *&* Paulus, ex quibus alii colligunt in Festo communi omnibus Apostolia, præ aliis Petrus *&* Paulus honorandi sunt.

VIII. In eo quod Octavæ Domini apud Gratianum legitur, nullum Mysterium, non solùm quia apud alios Collectores Octava legitur, sed etiam quia Octavæ non in recto, sed in obliquo, non in Nominativo plurali, sed in Genitivo singulari, & ad vocem dies refertur.

IX. Confessores duo tantùm numerantur, nempe Sylvester & Martinus, nam Joannes Evangelista pro Martyre habetur.

X. Oratorii dedicationis Anniversarium sine Octava; per *Oratorium* autem intelligat Ecclesias oportet, easque Cathedrales, aut saltem Parochiales, nam Oratorium privatum tanti non fiebat, ut ejus dedicatio Festo, in quo opera servilia cessarent, celebraretur; Ecclesiæ verò, quæ nec Cathedrales, nec Parochiales erant, pro Oratoriis privatis habebantur.

XI. De Litania Majore quæ sub Gregorio I. Romæ jam celebrabatur, non loquitur.

XII. Duplicis Octavarum generis meminit: Prius est illarum, quæ octo diebus Festis constant, hujus generis est Octava Paschatis, quod cum tota hebdomada feriari præcipitur: Posterius est illarum, quarum primus dies cum aliquot sequentibus & postremo feriandus est; qualis est Natalis Domini Octava, qui cum quatuor sequentibus & postremo feriandus dicitur.

XIII. Iidem Festi dies Natali Domini junguntur, qui illum nunc sequuntur, nempè S. Stephani & S. Joannis Evangelistæ Festi; quibus alii duo adduntur, qui etiam nunc eamdem Natalem proximè sequuntur, sed non celebrantur ubique per operum servilium cessationem, ut tunc celebrabantur: Hi autem sunt S. Innocentes & S. Sylvester.

Etsi omnibus his diebus feriatio æqualiter præcipiatur, strictiùs tamen observanda erant quò solemniora erant Festa, & quoad ista minor dispensandi erat locus, ut patet ex septimo Articulo.

Posterior Festorum Index in *Cap.* 5. *De Feriis* legitur cum paucis exceptis, Festa in eo recensita eadem sint, ac quæ in præcedenti numerantur. Non transcribetur, sed quæ peculiaria habeat, dumtaxat notabuntur.

I. Prior factus est ut doceat qui dies feriandi quoad omnia opera servilia: Posterior verò tantùm ut doceat qui feriandi quoad actus judiciales.

II. De Circumcisione expressa mentio.

III. Generatim dicitur omnes Virginis solemnitates celebrandas esse.

IV. Paschati junguntur septem dies qui præcedunt, sicut & septem qui sequuntur.

V. Pentecoste junguntur tantùm duo dies.

VI. Sancti Martini non fit mentio.

VII. Omittitur cujusque Oratorii dedicatio.

VIII. Desumitur è Constitutione Gregorii IX. circa *annum* 1230. facta; in fine Indicis Gregorius decernit irritos processus prædictis diebus habitos, sententiasque nullas, etiamsi partes consenserint, insinuando feriationem diebus Festis præceptam differre à feriatione Messium & Vindemiarum causa concessa, atque in eo situm esse discrimen quod prima feriatio ad Dei, Sanctorumque ejus gloriam, honoremque pertineat, quibus detrahere quidquam partibus non licet; secunda verò solam Partium utilitatem, cui renunciare possunt, respiciat.

IX. Nullitas actuum factorum diebus Festis lata censenda pro locis Ditionis Apostolicæ, quoad alia vigere non potuit, nisi de consensu Principum illorum. Beatæ Virginis Festivitates Apostolorum Festis præmittuntur propter Virginis Dignitatem, non autem propterea quod antequàm Apostolorum Festa celebrarentur.

X. Diebus, quos enumerat, non alia de causa actus judiciales prohibet, quàm quia quoad alia opera servilia vacant; hæc enim habet: *Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones, debet tamen strepitus Judicialis diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti.* Quibus verbis clarè ostenditur his diebus judiciales actus prohiberi, quia sunt feriati & dies quietis; tales autem non sunt, nisi per cessationem operum servilium.

REGULA LIII.

Præter Festa in prædictis Calendariis recensita non alia in Corpore Juris leguntur quàm ista.

I. Festum Trinitatis. *Cap.* 2. *De Feriis.*
II. Festum Inventionis Sanctæ Crucis. *Cap.* 19. *De Conf.* DIST. III.
III. Festum Exaltationis ejusdem Crucis. *Cap.* 6. *De Voto & Vot. Redempt.*
IV. Festa Consecrationum Episcoporum & Sacerdotum. *Cap.* 16. *De Conf.* DIST. I.
V. Festum Corporis Christi. CLEM. *unic. De Reliquiis.*
VI. Festum Conceptionis Sanctæ Virginis. *Cap.* 1. 2. *De Reliquiis.* EXTRAVAG. COMM.

REGULA LIV.

Ex eo quod ante sæculum VI. in honorem Sanctorum Confessorum Oratoria publica construi solerent, colligere licet, Festa saltem localia eodem fine celebrata fuisse.

Textus, qui de Oratoriis hujusmodi loquuntur, sunt *Canones* 26. 27. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *ex Literis* GELASII *ann.* 494. *scriptis* ad SENECIONEM Episcopum desumpti; in his Ecclesias & Basilicas in honorem S. VITI & S. MARTINI, qui ibidem Confessores nuncupantur, construi permittit.

Illata ex his Textibus consequentia patet; vero etenim simile nequaquam est, adveniente die, quo Sancti illi mortui credebantur, peculiarem illis honorem Fundatorum curâ exhibitum non fuisse.

REGULA LV.

Nullo Juris Textu præcipitur ut à Vespera ad Vesperam singula Festa celebrentur.

Non obstat *Cap.* 1. *De Conf.* DIST. III. nec *Cap.* 1. *De Feriis*, quæ à Vespera ad Vesperam celebrari Festa præcipiunt, quia de solis Dominicis loquuntur.

REGULA LVI.

Tam Jure DECRETALIUM quàm Jure DECRETI in Episcopo agnoscitur Festa instituendi potestas.

Colligitur ex *Cap.* 1. *De Conf.* DIST. III. & Cap. 5. *De Feriis*, in quibus supponitur Festa ab Episcopo institui posse, quia inter Festa servanda collocantur, quæ Episcopus cum Clero & populo collaudaverit, vel observanda duxerit.

Colligitur etiam ex *Cap.* 2. *De Observat. Jejun.* in quo Festorum celebratio à Consuetudine pendere dicitur, cùm sine Episcopi consensu Consuetudo valere nequeat.

REGULA LVII.

Jure posteriori ablata non est Episcopis hæc potestas.

Nullus extat, nec in 6. nec in CLEMENTINIS, nec in EXTRAVAGANTIBUS, huic potestati derogans; quodque fortius est *Concilium* TRIDENTINUM *Cap.* 12. *De Regular.* SESS. XXV. hanc in Episcopo agnoscit potestatem, Regularibus præcipiens, ut, quos Episcopus Festos servandos præceperit, servent.

REGULA LVIII.

A prædicta potestate excipiendus est casus, quo is, cujus Festum instituere vellet Episcopus, nondum pro Sancto habetur.

Colligitur ex *Cap.* 1. *De Reliquiis*, in quo ALEXANDER III. *ann* 1170. declarat quemquam pro Sancto venerari absque Romanæ Ecclesiæ autoritate non licere.

REGULA LIX.

Qui Festa instituere potest, illa quoque transferre potest.

Colligitur ex Regula: *Plus continet quod est minus.*

Colligitur etiam ex *Cap.* 14. *De Verb. Signif.* in quo ALEXANDER III. dicit ex consuetudine pendere *anno* etiam Bissextili Festum S. MATTHIÆ die 24. vel die 25. celebretur. Hinc enim sequitur quod anno illo Festum illud Episcopo transferre liceat à 24. ad 25. diem, cùm ab Episcopi approbatione Consuetudo Diœcesana vim suam accipiat.

Antiquæ Festorum Translationis vestigium habes in *Cap.* 9. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. in quo *Concilium* LAODICENSE Martyrum Festa diebus Quadragesimæ, quibus jejunatur, occurrentia ad Sabbathum, Dominicamve transfert.

REGULA LX.

Ex instituendi Festos potestate, circa illos dispensandi, illosque abrogandi facultas rectissimè infertur.

Quod de Dispensatione dicit Regula, patet ex *Cap.* 35. *De Regulis Juris in* SEXTO, cujus hæc sunt verba: *Plus semper in se continet, quod est minus*, nam profectò majus quid est Legem condere, quàm à Lege quemquam eximere, vel Legi easum quemdam subtrahere.

Quod de abrogatione additur, patet ex eo quod si servanda Festa sunt, quæ servari vult Episcopus, oportet ut non servanda sint, quæ servari vetat, hoc autem est Festa abrogare.

Non obstat *Cap.* 3. *De Feriis*, in quo Archiepiscopus BRACHARENSIS pro populis sibi commissis à Papa petit, ut die Dominico Halecia piscari illis permittat. Falsum enim est hanc à Papa Archiepiscopum petere Dispensationem, cùm Archiepiscopus à Papa tantùm quærat, *an publica necessitate exigente id permitti possit*; Papa verò consultus respondeat *id indulgeri posse*, eodemque tempore id indulgeat. Præterea à Papa quandoque petuntur, quæ Ordinarii potestatem non excedunt.

Non obstat Pars decisa, in qua prout apud ANTONIUM AUGUSTINUM habetur, hæc leguntur: *Nos tamen, cui ab omnium Provisore Ecclesia est Regimen commissum, super his, quæ necessitas exegerit*, CHRISTI *Fidelibus tenemur commodum providere, ut si quando eos non servili operi*, id est *actioni peccati, sed victûs & vestitûs necessaria quærendo fortè intendere contigerit, volumus ut eis Apostolicæ Sedis misericordia consueta subveniatur &c.*

Relata non obstant, quia dum ALEXANDER dicit *se fidelium necessitati providere teneri*, ideoque se dispensare ratus quod urgeat vera necessitas; non negat in Episcopo easdem esse tàm potestatem quàm obligationem, tantùm quantùm patet ipsius Diœcesis.

Nota obiter, non sequi majores solemnitates Jure Divino institutas ex eo quod Papa à Dispensatione expressè excipiat, cùm hæc exceptio fieri potuerit, tùm quia indecens visum fuerit, ut his diebus opera servilia exercerentur; tùm quia Festa solemnia panciora sunt quàm ut ex vacatione ab opere servili magnum detrimentum creari possit: Hæc enim ad tria reducuntur, & uno die quoad solemnitatem terminari solent.

REGULA LXI.

Ad quæ Festa instituendi potestas sese extendit, ad eadem quoque sese extendit circa illa dispensandi facultas.

Colli-

Colligitur ex eo quod *plus continet quod est minus.*

Hinc circa quæcumque Festa, quæ ab Ecclesia institui possunt, ab eadem dispensari potest, & ad quæ opera, Festorum institutio obligat, ab iisdem eximere potest Dispensatio, si ea sint circa quæ cadat Dispensatio, ac consequenter ab operibus faciendis, ut ab operibus vitandis, præter peccatum, quod Dispensationi non subest.

REGULA LXII.

A parte Cultûs exterioris eximi quis potest & ad aliam adstrictus remanere.

Patet ex *Capitib.* 3. 5. *De Feriis*, quæ à sola operis servilis cessatione eximunt.

REGULA LXIII.

Qui operum servilium aliquod die Festo permittit, ab his tantùm Religionis operibus faciendis eximit, quæ cum permisso opere fieri non possunt.

Odia restringi convenit.

REGULA LXIV.

Sacra Religionis opera, quibus quis eximitur, cum aliis quæ facere potest, commutare debet. *Caput* 3. *De Feriis*, quod ad eleemosinas obligat quibus piscationem permittit.

Hactenus de Festis in genere, nunc de his in specie.

De Festis in Specie.

REGULA. I.

Apud Græcos Sabbathum cum Dominica multa communia habet, sed non alia in Jure exprimuntur quàm ista.

I. Sabbatho jejunare non licet, uno dempto, nempe Sabbatho hebdomadæ magnæ. *Cap.* 65. Apostol.

II. Sabbatho Quadragesimæ, ut & Dominica, offerre licet. *Cap.* 9. Caus. XXXIII. Quæst. IV.

III. Pro Martyrum commemoratione Quadragesimæ Sabbathis offerre licet. *Ibid.*

IV. Sicut nec Dominico, ita nec Sabbatho, Martyrum Natalitia celebrantur. *Ibid.*

Apud Latinos cum die Dominico nihil simile habet, nisi sicut die Dominico, à Papa Ordines conferri possunt, & ab Episcopis continuato Jejunio; ita & Sabbathis nonnullis ab eodem Papa & ab Episcopis. *Cap.* 13. *De Temp. Ordin.* Hinc à Judaïsmi specie Latini quàm Græci magis recedunt.

REGULA II.

Die Dominico cujuslibet hebdomadæ diei Paschatis, quo Resurrectio Jesu Christi honoratur, imago frequentatur. *Cap.* 3. *De Cons.* Dist. III.

REGULA III.

Præter Resurrectionem Domini alia sunt quæ die Dominico Mysteria celebrantur.

Patet ex *Cap.* 5. Dist. LXXV. & ex Decrato *De Vivendi Ordine* Sess. II. in quibus dicitur die Dominico Mundum conditum & Spiritum Sanctum in Discipulos infusum.

REGULA IV.

De nullo Festo antiquiores Juris Textus habemus quàm de Dominico, nec plures.

Prior Pars patet ex dictis; allati enim circa Festa Textus vetustiores de die Dominico loquuntur.

Posterior ex dicendis patebit.

REGULA V.

Jejunare hoc die variis Juris Textibus prohibetur, idque tùm peculiari, tùm communi cum Festis solemnibus causa.

Omnium antiquissimus desumitur è Papa Melciades; refertur *Capite* 14. *De Cons.* Dist. III. hujus verba sunt: *Jejunium Dominici diei nemo celebrare debet, ut inter Jejunium Christianorum & Hæreticorum vera, non falsa, discretio habeatur.* Nonnulla hic omittimus, quæ Jejunium quintæ Feriæ, quod etiam prohibet, respicere videntur.

Textus hic suppostitius est, sicut Epistola è qua sumitur; relatus est tamen, ne oblivione prætermissus crederetur. Huic tempori proximus Canon 7. Dist. XXX. his conceptus terminis: *Si quis tamquam hoc continentia convenire judicans, die Dominico jejunaverit in ejusdem diei contemptum, anathema sit. E Concilio* Gangrensi desumitur anno 324. celebrato.

Suum hic locum habet *Caput* 15. *De Cons.* Dist. III. *è Concilio* Cæsaraugustano. *anno* 380. *celebrato*; Quod huc facit, sic exprimitur: *Ne quis jejunet die Dominico causa timoris* (legendum *temporis*, id est, quia est dies Dominicus) *aut persuasionis, aut superstitionis.*

Anno 572. Martinus Bracharensis in Compilatione sua Canonem ad propositum facientem refert; citatur à Gratiano *Cap.* 17. Dist. XXX. hæc illius sunt verba: *Si quis Presbyter propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, absque aliqua necessitate, die Dominico pro quadam Religione jejunaverit, sicut* Manichæi, *anathema sit.* Corrector Romanus delendam vocem *Presbyter*, legendum *præter*, non *propter*, rectè monet. Relatus Canon inter alia docet à Lege, quæ die Dominico Jejunium prohibet, excipiendos casus necessitatis, qualis quæ nascitur ex imposita pœnitentia publica, quæ ex superstitione non jejunari manifestabat. Circa quod notanda optima morum Regula; *Quod quoties res in se indifferens vetatur propter speciem mali quam habet, non est publicè facienda, nisi manifestum sit illam non fieri ex causa propter quam prohibibita est.*

Hujus Regulæ Ratio: Ab omni mali specie abstinendum est, cavendum est scandalum; propter eamdem rationem ex devotione, votove publicè jejunare non licebat, nisi Jejunii causa publica esset.

His Textibus addendus Canon 65. Apostolorum cujus hæc sunt verba: *Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, uno dempto, jejunare deprehenditur, deponitor si Clericus sit, si verò Laicus Communione ejicitor.* Canon hic eo loco collocatur, quia nescitur quo tempore conditus sit; ex pœnæ gravitate, qua die Dominico jejunans ex citato suprà Canone plectitur, quanta esset ejus culpa judicare licet.

Adducti hactenus Textus causam peculiarem propter quam Jejunium diei Dominici prohibetur, indicant, nempè detestationem Manichæorum, qui eo die jejunandum docebant, quia quem eo die resurrexisse credebant Catholici, illum mortuum non credebant; odium verò superstitionis, vanæque persuasionis Massalianorum, vel Eustathianorum, qui eo die, quo Deum colebant alii lætitia, se illum abstinentia perfectiùs colere existimabant.

Non omittendum à *Concilio* Gangrensi existimatum diei Dominici Jejunium in illius diei contemptum vergere; adducendi mox Textus eadem de causa diei Dominici Jejunium prohibent, qua aliis diebus Festivis prohibebatur.

. Primus è *Concilio* AGATHENSI *ann.* 506. celebrato desumitur, & refertur *Capite* 9. *De Conf.* DIST. III. his verbis: *Placuit, ut omnes Ecclesiæ Filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbathi, Sacerdotali Oratione* (legendum *ordinatione*) *& discretionis Communione* (legendum *districtionis comminatione*) *jejunent.*

Quantumvis Quadragesimæ Jejunium necessarium judicaretur, ab eo tamen Dominici dies excipiebantur.

Hujus Exceptionis Ratio: Alia esse non potest quàm tristitiam, cujus Jejunium signum est, summæ, quacum celebrandus est dies Dominicus, lætitiæ non aptè conjungi.

Pari de causâ diebus Festivis non jejunabatur; cujus rei vestigium adhuc habemus in die Natalis Domini, quo etiam abstinentia à carne cessat, si in diem Veneris ceciderit; in Festo JOANNIS Evangelistæ quod Vigilia caret, quia intra Natalem Domini cadit; in Festo Sanctorum JACOBI & PHILIPPI & in Festo Ascensionis, quæ Vigilia quoque carent, quia intra Festivos dies Quinquagesimæ, qui propter lætifera Resurrectionis, Ascensionisque Mysteria, quæ eo tempore commemorantur, in lætitia transigendi sunt, occurrunt.

Alius Textus, qui die Dominico non jejunandum docet, est in *Cap.* 1. *De Observat. Jejun.* ex INNOCENT. III. desumitur *ann.* 1213. Clero Sancti Petri MAGALONENSIS scribente. Illius Summa est die Sabbathi jejunandas Vigilias, quæ die Dominico caduot, quoties secunda Feria ad quos pertinent Festi dies, occurrunt. De tribus tantùm Festis interrogatus fuerat INNOCENTIUS, nempe Natali Domini, Assumptione Beatæ Mariæ, Festivitate Apostolorum, ideoque de his dumtaxat definit quod relatum est; sed *Capite sequenti eodem Titulo* scribens Archiepiscopo BRACHARENSI, de omnibus Sanctorum Festis Vigilias habentibus, dicit *Sabbatho illorum Vigilias jejunandas quoties die Lunæ ipsa Festa occurrunt.*

Propositæ INNOCENTIO III. Quæstionis difficultas in eo sita non erat, an die Dominico prædictæ Vigiliæ jejunandæ essent, sed an omittendæ, sicut omittuntur, quæ tempore, quo non jejunatur, cadunt, an præcedenti Sabbatho jejunandæ?

Pro omissione alia quoque ratio militabat, ALEXANDRO enim III. *Cap.* 14. *De Verbor. Signif.* interrogatus circa S. MATTHIÆ Vigiliam inter alia docet non jejunandum, si in die Dominica ceciderit, hæc enim habet: *In qua utique Vigilia, nisi in Dominica venerit, Jejunium celebretur.* Sed hanc profectò ignorabant Clerici MAGALONENSES INNOCENTIUM III. interrogantes, cùm ab eodem quærerent *an in Vigilia* S. MATTHIÆ *jejunandum esset*, Quod non quæsiissent, si prædictam ALEXANDRI Doctrinam scivissent; non negamus potuisse fieri ut ALEXANDRI decisio ipsis displiceret ob omissionem Vigiliæ, sed prior solutio verosimilior.

REGULA VI.

Ante sæculum VII. extitisse, qui Paschalem Quinquagesimam ex devotione jejunantes die Dominico abstinentiam solvebant.

Ex ipsis Juris Textibus constat *Cap.* 10. DIST. LXXVI. atque etiam postea (salvo quoque Dominico) idem licuisse. Ibidem ISIDORUS HISPALENSIS *ann.* 636. mortuus id testatur de suo sæculo, ac etiam refert exempla quarti.

REGULA VII.

Præter Paulum Apostolum & cum eo crecedentes die Dominico jejunasse nullus Juris Textus docet. De illis autem expressè dicit *Cap.* 11. DIST. LXXVI. desumitur ex Sancti HIERONOMI Epistola ad LUCINIUM, ad hoc citat ACTUS APOSTOLORUM, in quibus simile nihil legitur.

REGULA VIII.

Præter Jejunium sunt alia tristitiæ signa, quæ die Dominico prohibentur, sed non omnia tamen prohibentur.

Prior Pars patet ex Textibus citatis, dum *De Divinis Officiis*, qui die Dominico flecti genua prohibent, eamque prohibitionem ab Apostolis manare insinuant.

Posterior patet ex eo quòd in Septuagesima usque ad Pascha, Hymni, qui ab Angelis decantati in Novo Testamento leguntur, nempe *Gloria in excelsis* & *Alleluia*, intermittuntur, tàm diebus Dominicis quàm aliis; hæc enim intermissio est signum tristitiæ.

REGULA IX.

A Vespera ad Vesperam aliàs celebranda erat dies Dominica.

Patet ex *Cap.* 1. *De Conf.* DIST. III. in quo *Concilium* LUGDUNENSE id præcipit, & ex *Cap.* 1. *De Feriis*, in quo Concilium apud COMPENDIUM idem præcipit. Infetri potest ex *Cap.* 5. DIST. LXXV. in quo S. LEO diem Resurrectionis à Vespera incipere dicit.

REGULA X.

Sunt Festa, quæ alio quàm Dominico die celebrati non possunt; & alia non sunt quàm Pascha & Pentecostes. *Cap.* 13. 21. 22. *De Conf.* DIST. III.

REGULA XI.

Die Dominica nihil aliud agendum quàm Deo vacandum. Nulla operatio in illa Sancta die agatur, nisi tantùm Hymnis & Psalmis, & Canticis Spiritualibus dies illa transigenda est. *Cap.* 16. *De Conf.* DIST. III.

REGULA XII.

Ob debitam diei Dominico reverentiam aliàs prohibitum erat, ne eo die (nisi de concordia & pacificatione) juraretur. *Cap.* 17. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cura, Sollicitudo, strepitus, horum juramentorum comites, huic reverentiæ adversari judicabantur, bonum autem pacis & caritatis illa incommoda excusabat.

REGULA XIII.

Pro corporis necessitate lavari quis non prohibetur, sed tantum, ut aliis diebus, pro luxuriâ & pro voluptate. *Cap.* 12. *De Conf.* DIST. III.

REGULA XIV.

Virginum consecratio, quæ diebus Dominicis fieri non valebat sub GELASIO, nec etiam fortè sæculo VIII. quo vixit Pseudo ISIDORUS, iisdem diebus fieri poterat sub ALEXANDRO III. nunc autem quolibet die, si de solemni agatur professione, quæ huic successisse videtur.

Prima pars colligitur ex *Canonibus* 11. 15. CAUS. XX. QUÆST. I. in quorum priore GELASIUS vetat, ne aliis

aliis diebus quàm Epiphaniorum, Alborum Paschalium & Natalitiorum Apostolorum; in posteriori pseudo-Isidorus Pium I. eadem vetantem inducit.

Altera legitur in *Capite* 1. *De Temporibus Ordinat.* in quo Alexander III. Episcopos die Dominico Virgines consecrandi facultatem habere dicit.

De hodierno usu adeò notus est, ut testibus non egeat, quibus probetur quoad professionem, de qua dictum; quoad verò veram Virginum consecrationem, patet Ex *Pontificali pag.* 17. faciendam esse falten die Dominico. Ex dictis circa hanc consecrationem, quæ hodiè ferè abolita videtur, videre est quanti olim fiebat, eòque pluris quàm Tonsura Clericalis, Ordinesque minores, qui diebus non Festivis dari valent.

REGULA XV.

Tempore Ordinationi destinato mane diei Dominici Ordines etiam Sacros conferre licuit, dummodo Sabbati Jejunium continuaretur. *Cap.* 4. 5. Dist. LXXV. ex Sancto Leone desumpto.

Hujus rei Ratio: Vespera Sabbathi, quâ hi Ordines conferri solebant, ad diem Dominicum pertinebat, cùm iste à Vespera Sabbathi præcedentis inciperet. Utraque in *Capite* 1. Ratio legitur.

REGULA XVI.

Quamdiu Dominicus dies à Vespera ad Vesperam celebratus est, & dierum quibus jejunabatur Missa vespere tantùm dicta est, die Dominico Ordinatio facta est, sicuti etiam fieri volebat Sanctus Leo *Cap.* 5. Dist. LXXV.

REGULA XVII.

Sacros Ordines conferre die Dominico soli Papæ nunc licet. *Cap.* 1. *de tempor. Ordin.* Cuique Episcopo aliàs licuit. *Cap.* 4. Dist. LXXV.

REGULA XVIII.

Præ cæteris diem Dominicum, ut par est, celebrare tenetur Episcopus, idque in Ecclesia cui proximus fuerit, nisi infirmitate præpediatur.

Colligitur ex *Capite* 4. *De Conf.* Dist. III. In quo *Concilium* Aurelianense I. *ann.* 511. Episcopo nominatim præcipit, ne die Dominico Ecclesiæ, cui proximus est, desit, nisi infirmus fuerit: Peculiare siquidem Præceptum, obligationem peculiarem denotat.

REGULA XIX.

A die Dominico Pascha differt in eo quod in Paschate sola Resurrectio celebratur, sed die Dominico prætereà honoratur Creatio Mundi, & Spiritûs Sancti in Discipulos Infusio. *Cap.* 5. Dist. LXXV. *Concil.* Trid. Sess. II. Decret. *De Vivendi Modo.*

REGULA XX.

Eæ sunt Paschæ prærogativæ ut,

I. Inter solemnes Festivitates prima sæpè nominetur. *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III. *Cap.* 16. *De Conf.* Dist. II. Prima etiam recensetur inter illas, quæ ab antiquo propriam Præfationem jam habebant, inclinante sæculo VI. *Cap.* 71. *De Conf.* Dist. I.

II. Illius Festivitas per quinquaginta dies duret. *Cap.* 8. Dist. LXXVI. Undè Quinquagesima instar Dominicæ haberi dicitur, quod ad Officium restringendum, ab opere enim numquam cessatum.

III. Resumptum *Alleluia*, quo die Domini Resurrectio celebrari incipit per illud totum tempus non intermittatur. *Cap.* 55. *De Conf.* Dist. I.

IV. Nec per illud tempus genu flectatur in Orationibus. *Cap. ult.* Dist. XXX. Cap. 8. Dist. LXXVI. Cap. 10. *De Conf.* Dist. III.

V. Nec jejunetur. *Cap.* 8. *cit.* etiam Vigiliis Apostolorum & Ascensionis. *Cap.* 2. *De Observat.*

VI. Per quadraginta Jejunii dies Filii Ecclesiæ ad hunc Festum diem præparentur. *Cap.* 6. *De Conf.* Dist. III.

VII. Quinquagesimam à Pascha ad Pentecosten in villa transigere non liceret. *Cap.* 5. *De Conf.* Dist. III. *cum Notâ Correctionis Romani.*

VIII. Per septem dies Pascha sequentes, ut & per præcedentes, ab actu omni judiciali abstinetur. *Cap.* 5. *De Feriis.*

IX. Prædicti sequentes dies aliàs feriabantur omninò. *Cap.* 1. *De Conf* Dist. III.

X. Solemnis Baptismus die Paschæ præcedenti præcipuè conferendus erat. *Cap.* 12. *De Conf.* Dist II. Cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *De Conf.* Dist. IV.

XI. Eodem die præcedenti non solùm jejunabatur, sed & Vigiliæ celebrabantur, & Orationi pernoctabatur. *Cap.* 9. Dist. LXXVI.

XII. A tempore Gelasii eo die jamjam fieri solebat Ordinatio. *Cap.* 7. Dist. XXV.

XIII. Alba Paschalia à Gelasio recensentur inter Festa, quibus Virgini Sacræ velamen imponere licet *Cap.* 11. 15. *junctâ Correctoris Romani Notâ*, Caus. XX. Quæst. I.

XIV. Cui propter immane crimen carnis esus interdicebatur, eidem ipso Paschatis die permittebatur. *Cap.* 8. Caus. XXXIII. Quæst. II.

XV. A Septuagesima ad Octavam Paschæ Nuptiæ interdicuntur. *Cap.* 9. 10. Caus. XXXIII. Quæst. IV. Cap. 4. *De Feriis.*

XVI. A septuagesimâ ad Paschæ Octavam in bellis privatis treugæ servandæ erant. *Cap. unic. De Treug. & Pace.*

XVII. Ex antiquo usu à Pascha ad Dominicum in albis nocturna tantùm Psalmis, tribusque Lectionibus jamjam constabant. *ann.* 1018. Cap. 15. *De Conf.* Dist. V.

Inter recensitas Paschæ prærogativas quædam sunt, quæ Paschæ Festo cum quibusdam aliis communes sunt, quas tamen ideò omittere non debuimus, cùm in animo esset singulas colligere illius prærogativas, & istæ erga Festa, quibus non conveniunt, pro prærogativis habendæ sint.

REGULA XXI.

Quotquot circa diem Dominicum antiquos Juris Textus habemus, hos etiam pro Pascha habemus.

Infertur ex *Cap.* 13. *De Conf.* Dist. III. in quo dies Dominicus cujuslibet hebdomadæ Paschatis imago, sive repræsentatio dicitur.

REGULA XXII.

Qui die Dominico Pascha celebrari præcipiunt Juris Textuum nullus est, qui indicet Romanam Ecclesiam eo die Pascha celebrare nondum cœpisse.

REGULA XXIII.

Suppositi Pio & Victori Textus & *Capit.* 21. 22. *De Conf.* Dist. III. relati, dum Eccle-

ſiam Romanam die Dominico Paſcha celebraſſe teſtantur, nihil niſi verùm teſtantur, nec falſi quidquam habent, niſi quod iis, qui teſtimonium illud non tulerunt, tribuant.

REGULA XXIV.

Etſi memorati Textus ſæculo VIII. antiquiores non ſint, teſtimonium quod in priori ex Libro HERMÆ, ſive PASTORIS affertur, eſſet ſæculi II. ſi in prædicto Libro inveniretur, ſed in illo nequaquam reperitur, ut videre eſt, TOM I. *Bibliotheca Patrum Latinorum.*

Non obſtat, quod prædictus locus ex eodem Libro in *Pontificali* DAMASI citetur; nam ſuppoſititius Liber hic eſt, & DAMASO longè poſterior ab Autore falſarum Epiſtolarum confectus, ut hâc impoſturâ aliam confirmaret, iſtaque ab illa itidem confirmaretur.

REGULA XXV.

Quicumque Juris Textus, ut die & tempore uno Paſcha celebretur jubentes, id unum volunt, ut cæteræ Eccleſiæ, uſum Romanæ, die Dominico poſt quatuordecimum Lunæ Martis proximo Paſcha celebrantis, ſequatur. Hujus generis ſunt Canones 23. 26. *De Conſ.* DIST. III.

Dictæ interpretationis Ratio: Controvertebatur an Eccleſiæ Romanæ uſus ſequendus eſſet, hic autem erat talis, qualis in Regula dictus eſt. Pars, quæ à Romana diſſidebat, & numero & dignitate longè minor erat. Dum ergò Canones citari controverſiam dirimentes dicunt, uno die & tempore Paſcha celebrandum, definiunt cæteras Eccleſias hac in re Romanæ Eccleſiæ uſui conformes eſſe debere, quod eò ſimilius eſt vero quò è Conciliis Regionum, quæ Romanæ Eccleſiæ uſum hac in re ſequebantur, nempè Galliæ & Africæ deſumantur; hæc enim Concilia ſunt *Concilium* ARELATENSE I. quod à SYLVESTRO confirmatum dicitur, & *ann.* 314. celebratum, & *Concilium* CARTHAGIN. IV. *ann.* 398. convocatum. Prius etſi Particulare univerſalem ſibi autoritatem tribuere videtur, dum ait: *Statuimus, ut uno die, ac tempore, per omnem Orbem Paſcha celebretur*; quod ita interpretandum duceremus; Concilium definire, tantùm eodem die & tempore per totum Orbem celebrandum Paſcha, non autem præcipere, ut id fiat, per univerſum Orbem. Quod ſi propter verbum, *Statuimus*, Concilii dictum de præcepto intelligendum eſt, illius ſenſus eſt, ut quâquâ patet ſua autoritas uno die temporeque Paſcha celebretur, Diſtrictum verò ſuum omnem Orbem vocat, quia ex Epiſcopis nedum Galliæ, ſed & Siciliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Africæque, conſtabat, atque etiam Papæ & Imperatoris autoritate convocatum erat.

REGULA XXVI.

Propter Feſti Paſchæ mobilitatem, ſervandamque in eo celebrando uniformitatem, ineunte ferè ſæculo IV. Literas mittendi, quibus Paſcha ſignificabatur, Conſuetudo jamjam vigebat. *Cap.* 26. *De Conſ.* DIST. III. *Deſumptum è Concilio* ARALAT. *ann.* 314.

REGULA XXVII.

Dum formatæ in uſu erant, illarum ſubſcriptione venerabilis Paſchæ dies omnibus intimandus erat. *Cap.* 14. *De Conſ.* DIST. III.

Formatæ Literæ Communionis Literæ erant, quibus ſignificabatur illum, cui concedebantur, nec Hæreticum, nec Excommunicatum eſſe, atque ad Communionem, tùm Civilem, tùm Sacram, admittendum. Formatæ autem dicebantur è forma juxtà quam ſcribendæ erant, potiusquam ex ſigillo peculiari, quo muniebantur.

REGULA XXVIII.

Verſus finem ſæculi VI. in Hiſpania poſtquam ea, quæ in Conciliis Provincialibus definienda erant, terminata fuerant, à Metropolitano dies Paſchæ venturi intimabatur. Cæteri verò Epiſcopi & reliquus Clerus in breviculo ſubnotabant, unuſquiſque in Eccleſia ſua advenientem Domini Natalem poſt Evangelicam Lectionem annunciaturus. *Cap.* 25. *De Conſ.* DIST. III. deſumptum è *Concil.* BRACHAR. *ann.* 572. celebrato.

REGULA XXIX.

Quo autem pacto diem Paſchæ ſciret Metropolitanus citato loco non notatur; credere eſt, vel ipſum ſupputaſſe, vel ſupputari curaſſe, vel Eccleſiæ Romanæ Literis id didiciſſe ipſo quærente, vel proprio motu & ex more miſſis.

REGULA XXX.

Inſerta Juri Quinquageſimæ Paſchali privilegia tria ſunt.

I. Non jejunatur.

II. Genu non flectitur.

III. Laus Deo dicitur, *Alleluja* cantatur. *Cap.* 8. DIST. LXXVI. Non adverſatur tertio privilegio. *Cap.* DIST. I. in quo de *Alleluja* dicitur, per Septuageſimam intermitti, & poſtea iterum cantari: Hinc enim concludi non poteſt circa *Alleluja* Quinquageſimam peculiare nihil habere, cùm enim de Quinquageſima ſpecialiter notetur in illa *Alleluja* cantari, ut in ea frequentiùs ſaltem cantetur oportet.

REGULA XXXI.

Circa Aſcenſionis Feſtum nullus Juris Textus extat, qui Feſto huic peculiare quid dicat.

Colligitur Regula ex eo quod ſeptem tantùm ſint Textus Juris, qui de Aſcenſionis Feſto mentionem faciant.

Primum habes in *Capite* 12. DIST. XII. in quo AUGUSTIN. Aſcenſionis Feſtum inter illa, quæ Apoſtolos inſtituiſſe credere fas eſt, connumerat, idque quia ab univerſa Eccleſia ſervabatur, atque à Conciliis Plenariis inſtituta non videbatur. Hic mirari ſubit, quomodò Feſtum, quod AUGUSTINUS celebratum ab univerſa Eccleſia dicit, inter Feſta celebranda in nulla Juris Romani Lege *De Feriis* connumeretur.

Secundum Textum legis in *Capite* 35. *De Conſ.* DIST. I. in quo *Concil.* AGATHEN. Aſcenſionis Feſtum, inter Feſta ſolemnia in Parochiis celebranda recenſet.

Tertius eſt *Canon* 3. *De Conſ.* DIST. III. qui hæc habet: *Rogationes*, id eſt, *Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum Jejunium in Dominica Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur, per quod triduum ſervi & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis Plebs univerſa conveniat, quo triduo omnes abſtineant & quadrageſimalibus cibis utantur.*

Textus autem hic Rogationes directè reſpicit, circa quas docet eas ac Litanias, ſive ſupplicationes idem eſſe; triduum his conſecrari, hoc triduo ab opere nedum Artium, ſed etiam domeſtico abſtinendum, eoque etiam triduo jejunandum; quod Jejunium interpretandum de illo Jejunio, quod in abſtinentia

&

& usu Quadragesimalium ciborum consistit, tùm propter ultimam Canonis clausulam, quæ quod de triduano Jejunio anteà dictum est, exponere videtur; tùm quia Rogationes tunc temporis, ut etiam nunc, cum Ascensione intra Quinquagesimam cadebant, intra quam integrum Jejunium vetabatur. tùm quia nisi verus sit prædictus sensus, clausula ultima pura puta repetitio videbitur.

Objiciet fortè aliquis, prædictum Textum intelligi etiam posse de perfecto Jejunio, eùm ad illud nihil aliud requiratur, quàm abstinentia per certum tempus, & Quadragesimalium ciborum usus.

Huic Objectioni Respondendum: Per abstinentiam intelligi hìc non ab omni cibo abstinentiam per quoddam tempus, sed abstinentiam à carne, absolutè dictam abstinentiam; atque ideò abstinentiæ præceptæ de Quadragesimalium ciborum usu præceptum jungi; quia usus hìc abstinentiam à carne comitari non soleret. Ex *Concilio* Aurel. I. *ann.* 511. celebrato desumitur relatus Textus.

Quartus Textus est in *Can.* 1. *De Conf.* Dist. III. desumpto ex *Concilio* Lugdun. cujus nec numerus, nec ætas scitur. Hoc in Textu de Ascensione nihil habetur, nisi quod inter dies feriandos collocatur, suumque habeat locum inter Rogationes & Pentecosten. Rogationes autem hic feriantur, ut ad supplicationes major populi concursus sit. Undè inferre licet, quod finitis supplicationibus ab opere abstinendi obligatio cessabat.

Quintus Textus est in *Capite* 4. *De Feriis*: desumitur ex Clement. III. *ann.* 1190. scribente ad Episcopum, cujus Sedes non notatur; in isto autem Textu hoc unum habetur, Ascensionem cum Rogationibus intra tres septimanas, quibus ante Festivitatem Joannis Baptistæ celebratio Nuptiarum prohibetur, comprehendi, illasque à Rogationibus numerari. Circa quod notandum Nuptias prohibitas, tàm propter temporis solemnitatem, quàm propter temporis tristitiam; quòd patet, nedum ex relato loco, sed ex reliqua Capitis parte, in qua legitur, Nuptias vetitas fuisse in Ecclesia Romana à Septuagesima ad Pentecostes Octavam.

Sextus Textus est in *Capite* 5. *De Feriis*; hoc scripsit Gregor. IX. *ann.* 1231. De Ascensione hoc unum dicitur, *eo die ob omni judiciali actu abstinendum*.

Septimum subministrat Pelagius II. *ann.* 585. in eoque hoc unum circa Ascensionem habetur, quod inter Festa numeretur, quæ propriam ab antiquo Præfationem habebant. Factum hoc continet *Cap.* 71. *De Conf.* Dist. I. Textum hunc suspectionis suspectum esse ostensum est, dum *De Officiis*.

REGULA XXXII.

Pentecostes Festum ab Apostolis institutum dubitare non licet, si ex Canonici Juris Textibus ea de re judicetur.

Colligitur ex *Canone* 11. Dist. XII. in quo Augustinus id concludit ex eo quod ab universa servabatur Ecclesia, & à nullo Concilio plenario institutum esse constabat.

Addita Regulæ restrictio petitur ex silentio Legum *De Feriis* circa Pentecostes Festum; contra quod dici potest, Pentecosten in die Dominico comprehensam.

REGULA XXXIII.

Plurima cum Paschate communia Pentecoste habet. Quæ in Jure exprimuntur, hæc sunt.

I. Non minore lætitia quàm Pascha celebratur. *Cap.* 9. Dist. LXXVI.

II. Sabbatho præcedenti jejunatur. *Ibid.*

III. Eodem Sabbatho Vigiliæ celebrantur. *Ibid.*

IV. Eodem Sabbatho Orationibus pernoctatur. *Ibid.*

V. Eodem Sabbatho Baptismus solemnis confertur.

VI. Intra Paschale tempus, quo genua non flectuntur, comprehenditur. *Cap. ult.* Dist. XXX. Cap. 8. Dist. LXXVI. Cap. 10. *De Conf.* Dist. III.

VII. Hebdomada Pentecostes aliàs feriabatur. *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III. in quo plures Pentecostes Festo dies dantur, illorum numero non determinato, undè conjicere licet tot fuisse ac dies Paschæ, qui tunc septem erant. Attamen sub Gregorio IX., ut & nunc, duos tantùm solemnitatis suæ comites dies jamjam habebat. *Cap.* 5. *De Feriis.*

VIII. Pentecoste cum septem sequentibus diebus intra tempus, quo in Ecclesia Romana Nuptiæ non permittuntur, æquè ac Pascha comprehenditur. *Cap.* 4. *De Feriis.*

Nuptiæ hìc à Matrimonio expressè distinguuntur, adeò ut Matrimonium semper permitti dicatur, non item de Nuptiis. Nuptiæ hìc nihil aliud sunt, quàm Festivitas, pompa, solemnitas, lautitia, lætitiaque Matrimonii.

IX. Propriam habebat jam ab antiquo Præfationem VI. inclinante sæculo. *Cap.* 71. *De Conf.* Dist. I

X. Sabbatho Pentecostes, ut & Sabbatho Paschæ, qui aquam ad domus aspersionem vult, illam recipere debet, antè Chrismatis infusionem. *Cap.* 126. *De Conf.* Dist. IV.

XI. Sicut in honorem Paschæ Sabbatho Sancto, etsi Ordinationis dies sit, tristitiæ signa remittuntur, ita in honorem Pentecostes, triduano intra illius Octavam Jejunio, ea tristitiæ signa remittuntur. *Cap.* 3. Dist. LXXVI.

XII. Pentecostes die Communio percipienda erat, sicut & die Paschæ *ann.* 506. Cap. 19. *De Conf.* Dist. II.

XIII. A die Pentecostes usque ad ejusdem Sabbathum, tres tantùm Psalmi, ac tres Lectiones in Nocturnis dicuntur. Gregorius VII. *in Concilio Generali ann.* 1078. idque ex antiquo usu. *Ibidem Cap.* 15. *De Conf.* Dist. V.

REGULA XXXIV.

Quæ in Jure exprimuntur discrimina Pascha inter & Pentecosten, hæc sunt.

I. De Pentecoste dicitur, quod caret Octavis, *id est*, octavo solemnitatis die, idque tàm apud Romanos apud quos Trinitatis Festum, Pentecoste proximam Dominicam non occupat, quàm apud alios, qui eo die Trinitatis Festum celebrant. *Cap.* 2. 4. *De Feriis*; De Paschate autem quidquam simile nullus Textus dicit, imò contrarium docere videntur. *Cap.* 1. *De Conf.* Dist. III. Cap. 5. *De Feriis.*

II. In Festo Paschatis septem dies post Pascha quoad Actus Judiciales feriantur; in Festo Pentecostes duo tantùm. *Cap.* 5. *De Feriis.*

III. Sabbatho Pentecostes cuiquam Sacros Ordines conferre non licet, idque quia sequenti septimanâ (receptâ Spiritûs Sancti gratiâ) celebrantur. *Cap.* 1. *De Tempor. Ordinat.*

IV. Ob reverentiam Festivitatis Pentecostes alicubi per hebdomadas proximè illam præcedentes duas & per hebdomadam sequentem Nuptiæ vetabantur. *Cap.* 4. *De Feriis.* Cap. 10. Caus. XXXIII. Quæst. IV. In honorem verò Paschæ à Septuagesimâ usque ad Dominicam in albis Nuptiæ non permittebantur. *Cap.* 10. Caus. XXXIII. Quæst. IV. Ideoque tempore longè breviori propter Pentecosten Nuptiæ suspendebantur, quàm propter Pascha.

V. In privatis bellis nullæ treugæ in honorem Pentecostes in Jure institutæ leguntur; in honorem verò Paschæ treugæ ab omnibus servandæ erant à Septuagesimâ ad Octavas Paschæ. *Cap. unic. De Treuga & Pace.*

VI. Pentecoste tanquàm Paschæ Pars à Siricio habita est, dum de tempore Baptismi solemniter con-

conferendi loquens, ait: *Pascha cum Pentecoste suo privilegium hoc ubique habere.* Cap. 11. *De Cons.* DIST. IV.

VII. Tempore Pentecostes privilegium non dicendi, nisi tres Psalmos, & tres Lectiones, in Matutinis durat tantùm diebus septem; tempore Paschatis octo, quod provenit ex eo quod, ut dictum est, Pentecoste caret Octavis. *Cap.* 15. *De Cons.* DIST. V.

REGULA XXXV.

Circa Trinitatis Festum sæculo IX. antiquiorem Juris Textum habemus nullum; imò qui hujus sæculi esse videtur, an ad illud pertineat incertum est.

Colligitur ex *Capite* 2. *De Celebratione Missarum*, quod apud GREGOR. IX. & apud ANTON. AUGUST. *Concilio* TRIBUR. tribuitur exeunte sæculo IX. celebrato; ex eo tamen quod in *Concilio* TRIBUR. non reperitur, in *Concilio* verò SALEGUNSTAD. ineunte sæculo XI. convocato legatur, infertur ad illud, non ad illud pertinere; sed illatio necessaria non est, cùm *Concilium* SALEGUNSTAD. ex alio sumpsisse fieri possit, & Collectores, ne bis transcriberent, in uno Concilio Textum collocasse. Vel quod TRIBUR. *Concilio* debuerat, alii tribuisse eosdem Collectores. Apud ANTON. AUGUSTINUM refertur tanquam ab ALEXANDRO III. citatum, in Epigraphe legitur ALEXAND. III. ex *Concilio* TRIBUR. In prædicto autem Capite dicitur, quod Laicorum quidam in Consuetudine haberent, ut per singulos dies Missas *De Sancta Trinitate* audire vellent, quodque Consuetudo hæc ut abusus sit tollendus, atque ideò ne simile quid ulterius fiat Concilium prohibet, addens: „ Extra tempus suum Missam hanc non esse cantandam, etsi quandoque dici possit secreto in Reverentiam Sanctæ Trinitati & ut petentium devotioni „ satisfiat „. Sensum non verba Canonis retulimus, ex quo non obscurè infertur quemdam diem extitisse, quo Missa Trinitatis canebatur, qui alius haud dubiè non erat quàm Festus dies Trinitatis.

Non obstat *Cap.* 71. *De Cons.* DIST. I. in quo PELAGIUS II. *ann.* 585. scribens Episcopis Germaniarum & Galliarum, de Sancta Trinitate Præfationis meminit; nam vel PELAGIUS per *Præfationem de Sancta Trinitate* intelligit Præfationem quotidianam, in qua tota Trinitas commemoratur; vel potiùs Epistolas, è quâ objectum *Caput* desumitur, suppositititia est, vel falsò PELAGIO II adscripta, in ea enim dicitur, longam retrò vetustatem prædictam Præfationem cum aliis quatuor meminit in Ecclesia Romana servasse; & ALEXANDER III. Ecclesiam Romanam hoc Festum non novisse testatur, ut patet ex Reg. sequenti.

REGULA XXXVI.

ALEXANDRO III. Pontificatum regente, Trinitatis Festum in Ecclesia Romana celebratum non fuisse, certum est.

Cap. 2. *De Feriis* in quo ALEXAND. III. id expressè dicit, hujus rei hanc afferens causam: „ Per singulos dies id Festum celebrari, per ea quæ in honorem Sanctæ Trinitatis dicuntur, quale inter cætera est *Hymnus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* „.

REGULA XXXVII.

Mox dictum Ecclesiæ Romanæ usum circa Trinitatis Festum mutatum fuisse, posterior Juris Textus nullus demonstrat, imò extant ex quibus contrarium suspicari licet.

Prior Pars pro certa tenenda donec occurrat Textus huic contrarius, qualis nullus sese offert.

Posteriori favet *Cap. ult. De Feriis*, in quo GREGOR. IX. texens Catalogum Festorum, Festi Sanctæ Trinitatis non meminit.

CONTINUATIO SECTIONIS XII.

DE FESTIS, *cui adduntur nonnulla cum illis maximè affinia de Sanctorum Canonisatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici Conciliique* TRIDENTINO *deprompta.*

De Festis Tractatui illa, quæ de Sanctorum Canonisatione in Corpore Juris, *Conciliique* TRIDENTINO habentur, subjungimus, ut quibus Festi dies consecrari possint, clarius pateat. Barbaro autem Canonisationis vocabulo utimur, non solùm quia omnibus notum est, sed etiam quia, de qua agitur, rem meliùs exprimit. Sed prius notandum, hic non agi, nec de Canonisatione Martyrum, quæ ipsa perpessione mortis pro CHRISTO fiebat, undè ex quo constabat de illorum Martyrio illorum Acta in Ecclesia legebantur, & ut Sancti colebantur, tùm invocatione publica, tùm Sacrificiis Deo oblatis, in illorum honorem oblatis; nec de Canonisatione, quæ fiebat sola voce Cleri & populi, ob manifestam vitæ sanctitatem, miraculis confirmatam; qualis fuit Canonisatio Sanctorum Patrum Ecclesiæ, tùm Græcæ, tùm Latinæ, de quibus *in Cap.* 3. DIST. XV. ubi *Beatorum* nomine donantur, quo secernantur ab aliis Doctoribus, quorum itidem Opera probantur, absque hujusmodi denominatione: Verùm animus est sermonem tantùm facere de Canonisatione quæ fieri solet, adhibitis quibusdam solemnibus, Juridica, à Prælatis in Conciliis, vel in alio Cœtu Conciliorum vices gerente.

REGULA I.

Canonisare vocabulum, nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO reperitur: Quod per illud significatur Juris Textus, hac vel illa periphrasi, pro Sancto quem venerari permittere, vel Sanctorum Catalogo annumerare, exprimere solent. *Cap.* 1. *De Reliq. & Vener.* Cap. 52. *De Testib. Cog. in Par. Dec.*

REGULA II.

Ante sæculum XII. in Corpore Juris, rei per Canonisationem significatæ nulla mentio, sed Textus circa illam antiquiores illam jamjam statutam supponunt.

Regulæ Prior Pars patet ex eo, quod hanc circa rem in Corpore Juris nihil antiquius habeatur quàm *Cap.* 1. *De Reliq. & Venerat.* hoc autem ex ALEXAN. III. *ann.* 1170. scribente desumitur.

Posterior verò colligitur, ex eo quod citato loco id unum dicat ALEX. *pro Sancto absque Romanæ Ecclesiæ autoritate quemquam venerari non licere*, quibus verbis palam facit, sese Novum Jus non constituere, sed Vetus solummodo declarare.

REGULA III.

Communis cum rebus Sacris, ad Christianam Religionem spectantibus, Canonisationis finis est Gloria CHRISTI & nominis Christiani. *Cap* 2. *De Testib.*

REGU-

REGULA IV.

Canonisationis finis proximus alius non est quàm ut aliquis Cultus Sanctis debitus deferatur. Regula ea sequentibus patebit.

REGULA V.

Quod de Cultu dictum est, de publico, non de privato, intelligendum.

Infertur Regula ex *utroque Cap. citato*. In priori enim refertur quod quidam Diabolica fraude decepti hominem quemdam in potatione & ebrietate occisum, quasi Sanctum more infidelium venerarentur; qui abusus, cùm ad aures Alex. III. venisset, illum, ut par erat, damnavit, sententiæ suæ hanc afferens causam: „Quod pro hujusmodi mortuis, cùm „ex divo Paulo ebriosi à Regno Dei excludantur, vix „orare liceat, quodque absque autoritate Romanæ „Ecclesiæ pro Sancto quemquam venerari non permit-„tatur„. Hoc autem in Textu multa sunt quæ de Cultu publico ibidem agi ostendant: Nam 1. Cultus quem infideles ebriosis, vel ebriosorum Deo, Baccho scilicet, exhibebant, publicus erat. 2. Pro mortuis in peccato publico non privatim, sed publicè tantùm orari vetatur. 3. Scandalum publicum Mandato suo tollere voluit Alexander. Quæ cum ita se se habeant, ut Cultus autorisante Ecclesia Romana Sanctis exhibendus publicus sit oportet, utpote damnato, qui publicus erat, directè oppositus.

In posteriori prout est apud Gonzalem, Honor. III. *ann.* 1220. Corisoton. & Trecorens. Episcopis scribens, hæc habet: „Venerabili Fratri „nostro Episcopo, & Capitulo Corisoton. ac „universis Abbatibus apud Cistercium in Generali „Capitulo congregatis, multisque Episcopis aliis, „& Religiosis, unà cum Abbate & Conventu S. Mau-„ritii Monast. Cisterc. Ordinis Corissop. Diœ-„cesis olim nobis insinuantibus, piæ memoriæ Mau-„ritium Abbatem præfati Monasterii Divino munere „claris coruscare miraculis, adeò ut Monasterium ip-„sum quadam usurpatione usus, seu potiùs quadam „anticipatione futuri nominis, ab ejus nomine nomen „sortiatur, & humiliter supplicantibus, ut ipsum an-„numerari Sanctorum Catalogo faceremus, ut quod „Populus devota præsumptione, ut sic dixerimus, nunc „usurpat, seu etiam Divino instinctu anticipat, illum „appellando Sanctum, & abque autoritate Sedis Apos-„tolicæ venerando, ritè tandem jussione Apostolica „faciat ad gloriam Christi & Christiani nomi-„nis: Nos eorum devotis præcibus, in quantum de-„cuit, annuentes, venerabili Fratri nostro Episcopo „Leonensi, & dilecto filio Abbati Sancti Lupi „Corisoton. Diœcesis dedimus in Mandatis, ut „super prædicti viri vita & miraculis inquirerent di-„ligentissimè veritatem, & eam nobis fideliter inti-„marent, ut ea pleniùs comperta, pro supplican-„tium desiderio pleniùs annuere videremus„. Hactenus Honorius, qui relatis verbis luce clariùs patefacit in Canonisatione Mauritii de publico illi Cultu deferendo actum fuisse; quid enim à Papa petitur, quàm ut Sanctorum Catalogo referatur? & quis tunc, quisve nunc Sanctis in Catalogo relatis Cultus exhiberi solitus, nonne publicus? In quo præcisè sita est gratia quam prædicti Episcopi Abbates postulant, nonne ut autoritate Apostolica Cultum accipiat, quem antea privata autoritate recipiebat? Hic autem Cultus num publicus erat? Quis unquam propter miracula publica & decantata privatim tantùm Cultus est? Num continget ut Monasterium totum, ut populus numerosus, quem colat privato tantùm Cultu, & propter talem Cultum, ut is inter Sanctos collocetur, Sedi Apostolicæ supplicetur. Gonzalez loco citato refert Historiam Canonisationis hujus S. Mauritii.

REGULA VI.

Quicumque de Canonisatione loquuntur Textus, eam Ecclesiæ Romanæ, vel Sedi Apostolicæ reservatam supponunt; pertinere autem ad illas dicunt, non ad Summum Pontificem, quia ea est hujus negotii natura & Dignitas, ut non à solo Romano Pontifice fieri debeat, sed ab illo ex Cardinalium Consilio, utpote Ecclesiæ Romanæ Capitulo vel Senatu.

REGULA VII.

Versus medium sæculi XII. potestatem illam Sedi Apostolicæ jamjam reservatam fuisse ex ipso Jure constat; sed hæc reservatio pro Lege universali haberi non potuit, nisi post *ann.* 1230.

Prior Pars constat ex *Cap.* 1. *De Reliq. & Vener.* in quo absque illius Sedis autoritate pro Sancto quemquam venerari non licere asseritur, declaraturve.

Posterior patet ex eo quod hæc reservationis Lex publicata non fuerit, nisi post Collationem Gregor. IX. ad Universitates missam, ut publicaretur, & in Scholis & in Judiciis servaretur.

REGULA VIII.

Prædictæ reservationis causæ, præter negotii Dignitatem, quæ ex Corpore Juris colligi possunt, hæ sunt, malitia Diaboli, populi simplicitas. *Cap.* 1. *De Reliq.* in quo ex utraque factum legitur, ut ebriosus in ebrietate occisus à quibusdam tamquàm Sanctus coleretur.

REGULA IX.

Ex his quæ ad alicujus Canonisationem ritè faciendam debent concurrere, non alia in Jure exprimuntur quàm ista.

I. Canonisandi vita Sancta, & miracula quæ sanctitatem testentur, inquirenda.

II. Populi, Clerique desiderium, quod vel Sanctum appellando, vel illum aliter venerando significariut.

III. Humilis supplicatio Sedi Apostolicæ facta, ut inter Sanctos illum annumeret.

IV. Delegatio ad testes super vita & miraculis audiendos, ab eadem Sede emanans.

V. Testium auditio, & examinatio eâ, quâ solet & debet in communi testium receptione, diligentiâ, adhiberi.

VI. Ut depositiones testium, proprio delegatorum sigillo munitæ ad Sedem Apostolicam mittantur.

VII. Ut præter sanctitatem nonnulla saltem adsint miracula, per testes juratos, nominatos, sigillatim eâ, quâ dictum est, diligentiâ examinatos.

VIII. Sententia ejusdem Sedis, quâ quis declaratur Sanctus, & colendus proponitur.

Quæ huc usque relata sunt ut ad Canonisationem necessaria ex *Cap.* 52. *De Testibus* desumpta sunt, ac S. Mauritii Canonisationem spectant, ut ex transcripta citati Capitis Parte patet; in qua etiam quatuor prima ex requisitis clarè continentur, posteriora itidem quatuor ex reliqua Parte colliguntur, quæ ideo hîc referenda est.

Pergit ergo Honorius his verbis: „Idem Episcopus & Abbas, nempe delegati, quamdam nobis „paginam transmiserunt propriorum sigillorum ap-„pensione munitam, in qua multa quidem & magna „miracula continentur facta, *ut dicitur*, à Domino, „meritis dicti viri, quæ licèt probata per testes jura-„tos & nominatos in ipsa pagina innuuntur, non ta-„men apparet per paginam suprà dictam quod tes-„tes ipsos examinaverunt sigillatim, & quod eos su-„per his, de quibus testificati sunt, & circumstantiis „cum ea interrogaverunt diligentia, quæ solet & „debet

„ debet in testium receptione adhiberi: undè licet „ humana devotio prompto debeat affectu honorare, quos dignatio Divinæ benignitatis honorat, „ tutiùs tamen esse censemus hoc differre negotium „ quàm in eo sententiam minùs consideratè proferre. „ Nolentes autem deesse supernæ gratiæ muneri, sed „ adesse discretioni vestræ, (Episcopis CORISSOPT. & „ TREC. loquitur) Mandamus quatenus testes quos „ Abbas & Monachi S. MARTIN. CISTERC. Ordinis „ super vita & miraculis piæ memoriæ MAURITII „ Abbatis Monasterii suprà dicti duxerint producendos examinare sigillatim curetis, cum ea diligentia, „ quæ solet & deber in testium receptione adhiberi „.

Ex hac autem Citatione *Cap.* 52. 2ª. *Parte*, præter prædicta colligi alia possunt; nempè I. Testium examinationem aliis committi posse, quàm iis, qui illos audierunt, cùm in MAURITII Canonisatione testes audissent Episcopus LEON & Abbas S. LUPI, & ad illos testes examinandos committantur Episcopus CORISSOR. & Episcopus TREGORENSIS.

Secundò, quamvis pluribus magnisque miraculis per testes aliàs fide dignos relatis, manifesta videatur alicujus sanctitas, præscriptas tamen à Jure solemnitates omittendas non esse; gravior siquidem digniorque res Sanctorum Canonisatio, quàm ut ullum, quo certior fieri possit testium depositio, medium negligatur.

Tertiò, in Sanctorum Canonisatione duo intervenire Judicia, Divinum & Humanum: Divinum Miraculis fieri; his enim, si vera sint, cum soli Deo competant, Deus Sanctum manifestè declarat, cujus meritis, precibusque illa operatur: humanum, præcipuè Dei in terris Vicario reservatum, Divino inniti debet, illodque sequi; ideòque antequam humani hujus judicii sententia proferatur, diligenti miraculorum inquisitione certa Divini Judicii quærenda notitia.

REGULA X.

Ex eo quod initio Pontificatûs ALEXAND. III. quidam publicè venerati sunt, qui à Sede Apostolica Sanctus declaratus non erat, certò colligere non est, ante illius Pontificatum id vetitum non fuisse.

Ex *Cap.* 2. *De Testibus pluries citato* Regula depromitur, cum sexaginta circiter annis post initium ALEXANO. Pontificatus, MAURITIUM Abbatem nedum populus, sed & Monachi, tamquam Sanctum venerati sunt, Sanctumque appellarunt, priusquam à Sede Apostolica inter Sanctos relatus esset: non obstante declaratione ab illo facta, id non licere, imò HONORIUS non vituperavit Cultum sic exhibitum S. MAUR. nec hinc avocatus est à processu ad Canonisationem illius, sed potiùs ad illum excitatus aparet, postquam de illo Cultu certior factus fuerat, necnon de illius fundamento.

REGULA XI.

Cujus est novos Sanctos publicè colendos proponere, ejus est reliquias novas, seu recens inventas ad incognitos Sanctos pertinentes, probare, probatasque publicæ venerationi exponi permittere.

Colligitur Regula ex *Cap.* 2. *De Reliq. & Vener.* in quo Concilium Generale *sub* INNOC. III. vetat, ne Reliquiæ recèns inventæ à quoquam publicè colantur, quin priùs autoritate Romani Pontificis probatæ fuerint: Hæc siquidem prohibitio suprà memoratæ novorum Sanctorum Cultûs prohibitioni planè similis est; ondè credere est posteriorem hanc prohibitionem de Reliquiis illorum, qui inter Sanctos nondum relati sunt, sermonem facere.

Quod de Reliquiis Sancti nondum vindicati, seu non canonisati, ad illius imagines, statuasque extendendum. Ad Reliquias hujusmodi Sancti Regula restricta est, quia Reliquiæ Sancti ab Ecclesia pro Sancto habiti, etsi, de novo repertæ, ab Episcopo cum Theologorum consilio, aliorumque virorum piorum probari possunt, & probatæ colendæ proponi. *Cap.* 2. SESS. XXV. *De Invocatione Sanctorum.*

Non diffitemur, ex diversitate temporis conciliari posse *Concilium* TRIDENT. cum *Concilio* LATERAN. sed ad Conciliationem istam, quæ Jurium Correctionem, facilè non admittendam, secum involvit, recurrendum non esse arbitramur.

REGULA XII.

De ultimo Actu Canonisationis, ne verbum quidem in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO, proindeque nec de illius forma: Is autem consistit in sententia, qua quis, inquisitione de vita & miraculis debitè facta & examinata, declaratur Sanctus, præcipiturque ut debitus Sanctis Cultus illi exhibeatur.

Prior Pars Regulæ habenda ut certa, donec reperiatur Textus, qui contrarium doceat.

Posterior colligitur ex VAN-ESPEN, qui docet, post insigniores Autores, qui de Canonisatione scripserunt, quosque laudat, prædictâ sententiâ Canonisationem absolvi, perficique, *Supplem. Par.* 1. *T.* 22. *Cap.* 7. Quoad formam sententiæ illius scire sufficiat, quod cùm Canonisatio, de qua agitur, fiat ut plurimùm per modum judicii, formam hanc peti soleat ex re postulata, ut formæ cæterarum sententiarum judicialium; relata autem fuit & explicata in *T.* 1. dum de Congregationibus Cardinalium actum est.

Dictum *ut plurimum*, quia nonnomquam fit per insertionem nominis alicujus, in Breviario Romano sic fertur: GREGOR. VII. canonisasse omnes Pontifices SIRICIO Prædecessores, quod tamen non fuit vera Canonisatio, sed potiùs Confirmatio ejus, quæ facta fuerat more recepto IV. prioribus sæculis; cùm jamjam per plura sæcula, ut Sancti honorati fuissent, vel per simplex *Breve*, ut parcatur sumptibus ad Canonisationem solemnem necessariis; eoque modo canonisari dicuntur JOANNES DE MATHA, & FELIX VALESIUS.

Cætera, quæ adduci possent, de Jure Novissimo circa eamdem rem, paucis exposita sunt loco citato, utpote ad Congregationem Rituum & ad Consistorium, tùm privatum, tùm publicum, de quibus dicebamus, pertinentia.

Peculiaria circà Cultum S S. Martyrum ex Canonibus Extravagantibus desumpta.

In iis legendis, hæc notanda sunt: I. Hujus Cultûs Antiquitas. II. Illius institutio, III. Quibus modis exhibitus; nempè Oblationibus, Sacrificiis, Festo Generali, vel Speciali, Lectione cujusque Actorum in Ecclesia, Constructione Oratoriorum vel Ecclesiarum, Reliquiarum Veneratione. IV. Cautelæ adhibitæ ne falsi, pro veris, Martyres colerentur. V. Conatus Diaboli, ut hic Cultus impediretur.

I. De Martyribus præcipimus vobis, ut in omni honore sint apud vos, ut apud nos fuerunt JACOB. Episcopus, & Condiaconus noster STEPHANUS, hos enim & Deus Beatos fecit, & Viri Sancti honorarunt & fuerunt puri omnis delicti, & neque ad peccatum flecti, neque à virtute deterreri potuerunt. Hæc dicta sunt de veris Martyribus, non autem de falsis . . qui enim in Martyrio non fallaciter pro veritate excessit è vita, hic est verus testis & autoritate dignus. *Constitut.* APOST. LIB. V. Cap. 7. & 8.

Lib. VI. *Cap.* 14. ſupponit Jacobum Alphæi adhue ſuperſtitem, uon idem ergo harum Conſtitutionum Autor ant infauſtæ memoriæ.

II. Oblationes pro Natalitiis annua die facimus. Tert. *De Corona Milit.*

III. S. Cypr. *Ep.* 37. Pamel. 12. *Edit. Oxonien.* Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut Commemorationes eorum iuter memurias Martyrum celebrare poſſimus.

Significet mihi dies, quibus in carcere Beati Fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à vobis Oblationes & Sacrificia ob commemorationes eurum, quæ citò vobiſcum Domino protegente celebrabimus. *Ep.* 34. Pamel. 39. *Oxon.*

Item Patruus ejus & Avunculus Laurentinus & Ignatius, in Caſtris & ipſi quondam ſæcularibus militantes, ſed veri & ſpirituales Dei milites, dum Diabolum Christi congreſſione proſternunt, palmas Domini, & coronas illuſtri paſſione meruerunt; Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum Paſſiones & Anniverſaria commemoratione celebramus.

IV. Si quis ſuperbiæ uſus affectu, Conventus abominatur, qui ad Confeſſiones Martyrum celebrantur, & Miniſteria, quæ in eis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execratur, Anathema ſit. *Conc.* Gangr. *ann.* 329. *Can.* 20. Dionis. *Interprete.*

V. Quod non oporteat in Quadrageſima Martyrum Natalitia celebrari, ſed eorum Sancta commemoratio in diebus Sabbathorum & Dominicorum fieri conveniat. *Conc.* Laodic. *Can.* 51. Dionis. *Interprete. ann.* 372. ſub Silvest. à nonnullis collocatum, ſed longè poſterius, ut alibi notatur.

VI. Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet, neque ad paſſiva corpora, quæ Sepulturæ tantùm, propter miſericordiam Eccleſiaſticam, commendari mandatum eſt, redigat; ut aut inſania præcipitatos, aut alia ratione peccati diſcretos; non ratione vel tempore competenti, quo Martyria celebrentur, Martyrum nomine appellet. *Concil.* Cart. I. *ann.* 348. Cap. 2.

VII. Liceat etiam legi paſſiones Martyrum cùm anniverſarii dies eorum celebrantur. *Cod. Ecl. Afr. Can.* 46. deſumitur è *Conc.* Carthag. *ann.* 397. *celebrato C.* 47. Notat Labbæus pertinere ad aliud Conc. ſub Bonifac. celebratum, idque quia in certis Conciliorum Libris de Bonif. facit mentionem.

VIII. Placuit, ut Altaria quæ paſſim per agros aut vias, tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum Corpus aut Reliquiæ Martyrum collectæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, Plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent. Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ ſint; aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel Paſſionis fideliſſima origine traditur. *Conc.* Carth. V. *ann.* 398. *Cap.* 14. Eadem fere habet Mart. Bracar. Lib. I. *C.* 68.

IX. Quæ à veritatis hoſtibus falſo confictæ ſunt Martyrum Hiſtoriæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent ad infidelitatem deducerent in Eccleſia uon publicari jubemus, ſed eas igni tradi; qui eas tamen admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematiſamus. *Conc.* Trull. *ann.* 692. *C.* 63.

X. Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; ſed ii ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex autoritate paſſionum, aut vitæ merito electi ſunt. *Capitulare* Francoforo. *ann.* 794. *Can.* 42.

XI. Illas Feſtivitates Martyrum obſervare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia Sancta corpora requieſcunt *Capitular.* Lib. II. *C.* 35.

XII. Vitæ Patrum ſine probabilibus Autoribus minimè legantur; nam ab Orthodoxis titulatæ & ſuſcipiuntur, & leguntur: magis enim paſſiones Sanctorum Martyrum Sacri Canones cenſent, ut liceat eas etiam in Eccleſia legi, cum anniverſarii dies eorum celebrantur. Adrianus *ad* Carolum *Imper. C.* 17.

XIII. Ut aliud in Eccleſia non legatur, aut cantetur, niſi ea, quæ autoritatis Divinæ ſunt, & Patrum Orthodoxorum ſanxit autoritas. Ahiton Basil. *Epiſ. Capitul. n.* 19. *ſæc. IX.*

XIV. Legendas & Hiſtorias Patrum, quæ legi ſolent in Eccleſiis, Epiſcopi diligenter per ſe, vel alios, quos ad hanc rem delegerint, examinent, ac repurgent, ne ſpuria & incerta pro veris, certis, & germanis Hiſtoriis legantur: Et ea ſic repurgata, nec curſim, nec lentiùs legantur in Eccleſiis; utroque impeditur Auditor, ne intelligat; legantur autem diſtinctè, preſſè, & intelligenter. *Conc.* Camer. *ann.* 1565. *T.* 6. Cap. 8. Quod dicit de expurgatione maximè neceſſarium in Breviario Romano.

In Festo Martyrum Legendi Canones.

Aliquarum Provinciarum mos èſt jam antiquus, ut in Prima legantur quidam Canones, Officio diei convenientes. In illarum uſum factæ fuerunt Collectiones, cuique Officio accommodatæ. Tales ſunt duæ ſequentes Feſtis Martyrum & Confeſſorum Pontificum deſtinatæ, quæ hic ſubjiciuntur.

Collectio Prima.

Pro Commemoratione Sanctorum Martyrum.

I. Curet ſervus bonus & fidelis, fide non ficta ſervare charitatem, plus æſtimans animæ vitam quàm corporis, minùs horrens interitum carnis quàm fidei. S. Bern. *Epiſt.* 42. *ad* Henric. Senon.

II. Melius eſt mihi in hoc ſæculo mori quàm alicujus privati potentia dominante caſtam veritatis virginitatem corrumpere. Hilar. Lib. I. *ad* Constantium August.

III. Iſti ſunt Sacerdotes, qui Fidem Catholicam, ſi ita neceſſitas poſcat, membrorum ſuorum laceratione defendunt, pro qua totis viribus retinenda, miſſis facultatibus ſuis, etiam mori parati ſunt. Lib. I. *De Vita Contemplat.* Cap. 25.

IV. Convitia eorum non timemus, ſuſtes, & gladios, & lapides non perhorreſcimus; necare non poſſunt, niſi eis Dominus necare permiſerit. Milites Christi armati ad prælium fide pariter & vigore vinci non poſſunt, & hoc ipſo invicti ſunt, quia mori non timent. S. Cypr. *Epiſt.* 25. *ad* Cornelium.

V. Cujus fortitudo eſt Dominus tàm non cadit, quàm non cadit Dominus. Quantæ fiduciæ vox, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*? nihil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. S. Aug. *in* Psal. CXVII. S. Bern. *Serm.* 85. *in Cant.*

VI. Illos aſſumito, qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent niſi à Deo; illos aſſumito, qui Regibus Joannem exhibeant; Ægyptiis Moïsem; fornicantibus Phinees; Eliam Idololatris; Heliseum avaris; Petrum mentientibus; Paulum blaſphemantibus; negotiantibus Christum; minas Principum non paveant, ſed contemnant. S. Bern. Lib. IV. *De Conſid.* Cap. 4.

VII. Si res Ecclesiæ exegerit, pro justitia, & libertate Ecclesiæ non dubites facultates tuas raptoribus, famam ludubrio, fortunam periculis, & caput hostilibus gladiis objectare: delectabile spectaculum est Angelis, si sit homo pro justitia opprobrium abundantibus, & despectio superbis. B. BLES. *De Justit. Episcop.*

VIII. Non idcirco relinquenda est nobis Ecclesiastica Disciplina, aut Sacerdotali solicitudinis censura, quoniam conviciis infestamur, aut terroribus quatimur: Sacerdos Dei Evangelium tenens, & CHRISTI Præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest. CYPR. *Ep.* 5. *ad* CORNEL.

Spectat ad Doctorem Pastoralem constantia, prudentia: Prudentia, ut sit in eo facultas, veritas, & bonitas: Constantia dat ne succumbat adversis, ne cedat conviciis, vel injuriis, ne rumoribus falsis & indignis, vel infletur ad gloriam, vel constabescat ad ignominiam. Neque enim Gladiator (sicut dicit CHRISOSTOMUS) plus habere debet animam in manibus, hoc est ultro dare morti quàm Prædicator. GERSON *in Conc.* RHEM. *refert Vochel* LIB. I. *T.* 3. *C.* 66.

Ut coronam percipias labori insiste: Pollicetur enim Deus perseverantibus in finem salutem, nec te minæ terreant, nec dejiciant terrores, sed fixam in Deo tenens fiduciam veritatis verbum denuntia, erit enim adjutorio Domini protectio: tantum sit bonum in voluntate opus. GREG. II. *ad* BONIF. *Episc. Ep.* 8. CONC. TOM. VI. *p.* 1447.

COLLECTIO SECUNDA.

Pro Commemoratione Confessorum Pontificum.

Sint subditis norma vivendi; ita videlicet ut verbis & exemplis populo ad æternam Patriam pergenti ducatum præbeant; ut vita eorum & doctrina nequaquam discordent, sed quæ dicunt, faciant; & quæ faciunt docere studeant: Et Prædicatione assidua Plebem admoneant, & falce justitiæ à credentium mentibus vitiorum spinas eradicent, & Verbi Dei semine agros mentis eorum ad fœcunditatem perducant. *Conc.* CABIL. *sub* CAR. MAX. *an.* 813. *Cap.* 2.

Oportunum ducimus ut humilitatem atque Religionem & in vultu, & in opere, & in habitu, & in sermone demonstrent; ut bene agentes & habitu & vultu demulceant; malè verò agentibus ipso suo visu terribiles sint. *Ibid. Cap.* 4.

Hoc autem quod ad me Episcopatûs Ordinem cognoveris pervenisse, si diligitis, plangite; quia hic hujus Mundi tantæ occupationes sunt, ut per Episcopatûs Ordinem penè ab amore Dei me videam esse separatum, quod incessanter defleo, atque ut pro me Dominum exoretis rogo. S. GREG. *Ep.* 29. LIB. I.

Quod verò os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multisque lucere perhibetis, æstimationem mihi meam, fateor, in dubietatem maximam perduxistis; considero qui sum, & nihil in me ex hujus boni signo deprehendo; considero qui estis, & vos mentiri posse non arbitror; cùm ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea; cùm discutere volo quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra; sed quæso, vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conveniat, ut & si non quod dicitis ita est, fit ita quia dicitis ita S. GREG. *Ep.* 25. LIB. I. *ad* ANASTASIUM *Patriarch.* ANTIOCHEN. *ibid. Ep.* 7.

Ex consideratione hujus Ordinis Episcopatûs mentem meam, fateor, transverberat vis doloris; grave namque est pondus Sacerdotii, prius quippe est Sacerdoti necesse ut cæteris ad exemplum vivat, ac deinde servandum ut mentem per ostensa exempla non elevet: ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco, & quod accepto Regno Paterfamilias redeat, rationem nobiscum positurus, aspicio, sed qua eam mente sustineo, cui de suscepto negorio animarum lucrum, aut nullum, aut pene nullum reperio. S. GREG. *Ep.* 39. *L.* II.

Triste est quidquid aspicitur; quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet; penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum dejectus exterioris provectus culmen ascendi, & pro culpis meis in occupationis exilium, à facie dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus cum Prophetâ dico, *qui consolatur me longè recessit à me.* S. GREG. *Ep.* 6. LIB. I.

Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut rectè dicam. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longè factum est quod intra me est, ita ut obedire nequeam Propheticæ voci: *Redite prævaricatores ad cor*, sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor: *Cor meum dereliquit me.* S. GREG. *Ep.* 5. LIB. I.

Nos quos pastoralis curæ constringit Officium diligamus fratres, ipsos quoque adversarios nostros, propter Mandatum Dominicum, nostro circa nos copulemus affectu, pacem sequamur cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, in piis versemur operibus, virtutibus polleamus, fulgeat in nostro pectore rationale judicii, cùm sit in lingua sermo, sit zeli fervor in animo. S. GREG. LIB. V. *Ep.* 62.

Quantùm quis præcelsi culminis obtinet locum, tantùm necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, ut in eo quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis; *ut juxtà* PAULUM, *potens sit exhortari in Doctrina sana, & contradicentes revincere. Cap.* 2. TOLAT. XI. *an.* 675.

Quia juxtà Scripturæ testimonium vota nostra tenemur reddere Domino Deo nostro; salubriter decernimus advertendum, ut Episcopi formam suæ professionis in sua consecratione prolatam bis in anno coram se legi faciant diligenter; ut tantò meliùs professionis suæ recordentur, quantò sæpiùs eorum fuerit auribus inculcata. *Conc.* OXON. *Cap.* 2. *an.* 1222.

Ita castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocumque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet; non pretio, sed precibus ordinetur. Antistes tantùm ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. *Imper.* LEO.

Ut Episcopi, qui cæteris prælati sunt; cum summa veneratione ac diligentia subjectis sibi præesse studeant; non potentiva Dominatione, vel Tyrannide, sibi subjectos premant, sed simplici dilectione eum mansuetudine & charitate, vel exemplis bonorum operum commissum sibi gregem sollicitè custodiant. *Capitul.* CAR. MAG. *an.* 802. *c.* 11.

Intelligant conservi vestri viventes in diebus malis sicut & nos, quibus nondum revelata sunt abscondita tenebrarum, & manifesta consilia cordium, sicut nec nobis, ex imperfectione sua imperfectionem nostram; neque festinent incerta judicare, sed si forsitan ad ligna cædenda simpliciter incedunt, videant, ne per immoderatum ictum ferrum de manubrio fugiat, & aliquem de Filiis Prophetarum occidat. IVO *Carnot. Ep.* 133. RICHARD, *Legato.*

Is ad

Is ad Episcopale Officium perveniat, si secundùm Apostolum vivat, *id est*, irreprehensibiliter, sobriè, pudicè, prudenter, ornatè, cum hospitalitate, cum Doctrina, non vinolenter, non injuriosè, modestè, non litigiosè, non cupidè. Oportet etiam Pontificem propriæ domui esse benè præpositum, & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ut Doctrina Dei exornetur in omnibus: Nos autem etiam adjungentes, & ab his, qui intùs sunt conversantes cum Episcopo, habere testimonium omnem Episcopum oportet. *Conc.* Aquisgr. II. *ann.* 836. Cap. 1. *De Vita Episcoporum n.* 1.

Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est pro his, qui nostra negligentia pereunt rationem reddituri sumus, pro his verò, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus; nobis enim à Domino dictum est, *vos estis sal terræ*; quod si populus fidelis cibus est Dei, ejus cibi condimentum nos sumus. Theodul. Aurelian. *n.* 7. Concil. Tom. VII. *p.* 1137.

Admonendi sunt Episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in Sanctæ Religionis pietate prædicent, & ostendant exempla bona omnibus; ut suas Parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando Verbum Dei, circumeant; ne aliquis per incuriam Pastoris, per devia cujuslibet ignorantiæ errans, lupinis pateat morsibus lacerandus; ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat; quod enim gratis accepimus gratis impendere non differamus; absque ullo timore, vel adulatione, cum omni fiducia Verbum veritatis prædicare, Regi, Principibus populi sui, omnibus Dignitatibus, & numquam veritatem subterfugere; neminem injustè damnare, neminem nisi justè communicare, omnibus viam salutis demonstrare. *Constitut.* Odon. *Archiep.* Cantuar. *ann.* 943. Cap. 3.

Nulli fidelium dubium est, quod Ecclesia Dei in Pontificibus, & Sacerdotibus reliquis, quibus populus Domini commissus esse dignoscitur, constet, & eis sicut domus quibusdam suis innitatur columnis. Sed quorumdam pravorum hominum mentibus, ac moribus, qui se in domo Ecclesiæ, nomine potiùs quàm recta conversatione, videri appetunt, tantæ stoliditatis inest amentia, ut non intelligant, quia status Ecclesiæ ita Sacerdotibus, quod absit, aliqua impulsione nutantibus infirmatur, sicuti excussis columnis domûs totius Fabricæ ruinam minatur. *Conc.* Troslian. Cap. 5. *ann.* 909.

Hæc est Dei Patris ordinatio, hæc Lex existit Ecclesiæ Almæ Matris, ut qui obsequiis Ecclesiasticis mancipati existunt, soletti cura ac Providentia Præsulis, sincerè & purè in domo Domini conversentur; & ut cordis oculus nube erroris obductus, illustrationis lumine sit serenus. *Concil.* Palant. *ann.* 1322. *in Præfat.*

Plena sanctissimis Mysteriis cùm sit consecratio Episcopi, præter multa, quæ tempore, loco & formula ejus, Patrum Institutis præcepta sunt, illud à Felice IV. Pontifice Maximo constitutum etiam est, ut Anniversarius ejus consecrationis dies celebraretur. Quod institutum, jam diu intermissum, ut in hac Provincia ad usum revocetur; statuimus, ab unoquoque Episcopo Anniversarium consecrationis suæ diem solemni ritu agi. *Conc.* Mediol. III. *ann.* 1573. Cap. 12. *Concil.* Aquilei. Cap. 8. *ann.* 1596. jubet, ut hic dies cum die consecrationis Metropol. in Kalendario cujusque Diœcesis indicetur.

Sunt Episcopi Mundi lumina, populorum Duces, quod sanè decus ut singulis à Deo communicatum est, qui tamquam Aaron ad animarum Præfecturam vocati fuere, ita purum ac illæsum ab iisdem conservari par est; Gregi itaque invigilent Episcopi, strenuè in vinea sibi commissa laborent, virtutes omnes tùm ipsi colant, tùm à suis subditis coli sedulò curent: Vitia, quacumque tamdem ratione valent, eradicent ac profligent; ita tamen ut omnia prudenter ac matura prævia consultatione gerantur. Eorum Ministerio, ac etiam consilio utantur Episcopi, quos Dei honorem animarumque lucrum zelare viderint, quique magis prodesse, quàm præesse studeant. *Concil.* Avenio. Cap. 2. *ann.* 1594.

Canones extra Corpus Juris desumpti continentes peculiaria circa Primam.

I. Cassianus Lib. III. *C.* 4. loquens de Prima hæc habet: *Sciendum tamen hanc Matutinam, quæ nunc observatur in occiduis vel maximè Regionibus, Canonicam functionem nostro tempore, nostroque Monasterio primitus institutam, ubi Dominus noster* Jesus Christus, *natus ex Virgine, humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in Religione teneram & lactentem infantiam sua gratia confirmavit.* De eadem inferiùs addit tribus constare Psalmis secundùm modum, qui in observatione tertiæ, sextæ, vel nonæ Trinæ Confessionis Exemplo statutus est, ut fides. S. Athan.

II. Nullus antequam Matutinas dixerit, Cannnicas, & primam præsumat aliqua necessitate celebrare Missam. Odo Paris. *Episcopus in Synodo versus ann.* 1200.

III. Nullus antequam Matutinas, Canonicas, & Primam dixerit, Missam celebrare præsumat aliqua necessitate. *Simo galon Legat.* Innoc. III.

IV. Sacerdotes volentes celebrare Missam non præsumant celebrare, nisi de commissis peccatis sint contriti & confessi, & Matutinas, atque Primam priùs pro ipso die dixerint. *Synod.* Lingon. *ann.* 1404. *Conc.* Lameth. *Prov.* Cantuar. Cap. 3. *ann.* 1330.

V. Nullus Sacerdos celebret, nisi jejunus & confessus, & Horas Canonicas & Beatæ Virginis usque ad tertiam exclusivè dixerit. *Synod.* Senon. *ann.* 1514.

VI. Sacerdotes celebrare caveant, nisi jejuni & confessi, & Horis septem, tàm de die, quàm de Beata Virgine priùs absolutis, saltem ad tertiam usque eum devotione, quæ requiritur, citra populi scandalum. *Syn.* Paris. *ann.* 1557.

SECTIO XIII.

Regula de Vigiliis ex Corpore Juris Canonici desumpta.

Quæ præcipuè attendenda circa Vigilias sunt: I. Quid antiquius, recentiusve hac de re in Jure habeatur? II. In quo different à simplici Jejunio, nempè pernoctatione in Orationibus? III. Quotuplex? nimirum privata & publica ex devotione, vel ex præcepto, vel ex voto Regulari quotidiana & unici diei? an mentio fiat de laude perenni olim usitata in pluribus Monasteriis? de adoratione perpetua Sanctissimi Eucharistiæ Sacramentis nunc vigente in plurimis? IV. Quando abrogatæ Vigiliæ, an abrogatis illis abrogatum Jejunium, an abrogato Festo abolitæ sint quoque Vigiliæ vel Jejunium? V. Quando Vigilia eadente in die Dominico translata est in diem præcedentem, & à quo jussa est hæc Translatio.

Per Vigilias, dies hìc intelligimus, quibus jejunatur, & in decantandis Dei laudibus insomnis nox transigitur; duo ergo in his diebus consideranda sunt, Jejunium & Insomnis in Oratione pernoctatio; priùs in Vigilia loco generis est; id enim com-

commune cum aliis omnibus, quibus jejunatur diebus; pro differentia verò posterius habet. Sicut Jejuniorum alia sunt privata, alia publica; privata, quæ devotionis causâ fiunt; publica, quæ communi pluribus Lege fiunt; ita Vigiliarum aliæ privatæ, quæ peculiari devotione fiunt; aliæ publicæ, quæ Lege pluribus communi celebrantur. De publicis ita agemus, ut quæ circa privatas in Jure reperiemus, non omittamus.

REGULA I.

In Jejunio Vigiliæ aliàs semper conjunctæ essent necne, ex nullo Juris Textu certò colligi potest.

Regula patet ex eo quod nullus extet Textus, qui Vigiliam Jejunio in genere sumpto conjungat, nullus est, qui diebus Jejunii quibusdam non vigilari dicat. Ex iis qui Jejuniis dies Festos præcedentibus Vigilias conjungunt, certi nihil concludi potest contra alia Jejunia, cùm id silentii nasci potuerit ex non data id dicendi occasione. Ex eo etiam quod quædam Jejunia Vigiliæ nominentur & non alia, nihil certi colligi potest, cùm id fieri potuerit ex eo quod alia Jejunia aliis nominibus distinguebantur, ista verò nullo alio distingui poterant; vel ex eo quod majores ista Vigiliæ sequi solebant.

REGULA II.

Vigiliæ sive publicæ, sive privatæ, quantumcumque Sanctæ sint, sensûs integritati præferendæ non sunt. *Cap.* 14. *De Cons.* DIST. V.

Ex S. HIERONYMO desumitur, contra indiscretas Vigilias facit; indiscretæ autem censendæ, quæ pro vigilantium complexione, vel corporis saluti, vel mentis integritati graviter nocent.

REGULA III.

Circa Vigilias expresè Jejuniis conjunctas unicus extat in Jure Textus; isteque est *ann.* 399. è Sancto AMBROSIO desumitur, & de die Paschatis, vel Pentecostes Festum proximè præcedenti loquitur: in *Cap.* 9. DIST. LXXVI. refertur.

Hinc nec ante sæculum IV., nec post, de hujusmodi Vigiliis in Jure fit expressa mentio; expressam mentionem dicimus, quia de Vigiliis plures alii Textus meminerunt; sed in iis & jejunari & vigilari simul distinctè non dicunt.

Ut autem in quibus ab aliis Textus hic differat clariùs pateat, quæque circa illum notanda sunt faciliùs concipiantur, transcribendum duximus, ecce ergo illius verba: „ Non minore lætitia celebramus diem Pentecostes quàm Sanctum Pascha „ curavimus, tunc enim, sicut modò fecimos, „ Sabbatho jejunavimus, Vigilias celebravimus, Orationibus pernoctantes instituimus; undè necesse „ est similem observantiam similis lætitia subsequatur „: Vel potiùs è contra, prout habet originale.

Relatum Textum GRATIANUS ita interpretatur ut sensus sit, tempore AMBROSII in honorem Pentecostes eadem facta fuisse, quæ in honorem Paschæ facta fuerant; sed cum eo discrimine, ut in Paschate ex Præcepto, in Pentecoste verò ex devotione; quam interpretationem confirmare volens ex ISIDORO Textum mutuatur, qui docet post Pascha usque ad Pentecosten Jejunia relaxari, sed ex devotione tamen jejunari posse. Undè inferre licet, Sabbatho Pentecostes GRATIANI sæculo jejunatum non fuisse nec vigilatum, vel si id factum, ex devotione id tantùm fieri creditum esse. Sententiam GRATIANUS deprompserat suam ex *Cap.* 8. DIST. LXXVI. in quo AMBROSIUS docet quinquaginta post Pascha dies pro Festis habitos & per istos non jejunari; Textus tamen hic non evincit quod GRATIANUS sentit, inter quinquaginta dies unus dies adeò parum est ut pro nihilo reputari possit. Textus AMBROSII alter quo Sabbathum Pentecostes jejunatum ostenditur, clarior est quàm oppositus, cùm id distinctè dicat, ille verò tantùm confusè; quod autem obscurum explicandum per id quod clarum, & confusus Textus per distinctum, & non è contra.

In eodem Textu Jejunio Vigiliæ & in Orationibus pernoctatio junguntur, idque quia ejusdem solemnitatis Festum esse Pentecosten ac Pascha credebatur; ea autem tria ad Vigiliam propriè dictam ita pertinent, ut illorum aliquod si desit, Vigilia de qua loquimur, nequaquam sit. Vox, *pernoctare*, demonstrat non noctis partem, sed totam noctem insomnem transactam fuisse, necnon Orationis laborem Vigiliæ incommodum comitatum fuisse, ut à Vigiliis profanis Vigilia Sacra, per illud quod sibi peculiare est, distinguetur.

REGULA IV.

Præter relatum Textum quatuor de Vigiliis, quibus jejunatur, tantùm alios habemus, nempe *Cap.* 3. DIST. LXXVI. Cap. 1. & 2. *De Obser. Jejun.* Cap. 14. §. 1, *De Verb. Signif.* DECR. LIB. V. *Tit.* 40.

Primus è *Concilio* SALEGUNSTADIENSI *ann.* 1022. celebrato desumitur; summa illius est, Jejunia quarti & decimi mensis ita illis in mensibus collocanda, ut illorum Sabbathum non concurrat, nec cum Vigilia Pentecostes, nec cum Vigilia Natalis Domini.

In secundo, qui ex INNOCENTIO III. Clericis S. PATRI *Magalonensis ann* 1213. scribente depromitur, deciditur: 1. Vigilias Natalis Domini, vel Assumptionis Beatæ Mariæ, vel cujusdam Apostoli die Dominico occurrentes Sabbatho præcedenti jejunandas esse. 2. Beati MATTHIÆ Vigiliam jejunari decere.

In tertio docet INNOCENTIUS III. anno eodem Romæ singulas Apostolorum Vigilias jejunatas fuisse, alibi verò non omnes; hac in re Consuetudini standum esse.

Quartus, ex ALEXANDRI III. Epistola *ann.* 1175. scripta desumptus, definit anno bissextili inter Vigiliam & Festivitatem Beati MATTHIÆ interponendum non esse diem eo anno additum, sed Vigiliam Festo proximè cohærere debere.

Interpositio autem hæc ex eo contingebat quod translata ex die vigesimo quarto ad vigesimum quintum MATTHIÆ Festivitate, Vigelia vigesimo tertio relinquebatur. Definit quoque ibidem ALEXANDER III. Beati MATTHIÆ Vigiliam jejunandam esse, nisi die Dominica occurrerit.

REGULA V.

Prædictorum Textuum nullus meminit quod iis diebus vigilaretur.

Hinc tamen non sequitur undecimo, duodecimo, tredecimo sæculo Vigiliarum diebus vigilatum non fuisse; cùm enim de solo Jejunio his in Textibus ageretur, de solo Jejunio mentionem fecerunt.

Præterea ex *Cap.* 13. *De Tempor. Ordinat.* conjicere est *ann.* 1300. Vigilias nondum abrogatas, cùm de Ordinatione à Vespera Sabbathi ad manè Dominicæ continuata mentionem faciat, & hujusmodi continuatio Ordinationis in Ecclesia Vigiliam requirat.

Ad

Ad hæc *Cap.* 4. *De Confecratione Ecclefiæ vel Altaris*, INNOCENTIUS III. COMPOSTELLANO Epifcopo fcribens *ann.* 1212. de Vigiliis in Ecclefia S. JACOBI eo tempore factis meminit, hæc enim habet: „ Propofuifti quod venientibus ad Ecclefiam S. JACOBI „ ex diverfis Regionibus peregrinis, & volentibus aliis „ ab aliis per contentiones & rixas Altaris de nocte „ cuftodiam vindicare, homicidia contingunt fieri „ interdum, & aliquandò vulnera inferuntur „. Quæftioni autem propofitæ INNOCENTIUS refpondens, ne verbum quidem dicit, quo propter prædicta fcandala Vigilias improbet, damnet, prohibeatque.

Non obftat quod eo in Textu de Feftorum Vigiliis non agatur, fed de aliis; cùm enim propter abufus iftis & illis communes abrogatæ fuerint Vigiliæ, inferre licèt Feftorum Vigilias tunc abrogatas non fuiffe, ex eo quod aliæ adhuc vigerent eodem tempore.

REGULA VI.

Exeunte fæculo XII. imò nec ineunte XIII. occurrentes die Dominica Vigiliæ præcedenti Sabbatho nondum ubique celebrabantur.

Ex *Cap.* 14. *De Verb. fignif.* & ex Cap. 1. 2. *De Obfervat. Jejun.* certò colligitur Regula. In priori enim ALEXANDER III. *ann.* 1175. Vigiliam S. MATTHIÆ eo die quo occurrit jejunandam effe definiens, cafum excipit, quo die Dominica cadit, nec quidquam addit, quo præcedenti Sabbatho jejunandum infinuet, imò contrarium indigitat, cùm Vigiliam Fefto proximè cohærere velit.

In pofteriori ab INNOCENTIO III. *ann.* 1213. quæritur quid faciendum circa Vigilias, quæ die Dominico occurrunt, & in utroque, prout apud GREGORIUM funt, refpondet præcedenti Sabbatho jejunandas.

REGULA VII.

Ante fæculum XIII. Vigilia die Dominico occurrens, præcedenti Sabbatho jam alicubi jejunabatur.

Infertur ex *Cap.* 2. *De Obfervat. Jejun.* prout apud ANTONIUM AUGUSTINUM legitur; in eo enim circa Quæftionem propofitam INNOCENTIUS docet, eum Ecclefiæ Romanæ ufum tunc temporis fuiffe, ut præcedenti Sabbatho jejunaretur in honorem Fefti fecunda feria cadentis, illumque allegat ufum prout Legem, quæ Ecclefiam Romanam liget, eo planè modo quo alios ejufdem Ecclefiæ ufus circa alia Jejunia citat; ut autem hujufmodi ufus ftabiliatur, quadraginta annorum fpatium requiritur.

REGULA VIII.

De jejunata non celebrati Fefti Vigilia Textus Juris nullus meminit: extant è contra ex quibus inferre eft, id non decere.

Pofterior Regulæ Pars, quæ fola probari poteft & debet, colligitur ex *Cap.* 9. DIST. LXXVI. in quo S. AMBROSIUS Pentecoften cum Pafcha comparans dicit: „ Quos par Jejunii & in Orationibus „ pernoctationis labor vel triftitia ad Pentecoften „ ac ad Pafcha præparavit, pari lætitia illam ce„ lebrare debere, ac Pafcha celebrarunt „: Hinc enim fequi videtur, fublatâ Fefti lætitiâ Jejunii triftitiam tolli quoque decere, eoque magis quod fruftranea appareat ad id quod fieri non debet præparatio.

REGULA IX.

De Vigiliis à Jejunio fejunctis tot extant Juris Textus quot funt qui de Officio nocturno loquantur, quique dum *de Officiis Divinis* collecti funt.

Ex dictis GRATIANI fuprà relatis fub Regula III. circa Vigiliam Pentecoftes quidam collegerunt hanc Vigiliam non effe præceptam, fed foli fidelium devotioni derelictam, contra hos fcribit NAVARRUS. *Confilium I. De Obfervatione Jejuniorum*, in quo rectè, folidèque illam effe certo præceptam oftendit.

SECTIO XIV.

De Jejuniis Quatuor Temporum, Regulæ ex Corpore Juris Canonici defumptæ.

Circa Jejunia Quatuor Temporum potiffimùm attendenda: I. Eorum inftitutio, an Divina, an Humana; quæ illius caufæ, an propter Ordinationes facta fit, an iis temporibus femper iftæ factæ fint? II. An hæc Jejunia ferventur apud Græcos, an univerfaliter recepta apud Latinos? III. Qui modi illa computandi? varii ufus circa illos: & quot difcrimina hac in re inter Ecclefiam Romanam & alias Ecclefias Occidentales? quo tempore cœpit ufus hodiernus? & quàm ab ortu ufque ad nos conftans fuerit? IV. An dies Fefti occurrentes his temporibus ab abftinentia carnis illa eximerint? V. Qui Textus certò fuppofititii, qui dubii, qui certò legitimi, an aliqui fint in Jure extra GRATIANUM & GREG. IX.? qui in eodem hiatus circa illa? quomodo fupplendi?

REGULA I.

Ex citandis Juris Textibus patebit, Jejunium quatuor Temporum ex eo ita dictum, quod in qualibet quatuor anni tempeftate fervetur, triumque tantùm dierum effe, nempè quartæ, fextæ & feptimæ Feriæ.

REGULA II.

Ex iifdem patebit quoque prædictum Jejunium vocitatum etiam Jejunium primi, quarti, feptimi & decimi menfis, nec aliis quàm his duobus donari in Jure nominibus.

REGULA III.

Circa Jejunium quatuor Temporum fimul vel feorfim fumptum fæculo V. antiquiorem Textum habemus nullum, fed qui antiquitate primus eft, de illis Jejuniis tamquam de re ufitata loquitur.

Omnium antiquiffimus qui de omnibus fimul fumptis loquatur *è Sermone* 8. S. LEONIS *De Jejunio* decimi menfis circa *ann.* 449. fcripto defumitur, & refertur *Canone* 6. DIST. LXXVI. in eoque horum Jejuniorum obfervationis jam ufurpatæ caufa tantùm explicatur.

Non obftat *Canon* 1. *ead.* DIST. ex CALIXTO I. *ann.* 221. depromptum, in quo Jejunium trium temporum jam fervari fupponens, quartum tempus addit, hancque additionis caufam affert, quod annus per Quatuor Tempora volvitur. Suppofitum CALIXTO Textum hunc nemo nefcit.

Textuum verò, qui de illorum aliquo feorfim fumpto loquatur, antiquiffimus ex ejufdem S. LEONIS *Sermone* 1. *ann.* 441. fcripto de Jejunio Pentecoftes defumitur, totufque in eo ponitur, ut quare poft Pentecoften jejunetur exponat; refertur *Canone* 5. *ead.* DIST.

REGULA IV.

Quæ de illorum Jejuniorum antiquitate testimonia habemus, eadem quoque pro nominum ipsorum antiquitate militant.

In priori primi nominis causam legimus, dum dicitur *in quatuor anni tempestatibus Jejunia hæc servari.* In posteriori nedum alterius causam, sed & ipsius nominis, dùm de Jejunio septimi & decimi mensis expressa mentio fit.

REGULA V.

Ineunte sæculo V. Jejunia prædicta nondum ubique agnita, ex *Canone 7. ead.* DIST. inferre licet.

Desumitur ex *Commentario* S. HIERONYMI in ZACHARIAM, in eoque explicat HIERONYMUS causas Jejuniorum, quæ apud Judæos primo, quinto, septimo, & decimo mense celebrabantur, nec verbum quidem habet de simili apud Christianos servaro Jejunio; hæc autem HIERONYMUS in Palæstina scribebat *ann.* 408.

REGULA VI.

Ubicumque Sabbatho jejunatum non est, vel non jejunatur, ibi Quatuor Temporum Jejunia non viguerunt, vel non vigent.

Hinc cùm ineunte sæculo VI. in Gallia, quibusdam saltem in locis, Sabbatho non jejunaretur etiam in Quadragesima. *Cap. 9. De Cons* DIST. III. certum est ibidem prædicta Jejunia runc temporis non servata. Hinc cùm apud Græcos Sabbatho nunquam jejunatum sit, præter Sabbathum Sanctum, Jejunia Quatuor Temporum apud illos locum non habuisse manifestum est.

REGULA VII.

Quandiu quarta, sextaque cujuslibet hebdomadæ Feria jejunatum est, tamdiu jejunia Quatuor Temporum iis in locis non viguerunt, nec nunc vigent, sicubi iisdem Feriis adhuc jejunatur.

Hinc cùm sæculo IV. in Oriente quarta & sexta Feria jejunaretur, idque ex præcepto, ut dum de illo jejunio ostensuri sumus, certum est in eodem Oriente Jejunia Quatuor Temporum servata non fuisse.

REGULA VIII.

Ex diverso circa Quatuor Temporum Jejunia usu, de quo jam, & adhuc postea, à Deo nec instituta, nec præcepta rectè concluditur.

Regula patet tùm ex eo quod, nec ubique servata, nec etiam ubique nunc servari ostendimus; tùm ex eo quod eodem tempore servata non fuisse ostendemus.

Non obstat *Canon 6.* DIST. LXXVI. in quo S. LEO insinuat illa Jejunia ex Spiritûs Sancti Doctrina fluxisse; quod enim Ecclesia facit, id Spiritui Sancto Beatus LEO tribuit, ratus illam Spiritu Sancto regi.

REGULA IX.

Quod de quibusdam illorum dicit *Canon 5.* DIST. LXXVI. ad alia extendi potest, nempe Consuetudine introducta.

REGULÆ RATIO: Nullus Juris Textus extât, qui Jejunia illa instituat.

REGULA X.

Quantumvis antiqua sit prædicta Consuetudo, Traditio Apostolica (si strictè loqui velimus) dicenda non est.

Colligitur ex *Canone 11.* DIST. XII. in quo S. AUGUSTINUS docere videtur, ut quid ab Apostolis traditum esse dicatur, requiri ut toto terrarum Orbe id observetur; nam si juxtà ipsius Regulam quod eo modo servatur, & à Conciliis Generalibus institutum non invenitur, ab Apostolis traditum censendum est; à contrario sensu, oportet ut quod eo non observatur modo, juxtà exacti sermonis rigorem ab Apostolis traditum dici non debeat. Circa quod notandum obiter, ab Apostolis aliquid manare posse vel proximè vel remotè; proximè, ex illorum præcepto; remotè, ex illorum Doctrina; quod autem priori modo ab ipsis fluit, exactè loquendo traditum dici; secùs de illo quod posteriori modo ab illis manat.

REGULA XI.

Causarum propter quas Jejunia Quatuor Temporum celebrantur. non aliæ in Canone exprimuntur quàm istæ.

I. Ut quod præcedenti tempore negligens libertas vel inordinata licentia præsumpsit, castigetur, *Canon 5.* DIST. LXXVI. ex S. LEONE desumitur, de Jejunio Pentecostes tantùm loquitur; sed cum ratio par sit, ad alia extenditur; illius verba præclara adeò sunt, ut quæ transcribantur digna videantur.

„ Post Sanctæ lætitiæ dies quos in honorem Do„ mini à mortuis resurgentis, ac deindè in Cœlos as„ cendentis exigimus, postque acceptum Sancti Spi„ ritûs donum salubriter & necessariè Consuetudo est „ ordinata Jejunii, ut si quid fortè inter ipsa Festivi„ tatum gaudia negligens libertas, vel inordinata li„ centia præsumpsit, hoc Religiosæ abstinentiæ cen„ sura castiget „.

II. Per totius anni circulum distributa sunt Jejunia, ut Lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. *Cap. 6. ead.* DIST. in quo S. LEO præterea dicere videtur per quatuor anni tempestates quid facere debeamus Ecclesiam nos docere; quemadmodum Deus per ipsius Mundi Cardines, tamquam per quatuor Evangelia, incessabili tuba nos docet quod & prædicemus & agamus.

REGULA XII.

Nullo ex Juris Textu Jejunia Quatuor Temporum instituta fuisse, ut in iis Sacri Ordines conferrentur, colligi potest: Plures è contra extant, qui de hoc cogitatum non fuisse doceant.

Utraque Regulæ Pars patet ex eo quod præter citatos Textus, qui de prædictorum Jejuniorum causis loquantur, nullus extet; in illis autem de tali fine ne verbum quidem, quod omissum non fuisset, cùm de Jejuniorum illorum causis ageretur. Qui sint illi Textus & quot, ex Regula præcedenti patet.

Non obstant Textus, qui Ordines Sabbatho Quatuor Temporum conferre præcipiunt: Hinc enim inferre tantùm licet, quod Ecclesia Sabbathum illud Ordinationi Sacræ conveniens existimans, tùm propter Jejunium, tùm propter illius situm vel Sedem, hunc ad finem elegit; quemadmodum propter rationem similem eidem usui, Sabbathum ante Dominicam de Passione, & Sabbathum Sanctum accommodavit; quod confirmatur ex eo quod Evangelium Sabbathi, quo fit Ordinatio, nihil habeat, quod illam peculiariter respiciat.

REGULA XIII.

Ex quo Jejuniis illis Ordinatio annecti cœpit, ex eo illorum observationis causa nova fuit; sed hinc citra institutionis causas immutatio nulla facta fuit.

Prior Regulæ Pars colligitur ex eo, quod verosimillimum sit à tempore illo ad Ordinationes utiles à Deo impetrandas Jejunia cum Orationibus referri cœpisse.

Posterior patet ex eo quod, addita observantiæ causa institutionis causas non destruit, cùm illis nullo modo adversetur.

REGULA XIV.

Vetustissimus Juris Textus, qui de Ordinibus Sacris in Jejuniis Quatuor Temporum conferendis mentionem facit, exeunte sæculo V. scriptus est, sed nonnullis dubiæ fidei esse videtur.

Infertur ex eo quod hac de re nullus Textus occurrit, qui *Canonem* 7. Dist. LXXV. antiquitate superet, hic autem est anni 493.

Falsitatis notæ, quæ in illo Textu apparent, sunt I. Sanctus Leo anno 449. Ordinationes Quatuor Temporibus faciendas non dicit; etsi ad Jejunia illa ritè celebranda impellere, movereque velit, atque ad id cogitatio hujusmodi plurimùm valeat. *C. 6.* Dist. LXXVI.

II. Anno 445. idem Sanctus Leo vituperatis his, qui quolibet tempore Ordines Sacros conferebant, ut die Dominico, qui præcedentis Sabbathi Vespera incipit, Ordines hujusmodi dumtaxat conferantur, præcipit. Gelasius verò anno 493. Quatuor Temporum Jejuniis, aliisque duobus diebus, Ordinationes tantùm fieri debuisse supponit; quid enim aliud significat dum dicit, *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus, exercendas non esse:* Nonne per hæc verba: *Certis temporibus & diebus* idem intelligendum est ac si diceret: *Fixis & statutis suisque demum temporibus?* Hæc cùm ita sint, intra triginta & octo annos tantùm circa Ordinationum tempora factam fuisse mutationem, ut nedum intra Dominicas clausæ fint, ut Leo volebat, sed intra sex Sabbatha, ut Gelasius supponit; sed, ut ostensum est dum de Quadragesima, hujusmodi notæ ruere videntur, dum consideratur Gelasianum Canonem citatum eodem modo haberi in Codice Decretorum Pontificum & apud Labbæum.

REGULA XV.

A Gelasio ad Alexandrum III. nullus extat Juris Textus, qui de Sacris Ordinibus in Jejuniis Quatuor Temporum conferendis loquatur.

Pro certa habenda Regula docet contrarium probetur.

REGULA XVI.

Ex tot sæculorum silentio circa faciendas Quatuor Temporibus Ordinationes inferre non licet per totum illud intervallum his temporibus Ordinationes non factas.

Regulæ veritas patet ex eo quod extra Corpus Juris Canonici non desunt Canones, qui Quatuor Temporibus Ordines Sacros conferre præcipiant, quales inter alios subministrant Gregorius *Junior & Zacharius*, illos autem legere est apud Patrem Thomassinum *Part. 2. C. 18. n. 1.*

Præterea in *Canone 6.* Dist. LXXV. ex Ordine Romano, qui anno 800. collocatur, distinguitur inferiorum Ordinum Collatio usque ad Subdiaconatum ab Ordinum Majorum Collatione, atque in eo discrimen ponitur, quod prior quando & ubi libitum fuerit, fieri possit; posterior verò nisi in publica Ordinatione fieri nequeat; ex hoc autem discrimine sequitur ad Diaconatûs & Presbyteratûs Collationem determinatum aliquod tempus extitisse; quod dies Dominici quilibet Festaque communia esse non poterat, cùm illud tempus esset quo inferiorum Ordinatio Clericorum fieri poterat.

Regulæ non obstat, quod circa Quatuor Tempora Canones Gratianus accuratè collegerit, nullusque ex his de Ordinationibus tunc faciendis mentionem faciat, etsi inter illos, quos refert, extent qui vel ad IX. vel ad X. vel ad XI. sæculum pertinent. Certum enim est Gratiani mentem fuisse loqui de solis Quatuor Temporum Jejuniis, cùm id clarè significet initio Distinct. LXXVIII. in qua prædictos Canones collegit, his illam verbis incipiens: *Quibus temporibus Jejunia celebranda sint, determinat &c.*

Ex Argumento Canonum quos ibidem collegit mentem quoque suam Gratianus declarat; isti enim vel Quatuor Temporum Jejunia servari præcipiunt, vel qua in anni parte celebranda sint, determinant.

Si circa conferendos Ordines Sabbatho Quatuor Temporum Canones Gratianus colligere voluisset, multos ad id congruos facilè invenisset; sunt etenim non solùm in *Capitularibus Regum Francorum*, quæ Gratianus pluries citat; sed de tempore, quo prædicta Jejunia celebranda essent, adeò occupatus Gratianus erat, ut *Concilii* Moguntini Canonem referens quæcumque illa Jejunia celebrandi modum respiciunt resecuerit.

Quod de Ordinationibus in Jejuniis Quatuor Temporum faciendis in Dist. LXXVI. tractare Gratianus noluerit, nihil clariùs palam facit quàm quod præcedenti Distinct. LXXV. de industria egerit de tempore quo Ordines Sacri conferendi sunt.

Non obstat quod occasione Ordinationis, de qua Dist. LXXV. loquutus est Gratianus, de Jejuniis Quatuor Temporum tractet. Dist. LXXVI. Aliud enim est occasio, aliud causa tractationis; isti occasio non influit, nisi remotè; causa verò toti tractationi dominari debet, qui enim de re aliqua agit alterius explicandæ causa, istius explicationem ob oculos habere debet.

Imò è contra Gratianus Regulæ potiùs favet quàm obsit, cùm Dist. LXXV. colligat Canones Gelasii docentes Ordinationes faciendas esse Jejuniis Quatuor Temporum, & referat locum Ordinis Romani præscribentis tempus Collationis Ordinum Majorum, & insinuantis illam faciendam statutis diebus ad Ordinationem publicam, quorum numero recensebantur prædictorum Jejuniorum dies.

REGULA XVII.

In Jejuniis Quatuor Temporum Ordines Sacros conferre Græci non tenentur, etiamsi Latinis debitè dimissis illos conferant. *Cap. 11. De Tempor. Ord. ex* Innoc. III.

Regulæ Ratio: Apud Græcos Jejunia illa non fiunt, illorumque Episcopis licet juxtà Ecclesiæ suæ ritus Sacras Ordinationes facere.

REGULA XVIII.

Quotquot Juris Textus circa Jejunia Quatuor Temporum habemus, de illis tamquam de re præcepta loquuntur, vel illa expressè præcipiunt.

Colligitur Regula ex eo qood hâc de re alios Juris Textus non habeamus, quàm quos refert GRATIANUS DIST. LXXVI. *Cap.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ex his Textibus primus & ſecundus Jejunia illa clarè præcipiunr; alii verò de illis, tamquam de præcepta re, loquuntur.

REGULA XIX.

Quâ anni parte celebranda ſint Jejunia Quatuor Temporum, ex duplici illorum nomine rectè colligitur, ſi juxtà Eccleſiæ ſenſum, vel morem explicentur.

Patet Regula tùm ex eo quod per Quatuor Tempora, quatuor anni Tempeſtates, ſcilicet Ver, Æſtatem, Autumnum, Hiemem intelligamus; tùm ex eo quod annum à Martio Eccleſia olim inchoabar, undè dùm Jejunia prædicta primi, quarti, ſeptimi & decimi menſis Jejunia vocantur *Cap.* 7. DIST. LXXV. Cap. 6. 12. DIST. LXXVI. Per primum menſem intelligendus Martius, & conſequenter per quartum Junius, per ſeptimum September, & per decimum December. cùm autem illorum quilibet in diverſa anni tempeſtate occurrat, & Jejunium, quod eodem menſe celebrandum eſt, in eadem quoque tempeſtate cadat; ex poſteriori quatuor Temporum Jejuniorum nomine, qua anoi patte celebrandum clare colligitur.

REGULA XX.

Ex ea anni parte, quâ prædicta Jejunia celebrantur, primum vocatum eſt *Vernum*, ſecundum *Æſtivale*, tertium *Autumnale*, quartum *Hiemale*. Cap. 6. DIST. LXXVI.

REGULA XXI.

Vernum Jejunium in nullo Juris Textu Jejunium primi menſis vocatur, ſed ex eo quod menſe Martio Quadrageſima occurrere ſoleat, Jejunium Quadrageſimalis initii in Jure appellatur. *Cap.* 7. DIST. LXXVI.

REGULA XXII.

Ob eamdem rationem in Quadrageſima fixum eſt prædictum Jejunium, atque in Romana Eccleſia ante medium ſæculi V. id jam factum erat. *Cap.* 6. DIST. LXXVI. in quo Jejunium Vernum in Quadrageſima S. LEO collocar.

REGULA XXIII.

In Gallia ineunte ſæculo IX. Quadrageſimæ initio nondum celebrabatur primum Jejunium. *Cap.* 2. DIST. LXXVI. in quo *Concilium* MOGUNTIN. ſub CAROLO MAGNO *an.* 813. celebratum, præcipit, ut primum Jejunium hebdomada prima menſis Martii fiat, quæ extra Quadrageſimam cadere poteſt.

REGULA XXIV.

Ineunte ſæculo XI. in Germania idem Jejunium Quadrageſimæ initio nondum fiebat. *Cap.* 3. DIST. LXXVI. in quo *Conc.* SALEGUNSTAD. *an.* 1022. celebratum jubet, ut Jejunium illud prima menſis Martii hebdomada celebretur, ſi Kalendæ Martiæ quarta illius Feria vel antea ceciderint; ſi poſtea verò occurrerint, hebdomada ſecunda Jejunium prædictum ſervetur.

REGULA XXV.

Ex Canonibus, quibus ſæculo XI. Papæ prædictorum Jejuniorum tempus præfixerant, interruptum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ uſum; circa primum Jejunium celebrandi tempùs, rectè non concluditur.

Canon hujuſmodi habetur *Can.* 4. DIST. LXXVI.

REGULÆ RATIO: Id genus Canonum condi potuit, ut cæteræ Eccleſiæ Romanæ Eccleſiæ uſum ſequi aſtringerentur.

REGULA XXVI.

Sæculo XII. in Occidentali Eccleſia Quadrageſimæ initio Jejunium Vernum ubique celebratum fuiſſe, certò non infertur ex eo, quod eodem ſæculo, non obſtante quavis contraria Conſuetudine, quoslibet Epiſcopos Pontifices Summi obligabant, ut non niſi Quatuor Temporibus, ſicut & aliis duobus Eccleſiæ Romanæ Ordinationum diebus, Ordines Sacros conferrent.

REGULÆ RATIO: Alio quàm in Romana Eccleſia Jejunium Vernum celebraretur tempore, celebrari potuit: Ordines tamen nonniſi in Quatuor Temporibus conferri. *Verbi gratia*, ſi in Germania Jejunium illud prima Martii hebdomada fiebat, & Quadrageſima ſecunda tantùm illius menſis hebdomada occurrebat, extra tempus Eccleſiæ Romanæ fieri Jejunium potuit, & eum eadem in ſolis Quatuor Temporibus Ordines Sacri conferri potuerunt, ſi prima Martii hebdomada Ordinationes Sacræ fierenr. Hic enim ſervarus eſſet mos Romanus quoad tempus Ordinationis, erſi quoad tempus Celebrationis Quatuor Temporum non eſſer ſervatus

REGULA XXVII.

Jejunium Vernum, etſi Quadrageſimæ initio fixum, à Jejunio Quadrageſimæ tamen diſtinguebatur, in eo quod Sabbatho hujus triduani Jejunii Ordines Sacri conferebantur, aliis verò Sabbathis non item. *Cap.* 7. DIST. LXXV. quod, ut pluries dictum eſt, è GELASIO deſumitur.

Ex *Sacramentario* GREGOR. & ex *Sacramentario* GELASIANO mox dictum diſcrimen clariùs patet; in eo enim Sabbathum illud dicitur Sabbathum in duodecim Lectionibus, quod Ordinationum Sabbarhis proprium eſt.

Hinc ſunr, qui dicant Sabbathum ante Dominicam de Paſſione, Ordinationis diem non fuiſſe eo tempore, quo *Sacramentaria hæc* ſcripta ſunt, quia Sabbathum in duodecim Lectionibus ibidem non inſcribitur, undè GELASII Textum ſuprà citatum, aut ſuppoſititium, aut corruptum concludunr, quod cùm ſuſcepti Operis metas tranſgrediatur, diſcutiendum aliis relinquimus.

REGULA XXVIII.

Æſtivale Jejunium, ſive quarti menſis, anno 442. hebdomada Pentecoſten ſequenti jam celebrabatur. *Cap.* 5. DIST. LXXV. in quo S. LEO anno prædicto Jejunium illud, non ſolùm Jejunium Pentecoſtes vocat, ſed illud explicans, poſt acceptum Spiritus Sancti donum fieri dicit.

REGULA XXIX.

Ineunte ſæculo IX. nec Gallia, nec Germania hunc Romanæ Eccleſiæ uſum adhuc ſuſceperant. Infertur ex *Can.* 2. DIST. LXXV. in quo *Conc.* MOGUNT. *an.* 813. dictum Jejunium in ſecunda Junii hebdomada celebrari præcipit. Concilium autem hoc Gallis & Germanis commune fuit.

REGULA XXX.

Nec etiam ineunte ſæculo XI. uſum illum Germania ſequebatur.

Colli-

Colligitur ex *Can.* 5. *ead.* Dist. io quo *Concilium* Salegunstad. *ann.* 1022. Jejunium Junii secunda mensis hebdomada celebrari jubet, si primus illius dies, aut Feria quarta, aut antea occurrat; tertia verò hebbomada, si quinta Feria, vel sequentibus ceciderit; utroque tamen casu ad solemnem Pentecostes hebdomadam Jejunium transfertur, si hebdomada Pentecosten proximè præcedenti juxtà prædictam Regulam occurrat, idque quia Jejunium Quatuor Temporum cum Vigilia Pentecostes simul celebrari noo debet; quod aliundè provenire non videtur, nisi ex Officii diversitate.

REGULA XXXI.

Exeunte sæculo XI. Ecclesiæ Romanæ usus in Generalem Legem conversus est,

Colligitur ex *Can.* 4. Dist. LXXV. in quo Urbani II. in *Concilio* Placent. *an.* 1095. præcipit, ut hebdomada Pentecostes secundum Jejunium fiat, quæ hebdomada alia non est, quàm illa intra quàm Pentecostes Octava celebratur.

REGULA XXXII.

Quæ in Germania tristitiæ signa remiserat *Concilium* Salegunstad. si Jejunium secundum intra Octavam Pentecostes celebrandum foret, in aliis quoque Occidentis Regionibus eadem usu remissa sunt. Concilium autem illud remiserat. I. Quòd Diaconi Dalmaticis oon induantur: II. Quòd *Alleluja* non cantetur. III. Quòd genu flectatur, & *flectamus genua* dicatur. *Cap.* 5. Dist. LXXVI.

Usum talem esse, qualis dictus est, adeò notum, ut qui id attestarentur Autores, frustrà allegarentur.

REGULA XXXIII.

Sub Alexandro III. Jejunium Junii ubique celebratum intra Pentecostes Octavam, ex Jure ipso colligere fas est.

Capite 1. *De Tempor. Ordin.* Regula innititur; in eo Alexander III. *ann.* 1156. prohibet, ne Sabbatho Pentecostes Ordinationes Sacræ fiant, quia sequenti septimana solemnis Ordinatio fit.

Non obstat, quod Episcopo Anglo scribat; quod enim huic scribit, cuivis alii etiam scripsisset, si casus occurrisset, cùm illius ratio à locis pendere oon videatur.

REGULA XXXIV.

Sæculo XI. antiquior Textus Juris nullus extat, qui hebdomadam, qua Jejunia septimi & decimi mensis celebranda fiot, determinet.

Colligitur ex eo quod *Caput* 2. ex *Concil.* Mogunt. *ann.* 813. celebrato desumptum omnium primum cuique Jejunio hebdomadam assignet, nempè tertiam Jejunio Junii, quartam Jejunio Septembris, ut primam primo, secundam secundo assignarat.

REGULA XXXV.

Determinato à prædicto Concilio inter Jejunia Quatuor Temporum Distinctionis ordine, nec faciliorem, nec clariorem ullum invenire licet.

Patet Regula ex eo quod Concilium prædictum, cuique Jejunio assigner ejusdem numeri hebdomadam, cujus est ipsum inter Jejunia memorata, quo nihil clariùs faciliùsque excogitari nequit.

REGULA XXXVI.

Quem *Concilium* Moguntin. determinavit Ordinem, *Concilium* Salegunstad. *ann.* 1022. sequens ita explicuit, ut tertium Jejunium, nisi post completam Septembris hebdomadam secundam; quartum verò semper finiatur Sabbatho ante Vigiliam Natalis Domini.

Explicationis hujus Causa: Si de hebdomadis inchoatis intelligeretur *Concil.* Moguntinum, sæpè contingeret ut, *Verbi gratia*, Jejunium tertium secunda hebdomada celebraretur; quartum verò tertia.

Si verò quartum antè Natalis Domini Vigiliam non finiretur, cùm istius Vigilia concurrere posset, quod ob maaimam Officiorum diversitatem fieri non convenit.

REGULA XXXVII.

Ut post completam Septembris hebdomadam secundam Jejunium tertium incipiat, mensem ante quartam hebdomadæ Feriam incipere, Jejunium verò non inchoati, nisi post devolutam bis Feriam, à qua mensis incipit, ista exclusa, requiritur. *Cap.* 5. Dist. LXXVI.

Regula patet, *Verbi gratia*, ex eo quod si mensis à Feria quarta incipiat, & Jejunium ab illa secundò revertenti inchoetur, intrà secundam hebdomadam Jejunium incipiet, ac ideò non in tertia, sed in secunda Jejunium tertium celebrahitur; si verò post revolutam bis illam Feriam Jejunium inchoetur in tertia hebdomada, tertium Jejunium tunc verè celebratur: undè autem hoc, nisi quia post completam secundam hebdomadam, & revolutam his Feriam à qua mensis incœpir, ista exclusa, celebratur. Quod de quarta Feria dictum est, de sequentibus quoque dicendum. Undè fit, ut in septennio io hebdomada tertia Septembris prædictum Jejunium ter celebretur, in quarta verò hebdomada quater.

REGULA XXXVIII.

Sæculo XI. exeunte omnes Occidentis Ecclesiæ eodem tempore tertium & quartum Jejunium celebrasse, sunt Textus qui evincant; qui verò hanc circa rem aliquid mutatum testetur, nullus extat.

In Can. 4. Dist. LXXVI. Urbanus II. *ann.* 1095. cuique Quatuor Temporum Jejunio suam assignans hebdomadam; post assignatas primo & secundo competentes, de aliis duobus, ut more solito fiant, præcipit: circa tertium ergo & quartum Jejunium Ecclesias omnes consentire Urbanus supponit, cùm Constitutionis suæ aliunt non habuerit scopum quàm ut circa Jejunia Quatuor Temporum usus in omnibus Ecclesiis unus idemque esset.

Mos aotem de quo Urbanus, haud dubiè is erat, ut Autumnale Jejuoium tertia vel quarta Septembris hebdomada; Hiemale verò quarta vel tertia Decembris, prout suprà expositum est, celebraretur.

REGULA XXXIX.

Prædictus hebdomadas, intra quas tertium & quartum Jejunia celebranda sunt, computandi modus suam *Concilio* Salegunstadiensi debet originem, si ex Juris Textibus de hoc judicetur, tantique æstimatus est, ut toti Occidentali Ecclesiæ communis factus sit.

Prior Regulæ Pars: in nullo alio Textu, quàm qui è prædicto Concilio desumitur, memoratus in Regula computandi modus reperitur.

Posterior patet ex usu jam veteti omoibusque noto.

REGU-

REGULA XL.

Intermissum quandoque quatuor Temporum Jejunium propter concurrentem cum illo Festivitatem, ex nullo Juris Textu certò concluditur.

Non obstat Regulæ *Can.* 31. *De Conf.* DIST. V. in quo GREGORIUS VII. in Synodo Romæ celebrata Pontificatûs sui *anno sexto*, CHRISTI verò nati *ann.* 1078. præcipiens, ut Sabbatho quolibet à carne abstineatur, excipit casum, quo major Festivitas eo die occurrit; nam I. Majorem Festivitatem toti Ecclesiæ communem Jejuniis Quatuor Temporum occurrere potuisse verisimile non est, cùm ex antiquis Sacramentariis pateat majores Festivitates mobiles prædictis Jejuniorum diebus cadere non potuisse, neque etiam quæ certis diebus fixæ sunt.

II. Si iisdem diebus major Festivitas occurrere potuisset, objectus Textus non evinceret ob illam Jejunium intermittendum fuisse, cùm à carne abstinentia faciliùs relaxanda sit, quàm Jejunium.

III. In Constitutione GREGOR. de introducenda carnis abstinentia agebatur in locis, qui illam nondum admiserant, idcircò faciliùs potuit GREGOR. prædictum casum excipere.

Nec dici potest, Jejunium, cùm sit majus tristitiæ signum, quàm simplex à carne abstinentia, Festivitati majori magis adversari, ideoque à fortiori Jejunium cessare debere quoties cessare debet illa abstinentia; nam maximum est discrimen Jejunium inter & abstinentiam, præsertim illud de quo agitur, cùm multò magis necessarium sit, quàm abstinentia, ac idcircò ut remittatur, multò major exigitur causa.

REGULA XLI.

Ex Corpore Juris Canonici colligere licet ante sæculum XIII. Jejunia Quatuor Temporum soluta non fuisse, nisi vesperè.

Id ostendere videtur *Caput* 13 *De Tempor. Ordinat.* in quo *ann.* 1200. INNOCENT. III. de Sabbatho Ordinationum loquens intelligendum tradit, eo tempore cœnâ tantùm hujus diei Jejunium finiri; cœnam autem vespertinam esse refectionem nemo nescit: in eo enim ait, *Sabbatho ante cœnam, sicut & Dominica ante prandium, jejunos homines esse intelligi*; quâ oppositione Sabbathi contra Dominicam in eo sita, quod Dominica prandetur, Sabbatho verò tantùm cœnatur, satis patet vespere tunc solutum fuisse Jejunium.

Nec obstat, quod *citatum Caput* de Sabbatho Ordinationum in Quadragesima constituto intelligi possit; in illo siquidem nihil est, quod ad Sabbathum hujusmodi illud restringat, quapropter intelligi quoque potest de Jejuniis Quatuor Temporum.

Dici non potest prædicti Sabbathi refectionem cœnam dictam, non ex eo quod erat, sed ex eo quod antea fuerat; ut enim ad explicationem adeò violentam recurrere liceret, Mutinæ, cujus Episcopo INNOC. scribit, exeunte sæculo XII. ante vesperam solutum Jejunium luce clariùs ostendendum esset.

REGULA XLII.

Quo in Jejuniis Quatuor Temporum ciborum genere utendum erat, nullo Juris Textu determinatur.

De illis Jejuniis loquentes Textus, nec in genere, nec in specie de cibis utendis meminerunt. Hinc quoad hunc articulum communi Jejuniorum Legi subjiciebantur prædicta Jejunia: Lex autem illa duplex erat, scripta & non scripta: Quæ scripta erat, dum *De Quadragesima*, exposuimus, quæ & qualis fuerit: Lex non scripta, sive Consuetudo, cùm de illa nullus Juris Textus meminerit, dicere non potuimus.

SECTIO XV.

Regula de Quadragesima è Corpore Juris Canonici, Conciliòque TRIDENTINO *desumpta.*

In Regulis circa Quadragesimam notandum: I. Quæ præcedunt, nempè Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, illarum significatio, origo, antiquitas, necnon quod cuique peculiare est; II. Quæ comitantur, nimirum quot diebus constet, varius usus circa illum numerum, quot Ordinationes in ea fiant? Quid certum, quid incertum, circa Textus de illis loquentes? An Feria quinta alicubi non sit jejunata? An abstinentia servata semper diebus Dominicis? Undè Festa in ea non celebrentur? Quid peculiare illi circa pœnitentiam publicam, pœnitentium reconciliationem, confectionem Chrismatis, Baptisma solemne, cessationem Sacrificii Missæ certis diebus, qualitatem ciborum, unitatem refectionis, originem Collationis vetustam, illius verbi acceptionem eo sensu quo nunc sumitur? Quid peculiare Africanis circa Feriam quintam bebdomadæ Sanctæ? quid eidem diei & duobus sequentibus ubique? Quot discrimina inter Græcos & Latinos circa illam? III. Quæ illam sequuntur, scilicet Pascha Dominica in Albis, permissio nuptiarum ab illo die, celebratio Festorum quæ in hebdomada Sancta occurrerunt, Quinquagesima Sancta.

REGULA I.

Qui de Quadragesima expressè loquatur antiquior Juris Textus nullus quàm *Cap.* 3. DIST. XVIII. desumitur è *Concilio* NICÆNO *ann.* 325.

Non obstat *Cap.* 8. *De Conf.* DIST. III. quòd à PITHÆO *ann.* 320. collocatur; nam *Concilium* LAODICENSE, à quo desumitur, juxtà saniorem sententiam *ann.* 360. celebratum est.

Non obstat *Cap.* 8. DIST. XXX. *è Concilio* GANGRENSI *an.* 324. celebrato desumptum, in quo Concilium communia Ecclesiæ Jejunia rejicientes damnat: Nam 1. etsi per Jejunia illa Quadragesimam Concilium intelligeret, de Quadragesima tamen expressè non loquitur. 2. Per Jejunia prædicta Quartæ & Sextæ Feriæ Jejunia intelligere potest Concilium, cùm tunc temporis (ut suo loco ostenditur) communia essent Feriarum istarum Jejunia.

Non obstat *Can.* 68. APOSTOLOR. qui Sacram Quadragesimam non jejunantes punit; nam præterquam quod quo tempore facta sit Canonum Apostolorum Collectio nescitur, credere est citatum Canonem sæculo VI. nondum inter Apostolicos relatum fuisse, cùm illo sæculo è Græco sermone, qui circumferebantur Canones Apostolicos, in Latinum vertens DIONYSIUS EXIGUUS, hunc aliis non junxit: De origine hujus Collectionis fusissimè actum in *prima* TOM. I. *Parte.*

Non obstat *Caput* 4. DIST. IV. in quo TELESPHORUS *ann.* 147. de Jejunio septem hebdomadum à Clericis observando mentionem facit; notissima enim res est Textum hunc adulterinum. Nec dici potest à Divo AMBROSIO *Cap.* 5. *ead.* DIST. illum citari, cùm Sermones eo loci S. AMBROSIO adscripti adulterini quoque sint.

REGULA II.

Pauciotibus quàm quadraginta diebus compositam fuisse Quadragesimam, nullus Juris Textus ullo modo testatur, sed extant, qui pluribus & constitisse & constare debere non obscurè docent.

Ex sequentibus patebit.

REGULA III.

Quinquagesima, tamquam labor quo denarius lucro fit, haberi potest, Quinquagesima verò Paschalis, tamquam denarius ipse. *Cap.* 24. Dist. V. *De Conf.*

REGULA IV.

Plurimis ex Juris Textibus colligitur prioribus Ecclesiæ sæculis, ut & posterioribus, Quadragesimæ Jejunium præceptum fuisse.

REGULA V.

Qui id ostendant alii non extant Juris Textus quàm sequentes.

Caput 8. *De Conf.* Dist. III. suprà citatum, in quo, qui aliquem Quadragesimæ diem sine justa causa non jejunat, totam Quadragesimam inhonorare dicitur; inhonorari autem res nulla potest, nisi per honoris debiti injustam denegationem.

Caput 8. Dist. XXX. etiam citatum, quo commune Ecclesiæ Jejunium, quale Quadragesimale, contemnens Anathemate plectitur.

Caput 9. *De Conf.* Dist. III. in quo *Concilium* Agathense *ann.* 506. præcipit, ut omnes Ecclesiæ filii tota Quadragesima jejunent, atque ad id Ordinatione Sacerdotali, & districtionis comminatione adstringantur; Canonis sensus prout à Correctoribus Romanis restituitur, relatus est.

Si *Capit.* 5. *ead.* Dist. vera Gratiani lectio esset, legendumque foret *Quadragesimæ solemnitate*, non *Quinquagesimæ*, *Concilium* Aurelianense I. *ann.* 511. eo loci evidenter doceret Quadragesimæ observationem præceptam esse, cùm Quadragesimæ solemnitatem in Civitate transigere juberet, cumque res devotioni relicta hoc illove loco fieri nullatenus præcipiatur, nisi inserta saltem conditione si fiat; sed juxtà Romanæ Correctionis notam *Quinquagesimæ* legendum est. Atque sensus esse videtur Pentecostes Festum, sicut Natalis & Paschæ Festa, in Civitate celebranda esse.

In *Capite* 16. *De Conf.* Dist. V. S. Gregorius *ann.* 593. vetat, ne Quadragesimæ Jejunium ullo modo solvatur, idque quia per Quadragesimam dierum decima solvitur, eaque perinde ac bonorum decima debeatur.

In *Capite* 6. Dist. IV. idem Gregorius *ann.* 603. diem quo Clerici Quadragesimam, diem quoque quo Laïci illam incipere debeant, præscribens, utrisque præceptum esse manifestè insinuat.

In *Capite* 50. *De Conf.* Dist. I. Theodulphus *Aurelianensis ann.* 797. qua hora & quomodo Quadragesimæ solvendum sit Jejunium definiens, præceptum esse indigitat.

In *Capite* 4. Dist. IV. Pseudo-Telesphorus, qui sæculo IX. vixisse creditur, supponens Laicos ad sex hebdomadarum Jejunium adstrictos fuisse, ut Clerici iis hebdomadis septimam addant, præcipit, ejusque rei hanc affert rationem, Clericos, sicut Ordine, ita & vita à Laicis distinguendos esse.

Eodem sæculo Pseudo-Eusebius Papa, *Capite* 17. *De Conf.* Dist. V. generatim docens Jejunia Ecclesiæ sine rationabili necessitate solvenda non esse, Quadragesimam, quæ illorum præcipuum est, præceptam esse manifestè ostendit.

Ab Innocentio III. Cap. 2. *De Observat. Jejun.* quæritur, cui pœnitentiæ subjiciendi sint, qui diebus Quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere coacti fuerant?

Quæstionis autem hujus propositione manifestum fit, tunc creditum fuisse nedum Quadragesimam præceptam esse, sed etiam rigidum à Deo præceptum hoc esse, ut urgens necessitas ab eo nón excusaret.

REGULA VI.

Qui distinctè dicat ab omnibus Quadragesimam jejunandam Textus Juris unus est, nimirum, *Cap.* 9. *De Conf.* Dist. III. Cæteri qui jejunandam quoque dicunt, indistinctè loquentes, ad omnes id extendi ostendunt.

REGULA VII.

A Quadragesimæ præcepto Textus Juris nullus alios quàm infirmos nominatim excusat, diraque fame pressos: Qui autem infirmos eo modo excipit, unus est, nempè *Cap.* 56. *De Conf.* Dist. V. Qui verò fame pressos, etiam unus est, nimirum *Cap.* 2. *De Observat. Jejun.*

REGULA VIII.

Præter prædictos alii non obscurè, sed generatim tantùm in eodem Jure excipiuntur, nempè quicumque in necessitate rationabili constituti sunt. *Cap.* 17. *ead.* Dist. quales quicumque sine gravi salutis suæ periculo jejunare non valent, nam hujusmodi necessitas omninò rationabilis est: Hinc pueri, senes, nutrices, mulieres gravidæ, artifices, à Jejunio excepti fuere; quæ exceptio valere non videtur, nisi prædicto periculo Jejunium illos exponere à viris peritis probisque judicetur.

De pueris Ecclesiæ Consuetudo invaluit, ut nisi post completum vigesimum primum annum ad Jejunium indistinctè non obligentur.

REGULA IX.

Quadragesimalis Jejunii causa duplex in Corpore Juris refertur; nempè quod dierum solvendæ sint decimæ, quodque Sacrum Christi Jejunium quadragenarium pro hominum infirmitate imitandum sit. *Cap.* 16. *De Conf.* Dist. V.

REGULA X.

Longiorem Clericorum quàm Laïcorum Quadragesimam aliàs fuisse certum est, sed quo illud discrimen tempore cœperit, ex nullo Juris Textu certò colligi potest.

Prior Pars patet ex *Cap.* 6. Dist. IV. in quo Gregorius I. Augustino Anglorum Episcopo scribens *ann.* 603. hæc habet: *Sacerdotes & Diaconi & Reliqui omnes, quos Dignitas Ecclesiastici Gradus exornat, à Quinquagesima propositum jejunandi suscipiant, quo & aliquid ad pensum Sanctæ Institutionis adjiciant, & illorum, qui in Laïculi Ordine consistunt observantiam, sicut loco, ita & Religione, præcellant.*

Alii quoque Textus extant, in quibus idem clarè legitur, nimirùm *Capita* 4. & 5. *ead.* Dist. in quorum priori Pseudo-Telesphorus hæc dicit; *Statuimus, ut septem hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent, quia sicut discreta esse debet vita Clericorum à Laïcorum conversatione, ita & in Jejunio debet esse discretio*: In posteriore Pseudo Ambrosius sic loquitur: *Quadragesima sex septimanas habet*, cui addit Telesphorus Pontifex *septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima.*

Textus autem hi, etsi suppostitii, suam tamen habent vim ad ostendendum prædictum discrimen extitisse; ad hoc enim suppositi videntur, ut institutæ jam rei illustres Autores, confirmatoresque darentur.

Quod autem hujus discriminis prima origo ex nullo

nullo Juris Textu certò colligitur, patet ex eo quod Textus, qui de illo loquantur, tres tantùm sunt, iique soli qui relati sunt; horum autem Textuum secundus & tertius Autores habent incertos; si à Pseudo-ISIDORO confecti sunt, nullius roboris sunt ad prædicti discriminis originem detegendam, cùm sæculo VIII. vel IX. prædictus impostor vixerit, eoque sæculo jam antiquum fuisse sæpiùs memoratum discrimen, primus Textus demonstret; ex isto verò hanc differentiam ortum habuisse verosimile non est, quia S. GREGORIUS prudentior erat quàm ut perfectionis institutionem in populo adhuc ferè Neophito inciperet. Præterea in cæteris rebus Ecclesiæ Romanæ usum, quoad populi locorumque qualitas ferebat, instituendum curat, in ista verò novum quid instituisse, quis credet? Incerta ergo prædicti discriminis ætas, sed vetustior S. GREGORIO idcoque sæculo VII.

REGULA XI.

Clericorum quàm Laïcorum Jejunium unâ tantùm hebdomada longius erat.

S. GREGORIUS citato loco id docet, præcipiens Clericis ut Jejunium à Quinquagesima inciperent, Laïcos verò à Quadragesima incipere sat esse insinuat; id unum siquidem in Laïcorum usu reformatum vellet, quod de Dominica Quadragesimæ vel carne abstinerent, vel saltem usque ad medias noctes sese non ingurgitarent, tantaque intemperantia sacræ abstinentiæ observationem non susciperent.

Citati alii Textus præfatum discrimen in eo quod dictum est positum fuisse clariùs demonstrant, ita ut ea de re dubitare non liceat.

Non obstat quod suppostitii sint; cùm probabilis suppositionis causa non alia videatur quàm ut receptus usus tamquam ab Apostolis, illorumve proximis Successoribus institutus haberetur, eaque de causa accuratiùs servaretur; vix enim eredi potest impostorem sola voluptatis causa hos Textus confinxisse, alium verò finem pravum habuisse res ipsa non fert: quoad bonos fines, vel allatum, vel ut prædictus usus statueretur, habere debuit; de posteriori nulla veri species; quomodo enim sperare potuit ut ignotus perfectioribus Ecclesiæ sæculis VIII. vel IX. sæculo adeò imperfecto stabiliretur?

REGULA XII.

Prædictum discrimen non cuivis Occidentis Ecclesiæ probatum fuit.

Ex *Cap. 6. De Conf.* DIST. III. colligitur; in eo enim prohibet *Concilium* AURELIANENSE I. *ann.* 511. omnibus Sacerdotibus, ne antè Paschæ solemnitatem Quinquagesima teneatur. Hinc patet ineunte sæculo VI. memoratum discrimen jam notum fuisse.

Factæ autem à *Concilio* AURELIANENSI prohibitionis ratio ex eo desumi potuit, quod etsi in Quinquagesima quid perfectius sit, cùm longius tempus pœnitentiæ consecret, conformior tamen Jejunii istius fini Quadragesima quàm Quinquagesima, cùm Quadragenario CHRISTI Jejunio magis respondeat, ad cujus imitationem Quadragesima instituta est.

REGULA XIII.

Ex diebus, quos juxtà diversos Ecclesiarum usus Quadragesimæ addere vel non addere debebant Clerici, major Pars omnibus Fidelibus succedente tempore præcepta est.

Colligitur Regula ex *Capite* 16. *De Conf.* DIST. V. in quo S. GREGORIUS dicit: *Quadraginta diebus Jejunio consecratis quatuor addi, ut Dominicorum Dierum, quibus non jejunatur, locum suppleant.*

Colligitur etiam ex *Capite* 64. DIST. L. quo docemur in Capite Jejunii Quadragesimalis solemnem pœnitentiam impositam fuisse, atque inter ea, quæ hac in ceremonia servabantur multa fuisse, quæ Dominico die congruenter non fierent, utpote tristitiæ plena, undè inferre licèt à die Dominico Quadragesimam tunc temporis non incœpisse.

REGULA XIV.

Circa tempus, quo prædicta additio facta sit, hoc unum habemus, ex citatis Textibus transitoriè consideratis colligi sæculo VI. jam factam esse; attamen certum non esse tunc temporis jam extitisse, si Textus criticè discutiantur.

Prior Pars Regulæ patet ex eo quod Textus Prior à PITHÆO collocetur *ann.* 593. Posterior verò *ann.* 506.

Altera Pars deducitur ex eo quod in ipsa S. GREGORII *Homilia* 16. *in Evangelio*, ex qua quidquid in Priori Textu legitur, si additionem excipias, desumptum videtur: Prædicta additio nedum non reperiatur, sed etiam GREGORII menti verbisque contraria sit; nam 1. Citata Homilia circa Evangelium primæ Dominicæ Quadragesimæ versatur, atque in ea GREGORIUS expresse dicit ab illa Dominica Quadragesimam inchoari, ab hac die sex hebdomadas, quæ Jejunio consecrantur, tamquam anni decimæ, computari.

Non obstat quod in GREGORIANO *Sacramentario* Feria quarta ante prædictam Dominicam Caput Jejunii vocetur, quodque in Missa hujus diei & sequentium usque ad Dominicam, de Jejunio mentio fiat, quia, ut HUGO MENARDUS in Missam prædictæ quartæ Feriæ observat, post GREGORII obitum ipsam additam, idque ex citata Homilia ostendere conatur. Eadem Pars etiam colligitur ex eo quod Textus posterior in *Concilio* AGATHENSI non reperiatur, nec inter ea, quæ ad illud verè pertinent, nec inter ea quæ huic Concilio adscribuntur, ut apud LABBÆUM videre est. Præterea *Canon* 63. DIST. L. qui citatum immediatè præcedit in *Concilio* AGATHENSI invenitur, & in eo pœnitentiam imponendi forma traditur, ac etiam nonnulla, quæ in sequenti extant, paulò aliter refert.

REGULA XV.

Ante sex priora Ecclesiæ sæcula Quadragesimæ tempori proprios cibos extitisse varii Juris Textus demonstrant.

REGULA XVI.

Textuum hujusmodi duplex est genus, alii nempè qui id in genere testantur; alii qui cibos illos nominatim recensent.

Prioris generis sunt *Canon* 8. *De Conf.* DIST. III. in quo *Concilium* LAODICENSE *ann.* 360. celebratum, per Quadragesimale Jejunium escis abstinentiæ convenientibus, *id est*, aridioribus, utendum dicit.

Hoc in loco PITHÆUS notat illa verba, *id est aridioribus*, suo Codici deesse; attamen juxtà communiorem interpretationem Concilium aridiorum usum eo tempore præcepit, post illa verba *totos quadraginta dies jejunare oportet*, hæc addens *aridis vescentes*; per *arida*, panis, aqua, sal, & alicubi etiam legumina intelliguntur. THOMASSINUS *Part.* 1. Cap. 12. *De Jejun.* Cap. 8. CAUS. VIII. QUÆST. II. Jejunii in pane, aqua, sale meminit. *Canon* 3. *De Conf.* DIST.

Dist. III. ejuſdem eſt generis; in hoc cnim *Concil.* Aurelianense I. præcipit, ut Rogationum diebus Quadrageſimalibus cibis Fideles utantur.

Poſterioris generis ſunt: I. *Can.* 7. *De Conſ.* Dist. III. in quo Martinus Brachar. *ann.* 572. *Canon.* 50. Laodic. *Concilii* referens hæc Concilii verba *aridis veſcentes* juxtà Pithæi Lectionem ſic interpretatur: *Sicera abſtinentes: ſicera autem ut Hebræo Sermone, ſic & Eccleſiaſtica interpretatur, potio omnis quæ inebriare poteſt.*

II. *Canon.* 6. Dist. XXXV. *Canon.* 5. Dist. IV. in quo S. Gregor. *ann.* 603. de Quadrageſima August. ſcribens hæc habet: „ Par eſt autem, ut quibus „ diebus à carne animalium abſtinemus, ab omni„ bus quoque quæ ſementinam carnis trahunt ori„ ginem, jejunemus, à lacte videlicet, caſeo & „ ovis . . . Cæterum piſcium eſus ita Chriſtiano re„ linquitur, ut hoc ei infirmitatis ſolatium, non „ luxuriæ pariat incendium; denique qui à carne „ abſtinet, nequaquam ſumptuoſiora marinarum „ belluarum convivia præparet . . . vinum quoque ita „ bibere permittitur, ut ebrietatem omninò fugia„ mus, alioqoin ut omnia quæ libent corpori, ſimi„ liter faciamus „.

Cibi ergo quos ex relato loco Quadrageſimæ diebus prohibitos fuiſſe colligere licet, ſunt caro animalium, lac, caſeus, ova, piſces, quorum eſus luxuriam provocare poſſet, belluæ marinæ nimii ſumptus, vinum non tanquam infirmitatis remedium, ſed prout lætitiæ ſignum, ideoque ultra naturæ neceſſitatem ſumptum.

REGULA XVII.

Quicumque Juris Textus, qui refectionem, qua Jejunium Quadrageſimale ſolvitur, *Cœnam* vocant, quique veſperè ſolvendum Jejunium docent, unicam Jejuniorum diebus refectionem fuiſſe demonſtrant.

Prioris generis ſunt *Caput* 13. *De Tempor. Ordin.* Poſterioris ſunt *Canon.* 50. *De Conſ.* Dist. I.

REGULA XVIII.

Refectiunculæ quàm *callationem* vocant in Jure nulla mentio, nec eſſe potuit ante ſæculum XIII. in eo tamen vox eodem penè ſenſu uſurpatur.

Prima Pars pro certa habenda donec contrarium appareat.

Secunda patet ex *Capite* 13. *De Tempor. Ordin.* in quo Innoc. III. *ann.* 1200. Cœna Jejunium ſolvi conſueviſſe teſtatur.

Tertia colligitur ex *Canone* 9. Dist. XLII. cujus hæc ſunt verba: „ Quando Preſbyteri per Kalendas ſi„ mul conveniunt, poſt peractum Divinum Myſterium „ ad neceſſariam collationem, non quaſi ad plenam „ refectionem, ſed quaſi ad prandium ibi ad ta„ bulas reſideant „; quid enim illa non plena refectio collatio tunc dicta quàm refectiuncula, & quæ nunc quoque *collatio* dicitur, quoad quantitatem ſaltem non abſimilis.

REGULA XIX.

Quandiu Jejuniorum diebus unica eaque veſperè ſumpta eſt refectio, nullum potuit eſſe dubium an liquidum Jejunium frangeret.

Infertur ex *Capite* 13. *De Tempor. Ordin.* in quo jejunantes uſque ad cœnam jejuni ſupponuntur & dicuntur, etiam quoad Sacram Communionem; Jejunus autem non eſt qui bibit, nec unquam dictus eſt.

REGULA XX.

Poſt permiſſam ab Eccleſia refectiunculam veſpertinam, quæ *callatia* dicitur, extra refectionis horas bibere, æquè ac antea vetitum fuit.

Hanc firmat Regulam Bonifac. Juris Regula 15. *De Regulis Juris in* 6. ſi enim odia reſtringi convenit, prædicta licentia cùm odioſa ſit, reſtringenda eſt, ac conſequenter extra hanc refectiunculam potus non permittendus, ſicut quando refectio unica erat, extra illam bibere non licebat.

REGULA XXI.

Extra refectionis horas à potûs abſtinentia ſola vera urgenſque neceſſitas excuſat, ſervata debita proportione, nam ſola hæc neceſſitas à carnis abſtinentia excuſat.

Colligitur ex *Capite* 2. *De Obſervat.* in quo æque ac carnis eſus prohibetur. Exceptio petitur ex eo quod, *verbi gratia*, potus aquæ minùs nutriat ac delectet, quàm eſus carnis, ideoque Jejunio minùs adverſatur, proindeque minor neceſſitas ad potum aquæ quàm ad eſum carnis.

REGULA XXII.

Ex incluſis in Corpore Juris Textibus certò colligitur apud Catholicos à Quadrageſimæ Jejunio diem Dominicum ſemper & ubique exceptum.

Ex dictis, dum *De Feſtis*, patet Regula, hîc enim oſtenſum eſt à Jejunii præcepto ſemper & ubique exceptum fuiſſe diem Dominicum.

Præterea extant Textus, qui nominatim illum excipiant: Tales ſunt: I. *Canon* 9. *De Conſ.* Dist. III. in quo *Concilium* Agathense præcipit, ut ſingulis diebus Quadrageſimæ jejunetur, exceptis Dominicis.

II. *Canon.* 16. *De Conſ.* Dist. V. in quo S. Gregorius expreſſe dicit è Quadraginta abſtinentiæ diebus Dominicos ſex dies ſubſtractos.

Extant quoque alii Textus, qui idem non obſcurè inſinuant; nam *Canon* 65. Apostol. ab exemptione à Jejunio apud Græcos Dominico & Sabbatho competenti Sabbathum magnæ hebdomadæ excipiens, nullum verò diem Dominicum, oſtendit quemvis diem Dominicum à Jejunio pariter exemptum eſſe.

REGULA XXIII.

A Quadrageſimali abſtinentia Textus Juris nullus diem Dominicum expreſſe eximit; ſunt è contra qui abſtinentiæ huic illum ſubeſſe declarare videntur,

Regulæ Pars Prior certiſſima eſt.

Poſteriori verò favet: I. *Canon.* 8. *De Conſ.* Dist. III. in quo *Concilium* Laodic. præcipit, ut per totam Quadrageſimam cibis aridis Fideles veſcantur.

Non obſtat, quod idem Canon etiam jubeat, ut tota Quadrageſima jejunetur, & tamen à Jejunio diem Dominicum exceptum oſtendimus; magnum enim eſt diſcrimen inter abſtinentiam & Jejunium, cùm extent Juris Canones, qui diem Dominicum à Jejunio expreſſe eximunt; nullus verò ſit, qui illum abſtinentiæ Quadrageſimali abſtrahat: nam *Can.* 16. *De Conſ.* Dist. V. in quo dies Dominici ab abſtinentia excepti dicuntur, pro Jejunio abſtinentiam uſurpat; idem de aliis ſimilibus Textibus dicendum. Nec dici poteſt, Textus Dominicum diem à Jejunio eximentes abſtinentiam in Jejunio comprehendere; etſi enim Jejunium ſecum abſtinentiam trahat, quando

agitur de Jejunii præcepto, illam non trahit quandò agitur de exemptione à Jejunio, idque quia sine abstinentia Jejunium esse non potest, abstinentia verò remanere potest sublato Jejunio, ut patet ex Letaniis majori & minori, & ex Feria sexta & Sabbatho.

II. Favet *Canon* 7. *ead.* DIST. in quo MARTINUS BRACHARENSIS idem ferè omninò dicit ac citatus LAODICENSIS *Canon.*

III. Favet *Canon* 49. *De Conf.* DIST. I. in quo *Concilium* AFRICANUM *anno* 404. die Cœnæ Domini Jejunium relaxat, permittens etiam eo die à non jejunis celebrari; quemadmodum enim relaxato eo die Jejunio, abstinentia non relaxabatur, ita nec exemptus à Jejunio dies Dominicus ab abstinentia quoque eximebatur.

IV. Favent Textus quicumque quadraginta dies pœnitentiæ consecrandos docent, idque quia totidem Jejunio CHRISTUS consecravit; qualis inter alios *Canon* 16. *De Conf.* DIST. V. Hinc enim sequi videtur Dominicos Quadragesimæ dies in abstinentia saltem transigendos fuisse.

Non obstat, quod nostri Jejunii cum CHRISTI Jejunio comparatio ad partem quam Textui assutam diximus, pertineat, nempè ad illam, quæ quatuor dierum additionem Quadragesimæ factam respicit; prædictâ siquidem comparatione in eadem Homilia GREGORIUS utitur, sed alium ob finem, nimirum ut ex quadragenario CHRISTI Jejunio, sicut & similibus MOSIS & ELIÆ Jejuniis, ostendat Christianos quadragenariam pœnitentiam convenienter peragere: Impostor verò CHRISTI exemplo utitur ad ostendendum justa de causa quatuor dies Quadragesimæ addi, ut Dominicorum dierum, quibus non jejunatur, locum suppleant.

V. Ejusdem Regulæ Posteriori Parti maximè favet *Canon* 5. DIST. IV. in quo prima Dominica Quadragesimæ Laïcos plus solito carnium cibos appetiisse, novaque aviditate ad medias noctes sese ingurgitasse refertur; quæ enim hujus detestandi abusus probabilior causâ cogitari potest quàm quadragenaria, quæ hunc diem sequebatur, à carnibus abstinentia? verone simile est tantam carnium aviditatem à continuata sex dierum ab illis abstinentia genitam fuisse?

Nec dicas per sex priora Ecclesiæ sæcula abstinentiam Festivitati conjunctam inauditam esse; nam *Concilium* AURELIANENSE *anno* 511. similis abstinentiæ meminit, cùm per triduum Rogationum, quo opera omnia etiam domestica cessare vult, Quadragesimalem abstinentiam præcipiat.

Contra Posteriorem hanc Regulæ Partem plura objici possunt: I. Sæculo XI. in quo obscura de Festorum prærogativis circa Jejunium & abstinentiam antiquæ disciplinæ vestigia vix remanebant, GREGORIUS VII. in *Concilio Generali* ROMÆ *habito anno* 1078. carnium esum die Sabbathi prohibens, casum quo major eo die Festivitas occurrerit excipit. Sed Objectionis hujus nulla vis; nec enim de Quadragesimæ tempore agitur, cùm omninò improbabile sit sæculo XI. extitisse, qui die Sabbathi Quadragesimalis carnes comederent, nec de Festo communi, quale dies Dominicus, sed de Solemni quod rarum est, rariusque die Sabbathi contingit. Prætereà etsi GREGORIUS VII. ab abstinentia exemerit diem Sabbathi, in quo occurrit major Festivitas, inauditum quod dies Sabbathi, in qua occurrerit Festum Annunciationis, quod inter majora non minimum est, exemptus fuerit à prædicta abstinentia.

II. Ob easdem causas cessare debet abstinentia die Dominico, ob quas eo die cessare debet Jejunium, nempè quòd lætitiæ dies sit, quòd errores MANICHÆORUM ac EUSTATHIANORUM die Dominico prava de causa jejunantium horrore prosequendi sint; propter causas autem illas Dominici Quadragesimæ dies Jejunio eximuntur, ergo abstinentia quoque eximatur oportet. Sed si Dominicus dies lætitiæ dies sit, singuli Quinquagesimæ dies læti quoque dies esse debebant; attamen tres Rogationum dies ineunte sæculo VI. in Quadragesimali abstinentia transigendi erant. *Cap.* 3. *De Conf.* DIST. III. Prætereà Quadragesimæ tempus cùm pœnitentiæ consecratum sit, hujus temporis lætitia tristitiæ commixta esse debet, ideoque si diebus Dominicis Jejunii exemptione significetur lætitia, iisdem diebus per abstinentiam tristitia significanda est.

Prædicti errores Quadragesimæ observatione posteriores sunt, undè propter illos à carne abstinendi usus etiam die Dominico immutandus non erat.

III. Vigiliæ, quæ die Dominico occurrebant, sub ALEXANDRO III. nedum non jejunabantur, sed nec etiam abstinentia die Dominico servabatur. Verùm hinc pro Quadragesimæ Dominicis nihil concludere licet; nam præterquam quod circa Vigiliam, quàm circa Quadragesimam faciliùs dispensatur, cùm longè strictioris sit obligationis Quadragesima quàm Vigilia, diebus Dominicis Quadragesimæ non ideò abstinentia servatur, quia in his occurrunt Jejunia Quadragesimalia, sed quia ad quadragenariam, quæ pœnitentiæ consecratur, pertinent. Objecta comparatio peccat etiam in eo quod, Vigilia occurrens die Dominica transferri potest in diem præcedentem, & translatio Jejunii sine translatione abstinentiæ fieri nequit; abstinentia verò Quadragesimalis occurrens die Dominico transferri non valet in diem præcedentem, huic abstinentiæ, necnon & Jejunio, jam addictam.

REGULA XXIV.

Præter Dominicum à Jejunio Quadragesimali, Sabbathum quoque Græci eximunt. *Can.* APOSTOLORUM 65. Latini è contra Jejunio illud expressè subdunt. *Cap.* 9. *De Conf.* DIST. III.

REGULA XXV.

In Quadragesima Festorum celebratio, nullo Juris Textu præcipitur, nullo expressè permittitur, quibusdam verò prohibetur.

Prima & secunda Pars pro certis habendæ sunt donec contrarius Textus occurrat, qualis hactenus nullus repertus est. Hinc quibus Festa instituendi potestas competit monentur, ne quæ instituant Quadragesimo tempore, aliove simili collocent.

Tertia Pars patet ex *Canone* 8. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. in quo *Concilium* LAODICENSE *anno* 360. hæc habet: *Non oportet in Quadragesima Natalitia ulla celebrare.* Seorsum, non verba, retulisse videtur GRATIANUS, & duos Canones simul junxisse; per hæc enim verba, *qualibet Natalitia*, non obscurè insinuat se tàm Sacra quàm profana intelligere: Sacra autem aliud non sunt quàm Sanctorum Festa.

Patet etiam ex *Canone* 9. *ead.* CAUS. AT QUÆST. in quo MARTINUS BRACHARENSIS *anno* 572. *Concilii* LAODICENSIS Canonis mox relati verba refert, eique alium ejusdem Concilii adjicit: „ Non „ licet in Quadragesima Natalitia Martyrum celebrare, sed tantùm Sabbatho & die Dominico „ pro commemoratione eorum oblationes offerri, sed „ nec Natalitia ...... in Quadragesima celebrare liceat „.

Totum MARTINI Textum transcripsimus, quia præcedentem explicat, quæque circa illum diximus confirmat.

Ob alias quoque causas illum exscribere debuimus, multa

multa enim scitu digna docet, nimirum: I. Diebus Jejunii pro Sanctis Missas celebrare non licuisse, sed pro eorum Commemoratione offerri potuisse Sabbatho, & Dominica: II. Festorum Celebrationem tunc temporis prohibitam fuisse, non solùm quia Jejunia non compaterentur, sed etiam quia sine Missa celebrari non conveniebat, Missam autem Sanctorum eo tempore dicere non decebat: III. Sabbathum & Dominicam Deo, Christove, adeò non consecrata fuisse, ut iisdem diebus Sanctorum Commemorationem facere non liceret: IV. Sanctorum Festa sæculo IV. jam consuevisse, sed solùm Martyrum: V. Sanctorum Martyrum Festa Natalitia dicta, quia eo die fit quo ad vitam æternam nati sunt: VI. Quadragesimæ tempore apud Græcos solis Sabbatho & Dominica Missam celebratam fuisse: VII. Per alia Natalitia, quæ etiam celebrari vetat, intelligi possunt dies Natales, tùm Reipublicæ administratorum, tùm privatorum; intelligi quoque possunt dies Episcoporum Consecrationum, quia cùm eo die Rempublicam Sacram administrandam suscipiat Episcopus, novam vitam recipere videtur; illa autem Natalitia non celebranda docet propter magnam, quæ illa comitari decet, lætitiam, cum Jejunio, præsertim Quadragesimali, incompatibilem. Ex hac ultima consideratione sequitur, quod Patres nostri celebrarent Natalitia Martyrum cum majori lætitia quàm diem Dominicum, multòque tamen minus necessariam illorum celebrationem quàm istius existimarent, cùm à Natalitiis celebrandis abstinerent, ne illorum solitam turbarent lætitiam, & Dominicum diem non intermitterent.

Non obstat *Canon* 49. *De Conf.* Dist. I. in quo *Concilium* Africanum *ann.* 404. præcipiens, ut à Jejunis hominibus Sacramenta Altaris celebrentur, excipit diem, quo Cœna Domini anniversariè celebratur; qua exceptione significat hunc diem tamquam Festum celebratum, cùm eo die rigidum, strictumque adeò, ac ultimæ hebdomadæ Jejunium solveretur. Non obstat, *inquam*, hic Textus, quia I. sine Festivitate Jejunium solvi potest. II. Quod prædictam Jejunium solvendi facultatem comitatur Privilegium, quod nulli etiam ex Solemnioribus Festo competit. III. Si ex eo quod in Africa die Cœnæ Domini solvi Jejunium permitteretur, ibidem Festus dies erat, oporteret ut in Græcia & in Hispania dies Festus non esset, cùm quoad Græciam *Concil.* Laodicensa *C.* 8. *De Conf.* Dist. III. & quoad Hispaniam Martinus Bracharensis *C.* 7. *Ead.* Dist. eo die Jejunium solvere vetent.

REGULA XXVI.

Totam inhonorat Quadragesimam, qui sine justa causa aliquo illius die Jejunium solvit. *Cap.* 7. 8. *De Conf.* Dist. III.

REGULA XXVII.

A primis Ecclesiæ Sæculis Præfationem propriam Quadragesimalis Missa habuit.

Colligitur ex *Canone* 71. *De Conf.* Dist. I. in quo Pelagius II. *ann.* 585. Quadragesimalem Præfationem inter illas, quas longa retrò vetustas in Ecclesia Romana servaverat, recenset; quid enim sæculo VI. per longam vetustatem intelligi potuit quàm prima Ecclesiæ secula? Sed dissimulandum non est testimonium hoc usquequaque certum non videri, tùm propter inauditam Epistolæ, è qua sumitur, inscriptionem, quæ hæc est: Pelagius II. *Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Episcopus*; tùm quia novem tantùm Præfationes in Sacro Romanæ Ecclesiæ Catalogo se invenisse, aliasque ab illa non teneri nec custodiri Epistolæ Autor refert, attamen in *Sacramentario* S. Gregorii proximi Pelagii II. Successoris infinitæ propemodum Præfationes aliæ inveniuntur. Præterea Præfationem communem Apostolis Pelagius dicit: in *Sacramentario* S. Gregorii quilibet Apostolus habet suam; quam memorat Pelagius, de apparitione Domini, Præfatio apud Gregorium non legitur, imò nec in eo de apparitione prædicta, quæ aliud non est, quàm transfiguratio, mentio ulla fit; ad hæc in eodem Textu pro albis Paschalibus una tantùm legitur Præfatio; idem etiam de Pentecoste & in *Sacramentario* Gregorii quilibet alborum Paschalium dies, necnon quælibet Octavæ Pentecostes dies suam habet Præfationem; tùm quia Germaniarum & Galliarum Episcopis, ut has Præfationes & non alias in Missis legant, præcipit; vero autem simile non est sæculo VI. à Sede Apostolica Rescripta emanasse, quibus Ecclesiæ adeò remotæ in Officiis Divinis illius ritum sequi obligarentur, Galliarumque Ecclesias, Apostolica Mandata adeò parvipendisse, ut Caroli Magni tempore Ecclesiæ Romanæ ritus tantùm acceperint.

REGULA XXVIII.

Circa Quadragesimam, præter Jejunii Præceptum, alia in Corpore Juris omnibus communia leguntur, & hæc sunt.

I. Nulli Civium Quadragesimæ solemnitatem in villa celebrare licebat. *Cap.* 5. *De Conf.* Dist. III. si vera Gratiani lectio sit; dubitandi enim locus est, cùm Ivo habeat Quinquagesimæ, & Burchardus Pentecostes.

II. Nec ad alienas villas agendorum Conventuum causa convenire debent. *Cap.* 15. *Ead.* Dist.

III. Nec toto Quadragesimæ tempore ab Ecclesiis Fideles deesse debent. *Ibidem*

IV. Nec in latibulis cubiculorum, ac montium, qui in suspicionibus perseverant habitare. *Ibidem.* Idque quia eo casu habitatio hæc erroris, schismatisque, non obscurum indicium est.

V. Exemplum & Præceptum Sacerdotum custodire debent. *Ibidem.*

REGULA XXIX.

Nullo unquam anni tempore Ordines Sacri frequentiùs collati sunt quàm intra Quadragesimam, si ex Textibus Juris, prout in eo habentur, hac de re judicetur.

Colligitur ex *Canone* 7. Dist. LXXV. in quo Gelasius *ann.* 493. tunc temporis ter celebratas fuisse Ordinationes testatur, nempè Quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & Sabbathi Sancti Jejunio; alio verò tempore nonnisi quarti, septimi, decimi mensis Jejunio.

Colligitur etiam ex *Capite* 3. *De Tempor. Ordinat.* in quo Alexander III. *circa annum* 1168. docet, Ordines conferendos tantùm esse quatuor Temporum Jejuniis, Sabbatho Sancto, & Sabbatho ante Dominicam Passionis; ex quibus Textibus patet intra quadraginta dies Quadragesimæ totidem fieri Ordinationes, quot in reliquo anni tempore fiunt, idque à V. Ecclesiæ sæculo.

Restringentis clausulæ causa: Sunt qui existiment Gelasii Textui addita esse hæc verba, *non debent*, sequuntur tamquam explicationem istorum *certis temporibus & diebus*, extra quos Ordinationes fieri vetat. Illorum inter alias conjecturæ ratio, quod S. Leonis tempore *anno* 445. quolibet Dominico die Ordines conferre licebat, ut ex *Can.* 4. Dist. LXXV. constat; verosimile autem non est eodem sæculo adeò restrictum fuisse Ordinationis tempus

pus, ut extra Quatuor Tempora & Quadragesimam illam facere fas non esset: Praeterea in eodem GELASII Textu ne verbum quidem legitur quo novum Jus à se statui significet, imò hæ voces, *id est*, vetus jus se explicare ostendere videntur.

Quidquid sit de his conjecturis, certum est Canonem hunc eodem modo legi in Codice Decretorum Pontificum à DIONYSIO EXIGUO apud JUSTELLUM edito. *Bibliot. Veter. Juris Canon.* TOM. I. *p.* 142.

REGULA XXX.

Imponendæ publicæ pœnitentiæ, necnon reconciliandis pœnitentibus Quadragesimæ tempus destinatum erat; die Cinerum, *Jejunii Capite* dicto, pœnitentiæ impositionis ceremonia fiebat, reconciliatio verò die Cœnæ Domini.

Prior Regulæ Pars legitur in *Canone* 64. DIST. L. in quo *Concilium* AGATHENSE, vel rectiùs Ordo Romanus hæc habet: „ In Capite Quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, vel susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Iis adesse debent Archipresbyteri Parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ per præfatos gradus pœnitentiam injungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero pœnitentiales Psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrimis pro eorum absolutione decantet: Tunc resurgens ab Oratione, juxtà quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem priùs mittat, deindè cilicio capita illorum cooperiat; & cum gemitu & crebris suspiriis denuntiet eis, quòd sicut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abjiciantur: Post hæc jubeat Ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant: Clerus verò prosequatur eos cum responsorio: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo &c.* ut videntes Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non parvipendant pœnitentiam „. REGINO BALUSII. *p.* 135. eadem eisdem verbis refert.

I. Ex transcripto loco collige, suprà rectissimè observatum, adeò tristem, lugubremque pœnitentiæ impositionis ritum esse, ut verosimile non sit die Dominicâ pœnitentiam impositam fuisse, ideoque Quadragesimam à Dominica tunc temporis non incœpisse.

II. Pœnitentiam solemniter impositam non solùm iis, qui nondum susceperant, sed etiam iis, qui alia vice susceperant, sed susceptam nondum compleverant.

III. Ab Archipresbyteris Parochiarum, & à Parochis pœnitentes examinatos fuisse, & ab Episcopo pœnitentiam impositam pro relatione ab illis sibi facta.

IV. Pœnitentes in habitu & vultu pœnitentium sese repræsentare debuisse.

V. A quibus è foribus Ecclesiæ intra eamdem introducti fuerant, ab iisdem post decantatos Psalmos suprà ipsos, & factam illis exhortationem extra Ecclesiam ejiciebantur, & ad illius fores reducti ibidem dimittebanter.

Posterior Regulæ Pars patet 1°. ex *Can.* 17. *De Conf.* DIST. II. ex Pseudo-SOTERE desumpto, vel ex *Concilio* CABILLONENSI II. *anno* 813. celebrato, vel aliundè. 2°. Ex *Canone* 64. DIST. L.

REGULA XXXI.

Sunt Canones, qui die Cœnæ Domini Chrisma conficere præcipiunt; sunt è contra qui declarant omni tempore confici posse; hac de re in uno conveniunt quod ante Pascha solemnitatem ab Episcopis Parochi per se ipsos, vel per alios petere debebant.

Circa Primam Partem habemus *Canonem* 18. *De Conf.* DIST. III. è Pseudo FABIANO desumptum, è quo id unum certum elici potest, VIII. scilicet sæculo in Ecclesia Romana die prædicto Chrisma confici consuevisse.

Pro Secunda Parte stat *Canon* 124. *De Conf.* DIST. IV. in quo MARTINUS BRACHARENSIS hæc habet: *Omni tempore Episcopo liceat Chrisma conficere.*

Huic Parti quoque favent Textus omnes, qui de conficiendo Chrismate loquentes, nullum ad id præfigunt tempus: Tales autem sunt *Canones* 122. 123. *De Conf.* DIST. IV. *Cap.* 4. DIST. XCV. Qui Textus collati cum præcitatis indicant hac de re usus diversos fuisse.

Tertiam Partem stabiliunt *Canones* 123. 124. *De Conf.* DIST. IV. *Cap.* 4. DIST. XCV.

REGULA XXXII.

Eodem Cœnæ Domini die apud Africanos non solùm Jejunium solvere licebat, sed & post cibum sumptum communicare. *Cap.* 49. *De Conf.* DIST. I. quod ex *Concilio* AFRICANO *anno* 414. celebrato desumitur: Apud Græcos Jejunium solvere non licebat, nec etiam post cibum communicare. *Cap.* 8. *De Conf.* DIST. III. Quod de Græcis, idem dicendum de Hispanis. *Cap.* 7. *ead.* DIST.

REGULA XXXIII.

Eodem die Communionem Sacram alicubi præceptam aliàs fuisse ex ipso Jure constat. *Cap.* 17. *De Conf.* DIST. II. in quo Pseudo-SOTER, vel *Concilium* CABILLONENSE II. prædictam Communionem præcipit.

REGULA XXXIV.

Biduo antè Pascha Sacramenta penitùs non celebrari incunte sæculo V. Ecclesiæ Traditio habebat. *Cap.* 13. *De Conf.* DIST. III. ex INNOCENTIO I. *anno* 416. ad DECENTIUM scribente: Usus hujus hanc affert INNOCENTIUS causam, Apostolos toto biduo antè CHRISTI Resurrectionem summâ affectos fuisse tristitiâ, atque conveniens esse ut & illa tristitia & causa illius memoretur.

REGULA XXXV.

Si biduum illud à media Jovis diei nocte ad mediam Sabbathi noctem numeretur, varii extant Juris Textus, qui usum hunc diu non durasse ostendant.

Textus hujusmodi alii non sunt quàm isti. I. S. LEO *anno* 445. Cap. 4. *&* 5. DIST. LXXV. docet quolibet Sabbatho Presbyteratum & Diaconatum conferri posse, idque quia Vespera Sabbathi diei Dominici pars est, dieque Dominico Ordinationes has fieri maximè convenit; cùm ergo Sabbathum sanctum ex illis Sabbathis non excipiatur, & sine Missæ Sacrificio Ordinatio unquam facta non legatur, consequens est ut paucos post INNOCENTII I. mortem annos prædictus usus non subsitierit.

II. GELASIUS *ann.* 493. Cap. 7. *ead.* DIST. Ordinationes Sabbatho Sancto circa Vesperam celebrandas expressè dicit.

III. PELAGIUS *ann.* 556. DIST. LXXVI. præcipit, ut Diaconus ad Episcopatum electus Romam mittatur Sabbatho Magno post horam Baptismi ordinandus, quæ

quæ fuiſſe determinata videtur, tàm quoad durationem quàm quoad initium, cùm locutio hæc: *Poſt horam Baptiſmi*, determinatum tempus denotet.

REGULA XXXVI.

Attamen biduum illud ita interpretandum, ut duorum Sacrificiorum ſuſpenſionem includat.

Regulæ Ratio: Innocentius in hoc traditæ Diſciplinæ ſeveritatem ponit, quod per duos dies Sacrificia penitùs non celebrentur, ita ut ſuper quolibet ſeveritas cadat.

REGULA XXXVII.

Exceptis primo Quadrageſimæ die, prima quoque illius Dominica, die Cœnæ Domini, Sanctoque Veneris die, non ſunt Quadrageſimæ dies, de quibus in Jure ſpecialis mentio fiat, quàm Sabbathum ſecundum, Sabbathum ante Dominicam Paſſionis, & Sabbathum Sanctum.

REGULA XXXVIII.

De aliis diebus, præter Sabbatha memorata, in Jure non legitur quàm quæ de iis hactenùs dicta ſunt.

REGULA XXXIX.

De primo & ſecundo ex dictis Sabbathis aliud non dicitur quàm illis diebus Ordines Sacros conferendos eſſe. *Cap.* 7. Dist. LXXV. Cap. 3. *De Tempor. Ordin.*

REGULA XL.

De Sabbatho Sancto hæc tantùm habentur.

I. Eo die Ordinationes ſacras fieri. *Cap.* 7. Dist. LXXV. Cap. 12. Dist. LXXVI. Cap. 3. *De Tem. Ord.*

II. Baptiſmum ſolemnem dandi præcipuum eſſe diem, cùm Sabbatho Sancto Pentecoſtes dari permiſſum dumtaxat ſit, ut qui ante Paſcha baptiſari non potuerant, baptiſarentur. *Cap.* 13. *De Conſ.* Dist. IV. Sabbathum verò Sanctum ad Baptiſmum ſolemnem deſtinatum, quia eo tempore, quo Myſteria in Baptiſmo repræſentata celebrantur, occurrit, nempè mortis, ſepulturæ triduanæ, & Reſurrectionis: Mors autem in Baptiſmo repræſentatur, quia mors intervenit interfectione peccati; ſepulturam triduanam imitatur trina immerſio; & ab aquis elevatio reſurgentis inſtar eſt de ſepultura. *Eod Can.*

III. Eo die Baptiſmatis Fontes benedicuntur. Colligitur ex *Canone* 126. *De Conſ.* Dist. IV. in quo præcipitur, ut qui Sabbatho Sancto Aquam conſecratam ad aſperſionem in domo ſua recipere voluerit, ante Chriſmatis infuſionem recipiat; quid enim per Aquam conſecratam intelligitur, quàm Aquam ad baptizandum benedictam? Et cur ante infuſionem Chriſmatis ad aſperſionem domûs accipienda eſt, niſi quia poſtea ad ſolùm Baptiſmum adhibenda ſit?

REGULA XLI.

Quoad Pœnitentiæ, triſtitiæque ſigna, inter hebdomadam Sanctam & Quadrageſimæ reliquum, nullum in Jure diſcrimen legitur quàm quod apud Græcos Sabbatho Sancto jejunatur, aliis non jejunatur; apud Latinos verò Feria ſexta & Sabbatho Sacramenta penitùs non celebrabantur.

Tom. II.

REGULA XLII.

Sicut ad Paſcha præparat Quadrageſima, ita & Concilium antè Quadrageſimam celebrandum, & ſignorum lætitiæ intermiſſio per duas hebdomadas præcedentes, & lectio lapſûs primi parentis, & in eo totius generis humani ruinæ, ad Quadrageſimam præparabant.

De Concilio mentionem facit *Concilium* Nicænum *ann.* 325. *in Canone* 3. Dist. XVIII. in quo id Concilium præcipiens, præcepti finem hunc exprimit, ut omnibus, ſi quæ ſint, ſimultatibus amputatis, mundum Jejunium & ſolemne Deo munus offerri poſſit.

De ſecunda præparatione meminit *Canon* 55. *De Conſ.* Dis. I. in quo Lao IX. à ſeptuageſima ad Paſcha Hymnos Angelicos *Gloria in Excelſis* & *Alleluia* intermitti dicit; cujus rei cauſam affert myſticam, quam, ſi lubet, leges.

De tertia præparatione ibidem diſtincta fit mentio; illius quoque non obſcurè meminit *Canon* 3. Dist. XV. §. 81.

REGULA XLIII.

Dominicæ tres quæ proximè præcedunt primam Quadrageſimæ Dominicam, Quinquageſimæ, Sexageſimæ, Septuageſimæ, nomen ſumpſerunt, non à numero dierum, quibus à Paſchate diſtant, ſed ex eo quod quam præcedunt rea Quadrageſima vocetur.

REGULA XLIV.

De Sexageſima mentio in Jure nulla, ſed extitiſſe meritò infertur ex exiſtentia Septuageſimæ.

REGULA XLV.

De Septuageſima & de Quinquageſima, eo quo nunc ſenſu ſumptis, meminerunt quidam Textus, iique ineuntis ſæculi VI.

Patet Regula ex *Canone* 6. Dist. III. in quo *Concilium* Aurelianensa I. *ann.* 511. ne ante Paſcha Quinquageſima celebretur, prohibet: Hujus ſiquidem prohibitionis ſenſus eſt, ne Quadrageſimale Jejunium, vel abſtinentia à Dominica, quæ Quadrageſimam præcedit, quamque ideò *Concilium* Quinquageſimam vocat, exordiatur.

Patet etiam ex *Canone* 10. Caus. XXXIII. Quæst. IV. in quo *Concilium* Ilerdense *ann.* 517. præcipit, ut à Septuageſima ad Octavam Paſchæ Nuptiæ ſuſpendantur.

Non obſtat Regulæ *Canon* 5. Dist. IV. in quo S. Ambrosius *ann.* 380. hæc babet: *Quadrageſima ſex ſeptimanas babet*, cui addidit Telesphoa. *ſeptimam*, & vocatum eſt hoc tempus Quinquageſima, ſuppoſititium etenim Textum hunc eſſe jam diximus; cui rei adjiciendum nunc eſt confictum videri ab Epiſtolarum Talesphori, aliorumque Pontificum Confictore, idque ut hac altera confictione prior minùs detegeretur.

REGULA XLVI.

Poſt ſæculum VI. nihil habes in Jure memorandum circa Septuageſimam quàm quod legitur in *Capite* 4. *De Feriis*, Nuptias in Eccleſia Romana interdictas fuiſſe à Septuageſima ad uſque ſeptimum diem poſt Pentecoſten; deſumitur à Clementa III, creato *anno* 1188. & mortuo *anno* 1192.

REGULA XLVII.

Inter Ecclesiam Occidentalem & Ecclesiam Orientalem circa Quadragesimam discrimina hæc ex Juris Textibus deducuntur.

I. Apud Græcos Sabbatho non jejunatur, excepto Sabbatho Sancto. *Can.* 65. APOSTOLORUM.

II. Festa tàm Sacra quàm profana apud Græcos per illud tempus interdicuntur, & quæ eo tempore celebranda essent, Sabbatho & die Dominico illorum memoria tantùm agitur. *Can.* 8. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV.

III. Aridorum usus per Quadragesimam apud Græcos præcipitur. *Can.* 8. *De Conf.* DIST. III.

IV. Apud Græcos die Dominico Sabbathoque tantùm offertur, aliis diebus propter Jejunium intermittitur. *Can.* 8. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. Hinc cum apud illos extra Sacrificium Communio Sacra non sumatur, consequens est, ut diebus Jejunii non communicent.

V. Jejunium quintæ Feriæ hebdomadæ Sanctæ solvi prohibebatur, quantacumque lætitia Eucharistiæ Institutionis memoria celebranda sit. *Cap.* 7. 8. *De Consecr.* DIST. III. Cap. 41. *Codicis Ecclesiæ Africanæ.*

SECTIO XVI.

Regula circa Jejunia è Corpore Juris Canonici, Conciliisque TRIDENTINO *desumpta.*

In colligendis Regulis præcipuè notanda sunt: I. Quæ discrimina inter antiquam Disciplinam & novam circa Jejunia? II. Quot genera Jejuniorum, Perfecta & Imperfecta, Simplicia & Multiplicata, Generalia & Specialia, Monachalia & Communia, quod cuique generi proprium? III. Quæ præcepta vel vetita Jejuniorum diebus, singulorum explicatio? IV. Qui dies à Jejunio exempti? V. Quibus austeriora? VI. Qui actus Jejuniorum comites, & quæ peculiaria Jejuniis dierum Ordinationis? VII. An immoderata permittantur, & quomodo? VIII. Quæ peculiaria Quinquagesimæ Pascha præcedenti, quæ subsequenti? IX. Quæ potestas Episcoporum circa illorum indictionem, vel ab iis Dispensationem, quæ utriusque causæ? X. An alicubi Sacra Communio vetita sit jejunantibus? XI. Quæ discrepantia inter Græcos & Latinos circa Jejunia? XII. An esus volatilium quandoque permissus his diebus? XIII. Quomodo explicanda quæ dicuntur de quotidianis Jejuniis?

REGULA I.

Omnium Legum Positivarum prima Jejunii sive abstinentiæ Lex est, *Cap.* 8. DIST. XXXV. Ex S. AMBROSIO desumitur, atque in eo fundatur quod homini prima Lex data est, ut ab esu fructûs scientiæ boni & mali abstineret: sed de hoc Jejunio, neque de ullo alio, quod Ecclesiæ peculiare non sit, hic agere mens non est.

REGULA II.

Jejunare quandoque nihil aliud significat quàm abstinere, sicut abstinentia interdum usurpatur pro Jejunio.

Prioris Partis exempla habes *Cap.* 4. DIST. IV. *Cap.* 11. *De Conf.* DIST. III.

Posterioris exempla extant in *Capite* 16. *De Conf.* DIST. V.

REGULA III.

Per duodecim priora Ecclesiæ sæcula jejunare idem fuit ac non prandere, & non jejunare idem ac prandere.

Colligitur Regula ex eo quod anno 1200. diebus Jejunii adhuc cœnabatur, Jejuniumque per solam cœnam solvi dicebatur. *Cap.* 13. *De Temp. Ordin.* Antea verò praxi huic contrarius Textus Juris nullus extat.

REGULA IV.

Jejuniorum alia sunt toti Ecclesiæ Communia, alia verò vel cuidam Ecclesiæ Peculiaria, vel Monachis Peculiaria; alia quoque sunt vel Simplicia, vel Duplicata, Multiplicataque.

REGULA V.

Communia toti Ecclesiæ Jejunia antiquiores Juris Textus instituta supponunt.

Ex citandis circa quodlibet hujusmodi Jejunium Textibus Regula patebit.

REGULA VI.

Textus Juris nullus extat, qui carnis abstinentiam Jejunio necessariam memorans tamquam de re jam usitata non loquatur.

Ex citandis patebit.

REGULA VII.

Qui ante Vesperam solvi Jejunium permittat Juris Textum nullum habemus; qui id prohibeant non desunt.

Pro certa habenda prior Regulæ Pars, donec contrarium appareat.

Posterior in *Capite* 50. *De Conf.* DIST. I. clarè legitur.

REGULA VIII.

Ut gratum sit Deo Jejunium hos habere debet comites.

I. A peccato saltem mortali abstinentiam; nihil enim prodest homini jejunare, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. *Cap.* 23. *De Conf.* DIST. V. Imperfectum est Jejunium si ab iniquitatibus & illicitis sæculi voluptatibus non abstineatur. *Cap.* 25. *ibid.*

II. Eleemosinas facultatibus convenientes. *Cap.* 50. *De Conf.* DIST. I. in quo THEODULPHUS *Aurelianensis*, ad cibum accedere jejunantibus prohibet, nisi priùs largitis eleemosinis.

III. Orationem tempori consonam. *Eod. Cap.* 50. in quo idem vetat ne quis comedat, nisi priùs auditis Missarum solemnibus & vespertinis Officiis, vel Oratione sua completa, si Missæ & Officiis vespertinis adesse non possit.

IV. Temperantiam in refectione, qua Jejunium solvitur. Quod enim HIERONIM. dicit *Cap.* 19. *De Conf.* DIST. V. de Jejunio voluntario, rectè quoque dicitur de Jejunio necessario; nempè, quod ea esse debeat refectio, ut satietatem fugiat, nihilque prosit toto die vacuum portare ventrem, si post pariter obstruatur.

V. Obedientiam Præceptis Ecclesiæ, quoad ciborum genus & refectionis horam. *Cap.* 50. *cit.* Cap. 7. 8. *De Conf.* DIST. I. ac quævis alia, quæ Jejunium spectant, qualia Præcepta uxorem non ducendi. *Cap.* 11. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. Nuptias non celebrandi *Cap.* 8. *ibid.* Convivia non faciendi. *Cap.* 11. *cit.* Ab uxore continendi. *Cap.* 3. 6. *ibid.* Non cædendi, nec jurgandi, etiam licita Justitiæ via. *Cap.* 5. *ibid.* quandiu sunt in usu.

REGULA IX.

Qui cibos, quibus Jejunii diebus utendum est, præscribunt Juris Textus, de Quadragesimali Jejunio dumtaxat loquuntur, attamen ad alia totius Ecclesiæ Jejunia extendi possunt.

Prio-

Priorem Partem demonstrant Textus prædicti, hi enim alii non sunt quàm *Capita* 7. 8. *De Conf.* Dist. III. *Caput* 6. Dist. IV.

Non obstat *Cap.* 4. Dist. IV. in quo de Jejunio Quinquagesimæ agitur, in eoque Jejunio carnis esus prohibetur: Nam præterquam quod Quinquagesima Quadragesimæ Pars erat, quæ Clericis præcipiebatur, verosimile omninò est eo in Textu non Jejunium, sed solam à carnibus abstinentiam Clericis præcipi.

Non obstat *Cap.* 11. *De Conf.* Dist. III. quod de Quartæ & Sextæ Feriæ Jejunio loquens à carne abstinentiam à prima nocte illarum Feriarum usque ad lucem proximæ Feriæ præscribit; hic enim non de Jejunio perfecto, sed de simplici abstinentia à carne sermo fit, etsi ista abstinentia jejunatio ibidem vocetur; alioquin in qualibet hebdomada duo Jejunia extitissent austeriora ipso Quadragesimæ & Quatuor Temporum Jejunio, quod omnium durius semper habitum est, consequens autem patet cùm dimidia parte longiora fuissent ista Jejunia.

Non obstat *Cap.* 2. *De Observatione Jejun.* in quo Innocentius III. circa abstinentiam à carne alia Jejunia Quadragesimali Jejunio jungit; ibi enim Innocentius, quibus utendum est Jejuniorum diebus, cibos non præscribit, sed præscriptos supponens circa esum carnis Dispensationis casum decidit.

Posterior Regulæ Pars colligitur ex *Cap.* 6. Dist. IV. in quo S. Gregorius de Quadragesimali à carne abstinentia loquens hanc tradit Regulam: *Par est ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, casea & ovis*: Regula autem hæc Jejunia cætera respicit æque ac Quadragesimale.

Præterea Textus Juris nullus extat, qui austeriorem in Quadragesima abstinentiam exigat quàm in aliis Jejuniis.

Quod si apud Latinos memorata Regula in Jejuniis Quatuor Temporum, Vigiliarumve non servetur, non ex Lege ulla, quæ in Corpore Juris referatur, sed ex Consuetudine id provenit.

In eadem Regula *animalium* vocabulum quærendi ausam præbere posset, an tempore S. Gregorii abstinentia à carne ad solam animalium carnem restringeretur, an verò ad avium quoque carnem extenderetur, aves siquidem ab animalibus ita distingui solent, ut sub istis non comprehendantur.

Cui Quæstioni ut fiat satis, attendere sufficit an Gallinæ inter aves collocandæ sint; si enim pro avibus habendæ sunt, evidens est S. Gragorium animalium vocabulo tàm aves quàm animantes comprehendisse, cùm ex eo quod ab animalium carne abstinendum est, ab ovis quoque abstinendum esse inferat; ova autem quibus abstinere oportet non alia esse possint quàm Gallinarum ova, proindeque cujusdam avium generis; sin autem ex verbis S. Gregorii colligere non est aves eum animantibus comprehendere voluisse, sed nec inferre illas exclusisse, cùm ad propositum non pertineret de iis mentionem facere; nam quid intendebat aliud S. Gregorius quàm ob oculos ponere diebus Jejuniorum à lacte, caseo, & ovis abstinendum? Qua illud ratione ostendere volebat, nisi ea quam expressit, nempe lacticinia in carne comprehendi, quia sementinam carnis trahunt originem? Ad hoc autem nonne sufficiebat, ut animalium, quorum prædicta fructus sunt, mentionem faceret in genere sine expressa speciei cujusque denominatione, cui peculiares vel communes sunt prædicti fructus, vel omnes vel aliqui?

Nec obstat posteriori Regulæ Parti quod *Concilium* Aurelianense I. Cap. 3. *De Conf.* Dist. III. supponere videatur cibos Quadragesimæ à cibis aliorum Jejuniorum ita distinctos, ut triduanum Jejunium ante Ascensionem præcipiens Quadragesimalium ciborum usum præscribat: Non obstat, *inquam*, hic locus, cùm ostensum sit, dum *De Rogationibus*, *Concilium* Aurelianense Jejunium perfectum non præcepisse, sed abstinentiam communem, quæ die Veneris fiebat, sufficere bis diebus; atque ut crederetur addidisse, illo triduo cibis Quadragesimalibus utendum, ideoque abstinentiam Quadragesimalem præcepisse.

Qui cibi Quadragesimæ fuerint, dum de Quadragesima, expositum est; iis tamen, quæ hac de re ibi dicta sunt addere non piget Martinum Bracharensem *ann.* 572. siceram prohibere, & S. Gragorium *ann.* 603. vinum permittere; sed hæc conciliari posse ex locorum diversitate, pro Hispanis scripsit Martinus, pro Anglis Gregorius; Addere etiam juvat videri posse Pithæi lectionem rejiciendam esse, idque quia Laodicensis *Concilii* Textus, quem eo loci Martinus refert, non convenit: Quæ enim inter illa Concilii verba: *Aridis vescentes*, & ista Martini: *Sicera abstinentes*, similitudo? Sed hæc non impedire quod Pithæi lectio probanda sit, cùm Canonum Collectores tempori suo, suæque Regioni, quos referunt Canones in nonnullis aptare soleant.

REGULA X.

Circa præstitutam, qua solvendum erat Jejunium, refectionis horam, unus est Juris Textus, qui illam expresè præfigat, is autem de Quadragesimali tantùm loquitur; non desunt ex quibus idem certò colligatur.

Textus expressus, de quo Regula, est *in Cap.* 50. *De Conf.* Dist. I. quæ ad propositum faciunt verba hæc sunt: „ Solent plures, qui se jejunare putant, qui in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenùs jejunare credendi sunt, si antè manducaverint quàm vespertinum celebretur Officium; concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemniis ad cibum accedendum. Si qui necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina hora... jejunium solvat „.

Ex relato loco videre est: I. Non ex consilio, sed ex Præcepto vespere solvendum fuisse Jejunium: II. Præceptum hoc ita ligasse, ut qui hanc præveniebant horam non jejunare dicerentur. III. Qui ne Officiis adessent legitimè impediti, ut vespertinam horam expectarent adstrictos fuisse.

REGULA XI.

Textuum, ex quibus certò colligitur solvendi Jejunii hora, duplex est genus, nempè 1. Illi qui de Missis vespertinis loquuntur: 2. Illi quoque qui Ordinationes Sacras fieri vel faciendas vespere docent.

Patet Regula, tùm ex eo quod Missarum Vespertinarum alia afferri nequeat ratio, quàm ex Jejunio vesperè solvendo desumpta, tùm ex eo etiam quod propter id solum vespertina hora Ordinationes faciendæ sunt, & fuerunt, quia & die Jejunii, & à Jejunis, & in Missâ faciendæ sunt & fuerunt.

Dici non potest, per Vespertinas Missas intelligi posse defunctorum Missas, quas vespere celebrare necessitas quandoque cogebat; nam I. Pro defunctis celebrare pransis Sacerdotibus vetuit *Concilium* Africanum *ann.* 424. Cujus rei fidem facit *Cap* 49. *De Conf.* Dist. I. in quo prædictum Concilium,

ut pomeridiano tempore pro defunctis etiam Episcopis commendatio solis Orationibus fiat, si qui facturi sunt, pransi inveniantur.

II. Quæ circa Vespertinas Missas præcipiuntur, defunctorum Missis non conveniunt, sicut ex citandis Textibus mox patebit.

Objiciet aliquis *Caput* 48. *De Conf.* DIST. I. in quo hora tertia Missæ celebrari præcipiuntur, excepto Nativitatis CHRISTI die; sed vana est hujusmodi Objectio, nam 1. Ex supposita THELESPHORO Epistola Textus hic desumitur. 2. Post horam tertiam celebrare non vetat, sed tantùm antè illam horam.

REGULA XII.

Qui de Vespertinis vivorum Missis loquuntur Textus hi sunt.

Caput 15. *De Conf.* DIST. V. *ex Concilio* AGATH. desumptum, in quo Concilium præcipit, ut in conclusione Missarum Vespertinarum post Hymnos Capitula de Psalmis dicantur.

Etsi GRATIANI dicta Textûs vim non habeant, inter Textus tamen recensere licet illa, quæ de temporis sui usu dicit, idcirco allato Textui paragraphum *In Jejuniis De Conf.* DIST. I. *Cap.* 50. subjunctum assuemus; in hoc autem Paragrapho GRATIANUS testatur in Jejuniis, tàm Quatuor Temporum, quàm Quadragesimæ circa vespertinas horas Missarum solemnia inchoata fuisse, Sabbatho verò Sancto circa noctis initium.

REGULA XIII.

Textus, qui faciendas vespere Ordinationes docent, sunt.

I. *Caput* 4. DIST. LXXV. in quo S. LEO *ann.* 446. hæc habet: „ Non omnibus passim diebus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbathi ejus noctis, quæ lucescit in prima Sabbathi exordia, consecrandi eligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis & à jejunantibus Sacra Benedictio conferatur „.

Idem S. LEO *Cap.* 5. *ead.* DIST. vespere Sabbathi Ordinationem faciendam adeò agnoscit, ut hac de causa die Dominico, quo fieri debet, illam fieri dicat.

II. *Caput* 7. *ead* DIST. in quo GELASIUS *ann.* 492. sic loquitur: „ Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, *id est* quarti mensis, septimi, decimi, Jejunio, sed & etiam Quadragesimalis initii, & medianæ hebdomadæ, & Sabbathi Jejunio circa Vesperam noverint celebrandas „.

III. *Cap.* 12. DIST. LXXVI. in quo PELAGIUS *an.* 556. PETRO *Episcopo* PONTINO scribens, præcipit, ut Diaconus in Episcopum electus Sabbatho magno post horam Baptismi ordinetur, ac consequenter non nisi post Solis occasum, cùm ad id usque temporis Baptismi solemnis administratio durare soleret.

IV. *Caput* 13. *De Tempor. Ordinat.* in quo INNOC. III. Ordinationem, quæ continuato Jejunio manè diei Dominici fit, ad Sabbathum pertinere ostendit, idque ex eo quod Jejunii continuatione, vel Sabbathi Vespera ad diei Dominici manè, vel manè diei Dominici ad Sabbathi Vesperam trahatur; hic autem de solâ Sabbathi Vespera meminit INNOC. quia vespere tantùm Ordinatio fiebat, continuabatur Jejunium ad mane diei Dominici, quando eo usque continuanda erat Ordinatio.

V. Cùm de re facti agatur, atque in ea testimonium fide dignum è Corpore Juris desumptum adhibere sufficiat, allatis Textibus quod circa eamdem rem dicit GRATIANUS afferri potest, hæc autem habet: *§. Cæterorum.* DIST. LXXV. „ Ordinationes, maximè Sacerdotum & Levitarum, non nisi certis diebus & temporibus fieri debent, vespere videlicet Sabbathi, vel mane diei Dominici continuato Jejunio „.

REGULA XIV.

Vespere solutum tantùm Jejunium adhuc ostendunt Textus quicumque dicunt, vel cœna Jejunium solvi; qualis est *Caput* 13. *De Tempor. Ord.* Vel prandiis jejunium relaxari; qualis *Cap.* 10. DIST. LXXVI. Idem quoque de iis dicendum in quibus hæc vox *pransus* pro ista *non jejunus* sumitur, qualis *Cap.* 49. *De Conf.* DIST. I.

Non obstat iis, quæ dicta sunt de necessaria ad Jejunium refectionis unitate. *Cap.* 20. *De Conf* DIST. V. in juncta nota Romani Correctoris PIMENIUS Eremita hæc habet: *Sint tibi Jejunia pura, continua, moderataque*, id est, *quotidie esurire, quotidie prandere.*

Non obstat, *inquam*, quia per *prandium* PIMENIUS intelligit cœnam adeò moderatam, ut prandium dici possit, prandium autem eo tempore refectiuncula erat.

REGULA XV.

Quod de diebus, quibus jejunandum est, dicit S. HIERONYMUS *Cap.* 11. DIST. LXXVI. hoc ad ciborum genus, refectionis unitatem, horamve extendendum est.

De illis diebus autem hæc dicit: *Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & Præcepta Majorum Leges Apostolicas arbitretur.*

REGULÆ RATIO: His in rebus, quod Regioni huic convenit, alii non convenit.

REGULA XVI.

Idem dicendum non est de obedientia Præceptis Ecclesiæ, nec de Oratione, nec de Eleemosinis, nec de abstinentia à peccato, quæ inter necessarios Jejunii comites collocavimus.

REGULÆ RATIO: È Regionum qualitate non pendent hujusmodi res; nam obedientia Ecclesiæ præstanda Regulæ HIERON. fundamentum præcipuum est; Jejunium sine Oratione hypocrysis est, cum jejunans peccatorum veniam petere videtur, quam tamen non petit, nisi oret; Jejunium sine Eleemosinis avaritia est, quia quæ consumerentur, thesaurisantur; Jejunium sine abstinentia à peccato, priorem auget culpam, quia offendens quem Jejunio placare vult, de illius offensa se parùm curare significat, eoque modo priori culpæ contemptum addit.

REGULA XVII.

Ex cæteris circa Jejunia Ecclesiæ Præceptis quædam de sola Quadragesima loquuntur, quædam de Jejunio in se sumpto.

Prioris generis sunt:

I. Uxorem non ducendi; quod in cortice spectatùm id unum præcipere videtur, ne è Patris domo in mariti domum cum pompa traducatur, sed prima illius mens est, ne continentiæ Præceptum tunc vigens violetur.

II. Nuptias non celebrandi Præceptum, quo quoad Literam considerato id tantùm juberi videtur, ne cum solemnitatibus solitis Matrimonium contrahatur, sed eadem illius ac præcedentis mens.

III. Præceptum convivia non faciendi.

Posterioris generis reliqua omnia.

REGULA XVIII.

Etsi Præcepta priora de sola loquantur Quadragesima, quod aliis Jejuniis quoque non conveniant, non indicant.

REGU-

REGULA XIX.

Circa continentiam Jejunio conjungendam Textuum alii adeò distinctè loquuntur, ut dubitari nequeat quin conjunctionem hanc præscribant; alii verò eo modo loquuntur, ut aliter illos interpretari liceat.

Qui collocentur in prima Classe alii non sunt, quàm *Canones 3. & 6* Caus. XXXIII. Quæst. IV. In priore juncta Correctoris Romani Nota Ambrosius de diebus Jejuniorum loquens dicit: „ Fratres, non solùm debetur ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus studiosissimè „ contineatis „. *Summa Autor* hunc locum ita interpretatur, *diebus Jejuniorum à propriis uxoribus abstinere oportet.* In prædicto loco referendo postrema illius verba, utpote aliud nihil dicentia, quàm præcedentia, omissa sunt, hæc autem sunt: *Nullus omninò Uxori suæ Jejuniorum diebus conjungatur;* illa in eodem Sermone ac præcedentia non haberi, nempè in Sermone de Adventu Domini, sed in Sermone de Quadragesima legi juxtà Correctoris Romani Notam; undè patet Gratianum more suo ex duobus locis unum eumdemque Textum conflcisse, non citato posterioris fonte.

Prædicti Sermones quamvis S. Ambrosio suppositi essent, quod illic circa continentiam Jejuniorum diebus servandam docet, ipsi falsò non tribueretur, cùm aliis locis eadem doceat, nempè *Sermone 37.* qui si falsus quoque esset, verùm remaneret, quod tempore suppositionis, quæ haud dubiè antiqua est, continentia Jejunio conjungenda credebatur.

In eadem Classe collocatus quoque *Can. 6.* hæc habet: „ Qui in castigatione victus se dicit, agere pœnitentiam, frustrà hoc Sermone promittit, nisi „ de cubili egrediatur & continentiam Jejunio jungat „. Tribuitur hic locus Chrisostomo à Gratiano, sed ad S. Hieronymum in *Cap. 1.* pertinere Pithæus notat.

Posterioris generis sunt *Canon.* 4. & 5. *ibid.* Desumuntur ex Hilario *Diacono in Epistolam primam ad* Corinthios. Ab usu conjugii dies processionis excipit, quos in *Canon.* 4. à diebus Festis expressè distinguit: Per illos autem dies, quid aliud intelligere potest, quàm dies Cœtus Sacri, aliis diebus quàm Festivis, convocati, quorum numero Jejuniorum dies includuntur? Hos autem dies Hilarium intelligere patet ex continentiæ servandæ causâ, quam affert *Can. 5.* nempè *à licitis abstinendum esse, ut faciliùs impetrari possit, quod postulatur;* His enim verbis palam facit de Orationum diebus se loqui, ac consequenter etiam de Jejuniorum diebus, qui inter Orationum dies collocantur: Per Orationes autem, quibus vacaturi, antea continere debebant, publicæ intelligendæ sunt, quibus continentia præmittenda erat, tùm quia Divus Paulus faciendum id ita esse dixit. I. *Cor.* 8. Tùm quia variis in Regionibus ex antiquo more Ecclesiam, intra quam illæ Orationes fiebant, post usum conjugalem statim ingredi non licebat; sed priùs & lotio adhibenda, & post lotionem aliquod temporis spatium transigendum erat, *Cap. 7.* Caus. XXXIII. Quæst. IV.

REGULA XX.

De Præcepto non cædendi, nec jurgandi unus tantùm extat Textus ex citato Hilario desumptus. Hujus autem hæc sunt verba: „ Secundum Legem, *in Jejunio cædere & jurgari non licet,* „ Isaiæ *Cap.* 58. *ỳ.* 3. postea licet, quia major reverentia causis Dei debetur „.

Judiciorum duo genera cùm sint, nempè criminale & civile, utrumque hic Jejuniorum diebus interdicitur, cujus prohibitionis causa additur, nempè ad rebus Divinis vacandum id temporis deputatum esse.

REGULA XXI.

A Præceptis Jejunii quidam dies eximuntur.

REGULA XXII.

Ex iis, qui aliàs vel etiam nunc exempti sunt, non alii in Jure notantur, quàm isti.

I. Dies Dominicus tàm apud Græcos, *Can. 65.* Apostol. quàm apud Latinos. *Cap.* 14. 15. *De Conf.* Dist. III. *Cap.* 1. 2. *De Observat. Jejun.*

II. Sabbathum apud Græcos omnes, *Can. 65.* Apostol. & apud nonnullos Latinos, idque quoad quædam tantùm sæcula. *Cap.* 9. *De Conf.* Dist. III.

III. Alicubi Feria quinta. *Cap.* 14. *De Conf.* Dist. III. *ex Epistola* Malchiani *supposita, in margina notatur ad* Eusebium *Emissinum hoc Caput pertinere.*

IV. Quinquagesima post Paschs. *Cap.* 8. Dist. LXXVI. in eo Ambrosius indistinctè dicit, illam ut Dominicum à Jejuniis eximi, quia pro die Dominica habetur, ideoque ad utramque Ecclesiam Ambros. locus extendi potest.

V. Quibus Majores Festivitates occurrunt. *Cap.* 31. *De Conf.* Dist. V. *Cap.* 3. *De Observat.* ut autem eo privilegio gaudere queant, eo ordine in Kalendario collocatæ sunt, ut nec die Jejunii occurrant, nec Jejunium iisdem cadere possit.

REGULA XXIII.

Ex devotione, ex voto simplici, ex observantia Regulari ubique licet. *Cap.* 3. *De Observat.* Aliasque licuit, modo non ex errore quem jejunare constaret. *Cap.* 17. Dist. XXX. *juncta Correctorum Romanorum Nota.*

REGULA XXIV.

Si Rogationes propter operum omnium cessationem Festi dies verè aliàs fuerunt, Jejuniumque iis diebus servandum perfectum fuerit, in illis vetus perfecti Jejunii cum Festivitate conjunctionis exemplum habemus.

Colligitur ex *Cap.* 3. *De Conf.* Dist. III. in quo *Concilium* Aurelian. *ann.* 511. cessationem omnium operum toto Rogationum triduo, Jejuniumque præcipit.

REGULA XXV.

Quicumque Textus Jejunia perpetua constituendi potestatem alicui tribuunt, eidem quoque temporanea indicendi facultatem vindicant.

Regulæ Fundamentum: Plus continet quod est minùs.

REGULA XXVI.

Jejunia indicere Episcopis nullus Juris Textus prohibet; è contra extant, qui Episcopos id posse clarè testantur.

REGULA XXVII.

Hujusmodi sunt quicumque indictorum ab Episcopis Jejuniorum exempla habent, hi autem non pauci sunt.

REGULA XXVIII.

Prædictorum exemplorum duplex genus; Alterum illorum, quæ ab Episcopis seorsim sumptis indicta

dicta sunt: Alterum illorum quæ Episcopi in Concilio Particulari congregati præceperunt.

Exempla primi generis habes in *Capite* 1. DIST. LXXVI. quod non ex CALIXTO, sed ex ATTONE *Vercellensi* Episcopo desumitur, quæ enim CALIXTO I. falsò tribuit, ut ab ATTONE verè Præcepta refert THOMASSINUS *in Tractatu De Jejuniis Part.* 2. *Cap.* 18. hæc autem sunt: „ Jejunium „ quod ter in anno apud nos celebrari didicistis, „ nunc per Quatuor Tempora fieri dicimus, ut si„ cut annus per quatuor volvitur tempora, sic & „ nos juxtà ZACHARIÆ vocem &c„. Quibus verbis ATTO *Vercellensis* contra Ecclesiæ suæ usum triplici Jejunio quartum addit.

Non obstat Jejunium illud jam celebratum fuisse per totam ferè Occidentis Ecclesiam: non enim ideò erga Ecclesiam VERCELLENSEM minus novum est.

Ejusdem generis videtur quod *Capite* 17. *De Cons.* DIST. III. dicitur; illius autem hæc sunt verba: „ Jejunia in Ecclesia à Sacerdotibus constituta „ sine rationabili necessitate non solvantur„. GRATIANUS EUSEBIO Papæ tribuit; ex *Capitularibus* desumi PITHÆUS arbitratur; sed quidquid sit de Authore, certum est citatum Textum de Jejuniis ab Episcopo indictis intelligi posse.

Ejusdem quoque generis est *Cap.* 8. DIST. LXXXVI. in quo S. AMBROSIUS sic loquitur: „ Per hos quin„ quaginta dies, nempè Paschæ, nobis est jugis & „ continuata Festivitas, ita ut hoc omni tempore „ neque ad observandum indicamus Jejunia„. Quibus verbis AMBROSIUS clarè significat Episcopos quidem indicendi Jejunia potestate gaudere, sed tempore Paschali illa non uti.

Posterioris generis exempla habes: I. In *Cap.* 3. *De Cons.* DIST. III. in quo *Concilium* AURELIANENSE I. Jejunium triduanum indicit.

II. In *Capite* 9. *De Cons.* DIST. III. in quo *Concilium* AGATHENSE Quadragesimæ Sabbatha apud Gallos à Jejunio antea exempta Jejunio subjicit.

III. *In Capite* 2. DIST. LXXVI. in quo *Concilium* MOGUNTINUM ignota Gallis & Germanis Quatuor Temporum Jejunia apud illos statuit.

IV. In *Capite* 1. *De Cons* DIST. III. in quo *Concilium* LUGDUNENSE præcipit ut indictum Jejunium quando denunciatum fuerit, ab omnibus observetur: Quod de Jejunio ab illo Concilio indicto dictum est, de aliis ab Episcopis simul vel seorsim sumptis indicendis intelligi potest.

REGULA XXIX.

Quicumque Textus ex Consuetudine particulari nonnulla Jejunia pendere docent, circa indicenda Jejunia Episcoporum potestatem confirmant.

REGULÆ RATIO: Ab Episcopis vel seorsim sumptis, si Diœcesim non transgrediantur, vel simul conjunctis, si per totam Provinciam extendantur, Consuetudines particulares suam habent vim.

Quid autem circa Jejunia indicenda Consuetudo possit, patet ex *Cap* 2. *De Observatione Jejunii*, in quo circa Jejunia servanda vel non servanda ad Consuetudinem INNOCENTIUS III. pluries remittit; interrogatus enim an Singulæ Apostolorum Vigiliæ jejunandæ sint? An Festum S. BARTHOLOMÆI celebrandum? Ac consequenter an illius Vigilia jejunanda? An in Adventu Domini jejunandum quoque sit? His omnibus respondet, Ecclesiarum Consuetudines servandas esse; Romæ singulas Apostolorum Vigilias jejunari, præter Vigilias PHILIPPI, JACOBI, & JOANNIS Evangelistæ, tempore quo jejunare non decet occurrentes (sic in antiquis refertur hæc Responsio) jejunari; insinuans eam ob causam ibi jejunandum esse, alibi verò si consuetum non sit jejunandum non esse: Circà BARTHOLOMEUM Regionis Consuetudini standum.

Dici non potest de peculiaribus Jejuniis indicendis eo in Textu non agi, sed de servandis vel non, quæ ab Ecclesia Universali jam diu statura sunt. Nam 1. Vigiliæ, quæ in quibusdam Regionibus jejunabantur, in aliis verò non; in illis ob id solùm jejunabatur, quia ab Episcopis aliàs indictum erat Jejunium; in istis verò non jejunabatur, quia Jejunium indictum non fuerat. 2. Ponamus Jejunia, quæ alicubi servabantur, alibi verò non, ab Ecclesia Universali aliàs indicta fuisse, & propter non servandi Consuetudinem ita abrogata fuisse, ut servandi obligatio extincta sit: Hinc circa indicendum Jejunium Episcopi potestas non minùs elucescit, cùm ad abrogandam Legem Universalem in aliqua Regione non minor requiratur potestas, quàm ad Particularem in illa condendam Legem.

REGULA XXX.

Ex Episcopi circa indicenda Jejunia potestate illius circa illa dispensandi facultas rectè colligitur.

Regulam stabiliunt Textus quicumque ostendunt ejusdem esse solvere & ligare.

Idcirco hanc in Episcopo agnoscit potestatem INNOCENTIUS III. Cap. 1. *De Observat. Jejun.* in fine Archiepiscopo BRACHARENSI cui scribit dicens: *Infirmorum, esum carnium petentium, in solemnibus Ecclesiæ Jejuniis, desiderium supportare posse.*

REGULA XXXI.

Probata Juri circa Jejunia dispensandi causa, non alia in illo legitur quàm necessitas, non qualiscumque, sed urgens.

Infertur ex *Cap.* 16. *De Cons.* DIST. V. & ex *Cap.* 2. *De Observatio. Jejunii*, in utroque inter necessitatis exempla infirmitas collocatur; sed ne qualemcumque infirmitatem sufficere quis putaret, in Secundo INNOCENTIUS III. monet eam esse debere ut urgens sit Jejunii solvendi necessitas, majusque quàm infirmitatis augmentum, periculum vitandum. In Secundo aliud necessitatis exemplum memoratur, quæ manifestè talis est, ut pro urgenti habendam nemo non videat; hæc autem est tantæ famis inedia ut propter annonæ inopiam populi Pars magna pereat.

Transcriptos necessitatis casus pro exemplis adduximus, ut alios in quibus urgens necessitas à viris probis prudentibusque inesse æstimatur, excludere nolle indicaremus.

REGULA XXXII.

In concedenda debilibus, infirmisve Dispensatione, Regionum Consuetudinis habenda est ratio, ita tamen ut illis periculum non emergat. *Cap.* 2. *De Observat. Jejun.*

Hinc in Regionibus, in quibus propter debilitatem caro sumi non consuevit, & si quis sumat, ab aliis molestè feratur, & indè illis occasio detrahendi; major necessitas requiritur, difficiliùsque dispensandum est.

REGULA XXXIII.

Textus Juris plures extant, qui Jejunia immoderata, seu quibus mors evidenter acceleratur, damnare videntur; nonnulli è contra extant ex quibus illa Jejunia excusari possunt.

Prioris generis sunt *Cap.* 18. *De Cons* DIST. V. in quo HIERONYMUS hæc habet: „ Non dico heb„ domadas, non duplicata, non multiplicata Jejunia, „ sed

„ sed per singulos dies absque ciborum luxuria tran„ sigamus.

Caput 19. *ead.* DIST. in quo idem HIERONYMUS sic loquitur: *Sint tibi quotidiana Jejunia.*

Caput 20. Idem HIERONYMUS dicit: *Sint tibi Jejunia quotidiana, moderataque, id est quotidie esurire & quotidie prandere*: Apostolus inquit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico utere vino propter infirmitates tuas, curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat Jejunium*; habetur in Vitis Patrum juxtà Cotelerios Romanos. PIRNENIUS apud S. HIERONYMUM ad NEPOTIANUM hæc tantùm habet: *Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, non superstitiosa Jejunia*: Superstitiosa autem fortè dicuntur, quæ veræ Religioni, quâ nemini seipsum necare licet, adversari videntur.

Cap. 24. *Ead.* DIST. in quo idem HIERONYMUS damnat illos, qui mentis, corporisque saluti nocent per immoderatam abstinentiam, aut amentiæ aut tristitiæ notam incurrentes.

Cap 32. *ead.* DIST. in quo FRUCTUOSUS Monachis perpetuam abstinentiam præcipiens ægrotos excipit.

Posterioris generis est *Cap.* 21. *ead.* DIST. in quo S. AMBROSIUS hæc habet: *Contraria studiosè sunt Divinæ cognitioni Præcepta Medecinæ: à Jejunio revocant.*

Canon 4. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo HIERONYMUS dicit: *Monachus plangentis habet Officium, qui vel se, vel Mundum lugeat, & Domini pavidus præstolatur adventum.*

Canon 8. *ibidem*, in quo EUGENIUS Papa dicit: *Quod Monachus idem sit quod unus tristis.*

Quod autem hinc excusentur immoderata Jejunia, patet; nam si Medicorum, qui à Jejunio revocant, Præcepta non sunt audienda, qualescumque sint Medici, indistinctè enim loquitur, oportet ut immoderata, quæ ab ipsis prudentioribus Medicis damnantur Jejunia, licita sint.

Si perpetuo planctu, tristitiaque, quales esse debent planctus & tristitia Monachorum, corporis salutem lædere licet, quidni immoderatis Jejuniis id facere licebit?

Si Medici audiendi non sunt, quia illorum Præcepta Divinæ cognitioni contraria sunt, quidquid huic cognitioni contrarium est, rejiciendum est, quidquid conforme amplectendum; immoderatis ergo Jejuniis vacandum, quia maximè quadrant cum Divina cognitione, quâ misera hæc vita contemnitur, ut beata comparetur; quâ Divus PAULUS dicebat se cupere dissolvi, ut esset cum CHRISTO, ut sibi Christum vivere sic mori lucrum; se propter Legem mortificari tota die, se ex gloriæ Divinæ zelo, quæ ex Judæorum salute proventura erat, optasse pro fratribus anathema fieri, *id est*, morti sicut & execrationi destinari; animam suam seipso pretiosiorem non facere, omnia propter CHRISTUM tamquam stercora arbitratum; vitam hanc exilium sibi reputari, aliaque non pauca, quibus quàm flocci faceret vitam, significabat.

Quæ cùm ita sint, quomodo Jus ipsum sibi constabit? Si immoderata excusat, qua ratione damnat? Si condemnet, qua ratione probat? Utrumque tamen facit, & justè facit; immoderatum quod ex proprio motu, soloque carnis ductu Jejunium suscipitur, justè damnatur; immoderatum quod ex Divino instinctu à Prælatis ut Divino aguito, Jejunium quis amplectitur, non immeritò approbatur; si enim ex tali instinctu Virginibus sese necare licuit, ut se puras CHRISTO conservarent; si aliis Martyrio sese offerre licuit, quidni ex eodem motu pœnitentiæ austeritate & immoderato Jejunio mortem accelerare licebit?

REGULA XXXIV.

Præcipuis diebus, quibus jejunabatur, ne jurare, tur, nisi pacis causa, vetitum erat. *Cap.* 17. CAUS. XXII. QUÆST. V. in quo *Concilium apud* S. MEDARDUM *ann.* 853. erga Adventum, Quadragesimam & Quatuor Tempora id prohibet.

REGULA XXXV.

Ex eo quod diebus Jenunii apud Græcos non offerebatur, colligi non potest Communionem Sacram à Jejunio sejunctam apud illos fuisse.

Regula patet ex eo quod quibus diebus non offerebatur præsanctificatorum Missa celebrabatur; Missa autem hæc, Consecratione excepta præsertim, quoad Communionem, eadem erat ac Missa communis. Canones qui in Ecclesia Græca diebus Jejunii non oblatum fuisse docent, sunt *Can.* 9. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. in quo *Concilium* LAODICENSE intelligendum dat in Quadragesima Sabbatho tantùm & Dominico oblatum fuisse; *Caput* 11. DIST. XII. in quo AUGUSTINUS dicit: *Alicubi Dominico & Sabbatho dumtaxat sacrificati*, quod de Græcis intelligi solet, & ad dies Jejunii restringi.

REGULA XXXVI.

Quicumque Textus quotidianam Communionem alicubi viguisse ostendunt, ibidem Communionem Jejunio conjunctam quoque comprobant.

Qui usum hunc attestantur Textus, hi sunt *Cap.* 13. 14. *De Conf.* DIST. II. Cap. 11. DIST. XII. illis autem adjici possent *Capita* 10. & 18. *ead.* DIST. *Can.* 9. APOSTOLORUM, si in Regionibus, in quibus quicumque Sacrificio aderant, communicare tenebantur, quotidianum Sacrificium fuerit, illique assistere Fideles quoslibet oportuerit, quæ ita sese habuisse alicubi verisimillimum est. Ex citatis Canonibus quidam Orientalem, quidam Occidentalem Ecclesiam spectant.

REGULA XXXVII.

Qui diebus Jejunii ratione Jejunii communicari præceperit, vel vetuerit, Textus nullus Juris extat.

Non obstat *Cap.* 17. *De Conf.* DIST. II. quod die Cœnæ Domini communicare præcipit; nam præterquam quod suppositititius est hic Textus, utpote ex *Epistola* SOTERI supposita desumptus, Communio ibi non præcipitur, ut Jejunio conjungatur, sed ut hinc Eucharistiæ Institutionis memoria honore congruo celebretur.

REGULA XXXVIII.

De nonnullis actibus in Jure prohibetur; ne ab aliis quàm à jejunis fiant, hi autem sunt Missæ Celebratio, Communioque Sacra. *Cap.* 49. *De Conf.* DIST. I. *Juramentum. Cap.* 16. CAUS. XXII. QUÆST. V. idque ob debitam rei Sacræ super qua juratur reverentiam; Confirmationis Administratio, Susceptioque. *Cap.* 6, 7. *De Conf.* DIST. V.

REGULA XXXIX.

Peculiaris cuidam Ecclesiæ Jejunii nullum in Jure habemus exemplum, præter Rogationum Jejunium, si verè Jejunium fuerit & in ortu suo consideretur.

Colligitur Regula ex eo quod alius Juris Textus nullus sit quàm *Cap.* 3. *De Conf.* DIST. III. in quo peculia-

peculiaris cuidam Ecclesiæ Jejunii mentio fiat, Textus autem hic de Rogationibus loquitur, de quibus dubitatur an verè jejunatæ fuerint, & quas certum est VIENN. Ecclesiæ, quæ illas instituit, nec Ecclesiæ AURELIAN. quæ ad illius imitationem pariter præcepit, diu peculiares non fuisse. *Vide* Notas BINII subjunctas *Epistolis* HILAR. Papæ ubi probat antiquis testimoniis MAMMERTUM VIENN. Ecclesiæ Episcopum in medio sæculi V. non instituisse Rogationes, sed restituisse longè antea in Galliis institutas, ac successu temporis neglectas. CONCIL. TOM. IV. *p.* 1047.

REGULA XL.

Monachis peculiaria Jejunia alia sunt Perfecta, alia Imperfecta: Priora in unica refectione, cibisque pœnitentiæ convenientibus posita sunt: Posteriora in sola à carne abstinentia posita sunt.

REGULA XLI.

De Perfectis Monachorum Jejuniis loquitur *Caput* 10. DIST. LXXVI. in quo ISIDOR. de Sanctis ANTON. & PAULO dicit, per Quinquagesimam à Lege Jejunii exemptam in Eremo abstinuisse, nec alia solvisse abstinentiam quàm die Dominica.

Canones quicumque de quotidianis Jejuniis mentionem faciunt, quales *Capita* 18. 19. 20. *De Cons.* DIST. V. in quibus S. HIERONYM. & Abbas PIMEN. ad continua, quotidianaque Jejunia Monachos hortantur, dummodo refectio cujusque diei, nec nimia sit, nec minor quàm ut sustentandis viribus par sit.

REGULA XLII.

Imperfecta Monachorum Jejunia respiciunt *Caput* 32. *De Cons.* DIST. V. Caput 6. *De Statu Monach* in Cap. 32. FRUCTUOS. *an.* 656. hæc habet: ,, Carnem cuiquam Monacho nec sumendi, nec ,, gustandi concessa est licentia, non quod creatu- ,,ram Dei judicemus indignam, sed quod abstinen- ,,tia utilis & apta Monachis æstimetur, servato ta- ,,men moderamine pietatis erga ægrotos; quod si ,, quis violaret & contra sanctionem, Regulam, usum- ,, que veterum vesci carnibus præsumpserit, sex men- ,, sium spatio retrusioni & pœnitentiæ subjacebit, ,, servato tamen pietatis moderamine erga ægrotos.

In relato Textu multa sunt notanda I. Desumitur hic Textus ex Regula FRUCTUOSI.

II. Qui carnis esum damnarent extitere Hæretici, contra quos *Concil.* GANGRENSE Canonem hunc condidit: ,, Si quis carnem manducantem ex fide cum Reli- ,, gione, præter sanguinem & Idolo immolatum & ,, suffocatum, crediderit condemnandum, tamquam ,, spem non habentem, qui eam manducat, Ana- ,, thema sit ,,.

Ne ergo quam facit Monachis carnis manducandæ prohibitio prædicto errore inspersa videretur, prohibitioni veras illius causas adjicit, nempè *provenientem indè Monachis utilitatem & veterum usum.*

III. In quavis Ecclesiæ Lege circa abstinentiam infirmi, ægrotique, excipiuntur, & præcepta ab Ecclesia abstinentia ad tempus tantùm est ac plerumque brevissimum.

Excipiendi ergo erant ægroti à perpetua abstinentia, quæ ipsis præcipiebatur, idque quantum illorum ægritudini & Monachali statui conveniebat; quapropter prohibitioni subjungitur, servato tamen pietatis moderamine erga ægrotos.

IV. Ut ex pœnæ gravitate, quàm gravis esset in Monacho extra permissos casus carnis comestio; conscius culpæ hujus Monachus per sex menses retruditur, pœnitentiæque subjicitur.

In *Capite 6. De Statu Monach.* INNOC. III. hæc præcipit: ,, In refectorio nullus omniò carne vescatur, nec in quibusdam solemnitatibus, sicut ali- ,, quando fieri consuevit, Conventus exeat cum ,, Abbate paucis ibi relictis, ut extra refectorium ,, edant carnes, cum illis diebus præcipuè Regularis ,, Disciplina sit studiosiùs observanda ,,. *Abbati & Conventui* SUBLOCENSI *scribit ann.* 1213.

REGULA XLIII.

Per simplicia Jejunia unius diei tantùm Jejunia intelliguntur; quævis Ecclesiæ Lex circa Jejunia de simplicibus loquitur. Illorum expressè meminit Nota Correctorum Romanorum in *Caput* 2. *De Cons.* DIST. III.

REGULA XLIV.

Jejunia non simplicia sunt, quæ per plures dies continuantur; illorum alia sunt duorum dierum, & dicuntur *Duplicata*; alia plurium quàm duorum dierum, infrà tamen hebdomadam & dicuntur *Multiplicata*; alia totius hebdomadæ. De triplici hoc non simplicium Jejuniorum genere meminit *Caput* 18. *De Cons.* DIST. III.

SECTIO XVII.

De Statis cujusvis hebdomada Jejuniis, Semijejuniisve, Regula è Corpore Juris Canonici desumpta.

Per Semijejunia abstinentiam à carne pluries in die comedendi, bibendique facultati conjunctam intelligimus, cùm ergo abstinentiam hanc cum Jejuniis perfectis communem habeant, idcircò de Jejuniis agentes de Semijejuniis aliquid dicendum operæ pretium duximus.

In legendis sequentibus Regulis attendendum: I. Quæ origo Semijejuniorum? II. Discrimen inter illa? III. In quo differant Græci à Latinis, & Latini inter se, necnon ratio cujusque differentiæ: IV. Quæ usus mutationes, earumque causa? V. A quo tempore præcepta sunt Lege scripta? VI. Quid sentiendum de præcepto abstinentiæ Sabbatinæ, & quomodo solvantur dubia circa illud? VII. An par sit obligatio cujusque Semijejunii? VIII. Quæ observanda circa Rogationes & Lætaniam majorem, quæ ad Semijejunia pertinet, ubicumque viget abstinentia carnis his diebus?

REGULA I.

De abstinentia à carne, prout à Jejunio sejuncta est, quacumque die ab Ecclesia præcepta fuerit, per plura sæcula iisdem diebus ex devotione antea servatam, atque ex illa devotione Consuetudinem natam, & ex Consuetudine scriptam Legem, certissimum est.

Ex citandis Textibus Regula patebit, in iis enim prædicta abstinentia ante servata quàm ulla Lege præcepta videbitur, hujusmodi autem Consuetudines ex devotione oriri solent.

REGULA II.

Circa prædictam abstinentiam Ecclesiæ præceptum multominùs ligat, quàm votum simplex, observantiaque Regularis. *Caput* 2. *De Observat. Jejun.* in quo illud cedit majori Festo, votum verò non cedit.

REGULA III.

In aliqua Occidentalis Ecclesiæ parte quolibet cujusvis hebdomadæ die Mercurii ex Ecclesiæ præcepto jejunatum fuisse nullus Juris Textus demonstrat, secùs de abstinentia à carne.

Regulæ Pars Prior pro certa habenda donec quid adversum sese offerat.

Posterior

Posterior ex *Capite* 11. *De Conf.* Dist. III. desumitur, in quo Leo IV. *anno* 850. Episcopis Britanniæ scribens, vetustissimum Ecclesiæ Britanniæ à carne abstinendi usum die Mercurii quolibet probat his verbis: „ De esu carnium apud vos vetustissima „ & non improbanda traditio semper est tenenda, „ ut à Cænæ termino quæ fit in principio noctis quar- „ tæ Feriæ quæ lucescit in quarta Feria, usque ad „ diluculum quintæ Feriæ ...... Jejunatio protenda- „ tur „. Quibus ex verbis colligi posse videtur, abstinentiam hanc toto die & sesquialtero durasse, cum per diluculum principium diei naturalis intelligi soleat: sed fortè hoc in loco principium noctis quintæ Feriæ illius diluculum vocatur, sicut & principium noctis quartæ Feriæ illius diluculum esse insinuatur, dum de illo dicitur quod in quarta Feriâ lucescat.

REGULA IV.

Quoad Ecclesiam Orientalem, die Mercurii qualibet hebdomadâ jejunatur, idque in detestationem criminis Judæ quod eo die inceptum fuerat; Jejunium autem non ex devotione, sed ex præcepto servatum fuisse ex ipso Jure certum est, sed quandiu usus hic duraverit, ex eodem Jure disci non potest.

Ex *Capite* 16. *De Conf.* Dist. III. Pars Prior Regulæ colligitur; in eo enim S. Appollonius Abbas inter legitima Jejunia diei Mercurii Jejunium collocat, illudque non solvendum dicit, solventem verò sine justa necessitate eum Juda Christum tradere videri.

Citatum *Caput inscribitur* Ex dictis sancti Apollonii *in Nota Correctorum Romanorum*, *Caput hoc apud* Palladium *in Vita illius Abbatis haberi dicitur.*

Posterior ex eo colligitur, quod de ea re nullus alius Textus, & prædictus de Jejunii hujus duratione non meminerit, sed tantùm significat exeunte sæculo IV. extitisse qui Jejunium illud solvendum doceret, ideoque oportuisse ut sanctus Abbas relato modo ad illud servandum Jejunium hortaretur.

REGULA V.

Circa statum diei Mercurii Jejunium, vel Semijejunium, aliud nihil habemus in Jure quàm quod hactenus relatum est.

Indè pauca de eo dicere cogimur, quod provenit haud dubiè quod rara sese obtulerit de illo loquendi ansa.

REGULA VI.

Diem Veneris qualibet hebdomadâ Romæ jejunatum, idque propter Passionem Domini, quæ ut Feriâ sextâ contigit, sic eadem Feria memoratur, certum est.

E *Capite* 13. desumitur; in eo Innocentius I. Jejunandum die Sabbathi probat ex eo quod die Veneris jejunatur, isto verò die propter allatam causam jejunandum; cui causæ aliam quæ ad priorem reducitur addendam insinuat, nempè quod Passionis die Apostoli jejunarint; illud *Caput* Innocentius scribebat *anno* 416. tanquam de re jam usitata de prædicto Jejunio loquitur.

REGULA VII.

An verò alia in parte Ecclesiæ Occidentalis prædictum jejunium servatum fuerit, an Romæ diu duraverit, ex nullo Juris Textu cognosci potest.

Patet Regula ex eo quod Textus qui illius meminerit Jejunii, quoad Occidentalem Ecclesiam, nullus alius extet quàm adductus, in isto verò aliud nihil ad propositum faciens quàm quod notatum est, habeatur.

REGULA VIII.

Certum quoque est memoratum sextæ Feriæ Jejunium in Ecclesia Orientali servatum fuisse, idque saltem sæculo IV. atque ex præcepto.

In *Capite* 16. *De Conf.* Dist. III. id docet S. Appollonius, hujus diei Jejunium inter legitima collocans, addensque cum Judæis Salvatorem crucifigere quicumque absque justa necessitate Jejunium illud solvit.

Ex quo loco colligitur, Ecclesiam Romanam & Ecclesiam Orientalem convenisse tum in Jejunio, tum in præcepto, tum in causa Jejunii & præcepti.

REGULA IX.

Circa statam cujusvis Feriæ sextæ à carne abstinentiam à Jejunio sejunctam Textus Juris nullus sæculo IX. antiquior, is autem omnes Occidentis Ecclesias non respicit; longioris quàm nunc sit, meminit; illumque jamdiu servatum dicit.

Ex eo colligitur Regula quod *Caput* 11. *De Consecr.* Dist. III. omnium qui de prædicta abstinentia loquuntur Textuum antiquissimus sit, is autem sit *anni* 850. solas Britanniæ Ecclesias spectat, desumitur quippe ex Leonis IV. *Epistola* vel Decreto ad *Episcopos* Britanniæ. Cujus meminit abstinentia, à Cænâ quintæ Feriæ ad Sabbathi lucem, & pro cujusque vel devotione vel obligatione, ad majorem illius diei partem, extendebatur, eamque ex vetustissimâ Traditione, quæ cum improbanda non sit semper tenenda est, originem suam habere asserit. Verba hujus Decreti hæc sunt: „ Similiter (loquitur de vetus- „ tissimo à carne abstinendi usu) ut à cæna noctis „ sextæ Feriæ quæ lucescit in sextâ Feria non impe- „ ritè Jejunatio usque ad Sabbathi lucem, quantùm de „ diei parte aliquis jejunare maluerit vel debuerit, „ protendatur „.

Ex eo quod Decretum, cujus posterior pars mox relata est, prior verò suprà, diem de quartæ Feriæ abstinentia definiat, prædictum usum servandum esse conjicere licet, inter Britannos aliquos an servandus esset dubitasse, atque ut dubium hoc tolleretur, Leo IV. consultus definiit illum usum, utpote habentem quæ ad consuetudinem legitimè præscriptam requiruntur, nempè longissimam possessionem quæ per illa verba, *vetustissima traditio*, significatur, & quod rationabilis sit, quæ conditio per istas voces, *non improbanda*, exprimitur, retinendum servandumque esse.

Hoc in Decreto verbum, *debuerit*, si strictè sumatur, ita ut obligationem denotet, de privara obligatione interpretandum, nempè de eâ quæ vel ex voto, vel ex imposita pœnitentia oritur.

Prædictum dubium credendi locum subministrat, usum Ecclesiæ Britannicæ eum aliis sibi communem tunc non fuisse.

REGULA X.

Qui Feriæ sextæ abstinentiam per Universam Ecclesiam Occidentalem servari expressè præcipiat, nullus Juris Textus invenitur, sed tres extant ex quibus colligere est a sæculo XI. jam ubique servatam.

Primus est in *Capite* 31. *De Conf.* Dist. V. in quo Gregorius VII. *anno* 1078. Sabbathi abstinentiam præcipiens, de Feriæ sextæ abstinentia ne verbum quidem habet, istam autem haud dubiè potiùs præcepisset, si jamjam servata non fuisset, cum Feria sexta quàm Sabbatho abstinendi causa longè major sit.

In *Capite* 2. *De Observat. Jejun.* alterum Textum habes, in eo circa abstinentiam Sabbathi dubium

INNOCENTIO III. proponitur *ann.* 1213. qnod circa Feriæ Sextæ abstinentiam quoque propositum fuisset, nisi antiqua jam fuisset illius observantia; ab illo enim Pontifice quæritur, an permittendus carnis esus Sabbatho ipsis debilibus: ad Sabbathum restringitur Quæstio, quia recens in illo abstinendi obligatio, laxiorque quàm quæ Feriam Sextam spectabat.

Tertius Textus est in *Cap.* 3. *eod. Tit. Episcopus* PRAGENSIS HONORIO III. *ann.* 1222. proponit an Feria sexta à carne abstinendum quando eo die CHRISTI Nativitas occurrit, de Sabbatho verò idem non quærit; quod discrimen aliundè proficisci non potest, nisi ex eo quod Feriæ Sextæ abstinentia, utpote antiquior potiorique ratione introducta, strictiùs servanda putaretur.

Ex dictis sequi videtur, Feria Sexta abstinendi Obligationem ex Consuetudine ortam, hanc autem Consuetudinem privatorum devotioni originem debere suam extra dubium est.

REGULA XI.

Sabbatho per annum apud Græcos non jejunatum per quinque Sexve priora sæcula ex ipso Jure constat.

Desumitur Regula ex *Can.* 65. APOSTOLORUM qui ea Lege Sabbatho jejunare prohibet ut Clericum eo die jejunantem deponi velit, Laicum verò excommunicari; Canon autem hic sæculo V. aliis nondum conjunctus erat, cum intra quinquaginta non sit quos DIONYSIUS EXIGUUS exeunte hoc sæculo collectos invenit, eaque de causa in Latinum conversos edidit.

Ex pœnæ gravitate qua Sabbatho jejunans plectitur, inferre licet, Sabbathi Jejunium in Oriente prohibitum, non in corporis levamen, cui sine culpa renunciare quis potest, sed propter aliam causam publicam, cui quilibet volens nolensque suberat. Qui apud Græcos Sabbatho solutum Jejunium senserunt propter Feriæ Sextæ Vigiliam, illos hæc nota jugulat; confictus siquidem voluptatis causa prædictus Canon dici non potest, cum à Græcis Disciplinæ suæ antiquæ non ignaris illiusque amantissimis jamdiu receptus fuerit.

Ex *Cap* 11. DIST. XII. id ita sese habuisse quarto, quintoque sæculo, aliqui colligunt; quod enim in eo AUGUSTINUS dicit, Regiones esse quasdam in quibus Sabbatho & Dominico tantùm offertur, de Græcis intelligunt, ideoque Sabbatho Græcos obtulisse quia non jejunabatur. Si ea fuit Augustini mens, quod dicit ad Quadragesimæ tempus restringendum videtur: certum enim est, ac Augustino ignotum esse non potuit, Festa plurima tum CHRISTI, tum Martyrum, Græcos tunc habuisse in quibus haud dubiè offerebatur.

Ex *Canonibus* 8. 9. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. certiùs colligitur prædictis sæculis Græcos Sabbathum non jejunasse. In iis *Concilium* LAODICENSE, ne natalitia Martyrum in Quadragesima celebrentur prohibens, addit: Sed tantùm Sabbatho & Dominica pro eorum Commemoratione Oblationes offerendas: Ad Sabbathum enim Martyrum Commemorationem non remittit, nisi quia eo die non jejunabatur & propterea offerebatur.

REGULA XII.

Quoad Ecclesiam Occidentalem, ex ipso Jure certum est sæculo IV. & V. Sabbatho Romæ jejunatum, Mediolani verò non jejunatum: circa alia sæcula in illo nihil habetur.

Ex *Cap.* 11. DIST. XII. & ex *Cap.* 1. *De Cons.* DIST. III. Regula depromitur. In priori AUGUSTINUS *ann.* 400. JANUARIO scribens, refert AMBROSIUM à se consultum de Jejunio Sabbathi, respondisse: Quando Romæ sum, Sabbatho jejuno; cum Mediolani sum, Sabbato non jejuno; cujus rei hanc affert rationem, sequendum cuique Ecclesiæ morem in qua est, ideoque quia Sabbatho Romæ jejunatur, ibidem eo die jejunandum; quia vero MEDIOLANI Sabbatho non jejunatur, istic eo die non jujunandum.

In Posteriori INNOCENTIUS I. *ann.* 416. *Decentio* EUGUBINO scribens, Sabbatho jejunandum probat his rationum momentis; Sabbathum inter tristitiam Passionis & lætitiam Resurrectionis inclusum fuisse; Apostolos eo die in mærore fuisse & propter Judæorum metum se occuluisse constat; Apostolos eo die jejunasse adeò extra dubium est ut Traditio habeat, ne eo die Sacramenta celebrentur, quodlibet autem Sabbathum illius imago est, atque ideo in quolibet illius Commemoratio semper celebranda est, eodem plane modo quo qualibet hebdomada Sexta Feria & dies Dominica celebratur.

Tanta cura tot rationes INNOCENTIUS non collegisset, quibus Sabbatho jejunandum ostenderet, ni qui contra sentirent, extitissent. Etsi generales sint hæ rationes, INNOCENTII mens non fuit ut dicto die ubicumque jejunaretur, sed ut justa de causa jejunari crederetur, ubicumque talis est consuetudo, qualis Romæ.

Si ex eo quod Sabbatho jejunaverat PETRUS, ut contra SIMONEM pugnaturus prælio sese præpararet, illo die Romæ jejunandi mos introductus creditus tunc fuisset, illam causam INNOCENTIUS non omisisset.

REGULA XIII.

In Africa, quarto quintoque sæculis, Sabbatho Jejunatum fuisse extant Juris Textus qui ostendant, sed pro cæteris nullus.

Pars Regulæ Prior *Cap.* 23. DIST. XII. desumitur. In eo S. AUGUSTINUS hæc refert: „ Mater mea „ MEDIOLANUM me consecuta invenit Ecclesiam Sab-„ tho non jejunantem: Cæperat fluctuare quid age-„ ret „. Undè enim S. MONICÆ fluctuatio, nisi ex eo quod in Africana Ecclesia ex qua venerat MEDIOLANUM, Sabbatho Jejunabatur. Certè quæ sequuntur, hinc dubium natum ostendunt; AUGUSTINUS siquidem post relatam quam ab AMBROSIO à se hac de re consulto accepit solutionem, nempè non Ecclesiæ è qua quis venit morem sequendum, sed illius ad quam venit, Matri suæ sic loquitur: „ Sic „ etiam tu ad quam fortè veneris Ecclesiam ejus „ morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, „ nec quemquam tibi „. Addisque postea his auditis Matrem suam fluctuare desiisse dicens: *Hoc cum Matri renunciassem, libenter amplexa est.*

REGULA XIV.

In Gallia Sexto adhuc sæculo extitisse, qui Sabbatho per annum non Jejunandum crederent, ex ipso Jure certò colligitur.

Cap. 9. *De Cons* DIST. III. Regulæ veritatem demonstrat. In eo *Concilium* AGATHENSE *ann.* 506. præcipit ut Quadragesimæ Sabbathis etiam Jejunetur; de iis autem diebus mentionem talem non faceret, nisi qui eo die non Jejunandum crederent, in Gallia tunc extitissent: quis enim Quadragesimæ Sabbatis Jejunare recusasset, ut faciebant ii contra quos prædictus Canon conditus est, nisi Sabbatho propter peculiarem huic diei causam, non Jejunandum existimasset.

REGULA XV.

Quicumque Sabbatho alicubi Jejunatum Canones ostendunt, ibidem à carne abstinentiam eo die servatam certissimè probant.

Colligitur ex indubitata omnium Ecclesiarum praxi circa Jejunii cum prædicta abstinentia conjunctionem.

REGU-

REGULA XVI.

E contra qui per ſex priota Eccleſiæ ſæcula Sabbatho alicubi non jejunatum probant, ibidem Sabbatho à carne abſtinentiam non ſervatam oſtendere videntur, exceptis tamen Quadrageſimæ Sabbatbis, ſi ex ſolo Jure hac de re judicetur.

Ex eo colligi videtur Regula, quod per illa ſæcula, extra Quadrageſimam & Rogationes, à Jejunio ſejunctam abſtinentiam fuiſſe, juſtam exiſtimandi cauſam iu Jure non habeamus.

REGULA XVII.

Circa Sabbathi abſtinentiam id peculiare, quod ſcriptâ Lege in Corpore Juris incluſâ præcipiatur.

Ex *Cap.* 31. *De Conſ.* Dist. V. hujuſmodi Legem circa dictam abſtinentiam extare patet, nempè à Gregorio VII. factam; id autem ſibi peculiare ex dictis clarè colligitur.

REGULA XVIII.

De prædicto præcepto Textus Juris ſæculo XI. antiquior nullus extat.

Colligitur ex eo quod citatus Textus unicus ſit, qui Sabbatho abſtinere præcipiat, cæteri enim præceptum ſupponunt: Textus autem citatus è Concilio Generali Romæ celebrato ſub Gregorio VII. *ann.* 1078. deſumitur.

REGULA XIX.

A citato Textu abſtinentiam præcipi, non una ratio ex illo deſumpta demonſtrat.

Infertur I. ex eo quòd prædicti Concilii Decretum ſit, quia Sabbatho in Eccleſiá Romanâ abſtinentia ſemper ſervata eſt; hæc enim habet prior illius Pars: „ Quia dies Sabbathi apud Sanctos Patres noſ- „ tros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorum- „ dem autoritatem ſequentes „. &c. Cur autem Concilium veterem Romanæ Eccleſiæ uſum allegat, niſi ut æquum, convenienſque, quòd præcepturum eſt, probet? Cur etiam Patrum Sanctorum autoritatem indueret, ſi ad rem meri conſilii hortari tantùm vellet? ideoque Decreti ratio hìc abſtinentiam præcipi palam facit.

Infertur II. etiam ex eo quòd Concilium inſinuet Chriſtianæ Religionis participem fieri non deſiderare, qui Sabbatho abſtinere non vult; ſic enim pergit Concilium: „ Salubriter admonemus, ut quicumque „ Religionis Chriſtianæ participem eſſe deſiderat, ab „ eſu carnium eadem die abſtineat „. De eo qui conſilium ſequi nolet, diceturne Religionis Chriſtianæ participem eſſe nolle?

Infertur III. ex eo quod quæ in præceptis hujuſmodi excipi ſolent, Concilium excipit, nempè infirmitatem & majorem Feſtivitatem.

Non obſtat verbum, *admonemus*; nam præterquàm quod de eo ad quod quis tenetur, moneri poteſt, in eo Decreto tot præcepti ſigna ſunt, ut etſi aliis in locis verbum hoc conſilium tantùm deſignaret, hìc non impediret quominus prædictum Decretum præceptum contineret.

Nonnemo fortè dicet: Fateris ante prædictum Concilium, nullum de præcepto abſtinentiæ Sabbathinæ extare Juris Textum, de quo ergo præcepto Concilium monebit?

Huic Objectioni id unum reſpondere eſt, monere quem poſſe de recipiendo præcepto quod ſit, de eoque ſervando.

In oſtendendo *Concilium* Romanum ſub Gregorio VII. abſtinentiam Sabbathinam præcepiſſe, paululùm immorati ſumus, quia non deſunt qui contrarium ſentiant.

Quod de ſervatâ à Sanctis Patribus Sabbathi abſtinentia Concilium dicit, ad Eccleſiam Romanam reſtrinximus, Eccleſiæ autem illæ quæ ab illâ immediatè pendent ſubintelligendæ videntur, iſtas enim illius uſum imitatas veroſimillimum eſt.

REGULA XX.

An de Sabbathinâ abſtinentiâ prædicti Concilii præceptum receptum, ſervatumque fuerit, necne, & quibus in locis, & quo Tempore, Textus Juris nullus eſt qui doceat.

REGULA XXI.

Hac de re id unum certum ex Jure colligitur, quod in Luſitaniâ ineunte ſæculo XIII. adeò rigidè ſervabatur Sabbathi abſtinentia, ut ad carnis eſum debilibus debilitas ſua non ſufficeret, etiam cum Prælati licentiâ.

Traditur Regula in *Cap.* 2. *De Obſerv. Jejunior:* in eo Innocentius III. *ann.* 1213. ab Archiepiſcopo Bracharensi conſultus quid ſibi faciendum eſſet circa Regionis ſuæ Conſuetudinem, quâ Sabbatho ſi debiles carnes ſumerent, ab aliis moleſtè ferebatur, iiſque detrahendi occaſio dabatur; Reſpondet Conſuetudinem hanc ſervandam eſſe, ita tamen ut hinc debilibus periculum non emergat, quo reſponſo tàm prudentis Pontificis inter alia docemur, præceptis devotionique ita ſavendum, ut charitas non lædatur.

REGULA XXII.

Poſt ſæculum XII. in aliqua Regione, Sabbatho abſtinentiam non ſervatam concludere non eſt, ex eo quòd illius Epiſcopus dubium, quod tàm Sabbathi, quàm Feriæ ſextæ abſtinentiam reſpicit, proponens, de ſolâ Feriâ ſextâ meminit.

Factum de quo Quæſtio in *Cap.* 3. *De Obſeruat. Jejun.* refertur; in eo autem conſiſtit, quod Epiſcopus Pragensis ab Honorio III. *ann.* 1222. quærit: *An Nativitate Domini die Veneris adveniente, hujus diei abſtinentia ſervanda ſit?* Et de Sabbatho circa quod dubium ſimile proponi poterat, ne quidquam dicit, quod etiam in reſponſione Honorius imitatur.

Regulæ Ratio: Feriæ ſextæ abſtinentia ſtrictior eſt; idcircò quæ illo caſu eam relaxat ſolutio, à fortiori ad Sabbathi abſtinentiam extenditur, plus enim continet quod eſt minus; quod ad ſolvendum majus vinculum, ad minus ſolvendum haud dubiè ſufficit. Præterea propoſitum dubium quoad Sabbathum, expreſſo Juris Textu ſolutum erat, nempè *Cap.* 31. *De Conſ.* Dist. V. *ſuprà citato*, cùm Christi Nativitas ex Majoribus Feſtivitatibus non minima ſit; quoad verò Feriam ſextam indeciſum erat, ideoque de ſola Feria ſexta mentio facienda erat.

REGULA XXIII.

Abſtinentia Sabbathi à Feriæ ſextæ abſtinentiâ differt, nedum in eo quod recentior ſit, ſed etiam in eo quod à Feriæ ſextæ abſtinentiâ ſolam Christi Natalis Feſtivitatem jus ipſum eximat, ab abſtinentia verò Sabbathinâ omnes majores Feſtivitates excipiat.

Ex dictis patet Regula.

REGULA XXIV.

Inter communem omnibus Fidelibus abſtinentiam, & illam, quæ Monachis peculiaris, diſcrimen hoc intereſt, quod iſta propter ſolemnitates non intermittatur. *Cap.* 32. *De Conſ.* Dist. V. Cap. 3. *De Obſerv.* Cap. 6. *De Stat. Monach* illa verò hanc ob cauſam relaxetur. *Cap.* 31 *De Conſ.* Dist. V. Cap. 3. *De Obſervat.*

De aliis Semijejuniis per annum servatis.

REGULA I.

Præter supradicta Semijejunia, alia in Jure non memorantur, nisi Rogationes & Litania major.

REGULA II.

De Rogationibus tres tantùm Juris Textus mentionem faciunt.

In Primo, qui est *Caput* 3. *De Consf.* DIST. III. circa Rogationes dicitur, per triduum illarum cibis Quadragesimalibus utendum, servos & ancillas ab opere relaxandos. Ex *Concilio* AURELIANENSI *anno* 511 *desumitur.*

Secundus est in *Capite* 1. *ead.* DIST. In eo autem *Concilium* LUGDUNENSE versus Sæculum IX. celebratum, de Rogationibus dicit, illas feriendas esse, eoque nomine illas inter Festa collocat.

In Tertio, qui est *Canon* 17. CAUS XXII. QUÆST. V. Rogationes recensentur inter dies, quibus jurare non licet, nisi pro pace: Dies autem isti sunt, vel festivi, vel dies Jejuniorum, vel pœnitentiæ dies. *E Concilio apud* S. MEDARDUM *habito desumitur.*

REGULA III.

De Litania Majori hæc tantùm habentur, illam scilicet inter dies numerari, quibus ne juretur vetitum, nisi de concordia & pacificatione. *Eod. Cap.* 17. CAUS. XXII. QUÆST. V.

Inter Semijejunia autem Litaniam majorem collocamus, quia eo die, Romæ saltem, undè in alias Ecclesias fluxit, abstinentia servata creditur,

SECTIO XVIII.

Obligatio Clericorum ad lenitatem, aliave similes, ubi non nihil de stabilitate in Diœcesi sua, necnon in statu suo.

§. I.

An & quomodo Clericus incurrat irregularitatem, Jus suum Coram Judice Saculari in Malefactores persequendo?

I. Clerici à potestatibus ordinatis tuitionem petere possunt, non quia inimicos persequantur; sed quia se defendant adversùs illicitas violentias. CAUSA XXIII. QUÆSTIONE III. Cap. 3. *Nostri.*

II. Clericus, qui Judici Sæculari tradidit intersignia de fure aliquo, quibus receptis Judex Latronem tradidit puniendum, undè postea de medio est sublatus, à susceptione Sacrorum Ordinum nullatenus est arcendus. *De Homicidio.* Cap. *Tua nos* §. 2. *ad ultim. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 12. *Cap.* 19. Nulla in hoc difficultas apud Gallos, qui ad irregularitatem ex Homicidio requirunt proximum influxum in illud.

III. Si Clerico querimoniam simpliciter deponente, Rex in rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiei imputandum, si ad solutionem debitorum non absque sanguinis effusione coercentur. *Ibid. De Homicidio.* Cap. *Postulasti.* LIB. V, DECRET. *Tit.* 12 Cap. 21.

IV. Si Clericus conqueratur de Laïco coram Potestate Sæculari, si propter inobedientiam ipsius Laïcum duriùs puniat, quàm natura querimoniæ petat, Clerico non imputatur. *Ibid. Glossa.*

V. Non imputatur Clerico civiliter justitiam petenti de Laïco, si Judex in Laicum exercet vindictam sanguinis. *Ibid. Summa.* Hæc enim præter intentionem Clerici, istiusque facti exigentiam; nihil enim aliud petit, nisi ut damna sibi illata resarciantur.

VI. Prælatis, vel Clericis quibuscumque, qui de Laïcis suis malefactoribus querelam penes Sæcularem Judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & providere, ne contra eos talia de cætero præsumantur; de Jure non debet pœna sanguinis imputari, si Judex mortem malefactoribus inferat, justitia exigente. *In* SEXTO DE *Homicidio. Cap. Prælatis.* LIB. V. *Tit.* 4. Cap. 2.

VII. Protestando expressè quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet; alioquin si Prælati, aut Clerici, propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis potest procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent; daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi. *Ibid. De Homicidio* Capite *Prælatis. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 4. *Cap.* 2. Protestatio hujusmodi inutilis videtur, si conquerens subministret probationes rei quarum accusatus morte damnatur, destruetur facto subsequenti ipsius protestantis, eodem planè modo, quo protestatio similis testium, qui proxime influunt in condemnationem: neutra in usu est apud Gallos, rejiciturque ut superflua.

VIII. Cùm Clericus per Ecclesiasticum Judicem sæculari traditur Curiæ puniendus, pro eo debet, Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circà eum sententia moderetur. *De Verborum Significatione.* Cap *Novimus.* Hæc intercessio, sicut prædicta protestatio, unicè inserviunt demonstrandæ lenitati Ecclesiæ: erit in Gallia eum degradatione & traditione Curiæ Sæculari; ibi enim in crimine mixto uterque simul procedit, & post prolatam sententiam à Judice Ecclesiastico alius suam pronunciat.

§. II.

An & quomodo Clericus incurrat irregularitatem exercendo Officium Chirurgorum, vel Medicorum?

I. Monachi & Sacerdotes multùm delinquunt alienum Officium usurpando, quod ipsis minimè congruit; sed dum volunt Chirurgorum more cum ferro tumorem aliquem aperire, irregularis factus est. *De homicidio.* Cap. *Tua nos.* §. 1, LIB. V. DECRET. *Tit.* 12. Cap. 19.

II. Si Monachi & Sacerdotes causa pietatis & non cupiditatis id agunt, & periti sunt in exercitio Chirurgiæ, omnemque student, quam debent, diligentiam adhibere, non sunt, ex eo quod per culpam infirmi contra consilium eorum accidit, adeò reprobandi, quod non post satisfactionem condignam cum iis misericorditer agi possit, ut Divina valeant celebrare. *Ibid. fin.*

Notandus casus, in quo post adhibitam omnem diligentiam, homicidium purè casuale imputatur ex eo solo quod rei illicitæ vacabatur.

III Si causa cupiditatis id agunt, & periti non sunt in exercitio Chirurgiæ, omnemque non student, quam debent, diligentiam adhibere, interdicenda est eis Sacerdotalis Ordinis executio, si postquam tumorem aperuerint quocumque modo contingat ut infirmi ex vulnere vitam finiant. *Ibid. fin.* Hæc decisio confirmatur *Cap. ult. De Injur.* quod docet damnum imputari illatum ex negligentia vel imperitia.

IV. Qui in Arte Medicinæ eruditus, pluribus juxtà ipsius Artis traditionem exhibuit cum diligentia Medicinam, potest ad Sacros Ordines promoveri, licèt pluries in contrarium successerit, & quibus putabat adhibere medelam, Medicinis perceptis, mortis periculum incurrerunt. *De Ætate, Qualitate & Ordine Præficiendorum.* Cap. *Ad aures. Summa & prima Glossa.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 14. *Cap.* 7. Hinc restringendum ad casus, in quibus, nec ustio, nec amputatio præcipitur. *Cap.* 9. *Ne Cler. vel Monach.*

V. Quod si super præmissis, *id est*, super eruditione, vel diligentia, conscientia sua eum remordeat, ad majores Ordines non debet ascendere. *Ibid. fin. Post. Sibi* De hoc remorsu judicandum ex *Cap.* 44. *De Sent. Excommun.* ex PRAGMATICA SANCTIONE ac ex *Concordatis.* Conceditur graduatis in Medicina ut possint Gradus Beneficia requirere.

§. III.

§. III.

An & quando incurratur irregularitas, quando dubium est utrum homicidium perpetratum sit, & quomodo id judicandum?

I. Diligenter investigare & omni nisu scrutari oportet, quatenus inveniri valeat, utrum percussione Presbyteri, an alio casu, homo extinctus est. Dist. L. *Cap. 39. Studeat. post init.*

II. Si vir à Presbytero non ad mortem percussus est, sed quodam casu ex equo cadens cervice fracta interiit, secundùm arbitrium Sacerdotis, pro percussione, incautè agenti Presbytero pænitentia competens indici debet, & aliquanto tempore à Missarum solemniis suspendi, denuo post hæc ad Sacerdotale Officium rediturus. *Ibid.*

III. Quod si veraciter qualicumque percussione ipsius Presbyteri vir ille mortuus est, nulla hic ratione ministrare Sacerdotis more permittitur; quoniam etsi voluntatem occidendi non habuit, furor tantùm & indignatio ex quibus morio illa mortifera prodiit, præcipuè in Dei Ministris inhibetur. *Ibid. fin.* Verum si Presbyter vestro studio adeò noxius fortè claruerit, tale sibi Beneficium Ecclesiæ suæ concedatur, quo ipse & sui sufficienter habere possint sustentationis solatium. *Ibid.*

IV. Cùm dubium habetur utrum occasione vulneris, quod verberante Presbytero fortuitò contigit, aliquis decesserit, convenit, ut Presbyter in Sacris Ordinibus non ministret. *De Homicidio.* Cap. *Ad audientiam. med. Quia verò,* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 12.

In hujusmodi dubiis semitam debemus eligere tutiorem. *Ibidem.*

Ratio: Quia certa Lex est, & dubium factum contra illam.

V. Si ille vulneratus ex alia infirmitate obierit, poterit Presbyter, sicut erat solitus, Divina Officia ministrare. *Ibid. fin.*

VI. Si postquam Presbyter rem aliquam projecit in terram, reperiatur aliquis circa eumdem locum semivivus, inquiri debet ab eodem Sacerdote si priusquam jaceret rem illam circumspexerit, sollicitè an esset aliquis juxtà eumdem locum. *De Homicidio.* Cap. *Ex literis.* §. *Nos autem.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 14.

VII. Si asserat Sacerdos quod diligenter circumspexit, & quod viderit aliquem deneger; liberè permitti debet exequi Officium Sacerdotis, nisi contra eumdem grave scandalum sit exortum vel magna laboret infamia. *Ibid. fin.*

Propter solum scandalum vel infamiam Presbytet se gerere debet ut irregularem. *Ibid Colligitur.*

VIII. Si Presbyter arrepto instrumento furem Ecclesiæ Ornamenta asportantem percutiat, aliique in eodem loco protinus occiderunt, sed ignorat Presbyter ipse & alii an ad mortem fuerit ictus hujusmodi quem inflixit, inquirendum utrum constare possit quod præfatus Sacerdos non inflixit percussionem letbalem de quâ, si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minimè interiisset; secundò, si percussor voluntatem non habuerit occidendi; tertiò, si neque ipsius studio, consilio, vel mandato processerint alii contra illum. *De Homicidio.* Cap. *Significasti. §. 1. Nos.* Lib. V. *Tit.* 12. Cap. 18.

IX. Si discerni non posset ex cujus ictu percussus interiit; in ho cdubio tanquam homicida haberi debet Sacerdos, & si forte homicida non sit à Sacerdotali Officio abstinere debet. *Ibid. §. 3. Quod si.*

X. In hoc casu cessare est tutius quàm temerè celebrare, pro eo qnod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. *Ibid. §. 3. fin.*

XI. Si tale sit instrumentum cum quo Sacerdos percussit, quod non soler levem plagam inferre, & talis pars in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter lædi solet, quale est Caput, non videtur idem Sacerdos à pœna homicidii penitùs excusari. *Ibid. §. Ut fin.*

XII. Si certa apparuerit percussio ab eodem Sacerdote inflicta, tàm modica & tàm levis in ea parte corporis, in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum Judicio Medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis; & voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato, alii occiderunt, post pœnitentiam ad cautelam injunctam in Sacerdotali poterit Officio ministrare. *Ibid.* §. 2. *Et quidem.*

XIII. In his duobus credendum est Sacerdoti, qui non accusatur vel denuntiatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium appetit salutare. *Ibid. med.*

Si percussio esset levis, & Sacerdos voluntatem habuisset occidendi, aut ipsius studio, consilio, vel mandato, alii occiderunt, esset irregularis. *Ibid. Cum Summa.*

XIV. Si Clericus pro eo quod, in conflictu contra inimicos nominis Christiani, aliquos percussit, irregularitatem metuit incurrisse, sed interfectione cujusquam sua conscientia ipsum remordet, à Ministerio Altaris abstinere debet reverenter. *De Homicidio.* Cap. *Petitio. fin.* Lib. V Decr. *Tit.* 12. Cap. 24.

Consultius est in hujusmodi dubio abstinere quàm temerè celebrare. *Ibid. fin.*

XV. Si forsitan eorum aliqui secreto ex devotione celebrare voluerint, poterunt sustineri. *De Clericis Peregrinis.* Cap. *Tua fraternitatis. §. ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 22. *Cap.* 3. Hic locus convenit cum septimo sumpto in contrario sensu: ibi enim celebratio Sacerdoti non prohibetur, nisi ratione scandali, unde infertur quod cessante scandalo potest celebrare: hoc autem loco decimo qninto nullum timendum erat scandalum, cùm ignota esset celebratio.

XVI. Nisi de Clericorum Ordinatione Canonica per idonea constiterit argumenta, eos in illis suscipere non debet Episcopus, præsertim antequam conversatio eorum fuerit approbata. *Ibid.* Cap. *Inter quatuor. §. 2.* Lib. I. Decr. *Tit.* 22. Cap. 2.

XVII. Nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis ab Episcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda, admittatur. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 16.

XVIII. Clericos alterius Diœcesis absque literis commendatitiis sui Episcopi, nisi pro eis preces, aut Mandata Sedis Apostolicæ acceperis, non teneris, nec etiam debes recipere. *Appendice Conc.* Lateran. *Parte* 30. Cap. 6. *fin. Concil.* Tribur. *ann.* 895. *Can.* 28. Tom. IX. Conc. *p.* 455. Secunda Pars intelligenda videtur de Clericis à proprio Episcopo Papæ dimissis, vel Cleris, qui à Papa alii commendabantur.

§. IV.

Clericos in Sacris constitutos, qui abjiciunt habitum Clericalem, fieri Apostatas, & quomodo puniendi sint?

I. Clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abjecerunt habitum Clericalem, non sunt in seculari habitu tolerandi, sed per districtionem Ecclesiasticam coercendi. *De Apostatis.* Cap. *Tua.* Lib. V. Decr. *Tit.* 9. Cap. 3. Innocent. III. ibi loquitur indistinctè de Clericis, hic ergo Textus restringendus non est ad illos, qui in Sacris constituti sunt; illum tamen Gonzal. intelligit de istis, refert pœnas tùm sæculares, tum Ecclesiasticas, quibus hi Apostatæ puniuntur.

Concil. Tribur. *anni* 895. *Can.* 27. Tom. IX. Conc. *p.* 454. *Conc.* Rom. *ann.* 1059. *Can.* 10. Tom. IX. Conc. *p.* 1096. Nullus est in hoc Conc. Canon, qui de Clericis apostatis loquatur.

II. Nullibi qui sunt in Sacerdotio & Personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit, habitum transforment. *De Vita & Honestate Clericorum.* Cap. *Clerici. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 1. Cap. 15.

III. Clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti tondeantur. *Ibid. De Vita & Honestate Clericorum.* Cap. *Clericus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 7. & DIST. XXIII. Cap. 22.

IV. Si quis ex Clericis comam relaxaverit Anathema sit. *Ibid.* Cap. *Si quis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 4. & DIST. XXIII. Cap. 23. *Si quis.*

V. De Clericis apostatis, qui minis vel blanditiis nullatenùs possunt induci ut abjectum habitum reassumant, tales possunt sub gravi custodia carcerari, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant. *De Apostatis.* Cap. *A Nobis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5. *juncta Glossa.*

Clerici Apostatæ possunt in carcere detineri donec à sua nequitia resipiscant. *Gloss.*

VI. Clerici qui relicto Ordine Clericali & habitu suo in apostasia tanquam Laïci conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, per censuram Ecclesiasticam ne liberentur. *De Apostatis.* Cap. *Præterea.* LIB. V. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1. *Append. Concil.* LATERAN. *Part.* 26. Cap. 16.

VII. Clerici apostatæ in criminibus deprehensi, amittunt privilegium Canonis, seu non gaudent privilegio Clericali. *Glossa.*

VIII. Clerici qui, relicto Clero, se ad sæcularem militiam & ad Laïcos contulerint, non injustè ab Ecclesia quam reliquerunt amoventur *Conc.* ANDEGAV. *ann.* 453. *Can.* 7. TOM. IV. CONC. *p.* 1021. Vide *Concilium* TURON. I. *ann.* 461. *Can.* 5. *Tit.* 4. *Concil. ann.* 1051.

Collecti Canones jamdiu evoleverunt in Gallia quoad Clericos inferiores; iis licet statum Clericalem impunè abdicare.

SECTIO XIX.

Obligationes Clericorum circà Ecclesias, sivè Templa ac Basilicas, & ea quæ ad illas pertinent.

I. Ædificari debere Ecclesias seu Templa, & quidem ab Episcopo, si populi indigeant, absque tamen antiquiorum Ecclesiarum detrimento.

II. Judæi loca, in quibus Sacrificabant Domino, Divinis habebant supplicationibus consecrata; nec in aliis quàm Deo dicatis locis munera Domino offerebant: Si Judæi, qui umbræ Legis deserviebant, hæc faciebant; multò magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per JESUM-CHRISTUM data est, Templa Domino ædificare, & prout melius possumus ornare debemus. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 2. §. 1. *Fecit.* FELIX IV. *cujus Epistola spuria est*: Ritus quos refert post illum instituti sunt, id notat VAN-ESPEN in hanc DISTINCT.

III. Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus Civitatis veniat, & ibidem crucem figat. *De Consecratione.* DIST. I. Cap. 9. *Nemo. init.*

Ut Ecclesiæ antiquitùs constitutæ, nec decimis, nec alia ulla potestate priventur. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 20. TOM. VII. *ann.* 1238. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 813. *Can.* 41. TOM. VII. CONCIL. & *p.* 1251. *Can.* 48.

IV. Ille, qui ut in loco publico ædificare possit, à Principe impetravit, ædificare cum alterius incommodo non valebit, nisi & hoc ipsum à Principe postulatum fuerit & concessum. *De Novi Operis.* Cap. *Cùm de injuncto. init. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 23. Cap. 2. *Concil.* HISPAL. II. *ann.* 619. *Can.* 7. TOM. V. *Concil. p.* 1666. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 857. Cap. 11. TOM. VIII. CONC. *p.* 45.

V. Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum & voluntatem Episcopi habuerit in cujus Parochia ei licitum sit. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 44. *Quicumque. init.* CAROLI MAGNI *Capitulari* 40. *Imperii anno, dato ad* SALTZ. *ann.* 804. Cap. 3. CONC. TOM. VII. *p.* 1181.

VI. Verumtamen omninò providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores, propter novas, suam justitiam aut decimam non perdant; sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 44. *Quicumque. fin.* Vide *Concil.* EPAON. *ann.* 517. *Can.* 25. TOM. IV. CONC. *pag.* 1579. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 13. TOM. IX. CONC. *p.* 408.

VII. Nulla Ecclesia in præjudicium est alterius construenda. *De Novi Operis Nunciatione.* Cap. *Intelleximus.* §. *Quia. fin.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 32. Cap. 1.

VIII. Occasione juramenti quod de rebus Ecclesiæ non alienandis Episcopus se asserit præstitisse, in locis sui Episcopatus, in quibus populi habitantes Oratoriis egere videntur, formidare non debet Ecclesias erigere. *De Ecclesiis Ædificandis.* Cap. *Tuæ nos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 48. Cap. 6.

IX. Non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest Episcopus propter indigentiam novam Ecclesiam ædificare. *Summa.* Justa causa ædificandi Ecclesiam cùm populus indiget.

X. Episcopus illius juramenti occasione nullatenus prætermittat, quin populo indigenti super Basilicarum institutione studeat salubriter providere. *Ibid. fin* LIB. III. DECR. *Tit.* 48. Cap 6.

Si quibus permittitur Ecclesiam cum Cœmeterio sibi construere, caveant ut injuriosi veteribus Ecclesiis de jure Parochiali nequaquam existant: quod iis pro pietate conceditur ad aliorum injuriam non debet redundare. *De Ecclesiis Ædif.* Cap. *Cùm dicat.* LIB. III. DECR. *Tit.* 48. Cap. 2.

XI. Cautum est etiam legitima Sanctione ut is cui fuerat opus novum nunciatum ante remissionem ædificaverit, deinde agere cœperit jus sibi esse ita ædificatum habere, sibi debeat denegari. *De Novi Operis.* Cap. 1. *De Injuncto irreg. init. post med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. Vide *Epistolam* ZACHARIÆ. Cap. 15. TOM. VI. CONC. *p.* 1511. *Conc.* ROMA. *ann.* 868. CONC. *p.* 955.

XII. Cùm Ecclesia est denuò fundanda, Episcopus locum signat, & Primarius lapis benedictus in fundamento secundùm Consuetudinem collocatur. *De Officio Deleg.* Cap. *Coram. ante med. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 34.

XIII. In vicis, in quibus superexcrescit populi multitudo, Ecclesia denuò fundari. *Ibid.*

XIV. Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec alia ulla possessione priventur, ita ut novis Oratoriis tribuantur. *Excerptiones* EGBERTI. Cap. 24. TOM. VI. CONC *p.* 1588.

Ne novæ Capellæ fiant sine consensu Episcopi. *Concil.* LONDON. *ann.* 1102. *Can.* 15. TOM. X. CONC. *p.* 720.

TITULUS XIII.

Tractatus de Religiosis, prout Ecclesiæ Ministris, vel Prælatis, in TRES PARTES *mox explicandas divisus.*

Religiosorum nomine comprehenduntur; I. Monachi, sive Solitarii, vel Anachoretæ. II. Cœnobitæ, seu in communi viventes, quorum alii sunt Mendicantes, quia nihil possident, etiam in communi; alii non Mendicantes, seu aliquid in communi possidentes. III. Canonici Regulares, qui ex institutione sua sunt partim Clerici, quia destinantur ad Munia Ecclesiastica animarum curam spectantia;

tia; partim Regulares, quia cuidam Regulæ addicti, potissimùm illi quæ S. Augustini esse dicitur.

Sub eodem nomine intelliguntur, tàm Fœminæ, quàm Masculi, quoad sexûs qualitas pati potest.

Hic autem de Religiosis tractandum est, quia duplici modo sunt ex Ministris Ecclesiæ, de quibus hactenus actum est in genere & in specie, quique sunt Episcopi, illorumque Superiores, Canonici, & Dignitates, Curati, Clerici qualescumque, necnon Prælatorum Vicarii Particulares vel Generales. Prius Religiosorum Ministerium est, in orando pro universis Ecclesiæ necessitatibus, tàm in Prælatis, quàm in subditis, tàm circà animam, quàm circà corpus: Posterius est in exercendis Muneribus Spiritualibus, in defectum, vel subsidium Clericorum Ministrorum naturalium, vel ut Clerici vitam regularem Clericatui attexentes.

Verum etsi Gregorius IX. in Collectione sua *De Relig osis* non agat in *Primo Libro*, qui est De Personis, idemque fit de præcedentibus & de subsequentibus earumdem Decretalium Collectoribus, ad illius imitationem aliorumve antiquiorum Collectorum, nos tamen in istum locum ob dictas causas transferemus, quæ de Religiosis dicenda sunt, eaque in *Tres Partes* dividemus.

In Prima colligentur Decisiones Juris circa Religiosos propriis ipsius verbis conceptas.

Secunda comprehendet Regulas ex illis depromptas ad illorum explicationem.

In Tertia examinabuntur potissimùm: 1. Benedictio Abbatum & Abbatissarum: 2. Commendæ Abbatiarum & Prioratuum Conventualium: 3. Usus Ornamentorum hujusmodi Prælatis concessorum.

PARS PRIMA.

Continens Decisiones Juris propriis ipsius verbis conceptas, & methodicè digestas.

De Statu Religiosorum, *quos vulgò appellant* Regulares.

CAPUT PRIMUM.

De Voto.

SECTIO I.

Votum non consistere in solo proposito, sed in promissione; quid sit votum simplex, quid solemne?

I. Qui hæc verba secum animo protulit (non diù hic morabor) proponens in animo quod Religionis habitum esset aliquando suscepturus, si plus non est processum in Voto transgressor judicari non poterit, etsi non impleat quod dixit. *De Voto.* Cap. *Literaturam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 3.

II. Simpliciter proponens Religionem ingredi, licet non ingrediatur, non est reus Voti. *Glossa. init.*

III. Simplex propositum non sufficit ad Votum, requiritur animus se obligandi. *Ex Gloss.*

IV. Votum fecit qui se ad Religionem transiturum promisit. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Meminimus. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 2.

V. Votum simpliciter obtulit, qui continentiæ Votum promisit. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Veniens.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 5.

Votum de certa Religione intranda emissum, simplex est. *In* 6. *De Regularib.* Cap. *Qui post.* Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 5.

Qui Religionem etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, Votum solemne emittit. *Ibid. in* 6. *De Regularib.* Cap. *Qui post.* Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 5.

Voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est inventa. *In* 6. *De Voto.* Cap. unic. Lib. III. *Tit.* 15. Cap. unic.

Illud solùm Votum debet dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnisatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *Ibid. in* 6. *De Voto.* Cap. unic. Lib. III. *Tit.* 15.

Votum solemne quod est ad dirimendum matrimonium efficax. *Ibid.*

SECTIO II.

An, & quomodo Votum obliget?

I. Simplex Votum apud Deum non minùs obligat quàm solemne. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Rursus. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 6.

II. Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt; licet in bonis prioribus perseverent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 4. *Qui bona.* Sunt quædam quæ etiam non voventes debemus; quædam etiam quæ nisi voverimus non debemus: Sed postquàm hæc Deo promittimus necessariò reddere constringimur. Caus. XVII. Quæst. I. Cap. 1. *Sunt quædam.*

IV. Non videtur contra Votum licitum ut quis veniat, cùm vox clamet Prophetica: *Vovete & reddite Domino Deo vestro;* ut primum ad consilium, secundum ad Imperium referatur. *De Voto.* Cap. *Magnæ.* §. 3. *med* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 7.

V. Quod cuiquam antequam vovisset licebat, cùm id se nunquam facturum voverit, non licebit; si tamen id voverit quod vovendum fuit, sicuti est perpetua Virginitas, vel post experta connubia solutis à vinculo conjugali, vidualis castitas. Caus. XXXII. Quæst. VII. Cap. unic. *Non solùm. med.*

VI. Hæc, & si qua alia sunt, quæ rectissimè voventur, cùm homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. *Ibid fin.*

Deliberata voluntas est vera promissio.

VII. Cùm quisque non reddit quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit, tantò magis fraudati Voti auget iniquitatem, quantò minùs habuit vovendi necessitatem. Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 41. *Nuptiarum* §. *ult. fin.*

VIII. Si, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum ejus fidem non servat marito; quantò graviùs offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerit offerendum. *Ibid.* Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 41. *Nuptiarum.* §. *ult. med.*

IX. Si inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cùm Deo quis pepigit, solvi sine vindicta non poterit. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 2. *Viduas.* §. *fin.* Minus malum existit viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire. *De Apostatis.* Cap. *Quidam. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 9. Cap. 4.

X. Simplicia Vota quantò manifestiùs sunt emissa, tantò propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribua debetur. *In 6. De Voto.* Cap. unic. *§. Reliqua.* Lia. III. *Tit.* 15. Cap. unic.

XI. Quicumque vovit se uihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat &c. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 9. *Scimus. §.* 1.

XII. Licèt universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeò tamen solurio necessaria est post Votum, ut finu propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire. *De Voto.* Cap. *Licet. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 6.

XIII. Electionem meliorum deseruisse transgressio est. CAUS. XX. QUÆST. III. Cap. 5. *fin.*

XIV. Vide *Concilium* CALCHUT. *ann.* 787. Cap. 18. TOM. V. CONC. *p.* 1870. Canon hic multa habet lectu digna, utiliaque, etiam quoad praxin, illi qui propria voluntate Deo Votum vovit, & non reddidir, Dominua in peccatum reputat. *Conc.* AQUISGR. II. LIB. I. *ad* PIPINUM *Aquitan. Regem.* Cap. 38. *ann.* 836. TOM. VII. CONC. *p.* 1744.

XV. In virginali & viduali continentia excellentia muneris amplioris expetitur &c. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 41. *§.* 1. Viduæ si propria voluntate, professam pristinè conjugii castitatem mutabili meute calcaverit, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactiooe placare. CAUS. XXVII. QUÆST. I. *Cap.* 42.

XVI. Filius, cujus fidei Pater sub interminatione maledictionis paternæ Votum exequendum commisit, quique intellecta pia voluntate Parentis, se id impleturum sine dilatione qualiber promisit, onus sibi à Patre injunctum, & ab se spontè susceptum, quantociùs exsolvere & humiliter prosequi debet, nec occasione qualibet detrectare, & ad id sub anathematis vinculo compellitur. *De Voto.* Cap. *Licat.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 6.

SECTIO III.

An Virginitas, aut perpetua castitas voveri possint, & quale peccatum sit posteà velle nubere?

I. Si quis dixerit statum conjugalem aoteponendum esse statui Virginiratis vel Cœlibatus, & noo esse melius ac beatius manere in Virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio, anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Canone* 10.

II. Dominua sub exemplo trium Eunuchorum Virginitatis iosert Beatitudinem, quæ nulla carnis Lege tenetur. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. *Omnes causationes fin.*

III. Donum est castitatis præmium. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 1. *init.* S. HIERON. *in Epist. ad* AMAND. *circ. fortè an.* 388.

IV. Si quis dixerit posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cùm Deus in rectù petentibus non deneget, nec patiatur nos suprà id quod possumus tentari. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Canone* 9. *fin.*

V. Si qois vel Virginitatem, vel continentiam professus tamquam abominabiles ouptias judicet, & non propter hoc solùm, quod continentiæ, & Virginitatis bonum, sanctum propositum est, Anathema sit. DIST. XXX. Cap. 5. *Si quis. Ex Concil.* GANGR. Cap. 9. *ann.* 324.

VI. Integritas corporis expetenda à vobia est, quam ego pro consilio suadeo, noo pro imperio præcipio; sola enim Virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis, voti est, quàm præcepti. CAUS. XXXII. QUÆST. I. Cap. 13. *Integritas.*

VII. Coujugalem affectum laudabiliùs transcendit, & vincit Cœlestia cogitans animus Christianos; sed quoniam sicut ait Dominus; *Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat; quæ se non continet nubat; quæ non cœpit deliberet, quæ aggressa est perseveret, nulla adversario detur occasio, nulla* CHRISTO *subtrahatur oblatio.* CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 41. *Nuptiarum. init.*

VIII. Firma tunc erit Virginitatis professio ex quo adulta jam ætaa esse cœperit. CAUS. XX. QUÆST. I. Cap. 1.

IX. In virginali & viduali continentia excellentia muneris amplioris expetitur, quâ expetita & electa & vôti debito oblata, jam non solùm capessere nuptias, sed etiamsi non nubant, nubere velle damnabile est; nam ut hoc demonstraret Apostolus non ait: *Cùm in deliciis egerint in* CHRISTO *nubunt*, sed *nubere volunt*; *habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt; etsi non nubendo, tamen volendo*: Non quia ipsæ nuptiæ, vel talium damnandæ judicentur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 41. *Nuptiarum. §.* 1.

X. Si enim inter hominea solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quantò magia pollicitatio quam cum Deo pepigit solvi sine vindicta non poterit. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 2. *Viduas.* §. 1. *fin.*

XI. Puella, si ante duodecim ætatis annos sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus &c. CAUS. XX. QUÆST. II. Cap. 2. Vel turores irritum facere, si voluerint. Hujusmodi vota nunc irrita sunt, nec rata fiunt Parentum silentio. *Cap.* 15. SESS. XXV. *De Regular.*

XII. Quisquis non alligatus uxori continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideò credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit illa quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam. CAUS. XXXII. QUÆST. VIII. Cap. unic. *Non solùm. post init.*

XIII. Non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non conjugia; sed planè non dubitaverim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse pejores. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 41. *Nuptiarum. §. ult. init.* Viduæ habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debent custodire; oos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solùm adhortationes præmii sempiterni, pœnasque proponere Divini judicii, ut & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 42. *De Viduis. §.* 1.

XIV. Qui votum castitatis emittens juravit se quamdam ducturum postea in uxorem, pro eo quod juravit temerè pœnitentiam agat: & votum, quo Deo se it, studeat observare. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Rursus. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 6.

SECTIO IV.

Quæ Regulæ observari debeant ad judicandum de firmitate Voti, illiusque obligatione?

I. Deus non exigit si quis ex alieno aliquod voverit; sed potiùs usurpare vetat alienum. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 6. *Una sola. fin.*

II. Ab ineptis Votis & promissis abstinendum. S. BASIL. *Epist. Canone* 2. *Canon.* 28. Votum est ridiculum, non abstinentia necessaria; agitur de voto abstinentiæ à carnibus suillis.

III. Decet & expedit ut conscientiæ puritati non desit judicium rationis; ne unde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur. *In 6. De Regularib.* Cap. *Non solùm. §.* 1. *Init.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 2.

IV. In

IV. In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta Decretum; quod incautè vovisti ne facias; impia enim est promissio quæ scelere adimpletur. Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 5. *In malis.*

V. Meliùs est non vovere, quàm vovere id quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolvi: Non semper promissa solvenda omnia sunt. Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 8. *Unusquisque.* §. 1 & 2.

VI. Stulta Vota frangenda sunt. Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 15. *Non pejerabo. fin.*

VII. In jurando, ac in omni quod agimus, hæc est moderatio solertiùs observanda, ut si fortè in talem lapsum versuti hostis insidiis inciderimus, ex quo sine peccati contagio surgere non possimus, illum potiùs evadendi aditum petamus, in quo minùs periculi nos perpessuros esse cernimus. *Ibidem.* Cap. 7.

VIII. Ipsum votum quod ex sui forma sanctum & honestum est, ex persona voventis minùs licitum aliquando videtur. *De Voto.* Cap. *Magna.* §. 5. *Ipsum etiam. init.* Lib. III. Decret. *Tit.* 34. Cap. 7.

IX. Si aliquandò fortè nos incautiùs jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriore mutandum noverimus. *Ibid. Can.* 6.

X. Tria præcipuè in tali negotio attendenda sunt: Quid liceat secundùm æquitatem: Quid deceat secundùm honestatem? Et quid expediat secundùm utilitatem. *Ibid De Voto.* Cap. *Magna.* §. 3. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 7.

XI. Cùm constat de voto emisso, & servatum non vergit in dispendium salutis æternæ, servari debet. *De iis quæ vi &c.* Cap. *Cùm dilectus.* §. 1. *juncta Glossa.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 6.

XII. Si qui proponant, quod per vim & dolum seducti pariter & coacti fuerint, ut Votum emitterent; si constet de Voto emisso, ipsumque servatum non vergat in dispendium salutis æternæ, audiri non debent, non obstante violentia illata, quæ nec metum mortis continuerit, nec corporis cruciatum; nec obsistente dolo, quo se proponunt seductos, cùm talis dolus non tàm ad circumventionem, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri. *Ibid De iis quæ vi &c.* Cap. *Cùm dilectus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 6.

XIII. Cùm constat de Voto emisso ab aliquibus, quod Regulam *Cisterciensium* observarent, non obstante dolo, quo se proponunt fuisse seductos, cùm talis dolus non tàm ad circumventionem prædictorum Cisterciensium quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri, super restitutione petita silentium eis est imponendum. *De iis quæ vi* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 6. *ult.*

XIV. Quamvis falsa sit causa per quam ad susceptionem veli mulier est inducta, si se Voto astrinxerit ad observantiam Regularem, compelli potest ut Religionis propositum exequatur. *De Convers. Conjug.* Cap. *Ex parte.* §. *penult.* & *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 14. *Vide* Cap. 16. *Veniens.* & Cap. 20. *Dudum.*

XV. Grave crimen esse impedire propositum Religionis.

XVI. Si quis propositum castitatis Viduæ, vel Virginis, impedierit, à Sancta Communione, & à liminibus Ecclesiæ arceatur. *Conc.* Tolet. III. *ann.* 589. Cap. 10. Tom. V. Conc. *p.* 1011.

XVII. Dolus, quo quis inducitur ad bonum, animæ non imputatur, nec impedit propositum melioris vitæ. *Glossa.*

XVIII. Licèt dolus interveniat in hujusmodi spiritualibus, non tamen subvenitur dolum passo, licèt dolus det causam contractui. *Gl.* Verbo *ad fatuitatem.*

XIX. Non consideratur, quæ fuerit causa impulsiva; nam in hujusmodi spiritualibus etiam dolus adversarii non vitiat contractum, nec consideratur causa vel intentio contrahentis. *Gloss.* Verbo *Falsa sit causa.*

Nonnulla sunt in hac Sectione quæ contraria invicem sibi ejusmodi sunt, quæ leguntur, *n.* 3. 10. 17. 18. Nam si judicium rationis necessarium sit in Voto, si in isto attendendum sit quid liceat secundùm æquitatem, Quid deceat secundùm honestatem, Quid expediat secundùm utilitatem, Quomodo verum esse potest quod dolus non irritet Votum, etsi det illi causam, quodque in Voto dolus adversarii non imputetur? Hæc aliaque similia discussa sunt dum *De Contractibus.* ubi de dolo actum est, ac conclusum quod si talis sit dolus quod libertatem tollat, Votum irritat, quia liberum consensum exigit.

SECTIO V.

Quid agendum cùm Votum adimpleri non potest?

I. Super his diligens discretio est adhibenda, ne quid prece vel pretio, amore vel odio, sive occasione quacumque, contra salutem animæ vel utilitatem Ecclesiæ quomodolibet attentetur. *De Voto.* Cap. *Quod super his. in integra apud* Gonzal. Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 8.

II. De his, qui propter infirmitatem, vel paupertatem, vel aliam justam causam Votum peregrinationis non possunt utiliter adimplere, distinguendum est inter illos, qui temporalem, & eos, qui perpetuam impedimenti causam creduntur habere; quòd primis indulgenda est dilatio; secundis autem est redemptio injungenda; ac rerum facultate pensata, quas possunt, aut quas facturi essent expensas, personarum præterea compensato labore transmittant, exequentes per alios quod per se nequeunt adimplere. *Ibid. De Voto.* Cap. *Quod super.* §. 3. Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 8.

III Rursus in illis, qui Votum peregrinationis emittunt, principalis causa Voti an sit Ecclesiæ utilitas, an labor itineris, secundùm intentionem voventis debet attendi? Unde si quis voventium est inutilis ad finem Ecclesiæ, quamvis habilis ad eumdem, meliùs est redimere Votum, quàm expensas consumere. *Ibid. De Voto* Cap. *Quod super.* §. 4. *Rursus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. Cap. 8.

IV Principalis causa Voti consideranda est, & secundùm illam dispensari debet. *Glossa.*

V. Quilibet potest commutare Vota privata in Votum Religionis: Episcopus potest commutare Votum peregrinationis, vel circa illud dispensare. Considerari debet conditio personæ, & causa commutationis, & quid Deo sit magis acceptum.

VI. Votum justa de causa redimitur, dummodò voventis facultates ad id sufficiant.

VII. Non est securus quoad Deum is cum quo Papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi. *Gloss.* Verbo *Adimplere.* Habebit tamen exceptionem quoad Ecclesiam, cum quo sine causa dispensatum est. *Ibid.*

SECTIO VI.

Quibus modis tolli possit Voti obligatio? Ex colligendis patebit hanc obligationem cessare, Irritatione, Redemptione, Commutatione, Dispensatione.

I. Puella, si in puerili ætate sita, in domo Patris, illa nesciente, juramento se constrinxerit, & Pater ejus, ut audierit statim contradixerit; Vota ejus & juramenta irrita erunt, & faciliùs emendabitur. Caus. XXII. Quæst. V. Cap 15. *Pueri.*

II. Pater irritare potest Vota filiorum impuberum. Caus. XXXII. Quæst. II Cap. 14. 15. ubi Gratian. capta occasione ex iis, quæ dicit de necessitate consensûs Patris ad filii conjugium, nonnulla subdit de eodem consensu circa Vota impuberum.

Mulier, si quidpiam voverit &c. Caus. XXXII. Quæst.

QUÆST. II. *Cap.* 14. quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate puellari, & pater contradixerit, votum irritum erit.

III. Si pro re aliquâ per alium aſſequenda præcipuè votum emiſerit, eo ſublato de medio, quia ceſſavere cauſæ, faciliùs ceſſare potuit & effectus. *De Voto.* Cap. *Magnæ.* §. *ult. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 7. GONZAL. *n.* 5. Ceſſante cauſa propter quam votum emiſſum eſt, ceſſat voti obligatio.

IV. Scripturæ Sacræ teſtimonio declaratur, quod ſpiritualis homo propoſitum non mutat, cùm pro ſalute animæ ſuæ aliquid utilius meditatur; indè eſt quod reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium, in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare. *De Voto.* Cap. *Scripturæ. in integra apud* GONZAL. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34 Cap. 4. favet *Regula XXXV. In 6.* Plus ſemper continet, quod eſt minus; aliæve ſimiles in hanc laudatæ ab HENRICO CANISIO.

V. Non eſt dicendus voti tranſgreſſor, qui quod vovit de autoritate Sedis Apoſtolicæ, juſtâ tamen ex cauſâ diſtulerit adimplere. *De Voto.* Cap. *Non eſt. in integra init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 5. Si dilationis cauſa ſit vera, & certa impotentia, temporis diſpenſatio tunc neceſſaria non eſt, *Regula VI. In 6.* Idem hoc caſu de Voto, quod de reſtitutione, quæ jure differtur ſine dipenſatione.

VI. Non propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat. *De jurejurando.* Cap. *Pervenit. il ſecundo.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 3. idem *n* 4.

VII. Si quis Sepulchrum Dominicum, vel alia limina Sanctorum viſitare propoſuerit; & infirmitate, vel alia rationabili cauſâ occurrente, Religionis habitum aſſumere, atque Deo ſervire voluerit, liberè recipi valet. *De Voto* Cap. *Script. in integra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap 4. Voto ſimplici per ſolemne noſcitur derogatum. *In 6. De Regularib.* Cap. *Qui poſt med.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 5. *Eadem Nota recurrit.*

VIII. Qui poſt votum à ſe de certâ Religione intranda emiſſum, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipſâ; poteſt, voto non obſtante priori, manere licitè in eadem: pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda. *In 6. De Regularibus.* Cap. *Qui poſt.* LIB. III. *Tit.* 54. Cap. 5. Idem hic ac in matrimonio contracto cum aliâ quàm ſponſâ de futuro.

IX Manifeſtum eſt ita voluiſſe legem fœminam eſſe ſub viro, ut nulla vota ejus quæ abſtinentiæ cauſâ voverit reddantur ab eâ, niſi author vir fuerit permittendo. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. *Cap.* 11. *Manifeſtum. init. Vide de Matrim. Tit.* 12. *Sect.* 5. Eadem hîc mariti poteſtas circa uxoris vota, ac Patris circa vota filii ac eadem hujus poteſtatis cauſa.

X Monacho non licet votum vovere ſine conſenſu Abbatis ſui; ſi autem voverit, frangendum erit. CAUS. XX. QUÆST. IV. *Cap.* 2. *Monacho.*

XI. Fœminam ſub patre antequàm nubat, & ſub viro nuptam, noluit lex illa vovere aliquod Deo adverſùs animam ſuam, *id eſt*, in aliquarum rerum licitarum, atque conceſſarum abſtinentiâ, ut in eiſdem votis fœminea (non) valeat autoritas, ſed vitilis. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. *Cap.* 16. Noluit juxta correctionem Rom. Huc producenda nota *n.* 9.

XII. Si adhuc innuptæ jam conceſſerat pater vota perſolvere; ſi antequàm perſolverit, nupſerit; & viro ejus hoc cognitum non placuerit, non perſolvat, & ſit omninò ſine peccato: Neque hoc contra Deum fieri putandum eſt, cùm ipſe Deus hoc præceperit, hoc voluerit. *Ibid.*

XIII. Cùm in Lege Veteri, in qua non minùs Præceptum Domini obligabat, quàm votum hodie obligat in Eccleſiâ; primogenita quæ Domino mandabantur offerri, quædam Domino redderentur, quædam redimerentur, quædam commutarentur in aliud; ex hoc attendendum, quod votum commutari poſſit in opus aliud pietatis. *De Voto.* Cap. *Magna.* §. 6. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 7.

XIV. Bonæ memoriæ ALEXAN. Papa votum peregrinationis redimi poſſe, vel in aliud commutari reſpondit requiſitus. *Ibid. in integra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 7. *Scil.* hoc titulo circumſpecta Sedis Apoſtolicæ benignitas fidelium quorumlibet ſtatui conſulere, & interdum vota ab eis emiſſa in alia pietatis opera commutare conſuevit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Ex formula ordinaria diſpenſationum ex Datariâ promanantium. *Initio. Vide* CORRADUM. LIB. VII. *Diſp. Apoſt.* Cap. 10. *p.* 381.

SECTIO VII.

Quorum Votorum commutatio, ſeu Diſpenſatio, ſit ſoli Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervata, & quæ pœnæ decretæ ſint contra aliter agentes.

I. Jus conſtitutum eſt generale, ut non paſſim Prælatis quibuslibet illos abſolvere liceat, qui voverunt peregrinationem Hieroſolymitanam, quamvis eorum ſint Juriſdictioni commiſſi; illis autem ſolummodò jus hoc exequendum incumbit qui ſuper hoc mandatum receperint à Sede Apoſtolicâ ſpeciale. *De Voto* Cap. *Ne multa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 9.

II. Ad Epiſcopum ſpectat judicare, an votum ſit redimendum, an commutandum, an ſuper eo diſpenſare debeat. *Cap.* 1. *De Voto &c.* Conſiderare debet qualitatem perſonæ, & ejus facultates, & cauſam commutationis. *Ibid.*

Secundùm quod votum, vel ejus commutatio erit Deo magis accepta, poterit diſpenſare ſuper Voto. *Ibid.*

Juſta cauſa commutandi voti, ſenectus. *Cap.* 7. *De Voto &c.*

III. Infans pro infanti dari poteſt in Monaſterio, quamvis alter votus ſit, attamen melius eſt votum ſolvere; item pecora æquali pretio, ſi neceſſe eſt, ſunt redimenda. CAUS. XX. QUÆST. I. *Cap.* 7.

IV. Neque ad Epiſcopos, neque ad Religioſos, illius executio juris ſpectat, niſi per Apoſtolicam Sedem eis ſpecialiter delegetur. *Cap.* 3. *De Voto. &c. fin.* Juſta cauſa voti commutandi, cum emiſſum eſt in ætate puerili, & à patre irritatum non eſt.

V. Nullus Confeſſorum, per quempiam cujuſvis Status, Gradus, Ordinis, vel Conditionis exiſtat, & quâcumque Eccleſiaſticâ, etiam Epiſcopali, vel majori dignitate præfulgeat, emiſſa peregrinationis ultramarinæ, & viſitationis liminum Apoſtolorum PETRI & PAULI, S. JACOBI in *Compoſtella*, & caſtitatis ac Religionis vota, niſi ex ſpeciali licentiâ & certâ ſcientiâ Sedis Apoſtolicæ, de quâ demum conſtare cenſeatur, cùm in ſignaturâ deſuper manu Pontificis ſcriptum, aut in Literis Apoſtolicis expreſſum fuerit, vel in articulo mortis conſtitutum, & tunc in caſibus in quibus ſatisfactio fuerit impendenda, facta ſatisfactione, vel idoneâ præſtitâ cautione, commutare præſumat. *Extravaganti, Etſi Dominici* 2. *ante finem. De Pœnitentiis & Remiſſ. Extravagantium communium* LIB. VI. Cap 5. SIXTUS IV. *ann.* 1478.

VI. Quinque Vota quorum commutatio ſoli Sedi Apoſtolicæ eſt reſervata. Votum peregrinationis Hieroſolym. ad limina Apoſtolorum, ad S. JACOBUM de *Compoſtella*, Votum caſtitatis perpetuæ, ac votum Religionis.

VII. Si aliqui Confeſſorum contra iſtam Conſtitutionem excepta vota prædicta commutare attentaverint, commutatio hujuſmodi nullius ſit roboris,

vel

vel momenti : & contrafacientes eo ipso Excommunicationis Sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quàm à Romano Pontifice absolvi non possint, non obstantibus literis ac Constitutionibus & Ordinationibus quibuscumque, *Ibid.* In Gallia non viget quoad vota ultramarinæ peregrinationis nec viget quoad votum Religionis profitendæ.

SECTIO VIII.

Quomodo soleat Sedes Apostolica commutare vota sibi reservata, seu super illis dispensare.

I. Sancta Romana atque Universalis Ecclesia religiosa & pia vota benigno favore prosequitur. *Extravaganti, Sancta Romana, de Religiosis domibus. Init. Extravag.* JOANN. XXII. *Tit.* 7. Cap. unico.

II. Si Apostolica Sedes super absolutione à voto quandoque aliquibus literas indulget; illis qui personas & facultates eorum pleniùs noverunt hoc modo scribit, ut super impedimentis expositis, inquisita diligentiùs veritate, statuant circa illos, quod animarum saluti & succursui Terræ Sanctæ, utilitati Ecclesiæ magis noverint expedire. *De Fide instrumentorum.* Cap. *Quod super his.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 7.

III. Sedes Apostolica providet attentiùs ne quid in fraudem voti fallaciter confingatur. *Ibid. De Fide instrum.* Cap. *Quod super his.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 7.

IV. Si aliquos per suppressionem veritatis, aut falsitatis expressionem, literas Apostolicas, etiam certas, constiterit impetrasse, carere vult impetratis, & eis non obstantibus ad voti executionem compelli. *Ibid. fin.*

V. Sedes Apostolica licentiam concedit votum peregrinationis Hierosolymitanæ, taliter commutare, ut expensas, quas quis fuerit in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui (Religioso) committat in necessarios usus Terræ illius sine diminutione qualibet transferendas; laborem etiam laboribus recompenset, sollicitiùs instando vigiliis, devotiùs vacans orationibus, & in jejuniis fortiùs se exercens. *De Voto.* Cap. *Magnæ.* §. *penult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 7.

Sedes Apostolica Episcopo, seu illius Vicario committit, quatenus constito sibi legitimè de veritate petitionis, votum castitatis, Oratori ad hoc, ut matrimonium semel dumtaxat legitimè contrahere possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum singulis se mensibus, semel, vel quoties illi videbitur, ac in alia pœnitentiæ opera per eum injungenda, inter quæ sint etiam aliqua quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaverit, secumque & cum illo desuper dictum votum dispensando, Apostolica autoritate commutet, ita quod si dictus Orator mulieri cum qua contrahet supervixerit, maneat posteà cœlebs, & eodem voto, ut priùs, obligatus. *Ex Formula Ordinaria dispensationum ex dataria promanantium.* Vide CORRADUS. LIB. VIII. *Dispensat.* Cap. 10. *p.* 381.

Sacra Pœnitentiaria discreto Viro Confessori committit, quatenus si est, ita latorem, audita priùs Sacramentali Confessione, à mutatione propositi absolvat, hac vice tantùm, injuncta ei pœna salutari, sibique votum castitatis ad hoc tantum, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere & reddere, licitè possit: dispensando commutet in Sacramentalem Confessionem quolibet mense, & in alia pœnitentiæ opera per eum injungenda, tamdiù duratura quamdiù commutationi præfatæ locus erit, inter quæ sint aliqua pietatis quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi Voto adstringebatur, prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaverit in foro conscientiæ, ita quod, si mulieri cui conjungetur supervixerit, castitatem servet, utpote eodem Voto, ut priùs, obligatus; & si extra matrimonium fornicatus fuerit, aut mortua dicta muliere aliud matrimonium contraxerit, sciat se contra votum hujusmodi facere, & debitum conjugale exigere non posse. *Ex formula ordinaria Dispens. ex Sacra Pœnitentiaria promanantium. Ibid. apud* CORRADUM & *Manuductio.*

Observandum est, cùm dispensatio necessaria est pro foro externo, illam esse requirendam a Dataria, tumque ipsum Summum Pontificem autoritate Apostolica Episcopo, aut ejus Vicario, seu Officiali, hanc dispensationem committere, unde semper incipit à nomine Pontificis pro tempore regnantis: cum verò dispensatio necessaria est, tantùm pro foro conscientiæ, ac votum est omnino occultum, tunc illa requirenda est tamen à Sacra Pœnitentiaria, cujus literæ incipiunt à nomine Cardinalis Sacræ Pœnitentiæ præpositi, seu, ut aiunt, Magni Pœnitentiarii, & inscribuntur discreto Viro Confessori duntaxat, vel etiam Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, & valent tantùm pro foro conscientiæ, nec alio modo executioni demandari debent ac possunt, quàm in Sacro Pœnitentiæ Tribunali, audita priùs pœnitentis confessione. Eadem formula servatur pro commutatione Voti Religionis, in qua injungi præcipiuntur aliqua opera religionis, quam ingressurus fuisset Orator, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis qua hujusmodi Voto adstringebatur.

SECTIO IX.

Quæ sint causæ magis ordinariæ propter quas Sedes Apostolica votorum commutationem injungat.

I. Sedes Apostolica mulierem, quæ ex Voto Hierosolymam se profecturam proposuit, quia in Partibus illis præsentia sua non posset esse utilis, sed damnosa, a Hierosolymitano itinere revocat. *De his qui filios occiderunt.* Cap. *Veniens. in Integra.* LIB. V. DECR. *Tit.* 10. Cap. 1.

II. Dominus Papa votum revocat & commutat, etiamsi de Jure Naturali debeatur. *Glossa.*

III. Sedes Apostolica eum qui in puerili ætate constitutus Hierosolymam disposuit proficisci, à Voto quod in ætate tenera, facilitate potiùs, quàm ex arbitrio discretionis promisit, absolvit: ita tamen quod idem votum eleemosynis redimat, & juxta Consilium Sedis Apostolicæ, tot viros suæ tempore, uni pauperum CHRISTI, dummodo ad hoc suæ facultates sufficiant, debeat providere. *De Voto.* Cap. *Venientis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34 Cap. 2.

IV. Ætatis jam senescentis defectus atque canities, quæ vix labores ac dolores suos tolerare possunt, etiam in quiete, ad commutandum votum peregrinationis Hierosolymitanæ specialiter inducunt Sedem Apostolicam. *De Voto* Cap. *Magnæ.* §. 4. LIB. III. DECR. *Tit.* 34 Cap. 7.

V. Sedi Apostolicæ exhibita petitio continet, quod aliàs dictus N.. Deo vovit se castitatem servaturum; cùm autem dictus N.. ita stimulis carnis agitetur, ut continentiam servare posse non speret, ac propterea matrimonium contrahere desideret, Summus Pontifex ipsum à quibusvis censuris absolvens, & absolutum fore censens, hujusmodi supplicationibus intentus, discretioni Vicarii Episcopi per Apostolica scripta mandat, quatenùs Votum prædictum castitatis, dispensando autoritate Apostolica

lica commuter. *Ex formula Dispensationum ex Dataria promanantium. Apud* CORRADUM. LIB. VII. *Dispens. Apost.* Cap. 10. p. 381.

VI. Magno Pœnitentiario oblata petitio continet quod lator præsentium alias simpliciter vovit castitatem servare, cum autem dictus lator continenter vivere posse diffidat, ideò pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam sibi votum præfatum, ad effectum contrahendi matrimonium, in alia pœnitentiæ opera commutari. *Ex formula commutationis Votorum à Sacra Pœnitentiaria promanantium. Manuductio. p. 51.*

VII. Pro commutatione voti Religionis causæ, etiam magis ordinariæ, sunt, vel quod lator continenter vivere posse diffidat; pro casu etiam illi permittitur matrimonium contrahere; vel quod lator habeat pauperrimos parentes quibus ex proprio labore victum quærere teneatur; vel quod per ætatem, infirmitatem, aliave de causa onera Religionis sustinere non possit, vel quod mulier non habeat dotem sufficientem: quibus in casibus commutatur votum Religionis, dummodò lator vitam cælibem ducat.

SECTIO X.

Episcopos posse commutare alia omnia vota; ac quomodo?

De peregrinationis votis, an Eleemosynis redimi possint, vel pro necessitate in aliud commutari? Respondetur quod ab ejus qui præsidet pendet arbitrio, ut consideret diligentiùs qualitatem personæ, & causam commutationis; scilicet an ex infirmitate, seu affluentia divitiarum, an alia causa probabili peregrinatio, an recompensatio melior fuerit & Deo magis accepta, & secundùm hoc habeat exinde dispensare. *De Voto.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 1. *Appendice Concilii* LATERAN. *Part.* 49. Cap. 19.

SECTIO XI.

Quomodò Vota antiqua solvi debeant à fidelibus, & qua ratione à Clericis exigi?

I. Cùm aliqui à longis retrò temporibus à Votorum solutione cessarunt, si non constet ad quam mensuram Antecessores eorum prædicta Vota solverint; ut sciatur ad quam mensuram solvere illa cogendi sint, distinguendum est, utrum habitatores regionis illius qui ea continue persolverunt ad unam & eamdem mensuram hujusmodi Vota persolvant, an ad varias & diversas. *De Censib.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 18.

II. Si communiter omnes una & eadem mensura in solutione Votorum utuntur; ad eamdem & illi solvere sunt cogendi. *Ibid. in Integra.*

Successor tenetur ad id quod Antecessor solvere consuevit. *Glossa.*

III. Quod si solutio per mensuras distinguitur varias & diversas, & illi volunt solvere ad minorem; non sunt utique compellendi, ut ad majorem persolvant. *Ibid. in Int.*

Minor pars tenetur facere quod major. *Glos.*

IV. Cum hujusmodi Vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à Viris Ecclesiasticis exigenda; ne tanquam exactores nimiùm videantur lucris temporalibus inhiare. *Ibid. in Int. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 18.

In dubiis libetum est sequi quod magis placuerit. *Glossa.* Adversatur Regulæ, in dubiis tutius est eligendum. Tollitur contrarietas à *Glossa* sequenti, quæ gratis sunt oblata benignè sunt exigenda. *Glossa.* Intelligi etiam potest Prior Regula de Votis Pœnalibus, in quibus, ut in pœnis, benignior interpretatio est facienda.

Clerici lucris temporalibus inhiare non debent. *Glossa.*

SECTIO XII.

Ad quid teneantur qui Religionis Votum emiserant, seu, qui Votum simplex emiserunt suscipiendi habitum Religionis?

I. Qui etiam infirmitate gravatus Votum ut fieret Monachus se asserit emisisse; talis ut fiat Monachus, & reddat Domino, quæ promisit, erit utique compellendus. *De Reg.* Cap. *Porrectum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

Qui Votum facit, ut fiat Monachus, compellendus est reddere Domino quod promisit. *Glossa.*

II. Qui cùm vovissent Religionis habitum suscepetunt, & antequam essent vinculo professionis adstricti ad priorem statum sunt reversi; si austeritatem Religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem Religionem cogendi sunt pertransire, ne contra votum suum quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum, comprobentur venire. *De Reg.* Cap. *Super eo. in Int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 9.

III. Si is qui convertitur proposuerit absolutè vitam mutare, ut sub habitu Regulari Omnipotenti Deo de cætero famuletur; debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem regulam transire. *De Reg.* Cap. *Consulti.* §. *Licet.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 20.

IV. Si verò proposuerit conditionaliter experiri observantiam Regularem, ut ita demum, si intra annum sibi placuerit, profiteatur Ordinis Disciplinam, aut si fortè non placuerit, moribus emendatus ad statum pristinum revertatur, potest ad sæculum, non tamen ut vivat seculariter, remeare. *De Reg.* Cap. *Consulti.* §. *Licet.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 20.

V. Qui desiderans ad frugem melioris vitæ transire Officium Plebani resignavit, & de sua conversione promissionem fecit, neque professionem solemnem emittens, neque habitum Religionis assumens; etsi Parochiani aliique illum postulent ministrare ibidem, nisi Summus Pontifex annuendum duxerit postulatis, non potest exercere Plebani Officium. *De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei timorem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 5.

VI. Qui suscipiendi habitum Regularem votum emisit, & postmodum promisit se infra certum tempus Votum quod emiserat impleturum; cùm vocatus fuerit ad regimen Ecclesiæ Cathedralis, si suam omnino sanare desiderat conscientiam, regimen resignet Ecclesiæ memoratæ, ac reddat Altissimo Vota sua. Quod si postmodum Canonice fuerit electus, electionem recipere poterit de se factam. *De Voto.* Cap. *Per suas.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 10. Videretur quod cum electio ad Episcopatum liberet à Votis emissis Religionis, multò magis eximere debet à Voto in illam intrandi.

VII. Si quisquam qui se Religioni devovit, non professionem, sed Votum solummodò fecit, & se ad Religionem transiturum promisit; licet posteà matrimonium contraxerit, non est cogendus ad Religionem transire, & matrimoniale Votum rescindere. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Meminimus. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 3. Matrimonium contractum prævalet Voto Religionis amplectendæ, sicut prævalet anterioribus cum alia sponsalibus.

VIII. Quamvis aliquando spes alicui data fuerit, quod cibis ad libitum in Monasterio possit uti, ac proprium retinere, & etiam appetitum libidinis extinguere in eodem, per quam se proponit inductum, ut se castitatem servaturum promitteret, & Monasterii obsequio se devoveret; si tamen eo tempore, quo se devovit purè, simpliciter, et voluntariè, pro amore Dei, & remedio animæ suæ solummodò ad Votum, & ad alia suprà dicta noscitur processisse; propter hoc à Consortio secularium hominum debet discedere, vitamque mutare. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. *Dudum.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32.

Cap

Cap. 20. Conditio retentionis bonorum, utpote contraria substantiæ Professionis Religiosæ, istam irritat.

IX. Si inter aliquos mutuus intervenerit per verba de præsenti consensus, consummandum est Matrimonium jam contractum; nisi eorum aliquis se voto adstrinxerit, ad observantiam Regularem: in quo casu compelli potest, ut relicto sæculo Religionis propositum exequatur. *De Convers. Conjugatorum.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. *Tit.* 32. Cap. 14.

X. Si quisquam qui se Religioni devoverit, & habitu suscepto professionem fecerit, postmodum aliquam sibi copulaverit; est ab eâ cogendus recedere, & ad Ecclesiam, cui se contulit, debet fine contradictione transire. *Append. Conc.* LATER. III. *Parte* 6. Cap. 9.

XI. Si habitum non suscepit nec professionem, sed solummodò votum fecit, & se ad Religionem transiturum promisit; licet posteà Matrimonium contraxerit, non est ad Ecclesiam cogendus transire, & Matrimonii votum rescindere. *Ibid.*

XII. De Virginibus, quæ in proposito Virginali semper se simulaverunt permanere, si nupserint, aliquanto tempore bis agenda pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 2.

XIII. Si quæ Vidua propriâ fuerit voluntate continentiam professa, ejus intentio pro se reddat rationem Deo; quia, sicut secundùm Apostolum, si se continere non poterat, nullatenùs nubere vetabatur: sic secum habitâ Deliberatione promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 8.

XIV. Hæ quæ in proposito virginali semper se permanere simulaverunt, licet relatæ non fuerint; si forte nupserint, his agenda est aliquantò tempore pœnitentia quia sponsio earum à Domino tenebatur. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 9. *Ha verò.* Vide THOMAS. *Discipl. Ecclesiæ. Part.* 1. LIB. I. Cap. 50. *Part.* 2. LIB. I. Cap. 41. 42. ubi ostendit Virgines & viduas sese obligasse ad continentiam ante susceptionem solemnem velaminis, ac ideò quæ ut ad illam obligatæ semper se gesserant, à proposito suo resilire non potuisse: simulare, hic videtur sumi pro se gerere; vel si quæ assumpto habitu religioso, fingebant se velle in statu illo permanere, pro Religiosis habebantur: ex habitu judicabatur de intentione.

XV. Excipiuntur à facultate absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, nedum vota peregrinationis ultramarinæ, sed etiam castitatis, & Religionis vota. *Cap.* 5. *De Pœnitentiis. Extravagant. Communium.*

Verba illa, *Religionis Vota*, intelligi possunt, de votis jàm emissis, quæ verè Religiosum faciunt, cùm Religiosum efficiant, ac de votis emittendis ex voto intrandi in Religionem: hinc Quæstio, an priori modo sumenda, an posteriori? Cùm autem agatur de reservatione etiam speciali, quæ duplici titulo odiosa est, nimirum, ut reservatio cùm detrahat potestati Ordinariorum; ac etiam, ut specialis, cùm restringat facultatem dispensandi etiam in illis, qui generalem à Papâ ab hujusmodi facultatem obtinuerint, consequens videtur, priorem interpretationem præferendam posteriori, idque ob Regulam, in odiosis benignior interpretatio facienda.

Hac ratione fretus pluries respondi, votum Religionis amplectendæ non reservari Summo Pontifici, sed ab Ordinariis liberè & validè posse circà illud dispensari.

CAPUT II.

De Ingressu in Religionem, ac Professione Religiosa, ipsoque Religionis statu.

SECTIO I.

An, & cur necessaria sit probatio, quàm vulgò dicunt Novitiatum ad Professionem Religiosam, & quanto tempore fieri debeat ad Professionis validitatem?

I. Sacer Monasticus Ordo à Deo inspiratus, & ab ipsis Apostolis fundatus, seu à Nominatissimis ac Sanctissimis Patribus excultus. *Concil. ad* THEODONIS VILLAM. *an.* 844. Cap. 3. TOM. VII. CONC. *p.* 1802.

II. Si aliqui mundo abrenunciare & Monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri virorum adire Cœnobium, Fœminæ verò Mulierum ingredi Monasterium CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 5. *Definimus. init.*

III. Tempus probationis à Sanctis Patribus est indultum, non solùm in favorem Conversi, sed etiam Monasterii, ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri: Quod utrimque diligenter est observandum, præsertim cùm ab utroque de reliquo certa notitia non habetur. *De Regularib.* Cap. *Ad Apostolicam.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

IV. Prohibitum est Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet ad Professionem recipiant; & si contra formam præscriptam quoslibet indiscretè receperint, animadversione sunt debitâ corrigendi. *Ibid. De Regularib.* Cap. *Ad Apostolicam.* §. *Ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

V. In subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis est regulariter institutum. *Ibid. fin.*

VI. Quacumque ætate quis habitum Religionis sine probatione susceperit, eam quàm voluerit liberè potest traducere in uxorem, si alia rationabilis causa non obsistat. *De Regularib.* Cap. *Ad nostram.* §. *Quocircà.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8.

VII. Canonica institutio interdicit Monachum antè unius anni probationem effici. CAUS. XVII. QUÆST. II. Cap. 1. GONSALD. *med.*

VIII. Monachum fieri antè unius anni probationem Regularis institutio interdicit. *De Regularibus,* Cap. *Ad Apostolicam.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

IX. In virtute obedientiæ, & sub pœnâ ex communicationis, autoritate Apostolicâ districtiùs inhibitum est Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ne ante annum probationis elapsum quemquam ad Professionem sui Ordinis, seu renunciationem in sæculo faciendam recipere, nec constitutum infra hujusmodi annum aliquatenus impedire, quominùs infra ipsum ad aliam Religionem quam maluerit transeat, vel omninò ad sæculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, præsumant. *In* 6. *De Regularib.* Cap. *Non solùm.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 2. Insinuat Textus hac præproperâ professione prædictos Religiosos sua commoda quæsivisse.

X. Quòd si contra hanc prohibitionem quempiam recipere præsumpserint, is qui taliter receptus fuerit, nullatenùs illorum Ordini alligatus, ipsique à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem Ordinis, sunt ipso facto suspensi, & insuper pœnæ subjiciendi, quæ Fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit. *Ibid in* 6. *De Regularibus.* Cap. *Non solùm.* §. *Ult.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 2.

XI. In quacumque Religione, tàm Virorum quàm Mulierum, qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem non admittatur. *Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Reform.* Cap. 15. *Comitiorum* BLES. *Articulo* 28.

XII. Professio anteà facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Reform.* Cap. 15. *fin.*

XIII. Annus probationis est maximè in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus. *In* 6. *De Regularibus.* Cap. *Non solùm.* §. 1. *med.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 2. ALEXAND. II. TOM. IX. CONC. *p.* 1134. *Epist.* 26. Declarat professionem Cosaldi Presbyteri

irritam,

irritam, ex eo quod facta fuerat non præmissa annua probatione, præcipitque ut illi restituatur Beneficium: abdicaverat ab futuram status mutationem. Hinc illustratur famosus *Canon.* 1. CAUS. XVII. QUÆST. II. laudari solitus, ut ostendatur, quod resignans metu mortis, salvus vel sanus factus, regredi possit in Beneficium sic resignatum.

XIV. Hoc spatio vita moresque eorum quos in conversione susceperint, comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit; nam cum grave sit inexpertos hominum sociari obsequiis, quis possit dicere quàm sit gravius ad Dei servitium improbatos applicari. CAUSA XIX. QUÆST. III. *Cap. 6. Monasteriis. med.* S. GREGOR.

XV. Constitutio quæ prohibet Conversorum professionem recipi ante annum probationis elapsum in Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus; eadem ad aliorum Mendicantium Ordines fuit prorogata. *Ibid. in 6. De Regularib. Cap. Constitutionem. init.* LIB. III. *Tit.* 14. *Cap.* 3. Hanc ad omnes & quosvis Religiosos produxit *Concil.* TRID. *loco supra cit.*

XVI. Post decimum quartum ætatis annum, an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum Religionis assumere cultum. CAUSA XX. QUÆST. II. *Cap. 1. vid. Bullam 71. & 72.* SIXTI V. *ann.* 1587. & 1588. *Bullarii Tomo* II. *p.* 606. *&c.*

XVII. Ex quo Novitiatus fieri cœpit in habitu Religioso, probatio duplex necessaria, altera ad habitûs receptionem, altera ad professionem.

SECTIO II.

Neminem censeri posse Religiosum sine professione expressâ; quâ ætate fieri debeat, & quomodò?

I. Is qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non potest, donec sit tacitè vel expresse professus. *In 6. De Sententiâ excommun. Cap. Religioso. §. Quamvis. init.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 21. Galli non admittunt professionem tacitam.

II. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 28. Professio an. 25. nisi aliquâ cogente necessitate, pro qua licitum est hæc Statuta mutare. TOM. VII. *Conc. p.* 1265. loquitur de Consecratione Virginum, quæ non fiebat antè annum 25.

III. S. BASIL. *in Epist.* 2. *Canon. Cap.* 19. TOM. II. CONC. *Append. p.* 1734. professiones virorum non novimus, præterquam si qui se ipsos Monachorum Ordini addixerint....sed in illis illud præcedere oportere, ut ipsi interrogentur, & evidens ipsorum accipiatur professio.

IV. Monachum facit non habitus, sed professio Regularis. *De Regularib. Cap. Porrectum. §. Inquisitioni. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 13.

V. Per professionem, Monachi & Regulares Canonici fiunt. *De Electio. Cap. Cùm in magistrum. §. mandamus. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 49.

VI. Qui se ac sua ad participationem orationum Monasterio alicui pietatis intuitu obtulit, non propterea Monachus efficitur. *De Successionibus ab intestato. Cap. Cum dilectus. init. colligitur. Glossa* Verbo *Participationem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 3.

VII. Monachum propria professio facit. CAUSA XX. QUÆST. I. *Cap. 3. Monachum. ex Concil.* VORMAT. *anni.* 868. *Can.* 23. TOMO VIII. CONC. *p.* 950.

Habetur in Textu (aut Paterna devotio) sed jam hoc non est in usu.

VIII. Nullus tondeatur, nisi in legitimâ ætate & spontaneâ voluntate. *De Regularib. Cap. Nullus* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 1.

IX. In quacumque Religione, tàm Virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Refor. Cap. 13. init. Comitiorum* BLES. *articulo* 28.

X. Professio anteà facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Refor. Cap.* 15. *fin.*

XI. Si quis dum infirmitate laboraret, apud Monasterium aliquod sibi petiit habitum Monasticum indulgeri; & recuperatâ postmodum sanitate ad Monasterium illud gratiâ complendi votum accesserit, ibidem moram aliquantulam faciens, non propterea Monachus efficitur. *De Renunciatione. Cap. Ex transmissâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. *Cap.* 3. *init. colligitur.*

XII. Is qui Religionem causâ probationis intravit, ac exinde nullâ facta professione infrà annum exiit, ad Regularem observantiam non tenetur. *De Testibus. Cap. Nuper. in Integra. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 51.

XIII. Si constiterit quod mulier fuit inter Moniales recepta timore violentiæ & rapinæ, & propositum profitebatur se habuisse nubendi, cùm inter eas moram faceret, præfato Monasterio non tenetur, non tamen factum illud contractum matrimonii potest dirimere, etsi fortè posset matrimonium contrahendum impedire. *De Convers. conjug. Cap. Charius. In int fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 11. Qui præsens sæculum professione vocis & habitu reliquerunt. *De Usuris. Cap. 1. in Init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 1.

Nullus habitum Monachi suscipit, spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *Cap.* 20. *Per Laïcos. med.*

SECTIO III.

Quandonam Novitii admitti debeant ad Professionem? Quis illam acceptare possit?

I. Novitius expleto probationis suæ anno, secundùm quod Regula præcipit, indè faciet. *Concil. Aquisgran. ann.* 817. *Cap.* 34. TOM. VII. CONC. *p.* 1509. Ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat. *ibid.*

II. Postquam per annum gestaverint habitum Monachalem, Regulam secundùm formam Ordinis profiteantur. *De Regul. Cap. Ex parte §. 1. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 22.

III. Finito tempore Novitiatûs, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint ad profitendum, admittant; aut è Monasterio eos ejiciant. CONC. TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Reform. Cap.* 16. *med.*

IV. Per hæc, *S. Synodus* TRID. non intendit quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium suum institutum, Domino & ejus Ecclesiæ inservire possit. *Ibid.* CONC. TRID. Hac unicâ exceptione expressa, insinuatur cæteros Religiosos relato Decreto annui Novitiatûs subesse.

V. Qui habitum recipit & professionem emittit, Abbate per se vel per alium professionem recipiente Monasticam, & Monachalem habitum concedente; obligatur, per professionem emissam pariter & acceptam, ad observantiam regularem, & verè Monachus est censendus. *De Regularib. Cap. Ad Apostolicam. §. 2. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 16.

Professio debet recipi per Abbatem seu Superiorem, aut per ejus Delegatum. Per professionem emissam pariter & acceptam fit Monachus.

VI. Mulier quæ mutavit habitum, & Religionis velamen assumpsit, nec in manu alicujus Episcopi, Abbatis, vel Abbatissæ professa est, vel obedientiam promisit, postmodum anno elapso potest abjecto Religionis habitu nubere. *Qui Clerici vel voventes. Cap. Consuluit. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 4.

VII. Ex quo à convertendo votum emittitur & recipitur ab Abbate, talis ut reddat Domino quæ promisit, erit utique compellendus. *De Regular. Cap. Porrectum §. inquisitioni. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. *Cap.* 13. Professionem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit; non enim pueriles voces omninò in his esse ratas existimare oportet, sed etiam quæ suprà sexdecim

ſexdecim annos nota fuerit, rationiſque compos, & diù examinata probataque perſeveraverit, & ut admittatur precibus contendat, tùm oportet in Sacrarum Virginum Catalogum referri. *Ibid.* Cap. 2. ejuſque Profeſſionem ratam habere. S. BASIL. *in Epiſt. Canonica. Canon.* 18. TOM. II. CONC. *Append. p.* 1734.

VIII. Profeſſionis tempore benedicantur veſtes quæ profitentibus conceduntur, ut Novitiorum habitus à Profeſſorum habitu diſcernatur. *De Regul.* Cap. *Statuimus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 23. Hic colligi potuiſſent Deciſiones profeſſionem tacitam approbantes.

SECTIO IV.

Simoniacum eſt pecuniam exigere, vel ex pacto & conventione propriè dictis, vel pro ipſo ingreſſu in Religionem, recipere, vel ſub prætextu ſimulatæ paupertatis: & quæ pœnæ in Simoniacos hujuſmodi ſint decretæ?

I. Nullus Abbas pretium ſumere, vel exigere ab eis qui ad converſionem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat. CAUS. I. QUÆST. II. Cap. 3. *Nullus.* Vide *Conc.* NICEN. II. *Can.* 19. TOM. VII. CONC. *p.* 614. Exactiones ex avaritia factas damnat, Oblationes parentum ex caritate vel juſtitia probat. *Conc.* FRANCOF. *ann.* 794. *Can.* 16. TOM. VII. CONC. *p.* 1060. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 27. *Ibid. p.* 1217. Prius docet Regulam S. BENEDICTI exactiones damnare; poſterius tollit prætextum exigendi, vetando ne plures recipiantur quàm ali poſſint. *Concilium* MELFITANUM *in Apuliâ. ann.* 1089. Cap. 7. TOM. X. CONC. *p.* 476. Nullus Abbas pretium exigere ab iis qui ad converſionem veniunt, ulla placiti occaſione, præſumat.

II. Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis Monachis Canonicis & Sanctimonialibus condemnamus. *Conc.* LONDON. II. *an.* 1127. TOM. X. CONC. *p.* 921.

III. Abbatibus & Abbatiſſis, Prioribus, Prælatis quibuſlibet, & Officialibus eorumdem, ſub interminatione anathematis diſtrictiùs inhibitum eſt, ne per Simoniacam pravitatem aliquos præſumant recipere. *De Simonia.* Cap. *Dilectus. il ſecundo. fin. in integra.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 30.

IV. In Monaſteriis & Religioſis locis reperitur Simoniaca pravitas, cùm in eis aliqui pretio ſunt recepti, qui potiùs gratis recipi debuiſſent, imò etiam ad Religionis obſervantiam invitari. *Ibid. De Simonia.* Cap. *Dilectus. il ſecundo. Poſt init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 30.

V. Si Abbas & Fratres Monaſterii nolunt aliquem in Monachum recipere, quouſque illis pro Monachatu certam ſummam dare convenerit, conventione autem factâ ſtatim eum Monaſticum habitum induant; quoniam factum hujuſmodi pernicioſum videtur, Abbas & Monachi, ad reſtituendam pecuniam præfato Fratri tàm indignè receptam, cum omni diſtrictione compellendi ſunt; & Abbas & majores perſonæ Monaſterii, pro tantæ pravitatis exceſſu, ab Officii executione ſunt ſuſpendendi: & præcipi debet dicto Fratri, ut in alio Monaſterio in habitu Monaſtico Domino ſtudeat deſervire. *De Simonia.* Cap. *Veniens.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 19.

VI. Quoniam Simoniaca labes adeò pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in Sorores; paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitùs prohibitum eſt. *De Simonia.* Cap. *Quoniam. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 40.

VII. Vide *De Simonia.* Cap. 30. loquitur de Abbate de Simonia accuſato, quæ præſumitur potiſſimùm commiſſa per exactiones de quibus agitur.

VIII. Quia non ſatis utiliter avaritia in populo redarguitur, ſi ab his qui in Clero conſtituti videntur, & præcipuè contempto ſæculo Religioſorum nomen profitentur & Regulas, modis omnibus non cavetur; prohibitum eſt, ne ab eis qui ad Religionem tranſire voluerint aliqua pecunia requiratur. *Append. Conc.* LATER. III. *De Sim.* Cap. 10. TOM. X. CONC. *p.* 1563. *De Simonia.* Cap. *Non ſatis. in Int. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 7. Vel 8.

IX. De Regularibus Canonicis, ſeu Monachis, qui per Simoniam ingreſſum ipſis ſcientibus habuerunt, reſpondetur, ut totum quem taliter adepti ſunt, omnino dimittant; & ſolitudines, ſeu alia Monaſteria diſtrictiora adeant, in quibus tàm execrabilem exceſſum ſine intermiſſione deplorent. *De Simonia.* Cap. *De Regularib.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 25.

X. Si ignorantibus ipſis pecunia data fuerit, cogantur ad renunciandum loco eidem, & poſtmodum in ipſum reducantur, ſi ibi abſque ſcandalo potuerint remanere; vel in alio, qui ſit in Ordine ipſo, ad ſerviendum Deo poterunt collocari. *Ibid.*

XI. Statutum eſt, ut quæcumque Moniales paupertatis prætextu, talem commiſerint pravitatem, tàm recipiens quàm recepta, ſive ſit ſubdita, ſive Prælata, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. *Ibid. De Simonia.* Cap. *Quoniam. Poſt init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 40. Vid. GONZALEZ *in verbo Prætextu. n.* 2. ubi concludit quod ſi vera ſit Paupertas, juſta eſt dotem exigendi cauſa.

XII. Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernitur obſervandum. *Ibid.* §. *de his. fin.*

XIII. Univerſis Abbatib. Priorib. Decanis, Præpoſitis & Magiſtris, nec non Abbatiſſis & Prioriſſis, aliiſque Prælatis, quovis nomine nuncupatis, & eorum Officialibus, quarumcumque etiam Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, & Locorum quorumlibet, Religionum, Ordinum etiam Militarium, tàm Exemptorum, quàm non Exemptorum, quocumque nomine cenſeantur; ac Capitulis, & Conventibus, & Singularibus Perſonis eorum, autoritate Apoſtolicâ (quamvis ſit eis à jure inhibitum) diſtrictiùs inhibitum eſt, ne tàm à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Domus, ſeu Loca, in earumdem Perſonarum receptione, aut ante, vel poſt illam, quoſcumque partus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præſumant: Sed eas potiùs cum omnimodâ pietate recipiant, ac in victu & veſtitu, ſicut alias Perſonas ſuarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, & locorum, ſincera caritate pertractent. *Extravag. Sanè ne in vinea Domini. De Simonia. Extravag. commun.* LIB. V. *Tit.* 1. *De Simonia.* Cap. 1. §. 2. *Nos igitur.* URBANUS IV. *alias* V. *anno Chriſti* 1262. FELINUS SANDÆUS *Ferrarienſis* Sacri Palatii Apoſtolici Auditor dicit ſe audiviſſe à fide dignis, quod URBANUS V. non intendebat comprehendere Moniales pauperes quæ conſueverunt aliquid recipere vigore Conſuetudinis. *Gloſſa.* Verbo *Sanè.*

XIV. Qui ſecùs egerint, ſi ſint Singulares Perſonæ tàm dantes, quàm accipientes hujuſmodi, excommunicationis; ſi Capitulum, vel Conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decretum eſt ſubjacere: A quibus, præterquam in mortis articulo, abſolvi nequeant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. *Ibid.*

XV. In Monaſteriis & Domibus, tàm virorum & mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur ac in poſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum; vel ex conſuetis Eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. *Conc.* TRIDENT. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 3. *fin.*

XVI. Non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Monachorum, aut Clericorum, ſeu etiam puellarum, quàm quot ſe regere de bonis Eccleſiæ abſque penuriâ poſſint. *De Inſtitutionib.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 1.

Cap. 1. GONZALEZ legit *degere*, non *se regere*, quod congruentiùs. Hic Textus ac præcedens, aliique Canones, obviam erunt prætextui exigendi à Recipiendo, quia in hac exactione, etiam justa, occurrit quædam species mali quam vitare expedit, iis præsertim qui ad perfectionem specialiter vocantur.

SECTIO V.

Posse Ingredientes Religionem liberè se & sua offerre, & Recipientes quæ sponte oblata sunt liberè recipere, & quo tempore illa donari possint?

I. Aliud est sua sponte offerre; aliud exacta persolvere. ANNA mater SAMUELIS non exacta, neque perita, sed sponte munera Sacerdotibus obtulit: non ergo permittitur Rectoribus ab ingressuris aliquid exigere, sed sponte oblata suscipere, quia illud damnabile est, hnc verò minimè. GRATIANUS, CAUSA I. QUÆST. II. *init.* §. 2. *Hinc liquido.*

II. Abbates & Abbatissæ, Priores & Prælati quilibet, illud duntaxat gratanter accipiant quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. *De Simonia.* Cap. *Dilectus. A secondo. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. *Cap.* 30.

III. Cum constat quod aliquis Monasterio se & sua obtulit humiliter & devotè, nec ea adverso probatur quod oblationis tempore fuerit minor annis, tenet donatio. *De Probationibus.* Cap. *In præsentia* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 8.

IV. Universi Abbates, Priores, Decani, Præpositi & Magistri, necnon Abbatissæ & Priorissæ, aliique Prælati quovis nomine nuncupari, illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè & spontè, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recipiant. *Extravaganti Sanè nr in vinea. med. de Simonia. Extravagantium Communium*, LIB. V. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

V. Ante professionem, excepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis qno in probatione est quocumque prætextu à parentibus vel propinquis, aut Curatoribus ejus, Monasterio nihil ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat quod totam vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat: nec facilè, si discesserit, id recuperare possit. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECRET. *De Refor.* Cap. 16. *med.*

VI. Præcipit Ecclesia sub anathematis pœnâ dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; & ut abeuntibus ante professionem, omnia restituantur quæ sua erant: quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. I. *De Refor.* Cap. 16. *fin.*

Nulla renunciatio aut obligatio intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam juratâ, sit irrita & nullius effectûs: *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regularib.* Cap. 16. *post init.*

SECTIO VI.

An libera ac planè spontanea fieri debeat professio, & quid si fiat per dolum?

I. Si quis eo tempore quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu Monachali, cùm alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, denunciari debet ab observatione Monastici Ordinis absolutus. *De Regularib. Cap. Sicut tenor.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 15.

II. Cavendum ut nullus tondeatur sine legitimâ ætate, & spontanea voluntate. *Conc.* MOGUNTIACUM *ann.* 813. *Can.* 23. TOM. VII. CONC. *p.* 124. *De Regularib. Cap.* 1.

III. Sciendum est, quoniam aliæ sunt virtutes sine quibus ad vitam ingredi non possumus, aliæ verò quæ non nisi ab sponsore requiruntur &c. NICOL. I. *ad Consulta* BULGAROR. Cap. 87. TOM. VIII. CONC. *p.* 545.

IV. Non est quisquam Monachus nisi, mentis suæ factus compos, voluntate spontanea professionem fecerit Monachalem. *Ibid. De Regular.* Cap. *Sicut tenor. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 15.

V. Quicquid necessitate fit, citò solvitur; quod voluntate arripitur, perseverat. *De Consecrat.* DIST. V. Cap. 27. *Quicquid.* S. HIERONY. *in* Cap. 7. *Osea. ann.* 408.

VI. Voluntarium sibi militem legit CHRISTUS. CAUSA XV. QUÆST. I. Cap. 10. *Non est. fin.*

VII. Usquedum Divina inspiratione compunctus aliquis propria voluntate Regulæ se subdat; liceat eum in Canonica degere vita. CAUSA. XX. QUÆST. III. *Cap.* 4. *Præsent. fin.*

VIII. Inutile est ut coacta servitia Domino præstentur. CAUSA XX. QUÆST. I. *Cap.* 10. Quod quis non eligit, nec optat, profectò oon diligit; quod autem non diligit, facilè contemnit: nullum quippè bonum nisi voluntarium. Idcircò Dominus non ferendam in viâ virgam per quam violentia ulli inferatur, præcepit. Quapropter consultiùs agitur, si piis suasionibus ad contemptum mundi & amorem Dei, quàm violentiam inferendo, ad cælestem amorem aliquis accendatur. *Ibid.* CAUSA XX. QUÆST. III. Cap. 4. *Præsens. versus finem.*

IX. Hi qui inviti sine justæ offensionis caosa in Monasteria sunt intrusi; nisi volentes non teneantur: quia quod non petunt, non observant. CAUSA XX. QUÆST. I. Cap. 9. *Sicut. post init.*

X. Si qui manumiserit mancipium hac conditione, ut Monachus fieret, & in aliquo Monasterio permaneret, adjiciens ut, si contrà faceret, servituti iterùm subderetur, illi Monasterium deserendi nulla est facultas, & manumittentis voluntas non valet præteriri. *De Conditionib. appositis. Cap. Cùm sit proprium.* LIB. IV. DECR. *Tit. V. Cap.* 2. Servi censebantur ut possessiones, quas Dominus pro voluntate sua dare potest, nec in hac donatione voluntas illorum attendebatur.

Abbates qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt; pœnitentiæ Canonicæ ut potè turpis lucri sectatores subjaceant: hi verò qui illecti comam deposuerunt, in eo quod cœperunt perseverare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur. CAUSA XX. QUÆST. III. Cap. 5. *Constituit.* Quod etiam refertur CAUSA XVI. QUÆST. VII. Cap. 41. *Vide* VANESPEN. in hunc Textum *p.* 147. *Col.* 2. Ex *Concilio* CABILLONENSI II. Cap. 7. *ann.* 813. dolus ceciderat non in professionem, sed in donationem bonorum, quæ ideo corruit stante professione.

In hujusmodi spiritualibus, dolus adversarii non vitiat contractum. *Glossa* verbo *spes.* Sensus illius Glossæ & sequentis est, Monachos prædictos sine dolo persuasos fuisse sibi expedire ut Religionem intrarent; dolus in spiritualibus non rescindit contractum, quia non fit cooditio illius.

SECTIO VII.

Nullam esse omninò ac planè irritam professionem Religiosam quæ per vim & metum cadentem in constantes fuit emissa.

I. Psalmographi verba recoli debent, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronuntiat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat, qua-

quapropter filius qoem pater extra omnem illius voluntatem cuculla induit, quique numquam se fieri Monachum consensit, minimè debet existimari sub tali violentia fieri Monachus. Caus. XX. Quæst. III. Cap. 4. *Præsens. med. Concil.* Eugenii II. *ann.* 826. Cap. 32. Tom. VIII. Conc. *p.* 111. loquens de Professis invitis, Quod non petunt, non observant, ideoque tales considerandi sunt magis peccata committere quàm plangere. Joannes VIII. *Epist.* 126. Tom. IX. Conc. *p.* 163. ait de muliere professa quod non elegit, ut perferat non esse cogendam.

II. Nullus Episcopus, vel Abbas, seu Monachorum Reliquorum Conventus, illum Regulis invitum subjacere compellat; neque ullo modo Fratres ejus per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum hæreditate privare. *Ibid. versus finem.*

III. Satis inutile est ut coacta servitia Domino præstentur. Caus. XX. Quæst. I. *Cap.* 10. *Illud. fin.*

IV. De S. Leonis Papæ Constitutione refertur Caus. XX. Quæst. I. Cap. 8. *Puellæ.* Per contrarium sensum assumitur, ut puellæ quæ coactæ parentum Imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere. *De Regularibus.* Cap. *Cùm virum. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12. hinc uterque textus docet liberam esse debere professionem.

Benedictionem nonnisi in ætate discretionis recipiunt quæ velantur; tuneque, quia liberum habent arbitrium, in electione præpositi, sequi parentum non coguntur voluntatem. *Ibid. De Regularib.* Cap. *Cùm virum. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12.

SECTIO VIII.

Quod sit juris remedium cùm Religiosi prætendunt se non fuisse professos; & quandonam audiri debeant?

I. Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum: non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 19. *init.*

II. Tunc non aliter audiatur, nisi causas quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regularibus.* Cap. 19.

III. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur; & tamquam Apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. *Ibid. Conc.* Trid.

IV. Is cujus experientiæ Sedes Apostolica causam Regularis duxerit committendam, tàm Regularem ipsum quàm Superiorem & Monachos præscripti Monasterii ante suam præsentiam convocare debet, causam diligentissimè auditurus, & fine Canonico terminaturus. *De his quæ vi. &c.* Cap. 1. *In Integra.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 1.

V. Quod si legitimè probatum fuerit non timore gravi prædictum Regularem Religionem intrasse, aut quod fecit ratum postea habuisse; ipsum ad Monasterium redire Censura Ecclesiastica compellere debet. *Ibid. De His quæ vi.* Cap. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 1.

VI. Quæ asserit se Benedictionis munus invitam suscepisse, non videtur Monasticæ professionis à se posse jugum excutere, cùm eam non constat evidenter contradixisse, cum Benedictionem accepit; præsertim si ratihabitione secuta, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, quod ante gestum fuerat, roboratur. *De Regularibus.* Cap. *Cùm virum. in Integra.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap 12. *med.*

VII Cùm in emissione Voti quod præcessit, nulla

vel modica coactio adfuit, quam patientia & perseverantia sequentis temporis penitus profugavit; Regularis ad servandum quod vovit, moneri & induci debet, & si opus fuerit per Censuram Ecclesiasticam coërceri. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Insinuante.* §. *ult.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 7.

SECTIO IX.

Quomodo probari debeat professio à Religioso facta, & ad quid obliget?

I. Omnes fœminæ venientes ad Sacram Religionem, conscriptam roboratamque professionem faciant, post quam scripturam, non sinantur relabi ad prævaricationis audaciam. Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 36. *Omnes Fœminæ. Conc.* Tolet. X. *ann.* 656. Usum scribendi professionem, eamque scriptis probandi, jamdiu Gallia sequitur.

II. Si Superior ad probandum quod aliquis professionem fecerit, quosdam Ordinis sui testes inducat; illorum testimonio, nisi jurati deposuerint, in alterius præjudicium credi non debet. *De Testib.* Cap. *Nuper.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 51. Hæc probatio non admittitur, ubicumque professio scriptis consignanda est.

III. Professio expressè emissa, etiam sæculari habitu non mutato, illi Religioni præcisè obligat quam profitens est professus. *In* 6. *De Regular.* Cap. *Constitutionem.* §. *aliis. post init.* Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 3.

Quæ Sanctæ Religionis obtinere propositum voluerit, Sacerdoti, vel Ministro scriptis professionem faciat, à se aut signo aut subscriptione notatam; continentem, se & Religionis propositum velle, & hoc perenniter inviolatè servare. Caus. XX. Quæst. I. Cap. 16. *Vidua. init.* Scriptura non minùs necessaria videtur in professione quàm in matrimonio: paria incommoda utrimque ex defectu probationis.

IV. Cùm constat quod aliquis bis Monasterio se obtulit, nec sufficienter fuit ex adverso probatum utrum in secundæ oblationis tempore minor fuerit, silentium imponi debet. *De Probationib.* Cap. *In Præsentia.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 8.

V. Religionum approbatarum professio ad castitatis custodiam, & abdicationem temporalium, & sui Superioris obedientiam, suos professores adstringit. *Extravag.* Joan. XXII. *antiquæ. De Voto & Voti redemptione. Versus finem. Extravag.* Joan. XXII. *Tit.* 6. Cap. *unic.*

VI. Mulieres quæ nulli promittunt obedientiam, nec propriis renuntiant, neque profitentur aliquam Regulam approbatam, Religiosæ nequaquam existunt. Clementina. *Cùm De Quibusdam De Religiosis Domib. init.* Clementinarum. Lib. III. *Tit.* 11. Cap. 1.

VII. Cùm Votum determinatum cujuslibet habeat cadere sub certo, vovens Regulam non potest dici teneri ex vi Voti hujusmodi ad ea Consilia Evangelica quæ in Regula non ponuntur. Clementina I. *Exivi.* §. *cum igitur. p.* 316. *De Verb. Signif.* Lib. V. Clement. *Tit.* 11. Cap. 1.

VIII. Monachi Abbatibus omni obedientia & devotione subjaceant. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 16. *Abbates.* §. 1. *Monachi. init.*

IX. Monachi de obedientia & subjectione Abbatis esse noscuntur. *De Accusationib.* Cap. *Ex parte sua.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 11.

X. Religiosi arbitrium non ex sua, cùm velle vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei suprà caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet. *In* 6. *De Electione.* Cap. *Si Religiosus.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 27. *init.*

XI. Ex professione suæ Regulæ tenentur vivere in obedientia, in castitate, & sine proprio. *Vide cætera.* Clementina. *De Verb. Signif. ante medium.* Religiosus velle vel nolle non habet. *In* 6. *De Testament.* Cap. *Religiosus. init.* Lib. III. *Tit.* 11. Cap. 2. *Et de Sepulturis.* Cap. *Religiosi.* Lib. III. *Tit.* 12. Cap. 5. *Finali.*

XII. Religiosi Viri abnegantes salubriter semetipsos, elegerunt in paupertate CHRISTO pauperi ad placitum famulati, tamquam nihil habenres, & omnia possidentes. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Nimis iniqua. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

XIII. Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. *De Statu Monach.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

XIV. Monachi proprium non habent. *De Accus.* Cap. *Ex Parte sua.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 11. & Cap. *Olim.* 26. *fin.*

SECTIO X.

Quid non possint Religiosi per se facere sine licentia Superioris, Canone vel Regula ipsis vetante?

I. Cùm alicujus Congregationis Fratres non solùm facultatibus sed voluntatibus propriis renunciaverint, & se per promissam obedienriam penitus aliorum potestati & imperiis in CHRISTO & pro CHRISTO subdiderint; certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris licentia. CAUS. XII. QUÆST. I. Cap. 11. *Non dicatis.* §. 2. *init.*

II. Monacho non licet Votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit frangendum erit. CAUS. XX. QUÆST. IV. Cap. 2.

Conc. FRANCOFORO *ann.* 794. *Can.* 11. TOM. VII. CONC. *p.* 1060. vetat ne ad sæcularia negotia nec ad placita exercenda accedant, sicut Regula præcepit.

Conc. AQUISGRAN. II. *ann.* 836. Cap. 2. *Can.* 2. TOM. VII. CONC. *p.* 1750. idem habet quoad Sensum his verbis, absque Canonicæ autoritatis jugo per sæcularia minimè discurrere.

III. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit; primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur si ipse mandaverit: De quo tamen nihil fiat aliud nisi quod Prioti placuerit. *Ibid. fin.*

IV. Religiosus, executor ab aliquo in sua voluntate ultima deputatus, non potest hujusmodi Officium suscipere vel exequi, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia & obtenta. *In 6. De Testamentis.* Cap. *Religiosus. init.* LIB. III. *Tit.* 11. Cap. 2.

V. Religiosi, nisi à propriis Monastetiis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea cum moriuntur commodè portari non possint, nequeunt, cùm velle vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi. *In 6. De Sepulturis.* Cap. *Religiosi.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 5. *Finali.*

VI. Ne quis Religiosus absque majoris partis Capituli & Abbatis sui licentia pro aliquo fidejubeat. *De Fidejussorib.* Cap. *Quod quibusdam. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 22. Cap. 4.

VII. In exequendis Testamentis dari consilium, ipsorum statui non obsistit, cum ex hoc ipsis circa bona Temporalia nulla Jurisdictio, sive animo in Judicio, sive dispensatio tribuatur. CLEMENTINA I. *Exivi.* §. 8. *proinde. fin. De Verbor. signif.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

VIII. Amarissimum habeo, de isto proposito ad Defensoris Officium homines deduci, in quo nullo modo quæ à Monachis Deo promissa sunt valeant adimpleri, omnimoda enim est illius habitus & istius Officii diversitas: illic enim quies, oratio, labor manuum &c. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 20. *De Præsentium.* PELAGIUS circa *ann.* 580. ANTONINA *Patricia*, & *Decia.*

IX. Religiosus non potest sine sui Superioris licentia procurationis Officium suscipere, nisi pro suo in eadem lite consorte. CLEMENTINA *Religiosus. De Procurator. med.* CLEMENTINARUM. LIB. I. *Tit.* 10. Cap. 3.

X. Ne quis sine sui Superioris licentia, prædicationis vel lectionis, vel cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque Personæ seu loci; neque ei aliquod Privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur: Quod si contrafecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regularib.* Cap. 4. *init.* Idem habetur *Constitut.* MELODUN. *Tit.* 23. *Art.* 21. Collectis Casibus unum generalem addere jus est, quod in illis in quibus Abbas dispensare potest, vel quæ prudentiæ suæ dimittuntur, Religiosi egent Abbatis licentia.

SECTIO XI.

Quam sanctè Regulares in Monasteriis vivere debeant; & à quibus actibus illorum professio eos arceat?

I. Omni homini ad Monasticam tandenti vitam, legaliter, sanctè, & juste est peragendum. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 2, *Notificasti. med.*

II. Religiosos decet puritatem omnimodam in suis observare actionibus, & ab his abstinere propensiùs, per quæ possit aliis exempli pernicies generari. *In 6. De Pactis.* Cap. *Quia ex eo.* LIB. I. *Tit.* 18. Cap. 3.

III. Religiosi debent esse viri perfecti. *De Jurejurando.* Cap. *Etsi* CHRISTUS. §. *ult. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

IV. Quantùm possunt juramenti vinculum evitare debent. *Ibid. De Jurejur.* Cap. *Etsi* CHRISTUS. §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

V. Ne Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. Hoc Titulo *Ne Clerici. &c.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50.

VI. Nullus Monachorum forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi quod Monasterii exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 35. *Monachi. fin.*

VII. Monachorum professio, quæ illorum vocem facit funestam, ipsos arcet à Judiciis, & publicis sive Civilibus actibus. *Extravag. Comm. Debent Superior.* §. 2. *med. Extravag. Commun.* LIB. I. *Tit. De Offic. Jud. Ordin.* Cap. 1.

VIII. Conductores sæcularium rerum, aut Procuratores esse, & his similia, Monachos omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Multa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1.

IX. Districtiùs puniendum est, si Religiosorum quisquam procurationes Villarum aut Jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus & Sæcularibus viris ut Justitiarius eorum fiat, ausus fuerit attentare. *Ne Clerici. &c.* Cap. *Sed nec.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 4.

X. Qualibet occasione non permittantur Monachi commatres sibi facere. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 10. *Pervenit. med.*

XI. Abbas vel Prior nunquam Monachis dabit licentiam egrediendi Monasterium, ut infantes à Sacro Baptismatis fonte suscipiant. *Constitution.* MELODUN. *Tit.* 23. *Art.* 12.

XII. Sub interminatione Anathematis prohibitum est, ne Monachi causâ lucri negotientur. *Ne Cler. vel Monachi.* Cap. *Secundum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 6.

XIII. Et ne Monachi à Clericis vel Laïcis suo nomine firmas habeant. *Ibid. Ne Clerici. &c.* Cap. *Secundum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 6.

XIV. Monachorum instituta ad obedientiæ ac disciplinæ rationem pertinent. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 45. *Ex Concil.* ACTIONE 5. *ann.* 880. *juxta* novam interpretationem.

SECTIO XII.

An Regulares possint habere aliquid proprium, & quæ pœnæ decreta sint in eos qui proprium aliquid possident?

I. Prohibitum est districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprii totum iocontineuri resignet. *De Statu Monachorum.* Cap. *Cum ad Monasterium.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6. *Vide in Integro.*

II. Ingredientibus Monasterium, convertendi gratia, ulteriùs nulla sit testandi licentia, aperta Legis definitione sancitum est. *De Testam.* Cap. *Quia in int.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 2.

III. Testamentum Abbatissæ nullum esse Legali sanctione permittitur. *Ibid. fin. Vide* Gonzal. Ibid. *in Commentario.* Hac voce *permittitur* denotat, quod Lea aprobavit proprii abdicationem, indeque sequentem disponendi incapacitatem.

IV. Respondit se non posse testari, quia se & sua contulerat Monasterio. *De success. ob int.* Cap. 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 27. Cap. 2. *Vide de Sepult. Tit.* 28. Cap. 4.

V. Non æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cùm aliquo Monacho dispensare. *Ibid. De Statu Monach.* Cap. *Cùm ad Monasterium* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6.

VI. Si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, oon præsumat illud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur. *Ibid.* §. 1. *fin.*

VII. Monachi peculium non permittantur habere, *De Statu Monach.* Cap. *Monachi. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 2.

VIII. Nemini Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerit, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 1. *init.*

IX. Nec liceat Superiotibus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam; mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. *Concil.* Trid. *Ibid.*

X. Quod si quis aliter quidqnam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit; atque etiam juxta suæ Regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur. *Concil.* Trid. *Ibid.* Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 1. *fin.*

XI. Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur Altaris. *De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 2.

XII. Qui in eatremis cum peculio inventus fuerit & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat Sepultutam; quod de universis Religiosis debet observari. *Ibid. De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. 2.

XIII. Monachi & alii Regulares, qui de obedientiis & reditibus quorum curam gesserunt pecuniam congregaverunt, proptium in manibus Prælatorum suorum sine difficultate resignent, convertendum in utilitatem domus, secundùm Abbatis consilium. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Quantò.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 7.

XIV. Ut Monachi juxtà Regulam vivant & peculiare nullum babeant &c. *Concilium incerti loci & temporis. Can.* 4. Tom. V. Conc. *p.* 1656.

De largitione munerum. *Vide Bullam* Clem. VIII. *ann.* 1594. *Bullarii* Tom. III. *p.* 39. & Urban. VIII. *p.* 158. *ann.* 1640. *Bullarii* Tom. IV. *p.* 221. Tambur. explicat has Bullas *De Jure Abbat.* Tom. II. Dist. XXII. Quæst. 9.

XV. Non liceat Monachorum aliquem peculiare quicquam habere. *De Regul.* Cap. Joannes. *Med.* Lib. III. Decr. *Tit* 31. Cap. 5.

Religiosus noo potest Testamentum facere. *Vide* Gonzal. *ad* Cap. 2. *De Testamentis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26.

XVI. Ad perfectionem per contemptum bonorum temporalium, & ipsorum expropriationem, via disponitur, per hoc præcipuè, quod sollicitudo, quam temporalia in acquirendo, conservando, & dispensando exigunt, quæ plerumque ab actu Charitatis retrahit, amputetur. *Extravaganti.* Joan. XXII. *Ad Conditorem.* §. 1. *Quomquam post init. De Verb. significatione. Tit.* 14. Cap. 3.

XVII. In omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in pecuniis, sicut nec habent, penitus nihil habere; quapropter præcipere, quod & qualiter pecunia expendatur, compotumque exigere de expensa; eamque quomodocumque repetere, sive deponere; aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre, hos actus & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant; prædicta enim facere ad solos Dominos pertinet. Clement. I. *Exivi.* §. 7. *Porrò. De Verb: signif.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

XVII. *Concil.* Mogunt. I. *an.* 857. Cap. 14. Tom. VIII. Conc. *p.* 46. Vetita Monachis proprii possessione, illis qui Parochi sunt præcipit, ut de tempotali, quod administrant, Episcopo rationem reddant.

Concil. Augustodun. S. Leodegar. *ann. circ.* 770. *Can.* 1. *&c.* Tom. VI. Conc. *p.* 535. Prohibet Abbatibos & Monachis ne peculiare quid habeant, eâ lege ut Monachi ab Abbatibus victum & vestitum consuetum accipiant.

XIX. Necesse habent fratres, qui se expropriatione tanta à temporalibus abstraxerunt, ab omni eo quod dictæ expropriationi esset, vel potest videri contrarium, abstinere. Clemant. I. *Exivi.* §. 8. *Proinde med. De Verb. Signif.* Lib. V. Decr. *Tit.* 11. Cap. 1. Abbas vel Monachus, qui nihil proprinm habet libertatem rei alienæ dare non potest. Dist. LIV. Cap. 22. *Abbati.*

XX. Ingredientibus Monasterinm convertendi gratia ulteriùs nulla sit testandi licentia. Caus. XIX. Quæst. II. Cap. 7. Res eorum ejusdem Monasterii fiant, aperta Lege Decretum est. Greg. V. *Eadem Epistola ex* qua desumpta decisio *n.* 2. supra relata. Lex laudata est in *Novella* 5. & 129. Religiosi testamentum condere non possunt, adde nec donare, nec aliter de rebus suis disponere, cum omnem proprietatem abdicarint, provenientem ex dominio directo, vel utili, seu jure disponendi de rerum substantia earum vel fructibus, vel utrisque simul, ut expositum est, in *Tractatu de Jure & Justitia*, præmisso Tractatui de Contractibus, atque ad intelligentiam eorum, quæ ad votum paupertatis pertinent adeo necessario, ut aliter intelligi nequeant.

XXI. Iis quæ dicta sunt, Monachis non licere aliquid proprii habere, proindeque de re nulla disponere posse, obstare videtur *Cap.* 8. Caus. XIX. Quæst. III. ubi S. Greg. loquens de muliere conversa hæc habet; res omnes quas habere potuit, licet jure sibi competere potuissent, tamen easdem Monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse, ac factum probat.

Huic Textui aliisque similibus Respondere est, illos loqui de Conversis nondum professis, qui cum adhuc essent suarum rerum Domini, de his disponere poterant, juxta Leges permittentes, ut illas Monasterio conferrent, ante professionem, qua emissa quidquid imposterum acquirebant, ad Monasterium per-

tinebat,

tinebat. TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. II. DIST. XXII. QUÆST. II. hunc locum examinans, eodem modo interpretatur, additque Mulierem, de qua agebatur, nihil Monasterio donasse, quod ad illud non pertineret, Jure successionis positio, quod professa fuisset intestata, sed voluisse speciali donationis titulo conferre, quod aliter acquisiturum erat, quod rectè congruit his verbis, *licet sibi competere potuissent*, quæ de Monasterio intelligenda videntur. *Cap.* 9. proximè sequens confirmat hanc interpretationem, dummodo prædicta Mulier liberis careret; docet siquidem personarum liberis carentium res pertinere ad Monasterium in quo professionem emittunt. In citata Quæstione proponitur examinandum; utrum Monachis ab initio, vel tractu temporis; proprium absque Abbatis licentia retinere interdictum fuerit: Illam autem tractando allegat prædictum *Cap.* 8. cum pluribus Legibus, quæ, ut illud, proprii possessionem Monachis tribuere videntur: quibus, postquam conclusit contrarium ex Canonibus oppositis, huic & Legibus relatam solutionem affert. Eidem interpretationi suffragatur *Summa dicti Cap* 8. quæ sic se habet, *Post Monasterii ingressum, eidem Monasterio omnia sunt esaferenda.* Huic quoque favet objectio quam GRATIANUS subdit, sumpta ex eo quod PAULUS primus Eremita Testamento colobium suum ATHAN. legaverit, & tunicam B. ANTON. quamque solvit dicens, vitam Eremiticam à Monachali in hoc differre, quod Monachi se suaque tradunt Monasterio, non item Eremitæ, hic vero agi de Monachis: rectiùs dixisset Eremitas votum paupertatis non emisisse.

Quæ supra relata sunt ex *Conc.* TRID. intelligenda juxta Decreta Conciliorum subsequentium, quæ illius mentem melius assecuta sunt, quam Autores quilibet qui post hæc Concilia scripsere. *Vide* THOMAS. *Discipl. Part.* 4. LIB. I. *Cap.* 49. *n.* 10. fideliter referentem tam istorum quam *Conc.* TRID. DECR. contra prohibitam Religiosis proprietatem, oecnoo usus seu potius abusus ad illam conducentes.

CAPUT III.

De iis quæ pertinent ad Disciplinam Monasteriorum.

SECTIO I.

Qui eligi debeant in Abbates, seu Superiores; & quomodò fieri debeat talis electio?

I. Est contra Regulares traditiones, quod aliquis se pro Abbate gerat, qui non fuit ante Monachus; cum habeatur CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 20. *Per Laicos. Med.* Vide *Tit.* 1. *Sect. I.* Nullam spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, debeat Monachari. *De Elect.* Cap. *Cùm ad nostram.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 37.

II. Prior potens sit in opere & sermone, ut exemplo vitæ verboque Doctrinæ Fratres suos & instruere possit in bono, & à malo etiam revocare; zelum Religionis habens secundùm conscientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obedientes foveat & confortet. *De Statu Monach.* Cap. *Cum ad Monasterium.* §. 6.

III. Qui est effectus Monachus in continenti non potest eligi in Abbatem; maximè si antequam esset discipulus voluit esse Magister. *De Elect.* Cap. *Officii.* LIB. I. DECR. *Tit* 6. Cap. 38.

IV. Abbati omnes in omnibus reverenter obedient. *Ibid.* §. 7. *init.*

V. Verùm postquam fuerit in Regula competenter instructus, si urgens necessitas & evidens utilitas ipsius Monasterii postulaverit, purgatione recepta poterit in Abbatem assumi. *Ibid. De Elect.* Cap. *Officii. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 38.

VI. Ad Abbatem potestas tota Monasterii pertinere convenit. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 9. *Nullam. fin.*

VII. Fideliter & studiosè universa, quæ vel ad Divini Cultùs reverentiam, vel ad utilitatem Monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo debeat adimplere. *Ibid.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 9. *Nullam fin.*

VIII. Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto nequibit novus Monachus à Conventu creari. *In* 6. *De Regularibus.* Cap. *Si ad solum init.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 6. *finali.* Aliàs poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque.

IX. Ex Officio suo tenentur Abbates Congregationum suarum negotia procurare; nisi fortè Abbatis & Conventùs negotia sint omninò discreta. *De Rescriptis.* Cap. *Edoceri. fin.* LIB. I. DECRET. *Tit.* 3. Cap. 21.

X. Ut Ordinationes Ecclesiarum ac Monasteriorum, in quibus Religiosi electi extiterint, celeriùs & faciliùs valeant expediri, Superiores, suis irrequisitis Conventibus, electis hujusmodi consentiendi & transeundi liberam dare valeant facultatem. *In* 6. *De Electione.* Cap. *Si Religiosus.* §. *Quia verò. fin.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 27.

XI. Nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius, Religionis eligatur, nisi anteà fuerit Ordinem Regularem expressè professus; quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. *In* 6. *De Electione.* Cap. *Nullus.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 28.

SECTIO II.

Quales esse debeant Superiores, & ad quid se extendat eorum autoritas?

I. Abbas quantò frequentiùs poterit, sit cum Fratribus in Conventu vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, ut de Officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. *De Statu Monach.* Cap *Cum ad Monasterium.* §. 7. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

II. Prioratus Conventuales alicui, nisi 25. annum attigerit, conferri nequeant, aut committi. CLEM. I. *Ne in agro.* §. *Cæterùm. De Statu Monach.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 10. Cap. 1.

III. In Electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, imprimis districtè præcipit omnes supra dictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 6. *init.*

IV. Nec liceat Provinciales aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere; aut voces, & suffragia absentium supplere *Ibid.*

V. Si contra hujus Decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit; & is qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia Officia in Religione obtinenda, inhabilis existat: si facultates super his concedantur tamquam subreptitiæ habeantur. *Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Reg.* Cap. 6.

CONTINUATIO ARGUMENTI SECTIONIS II.

Ecclesiam optare, quàm maximè, ut Monasteria nisi Regularibus committantur, non verò Sæcularibus commendentur, & quæ Monasteria commendari nequeant, quæ illorum insignia, vel Ornamenta?

I. Cum pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ, ex mala eorum quibus commissa

fuerunt

fuerunt administratione, non levia passa fuerint, tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, detrimenta, cupit S. *Synodus* Trid. ea ad congruam Monasticæ vitæ Disciplinam omninò revocare. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr I. *De Reform.* Cap. 21.

II. Confidit Sanctissimum Romanum Pontificem, pro sua pietate & prudentia curaturum, quantùm hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc Commendata teperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares personæ præficiantur. *Ibid.*

III. Quæ verò in posterùm vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. *Ibid.*

IV. Quoad ea verò Monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi qui ea in Commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari successore provisum infra sex menses, Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut eis cedere; aliàs Commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. *Ibid.*

V. Dominus noster Papa ordinavit,, quod inposterùm Monasteria, aut magni Prioratus Conventuales habere consueti ultra decem Religiosos in Conventu, & Officia Claustralia, Dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus, sive Ecclesiæ Parochiales, nulli Prælato, etiam Cardinali, dentur in Commendam. *In Appendice Concilii* Constant. *Concil.* General. *p.* 1453. *n.* 7.

VI. Censemus ut Status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ Traditionem & Canonum constituta servetur, & ut Abbates sint religiosæ personæ &c. *Conc.* Trosl. *ann.* 909. Cap. 3. Tom. IX. Conc. *p.* 529.

VII. De Jure Communi omnis Congregatio Monachorum eligere sibi debet Abbatem. *De Consuet.* Cap. *Cum Dilectus. In integra. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 8.

VIII. Non eligatur Abbas nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 5. *Quam sit.* §. 2.

IX. Abbatem in Monasterio illum ordinari decet, quem sibi de sua Congregatione Monachorum electio, & (quod magis observandum est) ordo vitæ ac meritum poposcerit ordinari. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 3. *Abbatem.*

X. In Magistrum assumi non debet, qui formam Discipuli assumpsit, nec est præficiendus, qui subesse non novit. *De Elect.* Cap. *Cum in Magistrum. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 49.

XI. Abbates esse non debent, qui per Professionem Monacbi & Regulares Canonici non fuerint; & ad amotionem eorum qui tales inventi fuerint, sublato appellationis impedimento procedi debet. *De Elect.* Cap. *Cùm in Magistrum.* §. *Mandamus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 49.

XII. Iis Monasteriis, quæ suos Conventus habent, Regulares personæ ejusdem Ordinis expressè professæ, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. I. *De Ref.* Cap. 21. *Med.*

XIII. Sicut Neophytus tunc dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat, eruditione plantatus: sic modo Neophytus habendus est, qui repentè in Religionis habitu plantatus ad ambiendos sacros honores irrepserit. Dist. XLVIII. Cap. 2. *Sicut.*

XIV. Prioratus aliquis, sive administratio, committi alicui, vel conferri non possit, nisi expressè professus fuerit Ordinem Monachalem. Clement. I. *Ne in agro. De Statu Monach.* §. *Caterùm. fin.* Lib. III. Clement. *Tit.* 10. Cap. 1.

XV. Apostolicæ Sedis benignitas nonnullis Abbatibus, aliisque Prælatis quibus non competit ex propria dignitate, concessit in Ecclesiarum suarum gloriam & hooorem, quod mitrâ, & aliis Pontificalibus, uti possint. *In 6. De Privileg.* Cap. *Ut Apostolica. Init.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 6. Urban. II. *in Concilio* Benevent. *ann.* 1091. Tom. X. Conc. *p.* 481.

XVI. Statutum est, ut Abbates & alii quibus mitræ usus est ab Apostolica Sede concessus; Exempti quidem in Provincialibus Conciliis & Episcopalibus Synodis, quibus nonnulli eorum interesse tenentur, mitris tantummodò aurifrisiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus, uti possint; non Exempti verò simplicibus, & albis ac planis utantur. *Ibid. in 6. De Privileg.* Cap. *Ut Apostolica. med.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 6.

XVII. In aliis locis, à Conciliis Provincialibus & Episcopalibus Synodis, puta cùm celebrant in Ecclesiis suis vel alienis, *Gloss. v. aliis fin.* Exemptis & non Exemptis, mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt. *Ibid. in 6. De Privil.* Cap. *Ut Apostolica. fin.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 6.

Concil. Pictav. *ann.* 1100. *Can.* 6. Tom. X. Conc. *p.* 725. Ubi hæc leguntur, Nullus Abbatum utatur Chirotecis, Sandaliis, annulo, nisi quibus fuerit, per privilegium à Romana Ecclesia, concessum.

Huc faciunt Canones relati infra *Sect.* 16. *n.* 6. & 7.

SECTIO III.

Qui debeant in Officiis Monasterii constitui, & quomodo procurentur Monasterii negotia?

I. Tales ad agenda Officia Monasterii deputentur, qui fideles fuerint & discreti. *De Statu Monach.* Cap. *Cùm ad Monasterium.* §. 5. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6.

II. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tamquàm in sua sibi vita locetur; sed cùm oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur. *Ibid. De Statu Monach.* Cap. *Cùm ad Monasterium.* §. 5. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6.

III. Nullus Monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi id Monasterii exposcat utilitas Abbate sibi nihilominus imperante. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 35. *Monach.* 2. *fin. & De Postulando.* Cap. *Ex parte sua. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 37. Cap. 2.

IV. Ne quis Religiosus ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultra summam communi providentia constitutam; alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus reddere; nisi fortè in utilitatem domûs ipsius manifestè constiterit redundasse, & qui contra istud Statutum venire præsumpserit, graviori Disciplinæ subdatur. *De Fidejussoribus.* Cap. *Quod quibusdam. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 22. Cap. 4.

V. Idem judicium de Canonicis Regularibus, quod & de Monachis, quantùm ad supradicta, est observandum; licet de Monachis in Canone specialiter sit expressum. *De Postulando.* Cap. *Ex parte tua. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 37. Cap. 2.

VI. Judex provideat inter cætera, ut Fratres alicujus Monasterii, cum autoritate & assensu Prælati seu Superioris sui ingrediantur negotium. *De Judiciis.* Cap. *Causam.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 9.

VII. Si quidam Regularis sigillum Capituli commune suscipiens, quoddam instrumentum cuidam amico suo signavit, quo alienatio rerum Ecclesiæ immobilium tamquam ei facta continetur; & Procurator illud instrumentum asserat de assensu Conventûs non fuisse collatum, sed adulterinum, vel furtivum esse dicat: potest Fratres Regulares ad perhibendum testimonium producere. *De Probationibus.* Cap. *Tertio. in integra.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 5.

VIII. Si jurati dicant, quod quoties de re istâ inter Fratres aliqua mentio erat, Consilium totius Conventûs & vox fuit unanimis, quod nolebant alienationem rerum illarum, sed res Domûs suæ fore integras

integras & conservari volebant; secundùm assertionem testium duntaxat censendum est. *Ibid. De Probationib.* Cap. *Tertia. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

SECTIO IV.

An, & quomodo provisum sit Monasteriis, ne totius Conventus bona per aliquos ex Religiosis, aut dentur, aut alienentur.

I. Si Abbatem donationem cum Priore & quibusdam de Conventu, vel solum Abbatem facere contigerit; & postea Conventûs pars reclamaverit; datæ rei quantitas, & illius terræ consuetudo, quæ tamen Sacris Canonibus non obviet, est diligentiùs attendenda, & secundùm hoc est donum ratum, vel irritum judicandum. *De Donationibus.* Cap. *Ceterùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 4.

II. Ut indemnitati Monasterii provideatur; ne propter defectum testium sui juris sustineat læsionem: Religiosi & Conversi possunt in causis ejusdem, deficientibus aliis testibus, pro ipso testimonium perhibere veritati. *De Jurejur.* Cap. *Etsi* CHRISTUS. *§. Ult. fin.* LIB. II. DECR. *Tit* 24. Cap. 26.

III. Expedit parvo incommodo à strepitu causarum Servos Dei quietos existere, ut & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & Servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant. *De Syndico.* Cap. unic. *fin. in integra.* LIB. I. DECR. *Tit.* 39. Cap. unic.

IV. Liceat Religiosis in causis Ecclesiæ suæ ferre testimonium. *De Testibus.* Cap. *Insuper. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 6.

V. In Regula Beati BENEDICTI præcipitur providere, per quorum manus negotia Monasterii procurentur. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Multa. post med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1.

VI. Ab Abbate & Priore nomine suo, & in animas Conventuum, eorundem, vel majoris & sanioris partis ipsorum, recipi potest juramentum de veritate dicenda. *In 6. De Testibus.* Cap. *Præsentium. post init.* LIB. II. *Tit.* 10. Cap. 2.

VII. Monachi de suis Fratribus ac Conversis testes in causis propriis producere possunt. *De Testib.* Cap. *Suis Quæstionibus.* LIB. II. DECR *Tit.* 20. Cap. 39.

VIII. Illos testes producere absque juramenti exhibitione non possunt, nisi fortè à parte remittatur adversâ. *Ibid. fin.*

IX. In causis Monasterii Ecclesiæ, unus ex Religiosis vel duo ad agendum & respondendum instituantur, quorum testimonium in causis in quibus actores vel responsales sunt instituti, non debet admitti. *De Testibus.* Cap. *Insuper.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 6.

X. Causa Monasterii non potest terminari, cùm ejus nuncius super procuratione, vel ratihabitione Litteras non habet. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Cùm Dilectus. §.* 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 8.

XI. Tàm Abbas, quàm Monachi, quam jurarunt conventionem compelli debent adimplere. *De Jurejur.* Cap. *Ex rescripto.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 9.

XII. Cùm legitimè constat quod ab Abbate & Monachis fide datâ super controversiis compromissum est in aliquem, arbitrium ab illo prolatum est observandum. *De Arbitris.* Cap. *Cùm tempore. §.* 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 5.

SECTIO V.

In quo potissimum sita sit Disciplina Religiosorum?

I. Monachi, Canonici, & alii Regulares debent in Claustro juxta Regularia Constituta Divinis obsequiis vigilare. *De Officio Judicis Ord.* Cap. *Quanto. §.* 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 7.

II. Quoniam non ignorat Ecclesia, quantùm, ex Monasteriis piè institutis & rectè administratis, in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur; præcipit, ut omnes Regulares, tàm viri quàm Mulieres, ad Regulæ quam professi sunt præscriptum, vitam instituant atque componant. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regularib.* Cap. 1. *init.*

III. Inprimis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda, pertinentia, fideliter observent. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regularib.* Cap. 1.

IV. Universis Religiosis firmiter præcipitur, ut Priori suo in his quæ ad Deum pertinent, obediant. *De Majorit. & Obed.* Cap. *Cùm in Ecclesiis. §.* 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 10.

V. In Oratorio, Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium observetur. *De Statu Monach.* Cap. *Cùm ad Monasterium. §.* 3. LIB. III. DECR. *Tit* 35. Cap. 6.

VI. In claustro quoque certis horis & locis, secundùm antiquam Consuetudinem Monasterii laudabiliter observatam, silentium observetur. *Ibid. De Statu Monach.* Cap. *Cùm ad Monasterium. §.* 3. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

VII. Monachis propter infirmitatis necessitatem, asperior (Abbatis licentia) Regula remittatur. Diverso modo legitur, alii Codices habent *permittatur*; alii tollunt verbum *Licentia. Vide Correct. Rom. &* PITHÆUM. CAUS. XX. QUÆST. IV. Cap. 3. *Monachum. §.* 2.

VIII. Debiles & infirmi qui monitione indigent, vel aliquâ medicinâ, non seorsùm in Cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint sibi, tàm in Carnibus, quàm in aliis, recipiant competenter. *De Statu Monachorum.* Cap. *Cùm ad Monasterium. §.* 4. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

IX. Singulis mensibus, tàm in Monasteriis, quàm extra, sublatâ occasione quacumque, ad Confessionem, saltem semel, accedant omnes & singuli Monachi. CLEMENT. *Ne in agro. §.* 5. *Sanè. init. De Statu Monachorum.* CLEMENTINARUM. LIB. III. *Tit.* 10. Cap. 1.

X. In primâ Dominicâ mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent, nisi ex causâ fortè quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasterii non differant intimare, eorumque judicio, vel abstineant, vel accedant. *Ibid.*

XI. Ne hac occasione humani generis inimicus suâ Monachos (quod absit) calliditate decipiat: ideò hujus præcepti serie commonentur Abbates, ut Mulieres in Monasterio suo quolibet occasione non permittant ascendere. CAUS. XVIII. QUÆST. III. Cap. 10. *Pervenit. post init.* legendum videtur, *in Monasteria sua.*

XII. Religio perimitur si à meritoriâ subdiri obedientiâ subtrahantur; magna quidem paupertas, sed major integritas; bonum est obedientia maximum si custodiatur illæsa; nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur & animo, quos velut effrænes & liberos ditioni alterius humilis jugo propriæ voluntatis adstringit. *Extravaganti.* JOANN. XXII. *Quarumdam. §. Ult. post med. De Verb. signif. Tit.* 14. Cap. 1.

XIII. Juxta Regulam, degentes in Cœnobiis, tàm in Ecclesiâ, quàm in Refectorio, atque Dormitorio communiter esse debent. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 25. *Perniciosam.* INNOCENT. II. *In Concilium Romanum*, Cap. 26. *ann.* 1139.

XIV.

XIV. Si quis Monachus contentiones vel rixas amaverit, vel manifestum convicium Fratri intulerit, juxta arbitrium Rectoris, modumque peccati, diuturnâ expietur pœnâ. Dist. XC. Cap. 5. *Si quis. Ex Concil.* Agath. *ann.* 506.

XV. Mnnachi qui cœptam observationis viam relinquunt, & absque Epistolis & certis negotiis vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognitâ districtione si se non emendaverint, ab Abbatibus suis & à Sacerdotibus ad Communionem non admittantur. *Conc.* Andecan. *ann.* 453. *Can.* 8. Tom. IV. Conc. *p.* 1020.

SECTIO VI.

Quàm severè disciplina Regularis conservari debeat, & quâ ratione id præstandum sit in Monasteriis quæ Capitulis Generalibus subsunt?

I. Cùm sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, & excessus culpas salubriter resecare, studiosè ejus servanda censura est; nam si negligitur, cuncta in confusionem veniunt, dum alter destruit quiquid eam custodiendo alter ædificat. *De Conditionib. appositis.* Cap. *Cùm sit Proprium. in integra.* init. Lib. IV. Decr. *Tit.* 5. Cap. 2.

II. Ubi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat ut Religio naufragetur. Clementina. *Attendentes. init. De Statu Monachorum.* Clementin. Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 2.

III. Compertum est à Superioribus non posse ea quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent relaxari; si enim illa quæ tales sunt, & fundamenta totius Regularis Disciplinæ exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necessè est. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. *De Regularib.* Cap. 1. *fin.*

IV. Superiores suis temporibus Visitationes facere non prætermittant. *Conc.* Trid. *ibid.* Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 1. *fin.*

V. Omnis cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tàm in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quàm in eorum Visitationibus, ut Regulares ab illis non recedant, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent. *Conc.* Trid. *ibid.*

VI. In Singulis Regnis sive Provinciis, fiat de triennio in triennium Commune Capitulum Abbatum atque Priorum Abbates proprios non habentium; ad quod universi communicant præpeditionem Canonicam, non habentes, apud unum de Monasteriis ad hoc aptum. *De Statu Monachorum.* Cap. 8. *In Singulis. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 7.

VII. Hujusmodi Capitulum aliquot certis diebus continuè celebretur; in quo diligens habeatur Tractatus de Reformatione Ordinis & Observantiâ Regulari: & quod Statutum fuerit inviolabiliter observetur, omni excusatione, contradictione & appellatione remotâ. *Ibid. De Statu Monach.* Cap. *In Singulis. §.* 2. *init* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 7.

VIII. Qui convenerint vitam ducant Communem; & faciant proportionabiliter. *§. Omnes Communes expensas*: Ita quod si non omnes poterunt in eisdem, saltem plures in diversis domibus commorentur. *Ibid. De Statu Monac.* Cap. *In Singulis.* §. 3. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 7.

IX. Ordinentur etiam in eodem Capitulo Religiosæ ac circumspectæ Personæ, quæ Singulas Abbatias ejusdem Regni seu Provinciæ non solùm Monachorum, sed etiam Monialium, secundum formam sibi præfixam, vice Apostolicâ studeant visitare; corrigentes & Reformantes quæ Correctionis & Reformationis Officio viderint indigere, *Ibid.* §. 4.

X. Canonici Religiosi Priori suo in his quæ ad Deum pertinent obediant. *De Majorit.* Cap. *Cùm in Ecclesiis. §.* 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 10. Si qui se contra Priorem in superbiam erigentes suo Priori restiterint; & pro contumaciâ ipsâ nequiverint ad debitam obedientiam revocari; dictus Prior in eos excommunicationis sententiam promulgare potest. *Ibid.* §. 2.

XI. *Concilium* Cæsaraugustin. III. *ann.* 689. Cap. 3. Tom. VI. Conc. *p.* 1313. docet Monachos fieri Sæculares ipsâ Sæcularium frequentatione.

SECTIO VII.

Ad Superiores primò pertinere correctionem Monachorum delinquentium; & quâ ratione illa fieri debeat, atque à Monachis sustineri?

I. Abbas quemlibet subditorum suorum pro excessibus suis, juxta tenorem mandati quod in Regulâ continetur, & Institutionem Ordinis, corrigat & castiget. *De Appellationib.* Cap. *Ad nostram.* in *Integra.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 3.

II. Si quis Monachus per contumaciam extiterit indevotus, aut per loca aliqua vagati, aut peculiare aliquod habere præsumpserit; omnia quæ acquisierit ab Abbatibus auferantur, secundum Regulam, Monasterio profutura. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 56. *Abbates. §.* 1.

III Cùm Visitatores ordinati à Generali Abbatum Capitulo processerint ad Visitationis Officium exequendum; de Statu Monachorum & observantiis Regularibus diligenter inquirant, & tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, corrigant & reforment quæ viderint corrigenda; ita quod Monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eisque injungi Pœnitentiam salutarem. *De Statu Monach.* Cap. *Ea quæ. §.* 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 8.

IV. Ipsi etiam Visitatores Monachos quos contumaces invenerint & rebelles juxta modum culpæ regulari censurâ percellant, absque Personarum delectu, non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam vel potentiam amicorum; quin, ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves. *Ibid. De St[a]tu Monach.* Cap. *Ea quæ.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Cap. 8.

V. Sequentes Visitatores perquirant Priorum Visitatorum vestigia diligenter; & eorum negligentias & excessus referant sequenti Capitulo Generali, ut juxta culpam, publicè debitam pœnam portent. *Ibid. De Statu Mona[c]h.* Cap. *Ea quæ. §.* 1. *fin.*

VI. Hæc omnia etiam in Monasteriis quæ non habent Abbates proprios, sed Priores, præcipitur observari. *Ibid. §. ult.*

VII. Cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete Monachorum, Religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare: Sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis oportuit definiri, ita quod definitum est non debet violari. Caus. XXV. Quæst. II. Cap 9. *Cùm piæ. med.*

VIII. Debent Superioribus suis reverentiam subditi; & dum salubriter ab eis pro culpis correctionem velut curantium medicamenta recipiunt, obedientiam exhibere tenentur. *Extravag. Commun. Debent. init. De Officio Jud. Ordin. Extravagant. Communium.* Lib. I. *Tit.* 8. Cap. 1. *init.*

IX. Rursùs oportet Præpositos cum caritate corrigere; decet eos inferre humiliter quod docent, & paternâ subjectos dilectione fovere: Sic debitor delicatus effugitur, sic onerosus creditor minimè reperitur. *Ibid. Extravagant. Commun. Debent. init. De Officio Jud. Ordin. Extravag. Comm* Lib. I. *Tit.* 8 Cap. 1.

X. Correctio Regularium primò pertinet ad Prælatos ipsorum. *Gloss.* in Cap. *Quanto. De Offic. Jud. Ord.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 7.

XI. Corripiantur à Præpositis suis subditi Fratres, correptionibus de Charitate venientibus pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus. Caus. XXIV. Quæst. III. Cap. 17. *Corripiantur. init.*

XII. Mo-

XII. Monachi Abbatibus omni se obedientiæ devotione subjiciant, quod si quis per contumaciam extiterit indevotus &c. DECIS. II. *Ex Conc.* AURELIAN. I. *ann.* 511. *Can.* 19. TOM. IV. CONC. *p.* 1407.

XIII. Reum se ille Abbas futurum esse cognoscat, qui hujusmodi Personas, id est vagabundos Monachos, non regulari animadversione distinxerit. *Ibid.*

SECTIO VIII.

Quâ ratione providendum sit ut Disciplina Monastica observetur in Monasteriis, qua nec Generalibus Capitulis, nec Episcopis subsunt?

I. Monasteria omnia quæ Generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Regulares Visitatores, sed sub immediatâ Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum sese in Congregationes redigere. *Conc.* TRIDENT. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 8. *init.*

II. Vide *Comitia* BLESENSIA. *Art.* 27. *Edictum* CAROLI IX. *ann.* 1571. *Art* 7. & nota modificationes quas huic Decreto adjecerunt.

III. Ibi certæ Regulares Personæ deputentur, quæ de Statutis in eis exequendis deliberent & statuant. *Citato* Cap. 8.

Generalia Capitula, & ab illis electi Præsides, vel Visitatores, eamdem habeant autoritatem in hujusmodi Monasteria, ac Regulares in eis commorantes, quam in cæteris habent. *Ibid.*

Teneantur Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere; & ea observare quæ in Sacris Canonibus sunt decreta. *Ibid.*

Quod si prædicta exequi non curaverint, Episcopis, in quarum Diœcesibus loca prædicta sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, subdantur. *Ibid.* *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 8. *fin.*

Contumaces quos *Conc.* subjicit 1. METROPOLITANO deinde Episcopo, si in Contumacia perstiterint, *Ordinat.* BLESANSIS statim subdit Episcopo.

SECTIO IX.

Quomodò Episcopi invigilare debeant disciplinæ Monasteriorum, quæ illorum Jurisdictioni subsunt, tàm intrà quàm extra Visitationem?

I. Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subjecta studeant reformare. *De Statu Monachorum.* Cap. *In Singulis.* §. 6. LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 7.

II. Visitandi exhortandique gratia ad Monasterium, quoties placuerit ab Antistite Civitatis accedatur; sed sic Charitatis Officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat. CAUS. XVIII. QUÆST II. Cap. 28. *Visitandi.*

III. Non semel, sed sæpiùs in anno Episcopi visitent Monasteria Monachorum; & si aliquid corrigendum fuerit corrigatur. *Ibid.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap 29. *Non semel.*

IV. Quia indecens est ut, Episcopo in Monasterio Visitationis Officium exercente, Sæculares intersint per quos possit in Claustro dissolutionis materia provenire; firmiter inhibitum est, ut nullos Sæculares in Capitulum, nisi duos vel tres de Canonicis Ecclesiæ suæ, in decenti habitu, aliis quos expedire viderit Religiosis adjunctis, secum Visitationis tempore introducat. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Ut juxta.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 17.

V. Ne sit Episcopus onerosus, decretum est, ut cùm ad Visitationem faciendam in Monasterio descenderit, in Visitationis actu duas vel tres honestas personas Clericali charactere insignitas, quarum una ad minus sit Religiosa Ordinis ejusdem; & unum Notarium secum habeat, & non plures, Consuetudine aliquâ obtentâ, & compositione qualibet inter partes ipsas super hoc in contrarium facta hactenus, non obstante. *Extravag. Commun. Debent.* §. 2. *fin.* *De Offic. Jud. Ordin. Extravagant. Commun.* LIB. I. *Tit.* 7. Cap. 1.

VI. Mulieribus aditum Monasteriorum virorum prohiberi, ut viris introitum Monasteriorum Muliebrium. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 6. *Med.* Cap. 20. 21. 22.

VII. Ut mulieribus intra septa Monasterii nullatenus introire permittatur. &c. *Conc.* TURON. II. *ann.* 567. *Can.* 16. TOM. V CONC. *p.* 856. *Conc.* ANTISSIOD. *ann.* 578. *Can.* 26. TOM. V. CONC. *p.* 960.

Ut Mulieribus in Monasterium Monachorum nullatenus ingredi liceat. *Conc* AUGUSTODUNENSE S. LEODAGARII. *ann. circ.* 670. *Can.* 10. TOM. VI. CONC. *p.* 535.

VIII. Religiosos non posse Matrimonium contrahere. Id illis non solùm prohibent Canones citandi, dum de Matrimonio, sed etiam & nuptiis adesse, ac quamcumque familiaritatem mulierum hujus generis, sunt qui sequuntur, *Conc.* TURON. II. *ann.* 567. *Can.* 15. TOM. V. CONC. *p.* 856. *Conc.* ANTISSIODOR. *ann.* 578. *Can.* 23. 24 TOM. V. CONC. *p.* 959.

Qui hîc desiderari possunt Canones, circa quamlibet rem, cui Episcopus debet invigilare, quoad Regulares, occurrunt his in locis, ubi de singulis seorsim actum est.

SECTIO X.

Non licet Religiosis à correctione appellare, nisi Superiores excedant in modo correctionis.

I. Monachi ad observantiam Regulæ, Appellatione remotâ, compelli debent. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Relatum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 7.

II. Constitutio, quâ commonito ad appellationis obstaculum convolare licet, ad Regulares non extenditur, contra suas speciales observantias. *De Appellationib.* Cap. *Cùm speciali.* §. *porrò.* *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

III. Hoc in locis Religiosis debet observari, ne Monachi, sive quicumque Religiosi viri, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra Regulam Prælati sui, & Capituli disciplinam, appellare præsumant: sed humiliter ac devotè suscipiant quod pro salute suâ eis fuerit injunctum. *De Appellationib.* Cap. *Reprehensibilis. in Int.* §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 16.

IV. Quia remedium appellationis non ideò est inventum, ut alicui à Religionis & Ordinis observantia exorbitanti debeat in suâ nequitiâ patrocinium exhiberi; si quando quilibet subditorum, ne ipsum pro suis excessibus Abbas corrigat & castiget, ad remedium appellationis convolaverit; non ideò minus eum Abbas, juxta tenorem mandati quod in Regula continetur, & Institutionem Ordinis, corrigat & castiget. *De Appellation.* Cap. *Ad nostram.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 3.

A correctione non admittitur appellatio. *Glossa.*

V. De Priore qui non deferens appellationi, quemdam Religiosum suum puniri fecit, si rei veritate inquisitâ invenitur quod pro evitandâ disciplinâ prædictus Religiosus appellarit, eidem Priori propter hoc nulla pœna infligi debet: Quoniam Sacrosancta Romana Ecclesia hujusmodi appellationem admittere non consuevit, ne Monachis, vel Canonicis Regularibus præberetur audacia delinquendi. *De Appelation.* Cap. *De Priore. in Int. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 31.

Regulares contra suas observantias appellare non debent. *Glossa.*

VI. Si præfatus Religiosus Priorem propter suas enormitates manifestas, quæ ipsum notabilem reddunt, appellavit; & ipse tali appellationi, deferre contempsit: de tanto excessu satisfacturus appellationi deferre compellatur. *Ibid. fin* *De Appellationibus.* Cap. *De Priore. in Integra.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 31.

Si

Si Prælatus modum excedat in correctione, bene admittitur appellatio à tali correctione. *Glossa.* Verbo *Contempsit.*

Non auditur Religiosus castigatus, aut castigandus, à Prælato suo appellans ne corrigatur secundùm Regulam suam. *Appendice Conc.* Lataran. III. *Part.* 10. Cap. ult. 32.

De appellatione à correctione fusè actum est, dum *De Appellationibus* in Tractatu *De Judiciis.*

SECTIO XI.

Quid agendum si vel Religiosi contumaces fuerint, vel si Superiores delinquentium correctionem neglexerint? An incorrigibiles ejici possint?

I. Religiosi, qui se contra Priorem in superbiam erigentes, suo Priori per omnia restiterunt, si pro contumacia sua nequiverint ad debitam obedientiam revocari, Prior in eos excommunicationis sententiam promulgare potest. *De Majorit. & Obedientia.* Cap. *Cùm in Ecclesiis.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 10.

II. Nisi Regulares ad commonitionem sui Abbatis resipuerint, ut secundùm ejus consilium Regularem vitam observent; Episcopus Prælatos eorum commoneat. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Quantò.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 7.

III. Si Prælati eorum, post Episcopi commonitionem id exequi negliganter omiserint, per suspensionem Officii & Beneficii dictos Prælatos Episcopus, appellatione remota, compellat. *Ibid. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 7.

IV. Episcopus Religiosos, contumaces ut ad suum Claustrum redeant, & ad Prioris sui obedientiam revertantur, per censuram Ecclesiasticam compellat. *De Majorit.* Cap. *Cùm in Ecclesiis.* §. 4. Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 10.

V. Si Abbas prævaricator Ordinis fuerit aut contemptor, seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit non solùm ab Officio deponendum, sed & alio modo secundùm Regulam castigandum; cùm offensa non solùm propria, verùm etiam aliena de suis manibus requiratur. *De Statu Monac.* Cap. *Cùm ad Monasterium.* §. *penultimo.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6.

VI. Si Abbates in corrigendis, juxtà Visitatorum Mandatum & Regularia Instituta in seipsis, seu Monachis, invenri fuerint negligentes, proclamentur & corripiantur, & ita puniantur publicè in Capitulo Generali, quod pœna ipsorum sit aliis in exemplum. *De Statu Monach.* Cap. *Ex qua.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 8.

VII. Nullus Abbas vel Monachus Canonicos Regulares à proposito professionis Canonicæ revocare, & ad Monastieum habitum trahendo suscipere audeat, &c. Caus. XIX. Quæst. III. Cap. 1. *Nullus. Ex Conc.* Educnsi, *sive* Augustodunensi I. sub Greg. VII. *ann.* 1077. Tom. X. Conc. *p.* 364.

VIII. Si quis aliquid habet proprii, totum in continenti resignet. Si verò post hæc, proprietatem aliquam babere deprehensus fuerit, admonitione Regulari præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. *De Statu Monachorum.* Cap. *Cùm ad. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 6.

IX. Superiores requirant annuatim ejectos, qui si in Monasteriis suis secundùm Ordinem Regularem recipi possint, Superiores monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina. *De Reg.* Cap. *Ne Relig. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 24. Gregor. IX. qui supponit usum stabilitum, Religiosos in quibusdam casibus expellendi, quorum præcipuus haud dubiè erat ipsamet incorrigibilitas.

X. Si Regularis Ordo non patitur, autoritate Apostolica provideatur, ut apud eadem Monasteria in locis compatentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit. alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis, ad agendam pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. *Ibid.* Hoc remedium congruentius quàm ejectio, cùm saluti mentis & corporis consulat; at ejectio ejectos perditioni tradat.

XI. Si ejecti inventi fuerint inobedientes, excommunicandi sunt, & ut tales tamdiu nunciandi, donec ad Mandatum Superiorum humiliter revertantur. *Ibid.*

Hæc Constitutio Greg. IX. innovata est ab Urbano VIII. atque ea in re habetur pro Regula: Hinc patet Ecclesiæ mentem non esse, ut ullus Religiosus, quantumvis Superioribus suis inobediens, sibi ipsi relinquatur, ita ut fiat sui ipsius Dominus, ipsique liberum sit divagari quo libuerit, suisque pravis cupiditatibus servire in dedecus Statûs Religiosi, præserrim sui Ordinis, & in publicum scandalum; imò Matrem adeò piam velle, ut certa constituantur loca, in quibus recipiantur, vel coacti includantur, quicumque incorrigibiles videntur, & quoad fieri poterit, eorum saluti ac aliorum provideatur, auferendo è medio fidelium oves morbidas, ne sanæ inficiantur. Sed ut firmior appareat mox facta observatio, legendus Fagnanus in eam, de qua agitur, Constitutionem, ubi fusè probat illam loqui de justè ejectis, & velle ut revocentur, quia ejectio illos tantùm excludit à consortio Fratrum, sed non liberat à nexu Religionis, ideoque semper habendos ut Religiosos, quantumcumque mereantur cum aliis non communicare in exercitiis Regularibus, nec audiendos Regulares, qui aliter illam interpretantur, sed adhærendum menti Canonum, qui contra sentiunt. Tom. II. Decr. *p.* 416. *n.* 27. *& sequent.*

SECTIO XII.

Non licet Religiosis Monasterium suum deserere. Quam pœnam incurrant qui habitum Religionis deserunt, & ad quid cogendi?

I. Non licet Monacho temerarium juramentum facere quod in Claustro Monasterii, quo se vinculo professionis adstrinxit, non sit cum alio Monacho ulteriùs moraturus, maximè cùm fidem professionis frangeret, & stabilitatis suæ propositum evacuaret. *De Jurejurando.* Cap. *Sicut.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 13.

II. Ei, qui iracundiæ calore succensus juramento id firmaverit, talis pœnitentia injungatur, ut alius quilibet exemplo ejus deterritus, simile aliquid facere pertimescar; ipse verò in Claustro, quod licitè abjurare non potuit, cum stabilitate perpetua suam pœnitentiam exequatur. *Ibid. De Jurejur.* Cap. *Sicut.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 13.

III. Nullus Monachus Congregatione Monasterii derelicta, ambitionis & vanitatis impulsu, cellulam construere, sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate, præsumat. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 14. *Nullus.*

IV. Monachus sit Claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus: Sedeat itaque Solitarius, & taceat, quia Mundo mortuus est, Deo autem vivit. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 8. *Placuit. med. Ex* Eugenio *Papa forte ann.* 826. Vide Pithæum.

V. Propositum Monachi proprio arbitrio & voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim vovit Deo, debet & reddere. Unde qui &c. Caus. XX. Quæst. III. Cap. 1. *Propositum.*

VI. Monachis ad Mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus. CAUS. XX. QUÆST. I. Cap. 3. *Monachum. fin.*

VII. Qui Monasteria elegerunt, è Monasteriis egredi uon permittuntur. CAUS. XX. QUÆST. I. Cap. 9. *Sicut. init.*

VIII. Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibitum est, ne aliquis, quamcumque Religionem professus, in Scholis, vel alibi, temerè babitum Religionis suæ dimittat. *In 6. Ne Clerici &c.* Cap. *Ut periculosa. init.* LIB. III. *Tit.* 24. Cap. 2.

IX. Quisquis virorum, vel mulierum babitum semel induerit spontaneè Religiosum; in utroque sexu prævaricator ad propositum invitus reverti cogatur. CAUS. XX. QUÆST. III. Cap. 2. *Proclivis.*

X. Regularis ad male dimissum Religionis habitum reassumendum, & servandum quod vovit, Episcopus monere & inducere procuret, & (si opus fuerit) per censuram Ecclesiasticam coercere. *Qui Clerici vel Voventes.* Cap. *Insinuante. §. ult. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7. *finali.*

XI. Si quis Regularem habitum, se postulante, susceperit, & ad observationem Religionis sua se professione ligavit, ad reassumendum habitum Ecclesiastica est districtione cogendus. *De Reg.* Cap. *Sicut. §.* 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 17.

XII. Quod aliquis Religiosus per quindecim annos extra Religionem mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum meritò valet allegari. *Ibid. De Reg.* Cap. *Sicut. in int. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 17.

XIII. Ne Religiosi vagandi occasionem habentes salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statutum est ut Præsidentes Capitulis, seu Patres, Abbates, seu Priores, fugitivos & ejectos de Ordine suo requirant sollicitè annuatim. *De Reg.* Cap. *Ne Religiosi. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 24. *finali.*

XIV. *Conc.* PARIS. V. *an* 615. *Can.* 12. TOM. V. CONC. *p.* 1652. excommunicat Apostatas ad usque illorum regressum in Monasterium suum.

XV. *Conc.* TOLET. VII. *an.* 646. Cap. 5. TOM. V. CONC. *p.* 1840. loquitur de diversis modis revocandi ad Fratres suos Monachos, qui ab illis sine justa causa recesserunt.

XVI. Puellæ, quæ non coactæ Parentum imperio &c. CAUS. XX. QUÆST. I. *Cap* 8. Vide *De Monialibus.* Si quæ coactæ fuerunt egredi possunt, id veritum esse debet illis, quæ spontè professæ sunt.

XVII. Qui Monasteria elegerunt. *Ibid.* Cap. 9. *Suprà. n.* 7. Propositum Monachi, &c. CAUS. XX. QUÆST. IV. Cap. 1. Quod suprà relatum est a. 5.

XVIII. Quisquis abolitione Tonsuræ, vel Sæcularis vestis assumptione, detectus fuerit attigisse trangressionem & excommunicationes, censuram incurrat, & Religioni semper inhæreat. CAUS. XX. QUÆST. II. Cap. 1. *fin.*

XIX. Eos, qui semel in Monasterio fuerint deputati, decernimus neque ad militiam, neque ad sæculares bonores venire. *Conc.* CALCEDONENSIS. CAUS. XX. QUÆST. III. *Cap.* 3. Transgressores jubet excommunicari.

XX. *Conc.* VERMANSE II. *ann.* 844. Cap. 4. TOM. VII. CONC. *p.* 1807. Apostatas duplici pœna plectit: 1. Incarceratione: 2. Pœnitentia publica.

XXI. *Conc.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 26. TOM. IX. CONC. *p.* 454. sigillatim memorat pœnas à Canonibus decretas, laudatque istos Canones.

XXII. Statutum ut fugitivi & Apostatæ, sive habitum Regularem deferant, sive non, possint ac debeant, ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, & Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia Instituta puniendi, salva in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa. *Decreto Conc.* TRID. *Cap.* 3. SESS. VI.

Decreta Congregationis Cardinalium *Conc.* TRID. Interpretum, probata ab URBANO VIII. *ann.* 1624. *§.* 4. *Bullarii.* TOM. IV. *p.* 63. *Concil.* TOLET. VI. *ann.* 638. Cap. 6. TOM. V. CONC. *p.* 1743.

Si quis hujus rei temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. *Ibid. in 6. Ne Cler. vel Monach.* Cap. *Ut periculosa.* LIB. III. *Tit.* 24. Cap. 2. Vide *Conc.* TURONICUM I. *ann.* 461. *Can.* 6. TOM. IV. CONC. *p.* 1051.

Si fugitivi in Monasteriis recipi possunt secundùm Ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione prævia, per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina. *De Reg.* Cap. *Ne Religiosi.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 24.

Quod si hoc Regularis ordo non patitur, provideant ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. *Ibid. fin.*

Si Apostatæ minis vel blanditiis nullatenus possunt induci, ut abjectum Monachalem habitum reassumant, ita quod solummodò sibi vita misera reservetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant. *De Apostatis.* Cap. *A nobis. in int.* LIB. V. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5. Tales, si voluerit, potest Episcopus sub gravi custodia carcerare.

Statutum ut Superiores teneantur fugitivos & Apostatas perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur. Decreta Congregationis Cardinalium *Concil.* TRIDENT. Interpretum *probata ab* URBAN. VIII. *ann.* 1624. *§.* 4. *fin. Bullarii.* TOM. IV. *p.* 63. *Conc.* TURON. *ann.* 1060. Cap. 10. TOM. IX. CONC. *p.* 1110. jubet excommunicari Prælatum nolentem recipere Monasterii desertorem, si pœniteat. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1119. *Can.* 10. TOM. X. CONC. *p.* 858. eadem pœna plectit Monachum, Clericum, Canonicum intonsum ambulantem.

SECTIO XIII.

Quomodo, & quibus in casibus Religiosi licitè possint è suis Monasteriis egredi, ac præcipuè propter studia literarum.

I. Dissolutionis ac evagationis materia est Religiosis præ cæteris auferenda. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Cùm singula. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 32.

II. Non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Reg.* Cap. 4. *med.*

III. Qui sine prædicto Mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Reg.* Cap. 4.

IV. Monacho de Monasterio in Monasterium temerè migrare non liceat; sed si hoc præsumpserit, Monasterio, in quo ab initio conversatus est, sub Abbatis sui Regula, competenti coercitione reddatur. *De Regularib.* Cap. JOANNES. LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 5.

V. Ex institutione Patrum ii, qui in Monasteriis professionem faciunt, sine Abbatis sui licentia prohibentur de Claustro discedere, & discedentes in aliis Monasteriis recipi. *De Regularib.* Cap. *Non est vobis. in int. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 7.

VI. Monachos vel Conversos post professionem sine Licentia Abbatum suorum Episcopi per Episcopatus

patus suos recipi nullatenus permittant. *Ibid. De Regularibus.* Cap. *Non est dubium. Init.* Lib. III. Decr. Tit. 31. Cap. 7.

VII. Si qui ex eis sine licentiâ Abbatum suorum de Monasterio exire præsumpserint, & commoniti celeriter non redierint, eos tamdiu, appellatione remotâ, Censurâ Ecclesiasticâ percellant Episcopi, donec ad Monasteria regredi compellantur. *De Regularibus.* Cap. *Non est vobis. fin. in Int.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 7.

VIII. Ut periculosa Religionis evagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibitum est, ne aliquis quamcumque Religionem professus accedat ad quævis studia Literarum, nisi à suo Prælato cum Consilio sui Conventûs, vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studium licentia primitùs sit concessa. *In 6. Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Ut periculosa.* Lib. III. *Tit.* 24. Cap. 2.

IX. Si quis hujus rei temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat Sententiam ipso facto. *Ibid.*

X. Illi qui studiorum causâ ad Universitates mittuntur, in Conventibus, tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 4. *fin.* Cap. 26. *Conc.* Tribur. *ann.* 895. loquitur de casibus ubi egressus ex Monasteriis licitus est, sive ad tempus, sive in perpetuum.

SECTIO XIV.

An, & quomodò liceat Religiosis, in una Religione professis, transire ad aliam Religionem? Et maximè, si ex illa Religione in qua indultum ne quis transeat invitis Superioribus, ad arctiorem transeat?

I. Nemo Regularis, cujuscunque Facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 19. *Fin. Concil.* Bituric. *ann.* 1031. *Can.* 25. *ult.* Tom. IX. Conc. *p.* 868.

II. Statutum est ne professionis Canonicæ quispiam, postquam Dei vice supra caput sibi hominem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris Religionis obtentu, ex eodem claustro audeat sine Patris totius Congregationis permissione recedere: discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum, nullus Monachorum, sine omni Literarum cautione, suscipiat. Caus. XIX. Quæst. III. Cap. 3. *Statuimus.* Urbanus II. *ann.* 1096.

Mandamus & interdicimus, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi, (quod absit) publicè lapsus fuerit, Monachus efficiatur. Caus. XIX. Quæst. III. Cap. 2. *Nullus Abbas &c. Ibid.* Cap. 1.

III. Nullus ex Professoribus alicujus ex Ordinibus Mendicantium, in aliquem Monasticum Ordinem (*Cartusiensium* duntaxat excepto) possit aut debeat per quemcumque recipi vel admitti, virtute alicujus licentiæ vel indulti, absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali, sub pœnâ excommunicationis, quam tàm recipientes quàm recepti ipso facto incurrant; & nihilominus secus facta non teneant ipso jure: hujusmodi licentiis & indultis, necnon Constitutionibus Apostolicis, Literis, etiamsi de illis mentio habita foret, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. *Extravaganti. Communi viam ambitiosæ. §. ult. De Reg. Extravag. Commun.* Lib. III. *Tit.* 8. *De Regul.* Cap. 1. Martinus IV. *ann.* 1281.

IV. Subditus à Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur. Cap. *Licet.* Decr. Lib. III. *Tit.* 31. Cap. 18. §. 2.

V. Prælatus subdito sine difficultate & pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire Divinitùs inspiratum. *Ibid.* §. 2. *fin.*

VI. Si probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex caritate an ex temeritate, transire, Superioris est judicium requirendum, ne fortè Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformet. *Ibid.* §. 3. *init.*

VII. Religiosus, postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulavit, ex Lege privatâ, quæ publicæ Legi præjudicat, absolutus, liberè potest Sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati. *Ibid. De Reg.* Cap. *Licet.* §. 1. *init.*

VIII. Licet quibusdam Monachis & Canonicis à Sede Apostolica sit indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis, arctioris etiam Religionis obtentu, transire; ut unusquisque secundùm Apostolum in ea vocatione permaneat in quâ dignoscitur esse vocatus: quia tamen ubi Spiritus Dei est, ibi libertas; & qui Dei Spiritu aguntur non sunt sub Lege, quia Lex non est posita justo: eâ ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel levitate in jacturam vel injuriam sui Ordinis, sub prætextu majoris Religionis, ad alium Ordinem transvolaret, sicut frequenter à multis constat esse præsumptum: non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate & puritate duxerit postulandam, ut non fictè, sed verè, ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. *De Reg.* Cap. *Licet. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18.

IX. Noverint universi quibus hujusmodi Privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure teneri. *Ibid.* §. 2.

X. Ne ullus Ordinis *Capucinorum* Religiosus ad laxiorem absque speciali Sedis Apostolicæ, ad *Carthusiensem* verò seu quemcumque alium Ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis dicti Ordinis licentia in scriptis obtinendâ, quovis prætextu aut ex quavis quantumvis justa legitima & privilegiata causa, sub apostasiæ & infamiæ perpetuæ notâ, nec non excommunicationis ac privationis vocis activæ & passivæ, pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis transire quoquo modo audeat seu præsumat, Apostolicâ autoritate interdictum & prohibitum est. *Bulla* 91. Urbani VIII. *Injuncti.* §. 2. *ann.* 1628. *Bullarii.* Tom. IV. *p.* 151.

XI. Virgines Sacræ, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint, Synodus concedit. Caus. XX. Quæst. IV. Cap. 1.

XII. Nullus *Cisterciensis* Ordinis professus ad alium quemcumque, præterquam *Carthusiensium*, Ordinem, etiam prætextu Literarum Majoris Pœnitentiarii, etiamsi in illis plena & expressa de præsentibus mentio habeatur, absque Patris Abbatis licentiâ speciali causam rationabilem & urgentem, quare licentia hujusmodi concedi debeat, Romanis Pontificibus expressè & specificè allegantis, audeat vel præsumat quomodolibet se transferre. *Bulla* 16. Eugenii IV. *Regularem.* §. 2. *ann.* 1489. *Bullarii.* *p.* 353.

XIII. Decretum est contrafacientes correctioni sui Abbatis & dicti Ordinis omninò subesse, eosque transeuntes & Abbates eorum, ipsis ad alium, præterquam dictum Ordinem *Carthusiensium*, transeundi licentiam concedentes, ipso facto Excommunicationis sententiæ subjacere. *Ibid.* §. 3.

XIV. Ut Apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, Statutum est ut nullus permittatur

ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere qui licentiam petit, tùmque Regularis rectâ se transferat ad arctiorem, quod ut reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio & diligentiâ invigilet. *Decreta Congregationis Card. Conc.* TRIDENT. *Interpretum, probata ab* URBANO VIII. *ann.* 1624. §. 3. *Bullarii.* TOM. IV. *p.* 63.

SECTIO XV.

Quid agendum, si Religiosus ad aliam Religionem jam transierit, & an translati gaudeant aliquibus Juribus, tàm in Monasteriis è quibus translati sunt, quàm in iis ad quæ transierunt?

I. Cùm Monachus aliquis ad Fratres alterius Ordinis transmigravit, non ut Ordini suo aliquatenùs derogaret, sed ut apud eos vitam duceret arctiorem; super eo quod de corde puto & conscientiâ bonâ & fide non fictâ fecisse dignoscitur, nullatenus molestari debet: quia Caritas est fons proprius, cui non communicat alienus. *De Regul.* Cap. *Licet. §. ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 18.

II. De Canonico (Regulari) qui in aliquâ Ecclesiâ Professionem fecerat, at fugit ab eadem, & in Monachum à quodam Abbate receptus est; si locus ubi nunc permanet majoris Religionis quàm prior Ecclesia existat, in eodem loco cum purâ conscientiâ remanere permittatur; alioquin ad priorem Ecclesiam redire compellatur. *De Regularib.* Cap. *Sane.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 10.

III. Quia Regulares de uno ad alium Ordinem translati, facile à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent; quo vagandi & apostatandi occasio tribuitur: Nemo cujuscumque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cujusvis facultatis, aliquem ad habitum & Professionem admittere possit; nisi ut in Ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientiâ in Claustro perpetuò maneat. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De Reform.* Cap. 11.

IV. Taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Sæcularia, etiam Curata omninò incapax existat. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Refor.* Cap. 11. *fin.*

V. Monachi translati & assumpti in aliorum Monasteriorum Abbates, non habent vocem in Capitulo prioris Monasterii. *De Electione.* Cap. *Constitutis. Colligitur.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 47.

Monachus translatus non habet vocem in Capitulo à quo translatus est. *Glossa.*

VI. Ut Professores cujusvis paupertatis Ordinis eo libentiùs, in quâ vocati sunt vocatione persistere, transeuntesque ad non Mendicantium Ordinem, in eodem conversari quietiùs studeant, quo in ipsis discordiarum & Schismatum productiva ambitio reprimetur: Statutum est, Mendicantes quoslibet qui ad non Mendicantium Ordines, etiam auctoritate Apostolicâ, transibunt, inibi vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur. CLEMENTINA. *Ut Professores. De Regular.* CLEMENTINAR. LIB. III. *Tit.* 9. Cap. 1.

VII. Ad Prioratus quoque, administrationes, aut quæcumque in antea non assumi Officia etiam tanquam Vicarios, seu Ministros, vel locum aliorum tenentes: statutum est, quodque animarum curam & regimen nec pro se possint, nec pro aliis exercere. *Ibid.* CLEMENTINA. *Ut Professores.* §. 1. *De Reg.* CLEMENTINAR. LIB. III. *Tit.* 9. Cap. 1.

VIII. Quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, sit irritum ipso jure, quovis Privilegio non obstante. *Ibid. fin.*

Si quis Monachus se ad alios Monachos transferens, & habitum eorum assumens, ad Sacerdotii Ordinem in ipso habitu est promotus, redeat ad prius Monasterium, & nisi Canonicum aliud obviet, Officium Sacerdotis liberè exequi permittatur. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Ex parte.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 10.

SECTIO XVI.

Non posse Religiosos unius Ordinis obtinere Administrationes seu Prioratus Monasteriorum alterius Ordinis sine autoritate Sedis Apostolicæ.

I. Prohibitum est ne Prioratus, vel Ecclesiæ, aut administrationes, seu Officia unius Monasterii, consueta per ejusdem Monachos gubernari, committantur, absque autoritate Sedis Apostolicæ, alterius Monasterii Monachis gubernanda. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Cùm singula.* §. 5. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 32.

II. Illis non licet habere locum in diversis Monasteriis, quorum unum ab alio non dependet, nec aliorum Monasteriorum, nisi Canonicè transferantur ad ipsa, Prioratus, Ecclesias, Administrationes, vel Officia gubernare. *Ibid.*

III. Qui contra prohibitionem præsentem prædicta alienis Monachis commiserint, eâ vice Ordinandi de ipsis sint potestate privati, & de eis per Diœcesanos, si Exempta non fuerint, alioquin per Sedem Apostolicam, Ordinentur. *Ibid.*

IV. Ii autem qui ea suscipere vel suscepta præsumpserint detinere, reddantur ineligibiles ipso jure. *Ibid. fin.*

V. Illud etiam prohibetur ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi habere præsumat. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Ne nimia. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 9. *Finali.*

VI. Cùm Monasterium ad eam dissolutionem devenerit, quòd Fratres ejusdem domûs observantiam Religionis & Ordinem abjecerunt, ad Episcopi admonitionis & adhortationis instantiam, quemdam in eremo conversatum, boni testimonii virum, in Abbatem totis desideriis postulare possunt, & postulationi eorum præstari debet assensus &, talis Ordinatio, sicut Canonicè facta est, confirmari debet. *De Electione.* Cap. *Cùm Monasterium.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 15.

VII. Cùm rationi non congruat, ut homines disparis professionis vel habitûs simul in eisdem Monasteriis socientur, prohibitum est ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel habitûs de cætero eligatur. Quod si secùs actum extiterit, sit eo ipso irritum & inane. (CLEMENTINA I. *De Elect.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 3. Cap. 1.

SECTIO XVII.

Quomodò, & quando Ecclesia Regulares mutari possint in Sæculares, & vicissim Sæculares in Regulares?

I. Quamdiù Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad Sæculares Clericos transferenda. *De Religiosis domibus* Cap. *Inter quatuor. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 5.

II. Si Regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis Sæculares Clerici poterunt Ordinari. *Ibid. fin.* Quia necessitas legem non habet. *Glos.* Vid. *Regulares.*

III. Vide Præceptum ADALBERONIS Episcopi *Metensis.* TOM. IX. CONC. *p.* 607. *an. circ.* 942 quo Monachos Canonicorum loco constituit, consentientibus OTTONI Rege Romanorum, nec non & OTTONE Duce LOTHA-

Lotharingiæ ut Cœnobium S. Arnulfi reformaret.

IV. Si quis in Ecclesiâ Cathedrali Regulares Canonicos desiderat ordinare, hoc devotioni illius autoritate Apostolicâ indulgeri potest, si illi Episcopus Diœcesanus consenserit in hac parte. *De Ecclesiis ædif.* Cap. *Ad audientiam. il* 2. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 48. Cap. 5.

V. Verùm si Clerici Sæculares in ea adhuc superesse noscuntur, eis, dum vixerint ibi vel alibi, necessaria provideantur. *Ibid.* Si Episcopus unam de Parochianis Ecclesiis suis Monasterium dicare voluerit, ut in eâ Monachorum regulariter Congregatio vivat, hoc de consensu Capituli sui habeat licentiam faciendi. Qui etiam si de rebus Ecclesiæ pro eorum substantiâ aliquid, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, sit stabile. Causa XII. Quæst. II. Cap. 73. *Si Episcopus. init.*

SECTIO XVIII.

An & quomodò possint Religiosi ad Ordines promoveri?

I. Monachos, quos tamen morum gravitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum Officiis aggregari & optamus & volumus. Causa XVI. Quæst. I. Cap. 29. *Monachos. init.*

II. *Concilium* Pictav. *ann.* 1100. *Can.* 5. Tom. X. Conc. *p.* 725. Ut nemo Monachorum deinceps utatur manipulis, nisi fuerit Subdiaconus ordinatus.

III. Cùm pro utilitate Ecclesiæ aliquos Monachorum Episcopus probaverit in Clericatûs Officio promovendos, cum Abbatis voluntate debent ordinari. Causa XVI. Quæst. I. Cap. 34. *Cùm pro utilitate. init.*

IV. Cùm Religiosi ad Superiores desiderant Ordines promoveri, sed Prælati eorum desideriis contradicunt; non est in hac parte subjectorum desiderium confovendum: quoniam esse potest quod Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis quod salvâ conscientiâ nequeunt sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. Ad *aures.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. Cap. 5.

V. Ad ampliationem Cultûs Divini, Monachi quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines Sacros (excusatione cessante legitimâ) promoveri. Clementina. *Ne in agro. §. penult. init. De Statu Monachorum.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 1.

VI. Regulares nec non in minori ætate quàm Clerici Sæculares, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscumque quoad hoc penitùs exclusis. Conc. Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 12. *fin.*

VII. Monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasiâ recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto. *De Apostatis.* Cap. *fin. Consultationi.* Lib. V. Decr. *Tit.* 9. Cap. 6.

Continuatio Argumenti SECT. XVII. & XVIII.

Vice versâ Clericos posse Religionis statum amplecti.

I. Clerici qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in Monasteriis largiri oportet ingressus; nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Causa XIX.

Tom. II,

Quæst. I. Cap. 1. *Ex Conc.* Tolet. IV. Cap. 49. *anno* 633. Tom. V. Conc. *p.* 1717.

Nemini posse interdici religionis ingressum.

II. Duæ sunt leges, una Publica, altera Privata, quoad Clericorum ad Religionem transitum, & Religiosorum ad Clericatum. Causa XIX. Quæst. II. Cap. 2. *init.* Lex Publica est Lex Ecclesiæ, quæ hujusmodi transitum quandoque & in nonnullis circumstantiis prohibet; Lex privata est Lex Spiritûs Sancti, quæ ab illâ liberat, quoties sufficienter nota est.

III. Si quis Clericorum in Ecclesiâ suâ sub Episcopo populum retinet, & sæculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo Monasterio vivere velit, in isto recipiendus, etiam invito Episcopo. Causa XIX. Quæst. II. Cap. 2. *Duæ sunt.*

IV. Non liceat Parentibus liberos suos ad solitariam vitam transeuntes abstrahere de Monasteriis. Causa XIX. Quæst. II. Cap. 10. *fin.* id exposcit rationis paritas.

V. Si post decimum quartum annum, adolescentula vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas Parentibus prohibendi. Causa XX. Quæst. II. Cap. 2. *fin.* Nunc id prohibere possunt ad usque annum 16. & etiam posteà, si vocatio dubia sit.

VI. *Conc.* Quinisextum *ann.* 692. Can. 43. Tom. VI. Conc. *p.* 1164. Licet omni Christiano vitam exercitatricem eligere... & qui germanè ac sincerè accedit, acquiescimus, favemus.

VII. Clericis Monachicum habitum sequi cupientibus, pro remuneratione Divinâ, Sæcularibus spretis, arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab Episcopo denegetur, sed potiùs eos in tali conversatione perstare exhortari conetur; sicut in *Concilio* Toletano habetur, *Capitulo* 50. *Synodus* Augustana *anni* 952. Cap. 7. Tom. IX. *Conc. p.* 636.

SECTIO XIX.

Quomodo provideri debeat ut Religiosi ad bonas artes ac studia litterarum instituantur; & quas scientias ediscere in publicis studiis ipsis vetitum sit, & sub quibus pœnis? Nonnulla quoque de Monasteriis erigendis.

I. Ut ipsis Monachis proficiendi in scientiâ, via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter. Clementina *Ne in agro. §. penult. fin. De Statu Monachorum.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 1.

II. Qui in suis Monasteriis religiosè residere debent, & vocum novitates, ut innotescant studio, proferre satagunt, acerrimè ut præsumptores arguantur & comprimantur. *De Constitut.* Cap. *Canonum. in integrâ.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 1. *fin.*

III. *Vide Comitiorum Aurelianensium anni* 1560. *articulum* 20. *& Comitiorum* Blesensium *anni* 1579. *articulum* 25. uterque notanda continet præcipuè Gallis.

Concil. Remanse *anni.* 1131. *Can.* 6. Tom. X. Conc. *p.* 984. Hujus est summa, ne Monachi aut Regulares Canonici Leges aut Medicinam lucri causâ discant.

Conc. Lateran *Generale* II. *ann.* 1139. Can. 9. Tom. X. *Conc. p.* 1004. idem habet, ac iisdem ferè verbis quod *Can.* 6. mox citatus, damnat in Monachis studium Legum Forensium, aut Medicinæ, lucri quærendi gratiâ, quantumlibet illas dedeceat momentis gravioribus demonstrat.

IV. In Monasteriis Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur, quâ in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. *Conc.* Trid. Sess. V. *De Refor.* Cap. 1. *med.*

V. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ Sriptura lectio similiter habeatur; quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, assignetur dignioribus Magistris. *Concil.* TRID. SESS. V. *De Reform.* Cap. 1.

VI. Legentibus per Monasteria, Capitula, Conventus, Collegia Exempta, & non Exempta, in stipendiis competentibus & sumptibus providendum est, juxta Facultatum exigentiam, Privilegiis & Exemtionibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus. CLEMENTINA. *Inter Sollicitudines.* §. *ult. fin. De Magistris.* LIB. V. CLEMENTINAR. *Tit.* 1. Cap. 1.

VII. Ne occasione scientiæ, Spirituales viri mundanis rursùs actionibus involvantur; Statutum est, ut ne ulli omninò post Votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso Professionem, ad Physicam, Legesve mundanas, (id est audiendas, ut patet ex Decretali HONORII III. decisione ultimâ,) legendas permittantur exire. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Non magnoperè. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 3.

VIII. Si exierint, & ad Claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur: & in nullâ causâ, si Patrocinium præstare voluerint, audiantur: Reversi autem, in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris, ultimi Fratrum existant: Et (nisi fortè ex misericordiâ Sedis Apostolicæ) totius spem promotionis amittant. *Ibid. Ne Cler. vel Mon.* Cap. *Non magnoperè. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 3.

IX. Quia Regulares quidam Claustrale silentium, & Legem Domini animas convertentem respuentes, abeunt post vestigia gregum, & illicitè se convertunt ad pedissequas amplectendas, quæ plausum desiderant populorum, contra hujusmodi præsumptores, exeuntes ad audiendum Leges & Physicam, felicis memoriæ ALEXANDER instituit in *Concilio* TURONENSI, ut nisi infra duorum mensium spatium ad Claustra redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nullâ causâ, si Patrocinium præstare voluerint, audiantur: Reversi autem, in Choro, & Capitulo, & mensâ, & cæteris, ultimi Fratrum existant, &, nisi fortè ex misericordiâ Sedis Apostolicæ, totius spem promotionis amittant. *Ibid. Ne Cler. vel Monach.* Cap. *fin. Super specula. in Int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 60. Cap. 10.

X. Tales ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrant. & prædictis pœnis obnoxii publicè nuncientur. *Ibid. Ne Cler.* Cap. *Super specula.* §. 10. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 10. *finali.*

XI. *Conc.* TURON. *ann.* 1163. *Can.* 8. TOM. X. CONC. *p.* 1421. Non solùm magnoperè antiqui hostis invidia infirma membra Ecclesiæ præcipitare laborat: Sed etiam manum mittit ad desiderabilia ejus, & electos quoque nititur supplantare, dicente scripturâ, *Esca ejus electa.* Multorum siquidem casum operari se reputat, ubi pretiosius membrum aliquod Ecclesiæ fuerit aliquâ calliditate detractum.

Hoc Procemio præmisso, ostendit posteà Monachorum ruinam Satanam tentare per studium Legum & Medicinæ, hinc colore quæsito fore ut hujusmodi notitia fient Fratribus utiliores, quoad corpus curandum, & Monasterio, quoad illius res conservandas.

XII. Locorum Ordinarii non possunt licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum Ordinariæ Jurisdictioni subjectis, erigendos impertiri; nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus: & causâ, servatis servandis, cognitâ constiterit in eisdem Civitatibus & locis, novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse. *Bulla. Quoniam ad institutam* CLEMENTIS VIII. *ann.* 1603. *die* 23. *Julii.* §. 1. *Collectionis Actorum Cler. Gallic.* TOM. I. Cap. 14. §. 12. *p.* 984. *Bullarii.* TOM. III. *p.* 143.

XIII. Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti quocumque nomine nuncupentur, in quacumque Civitate, vel oppido, seu quocumque alio loco non erigantur; nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex reditibus & consuetis Eleemosynis sustentari valeant; ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutionum hujusmodi, non solùm in prædictis, sed etiam in aliis, per quatuor millia passuum, circumvicinis locis ad id vocati & auditi fuerint, ac tali electioni consenserint: vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis, sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus, anteà in Civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè ac congruè manuteneri & ali posse. *Bulla. Cùm aliàs Felicis &c.* GREGORII XV. *ann.* 1622. *die* 17. *Augusti. dicto.* TOM. I. *Collectionis.* Cap. 14. §. 13. *p.* 986. *Bulla* 30. GREGORII XV. §. 2. *ann.* 1622. *Bullarii.* TOM. III. *p.* 428.

XIV. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur; Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ & habitatores, quorum & consensum requirant ac adhibeant, duodecim Religiosos in Conventibus instituendis commodè alere & manutenere valeant. *Ibid.*

XV. Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium, Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis ad quos spectat, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ & passivæ, nec non Officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa & alia in futurum obtinenda, nec non etiam Excommunicationis *ipso facto* incurrendis pœnis interdictum & prohibitum est, ne nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca Regularia, nisi de expressâ Ordinariorum licentiâ, ac servatâ in omnibus, & per omnia, Sacrorum Canonum & *Concilii* TRIDENTINI, nec non Constitutionis *Felicis Record.* CLEMENTIS VIII. quæ incipit *Quoniam ad institutam, sub datâ Romæ apud Sanctum* MARCUM, *sub annullo Piscatoris die* 23. *Julii ann.* 1603. ac Decretorum de mandato ejusdem CLEMENTIS, nec non similis memoriæ GREGORII XV. Romani Pontificis, desuper editorum formâ recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere audeant seu præsumant. *Bulla. Romanus Pontifex.* URBANI VIII. *ann.* 1614. *die* 14. *Augusti*, *eodem* TOM. I. *Collectionis.* Cap. 14. §. 14. p. 988. *Bullarii.* TOM. IV. *p.* 62. *Bulla* 27. URBANI VIII.

XVI. Cùm fortè contigerit, quod Canonicus Regularis in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium quod contra Regulam latenter habuerat, noluerit resignare, & sic diem clauserit extremum, erit Christianâ Sepulturâ privandus. *De Statu Monach.* Cap. *Super quodam.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 4.

Quod si fuerit inter alios Fratres traditus sepulturæ; si sine maximo scandalo potuerit fieri, de ipsâ projici dignus est Ecclesiâ, & extra Cæmeterium Ecclesiæ sepeliri. *Ibid. fin. in integrâ.*

Circa

Circa quæ suprà Collecta sunt de erectione Monasteriorum, Vide usum Galliæ *Institutionum. Part. 1. Tit. 62.* ubi sigillatim conditiones ad id requisitæ observantur.

SECTIO XX.

Monachos posse Ecclesiasticis Ministeriis deputari; sed non posse illa exercere sine consensu Episcopi, & Abbatis sui.

I. Asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo vivunt, Sacerdotalis Officii potentiâ indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per Sacerdotalis Officii divinitùs sibi injunctam potestatem, omninò labuntur. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 25. *Sunt nonnulli. init. Ex Decreto* Bonifacii *Papæ* IV *in Concil.* Roman. *ann.* 610. Tom. V. *Conc. p.* 1619. *Ex Conc.* Nemaus. *ann.* 1096. Cap. 2. 3. Tom. X. Conc. *p. 606.* In quibus plura habentur desumpta ex illo Decreto, ut paret conferenti quæ refert Gratian. cum his quæ referuntur citatis Conciliorum locis: præfatum hoc Decretum, ut apocriphum rejicitur. Van-Espen *Comment. in hanc Causam Quæstionem.*

II. Neque Beatus Benedict. Monachorum Præceptor Almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos Sæcularium negotiorum edixit forè expertes tantummodò. *Ibid.* §. 1. *Neque.*

III. Nos Sanctorum Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis, ligandi solvendique Officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc Ministerio sublevari. *Ibid.* §. 2. *Nos.*

IV. Sacerdotibus Monachis, Apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptisare, Communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata solvere. *Ibid.* Caus. XVI. Quæst I. Cap. 24. *Ex authoritate.*

V. Per antiquos Canones, etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari. *De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei timorem.* §. 2. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 5. *Vide* Caus. XVI. Quæst. II. Cap. 1. 6. &. 7.

VI. Qui per civitates singulas, seu possessiones, in Monasteriis sunt, in locis in quibus semel se Deo devoverunt, permanentes, Ecclesiasticis (juxta Germanam Versionem) negotiis non se immisceant; nisi fortè jubeantur, propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis Episcopo. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 12. *Qui verè.*

VII. Monachi, & Abbates, Episcopalia Jura & Officia, videlicet pœnitentiam, remissionem peccatorum, reconciliationem, decimas, & Ecclesias, absque proprii Episcopi licentiâ, vel Apostolicæ Sedis autoritate, nullatenus præsumere audeant; sicut in Chalc. *Concilio* de hujusmodi à Sanctis Patribus cautum èst, & sub anathematis vinculo, Monachis omnibus prohibitum. *Ibid* Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 9. *Pervenit.*

VIII. Nullus ad Ecclesiasticum Officium ex Monasterio producatur Monachus, nisi quem Abbas loci admonitus, propriâ voluntate, obtulerit Episcopo. Dist. LVIII. Cap. 1. *Nullus. Concil.* Pictav. *ann.* 1100. *Can.* 10. Tom. X. Conc. *p.* 725. Ne Monachi pœnitentiam cuivis injungant sine consensu Abbatis sui. *Conc.* London. *ann.* 1102. *Can.* 18. Tom. X. Conc. *p.* 730. *Vide Concil.* Gleru. *ann.* 524. *Can.* 3. Tom. IV. Conc. *p.* 1611.

IX. Monachi vagantes, ad Officium Clericatûs, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in Civitatibus, nec in Parochiis ordinentur. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 33. *Monachi. init.*

X. Si necessè fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus. *Ibid.* Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 33. *Monach.* §. 1.

XI. Nullus Monachus sine testimonio & concessione Abbatis sui, in Ecclesiâ aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoveatur honorem. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 5. *Quam sit.* §. 4. *Nullus.*

XII. Monachi à Monasterio foras egredientes, ne aliquod Ministerium Ecclesiasticum præsumant agere, prohibitum est; nisi fortè cum Abbatis imperio. Caus. XVI. Quæst. I. Cap 35. *Monachi. init.*

SECTIO XXI.

Quid sit Ordo Religiosus, & quæ Religiones approbatæ, & quomodo Canonici Regulares à cæteris Religiosis differant?

I. Ordo Religiosus vera persona non est, sed repræsentata & imaginaria potiùs est censenda; quare quæ sunt facti sibi verè convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quæ sunt juris. *Extravag.* Joann. XXII. *Quia quorumdam* §. 1. *med. De Verb. Signif. Extravag.* Joann. XXII. *Tit.* 14. *& ult.* Cap. 5. *etiam ultimo.*

Facta quæ singulorum sunt, veram personam exigunt & requirunt, *Ibid.* Congregatio eligit, Statuta facit, jam facta explicat, idque per membra sua, quorum major pars illam repræsentat.

II. Eadem est substantia Religionis apud omnes Religiosos, (hoc est tàm in strictâ, quàm laxiore Regulâ) sed in qualitatibus differunt. *Glossa colligit ex* Cap. *Consulti. De Regularib.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 10.

III. Religiones & Ordines nondum approbationis meruere principium, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt. *Ibid. in 6. De Religiosis Domibus.* Cap. unic. *init.* Lib. III. *Tit.* 17.

IV. Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinem & Regulam Sedes Apostolica noscitur approbasse. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Nimis prava. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 17.

V. Prædicatorum & Minorom Ordines, evidens ex eis utilitas Ecclesiæ Universali proveniens, perhibet approbatos. *In 6. De Religiosis Domib.* Cap. unic. §. 1. *Sanè.* Lib. III. *Tit.* 17. Cap. unic.

VI. Eremitarum S. August. & Carmelitarum Ordines, quorum institutio *Concilium Generale* Later. *sub* Innoc. III. *ann.* 1216. præcessit, in solido statu debent permanere. *Ibid. in 6. De Religiosis Domib.* Cap. unic. §. 2. *fin.* Lib. III. *Tit.* 17. Cap. unic.

VII. Non putamus Canonicos Religiosos à Sanctorum Monachorum vitâ & consortio sejunctos. Caus. XX. Quæst. III. Cap. 4. *Præsens. fin.*

VIII. Canonici Regulares, etsi à Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, Regulæ tamen inserviunt laxiori. *De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 5.

IX. Licet in Lateran. *Concilio.* de Monachis caveatur, ne singuli per villas & oppida per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, tamen istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur. *Ibid. De Statu Monachorum.* Cap. *Quod Dei.* §. 2. *Licet. init.* Lib. III. Decr. *Tit* 35. Cap. 5.

Circa prædicta discrimina inter Monachos & Canonicos Regulares notandum. I. Quod in istis Monachismus accessit Clericatui, in illis verò Clericatus accessit Monachatui; hinc Canonicorum Regularium Ordo nobilior quàm Religiosorum institutio, idque eadem ratione quâ Clericatus præstat Monachatui. II. Quod si sola attendatur vita Religiosa, quæ eò perfectior quò strictior, præcellit Regularium Religio, Canonicorum Regularium Religione; hinc transitus ab istâ ad illam cæteris paribus præferendus, solo inspecto in pœnitentiâ progressu.

X. Ne in agro Dominico, Sacrâ videlicet Monachorum Nigrorum Religione, indecorum aliquid ob-

repat, ant vitiosum quicquam penieiosè in segetem coueresſcat, sed ut in illa potiùs flores honoris & honestatis fructus in ubertate succrescant. CLEM. I. *Ne in agro. De Statu Monachorum.* LIB. III. CLEM. *Tit.* to. Cap. 1. *init.*

XI. Pium Clericorum Societatis JESU institutum à Sanctâ Sede Apostolicâ approbatum. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regularibus.* Cap. 16. *med.*

Ex collectis Textibus patet, quod hæc vocabula *Ordo, Religio, Institutum,* sint Sinonima.

SECTIO XXII.

An & quomodò possint novæ Religiones institui?

I. Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiâ Dei confusionem inducat, firmiter prohibitum est, ne quis de cætero nouam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. *De Religiosis Domib.* Cap. *Ne nimia init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 9. *finali.*

II. Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium consultâ prohibitione vetavit, atque repetitâ Constitutione districtiùs inhibitum est, ne aliquis de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat. *In 6. De Religiosis Domibus.* Cap. unic. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. unic.

III. Sancta Romana atque Universalis Ecclesia superstitiosos conatus insolentium hominum detestatur, videlicet ne sub ovinâ pelle gregem Dominicum truculentia Lupi rapacis invadat, sub pietatis imagine virus hæreticæ pravitatis obrepat, & sub prætextu Conversationis Angelicæ, incautis mentibus Spiritus malignus illudat: Cujus rei gratiâ Sacris Canonibus est interdictum, ne aliquis novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat; sed quicumque ad Religionem venire voluerit ingrediatur unam de Religionibus approbatis. *Extrav.* JOANN. XXII. *Sancta Romana. init. De Religiosis Domibus. Extravag.* JOAN. XXII. *Tit.* 7. Cap. unic.

IV. Habitum Religionis & vivendi Ritum Regularem aliquibus concedere, Episcopis seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Prælatis non licet contra formam Concilii Generalis. *Decisione* 1. *Ibid. Extravag.* JOAN. XXII. *Sancta Romana, antè* §. 1. *De Religios. Domib. Extravagantium* JUAN. XXII. *Tit.* 7. Cap. unico.

V. Qui voluerit Religiosam Domum de novo fundare, Regulam & Institutionem accipiat de approbatis. *De Religiosis Domibus* Cap. *Ne nimia.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 9. *finali. In Concil. Generali.* LATER. *ann.* 1216. *sub* INNOC. III.

Novam Religionem non licet constituere sine autoritate Romani Pontificis.

VI. Licet INNOC. III. in Generali Concilio interdixisset novas Religiones institui, tamen Successores ipsius, non obstante interdicto hujusmodi, plures leguntur Ordines confirmasse. *Extravag.* JOAN. XXII. *Quia quorumdam p.* 171. *De Verborum Signif. Tit.* 14. Cap. 5.

VII. Si igitur post interdictum Concil. Generalis licuit Summis Pontificibus non confirmatos in totum dissolvere, non est mirum, si quod declarat circa Regulas Ordinum solus Summus Pontifex, vel ordinat, liceat ejus Successoribus declarare, seu aliàs immutare. *Ibid.*

Notandum obiter JOANNIS XXII. ratiocinium supponere Concilium ipso Pontifice superius esse, cùm concludat mirum esse non debere, si declarationes circa Regulas Ordinum, à quibusdam Pontificibus factæ ab istorum Successoribus immutentur, ex eo quòd Pontifices *Conc.* LATER. IV. posterioris illius Decreto vetanti institutionem novarum Religionum derogassent; quod ut faciliùs intelligatur, subdendus §. 1. Cap. unic *De Religios. Domib. in 6.* cujus hæc sunt verba: ,, Confirmatos autem per Sedem Apostolicam, post idem tamen Concilium institutos, quibus ,, ad congruam sustentationem reditus, aut possessiones ,, habere professio sive Regula quælibet interdicunt ,, sed per quæstum publicum tribuere victum solet ,, incerta mendicitas: modo decernimus subsistere infra scripto; ut videlicet Professoribus eorumdem ,, Ordinum ità liceat in illis remanere, si velint, quod ,, nullum deinceps ad eorum Professionem admittant, nec de novo domum vel aliquem locum acquirant ,,. &c.

Ex collectis Textibus circa novarum Religionum institutionem, sequitur nullos de illâ expressè loquentes inventos fuisse sæculo XIII. anteriores hujus autem rei ratio est, quod Felix exitus Institutiones Ordinum Mendicantium, Prædicatorum, & Minorum hoc sæculo institutorum, ansam præbuerat plures alios fundandi erigendique, undè incommoda non pauca, de quibus citato Textu.

SECTIO XXIII.

Quomodò nova Domus, seu nova Monasteria erigi debeant?

I. Monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere, aut fundare præsumat. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 12. *De Monachis.*

II. Cellulas novas, aut Congregatiunculas Monachorum absque Episcopi notitiâ prohibitum est institui. *Ibid.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 13. *Cellulas.*

III. Placuit neminem, aut ædificare, aut construere Monasteria, aut Oratorii domum, sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. *Ibid.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 10.

IV. Monasteria non erigantur sine Episcopi in cujus Diœcesi erigenda sunt licentiâ priùs obtentâ. *Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 3. *fin.*

Nullus Monachus, Congregatione Monasterii derelictâ, ambitionis & vanitatis impulsu, Cellulam construere sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate, præsumat. *Concil.* AUREL. I. *ann.* 511. *Can.* 22. TOM. IV. CONC. *p.* 1408.

V. Domus & hortus atque hospitia Abbatissæ tradantur, proprietatis jure possidenda in quâ domo. Monasterium Virginum, ubi cum Congregatione suâ habitare possit, CHRISTO queat adjuvante construere; & tam ipsa, quàm quæ in ejus loco honoreque successerit, prædictam domum atque hortum, cum omnibus ad se pertinentibus, quieto inconcussoque jure pietatis consideratione concessa, valeat possidere. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 75. *finali. Religiosam. med.*

SECTIO XXIV.

Monasteria semel instituta non posse in alios usus deputari; sed tantùm ex consilio Episcoporum transferri in alium locum.

I. Quæ semel dedicata in alium locum Monasteria cum consilio Episcoporum, maneant perpetuò Monasteria; & res quæ ad ea pertinent Monasteriis reservari oportet; nec posse ea ultrà fieri Sæcularia habitacula. CAUS. XIX. QUÆST. III. Cap. 4. *Quæ semel. init. Conc.* CALEDON.

II. Nemini Regum, aut cuiquam hominum liceat Monasterium tradere, vel commutare, vel quocumque commercio vendere; quod si factum fuerit, non valebit; sed ipsum Monasterium in pristinum reformetur statum. CAUS. XVI. QUÆST. I, Cap. 40. *Nemini. juxta Correct. Rom.*

Vide

Vide *Concil.* Quinquasaxtum *ann.* 692. *Can.* 49. Tom. VI. Conc. *p.* 1165. innovat refertque *Canon.* Calcod. Conc. Clovashoviæ. *ann.* 747. *Canon.* 5. Tom. VI. Conc. *p.* 1574. damnat rerum Sacrarum translationem in usus profanos, ut injuriosam Divinæ Legi. *Conc. apud* Celichyt. *in Anglia an.* 816. *Can.* 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1487. nec ultra ullatenùs dominium, nec habitatio Sæcularium. *Conc. ad* Theodom. Villam *ann.* 844. Cap. 3. Tom. VII. Conc. *p.* 1802. hunc abusum vocat magnam offensam, justam reprehensionem, periculosam sine præcedentium exemplo præsumptionem. *Concil.* Meldens. *ann.* 845 Cap. 3. Tom. VII. Conc. *p.* 1833. aut Monasteria Sæcularibus in allodium data. *Conc.* Mogunt. *ann.* 888. Cap. 25. Tom. IX. Conc. *p.* 411. de Monasteriis Clericorum, Monachorum, Puellarum, quæ Clericis, sive Laïcis, Beneficii jure donata sunt. De hoc Sacrilegio differit Flasacus *Doctor* Sorbon. in Opere ad hoc peculiari. De eadem re fusè agit agit Thomass. *Discipl. Part.* 3.

III. Quamdiù Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad Sæculares Clericos transferenda. *De Religiosis Domib.* Cap. *Inter quatuor. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 5.

IV. Si Regulares defuerint, propter eorum defectum in eis Sæculares Clerici poterunt ordinari. *Ibid. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 5.

V. Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cùm consilio Episcopi, & Fratrum suorum. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 41. *Si quis. init.*

VI. Quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia Urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ & aliis facinoribus, sine ulla sæpè custodiâ, sunt exposita, curent Episcopi & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria, intra Urbes, vel oppida frequentia, reducantur; innovato etiam auxilio, si opus fuerit, Brachii Sæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes per Censuras Ecclesiasticas parere compellant. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 5. *fin.* Loca dudùm Monasteriis consecrata, habitacula Clericorum, aut etiam Laicorum fieri non debent; quia Ecclesia nullo modo patitur, ut sacra loca per Clericorum ambitum destruantur. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 26. *Pervenit. il secondo.*

VII. Prohibent Sacri Canones ne aliquis Laïcus de Religione præsumat. *Conc.* Troslaian. *ann.* 909. Cap. 3. Tom. IX. Conc. *p.* 528. quomodo eorum Abbas erit, cum quibus nec edendi licentiam habet. Hæc aliave ex Regum Capitularibus desumuntur, quæ Canonum pedissequa vocat.

SECTIO XXV.

Novitios & Conversos gaudere privilegio Canonis, sicut & alios Religiosos.

I. Præcipitur ne quis in Monachum, vel alicujus Religionis Conversum manus injiciat violentas; nisi se defendendo, aut de mandato suorum fecerit Prælatorum. *De Sentent. Excom.* Cap. *Ex tenore.* §. *Mandamus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 10.

II. Non dubium est, quod hi qui violentas manus in cujuslibet Religionis Conversos injiciunt, ex constitutione Concilii. Sententiam Excommunicationis incurrunt; nec nisi in articulo mortis, fine Romano Pontifice, absolutionis possunt Beneficium impetrare. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Non dubium.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 5.

III. Episcopi Parochianos suos, si qui in Monachos, vel Conversos violentas manus injecerint, sublato appellationis remedio, secundùm tenorem generalis Decreti, excommunicatos publicè nunciari, ipsosque faciant, sicut excommunicatos, arctiùs evitari: donec læsis congruè satisfaciant; & Apostolico se conspectui repræsentent. *Ibid. De Sentent. Excommunicationis.* Cap. *Parochianos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 9.

IV. Quamvis is qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit expressè professus; si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ à Canone vinculum non evadit. *In* 6. *De Sententiâ Excom.* Cap. *Religioso.* §. *Quamvis.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 21.

Relati Textus, ut par est, expositi sunt in Tractatu Gallico *De Censuris*, ubi fusè de privilegio Canonis.

SECTO XXVI.

Quid cautum sit circa Beneficia Regularia à Religiosis obtinenda?

I. Prioratus Conventuales alicui, nisi 25. annum attigerit, conferri nequeant. Clem. I. *Ne in agro.* §. *Cæterùm. De Statu Monachorum.* Lib. III. Clem. *Tit.* 10. Cap 1.

II. Qui Prioratus Conventuales habuerint, infra annum, computandum à tempore collationis sibi factæ de eis, & possessionis eorum adeptæ, se faciant ad Sacerdotium promoveri. *Ibid.*

III. Prioratus alii curam animarum habentes, etsi cura ipsa per Sæculares habeat Presbyteros exerceri, cuiquam, nisi 20. annum peregerit, conferri nequeant.

IV. Qui Prioratus istos habuerint infra vigesimum quintum ætatis suæ annum, si ante annum ipsum non Conventuales Prioratus eis fuerint collati, se faciant ad Sacerdotium promoveri. *Ibid.*

Vide Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 00. 23. 24. quæ Innoc. & Gregor. tribuuntur, sed recentiorem ætatem præferunt, ut ait Van-Espen in illa.

Si Religiosi habeant Beneficia ipsis solvi debent decimæ & alii proventus.

Clericos posse fieri Monachos, sicut Monachi Clerici, ideòque utrosque habere Beneficia statui suo competentia, ut supra ostensum est.

Vide *ibid.* Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 32. & Cap. 36. *Lege & Notas* Van-Espen circa illa.

V. Prioratus aut Administrationes extra Monasteria obtinentes, non permittantur in Monasteriis, sed teneantur in ipsis Prioratibus, seu Administrationibus, quacumque non obstante consuetudine, residere; nisi ex studiorum, vel aliâ causâ rationabili, ad tempus fortè, ab hujusmodi residentiâ excusentur. *Ib.* §. *Sanè.*

VI. Perpetuo prohibitum est Edicto, ne Monachi singuli in singulis sibi commissis Administrationibus, vel Prioratibus, habitare præsumant. Clemant. I. *Ne in agro.* §. *Ad hæc. De Statu Monachorum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 10. Cap. 1.

VII. Si proventus Prioratuum, seu Administrationum hujusmodi, duobus fortè non suppetant, iidem Prioratus, seu Administrationes, nisi per Abbates ad sustentationem duorum sufficientes reddantur, locis aliis vicinioribus ad eorum Monasteria pertinentibus, vel ipsorum Monasteriorum Officiis, aut inter se invicem, prout erit commodius, cum consilio & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur. *Ibid.*

VIII. Monachis locorum, quæ aliis unientur Prioratibus, ad Claustrum primitùs revocandis, & Clericis servitutis de locorum ipsorum proventibus provisio debita fiat. *Ibid. fin.*

IX. Priores, cùm in Ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum suorum Canonicè fuerint instituti, nisi pro manifestâ & rationabili causâ non mutentur; videlicet, si fuerint dilapidatores, incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur; aut si etiam pro necessitate majoris Officii de consilio Fratrum fuerint

fuerint transferendi. *De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 2.

Quæ huic Sectioni deesse videntur supplebuntur per Regulas huic Tractatui subjiciendas, ubi de antiquitate Beneficiorum Regularium agetur, necnon de benedictione Abbatum & Abbatissarum.

SECTIO XXVII.

An, & quomodo Religiosi ex Beneficiis habere possint peculium, & quâ ratione illo uti?

I. Monachi peculium non permittuntur habere, nisi ab Abbate fuerit eis pro injunctâ administratione permissum. *De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi.* §. 2. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 2.

II. Perpetuo prohibitum est Edicto, ne quis Religiosus Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu Administrationi cuivis præsidens, jura, reditus, aut possessiones ejusdem, alicui ad vitam ejus seu aliud certum tempus, pecunia etiam indè recepta, quovis modo concedat; nisi necessitas aut utilitas Monasterii, Prioratûs, Ecclesiæ, seu Administrationis hujusmodi hoc exposcat; Conventûs sui, aut si Conventum non habeat, Prælati proprii assensu ad hoc nihilominùs accedente. CLEMENTINA I. *De reb. Eccles. non alien.* LIB. III. CLEMENTI. *Tit.* 4. Cap. 1.

III. Si quis autem contra hoc fecerit, pœnam suspensionis ab Officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti jus aliquod acquiratur. *Ibid.*

Verùm præmissa ad locationes, vel etiam redituum aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas, Declaratum est nullatenus non extendi. *ibid. fin.*

Juxta Ecclesiæ mentem, ac voti paupertatis naturam, Religiosi nec peculium habere possunt, nec illo uti sine obligatione de illo rationem reddendi Superioribus: huc pertinent Textus suprà relati probibentes Religiosis quid proprii habere.

SECTIO XXVIII.

Religiosos qui ad Episcopale fastigium promoventur, non omninò eximi à legibus, quas per votum sibi imposuerunt, licèt ab aliis absolvantur.

I. De Monachis qui diù morantes in Monasteriis, si posteà ad Clericatûs Ordinem pervenerint, statutum est non debere eos à priore proposito discedere. CAUSA XVI. QUÆST. I. Cap. 3. *De Monachis. Vide Glossam.*

II. Monachus, quem Canonica electio à jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem, posteà jure vendicandi potestatem habeat, sed quicquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat. CAUSA XVIII. QUÆST. I. Cap. 1. *Ex Concilio habito apud* ALTHEUM. *al. Altheim in Rhetiâ. ann.* 917.

III. Postquam Episcopus ordinatur, ad Altare ad quod sanctificatur & titulatur, secundùm Sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat. *Ibid. fin.*

Circa hunc Textum, vide Commentarium VAN-ESPEN in citatum locum, ubi notat in Belgio & in Galliâ Religiosum factum Episcopum, non fieri capacem acquirendi bona paterna jure hæreditario, nec quæ post consecrationem acquirit, ad Monasterium pertinere, sed de illis pro lubitu posse disponere; si verò intestatus decesserit quoad, eadem consanguinei succedunt, etsi illis succedere nequeat; quod iniquum videtur, cùm æqualitas non servetur; sed non est, cum hinc bonis Sæcularibus renunciant voto paupertatis, istic verò parentes Monachi facti Episcopi expensas ad hujusmodi promotionem necessarias subministrant, undè successio prædicta est veluti restitutio vel quædam compensatio.

SECTIO XXIX.

An possint Episcopi, etiam in Monasteriis quæ sunt Ordinum Capita, suprà dicto Visitationis Jure uti?

I. Abbates qui sunt Ordinum Capita, ac cæteri Ordinum Superiores Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusve legitima Jurisdictio; eadem illa sibi subdita Monasteria & Prioratus suo quisque loco atque Ordine ex Officio visitent, etiamsi Commendata existant. CONC. TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 20. *init.*

II. Hæc Monasteria Commendata seu Prioratus cum Ordinum suorum Capitibus subsint, in iis quæ SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 8. de Visitatione Monasteriorum Commendatorum definita sunt, non sunt comprehensa. *Ibid.* CONC. TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 20. *Post init.*

III. Teneantur quicumque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum Ordinationes exequi. *Ibid.* CONC. TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 20. *med.*

IV. Ipsa quoque Monasteria quæ sunt Ordinum Capita, juxta sanctæ Sedis Apostolicæ & cujusque Ordinis Constitutiones, visitentur. *Ibid.*

V. Quamdiu durabunt hujusmodi Commendæ, Priores Claustrales aut in Prioratibus Conventum habentibus Superiores, qui correctiones & spirituale regimen exercent, à Capitulis Generalibus vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. *Ibid.*

In cæteris omnibus, præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa. *Ibid.* CONC. TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 20. *fin.*

VI. Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas autoritate Apostolicâ singulis annis visitare teneantur, & opportunis Juris remediis providere ut quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, si quæ illis immineat, aliisque debitis obsequiis, minimè defraudentur: appellationis privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus, penitùs exclusis. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 8.

VII. Commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præpositurae nuncupatæ, in quibus non viget Regularis observantia; nec non Beneficia tàm Curata, quàm non Curata, Sæcularia & Regularia, qualitercumque Commendata etiam Exempta, ab Episcopis etiam, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, annis singulis visitentur, curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent aut restauratione, reficiantur. Et cura animarum, si quæ illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia rectè exerceantur, Appellationibus quibuscunque, Privilegiis, Consuetudinibus etiam immemorabili tempore præscriptis, conservatoriis, Judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, non obstantibus. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Reform.* Cap. 8. *init.*

VIII. Quæ de adhibendâ ab Ordinariis diligentiâ in Beneficiorum etiam Exemptorum Visitatione, (*Decisione.* 4. & 5. *ex Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor. sub* PAULO III. Cap. 8. & SESS. XXI. *De Reform. sub* PIO IV. Cap. 8.) constituta sunt, eadem etiam in iis Ecclesiis Sæcularibus observentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet; alioquin ab eo qui semel in Concilio Provinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato, visitentur; non obstantibus privilegiis & Consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Refor.* Cap. 9.

SECTIO

SECTIO XXX.

Non posse Regulares sine approbatione Episcoporum audire Confessiones Sacularium, nec sine eorumdem Episcoporum jussu absolvere à casibus reservatis autoritate Apostolica.

I. Declaratum, statutum & ordinatum est, quod omnia & singula Privilegia, Exemptiones, Immunitates, Facultates, Dispensationes, Conservatoriæ, Indulta, Confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ, in his omnibus & singulis, in quibus illa Statutis & Decretis *Concilii* Trid. contrariantur, ipso jure revocata, cassata & annullata, ae ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint & esse censeantur, nec quisquam adversus ipsa Decreta & Statuta quominùs ubique, & apud omnes observentur in aliquo suffragari possint, sed ea perindè haberi, & reputari debere, ac si numquàm emanassent. *Bullâ* 94. Pii IV. *In Principis.* §. 2. *ann.* 1564. *Bullaris* Tom. II. *p.* 135.

II. Decretum est omnia & singula, quæ vigore Privilegiorum, Exemptionum, Immunitatum, & Dispensationum, Facultatum, Conservatoriarum, Indultorum, Confessionalium, & aliarum quarumcumque gratiarum hujusmodi fient, in iis, in quibus dicti Concilii Decretis adversantur, nulla, invalida, & irrita esse, & censeri, ac nemini etiam quantumlibet qualificato, tàm in foro quod aiunt fori, quàm Conscientiæ, suffragari posse & debere. *Ibid.* §. 3.

III. Statutum & ordinatum de omnibus Literis & Constitutionibus, quæ à Pio V. super Sacris Canonibus, Confessionibus audiendis, pœnitentiis injungendis, pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium, Ordinibus, & Congregationibus, quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuscumque in eis contentis, eam dispositionem atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quæ sive ex Jure Veteri, sive ex Sacris &c. *Bullaris* Tom. II. *pag.* 345.

IV. *Concilii* Trid. Decretis, sive aliàs legitimè antè dictarum Literarum & Constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumque pristinum & integrum statum ac terminum, omnia illa reducuntur. *Bullâ* 9. Gregor. XIII. *In tanta.* §. 6. *ann.* 5513. *Bullarii.* Tom. II. *p.* 370.

V. Nullus Regularis possit Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Privilegiis & Consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. *Conc.* Tridant. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 15.

VI. Decretum *Concilii* Trid. de approbatione Regularium, audiendis Confessionibus Sæcularium, Præpositorum ab Episcopis facienda, observari debet, etiam ab omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub Regulari Disciplina viventibus, etiam si sint Lectores, aut in Theologia etiam de Superiorum suorum licentia graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus Ministris, Sæcularium Confessionibus audiendis expositi. *Bullâ* 133. Pii V. *Romani Pontificis.* §. 2. *Quæ est* Pii V. *die* 5. *Augusti ann.* 1571. Tom. I. *Collectionis Actorum Cleri Gallicani.* Cap. 14. *pag.* 968.

VII. Inhibitum est quibuscumque Regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ne vigore deputationis, & approbationis ab eisdem Magistris, & Ministris Provincialibus, etiam quod illarum occasione ab Ordinariis tolerati fuerint, absque speciali licentia, & approbatione ab aliis obtinenda, Sæcularium Confessiones audire præsumant; & irritum est, ac inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinarionibus Apostolicis, & Literis quibuscumque Regularibus concessis, & forsan extensis, Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis quibusvis Monasteriis Regularibus locis, sub quibuscumque tenoribus & formis concessis. *Ibid. Bulla Romani Pontificis.* §. 3. & 4. *Quæ est* Pii V. *die* 5. *August. ann.* 1571. Tom. I. *Collect. &c. p.* 969.

VIII. Omnia & singula Indulta audiendi Sæcularium Confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Jesu, Congregationibus & Ordinibus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcumque, ac quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum & earum respectivè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, Provincialibus, Capellanis, Confessariis, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, & Personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, eujuscumque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existant, & quovis privilegio munitis, quomodolibet concessa, revocata sunt, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua sunt, nec ullo modo suffragari possunt. *Bulla. Cùm sicut accepimus.* §. 1. *quæ est* Urbani VIII. *die* 12. *Septemb. ann.* 1628. *dicto* Tom. I. *Collect.* Cap. 14. *p.* 979. *Bullâ* 92. Urbani VIII. *Bullarii* Tom. IV. *p.* 552.

IX. Regulares quamcumque exemptionem allegare valeant Confessiones audire non possint, nisi examinati & approbati ab Episcopo Diœcesano, aut ejus Vicario Generali; à quorum voluntate pendebit licentiam hanc Confessiones audiendi ad tempus, aut in perpetuum, aut ad talem quam volent limitationem, iis concedere, quæ approbatio gratis concedetur. *Constitutione pro Regularib. annorum* 1625. 1635. & 1645. *articulo* 6. Tom. I. *Collectionis Actorum Cleri Gallicani.* Cap. 14. *p.* 992.

X. Ut nullus Abbas, Monachus, vel quilibet alius Pœnitentiarius injungat, nisi quibus proprius Episcopus hanc curam dederit. *Conc.* Pictav. *ann.* 1078. Cap. 5. Tom. X. Conc. *p.* 368.

XI. Ne quis Sacerdos Regularis Confessiones audiat, nisi Episcopi scripto testimonio ad hoc comprobatus fuerit, prævio examine, si Episcopo placuerit. *Constitutionum* Melodun. *Tit.* 12. *articulo ult.* Vide *Decretum seu Arrestum Concil.* Regii 4. *Martii ann.* 1669. *in gratiam Episcopi* Agenen. Tom. I. *Collectionis Actor. Cler. Gall.* Cap. 8. *p.* 711.

XII. Magistri, Priores, Provinciales, & Ministri Ordinum Prædicatorum & Minorum, eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, modestas, atque peritas, ad tàm salubre Confessionum audiendarum Ministerium & Officium exequendum, quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel faciant præsentari Præfatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in Civitatibus & Diœcesibus eorumdem, hujusmodi personæ sic electæ, Confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant pœnitentias salutares, & beneficium absolutionis impendant; extrà Civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, Confessiones nullatenùs audituræ. Clementina *Dudum. De Sepulturis.* §. 3. *Statuimus. med.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 2.

XIII. Regulares habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis possunt absolvere. *Bullâ* 7. Clementis X. §. 7.

XIV. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licèt Regularibus, etiamsi satisfactâ parte, absolvere pœnitentes à censuris quoad externum & judicia-

judiciale forum, & absoloti ab eis in foro pœnitentiali, utique non censentur absoluti taliter in exteriori judicio & contentioso; quin imò censuris Ecclesiasticis irretiti & denunciari ab Episcopis cogi possunt gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. *Ibid.*

XV. Per hujusmodi concessionem nequaquam intendit Sedes Apostolica dictis personis, seu Fratribus ad id deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à Jure concessa; nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. CLEMENTINA *Dudum. De Sepult.* §. 7. *Per hujusmodi.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 2.

XVI. Religiosis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ, districtiùs inhibitum est, ne in casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis, quemquam absolvere præsumant. CLEMENTINA *Religiosi.* §. 2. *med. De Privilegiis.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

XVII. Ex facultatibus per mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam JESU, concessis, facta eis non est potestas absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. *Bullâ* 7. CLEM. X. *Superna.* §. 8. *ann.* 1670. *Bullarii* TOM. V. *p.* 495.

XVIII. Per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sactum *Concil.* TRID. obtinuerunt, nequaquam revixerunt Privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis, sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis. *Ibid.* Bullæ suprà laudatæ circa obligationem Regularium etiam Exemptorum, qua tenentur, ut ab Ordinario approbentur, priùs quàm Confessiones Sæcularium, eosque absolvant, referuntur in Editione nova *Actorum Cleri Gallicani* TOM. V. *Tit.* 5. *à n.* 31. *ad n.* 42. pluraque alia. *Ibid.* Extant eamdem rem spectantia lectu dignissima; præcipua sunt Censuræ ejusdem Cleri Propositionum huic doctrinæ adversantium; Resolutio dubiorum ejusdem generis ab INNOCENTIO X. Declaratio Superiorum Regularium, quâ agnoscunt se & suos prædictæ obligationi obnoxios. De eadem re agetur, dum *De Sacramento Pœnitentiæ*, in quarto hujus Operis Tractatu.

SECTIO XXXI.

An, & quæ Monasteria possint possidere bona immobilia? Et quomodo debeant illa administrari?

I. Concessum est omnibus Monasteriis & dominus, tàm virorum quàm mulierum, & Mendicantium, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, ut bona immobilia eis possidere liceat. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 3. *init.*

II. Religiosam vitam eligentibus congruâ oportet consideratione prospicere, ne cujusquam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur (quod absit) conversationis infringat. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 75. *Religiosam. init.*

III. Excipiuntur domus Fratrum S. FRANCISCI Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantiâ vocantur. *Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 3. *init.*

IV. Administratio bonorum Monasteriorum, seu Conventuum, ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 2. *med.*

V. Ne quis Religiosus Monasterio cuivis præsidens, JURI, reditus, aut possessiones ejusdem, alicui ad vitam ejus, seu aliud certum tempus, pecuniâ etiam inde receptâ, quovis modo concedat; nisi necessitas aut utilitas Monasterii hoc exposcat, Conventûs sui assensu ad hoc nihilominùs accedente. CLEMENTINA *Monasteriorum. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* CLEMENTIN. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

VI. Si quis contra hoc fecerit, pœnam suspensionis ab Officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti jus aliquod acquiratur. *Ibid.* Præmissa ad locationes, vel etiam redituum aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas, ullatenùs non extendantur. *Ibid. fin.* CLEM. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

VII. Sed cùm Monachi quoddam manerium cum pertinentiis suis ab aliis Monachis sub annuo censu fuerunt adepti; Prior eorum, Capitulo inconsulto, præscriptum manerium acceptâ pecuniâ resignare non potest. *De Simonia.* Cap. *Querelam.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 15.

VIII. Monasterio quod nondum est aliqua fieri donatio non valet. *In 6. De Sententia, &c.* Cap. *Abbate.* §. 4. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 3.

IX. Sine proprio vivere non exigit, quòd sic viventes nihil habeant in communi. *Extravag.* JOAN. XXII. *Quia quorumdam.* §. 1. *med. De Verb. Signif. Tit.* 14. Cap. 5.

X Nec quicquam ex his insurgat erroneè, quòd taliter propter Deum proprietatem omninò abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, vivendi discrimini se committant; sic enim seipsos committunt Divinæ Providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanæ; quin vel de his, quæ offeruntur liberaliter, vel de his, quæ mendicantur humiliter, vel de iis, quæ conquiruntur per laboricium, sustententur. *In 6. De Verb. Signif.* Cap. *Exiit.* §. 8. *Nec quicquam.* LIB. V. *Tit.* 12. Cap. 3.

XI. Si juxtà promissum Salvatoris nunquam deficiet Fides Ecclesiæ, per consequens nec opera misericordiæ subtrahentur; ex quo CHRISTI pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur esse sublata. *Ibid.*

XII. Cùm annuos reditus obtinere paupertati & mendicitati repugnet, nulla dubitatio est quod prædictis Fratribus reditus quoscumque, sicut & possessiones, vel earum etiam usum, cum eis non reperiatur concessus, recipere vel habere, conditione considerata ipsorum, non licet. CLEMENTINA I. *Exivi De Verbor. Signif.* LIB. V. CLEM. *Tit.* 11. Cap. 1. §. *Cumque. circa medium.*

SECTIO XXXII.

Quæ speciatim pertineant ad Abbates?

I. Ut Abbates, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut Prælationes amittant. *De Ætate & Qualitate. &c.* Cap. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1. *in integra. ex Concil.* PICTAVENSI *ann.* 1078. Cap. 7. TOM. X. CONC. *p.* 368. Unum Abbatem duobus Monasteriis præsidere interdicitur. CAUS. XXI. QUÆST. I. Cap. 4. *Unum.*

II. Abbas de dilapidatione suspectus, ab administratione Abbatiæ est suspendendus. *De Simonia.* Cap. *Licet* HELI. §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 31.

III. Ut Abbates, qui de aliqua publica infamia publicè respersi sunt aut convicti, deinde in communi Capitulo commoniti, Prælationi cedere noluerint, appellandi non habeant facultatem. *De Appellation.* Cap. *Quia nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 32.

IV. Nullus Religiosus ad Abbatiam seu Prælaturam suæ vel alterius Religionis eligatur, nisi anteà fuerit Ordinem Regularem expressè professus. Quod si secùs actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. *In 6. De Elect.* Cap. *Nullus.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 28. Vide GONZAL. *ad* Cap. 3. *De Elect.* LIB. I. DECR.

V. Mi-

V. Miserum est eum fieri Magistrum, qui necdùm didicit esse Discipulus. Dist. XLVIII. *init. ex* Innocentio, *Epist.* 12. ad Aurelium.

VI. Sint Abbates sibi subditis benè vivendo Duces & prævii. *Concil.* Turon. III. *ann.* 813. *Can.* 24. Tom. VII. Conc. *p.* 1264.

VII. *Concil.* Eugenii II. *ann.* 826. Cap. 27. Tom. VIII. Conc. *p.* 110. accommodatitiè applicatur contra pluralitatem Abbatiarum, ut nullus habitum Monachalem suscipiat, spem aut promissionem habens ut Abbas fiat. *Conc.* Rom. *ann.* 1063. *Can.* 11. Tom. IX. Conc. *p.* 1176. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. *Per Laicos.*

SECTIO XXXIII.

Quæ sint Privilegia Abbatum? Et Conciliorum loca, ubi de celebrioribus expressa mentio fit, permixtim citata vel relata, cum nonnullis decisiónibus ex Corpore Juris depromptis.

I. Ut Episcoporum dignitati, & Abbatum provideatur saluti, firmiter prohibitum est, ne quis Abbatum manus ad ea, quæ Episcopalis dignitatis sunt, præsumat extendere; de causis Matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam Indulgentiarum Literas, & similia præsumendo; nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Accedent.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap 12.

II. Abbates, quos Apostolica Sedes in exhibitione benedictionis super populum speciali Privilegio insignivit, in Ecclesiis, quæ ad eos pertinent pleno Jure, quando in eis Divina Officia celebrant, possint post Missarum solemnia, & Vespertinas, & Matutinas, benedictionem solemnem super populum elargiti. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Abbates. init.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 3.

III. Alibi autem, publicè aut per vias, Civitates, Castra, & Villas, populis & Plebibus benedictionem facere, vel impertiri non valeant, nisi hoc eis expresso Apostolico Privilegio sit concessum. *Ibid. in 6. De Privileg.* Cap. *Abbates.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 3.

IV. Nec Abbatibus licitum sit, aliis quàm Monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa Convocaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent, primam Clericalem conferre Tonsuram, nisi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis Indulto. *Ibid. in 6. De Privil.* Cap. *Abbates. fin.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 3.

Jus Canonicum nonnulla prohibet Religiosis. *Concil.* Nemaus. *ann.* 1096. Cap. 16. Tom. X. Conc. *p.* 609. vetat illis, ne ad Sepulturam & Divina Officia accipiant excommunicatos vel interdictos: ut intrà septa Monasterii non baptisetur, nec Missæ defunctorum, aut Sæcularium corpora ibidem sepeliantur, forsitan permissu Pontificis. *Concilium incerti loci ac temporis. post ann.* 615. *Can.* 6. Tom. V. Conc. *p.* 1656. Omissa videtur vox *Nisi* ante *Forsitan. Concil.* Tolet. IV. *ann.* 633. *Can.* 51. Tom. V. Conc. *p.* 1717. Præcipiunt Canones ad Sanctam conversationem præmonere Abbates, aliaque Officia instituere, atque extra Regulam facta corrigere.

V. Ab omnibus Episcopis firmum illibatumque servetur, ut & suæ Ecclesiæ juvante Domino tantummodò sint Jure contenti, & Monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis Sæcularibus nullo modo subjaceant, nullis Canonicis Juribus deserviant, sed remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, Divinum Opus cum summa animi devotione perficiant. Caus. XVIII. Quæst. II. Cap. 5. *Quam sit.* §. *ult.*

Monasterium Fiscanense immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinet. *De Elect.* Cap. *Constitutis. in integra.* Lib. V. Decr. *Tit.* 6. Cap. 47.

Antiquitus exemptiones datæ fuerant per Episcopos ipsos.

VI. Super subjectione Ecclesiæ ex parte vestra fuit propositum, quod dicta Ecclesia Monasterio vestro pleno Jure debet esse subjecta; ad quod probandum instrumentum publicum concessionis B. quondam Veron. Episcopi Pars vestra in medium producebat, quam concessionem Successor ejus T. ratam habuit, & etiam confirmavit. Super his quoque tàm Romanorum Pontificum quàm Patriarcharum Aquilegiensium Privilegia, & Confirmationes induxit. *De Sentent.* Cap. *Cùm inter vos. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 13. Vide *Privilegium Monasterii* S. Dionys. *in Francia concessum à* Lander. *Parisiensis Ecclesiæ Episcopo. ann.* 658. Tom. VI. Conc. *p.* 487. Alexand. II. Tom. IX. Conc. *p.* 1130. Vide *Privilegium Abbatiæ* Corb. *concessum*, Abertifrio. *Ambianensium Episcopo concessum & confirmatum à* 15. *aliis Episcopis, petentibus Rege* Clotar. *& Regina* Bathildi *illius Monasterii Fundatoribus* S. Petri *Vivi. Ibid. p.* 34. Tom. VI. Conc. *p.* 527. & *Formulas* Marculfi. *Ibid.* 532. & *Privilegia seu Exempt. Monasteriorum. Concil.* Herudfold. *ann.* 673. *Can.* 3. Tom. VI. Conc. *p.* 537. qui, ut bene multi alii Canones, ostendit Monachorum exemptiones spectasse illorum res temporales. Gonzal. *in* Caus. XVIII. Quæst. II. ubi de origine distinctionis exemptionum à Lege Diœcesana, & à Lege Jurisdictionis. *p.* 143. *col.* 1.

VII. *Anno* 1025. in *Concil.* Anseno Burchardus Archiepiscopus Vienn. condemnatus est, quod sine consensu Gauslan. Episcopi Matiscon. Ordines Monachis contulisset in Abbatia Cluniac. non obstantibus Privilegiis, quæ Odito Abbas proferebat. Tom. IX. Conc. *p.* 859. Quibus responsum Chartam non esse ratam, quæ Canonicis non solùm non concordaret, sed etiam contrairet sententiis, idque post lectas præcipuas, quæ vetant ne Ordinationes fiant, sine permissu Episcopi Diœcesani. Leo IX. confirmat Privilegia Cluniac. Abbatiæ. Tom. IX. Conc. *p.* 997. *Epistol.* 13. *ad* Hugonem Cluniacens. *Abbatem.*

Confirmatio Privilegii Abbatiæ Corbeiansis à Christophoro Papa *an.* 906. Conc. Tom. X. *p.* 516. Alex. II. *ann. circ.* 1070. Tom. IX. Conc. *p.* 1130. *Epist.* 19. *ad* Gervas. *Archiepiscopum* Rhem. cui scribit se confirmasse, ut Monachis quietem procuraret, illudque illi commendans permittit, ut Ordines & Chrisma illis concedat, si Episcopus recusaverit. Leo IX. *ann.* 1050. Tom. IX. Conc. *p.* 998. ubi inter alia vetat, ne quis, etiam Rex, quicquam agat in iis, quæ pertinent ad Monasterium, præter voluntatem istius.

Exemptio Caroloc. Cœnobii in Diœc. Matisc. *ann.* 886. à *Conc.* Cabillon. concessum Abbatis precibus, quo confirmantur res illius temporales. *Privilegium Monasterii* Floriac. *ad Ligerim in Concil.* Tricass. II. à Joann. VIII. *an.* 878. Tom. IX. Conc. *p.* 318. in honorem S. Benedicti ibi jacentis & securitatem Cœnobii concessum.

Exemptio Monasterii Solemniac. in Diœcesi Noviomag. à Martino I. *an.* 882. Tom. IX. Conc. *p.* 357. quâ patet illud fundatum à S. Eligio, istoque petente cum Rege Dagoberto, confirmatum in Monachorum quietem, ac ipsum Mart. illi concessisse, ut muniretur contra incursiones Infidelium, necnon vetuisse, ne quis etiam, Rex, in iis, quæ sua erant, perturbaret.

Exemptio Monasterii Tornusiensis *ann.* 876. à Joanne VIII. *Epistolâ* 2. *Append.* Tom. IX. Conc. *p.* 241. quâ immune fit ab omni dominatione terrena in honorem B. Virginis, cui dicatum est,

& ab omni Episcopo, cui vetatur ne illud adeat, nisi invitatus; hæc autem datur, petente CAROLO CALVO. Vide *pag.* 275. *&* 277. ubi dicitur fundatum in Comitatu CABILONANSI in honorem B. VALERIANI Martyris, ejusque bona sigillatim recensita confirmantur à quadraginta quinque Episcopis, vel Archiepiscopis, atque etiam à JOANNE VIII. cùm aliis Episcopis.

Exemptio Monasterii SOLEMNIACENSIS in ARVERNIA in *Conc.* SUESSION. III. jussu NICOL. I. convocato, renovata, quia priùs illius instrumentum *Normannorum* incendio perierat, à triginta tribus Episcopis, quibus Rex præerat, ut patet his verbis: *Adjecta Regiæ Præsidentiæ autoritate*, *p.* 842. *ann.* 866. TOM. VIII. CONC. *p.* 840. Plura alia notanda in eodem Privilegio leguntur, ac inter alia quòd Monasterium non detur in Commendam, nec Clerico, nec Laico.

Exemptio Monasterii S. VEDASTI. *Ibid.* TOM. VIII. CONC. *p.* 865. data est in *Conc.* VERMERIENSI, petente CAROLO CALVO, illius Fundatore, & subscripta à magno Episcoporum & Abbatum numero; in ea recensentur sigillatim res, quæ illuc donantur, quarum Ordinatio Abbati & Monachis reservatur.

Monasterium VINDOCINENSE *ann.* 1040. TOM. IX. CONC. *p.* 938. fundatum à GAUFREDO, Comite ANDEGAVENSI, & uxore ejus, in Diœcesi CARNOT. sub nomine S. TRINITATIS, confirmatum cum bonis suis à multis Episcopis, ibi enumeratis, in Conventu habito ad illius dedicationem: à fundatione, Papæ immediatum fuit, ipso etiam petente loci Ordinario. ALEXAN. II. TOM. IX. CONC. *p.* 1144. Dictis addit censum duodecim solidorum, reservatum Sedi Apostolicæ; Abbatem eligendum è gremio, nisi dignus quis in illo defuerit, quo casu ex *Cluniaco*, vel ex majori Monasterio; Electo permissum, benedictionem, à quo vellet Episcopo, recipere.

Ejusdem Monasterii CORBEÏENSIS Privilegium à BENEDICTO III. concessum *ann.* 855. TOM. VIII. CONC. *p.* 235. quo confirmat jam data Privilegia, sive ab Episcopis, sive à Principe, sive à Sede Apostolica, jubetque ne in rebus turbetur, electio libera Abbatis impediatur, sub censuris & interminatione Judicii Divini.

CORBEIÆ Privilegium ab NICOLAO I. TOM. VIII. CONC. *p.* 396. idem ac BENEDICTUS III. habet quoad immunitatem à vexatione, sive Spirituali, sive Temporali.

Monasterium CORBEÏENSE *ann.* 847. *Synod.* PARIS. TOM. VII. CONC. *p.* 1848. quod subscriptum est à viginti Episcopis, & quatuor Abbatibus: libera electio Abbatis, quoquo modo Abbatia vacaverit, & libera rerum administratio conceduntur.

Exemptio Monasterii FONTANELLENSIS ab ANSBERTO in *Conc.* ROTHOM. *ann.* 692. TOM. VI. CONC. *p.* 1241. Hoc Concilium dicitur *Synodus Generalis*, quia constabat Episcopis diversarum Provinciarum; aderant quoque plures Abbates, necnon tres Archidiaconi, magnusque numerus Presbyterorum & Diaconorum.

Privilegium Monasterio S. DIONYSII habendi Episcopum. TOM. VI. CONC. *p.* 1776. qui Episcopus ex Monasterio eligeretur, populo adveniendi prædicaret, Ordinationes & Consecrationes faceret, à vicinis Episcopis consecraretur, iisque renuentibus à Papa, quem ad hoc adiret, ac corrigeret corrigenda cum Abbatis consensu.

Exemptio Monasterii S. PETRI VIVI SENONIS. *ann.* 672. TOM. VI. CONC. *Append.* *p.* 1878. à triginta quatuor Episcopis concessum, quos EMMO *Senonum* Archiepiscopus, illius Fundator, ad hoc convocaverat.

VIII. Sicut in Privilegiis ab Apostolica Sede datis habetur, seu etiam ab Apostolicis viris, in initio nascentis Ecclesiæ traditum est per Sanctos Canones, vel etiam à propriis possessoribus Monasterium constitutum est, ea Regula & observantia disciplinæ suæ, Monastica Jura studeant observare. *Conc. apud* BACANCELD. *ann.* 798. TOM. VII. CONC. *p.* 1149.

Privilegium TRENORCIENSIS Monasterii (TOURNUS.) à CALLIXTO II. *ann.* 1122. TOM. X. CONC. *p.* 841. 842. *Epist.* 16. 17. 19. *ad* FRANCONEM *Abbatem scriptis*, recenset Ecclesias, & res alias à Monasterio possessas, & confirmat *Epist.* 18. Episcopo MATISCONENSI Altaria consecrasse, & Cœmeterium benedixisse in illo.

Idem CLUNIACENSE Monasterium. *Ibid.* *p.* 845. meminit omnium Pontificum, qui hucusque Privilegia huic Monasterio concesserant, ac omnium gratiarum, tàm Spiritualium, quàm Temporalium, huic collatarum, easque singulas confirmat PONTIO Abbate id postulante. Et *p.* 950. ab HONORIO II. memorat Pontifices, qui post CALIXTUM II. prædictas gratias confirmarunt, easque renovant, quasdam alias addit PETRI, venerabilis Abbatis supplicatione.

Privilegium Abbatiæ VIZELIACENSIS à SYLVESTRO II. *ann. circ.* 999. TOM. IX. CONC. *p.* 779. meminit Fundatoris loci, ubi constructa est, & gratiarum spiritualium & temporalium, quibus ornatur.

Privilegium S. REMIGII *Rhemensis*, *ann. cir.* 966. TOM. IX. CONC. *p.* 666. petente ADALBERONE Archiepiscopo à JOANNE XIII. concessum; in eo Monasterium S. REMIGII vocatur *Archimonasterium*, illi datur Abbatia S. TIMOTHEI ad Hospitalitatem.

Privilegium Abbatiæ CLUNIACENSIS TOM. IX. CONC. *p.* 650. ab AGAPITO Papa *ann. circ.* 947. meminit Testamenti Fundatoris supra relati, *p.* 565. illudque confirmat. Vide *ibid.* *p.* 811. BENEDICTUS I. innovat Prædecessorum Privilegia, multasque maledictiones pronunciat contra molestantes Monasterium illiusque subditos.

Privilegium Monasterii S. KARIESC. in Diœcesi CENOMANENSI à NICOL. I. TOM. VIII. CONC. *p.* 460. quo restituitur in pristinam libertatem ab illo, jam à pluribus possessam, tàm quoad Temporalia, quàm quoad Spiritualia, ita ut Episcopo non liceat illud adire, nisi invitatus, Abbasque possit eligi eo inconsulto; quæ secùs de depositione.

Privilegium S. MARTINI *Turon. in Conc.* PISTENSI, *ann.* 862. *Append.* TOM. VIII. CONC. *p.* 1935. innovatum in *Conc.* PISTENSI, ob damna, quæ Monasterium passum erat à NORTMANNIS, aliisque, ac subscriptum à quinque Archiepiscopis, octo Episcopis, & sex Abbatibus.

JOANNES VIII. *Epistolâ* 191. TOM. IX. CONC. *p.* 124. committit Archiepiscopum ARELATENSEM, cum Archiepiscopis NARBONENSI & AQUENSI, ut Episcopum NEMAUSENSEM inducat ad restitutionem Monasterii ad Sedem Apostolicam pertinentis, & usque ad satisfactionem suspendat.

Vide *Concil.* SENONENSE, *ann.* 852. TOM. VIII. CONC. *p.* 78. in illo VENILO, Archiepiscopus SENONENSIS, confirmat Privilegium S. REMIGII, cum duodecim Episcopis, vel Archiepiscopis, & duobus Abbatibus, & cùm iisdem subscribit.

Confirmatio Privilegii S. DIONYSII, *ann.* 862. à LANDERICO Episcopo PARISIENSI concessi, & ab ÆNEA ejus Successore innovati, ut Monachi vota quieti adimplerent, subscripta à triginta tribus Episcopis, vel Archiepiscopis, congregatis in PISTENSI *Concilio*. TOM. VIII. CONC. *p.* 759.

Ut Privilegia antiqua à Sancta Romana Sede delata, omnibus Ecclesiis conserventur. *Conc.* CALCHUTANSE, *ann.* 787. Cap. 8. TOM. VI. CONC. *p.* 1865.

IX. Monasterium subjectum est Episcopo in cujus Diœcesi situm est, nisi probetur exemptum. *Summa.*

Cur

Cur Summi Pontifices exemerint Monasteria, nempè ob vexatiooes, quas ab Episcopis patiebantur, docet *Epistola 69.* Gregorii VI. Lib. II. Tom. X. Conc. *p.* 120.

Omnia Monasteria, nisi sint exempta, spectant ad Episcopum loci. *Gl.*

Eo ipso quod Ecclesia sita in Diœcesi alicujus, præsumitur sibi subesse. *Glossa* L

In laudandis Privilegiis diverso tempore diversis Monasteriis, vel iisdem concessis, ab antiquioribus exordiendum erat; quæque cuilibet data sunt, seriatim memoranda, servato ordine temporis. Eodem quoque ordine colligenda erant, quæ à diversis Monasteriis obtenta fuerunt, eaque singula sine interruptione referenda: Hinc factus esset Indiculus præcipuorum Privilegiorum ordine Historico digestus, qui docuisset, quot cuique concessa essent, Causa cujusque & summa tenoris notanda erat; Innovationes à Confirmationibus distinguendæ erant; eâque curâ gratior utiliorque simul collectio fuisset futura. Quæ ab Autore facta est pro data occasione confecta videtur. Secernenda quoque erant, quæ in Corpore Juris memorantur, ab illis quæ extra desumpta sunt. Priora collegimus in Tractatu *De Privilegiis*, posito ad calcem Tom. I. *Part. Poster.* Prolegom. *Tit.XII.* hic enucleat non pauca, quæ huic *Tit.*40. ac sequenti collecta sunt. Vide Tambur. *De Jure Abbat. Disput.* Quæst. I. in qua docet præcipua quæ circa Privilegiorum Regularium scienda sunt. Mirum videri posset quod legere est in plerisque Privilegiis suprà citatis à Regibus, qui vel fundaverant Monasteria, vel fundationem confirmaverant, confirmationem postulasse à Summis Pontificibus, & quoad eadem confirmarent, passos esse ut sibi interdiceretur donatarum rerum dispositio; sed mirandi locus cessat, quum attenditur quod per XII. priora sæcula censuræ Ecclesiasticæ maximè timebantur, atque ideò magis avocabant à rebus prohibitis, quàm pœnæ temporales.

Caput IV.

De Exemptione tàm Sæcularium quàm Regularium, seu Ecclesiarum, seu Personarum.

Sectio I.

Quid sit Exemptio, qui varii illius modi, qui effectus?

I. Libertas, quam nonnullis Apostolica Sedes Privilegio exemptionis indulsit, est, ut non possint locorum Ordinarii suam in ipsos Jurisdictionem exercere, salvis nihilominus casibus, in quibus eos Episcoporum Jurisdictioni subesse Canonica præcipiunt Instituta. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Volentes. Colligitur.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 1. *Vide* Exemptionem Episcopi à suo Archiepiscopo Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 52. *Frater §.* 1. *med.* ubi Episcopus Theanus eximitur à Jurisdictione Joannis I. Justinianeæ Archiepiscopi, quæ exemptio debuit esse temporalis, nempè quoad mortem prædicti Joannis, qui illum læserat. Ita quod ad exemptos manum non extendas. *De Capellis Monach.* Cap. 4. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Honorius III. ad Archiepiscopum Burdigalensem, cui jubens ne patiatur, ut quis Monachus solus habitet, jussum suum ad non exemptos restringit.

II. Aliquando Ecclesia nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinet. *De Capellis Monachorum.* Cap. *Dilectus. §. Ad hæc.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Cap. 2.

III. Aliquando Privilegia Monasterium & ejus Ecclesias, Clerum & Populum ad Apostolicam Sedem, nullo mediante, spectare declarant. *De Privilegiis.* Cap. *Ex parte. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 13.

IV. Aliquando Cœnobium liberum est in Capite, tamquam ab Episcopali Jurisdictione prorsus exemptum, & soli Romanæ Ecclesiæ subjectum; tutela tamen ipsius alteri reservata; in membris autem Diœcesano Episcopo subjacet. *De Privilegiis.* Cap. *Ex ore. §. ult. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 17.

V. Ecclesiæ sunt utroque Jure Monasteriis subjectæ, cùm in spiritualibus & temporalibus sint illis subjectæ. *Ibid. De Privileg.* Cap. *Quoniam. juncta Glossa* Verbo *Utroque Jure.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 21.

VI. Cùm Diœcesanus Episcopus Episcopale Jus percipit in Ecclesia aliqua, per hoc eadem Ecclesia non pertinet ad Monasterium pleno Jure. *De Privileg.* Cap. *Quoniam. in integra.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 21.

VII. Monialium Monasteria alia exempta, quæ ita Sedi Apostolicæ, quod nulli alii, subjecta noscuntur. Clementina *Attendentes. De Statu Monachorum. §.* 1. Clementinarum Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 2.

VIII. Exempta alia, quæ subsunt aliis quàm Episcopis, seu sui Ordinis Religiosis. *Ibid.*

IX. Cùm libertas à Summis Pontificibus est indulta Monasterio, ad jus professionis sive obedientiæ, quod est contrarium libertati, Monasterium non tenetur. *De Privileg.* Cap. *Cùm olim. §. ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 14.

X. Si Episcopi aliquid ab Abbatibus contra libertatem Ordinis à Summis Pontificibus indultam exigunt, liberum sit Abbatibus, autoritate Apostolica, quod petitur denegare. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Sanè.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 5.

XI. Prælati Statuta facere non possunt, per quæ derogatur Privilegiis exemptorum. Clementina *Frequens. De Excessibus Prælatorum.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 6. Cap. unico. *Antè §. Et gen.*

XII. Episcopi ac cæteri Ecclesiarum Prælati Religiosos exemptos capere & incarcerare in casibus non concessis à Jure non possunt. *Ibid. post init.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 6. Cap. unico.

XIII. Non audeat in Monasteriis Cathedram collocare Episcopus, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quam levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus. Caus. XVI. Quæst. XVIII. Cap. 6. *Luminoso.*

XIV. Cùm Episcopus in quasdam Ecclesias, in sua Diœcesi ad Monasterium aliquod spectantes, nullam Jurisdictionem Ordinariam aut etiam Delegatam, occasione litterarum, quas super correctione Clericorum illi Apostolica Sedes transmittit, non potest in eas Interdicti, ac in Clericos earumdem suspensionis sententias promulgare; cùm Abbas ejusdem Monasterii eos corrigere est paratus *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Grave.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 19.

Per Rescriptum, quo Papa mandat Ordinario, ut corrigat Clericos suæ Diœcesis, non datur ei Jurisdictio super exemptos. *Summa.*

XV. Per Privilegia Pontificum Romanorum addi, non autem subtrahi, consuevit illis, quibus specialiter indulgentur. *De Elect.* Cap. *Scriptum. med. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 40.

XVI. Ordinarius non habet Jurisdictionem in exemptos, nisi in casibus à Jure permissis. *Glossa.*

Ecclesiæ Parisiensis familia sub Episcopi seu Canonicorum Jure consistit. *Epistola 64.* Paschalis II. Tom. X. Conc. *p.* 680. *ann.* 1114. *Epistola* 24. Calixti II. Tom. X. Conc. *p.* 848.

Legatus non potest subjicere unam Ecclesiam alteri in præjudicium Diœcesani Episcopi; nec Papa per hujusmodi confirmationes super hoc obtentas intelligit Juribus Episcopalibus præjudicium generari. *Glossa.*

De Primatu Lugdunensis Episcopi in Ecclesiam Senonensem, Vide *Epistolam.* Ludovici VI. *ad* Calixtum *Papam.* Tom. X. Conc. *p.* 855. quæ evincit Ecclesiam Senonensem Ecclesiæ Lugdunensi immeritò subesse. *Conc.* Confluentinum *anni* 922. Cap. 6.

TOM. IX. CONC. *p.* 580. ipsi Monachi procul dubio Episcopis suis in omnibus obediant,

SECTIO II.

Omnes Ecclesias, tàm Sæculares quàm Regulares, Jurisdictioni illius Episcops esse subjectas in cujus Diœcesi sunt sitæ, nisi probentur exemptæ.

I. Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, secundùm priorum Canonum Regulam in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt. CAUSA XVI. QUÆST. VII. Cap. 10. *Omnes Basilicæ.*

II. Decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis in Episcopi potestate consistant, atque ad Ordioationem suam semper pertineant. CAUS. X. QUÆIT. I. Cap. 3. *Decretum est.*

III. Ordinariorum intenrio de Jure Communi fundatur. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Cùm persona.* §. 2. *Quod si tales. med. & §. ult.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 7.

IV. Episcopus, qui Ecclesiam cum suis pertinentiis petit, asserens eam ad se, tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, pertinete, alleget ante omnia Jus Commune, quia cùm constitura sit in Diœcesi sua, sub ipsius debet consistere potestate. *De Religiosis Domib.* Cap. *Cùm venerabilis. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 7.

V. Quia constat Ecclesiam constitutam esse in Diœcesi Episcopi, Episcopale Jus in omnibus spiritualibus eidem Episcopo adjudicatut in eadem, illis tantùm exceptis, quæ per authentica scripta ei dignoscuntur esse subtracta. *Ibid. De Religiosis Domibus.* Cap. *Cùm venerabilis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 7.

VI. Cùm Ecclesia est in Parochia alicujus sita, debet de Jure Communi illius Ecclesiæ in omnibus subjacere, si nec Privilegium exemptionis babet, nec Præscriptiooem pro se potest allegare. *De Capellis Monachorum.* Cap. *Dilectus. init.* Lib. III. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

VII. Si constet Ecclesiam constitutam esse in Diœcesi aliqua, Episcopale Jus in omnibus Episcopo adjucari debet in eadem, illis duntaxat exceptis, quæ per authentica scripta ei noscuntur esse subtracta, cùm per Privilegium vel Præscriptionem legitimam nullatenus probatur exempta. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm venerabilis. §. penultimo.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 6.

VIII. Convenit Civitatis Episcopo curam sollicitudinemque necessariam Monasteriis exhibere. CAUS. XVI. QÆST. I. Cap. 12. *Qui verè. fin.*

IX. Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus suut territorio constituta. CAUS. XVIII. QUÆIT. II. Cap. 17. *Monasteria.*

X. Jurisdictionem in Monasterio Episcopus, cujus est Diœcesis, habeat. *De Religiosis Domib.* Cap. *Quia Monasterium. §. 1. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 6. Cap. 2.

XI. Monasterium quod est in Episcopi Diœcesi, & de illius debet ordinari consensu. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Sicut. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8.

XII. Si Monasterium, quod, hostilitate faciente, est desolatum, alteri Monasterio in alia Diœcesi sito cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actionibus, Papa ducat uniendum: Ipsum Monasterium sic Abbatis ordinationi committit, ut tamen Jurisdictionem illic non Episcopus, in cujus Civitate Monasterium Abbatis est situm, sed Episcopus, cujus est Diœcesis, habeat. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Quia Monasterium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 2. Aliter incipit apud GONZALEZ.

XIII. Oportet Ecclesiam, si honores suos sibi quibuslibet argumentis stabili proposuit mente defendere, aut generalitatis usum ex non scripto sequi, aut ex scriptis Privilegiis se tueri. DIST. C. Cap. 8. *Contra morem. §. ult. Colligitur. Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 6. TOM. VII. CONCIL. *p.* 1136.

XIV. Hic manifestè patet quod Monasteria & alia loca Religiosa pertinent ad Episcopum loci de Jure Communi, nisi ostendant exemptionem. *Glossa ad* Cap. *De Xenodochiis. De Relig. Domibus.* Verbo *In quorum Diœcesi.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 3.

XV. Cùm Ecclesia est in alicujus Parochia sita, debet de Jure Communi Ecclesiæ illi in omnibus subjacere, nisi se possit tueri speciali Privilegio; vel eo ipso, quod Ecclesia sita est in Diœcesi Episcopi, de Jure Communi subest ei quoad spiritualia. *Glossa. Conc.* COYACENSS *in Hispania. an.* 1050. *can.* 2. TOM. IX. CONC. *p.* 1064.

XVI. Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus suut territorio constituta. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 17. *Monasteria. ex Conc.* AROLAT. *an.* 554.

Abbatibus, qui neque sub Episcopo &c. *Ibid.* Cap. 18. PASCHALIS II. *an circ.* 1110. Cùm enim se nulli Episcopo subesse profiteantur, consequens est ut nullus Episcoporum quæ sua sunt, eis tanquam extraneis largiatur. *Ex Conc.* AURELIANENSI I. *an.* 511. *Can.* 17. TOM. IV. CONC. 1407. *Ibid. Can.* 19. Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant. *Ex Conc.* II. CABILLONENSI. *ann.* 813.

XVII. Ut Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. *Conc.* ARELAT. V. *anno* 554. *Can.* 2. TOM. V. CONC. *p.* 781. *Can.* 3. 5.

XVIII. Per unionem Monasterii non fit præjudicium Episcopo in cujus Diœcesi est illud Monasterium. *Glossa.*

Nibil Juris deperit Episcopo in cujus Diœcesi sita est Ecclesia, quam Papa unit Ecclesiæ alterius Diœcesis. *Vide* GONZALEZ *ad* Cap. 24. *De Censib.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39.

XIX. Mos & traditio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ plus non suppetit à Regimine Episcopalis providentiæ Religiosa loca secernere. *Rescriptum Papæ* ADEODATI *ad universos Episcopos Galliæ.* CONC. TOM. VI. *p.* 524.

XX. Nullus nova adinventione audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit Consuetudo. DIST. LXIII. Cap. 28. *Quia Sancta. fin.* STEPHANUS *Papa. anno* 816.

XXI. Ex furtiva usurpatione nullum Superiori Ecclesiæ præjudicium generatur. DIST. XCIII. Cap. 22. *Illud. med.*

XXII. Emendandum est quod non concessione Romani Pontificis, sed solâ surreptione præsumitur. DIST. XCIII. Cap. 22. *Illud fin.* GREGOR. I. *Epist.* 54. *ann.* 593.

XXIII. Antiquitas vel longa Consuetudo non dat Privilegium. *Glos.* Voce *Præsumptum.* Vide *Caput* 21. *Pervenit. Synodus* AUGUSTANA *ann.* 952. Cap. 6. TOM. IX. Conc. *p.* 636.

Si Episcopus Ecclesiam viris Religiosis conferat de consensu Patroni, ex ipsius proventibus nullam debet Episcopus portionem habere, omnes proventus præter Cathedraticum in eorum usus sunt convertendi. *De Jure Patron.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 7.

Quantumcumque Episcopus generaliter eximat Ecclesiam à se, semper intelligitur sibi correctionem retinuisse. *Glossa* Verbo *Cathedraticum.*

Nisi à Jurisdictione sua exemptæ sunt Ecclesiæ excessus studeat Episcopus rationabiliter emendare. *De Suppl. Negl.* Cap. *Sicut.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2. *ex Conc.* CALCHEDON. *ann.* 451. *ex Concil.* ARELAT. *anno* 554.

Omnia

Omnia Monasteria, nisi sint exempta, spectant ad Episcopum loci. *Glossa.*

SECTIO III.

Quibus in rebus Jus Canonicum concedat vulgò Religiosis Privilegium Exemptionis à Jurisdictione Episcoporum?

I. Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, ut remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, Divinum Opus cum summa animi devotione perficiant. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 6. *Luminoso. fin.*

II. Cùm Religiosi viri abnegantes salubriter semetipsos elegerint in paupertate CHRISTO pauperi ad placitum famulare; Ecclesiarum Prælati quietem ipsorum inquietare non debent. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Nimis iniqua. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

III. Ne velint contra Regulam à Sede Apostolica approbatam & sui Ordinis Instituta, Religiosis invitis, eorum Confessiones audire, ac eis injungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere. *Ibid.*

IV. Corpus CHRISTI in eorum Oratoriis reservetur. *Ibid.*

V. Sustineant Episcopi Religiosos habere Campanam, & Cœmeterium benedictum, suisque temporibus permittant ipsos celebrare Divina. *Ibid.*

VI. Fratres ipsorum defunctos sinant in Ecclesiis suis sepeliri & eorum exequias celebrari. *Ibid.*

VII. Quicquid etiam Religiosis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis Episcopi non extorqueant; nec quod eisdem tàm in Ornamentis Altaris quàm in Libris Ecclesiasticis absolutè confertur, vendicent perperam juri suo. *Ibid. fin.*

VIII. Ne Prælati eos ad Synodos suas cogant accedere, ac suis Constitutionibus subjicere. *Ibid. De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Nimis prava.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 17.

IX. Prælatis districtissimè inhibetur ne Abbates, Priores, & alios Religiosos, ne ad sua Generalia, vel Provincialia vadant Capitula, impedire quomodolibet non præsumant. CLEMENTINA *Frequens De Excessibus Prælatorum. fin.* CLEMENTINARUM LIB. V. *Tit.* 6. Cap. unico.

X. Missas publicas ab Episcopo in Cœnobio fieri omninò prohibemus: Neque audeat ibi Cathedram collocare, nec aliquam Ordinationem quam levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus. *Cap.* 5. 6. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

XI. Ea quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nulla Diœcesana Lege ab Episcopis contingantur. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 34. *Cùm pro. fin. Ex Conc.* ILERDENSI. Cap. 3. *an.* 524.

XII. Missas publicas per Episcopum vel Clericos in Monasterio fieri omninò prohibemus. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 3. *Abbatem. fin.* GREG. I. LIB. IV. *Epist.* 43. *an.* 595.

Nullus Episcoporum præsumat de reditibus &c. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 5. §. 1. *Infrà*

In Monasteriis non audeat Cathedram collocare Episcopus, &c. *Ibid.* Cap. 6. *med. suprà.*

XIII. Unusquisque Episcoporum potestatem habeat de Regularibus ad corrigendum &c. *Conc.* VERNENSI. *an.* 755. Cap. 2. TOM. VI. *Con.* 5. *Can.* 10.

XIV. Cùm piæ desiderium voluntatis &c. CAUS. XXV. QUÆST. II. Cap. 9.

XV. Prohibemus ut nullus Episcoporum aut Sæcularium præsumat de reditibus, rebus, vel Chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel de villis, quæ ad ea pertinent quocumque modo, qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. *Conc.* ROM. III. *tempore* GREGORII I. *an. circ.* 601. *post init.* TOM. V. CONC. *p.* 1607.

XVI. Pariter custodiendum est ut invito Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines Sacros vel Clericatus Officium tolli exinde Monachi non debeant. *Ibid.*

XVII. Descriptiones rerum & Chartarum Monasterii ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omninò vetamus. *Ibid.*

XVIII. Obeunte quoque Abbate Episcopus describendis, providendisque rebus Monasterii acquisitis, vel datis perquirendis, nullatenùs se permisceat. *Ibid.*

XIX. Ne Episcopi Capitula & scrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis faciant. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Nimis prava. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 17.

XX. Secundùm NICÆNAS Regulas sua Privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam vel ipsius Rectorem Privilegio decreverit honorare. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *Conquestus.* NICOLAUS I. *an.* 864.

SECTIO IV.

Ecclesiam tàm Sæcularem quàm Regularem per Privilegium & per illud solùm Romani Pontificis probari exemptam?

I. Cùm locum aliquem Papa libertati donat, id in ipsius Privilegiis continetur. *De in Integrum Restitutione.* Cap. *Auditis. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 3.

II. Monasterium ad jus & proprietatem Apostolicæ Sedis per privilegium Romani Pontificis pertinere monstratur. *De Confirmatione Utili.* Cap. *Cùm dilectu.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECRETAL. *Tit.* 30. Cap. 4.

III. Privilegia vel Indulgentiæ libertatis, Monasterium indicant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere. *De Arbitris.* Cap. *Cùm tempore.* §. *ult. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 5.

IV. Cùm Jure Communi omnes Ecclesiæ per Orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertineant, si exemptionis Privilegium alicui concedatur Ecclesiæ, vel de ea per sententiam judicetur, ex hoc ipsius comprobatur exemptio: Ut Privilegii, nihil aliàs allatura, concessio ei, cui conceditur, & sententia, nullum aliter datura subsidium, Ecclesiæ (pro qua fertur) prærogativam (cùm verba aliquid operari debeant) conferat gratiæ specialis. *In* 6. *De Privilegiis.* Cap. *Si Papa.* §. 1. *fin.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 10. Quod supponit omnes Ecclesias ad Papam pertinere intelligendum de subjectione mediata vel immediata.

V. Si qui Religiosi ac Clerici, ex eo quod Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, quibusdam aliis Ecclesiis ac Clericis in Spiritualibus & Temporalibus contulit Monasteria eorumdem, ipsi Episcopo obedire recusant, & ei de Juribus Episcopalibus respondere, in suæ præsumptionis adjutorium inducentes confirmationes hujusmodi Collationum à Sede Apostolica impetratas. Cùm nolit Sedes Apostolica Jura, quæ Diœcesanis debentur, per Collationes, seu Confirmationes prædictas minui seu lædi, occasione hujusmodi non obstante, ipsi Episcopo reverentiam & obedientiam exhibere debent, eique de justitiis suis integrè respondere. *De Confirmatione Utili.* Cap. *Suâ nobis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 30. Cap. 9. *finali.*

SECTIO V.

Quandonam ex tenore Privilegii judicetur, vel non concedi Exemptionem, vel duntaxat Partialem quoad aliqua?

I. Si Papa in aliquo Privilegio vel Scriptura, non facta principaliter super donatione vel sententia Exemptionis seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia verba, narret; non propterea illius Ecclesiæ exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur. *In 6. De Privileg.* Cap. *Si Papa init.* LIB. V. *Tit. 7.* Cap. 10.

II. Si qui in proprios & speciales filios Romanæ Ecclesiæ sint suscepti, tales exempti propterea non existunt. *Ibid. §. 2.*

III. Per illa verba Privilegii: *In speciales & proprios Ecclesiæ Romanæ filios vos recipimus*, Fratres exempti non intelliguntur. *In 6. De Verb. Signif.* Cap. *Veniens. init.* LIB. V. Tit. 12. Cap. 1.

IV. Clerici & Laici, qui Literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, per Literas hujusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahuntur. *De Privil.* Cap. *Ex parte.* LIB. V. DECR. *Tit.* 13. Cap. 18.

V. Si dicatur simpliciter, quòd aliqua Ecclesia Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc exempta Ecclesia dici debet. *In 6. De Privil.* Cap. *Si Papa. §. 2.* LIB. V. *Tit. 7.* Cap. 10.

VI. Idem dicimus si circa aliqua per Privilegium concedatur libertas, & clausula, *De censu annuo persolvendo*, sequatur; ut si aliquibus, quòd ab alio, quàm à Papa seu ejus Legato excommunicari, suspendi, aut interdici non possint, vel aliquid aliud specialiter à Sede Apostolica sit indultum; vel etiam dicatur, quòd in speciales Romanæ Ecclesiæ filios sint assumpti, & sequatur in Privilegio, quòd Ecclesiæ Romanæ ad indicium libertatis perceptæ annuum censum solvant. His enim & consimilibus casibus, sic in certis Privilegiati articulis, Ordinariorum Jurisdictioni, quantùm ad alia, sunt subjecti. *Ibid. in 6. De Privil.* Cap. *Si Papa. §. 2. fin.* LIB. V. *Tit. 7.* Cap. 10.

Vide LIB V. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 22. Docet Privilegium latè interpretandum in præjudicium concedentis, ejusque Successorum.

Vide *Privil. Monasterii* FULDENSIS. *circ. an.* 747. *à* ZACHARIA. TOM. VI. CONC. *p.* 1528. Papa rogatus à BONIFACIO Fundatore hujus Monasterii Sedi suæ immediatè subjicit, ita ut nullus Episcopus, nisi invitatus ab Abbate, in illo ullum munus Sacrum obire queat. Et *Epistolam* PIPINI *ad* BONIFACIUM *ann.* 751. *in Appendice.* TOM. VI. CONC. *p.* 1880. qua illud Privilegium autoritate sua, prout opus est, confirmat, ac executioni mandare jubet; præterea docet Privilegium concessum fuisse cum consensu Episcoporum Provinciæ.

Vide *Privil. concessa à* STEPHANO II. TOM. VI. CONC. *p.* 1646. *ann. circ.* 754. quibus eximit ab Ordinatio singula Monasteria in Francia construenda in favorem SULRADI Abbatis S. DIONYSII Martiris.

Vide *Privilegium Exemptionis* GORZIENSIS Monasterii GRODEGANDO METENSI sub PIPINO Rege *in Concilio* COMPENDIENSI *ann.* 756. CONC. TOM. VI. *p.* 1698. ab omnibus hujus Conc. Patribus approbatum & subscriptum, sub Regula S. BENEDICTI constructum, ac nomine STEPHANI Martiris, permissum ex alio Abbatem eligere. Per verbum *protectionis* non datur exemptio. *Glossa.*

Continuatio Argumenti SECT. V.

Regula Concilii CONSTANTIENSIS *circa Exemptiones à tempore* GREGORII XI. *concessas & in posterum concedendas.*

I. Cùm à tempore abitus felicis recordationis GREGORII Papæ XI. nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus se gerentes, & in suis diversis obedientiis reputati, pro sua voluntate, aut per importunitatem petentium nonnullas Ecclesias, Monasteria, Capitula, Conventus, Prioratus, Beneficia, loca & Personas à Jurisdictionibus Ordinariorum tempore dicti GREGORII nullatenùs exemptas, vel exempta, de novo à dictorum Ordinariorum Jurisdictionibus exemerunt in grave ipsorum Ordinariorum præjudicium; ut hujusmodi præjudicio obvietur, omnes Exemptiones Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, Capitulorum, Conventuum, Prioratuum, Beneficiorum, locorum, Personatum quarumcumque, etiamsi ex prædictis aliquod Monasterium fuerit exemptum, & postea subjectum Monasterio diversi habitûs vel coloris; à tempore obitûs dicti GREGORII XI. per quoscumque pro Romanis Pontificibus se gerentes de novo factæ, quæ tamen ante exemptionem hujusmodi nulla exemptione gaudebant, sed specialiter subjiciebantur Ordinariæ Jurisdictioni, nullumque ante illud tempus initium habuerant, revocatæ sunt: Ecclesias, Monasteria, & alia prædicta in pristinam Ordinariorum Jurisdictionem reducendo. *Concilium* CONSTANTIENSE. SESS. XLIII. *Conciliorum* LABBÆI. TOM. XII. *p.* 254. *Attendentes. Et in Appendice ejusdem Concilii* CONSTANTIENSIS, *inter Decreta.* Cap. 6. *p.* 1452. Hæc Sessio habita fuit *ann.* 1448.

II. Excipiuntur exemptiones, quæ uni toti Ordini, & quæ Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Conventibus, Beneficiis, sive locis à prædicto tempore sub modo exemptionis, aut conditione fundatis, aut contemplatione novæ fundationis, seu Universitatibus Studiorum Generalium, aut Collegiis Scholarium, aut per modum confirmationis, augmenti, aut additionis factæ fuerint aut concessæ, aut super quibus, præsentibus auditis, quorum intererat, autoritate competente ordinatum fuerit, seu in quibus Ordinarii consenserint. *Ibid. Concil.* CONSTANTIENS. SESS. XLIII.

III. Omnes etiam exemptiones perpetuæ per inferiores à Papa factæ revocatæ sunt. *Ibid.*

IV. Cæteris exemptionibus ante obitum dicti GREGORII habitis vel concessis, nullum per hoc præjudicium generatur. *Ibid.*

V. Insuper non intendit Sedes Apostolica exemptiones de cætero facere, nisi causa cognita, & vocatis quorum interest. *Ibid. fin.*

VI. Fuit per eamdem Sacram Congregationem BITURICENSEM receptum & acceptum in forma, & prout jacet Decretum Sacri Generalis *Concil.* CONSTANTIENSIS, quod incipit: *Attendentes &c.* per quod revocantur exemptiones concessæ per nonnullos Romanos Pontifices, vel eos, qui se dicebant Summos Pontifices à tempore Schismatis exorti in Ecclesia, & per ipsum CONSTANTIENSE *Concilium* sedati seu extirpati. Eadem quoque Sacra Congregatio censuit & declaravit non debere teneri, nec haberi pro exemptis eos, qui exemptionem à prædicto tempore obtinuerunt; imò vult eosdem juxtà formam ipsius Decreti subjectos esse Ordinariis locorum, sicut ante ipsam exemptionem subjiciebantur. *Probationum Libertatum Gallicanarum.* TOM. II. Cap. 14. *Art.* 1. *p.* 321.

VII. Quod Monasteria & alia Beneficia qualiacumque, Sæcularia & Regularia, seu loca circa quorum exemptionem providit Sacrum CONSTANTIENSE *Concilium* per quemdam Canonem, qui, ut dici-

dicitur, incipit *Attendentes*, quod non sunt habenda respectu dicti Decreti de causis, nec alias quovis modo pro exemptis, sed verius pro non exemptis. PRAGMAT. SANCT. *Tit.* 5. *De Causis.* §. 9. *Visum est. med.*

VIII. Postulasti, an cum aliqui Clerici deputati servitio Capituli BELUACENSIS, aut aliorum Clericorum tuæ Diœcesis super excessibus impetuntur, sint cogendi coram te, vel potiùs coram illis quibus serviunt, querelantibus respondere, cùm illi sibi Jurisdictionem hujusmodi vindicare contendant, licet illos excommunicare non valeant, vel aliàs etiam coërcere. Super quo taliter respondemus, quòd ad te (utpote Ordinarium) debent conquerentes habere recursum; maximè si super his impetuntur, quæ in tua noscuntur Diœcesi commisisse: Nisi fortè hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia vel Consuetudine speciali Jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vindicare. *De Foro Competenti.* Cap. *Cùm contingat.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 2. Cap. 13.

SECTIO VI.

Qualis esse ut plurimùm debeat tenor Privilegii, ut Ecclesia censeatur exempta?

I. Si Papa Ecclesiæ vel Monasterio exemptionis Privilegium concedendo, vel super ipsius exemptione sententiando (cùm de ipsius exemptionis negotio ageretur) asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam; aut eam Juris Beati PETRI existere; sive ad Jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, aut sine medio, vel etiam simpliciter pertinere; per hoc plenè debet exempta hujusmodi Ecclesia judicari. *In 6. De Privileg.* Cap. *Si Papa.* §. 1. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 10.

II. Est idem, si Privilegium contineat, vel ipse Papa per modum exprimat suprà scriptum, quod Ecclesia sit libera; seu quod potiatur Romanæ Ecclesiæ libertate; vel quod in hoc prærogativa gaudeat speciali; aut si dicat indefinitè quòd Ecclesiæ Romanæ annuum censum solvat, ad perceptæ indicium libertatis; sive quod ipsam Ecclesiam eximit ab Ordinarii potestate; vel quod non audeat illic Episcopus Cathedram collocare, aut imperandi (sive Ordinationem quamvis levissimam faciendi) exercere aliquam potestatem. *Ibid.* §. 2. *In 6.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 10.

III. Similiter si aliqui recipiantur in proprios & speciales subjectos, censentur exempti. *Ibid. in 6. De Privil.* Cap. *Si Papa.* §. 2. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 10.

IV. Licèt autem sic diversi Privilegiorum, quibus Ecclesiæ ac Monasteria eximuntur, tenores ad litium materiam amputandam designentur; per hoc tamen aliis exemptionum (si reperiantur) seu aliarum libertatum modis, vel eorum effectibus, nullatenus derogatur. *Ibid. in 6. De Privileg.* Cap. *Si Papa.* §. *ult.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 10.

VI. Si amissum fuerit Privilegium, & tàm per depositiones testium quàm per assertiones quorumdam virorum illustrium liquidò cognoscatur talem dicti Privilegii fuisse tenorem, quòd videlicet ipsum Cœnobium nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertineat, & quòd non liceat alicui Episcopo eidem Monasterio & ejus Ecclesiis excommunicationem indicere, ut Fratres illic Domino servientes ab omni potestate liberi, Romanæ Ecclesiæ libertatis gratia potiantur, & quòd nulla in eo mentio Diœcesani Episcopi habeatur: Decerni debet Privilegium illud illius fuisse tenoris, cujus per depositiones testium & assertiones noscitur extitisse. *De Privileg.* Cap. *Cùm olim.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12. §. 2.

VI. Vide *Privilegium* ADEODATI Papæ pro Monasterio S. MARTINI TURON. TOM. VI. CONC. *p.* 524.

LEO IV. *Epist.* 1. Ut semper ac perpetualiter sub jure ac potestate Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ jam factum Monasterium consistat, atque permaneat. TOM. VIII. CONC. *p.* 30.

SECTIO VII.

Ad quos extendatur exemptio quæ Ecclesiæ seu Personis conceditur?

I. Per exemptionem Ecclesiæ concessam ipsa Ecclesia & ipsius Monachi, vel Canonici, Clerici etiam & Conversi, perpetuoque oblati, intelliguntur exempti. *In 6. De Privileg.* Cap. *Per exemptionem. init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 9.

II. Non autem Ecclesiæ ejusdem Presbyter, qui Parochianorum curam habet, quoad ea, quæ ad curam eamdem pertinent, nec ipsi Parochiani etiam intelliguntur exempti. *Ibid.*

III. Per exemptionem concessam Monasterio, Capellæ seu Ecclesiæ sibi subjectæ non censentur exemptæ. *Summa* Cap. *Ex ore. De Privil.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 17.

IV. Si Canonici alicujus Ecclesiæ eximantur, ipsi soli Canonici, non autem Ecclesia vel alii ejus Clerici sunt exempti. *In 6. De Priv.* Cap. *Per exemptionem.* §. *Verum.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 9.

V. Si Clerici cujusvis Ecclesiæ eximantur, tunc tàm Canonici, quàm alii Clerici eximuntur, non tamen Ecclesia, nisi aliud in exemptionis Privilegio exprimatur. *Ibid. in 6. De Privil.* Cap. *Per exemptionem. fin.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 9.

VI. Capitulum Privilegii, quod Monasterio est indultum, ut nullus Episcopus Ecclesias utroque Jure illi subjectas interdicto supponere, vel Monachum seu Clericum ejusdem Monasterii excommunicare præsumat, intelligendum esse videtur de Monachis aut Clericis in ipso Monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis, utroque Jure sibi subjectas. *De Privil.* Cap. *Quoniam.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 21.

VII. Non obstante illo Capitulo Privilegii, Episcopus potest interdicere Ecclesiam, & excommunicare Monachum seu Clericum ad ejus Ecclesiæ Regimen deputatum, cùm alterutrum de Jure fuerit faciendum, si Ecclesia non est Monasterio utroque Jure subjecta. *Ibid. De Priv.* Cap. *Quoniam.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 21.

VIII. Canonici Capellæ, quæ gaudet hujusmodi Privilegio, quod nullus Archiepiscopus vel Episcopus in personas Canonicorum ejusdem Capellæ suspensionis vel excommunicationis aut Interdicti sententias audeat promulgare; si Parochiales Ecclesias à Diœcesano Episcopo teneant, non possunt occasione Privilegii prælibati, in his etiam, quorum Jurisdictio ad Episcopum pertinet, ita se dicere exemptos, ut quantumcumque graviter interdum excedant, illius correctioni recusent & sententiæ subjacere. *De Privileg.* Cap. *Cùm Capella. init.* LIB. V. DECRET. *Tit.* 33. Cap. 16.

IX. In quantum exempti sunt ratione ejusdem Capellæ, debet Episcopus Apostolicis Privilegiis deferre reverenter; sed in quantum ratione Parochialium Ecclesiarum, vel aliàs, Jurisdictionem Episcopi respicere dignoscuntur, Officii sui debitum Episcopus in eosdem liberè prosequatur. *Ibid.* §. *Quocirca. De Privil.* Cap. *Cùm Capella. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 16.

X. In eos, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum; sicut sunt Religiosi quamplures, in quorum Privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat; iidem Ordinarii Jurisdictionem suam quantùm ad

ista, ubicumque illi fuerint, penitùs exercere non possunt; nisi forsan ipsi Monachi ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinariis eisdem subjectos, ut vel gerant eorum Regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipsorum Monachi residéant, fuerint destinati. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Volentes. §. fin. init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

Exemptus ratione certæ rei vel loci, non censetur exemptus respectu alterius rei vel loci. *Summa.*

Isti Canonici liberi sunt & exempti ab Episcopo quantùm ad Capellam, & in his quæ spectant ad ipsam; sed non sunt exempti quantùm ad Parœcialem Ecclesiam.

SECTIO VIII.

Quomodò institui debeat processus, cùm Quæstio vertitur inter Ecclesiam, Episcopum, & Monasterium, super illius exemptionem?

I. Cùm pro Episcopi parte proponitur, quod cùm Monasterium sit situm in sua Diœcesi, est Ecclesiæ suæ subjectum, Monachi Syndicum, vel Procuratorem eligere debent, qui in causis Monasterii, & consultè agat, & utiliter respondeat. *De in Integrum Restitutione.* Cap. *Cùm venissent. §. 1.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

II. Cùm per Procuratorem ex parte Monachorum proponitur, quòd Monasterium ipsum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet; Privilegia Pontificum, quæ Monasterium illud ad jus & proprietatem indicant Sedi Apostolicæ pertinere, Monasterii Procurator coram Judicibus exhibere debet. *Ibid. De in Integrum Restit.* Cap. *Cùm venissent. §. 3.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

III. Etsi Monasterii Procurator eadem Privilegia exhibere omiserit negligenter, jus tamen non tàm suum, quàm Apostolicæ Sedis fuerit protestatus, videlicet, quòd Monasterium ipsum ad Romanam Ecclesiam pertineret, ne ipsius negligentia in damnum, tàm Apostolicæ Sedis, quàm Monasterii redundet, ad audientiam restitui debent Monachi. *Ibid. De in Integrum Rest.* Cap. *Cùm venissent. §. 3. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

IV. Si Monasterium fuit indefensum, nec exhibita fuerunt coram Judicibus Privilegia libertatis, cùm eadem Privilegia non solùm pro libertate Monasterii faciant, sed exprimant Jus Summorum Pontificum, & Ecclesiæ Romanæ justitiam tueantur, ne in Sedem Apostolicam Monasterii læsio redundet, ad Privilegia exhibenda, de gratia pars debet admitti. *De Privil.* Cap. *Cùm olim. §. 3. & 4.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 14.

V. Cùm inter Monachos & Diœcesanum Episcopum super Monasterii sui subjectione, ac libertate, controversia vertitur, & Monasterii proponit Procurator, quòd idem Monasterium ab ipsa sui fundatione liberum extitit & exemptum; ad hoc probandum Privilegia necnon Indulgentias Summorum Pontificum inducere debet, quorum usum continuum à longis retrò temporibus per depositiones testium ostendere nitatur. *De Privil.* Cap. *Ex ore. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 17.

VI. Si Episcopus cum Abbate & Monachis super Plebe aliqua, & adjacentibus Capellis ipsius, litigat, institutionem in eis, & alia ad Jus Episcopale pertinentia vindicans, ad fundandam intentionem suam Jus Commune principaliter allegare debet, cujus autoritate dicat universa spiritualia in prædictis locis, quæ sunt in Diœcesi sua constituta, ad se tanquam ad Diœcesanum Episcopum pertinere. *De Præscriptionibus.* Cap. *Cùm olim. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap 18.

VII. Ad elidendam intentionem Episcopi Abbas Romanorum Pontificum Privilegia exhibere debet; per quæ tàm Monasterium quàm Plebs & Capellæ prædictæ videantur libertate donatæ. *Ibid. De Præscript.* Cap. *Cùm olim. §. 1.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

VIII. Si aliquod est arbitrium super hoc promulgatum ab Arbitris à Partibus electis, quod ab utraque parte fuerit communiter approbatum, allegari debet. *Ibid. De Præscript.* Cap *Cùm olim. init. in integrâ.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

IX. In Quæstione, quæ vertitur inter Episcopum & Abbatem super Ecclesiis, quas Episcopus asserit ad se Diœcesana Lege spectare, Abbas autem eas esse ab ejus Jurisdictione prorsus exemptas; licèt utrinque sit in causa conclusum, si tamen utraque Pars necessariam (ut asserit) probationem omisit, æquitate pensata, utraque restitui debet contra reliquam ad probandam rationem omissam, ne alterutra Pars propter hujusmodi negligentiam gravi jacturâ lædatur. *De in Integrum Restit.* Cap. *Auditis.* LIB. I. *Tit.* 41. Cap. 3.

X. Episcopus in Ecclesia, in qua Jus Patronatûs Monasterio alicui recognoscit, à Monachis Jus Episcopale petere potest, quoniam sita est in Diœcesi sua, & ideò de Jure Communi ei tenetur in Episcopalibus respondere, nisi tale jus sit remissum legitimè. *De Religiosis Domib.* Cap. *Constitut. init. junctâ Rubricâ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6.

XI. In causa, quæ inter Abbatem & Conventum unum, & Priorem & Conventum alterum, super eo quod iidem Abbas & Conventus se ab ipsis Priore & Conventu possessione subjectionis ejusdem Prioratus asserunt spoliatos. *In 6. De Testibus.* Cap. *Præsentiam.* LIB. II. *Tit.* 10. Cap. 2. *init.*

XII. Syndicus alicujus Ecclesiæ ab Oeconomo alterius Ecclesiæ in Scrutiniis, Baptismate, & Capitulo, & similibus, subjectionem postulans, possessorium & petitorium intentare potest. *De Capellis Monach.* Cap. *Dilectus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2. Cùm Episcopus pro subjectione habeat Jus Commune, affirmanti contrarium fides non est aliquatenùs adhibenda, nisi super hoc Privilegium induxerit speciale. *De Capellis Monachor.* Cap. *Dilectus. in integr. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 51. Cap. 5.

Absonum est, ut Abbas neget illam Ecclesiam in ejus Episcopi Diœcesi constitutam super qua instrumenta Prædecessoris ipsius ostendit in Jure, Monasterio fuisse concessa, per quæ Episcopale jus petebat expressè. *De Censib.* Cap. *Cùm olim. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19.

SECTIO IX.

Quomodò judicari debeat, tàm in possessorio, quàm in petitorio, in controversia, quæ instituta est inter Episcopum & Monasterium super exemptione?

I. De Statu Monasterii diutiùs dubitari non debet. *De Confirmatione Utili.* Cap. *Cùm Dilecta. §. 3. Nolentes. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 30. Cap. 4.

II. In causa quæ inter Episcopum ex Parte una, & Abbatem & Conventum super subjectione ipsius Monasterii ex altera, vertitur, cùm invenitur pro Episcopo probatum, quòd recipiatur in ipso Monasterio processionabiliter cum incenso, aqua benedicta, & vexillo Crucis, & quòd pulsantur ibi campanæ, sicut in aliis Ecclesiis Civitatis, & quod dictus Abbas quandoque ivit ad Synodum Episcopi: Si primò in his possessorio egerit Episcopus memoratus, ad possessionem, vel quasi restitui debet prædictorum. *De Causa Possessionis.* Cap. *In causa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 8. *finali. in integra.*

III.

III. Cùm hinc inde petitorio actum fuit, & utraque pars totum jus suum videtur in judicium deduxisse; si visis Summorum Pontificum Privilegiis Monasterium ipsum de Fratrum consilio liberum esse conspiciatur, & immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinere; illud in præmissis & aliis, quæ Jurisdictionem & subjectionem respiciunt, ab impetitione Episcopi absolvi debet; non obstante possessione circa prædicta probata, cùm non docuerit se tanto tempore talia percepisse, quòd per hoc fuerit libertatis Privilegiis derogatum. *Ibid. De Causâ possess.* Cap. *finali.* Lib. II. Decr. *Tit.* 12. Cap. 8. *in integra.*

IV. Reservari debent Episcopo, quæ sibi circa Chrisma, Oleum Sacrum, Ordinationes Clericorum, & alia in eisdem Privilegiis specialiter reservantur. *Ibid. fin.*

V. Suborta inter Episcopum & Monasterium super ipsius Monasterii subjectione materia Quæstionis, & Procuratoribus Partium litigantibus, si per confessionem Partis adversæ constiterit eumdem Episcopum, quasi possessionem obedientiæ in eodem Monasterio habuisse, ipse restituendus est ad eamdem. *De Sententia.* Cap. *Suborta. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21.

VI. Si Privilegium Papæ libertatem Monasterii plenariam exprimat, Episcopo in quasi possessionem obedientiæ restituto, nisi contra Privilegium rationabile aliquid objiciat & probet, super subjectione Monasterii silentium imponi debet. *Ibid. De Sent.* Cap. *Suborta. §. 7. Verùm.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21.

VII. Cùm Ecclesia per Privilegia Sedis Apostolicæ non potest ostendere se munitam, sententialiter definitur contra eam. *De Consuetud.* Cap. *Cùm inter vos. in integra.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 5.

VIII. Si aliquod tentatum fuerit, quod nulli unquam alii Ecclesiæ concessum fuerit, ex furtiva usurpatione præjudicium non generatur. Dist. XCIII. Cap. 22. *Illud.*

IX. Etiamsi in qualibet Ecclesia hoc præsumptum fuerit, emendandum est, quòd non concessione Romani Pontificis, sed sola surreptione præsumitur. *Ibid.* Greg. I. Lib. II. *Epist.* 54. *ann.* 593.

X. Cùm super juribus inter duas Ecclesias Quæstio vertitur, & testes Presbyterum alterius diversis temporibus ad Capitulum vocasse, aliumque venisse asserunt, quod & ipse confitetur, Ecclesia Capitulo, quo se conquesta fuerat spoliatam, salvo jure proprietaris, revestiri debet. *De Capellis Monachor.* Cap. *Dilectus. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Cap. 2.

XI. Cùm super Juribus inter Ecclesias Quæstio vertitur, & Presbyter unius sponté confitetur, quod alteri scrutinium & Baptisma debeat, in Baptismo & scrutinio est condemnandus. *Ibid.*

XII. Ex Privilegiis Romanorum Pontificum Ecclesiæ concessis, evidentissimè colligitur, possessionem ipsius Ecclesiæ aliquibus locis cum omni Jurisdictione, honore, atque Districtu, justam fuisse. *De Probationib.* Cap. *Licet causam.* §. 4. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

XIII. Si utriusque Partis rationibus diligenter inspectis cognoscatur, efficaciores esse Episcopi rationes, subjectio eidem adjudicari debet Monasterii memorati, ut ibidem habeat tamquam Diœcesanus Episcopus potestatem. *Ibid. De Sent.* Cap. *Suborta. fin. in integra.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21.

XIV. Etsi Monasterium ad jus & proprietatem Apostolicæ Sedis per Privilegium Summi Pontificis pertinere monstratur; si Diœcesana Ecclesia legitimam Præscriptionem probaverit, nisi probata fuerit interruptio ex adverso, subjectio ipsius Monasterii adjudicari debet Diœcesano Episcopo, cùm constet ipsum in sua Diœcesi constitutum. *De Confirmatione Utili.* Cap. *Cùm dilecta. §. ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 30. Cap. 4.

SECTIO X.

Quomodo idem judicari debeat quoad Capellas, seu Ecclesias à Monasteriis dependentes?

I. Cùm inter Monachos & Diœcesanum Episcopum super Monasterii sui subjectione ac libertate, & super Ecclesiis, quas Episcopus asserit ad se Diœcesana Lege spectare, Abbas autem eas esse ab ejus Jurisdictione prorsus exemptas, controversia vertitur; si in Privilegiis Summorum Pontificum, quiddam contineri perspicitur, per quod idem Cœnobium videtur ad Jurisdictionem Episcopi pertinere, & à neutra Parte est probata Præscriptio: Sententialiter definiatur, quod Cœnobium liberum est in Capire, tamquam ab Episcopali Jurisdictione prorsus exemptum; in membris autem, quæ non probantur exempta Diœcesano Episcopo ipsum subjacere decernatur. *De Privil.* Cap. *Ex ore. §. ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 17. *Juncto* Capite *Auditis. De in Integrum Restit. init.* Lib. I. Decrat. *Tit.* 41. Cap. 3.

II. Inspectis Privilegiis, si per illa constiterit quod Ecclesiæ illæ sint ille locus, quem Summus Pontifex libertate donavit, absolvi debet Abbas ab impetitione Episcopi; & adjudicando illas Abbati pleno Jure subjectas, Episcopo super illis silentium imponi debet. *De Præscriptionib.* Cap. *Auditis.* §. 2. *Quocirca.* Lib. II. Decrat. *Tit.* 26. Cap. 15. *fin.*

III. Si inter Abbatem & Monachos & Rectorem super subjectione alicujus Ecclesiæ Quæstio vertatur; quamvis fortè instrumento donationis non sit plurimùm innitendum, nec confirmationibus, vel Privilegiis, quæ de ipso causam & originem acceperunt, tùm tamen Jus ex sententia factum est postquam in rem transiit judicatam, & definiri debet, ut Rector, qui pro tempore fuerit, fidelitatem & obedientiam præstet Abbati. *Cap. Cùm inter vos.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 13.

IV. Inspectis probationibus, & quæ ab utraque Parte fuere proposita intellectis, decernitur super Juribus Episcopalibus, quæ Episcopus in Ecclesiis & Capellis suæ Diœcesis ad Monasterium aliquod spectantibus debet habere. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Conquerente.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 16.

V. Cùm evidenter agnoscitur ex Privilegiis Romanos Pontifices alicui Ecclesiæ libertatis Privilegium indulsisse, & quod in ea possessione tamdiù fuerit liberatus, quod aliis etiam cessantibus præscripsisset, libertas ei à Romanis Pontificibus indulta confirmari debet, Episcopo super hoc silentium imponendo. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim. §. 6.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 14.

VI. Sententia, quæ Privilegiorum obtentu super statu Monasterii lata est, inviolabiliter observari debet. *De Fide Instrum.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 4.

VII. Si constiterit Monasterium esse à Jurisdictione Diœcesani Episcopi exemptum, eo non obstante, quod Abbas ab Episcopo circumventus, præter Fratrum suorum assensum, ei obedientiam repromisit; sententia ab Episcopo in Abbatem lata judicari debet penitùs non tenere. *De Religiosis Domib.* Cap. *Cùm dilectus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

VIII. Si Abbas in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit Præscriptione tueri, Monasterium judicari debet ei Ecclesiæ subjacere, in cujus est Diœcesi fundatum. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Cùm dilectus.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

IX. Si constiterit de exemptione vel legitima Præscriptione, tàm Abbas quàm Monasterium ab impetitione

titinne Episcopi absolvi debet. *Ibid. De Religiosis Domib.* Cap. *Cùm dilectus. §. ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 8.

SECTIO XI.

Episcapos & Exemptos pacificè in omnibus agere debere, suisque terminis esse contentos.

I. Quia una est Regularium & Sæcularium, Prælatorum & subditorum, exemptorum & non exemptorum, Universalis Ecclesia, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, unum Baptisma, decet ut omnes, qui ejusdem sunt Corporis, onius sint etiam voluntatis, & sicut Fratres ad invicem vinculo charitatis sint astricti. CLEMENTINA *Frequens. §. 1. Verùm. De Excessib. Prælat.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 6. Cap. unic.

II. Decet ut & Prælati, & alii, tam exempti quàm non exempti, suis Juribus sint contenti; & alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam. *Ibid.* CLEMENTIN. LIB. V. *Tit.* 6. Cap. un.

III. Universis Prælatis Ecclesiarum districtè præcipitur, ut viros Religiosos Exemptos, Privilegiatos, & non Exemptos, Mendicantes, & non Mendicantes, caritativè tractent & foveant, & sua jura & Privilegia inviolabiliter eis servent. *Ibid. fin.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 6. Cap un.

IV. Libertas quam nonnullis Apostolica Sedes Privilegio exemptionis indulsit, sic integra observari debet, ut & illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Volentes.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

V. Ecclesiarum Prælati quietem Religiosorum inquietare non debent; sed subditos suos ab inferendis aliquibus gravaminibus arctiùs compescere. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Nimis iniqua.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 16.

VI. Sedes Apostolica universos Ecclesiarum Prælatos, cujuscumque præeminentiæ, statûs, vel dignitatis existant, ac Sacerdotales, Parochiales, & Curatos, sive Rectores, rogat & hortatur attentè, nihilominusque eis districtè præcipiendo mandat, quatenus pro Divina & Apostolicæ Sedis reverentia Ordines Prædicatorum, & Minorum, & Professores eorum, habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipsis non se difficiles, graves, duros aut asperos, sed potiùs favorabiles, propitios, ac benignos, piaque munificentia liberales se studeant exhibere. Sic eos in Prædicationis Officio, & propositionibus Verbi Dei, ac in omnibus aliis tanquam cooperatores eorum, idoneos & laborum suorum participes, prompta benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, ut proindè illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur. CLEMENTINA *Dudum. De Sepulturis. §. ult.* CLEMENTINARUM LIB. III. *Tit.* 7. Cap 2.

VII. Litem & seditionem inter Clericos Monachosque esse ortam instigatione versuti hostis nemo ambigat: Habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus astutias ejus. Conatur namque à principio ruinæ suæ unitatem Ecclesiæ rescindere, charitatem vulnerare, Sanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere, & omnibus modis humanum genus evertere & perturbare. Dolet enim satis & erubescit, charitatem, quam in Cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra. Undè oportet ut omnes aditus nocendi ejus versutiæ diligentissimè muniantur, ne mors ingrediatur per portas nostras. CAUS. XVI. QUÆST. II. Cap. 1. *Visis.* JOANNES *Papa* ISAACO *Syracusano Episcopo, fortè circ. ann.* 876. Vide plura *ibid.* VAN-ESPEN in hunc Canonem, hanc Epistolam fictitiam esse suspicatur, idque fieri ea contextu admodùm verisimile asserit.

VIII. Districtè Præceptum est Diœcesanis Episcopis, ut per censuram Ecclesiasticam compescant Magnates & milites, seu quoslibet alios, ne Monasteria præsumant offendere, & si forsan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, ut liberiùs & quietiùs Deo valeant famulari. *De Statu Monachorum.* Cap. *In Singulis. §. ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 7.

IX. Sedes Apostolica provideri vult, ne libertates Monasterio alicui à Prædecessoribus suis, seque concessas, à quoquam sustineantur minui vel infringi. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Gravis. fin. in integra.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 11.

SECTIO XII.

Ecclesias per solam præscriptionem non posse probare exemptionem quoad obedientiam, sed tamen quoad aliqua Jura.

I. Cùm non liceat à Capite membra recedere, si Ecclesiæ aliquæ in Episcopi Diœcesi constitutæ, nullum exemptionis Privilegium prætendentes, ei obedire tanquam Episcopo suo contumaciter recusent, illis districtè præcipi debet, ut Episcopo suo & Ecclesiæ Diœcesanæ obedientiam & reverentiam debitam (sicut alii Clerici suæ Diœcesis faciunt) sine contradictione qualibet impendant, Præscriptione temporis non obstante. *De Præscriptionibus.* Cap. *Cùm non liceat. in integra.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 26. Cap. 15.

II. In Quæstione, quæ vertitur inter Episcopum & Abbatem super Ecclesiis, quas Episcopus asserit ad se Diœcesana Lege spectare, Abbas autem eas esse ab ejus Jurisdictione prorsus exemptas, si cognoscatur evidenter Ecclesias illas per Privilegia Romani Pontificis non esse ab Episcopali Jurisdictione substractas, videndum est utrum tanto tempore probantur per testes ab Abbatibus pleno Jure possessæ, ut videantur in eis Jus Episcopale legitimè præscripsisse. *De in Integrum Restit.* Cap. *Auditis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 3.

III. Si Episcopus interruptionem probavit circa processionem, receptionem, ac procurationem Archidiaconi, circa cognitionem quoque causarum Matrimonialium; super his Jus Episcopale adjudicari debet eidem. *De Præscriptionibus.* Cap. *Auditis. §. 2. fin.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 26. Cap. 15.

IV. In cæteris Episcopo silentium imponi debet quæ Abbas præscripsisse probatur. *Ibid. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

V. Cùm Abbas sufficienter ostendit Monasterium suum super institutionibus, destitutionibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum Baptismo, Pœnitentia in levioribus culpis, Sepultura, Decimarum perceptione, ac Divinis Officiis celebrandis tam in Plebe, quàm in Capellis, in excommunicando, atque interdicendo, & etiam absolvendo, legitima Præscriptione munitum; super dictis Articulis ab impetitione Episcopi absolvi debet. *De Præscript.* Cap. *Cùm olim. §. 3.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

VI. Super aliis omnibus quæ ad Jus Episcopale spectare noscuntur, Abbas quoad Plebem & Capellas adjacentes sententialiter condemnari debet. *Ibid. De Præscr.* Cap. *Cùm olim. §. 3. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

VII. Nulla ratione Clerici aut Sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina & providentia gubernantur; tales enim acephalos, sine Capite, prisca Ecclesiæ Consuetudo nominavit. DIST. XCIII. Cap. 8. *Nulla. ex Conc.* PARIS. *fortè ann.* 813.

VIII. Con-

VIII. Contra obedientiam non currit Præscriptio. *Glossa.*

IX. Privilegiati, qui Papæ subsunt, non sunt Acephali, cùm Papa Episcopi locum teneat. *Glossa*, Verbo *Acephalos.*

X. Ecclesia Præscriptionem pro se non potest allegare, cùm alia Ecclesia illam præscripsit. *De Capellis Monach.* Cap *Dilectus. post inis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

XI. Si Romanus Pontifex in Ecclesia aliqua usque hodie institutionem liberam exercet, in institutione & destitutione, alteri Ecclesiæ perpetuum silentium imponi debet. *De Capellis Monach.* Cap. *Dilectus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

XII. In quibusdam Juribus Episcopalibus potest præscribi, ita quod non propter hoc in aliis. *Gl.* Verbo *In Institutione.*

XIII. Licèt Jus Episcopale præscribatur in uno, non tamen in alio. *Gl.*

Continuatio Argumenti SECTION. XII.

An, & quomodo ex solutione census judicetur Ecclesiam esse exemptam, & quæ sint signa subjectionis Diœcesano Episcopo?

I. Inspicienda sunt Ecclesiarum Privilegia, & ipsorum tenor diligentiùs attendendus, ut si fuerit deprehensum quod Ecclesia, quæ censum solvit, specialiter Beati PETRI juris existat, & ad indicium perceptæ libertatis census annuus conferatur, non immeritò poterit speciali prærogativâ gaudere. *De Privileg* Cap. *Recipimus.* §. *inspicienda.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 8.

II. Si verò ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, non ex hoc Juri Diœcesani Episcopi aliquid videtur esse substractum. *Ibid. fin. De Privil* Cap. *Recipimus* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 8.

III. Sicut non omnes qui specialiter Beati PETRI juris existunt, annuatim Apostolicæ Sedi censum exsolvunt; ita non omnes censuales ab Episcoporum subjectione habentur immunes. *De Privileg.* Cap. *Recipimus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 8.

Per solutionem censûs, quæ fit Romanæ Ecclesiæ, non probatur exemptio à Jurisdictione Episcoporum. *Summa.*

IV. Per institutionem, destitutionem, Fratrum obedientiam, correctionem, repræsentationem ad Ordines, tonsurationem, sosceptionem Chrismatis, Processiones Rogationum, Litanias & alia similia, plena subjectio Ecclesiæ declaratur. De *Sententia.* Cap. *Cùm inter. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 13.

V. Cùm invenitur pro Episcopo probatum qood recipiatur in Monasterio processionaliter cum incenso, aqua benedicta, & vexillo Crucis, & quod pulsantur ibi campanæ, sicut in aliis Ecclesiis Civitatis, hæc Jurisdictionem & subjectionem respiciunt. *De Causâ Possessionis.* Cap. *finali. in integrâ.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 8.

VI. In Privilegio Pontificis quiddam contineri perspicitur, per quod Cœnobium videtur ad Jurisdictionem Episcopi pertinere; videlicet quod Abbas ejusdem primum locum post Diœcesanum Præsulem semper obtineat; undè cùm locum ipsum obtinere non possit in Generali Concilio, neque in Provinciali, quoniam absonum esset ut Abbas primus post illum super alios Episcopos resideret, relinquitur quod locum illum in Episcopali Synodo intelligatur habere; quare tenetur ad Synodum Episcopalem accedere, ac per hoc ipsius Statuta recipere ac servare. *De Privileg.* Cap. *Ex ore* §. 1. *Porrò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 17.

Monasterium videtur ad Jurisdictionem Episcopi pertinere, cùm illius Abbas tenetur ad Synodum Episcopalem accedere, ac per hoc ejus Statuta recipere.

VII. In Privilegio Papæ quiddam continetur per quod Diœcesanus Episcopus in Cœnobio Jurisdictionem suam, etsi non in omnibus, in quibusdam tamen retinuisse videtur, cùm in illò dicitur quod Diœcesani Episcopi ab ejusdem loci Fratribus aliquid injustè non exigant, sed his tantùm contenti permaneant, quæ Prædecessores eorum Antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse, unde constat quod Abbates Episcopis aliqua de suis exhibere teneantur. *Ibid.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 17.

Per Collationem spiritualium probatur cui subsit Ecclesia sive populus. *Glossa in* Cap. 1. *De Religiosis Domibus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 1.

SECTIO XIII.

Privilegium exemptionis eo ipso censeri irritum & simoniacum, quòd sub aliqua pensione, seu potiùs censu fuerit concessum.

I Nec insolitum est nec novum, ut cùm Episcopi Ecclesias concesserint piis locis, aliquid sibi reservent in eis nomine pensionis. Ubicumque inveneris in hac Decretali pensionem, expone, *id est*, censum; & hæc expositio probatur per illud quod Papa dicit *gratis censum accipimus*, & ubi dicit census exprimimus quantitatem. Glossa, Verbò *Juxta ratum. fin. De Causâ Possess.* Cap. *In causâ.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 8. *De Religiosis Domib.* Cap. *Constitutus.* §. *ult. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6.

II. Romani quoque Pontifices cùm libertatis Privilegium, vel protectionis præsidium, aliquibus Ecclesiis indulgent, gratis accipiunt censum gratis oblatum; & in literis suis, ad Successorum suorum memoriam, censûs exprimunt etiam quantitatem. *Ibid. De Relig. Domib.* Cap. *Constitutus.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6.

III. Etsi Ecclesia, in qua quidem Jus Patronatûs Monasterio recognoscitur, sita sit in aliqua Diœcesi, Episcopo tamen non tenetur in aliquo respondere si aliquis ex Episcopis ejusdem Diœcesis universas Ecclesias ad aliquod Monasterium pertinentes, in Diœcesi ejus sitas, & quidquid Juris tàm in Monasterio memorato, quàm in eis Ecclesiis habebat in Emphyteusim, sub annuâ pensione, per publicum instrumentum Monasterio illi concessit; ita videlicet, ut liceat Abbati & Fratribus, à quocumque velint Episcopo, tàm Ordinationem Clericorum, quàm Consecrationem Altarium in Monasterio ipso, & prædictis Ecclesiis obtinere, & Papa, quod ab eo factum fuit, confirmavit. *Ibid. De Relig. Domib.* Cap. *Constitutus* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6.

Nec dicat Oeconomus, Episcopi concessionem illam non tenere, ut pote continentem simoniacam pravitatem; quod super Ordinationibus Clericorum & Altarium Consecrationibus, quæ non est dubium quin spiritualia existant recompensationem certæ pensionis Episcopus acceperit: Neque etiam dicat, quod confirmatio Apostolicæ Sedis fuerit per subreptionem obtenta, cùm in ea de pensione nulla mentio habeatur. *Ibid.*

Auditis propositis Monasterium Episcopo (Ecclesiæ nomine) in solutionem pensionis prædictæ, & restitutionem subtractæ, etiam à 40. annis, condemnari debet, & ab impetitione Episcopi super aliis absolvi. *Ibid. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6. GONZALEZ hanc Decisionem refert in *C. ult. De Pactis n.* 10. Videsis. Videtur hæc concessio approbata ex eo quod pensio erat modica, & reservata ut indicium libertatis perceptæ.

Reveta

Revera non fuit Contractus Emphiteuticus, in quo Contractu non transfertur Dominium directum in Emphiteutam, sed utile; sed fuit Censualis Contractus, in quo Dominium directum & utile transivit in Monasterium, & hoc apparet ex illa littera, ubi dicit: *Quidquid Juris tàm in Monasterio, quàm in Ecclesiis in Diœcesi ejus sitis habebat.*

IV. De spirituali subjectione transigere non licet. *De Transactionib.* Cap. *Præterea.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 10.

V. Si quædam Cella eximi velit à subjectione, quâ matrici domui tenebatur, & Fratres illius Cellæ se confiteantur in Jure illi domui quondam fuisse subjectos; sed Quæstione olim de hac subjectione mota, eam fuisse Transactione sopitam, eatenus ut, quemdam annuum censum Ecclesiæ Matrici reddendo, essent à subjectione principalis domus exempti; Jure meritò proponit Pars adversa, quod ex quo confessi fuerant se dudum illi domui subjectos fuisse, & non ante Transactionem exemptos, constat illos fuisse rebelles eo ipso quod ante exemptionem se contendunt ab eadem Jurisdictione fuisse substractos, nec Transactio subsequens eos potest à tanto crimine inobedientiæ relaxare. *Ibid. in integra. med.*

Transactionem non sufficere ad exemptionem, imò esse irritam & simoniacam. Vide *Gl.* Verbo *Conditione.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 13. *De Rest. Spoliat.* Cap. 12. *Olim.* Conditio, de qua hic, nec ullam Simoniæ speciem continebat, cùm certum reservaret in rebus Temporalibus datis ad erectionem Oratorii & Hospitalis. Vide *De Causa Possess.* Cap. *In causa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 8.

Non committitur hic, aut in consimilibus exemptionibus, Simonia; quia istud non dicitur percipere propter aliquam recompensationem, sed potiùs in signum subjectionis. *Gl.* Verbo. *Recompensatione.* Cap. 6. *De Religios. Domib.*

Certum est quod ex prædicta Fratrum confessione contra eos sententia, procedere debeat. *Ibid.* §. *ult.*

Illa Transactio iniquitatem simoniacam continuisse putanda est. *Ibid. fin.* Vide GONZALEZ *in* Cap. 6. *De Relig. Domib. n.* 5. ubi colligit ex hac clausula, ex certa scientia, Papam à Simonia dispensare conventioni inserta.

SECTIO XIV.

An, & quæ Jura Episcopalia possint Episcopi à Monasteriis exemptis exigere, vel iisdem de novo imponere?

I. Si evidenti ratione constiterit, quia tempore, quo dedicatum est Monasterium conditiones certæ pensionis nomine inter Episcopum, cujus ipsum Diœcesis est, & Monachos convenerint; servari eas præcipitur; nec aliquid ampliùs exinde ab aliquo exigatur. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 30. ELEUTHERIUS. *post med. ex* PELAGIO I.

II. Si convenerit, ut quidquid dedicationis vel natalis Martyrum die, quorum in Monasterio reliquiæ sunt, per Fidelium Oblationes intraverit, medietatem quidem habeat ipsum Monasterium, medietas autem Episcopo offeratur, omninò servetur. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 30. ELEUTHER. *med.*

III. Servitium quod Monasteria, aut eorum Ecclesiæ, à tempore GREGORII VII. usque ad hoc tempus fecerunt & concedit Sedes Apostolica. *Ibid.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 31. *fin. Servitium.*

IV. Cùm fides facta fuit quod Ecclesiæ Monasterii in alicujus sunt Diœcesi constitutæ, per hoc ipsum, quod instrumentis compositionum continetur expressè, ut Abbas de Episcopalibus Juribus Episcopo debeat respondere, Abbas ad integram solutionem, & ad præstationem Procurationum, & aliorum Episcopalium Jurium, in prædictis Ecclesiis, debet condemnari. *De Censib.* Cap. *Cùm Olim. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19.

V. Religiosi quicumque pro Monasteriis & Ecclesiis, quæ ad eos quocumque sunt Titulo devoluta, Jura Episcopalia & alia, præstari pro ipsis antequam ad eos pervenissent solita, promptè solvere studeant; nisi forsan Sedis Apostolicæ Privilegio, exemptione, vel alia causa legitima, ab his se valeant excusare. CLEMENT. *Cùm sit natura. De Censib. init.* CLEMENT. LIB. III. *Tit.* 13. Cap. 1.

VI. Privilegia verò seu exemptiones hujusmodi, ad Monasteria, seu Ecclesias, quæ ad eos obvenire continget in posterum, non extendantur. *Ibid. fin.* CLEMENT. LIB. III. *Tit.* 13. Cap. 1.

VII. Si quis Presbyter novas Monasterio Consuetudines velit imponere; si ab initio hoc non fuerit, etiam labentibus temporibus, aliquid noviter non permittatur imponi. *De Censib.* Cap. *Scientes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 3. PELAGIUS *Papa. anno* 557.

VIII Non intelligitur quasi novum imponi quod ab ipsa fundatione de Communi fuit Jure impositum. *De Censib.* Cap. *Cùm venerabilis.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 21.

Non debet Episcopus aliquid à Monachis exigere præter conditiones, quæ dedicationis tempore constitutæ sunt. *Summa.*

IX. CALLIXTUS II. *ann.* 1123. *in Concil.* LATERAN. *Can.* 19. TOM. X. CONC. *p.* 899. idem habet ac quod relatum est suprà. *n.* 3.

X. Nullus Episcopus gravamen seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam Normam Abbatibus, seu Clericis suis imponat. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 124. *Nullus Episcopus. Desumitur ex* GREG. VII. *in Conc. habito. ann.* 1078. Cap. 10.

XI. Super Juribus Episcopalibus potest fieri compositio. *Gloss.* Cùm inter Archiepiscopum & aliquod Monasterium Provinciæ super Procurationibus controversia vertitur, si Monasterium nulla pro Parte sua Privilegia Romanæ Ecclesiæ vel Archiepiscopalis exhibeat, nec ostendat longa Consuetudine se munitum, sed Archiepiscopus firmiter Procurationes in aliis Monasteriis suæ Provinciæ asserat sine contradictione præstari, cùm intentio sua Jure Communi & Prædecessorum suorum Consuetudine adjuvetur, Monasterium suprà dictum condemnari debet ad Procurationem, secundùm facultates suas, Archiepiscopo, suisque Successoribus, exhibendam. *De Censibus.* Cap. *Sopita. in integra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 14.

XII. Parochiales Clerici servili more in aliquibus operibus Episcopo servire non cogantur, quia scriptum est: *Neque ut dominantes in Clero.* CAUS. X. QUÆST. III. Cap. 1. *Placuit. fin.*

SECTIO XV.

Quibus in casibus generatim à Jure permittatur Episcopis Jurisdictionem exercere in exemptos, tàm Sæculares, quàm Regulares, non obstante sua exemptione?

I. Censuræ & Interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Refor.* Cap. 12. *init.*

II. Dies Festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Regul.* Cap. 12. *fin.* & *Constitutionum* MELODUN. *Tit.* 23.

III, Con-

III. Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas Personas, tàm Sæculares quàm Regulares, cùm in Processionibus publicis, tùm in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat. *Conc.* TRID. *Ibid.* SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 13. *init.*

IV. Exempti omnes, tàm Clerici Sæculares, quàm Regulares, quicumque etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellantur; iis tantùm exemptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 13. *fin.*

V. Si qui fuerint, qui à Lege Diœcesanæ Jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his, quæ sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & eis in hac parte tamquam à Sede Apostolica Delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur. *De Hæreticis.* Cap. *Ad abolendam.* §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 9.

VI. Oratoria seu Capellas, in locis non exemptis, sine Diœcesanorum locorum ipsorum licentia, exempti construere non præsumant; neque in sic constructis, nec tempore interdicti (in casibus expressis in Jure dumtaxat exceptis) celebrent vel celebrari faciant Divina. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Autoritate.* *init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 4.

Quod si talia præsumpserint, ab his per locorum ipsorum Ordinarios compescantur. *Ibid. med.*

SECTIO XVI.

Quandonam Episcopis Jure concessum sit Jurisdictionem exercere in Religiosos & in Monasteria exempta, puniendo vel visitando?

I. Hoc tantùm sibi in Monasterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id est Monachos ad conversationem sanctam præmonere, atque extra Regulam facta corrigere. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 1. *Hoc tantùm.*

II. Alicui Monasterio nec Episcopus, nec Presbyteri, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiæ inferant. *De Statu Monach.* Cap. THEODOSIUS. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 35. Cap. 1.

III. Quantumcumque exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti ritè possunt coram locorum Ordinariis conveniri, & illi, quoad hoc, suam in ipsos Jurisdictionem (prout Jus exigit) exercere. *In 6. De Privileg.* Cap. *Volentes.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

IV. Tamen nec coram Ordinariis, dummodò sit in loco exempto commissum delictum, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant, conveniri possunt aliquatenùs super istis. *Ibid. in 6. De Privileg.* Cap. *Volentes.* *med.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

V. Nemo Regularis extrà Monasterium degens, etiam sui Ordinis Privilegii prætextu, tutus censeatur, quominus si deliquerit ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica Delegato, secundùm Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. *Conc.* TRID. SESS. VI. *De Refor.* Cap. 3. *fin.*

VI. Regularis, non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 14.

VII. Sin minùs, ipse à suo Superiore Officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. *Ibid.* SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 14. *fin.*

VIII. Si Monachi, Canonici, & alii Regulares alicujus Provinciæ, cùm deberent potiùs in Claustro juxtà Regularia constituta Divinis obsequiis vigilare, de obedientiis & redditibus, quorum curam gesserunt, pecunia congregata, Claustrum abhorrentes, per Curias Principum & Potentum discurrere non verentur; Quoscumque tales Episcopus invenerit, nisi ad commonitionem ipsius resipuerint, ut proprium è manibus Prælatorum suorum sine difficultate resignent, convertendum in utilitatem domûs, secundùm Abbatis consilium, & Regularem vitam observent: Si Prælati eorum post Episcopi commonitionem id exequi negligenter omiserint, per suspensionem Officii & Beneficii, appellatione remota, eosdem Prælatos compellat. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Quanto.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 7.

SECTIO XVII.

An, & quomodo licitum sit Religiosis prædicare Verbum Dei?

I. Regulares cujuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia, examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. *Conc.* TRID. SESS. V. *De Refor.* Cap. 2. §. 5.

II. Nullus Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Ea, quæ de Prædicationis munere sub PAULO III. decreta fuerunt, suum robur obtineant. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 4. *fin.*

III. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint, ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. V. *De Ref.* Cap. 2. §. 6.

IV. Non liceat Regularibus munus Prædicationis exercere, etiam consentiente Episcopo, sine sui Superioris licentia, sicut nec iisdem licebit extra Monasterium idem munus exercere cum Superioris licentia, nisi consensu Episcopi interveniente. *Constit.* MALOODUN. *Tit.* 13. Vide etiam *Constitutiones Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus annorum* 1625. 1635. & 1645. *De Regularibus Articulo* 11. TOM. I. *Collectionis Actorum Cleri Gallicani.* Cap. 14. *p.* 994. nunc TOM. VI. *T.* 2. *novæ Editionis.*

V. Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres in Ecclesiis & locis eorum liberè valeant Clero & populo prædicare, ac proponere Verbum Dei; hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari, præterquam si aliud de Prælatorum ipsorum voluntate processerit, ac licentia speciali. CLEM. *Dudum. De Sepulturis.* §. 2. *Nos autem.* *fin.* CLEM. LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 2.

VI. In Ecclesiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenus audeant, vel debeant prædicare, vel proponere Verbum Dei, nisi Fratres prædicti à Parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint vel vocati, & de ipsorum beneplacito & assensu, seu petita licentia fuerit & obtenta; nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem Fratres prædicari mandaret. *Ibid.* CLEM. *Dudum. De Sepulturis.* §. 2. *Nos autem.* *fin.* CLEM. LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 2.

VII. Caveant omninò Prædicatorum ac Minorum Ordinum Fratres, ne hora, in qua Diœcesani prædicabunt vel coram se facient prædicari, prædicent iidem

Fratres : Putamus etenim dignum, ut majori minor, & Superiori inferior deferat in hac parte ; nisi forsan aliud circa hoc faciant de voluntate Diœcesanorum. EXTRAVAGANTI COMMUNI *Inter Cunctas. De Privil.* §. 1. *post. init.* EXTRAVAG. COM. LIB. V. *Tit.* 7. *Cap.* 1 In casu excepto Diœcesani renunciant Juri suo.

VIII. In Ecclesiis Parochialibus Fratres ipsi, invitis eorum Rectoribus, seu Sacerdotibus (nisi jussi à Superioribus eorumdem) non audeant prædicare. *Ibid.* §. 2. *fin.* Hæc Decretalis BENEDICTI XI. fuit revocata per CLEMENTINAM *Dudum. De Sepult.*

IX. Districtiùs inhibitum est, ne Religiosi talia, quæ audientes à decimarum, seu aliarum rerum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, vel aliàs animas corrumpant audientium, in sermonibus suis, vel alibi proponere præsumant : Imò verbo & opere informent eosdem, ut ad solutionem prædictorum promptæ voluntatis animo sint intenti. *In* 6. *De Decimis.* Cap. *Discretioni.* LIB. III. *Tit.* 13. Cap. 1.

X. Religiosis etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtiùs inhibitum est, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, seu indulgentias pronuntient indiscretas. CLEMENTINA *Religiosi.* §. 1. *De Privileg.* CLEMENTINARUM LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

XI. Si qui præmissa attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis, quæ secundùm eorum Regulam, vel Statuta, pro gravibus criminibus, seu culpis, eis consueverunt imponi ; super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari. *Ibid.* CLEMENTINA *Religiosi.* §. 1. *post med. De Privil.* LIB. V. CLEMENTINARUM. *Tit.* 7. Cap. 1. Vide *Constitutionem supra dictam* TOMO I. *eodem* Cap. 14. *p.* 994. huc recurrit Nota *n.* 4. *fin.*

XII. Habeat Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus, autoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tàm Sæculares quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. *Bullâ. Inscrutabili. med. quæ est* GREGORII XV. *die* 5. *Febr. anni* 1623. TOM. I. *Collect. Actorum Cleri Gallic.* Cap. 13. *p.* 923. nunc ut dictum est TOM. VI. *Tit.* 2.

XIII. Hoc specialiter statutum est, ut, præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare, sive Monachus, sive Laïcus ille sit, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 19. *Adjicimus. med. Desumitur* ex S. LEONIS *Epist.* 63. Cap. 6. *ann.* 453. *ad* THEODORUM *scripta.*

SECTIO XVIII.

Quid Episcopis & Archiepiscopis Jure Ordinario concessum sit in locis exemptis ? Quomodo illa visitare teneantur, & quid in locis nullius Diœcesis ?

I. Archiepiscopo per quævis loca exempta suæ Provinciæ facienti transitum, aut ad ea forsitan declinanti, ut Crucem antè se liberè portari faciat, benedicat populo, Divina Officia privatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari, quovis Privilegio contrario non obstante, concessum est. CLEMENTINA *Archiepiscopo. init. De Privil.* CLEMENTINARUM LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 2. Vide *Canonem Concilii* CARTHAGINENSIS *sub* SEPARATO *Episcopo ann.* 534. TOM. IV. CONC. *p.* 1785. Diœcesano Episcopo conservat Ordinationes Monachorum, eorumque Oratoriorum dedicationes : ex cæteris subsequentibus desumptum videtur *Cap. Quam sit.* 5. CAUS. XVIII. QUÆST. XXV. GRAD. tributum.

II. Simili modo concessum est Episcopo, ut in locis exemptis suæ Diœcesis, possit populo benedicere, audire Divina Officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari. *Ibid.* CLEMENTINA *Archiepiscopo.* §. 1. *De Privileg.* CLEMENTINARUM LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 2. Vide *Constitutionem Cleri Gallicani in Comitiis Generalib. annorum* 1625. 1635. & 1645. *De Regularibus, articulo* 10. TOM. I. *Collectionis Actorum Cleri Gallic.* Cap. 54. *p.* 995. nunc TOM. VI. *Tit.* 2. *novæ Edit.*

III. Tamen prætextu concessionis hujusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam Jurisdictionem idem Archiepiscopus vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis vel privilegiatis molestiam inferat, vel gravamen, nullumque exemptioni vel Privilegiis eorumdem aliud præjudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo vel Episcopo jus aliud quomodolibet acquiratur. *Ibid. fin.*

IV. Tàm Regulares, quàm Sæculares, quomodolibet exempti, nullis Privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant. *Bullâ* GREGORII XV. *Inscrutabili. ann.* 1623. *die* 5. *Febr. Collectionis Actorum Ecclesiæ Gallicanæ.* TOM. I. Cap. 13. *Articulo* 53. *p.* 922. nunc TOM. IV. *novæ Edit.*

V. Omnibus, & singulis cujuscumque Ordinis & Instituti Regularium, etiam Mendicantium, Superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac privationis dignitatum & Officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præceptum est & mandatum juxtà prædictum *Concilium* TRID. Quilibet ipsorum Regularem, non subditum Episcopo intra Claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs Decretum ipsum in omnibus & per omnia exequatur. *Bulla* 39. CLEMENTIS VIII. *Suscepti muneris.* §. 3. *ann.* 1596. *Bullarii* TOM. III. *p.* 53.

VI. Abbatibus, qui neque sub Episcopo. &c. CAUS. XVIII. QUÆST. II. *Cap.* 18. Cùm enim nulli omninò Episcopo se subesse profiteantur, consequens est, ut nullus Episcoporum, quæ sua sunt, iis tamquam extraneis largiatur.

SECTIO XIX.

Quomodo prædicare possint Regulares in suis vel alienis Ecclesiis ?

I. Decretum & declaratum Regulares, qui in Ecclesiis suis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere ; prædicare tamen posse quamvis illam non obtinuerint. *Bulla* 7. CLEMENTIS X. *ann.* 1670. §. 3. *Bullarii* TOM. V. *p.* 494.

II. Quod si Episcopus benedictionem, non solùm non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licet Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis felicis recordationis GREGORII

XV. inci-

XV. incipientis, *Inscrutabili Dei Providentia coërceri & puniri posse*: Episcopum tamen absque justa & rationabili causa contradicere non debere. *Ibid.*

III. Hujusmodi benedictionem tenentur etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis, sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut in Oratoriis Monasteriorum Sanctimonialium eorum Jurisdictioni subjectorum, licet clausis janiis, & nullus Sæcularis intersit, habere voluerint. *Ibid.*

IV. Potest Episcopus licentiam concedere Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus; illos, quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempos immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverunt, quoad doctrinam excommunicare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum & discretum esse debet, visum fuerit. *Ibid.*

V. Potest etiam Episcopus licentiam prædicandi semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, Prædicationem tamen concernentes, suspendere. *Ibid.*

VI. Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent. *Ibid.*

SECTIO XX.

Circa licentiam Regularium audiendi Sæcularium Confessiones.

I. Religiosi ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbati, non possunt in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. *Bulla* 7. Clementis X. *Superna.* §. 4. *ann.* 1670. *Bullarii* Tom. V. *pag.* 494.

II. Religiosi generaliter approbati ab Episcopo ad Personarum Sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egent quoad hoc speciali Episcopi approbatione. *Ibid.*

III. Approbati pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè possunt audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. *Ibid.*

IV. Confessores Extraordinarii semel deputati atque approbati ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud possunt, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi, illarum Confessiones audire; sed toties ab Episcopo sunt approbandi quoties casus deputationis contigerit. *Ibid.*

V. In Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxtà Regularia Instituta vivitur, possunt tàm Prælati Regulares quàm Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire Confessiones illorum Sæcularium, qui initi sunt verè de familia & continui Commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. *Ibid.*

VI. Illi Religiosi, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopia generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, cæterorumque locorum aut generis Personarum, in Diœcesi propria sunt admittendi; quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur probare, admittere. *Ibid.*

Si Superior in Regularem delinquentem animadverterit, quin imò si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim transmiserit: Decretum est ut Superior, instante Episcopo, intra tempus ab Episcopo præfigendum, sub privationis Dignitatum & Officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ & passivæ vocis, ad quas à nemine præterquàm à Romano Pontifice pro tempore existentis restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. *Bulla* 39. Clementis VIII. *Suscepti muneris.* §. 3. *ann.* 1596. *Bullarii* Tom. III. *p.* 53.

Quod si hoc etiam facere prætermiserit, statutum est ut Ordinarius loci ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, aut aliàs de illius delicto insurmatus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, prædictum Concilii Decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit & debeat. *Ibid. fin.*

VII. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque, etiam infirmorum, Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen Confessione teneantur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi: Sufficit tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. *Bulla* 7. Clementis X. *&c.*

VIII. Declaratum, eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessiones dumtaxat satisfecisse censendos. *Ibid.* §. 5. *init.*

IX. Regulares ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione, ab ipsomet Episcopo (secùs autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) approbati, non possunt ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentiæ illis concessæ revocari; nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat; de quâ tamen haud necessarium est, ut in actis constet; nec eam tenetur Episcopus ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. *Ibid.*

X. Si Regulares cum scandalo aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi (in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse vult Sedes Apostolica) cùm præcipua Ministri pœnæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas; utique ea causa ad Confessionis Ministerium pertinet, ac proinde nihil obstat quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. *Ibid.* §. 6. *init.*

XI. Confessiones audiendi facultas omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest. *Ibid.* In Gallia Episcopi possunt revocare approbationem etiam singulis totius Conventûs Confessoribus,

ribus, nullique tenentur rationem reddere hujus revocationis. *Art.* 11. *Edicti ann.* 1695.

SECTIO XXI.

Quid possint Regulares circa reliqua Sacramenta? & de aliis quæ sunt ipsis prohibita.

I. Religiosi, qui Clericis, aut Laïcis Sacramentum Unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimoniave solemnisare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à Jure expressis, vel per Privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententiis per Statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, à pœna & culpa absolvere quemquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam, ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi. CLEM. *Religiosi. init. De Privileg.* CLEM. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

Religiosi in his casibus subsunt Ordinario, non obstante quolibet Privilegio exemptionis. *Glossa.*

II. Eos etiam locorum Ordinarii, postquam de hoc eis constiterit, excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione eorum eis fuerit facta fides; nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio, Privilegio suffragante. *Ibid.* CLEMENTINA *Religiosi. De Privileg.* CLEM. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

III. Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis quoad hoc præjudicium generetur. *Ibid.* CLEM. *Religiosi. De Privilegiis.* §. *ult. Sane.* CLEM. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

IV. Religiosis viris, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, districtiùs inhibitum est, ne cum confectionibus Testamentorum intererunt, à restitutionibus debitis, aut Legatis Matricibus Ecclesiis faciendis, retrahant Testatores. CLEM. *Religiosi.* §. 1. *De Privilegiis.* CLEM. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

V. Nec legata vel debita, aut male ablata incerta, sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conventibus, in aliorum præjudicium fieri seu erogari procurent. *Ibid.*

VI. Ecclesias & decimas de manu Laïcorum sine consensu Episcoporum quoscumque Religiosos recipere prohibitum est. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm & plantare.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3. Ex *Conc.* LATERAN. *sub* ALEXAND. *ann.* 1079. Cap. 9.

VII. Excommunicatos & nominatim interdictos ab omnibus Religiosis, juxtà Episcoporum sententiam, statutum est evitandos. *Ibid. De Privileg.* Cap. *Cùm & plantare.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3.

VIII. In LATERAN. *Concilio* noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet Regulares, Ecclesias seu decimas, sine Episcoporum consensu, de manu Laïci præsumant accipere. *De Præbendis.* Cap. *In* LATERAN. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 31. sub ALEXAND. III. *ann.* 1179.

IX. Nec excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad Divina. *Ibid. De Præbend.* Cap. *In* LATER. *post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 31.

SECTO XXII.

Ubi primum exemptionis Privilegium non valet, nec illius confirmationis valere posse Privilegia.

I. Cum instrumento donationis non est plurimùm innitendum, nec confirmationibus vel Privilegiis, quæ de ipso causam & originem acceperunt. *De Sent.* Cap. *Cùm inter vos.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13.

II. Quia donatio non valebat, quæ non fuit facta secundùm formam Juris, ideò confirmationes vel Privilegia, quæ illam donationem confirmabant non valebant, quia si principale non tenet nec accessorium. *Glossa.* Verbo *Donationis.*

III. Cùm Privilegium confirmatorium tantùm existit, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo vel ob id dignoscitur esse secutum. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter dilectos.* §. 7. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

IV. De Exemptione Sæcularis Ecclesiæ. *Vide* Cap. 5. *De Consuetudine. in integra.* & GONZAL. *in illud*, ubi notanda habet de hac exemptione, & de usu vocandi Cardinales in Consilium. *n.* 15.

V. Cùm instrumentum concessionis non fuit publica manu confectum, sigillo munitum, & propter raturas quasdam suspectum videtur, Parti non potest nec debet præjudicium generare, & sic nec cæteræ confirmationes & Privilegia ex ipsa donatione pendentia; cum quasi arenoso fundamento & arundineo baculo nitantur, & principali non valente, nullam habeant accessoria firmitatem. *De Sentent.* Cap. *Cùm inter. in integra. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13.

Nemini res illa rationabiliter potest conferri, quæ de Jure obtineri non potest. *De Concess. Præb.* Cap. *Literas. in int. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9.

SECTIO XXIII.

Superiores Monasteriorum non posse renunciare Privilegiis Exemptionis, sed Ecclesiam velle illa restringi cùm Ecclesiis nimiùm nocent.

I. Etsi Abbas vel Conventus spontè voluerit, de Jure tamen nequit sine licentia Romani Pontificis renunciare Privilegiis vel indulgentiis libertatis, quæ Monasterium aliquod indicant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere. *De Arbitris.* Cap. *Cùm tempore.* §. 2. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 3.

Exemptus non potest renunciare Privilegio libertatis, sine licentia illius cui subest. *Glossa.* Hinc colligitur hujusmodi libertatem non dari in unum commodum recipientis, sed etiam in honorem dantis.

II. Si super controversiis, quæ inter Abbatem seu Conventum & Episcopum vertebantur, fide hinc indè data compromissum est in aliquem, Arbitrium ab ipso prolatum observandum est, illis dumtaxat Capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipsius Monasterii in arbitrio sunt expressa. *Ibid. De Arbitris.* Cap. *Cùm tempore. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 5.

III. Ecclesia in præjudicium Papæ compromittere non potest. *Gl. init.*

IV. Si quando Romana Ecclesia Ordini alicui Privilegia dederat, ita erant raræ Abbatiæ illius Ordinis, quod exinde nulli poterat de Jure scandalum suboriri; sed postea in tantùm augmentatæ sunt, quod multi viri Ecclesiastici de illis Monasteriis querelam sæpe proponant: Non decet Religionem Monasticam litibus & contentionibus intendere, sed super his Privilegiis pacificè convenire & componere. *De Decimis.* Cap. *Suggestum est. in integra.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 9.

Si

Si Privilegium expressè factum incipiat enorme detrimentum inferre, revocandum est Privilegium. *Glossa.*

V. Ne occasione aliquorum Privilegiorum Regularium Ecclesiæ prægraventur, decernit Ecclesia, ut illa Privilegia restringantur, nisi eum ipsis Ecclesiis Regulares, qui gaudent similibus Privilegiis, aliter duxerint: Componendum ut Ecclesiarum Prælati promptiores & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorumque Privilegia diligentiùs & perfectiùs studeant observare. *De Decimis.* Cap. *Nuper. post med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 34.

VI. Abbas de Monasterio quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante noscitur pertinere, ad Monasterium aliud, quod est etiam Romanæ Ecclesiæ speciale, non potest propria temeritate migrare, licentia illud deserendi vel confirmatione à Sede Apostolica nec habita nec petita. *De Consuetud.* Cap. *Cùm venerabilis. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 7.

SECTIO XXIV.

Exemptiones singularibus, seu privatis, personis concessas, odiosas esse ac prope sublatas: & quomodò valeant si quæ sint concessæ?

I. Personæ Ecclesiasticæ tàm Religiosæ quàm Sæculares plura præsumebant, quæ ipsis infamiam pariebant, & aliis inferebant læsionem, prætextu exemptionis vel libertatis, quam asserebant se habere; Ordinariorum correctiones & Ordinationes subterfugientes, ac eorum forum, sive judicium declinantes. *In 6. De Privileg.* Cap. *Cùm Persona. init.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 7.

II. Ne aliqui de Indultis Apostolicis confidentes, alios confidentiùs in suo Jure molestent, & Ordinariorum Jurisdictionem contemnant pariter & eludant; omnes Indulgentiæ & Privilegia quibuscumque singularibus personis Ecclesiasticis vel Sæcularibus, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut statûs, quod interdici à quocumque vel excommunicari non possint; nec terræ vel Ecclesiæ ipsorum Ecclesiastico Interdicto supponi, sub quacumque forma verborum concessa, ad Ordinariorum sententias & processus non extenduntur. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Ne aliqui. init.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 5.

III. Illa Privilegia per quæ Regibus & Reginis, eorumque filiis, necnon & Religiosis quibuscumque, non Personarum tantùm, sed Ordinum Privilegiatorum, vel locorum ratione, in hoc immunitas hujusmodi conceditur, duotaxat excipiuntur. *Ibid. in 6. De Privileg.* Cap. *Ne aliqui. med.* Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 5.

IV. Quoniam Privilegia & exemptiones, quæ variis titulis, plerisque conceduntur, hodiè perturbationem in Episcoporum Jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur; decretum est ut si quando justis, gravibus, & ferè necessariis suadentibus causis, aliquos honorariis Titulis Protonotoriatûs, Acolytatûs, Comitis Palatini, Capellani Regii, aut aliis hujusmodi in Romana Curia, vel extra, insignibus decorandos esse placuerit; necnon alios cuicumque Monasterio ablatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine servientium Militiis seu Monasteriis, Hospitalibus, Collegiis, aut quocumque alio Titulo assumi: Nihil ex his Privilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur, quominus ii, quibus ea jam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, plenè in omnibus, & quoad Capellanos Regios, juxtà Constitutionem Innocentii III. quæ incipit. *De Privilegiis.* (Lib. V. Decret. *Tit.* 33. Cap. 16. *suprà* Sect. VII. Decis. VIII. & IX. *Cùm Capella*) subjecti existant. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. *De Refor.* Cap. 11.

V. Excipiuntur tamen ii, qui prædictis locis, aut Militiis, actu serviunt, & intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt; sive ii, qui legitimè & secundùm Regulam earumdem militiarum Professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus Privilegiis quibuscumque, etiam Religionis S. Joannis *Hierosolymitani*, & aliarum Militiarum. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 11. *post med.*

Quæ verò Privilegia residentibus in Curia Romana, vigore Eugenianæ *Extravagantis in Communib.* Eugenii IV. *ann* 1432. 8. *Idus Martii*, quæ incipit: *Divina in eminenti Sedis. De Privilegiis. Extravagantium Communium.* Lib. V. *Tit.* 7. *Cap.* 3. Constitutionis, aut familiaribus Cardinalium competere solent; ea in iis, qui Beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum Beneficiorum minimè intelligantur, sed Ordinarii Jurisdictioni subjecti permaneant, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 11. *fin.*

VI. Cùm uniones Beneficiorum ad vitam Possessoris sint Privilegia, huc adduci potest quod idem Concilium decrevit contra hujusmodi uniones. *Cap.* 24. Sess. VII. ubi hæc habet: „Quicumque de cætero plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam ... recipere ac retinere præsumpserit, Beneficiis ipsis ... præsentis Canonis vigore privatus existat „.

Hunc ob abusum Pontificiæ potestatis in concedendis unionibus Personalibus has Gallia semper rejecit, ut patet ex *Priore Parte Art.* 46. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*, quæ sic se habet: „Papa nullas „potest facere in Gallia uniones ad vitam Beneficiariorum, aut aliud tempus „. Usum hunc Galliæ Rebuffus *in sua Praxi Beneficiaria, Tit. De Unionib. n.* 9. & 49. testatur, & laudat circa eamdem rem Guimerium Glossatorem *Pragmaticæ Sanctionis*: Rebuffus autem obiit *ann.* 1557. referente Doujatio *in Prænotionibus Canonic. pag.* 620. De eodem usu mentio fit in *Commentariis Cleri Gallicani* Tom. X. *p.* 1813. & 14. ac præcipua, quæ illius causa affertur, est, quia hujusmodi uniones fiunt in commodum Personæ, ideoque rejiciendæ tamquam Privilegia merè Personalia.

SECTIO XXV.

Observationes gravis momenti circa exemptiones tàm Regulares, quàm Sæculares.

I. Quæcumque personæ in Diœcesi degunt Jure Communi Episcopo subjiciuntur, exemptio ergo ab Episcopo contraria est Juri Communi; Jus Commune probatione non eget, secùs de exemptione, de qua constare debet ut vim suam habeat, eamque etiam necesse est esse Canonicam: Hinc possessio immemorialis non sufficit ad probandam exemptionem, quamvis extet fama Privilegii: Sunt siquidem inter Privilegia, nonnulla quæ falsa vel falsata sunt, ideoque sola fama Privilegii nihil operari convenit, nisi fama cadat super legitimitatem Privilegii, sicut super Privilegium, ut fama sit Privilegii legitimi sic intelligendi.

Textus docentes Pnſſeſſionem immemorialem cum ſama Ptivilegii ſufficere ad acquitendum dominium, vi Præſcriptionis. *Cap.* 1. 2. *De Præſcript. in 6.* Sed cùm ſama ſit res levis autoritatis ob incertitudinem ſuæ originis, inſufficiens juſtè videtur Gallis ad probandam exemptionem, etiam cum poſſeſſione immemoriali: Conſtare enim debet de Jute Particulari, ſicut conſtat de Jute Communi, aliàs juſtum eſt ut illud iſti cedat, utpote digniori, arque etiam tunc certiori.

II. Ex Poſſeſſione immemoriali ptæſumitut opinio Tituli, ſive vera, ſive falſa; quæ ubi deptehenſa eſt eſſe falſa, defectu tituli exiſtentis, vel ptobationis, quod extiterit, ſed perierit, effectus opinionis veræ vel falſæ cadit in adverſarium, & in Poſſeſſotem, qui ſicut non creditut voluiſſe tamdiu poſſidere ſine Titulo, ita nec adverſarius paſſus eſſet tantam poſſeſſionem, niſi putaſſet illam Titulo fretam: Hinc fit ut agnito errore facti adverſarius petat & obtineat tem ſibi injuſtè detentam, & Poſſeſſor reſtituat vel reſtituere compellatut.

III. A tempore publicationis Decretotum *Concilii* TRIDENTINI non creverunt, ſed potiùs decreverunt Privilegia; huc enim progreſſa erant, ut pluries compuliſſent Epiſcopos ad petendam reſtitutionem poteſtatis ſuæ, penè jam hinc partim extinctæ, quam à Pattibus TRIDENTINIS obtinuerunt; ſubſequentes vero Pontifices, id juſtum arbitrati, derogare nequaquam voluerunt; imò nonnulli juſta ex cauſa hanc Epiſcoporum poteſtatem auxerunt erga Religioſas, quas Regimini Regularium *Concilium* TRIO. ſine reſtrictione nlla ſubjecit. *Cap.* 9. SESS. XXV. *De Regular.* Ejuſmodi ſunt GREG. XV. & poſt illum URBANUS VIII. qui juſſerunt ut Confeſſarii Ordinarii & Extraordinarii illarum, examini & approbationi Epiſcoporum ſubderentur, eoſque amovere quando expedierit, permiſerunt: idem ſtatuerunt circa Adminiſtratores bonorum, quos itidem adſtrinxerunt ut Adminiſtrationis rationem redderent coram Ordinario locorum. *Bulla* GREG. XV. *integra refertur apud* TAMBURIN. *De Jure Abbatiſſarum.* DISP. XVI. QUÆST. II. hæc autem recepta videtur in Gallia. *Commentar. Cleri Gallic.* TOM. IV. *pag.* 1891. *n.* 54. *pag.* 1903. *&* 4. *Ibid.* Eadem quoque refertur TOM. V. *ibid. pag.* 249. *& ſequent.* cum dubiis citca illam propoſitis & ſolutis à Sacra Congregat. itidem relatis à TAMBURINO *loco citato.*

CAPUT V.

De Monaſteriis, quibus animarum cura vel Eccleſiarum Parochialium adminiſtratio eſt annexa.

SECTIO I.

Quibus in rebus Epiſcoporum Juriſdictioni ſubſint Monaſteria, & Regulares quibus incumbit animarum cura? Et quæ Monaſteria excipiantur?

I. Curent Epiſcopi congruentibus remediis nt in Commendatis Monaſteriis, etiam Abbatiis, Prioratibus & Præpoſituris nuncupatis, cura animarum, ſi qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia rectè exerceantut; appellationibus quibuſcumque, Privilegiis, Conſuetudinibus etiam immemorabili tempore præſctiptis, non obſtantibus. *Conc.* TRIO. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 8. *poſt init.* URBANUS II. *Epiſt.* 18. *Append.* TOM. X. CONCIL. *pag.* 454. Abbates præficere poſſunt Parochiis Canonicos Regulares, ſalvo Epiſcopi Jure.

II. Si quæ Parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ Monaſtetiis in nulla Diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuetint, à Metropolitanis, in quotum Provinciis Diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam quoad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegatis, compellantut; neque hujus Decreti executionem Conſuetudo, vel exemptio, aur appellatio, aut reclamatio, ſive recutſus, impedire valeat, quouſqne deſuper à competenti Judice cognitum & deciſum fuetit. *Conc.* TRIO. SESS. XXV. *De Ref.* Cap. 2. *med.* Metropolitano Epiſcopo viciniori, cui id commodiùs ptætuliſſe videtur ob majorem illius dignitatem.

III. In Monaſtetiis, ſeu domibns Vitorum ſeu Mulierum, quibus imminet animarum cura Perſonarum Sæculatium, prætet eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locotum, familia; Perſonæ tàm Regulares quàm Sæculares hujnſmodi curam exercentes ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentotum Adminiſtrationem pertinent, Juriſdictioni, Viſitationi, & correctioni Epiſcopi in cujus Diœceſi ſunt ſita. *Conc.* TRIO. SASS. XXV. *De Regul.* Cap. 11. *init.*

IV. Sedes Apoſtolica de Venerabilium Fratrum S. R. Eccleſiæ Cardiualium *Conc.* TRID. Iuterpretum conſilio, declatat Regulares quoad curam animarum eſſe ſubjectos Juriſdictioni, Viſitationi & Correctioni Epiſcoporum; ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecùs ſuper his à quocumque, quavis autoritate, ſcientet vel ignorantet, contigerit attentari, decetnit: Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis. *Bulla* URBANI VIII. quæ incipit *Exponi nuper.* 12. *Nov.* 1639. *Collectionis Actorum Eccleſiæ Gallicanæ.* TOM. I. Cap. 4. *Tit.* 16. *p.* 111.

V. Ratione Parochialium ant aliarum Eccleſiarum Sæcularium etiam annexarum, debeant ii, qui illatum curam getunt, quicumque illi ſint, *hoc eſt*, tàm Regulares quàm Sæculares, tàm exempti, quàm non exempti, Synodo Diœceſanæ inteteſſe. *Concil.* TRIO. SESS. XXIV, *De Reform.* Cap. 2. *fin.*

VI. Excipitur Monaſterinm CLUNIACENSE cum ſuis limitibns. *Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 11.

VII. Excipiuntur etiam ea Monaſteria, ſeu loca, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum, Sedem Ordinatiam Principalem habent. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 11.

VIII. Excipinntur quoque alia Monaſteria, ſeu Domus, in quibus Abbates, aut alii Sæcularium Supetiores, Juriſdictionem Epiſcopalem & Temporalem in Patochos & Parochianos exercent. *Ibid. Concil.* TRIDANT. SESS. XXV. *De Regularib.* Cap. 11. *fin.*

IX. Intelligendæ ſunt ejuſmodi exceptiones, ſalvo entum Epiſcoporum Jure, qui majotem in prædicta loca vel Perſonas Juriſdictionem exercent. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Regularib.* Cap. 11. *fin.* Hinc patet Conc. voluiſſe, qnantùm pro tempore licuit, autoritatem Epiſcoporum in Curas Regulares reſtituere. Exceptiones memoratæ locum non habent in Parochiis Ordini S. JOANNIS Jeroſolimani ſubjectis. Vid. *Notam ſubnexam. n.* 12. *pag.* 837. *&* 8. TOM. III. *Edict. Nova, Actorum Cleri Gallic.* nbi id oſtenditur.

Tàm Regulares quàm Sæculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam Perſonarum Sæcularium Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus, aut qnibuſvis aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus incumbentem, exerceant; ſive aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miuiſtrent, prævia Epiſcopali licentia & approbatione; ſive quomodolibet in dictæ

dictæ curæ exercitio, ant in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla autoritate se ingerant; in his quæ hujusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati; plenè in omnibus subjiciantur. *Bulla* Gregorii XV. *Inscrutabili. ann.* 1623. *die* 5. *Februarii. Collectionis Actorum Ecclesiæ Gallic.* Tom. I. Cap. 13. *Articulo* 13. *p.* 922. *Bullarii* Tom. III. *p.* 403. Nunc quæ spectant Curas Regulares extant Tom. III. *Editionis novæ Tit.* 3. Cap. 5.

SECTIO II.

Monasteria regulariter non debere Monachos Plebium curæ præficere, sed Clericos debere Episcopis præsentare, eosque debere esse perpetuos?

I. In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum nnn regatur. *De Capellis Monachorum.* Cap. *In Ecclesiis. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Cap. 1. Vide *Epistolam* 3. Joannis IV. *ad* Isaac *Syracusanum Episcopum.* Tom. V. Conc. *p.* 1773. docere videtur quod in Ecclesiis Parochialibus ad Monachos pertinentibus illorum est Parochos instituere; sed cùm vox *institutio* varia significet, hinc certi nihil inferre est. Monachi curam populi habere non debent. *Glossa. Conc.* Pictavsnss *ann.* 1078. Cap. 6. Tom. X. Conc. *p.* 368. Presbyter de cura animarum & de Christianitatis Ministerio Episcopo respondeat; loquitur de Ecclesiis ad Monachos pertinentibus. *Conc.* Nemausense. *ann.* 1096. *Can.* 1. *fin.* Tom. X. Conc. *p.* 606. loquens de similibus Ecclesiis hæc haber: *Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant.* Conc. Pictav. *ann.* 1100. *Can.* 11. Tom. X. Conc. *p.* 725. Nullus Monachorum Parochiale Ministerium ... præsumat.

II. Monachi per quascumque Parochiales non ponantur Ecclesias. *De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 2.

III. Statutum est ne in Parochialibus Ecclesiis, quas Monachi tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut hujusmodi Sacerdotes de populi cura Episcopis rationem reddant. Caus. XVI. Quæst. II. Cap. 6. *Sanè init.*

IV. Religiosi in Ecclesiis suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis repræsentent, ut eis de Plebis cura respondeant. *De Privilegiis.* Cap. *Cum & plantare.* §. 3. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 3. Ex *Conc.* Latbran. sub Alexand. III. *ann.* 1179.

V. In Ecclesiis, quæ ad Regulares pleno jure non pertinent, juxtà Lateranansis *Concilii* Statuta, Episcopis instituendos Presbyteros repræsentent, ut illis de Plebis cura respondeant; illos autem repræsentare procurent, quos vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum. *De Præbendis.* Cap. *In* Lateranensi. §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 31.

VI. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de Episcopi consensu, ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 11. *med.*

VII. Religiosi Ecclesias de novo in desertis locis à se constructas cum suis Plebibus per suos Clericos idoneos gubernent, qui ratione Plebium examinandi Episcopis præsententur, ut ab eis curam recipiant animarum, cùm Plebes Episcopis sint subjectæ. *In* 6. *De Verborum Signif.* Cap. *Veniens.* §. 2. *fin.* Lib. V. *Tit.* 12. Cap. 1.

VIII. In Ecclesiis ubi Monachi habitant, Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur, ita ut ex solius Episcopi arbitrio, tàm Ordinatio ejus quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio. *De Capellis Monachorum.* Cap. *In Ecclesiis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 37. Cap. 1.

IX. Regulares institutos ibi Presbyteros removere non audeant inconsultis Episcopis. *De Præbendis.* Cap. *In* Lateranensi. §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 31. & *De Privileg.* Cap. *Cùm & plantare.* §. 3. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 3.

X. Presbyteri, qui ad curam populi per Monachos in eorum Ecclesiis præsentantur Episcopis, & instituuntur ab ipsis, debent esse perpetui. *In* 6. *De Capellis Monachorum.* Cap. unico, *init.* Lib. III. *Tit.* 18. Cap. unico.

XI. Consuetudine vel Statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt Ecclesiis, nisi per Episcopos, & ex causa rationabili, amoveri. *Ibid. in* 6. *De Capellis Monachorum.* Cap. unico. *fin.* Lib. III. *Tit.* 18. Cap. unico.

XII. Ut nulli Monacho Parochia regenda committatur. *Append. Concilii* Rothomag. *ann.* 1074. Cap. 5. Tom. X. Conc. *p.* 312.

XIII. Ne Monachi Ecclesias, nisi per Episcopos accipiant, &c. *Concilium.* London. *ann.* 1102. *Can.* 21. Tom. X. Conc. *p.* 730.

In Parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos constituantur, qui eis respondeant de cura animarum, & de iis quæ ad Episcopum pertinent. *Concilium* Latbran. I. *ann.* 1123. Tom. X. Conc. *p.* 899.

Apud Gallos sunt Congregationes Regulares, quibus licet Curatos sui Ordinis revocare, Episcopo consentiente. Quæ sint habes in *Nova Editione Actorum Cleri Gallic.* Tom. III. *Tit.* 5. Cap. 5.

SECTIO III.

Parochis per Religiosos præsentatis debere provideri de congrua eorum sustentatione, illarum reditus non debere imminui, nec eorum Ecclesias novis pensionibus onerari.

I. De Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum tantùm gravant, ut Hospitalitatem tenere non possint, eam providentiam habeat Episcopus, quod ad præsentationem Monachorum nullum recipiat, nisi tantùm ei de proventibus Ecclesiæ fuerit assignatum, undè Jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem babere. *De Præbendis.* Cap. *De Monachis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 12.

II. Fuit olim per Sedem Apostolicam providè constitutum, ut Diœcesani locorum ad præsentationem Religiosorum oullum ad aliquam Ecclesiam recipiant, nisi tantùm ei de proventibus ipsius Ecclesiæ coram eis fuerit assignatum, undè Jura Episcopalia possint solvere, & congruam sustentationem habere. *In* 6. *De Præbendis.* Cap. *Suscepti.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

III. Quia Religiosi exempti de proventibus Parochialium Ecclesiarum, in quibus Jus obtinebant Patronatùs, seu Rectorum præsentatio pertinebat ad eosdem, tantùm percipiebant annuatim, quòd Rectores Ecclesiarum ipsarum non poterant de residuo commodè sustentari, & Episcopalia Jura persolvere, ac alia incumbentia eis onera supportare: Propter quod sæpè contingebat quod non invenirentur personæ idoneæ, quæ hujusmodi Ecclesias vellint recipere, sicque frequenter minùs idoneis conferrentur, ex quo pericula imminebant animarum; Statutum est, Constitutionem Superiorem quoad omnes Patronos Ecclesiarum.

Religiosos tàm exemptos, quàm non exemptos, inviolabiliter observari, Consuetudine contraria non obstante. *Ibid. in 6. De Præbendis.* Cap. *Suscepti.* §. 2. & 3. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

IV. Si quas portiones, vel antiquos reditus Clericorum, sine consensu Episcopi sui minuere, vel Parochias dividere, Religiosi præsumpserint, ad integritatem pristinam revocari debent. *De Præbendis.* Cap. *Avaritia.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 10.

V. Monachi certas portiones vel reditus, quos percipiunt Clerici in Ecclesiis ipsorum, sine consensu Diœcesani sui diminuere non possunt, vel dividere unam Parochiam in duas. *Glossa.*

VI. Religiosi Clericos Jurisjurandi Religione constringere non debent ad majorem solito pensionem solvendam, vel præstandum aliquid Beneficii præter solitam pensionem, & hoc juramentum de cupiditate procedit, nec valere potest. *De Jurejurando.* Cap. *Tua nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 11.

VII. Rector Ecclesiæ, qui à Monachis ad Regimen ipsius Ecclesiæ fuit electus, cogi potest ad solvendum eis annuum censum, quem Prædecessor ejus solvit; si verò census sit de novo impositus, sive auctoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, Episcopus Diœcesanus ne ipsum censum Monachis Rector solvat prohibere debet; & si præstitit de eo solvendo Sacramentum, Monachos, ut illum à juramento absolvant, appellatione remotâ, compellere debet. *De Censib.* Cap. *Significavit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 39. Cap. 13.

Apud Gallos nullum discrimen inter Curatos Sæculares & Regulares, quoad congruam portionem. Vide *Editionem novam Actor. Cler. Gallic.* TOM. III. *Tit.* 3. *Can.* 5.

SECTIO IV.

Quomodo Episcopi possint Religiosorum excessus in constituendis Parochiis corrigere, & an possint novas Ecclesias acquirere sine assensu Episcopi?

I. Si Monachi & Canonici Regulares, Ecclesias, quæ ad præsentationem eorum pertinent, propriis usibus deputare nituntur; nec volunt ad eas, cùm vacaverint, vocare personas: quin potiùs Vicarios in eis pro sua instituunt & destituunt voluntate; admissos ita pensionibus onerantes, quod nec Ecclesiis competenter possint in paupertate nimia deservire, nec Episcopo in Episcopalibus respondere, neque Hospitalitatem, sicut convenit, transeuntibus impertiri: Nisi à Jurisdictione Episcopi exemptæ sint Ecclesiæ suprà dictæ, prædictos excessus studeat Episcopus rationabiliter emendare. *De Supplenda Negligentia Prælatorum.* Cap. *Sicut.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Nisi prædicti Monachi, seu Canonici Regulares, infra tempus, *hoc est*, infra sex menses. (*De Concessione Præbendæ.* Cap. *Nulla.* LIB. III. DECR. *Tit.* 6. Cap. 2.) in LATERAN. *Concilio* constitutum, ad vacantes Ecclesias, Episcopo personas idoneas præsentaverint; extunc ei liceat, appellatione remota, in eisdem ordinare Rectores, qui eis præesse noverint & prodesse. *Ibid. De Supplenda Negligent. Prælat.* Cap. *Sicut.* §. *Nolentes. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

III. Ex hoc tamen nullum Patronis præjudicium imposterum generetur. *Ibid. fin.*

IV. Ecclesiæ, quas de manu Regis, vel aliorum Laicorum, sive Clericorum, Monasterium, præter Diœcesani Episcopi assensum, recepit, & quas propria autoritate fundavit; si nec Præscriptione, nec defensione aliâ Monasterium se tueatur, in Jus Diœcesanæ Ecclesiæ revocari debent. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim. il* 2°. *in integra.* §. 2. *Præterea.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 14.

V. Ecclesia sine autoritate Episcopi ædificari non debet, etiamsi fit aliquis exemptus; quod si fecerit, Episcopus Ecclesiam ad suum dominium revocabit. *Glossa.* Vid. *Revocari.*

VI. Viri Religiosi, quibus à Sede Apostolica est indultum, ut Ecclesias suas in proprios usus possint convertere, decedentibus personis earum, nisi fortè in indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum, suo Episcopo inconsulto, in possessionem ipsarum eis non est licitum introire, quia per indulgentiam hujusmodi Episcopali Juri non creditur derogari. *De Privilegiis.* Cap. *Pastoralis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 19.

SECTIO ULTIMA

Observationes circa hunc Titulum Quintum, in quibus, quæ desunt supplentur, & comparantur Parochi Regulares cum aliis; usque Gallici paucis explicantur.

Parochi Regulares conveniunt ferè in omnibus, quæ Parochias spectant, cum Parochis Sæcularibus. I. Utrique egent Episcopi approbatione, seu missione autorisabili, qua animarum cura committitur, in Titulum exercenda. II. Eorum Vicarii simili approbatione opus habent. III. Utrique Synodo interesse debent, ibidem de administratione sua rationem reddere. IV. Aliis quoque Conventibus Parochorum, seu Kalendis dictis, seu aliter vocitatis adesse debent, item & Collationibus, menstruis, vel frequentioribus, aut infrequentioribus. V. Visitationi subsunt Episcopali & Archidiaconali, ac Procurationi ob hoc debitæ. VI. In Ecclesiis neutrorum, ullus prædicare potest sine approbatione Ordinarii. VII. Si ratione imperitiæ, vel malæ conversationis indiguerint Coadjutoribus, qui nuncupari solent deservientes, ab Episcopo accipere debent. VIII. Utrique perpetui sunt, ac irrevocabiles Jure Communi. IX. Eadem ætas, idemque Ordo in utrisque requisitus. X. Eædem functiones, eædem obligationes. XI. Idem onus Residentiæ, ac eædem pœnæ in illos, si illud non implent. XII. Ordinationes Regiæ, sicut & Canones, comprehendunt in suis dispositionibus, quoad portionem congruam & domum Curialem, utrumque genus Parochorum. A dictis, quoad Jurisdictionem Episcopalem circa Parochos, excipiuntur Parochi Regulares, de quibus *Conc.* TRID. Cap. 11. SESS. XXV. *De Regularibus.*

Nonnulli sunt etiam Parochi Regulares, qui perpetuitate non gaudent certis in casibus, in quibus permittitur Superioribus Generalibus illos revocare consentiente Ordinario, in commodum Congregationum, vel in salutem revocandorum: Hi casus explicantur in Constitutionibus istarum, & in Literis Patentibus, quibus eximuntur his in casibus ab Ordinationibus Regiis, quæ executioni mandant Canones præcipientes, ut Curati sint perpetui & inamovibiles, in salutem animarum id requirentem. Quæ hanc exceptionem spectant, quantum ad usum Gallicanum, habentur *in Editione Nova Commentariorum Cleri.* TOM. III. *à p.* 790. *ad* 810. Hæc autem sunt inter alia, Literæ Patentes in favorem Canonicorum Regularium Congregationis Franciæ; & Literæ Patentes pro *Præmonstratensibus.* Priorum duplex species, aliæ præcesserunt *Declarationem* 29. *Januar. ann.* 1686. Aliæ subsecutæ sunt. Utræque & posteriores Ordinem *Præmonstratensium* spectantes, conveniunt in hoc quod non derogant Declarationi prædictæ, nisi quoad has causas, nempè ob culpam Parochorum, necnon propter bonum & commodum Congregationum: Præterea vetant earum membris ne curam ullam reci-

cipiant fine eonfenfu Generalis fcriptis conceffo, & debita vitæ & morum arteftatione.

Ab eo quod dictum eft Parochias Regulares Vifitationi Epifcopi fubditas, Procurationi etiam fubjici; excipiendæ funt Parochiæ Ordinis Melit. ab illa exemptæ à Pio V. & ab Henrico IV. *Ordinatione ann.1606. Art.* refertur in *Commentariis Cleri Gallicani, ultimæ Editionis* Tom. III. *p. à* 830. *ad p.*839. ubi eriam refertur *Bulla* citata, cum *Bullâ* Gragor. XIII. illam innovante & confirmante, quibus itidem declaratur illas Parochias eomprehendi Decretis Trid. reftituentibus autoritatem Epifcopalem circa Parochos. In Notis eidem Editioni adjunctis monetur Lector Parochos Melit. obligatos ad Synodum adeundam, à Juribus Epifcopalibus temporalibus, quæ ibidem ouibufdam in locis folvuntur, immunes effe.

In *Dictionario novo Cafuum Confcientiæ Decıforum* à DD. Lamea & Fromageau agitatur Quæftio, an Parochi Regulares morantes extra Clauftrum fubfint Prælatis Regularibus & deciditur illis fubeffe in iis, quæ fpectant vitam Regularem, idque probatur validiffimis momentis; præcipua funt: I. Quòd illi Parochi non defınant effe Religiofi, ex quo Parochi fiunt, in quo differunt à Regularibus ad Epifcopatum promotis, qui ob emiuentiam dignitatis indecenter fubjecti remanerent Prælatis Regularibus fibi multò inferiobus: II. Quòd Refcripta Pontificum, Statuta Epifcopalia, & Ordinationes Regiæ, fupponant hujufmodi fubjectionem, cùm permittant ut à Prælatis revocentur, cum confenfu Epifcopi Diœcefani, cùm præcipiant Prælatis, ut invigilent circa illorum mores; cùm injungant illis Parochis, ut refpondeant Prælatis fuis, nedum quoad temporalia, fed etiam quoad obfervantiam Regularem: III. Quòd gaudeant voce activa & paffiva in Capitulis, & qui fentiunt commodum fentire debeant incommodum: Adde IV. Quòd finguli Textus, qui dicunt, quod Curati Regulares fubfint Epifcopo quoad ea, quæ fpectant animarum curam, fupponunt illos fubjici Prælatis Regularibus quoad alia; alioquin dixiffent fimpliciter & abfolutè illos Epifcopo fubeffe. Vide potiffimum *C.* Sess. XXV. *De Regular.* V. Si Beneficium Curatum emanciparet Regulares à Jurifdictione Regulari, fruftra idem *Conc.* Trid. Cap. 10. Sess. XIV. obligaffet Clericos Sæculares ad Curas Regulares electos, ut Profeffionem Regularem emitterent. VI. Id genus Curatorum potioris conditionis non funt quàm Canonici exempti itidem Curati, qui licèt fubfint Epifcopo, quoad curam animarum, cæteris fubjiciuntur obligationibus Canonieorum, ficuti gaudent iftorum Privilegiis. *Cap.16. De Privileg.* Adi *cit. Dictionar.* Tom. II. *p.* 668. *ad* 720. Quoad ea quæ facti funt, quæque omiffa funt, ut quæ ad jus & ad propofitum Operis fpectant, colligentur.

Caput VI.

De iis quæ pertinent fpeciatim, tàm ad Profeffionem, quàm ad Difciplinam Monialium.

Sectio I.

Quæ Decreta fint circa Profeffionem Monialium, & potiffimùm ne coacta, vel invıta illam emittant?

I. Fœminis Diaconalis Benedictio interdicta, in *Conc.* Aurelian. II. *ann.* 533. *Can.* 18. Tom. IV. Conc. *p.* 1782. Idem vetuerat *Conc.* Araus. *Can.* 26. *ann.* 441. *Conc.* Epaon. *ann.* 517. *Can.* 21. idem fecerat: Profeffio autem Fœminis nunquam inhibita: cujus differentiæ ratio eft, quod Prior fit Ordinatio quædam, Pofterior fit votorum emiffio.

II. Puella, quæ habitum Regularem fufcipere voluerit, major duodecim annis fit. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 17. *init.* Vide *Conc.* Quinis. *ann.* 692. *Can.* 45. Tom. VI. Conc. *p.* 1164. damnat abufum fuperbè & mundanè veftiendi illam, quæ Religionem profeffura eft, vetat ne ipfa fleat ulla de caufa, ne lacrimæ malè interpretentur.

III. Libertati Profeffionis Virginum Deo dicandatum profpiciens Ecclefia, ftatuit atque decernit, ut Puella non ante profeffionem emittat, quàm exploraverit Epifcopus, vel eo abfente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum fumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an feducta fit, an fciat quid agat. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regular.* Cap. 17.

IV. Si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requifitas juxtà Monafterii illius & Ordinis Regulam, necnon Monafterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 17.

V. Ejus profeffionis tempus ne Epifcopus ignoret, teneatur Præfecta Monafterii, eum ante menfem certiorem facere. *Ibid.*

VI. Quod fi Præfecta certiorem Epifcopum non fecerit, quamdiu Epifcopo videbitur, ab Officio fufpenfa fit. *Ibid. fin.*

VII. Anathemati Ecclefia fubjicit omnes & fingulas perfonas cujufcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laïcos, Sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, fi quomodocumque coëgerint aliquam Virginem vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, prætérquam in cafibus à Jure expreffis, ad ingrediendum Monafterium, vel ad fufcipiendum habitum cujufcumque Religionis, vel ad emittendam Profeffionem, quique confilium, auxilium, vel favorem dederint: Quique fcientes etiam non fpontè ingredi Monafterium, aut habitum fufcipere, aut Profeffionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præfentiam, vel confenfum, vel autoritatem interpofuerint. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 18.

VIII. Simili quoque anathemati Ecclefia fubjicit eos, qui fanctam Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo fine jufta caufa impedierint. *Ibid.*

IX. Ea omnia & fingula, quæ ante Profeffionem, vel in ipfa Profeffione fieri oportet, ferventur, non folùm in Monafteriis fubjectis Epifcopo, fed & in aliis quibufcumque. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 18. *fin.* Hinc fequitur nullam, quoad ea, quæ Profeffionem fpectant, exiftere exemptionem.

X. Devotis Deo Virginibus gravi languore correptis Sacrum velamen, ne fine hoc munere de fæculo exeant, implorantibus non negetur. Caus. XX. Quæst. I. Cap. 11. *De Votis.*

Sectio II.

Quàm immane crimen committatur à Monialibus, quæ poft emiffam Profeffionem Sacrum propofitum abjiciunt?

I. Moniales Christo fuam integritatem voluntate fpontanea devoverunt. *In 6. De Statu Regularium.* Cap. *Periculofo. poft init.* Lib. III. *Tit.* 6. Cap. unic.

II. Ambigi non poteft crimen magnum admitti, ubi & propofitum deferitur, & confecratio violatur; nam fi humana pacta non poffunt impunè calcari, quid eos manebit, qui corruperint Fœdera Divini Sacramenti? Caus. XX. Quæst. I. Cap. 8. *Puella. fin.*

III. Sciendum eft omnibus, quod Deo Sacratarum Fœminarum Corpora, per Votum propriæ fponfionis, & verba Sacerdotis, Deo confecrata effe Templa Scriptu-

Scripturarum Testimoniis comprobantur; & ideò violatores earum Sacrilegi, & juxtà Apostolum *filii perditionis esse noscuntur*. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 27. *Sciendum est*.

IV. Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia, & præceptione custodiendum est, ut si quæ se devoverint Domino, & veste Laicali abjecta, sub Testimonio Episcopi & Ecclesiæ in Religioso habitu apparuerint, postea verò ad Nuptias Sæculares transierint, secundùm Apostolum *damnationem habebunt*, quia fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 2. *Sicut. init.*

V. Si adulteræ conjuges reatu sunt viris suis obnoxiæ, quantò magis, quæ Religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo spontè, non coactæ obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, & ad Nuptias transitum fecerint. *Ibid. med.*

VI. Quæ habitum Religionis assumpserunt, & demùm apostaverunt, ab omnibus fidelibus à liminibus Ecclesiæ, & à Cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter juxtà Apostolum PAULUM *tradentes hujusmodi hominem Satanæ, ut Spiritus ejus salvus sit in die Domini*. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 2. *Viduas*. §. 1. *med.*

VII. Si Apostolus illas, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quantò magis Virgines, quæ pactionis suæ fidem minimè servaverunt. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 9. *Hæc verò. fin.* INNOC. I. *in Epist. 2. ad* VICTRICIUM. Cap. 13. *ann.* 404. Hujus disparitatis causa est, quod eò major est Virginum, quàm Viduarum obligatio, quò Virginitas nobilior quàm continentia vidualis.

VIII. Quæ capiti Sacrum velamen imposuit, si professa est, se in eodem habitu permanere, spondens numquam Religionis velamen deponere, à Religionis observantia discedere non præsumat. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 34. Vide *Conc.* VORMAT. *ann.* 868. *Canon.* 21. TOM. VIII. CONCIL. *pag.* 949. ubi amplior quoad verba, non quoad sensum. Ex *Concil.* CARTH. IV. Cap. ultim. *ann.* 398. CONC. TOM. II. *p.* 1008. Cap. 41. CAUS. XXVII. QUÆST. I. ubi S. AUGUST. explicat, quomodo intelligenda comparatio violatæ Professionis Religiosæ cum adulterio. Vide *Canones Synodi* ROMANOR. *ad* GALLOS, *Can.* 1. TOM. II. CONC. *p.* 1317. Huc recurrit præcedens Nora, quia ibid. eadem comparatio.

IX. In utroque sexu desertores professæ castitatis prævaricatores habendi, & his omnibus per pœnitentiam legitimam consulendum. *Conc.* ARAUSIC. I. *ann.* 441. *Can.* 28. TOM. III. CONC. *pag.* 1451. *Ex Epistol.* GREGOR. *ad* BONIF. *circ. ann.* 739. Plures sunt ejusmodi Epistolæ. Non patet ex qua desumptus *Can. n.* 6. relatus. *Concil.* LATERAN. II. *Gener. ann.* 1139. *Can.* 7. 8. TOM. X. CONC. *p.* 1004. Hi Canones renovant anteriores ejusdem sæculi Canones, quibus Professio Religiosa impedimentum ditimens Matrimonii facta est.

X. Si vidua gravissimo judicio subjecta est, ut quæ fidem in CHRISTUM irritam fecerit, quid de Virgine putandum est, quæ est Sponsa CHRISTI & Sacrum vas Domino dedicatum? Virgo adulteræ judicio subjicitur. S. BASIL. *Epistol.* 2. *Canon.* 18. *med.* TOM. II. CONC. *App. p.* 1734.

XI. Quæ post conscriptam roboratamque Professionem fuerint repertæ animum aut vestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiam ferant; & rursus mutato habitu in Monasteriis, donec diem ultimum claudant, sub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ. CAUS. XXVII. QUÆST. I, Cap. 36. *Omnes.*

Concil. TURON. II. *ann.* 567. *Can.* 20. TOM. V. CONC. *p.* 858. de Sacerdotum Cœlibatu fusè agit, simul ac Monachorum Monialiumque. *Conc.* MATISC. I. *ann.* 581. *Can.* 12. TOM. V. CONC. *p.* 969. & *Can.* 19. Pœnitentiæ subdens violatores Professionis Religiosæ, ejus durationem & modum prudentiæ Episcopi remittit. *Conc.* LUGDUN. III. *ann.* 583. *Can.* 3. TOM. V. CONC. *p.* 974. arcet à Communione Puellas legitimè professas, quæ Professionem spontè violant, concedit tamen Viaticum Pœnitentibus. *Epistol.* 7. ZACHAR. Cap. 5. 20. 26. 27. TOM. VI. CONC. *p.* 1509. &c. Veteribus Canonibus innovatis, iisque relatis, vel quoad verba, vel quoad sensum, nihil addere videtur. *Concil.* DUZIAC. II. *ann.* 874. Cap. 6. TOM. IX. CONC. *p.* 169. De Professione emissa exactè servanda antiquiores refert Canones, illorum Autores commemorans. *Concil.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 24. TOM. IX. CONC. *p.* 453. innovat Canones Africanos, eos sigillatim laudans, illorum Doctrinam de voto castitatis adimplendo priùs secutum.

SECTIO III.

Quæ ad Disciplinam Regularem Monialium pertineant, ac præcipuè circa earum Confessionem.

I. Non ampliùs suscipiantur in Monasterio Puellarum, quàm quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possint. *De Institutionib.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 1. GONZAL. legit *degere* pro *regere*.

II. Districtiùs inhibitum est, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur in Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus, absque penuria sustentari. *In* 6. *De Statu Regularium.* Cap. *Periculoso.* §. 1. *Sanè.* LIB. III *Tit* 16. Cap. unic.

III. Quod Sanctissimum CHRISTI Corpus intra Chorum, vel septa Monasterii, & non in publica Ecclesia conservetur, prohibitum est, non obstante quocumque Indulto aut Privilegio. *Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 10. *fin.*

IV. Attendant diligenter Episcopi & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitionibus eorum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 10. *init.*

V. Præter Ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audiat. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXV, *De Regularibus.* Cap. 10. *med.*

VI. Qui Religiosis Fœminis præponendus est, ab Episcopo loci comprobetur. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 11. *Qui Religiosis.*

VII. Tunc salubria CHRISTO dicatis Virginibus præbentur, quando eis Patres Spirituales eliguntur, quorum non solùm gubernaculis tueri, sed etiam Doctrinis ædificari possint. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Cap. 24. *In Decima. post init.*

VIII. Confessores, sive Regulares, sive Sæculares, quomodocumque exempti, tàm Ordinarii, quàm Extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. *Bulla* GREGOR. XV. *Inscrutabili. ann.* 1623. 5. *Februar.* TOM. I. *Collectionis Actorum Ecclesiæ Gallicanæ.* Cap. 13. *Articulo* 13. *pag.* 922. *in nova Editione extat* TOM. V. *p.* 33. Cap. 5. *Bullarii* TOM. III. *p.* 405.

IX.

IX. Liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut hujusmodi Confessores amoveant, iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores amovendi, quoties & quomodo opus esse judicaverit. *Ibid.*

X. Is qui ab Abbate præponitur Judicio sui Episcopi comproberur. *Conc.* Hispal. II. *ann.* 619. *Can.* 11. Tom. V. Conc. *p.* 1667.

Pro approbatione Confessorum Monialium. Vide *Decisiones à* Greg. XIII. *approbatas. Bullarii* Tom. III. p. 404.

Occasiones amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas Diaboli sub prætextu charitatis & dilectionis incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur, nullaque Sanctimoniæ & Virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ in una domo cum extraneis penitùs commorari debet. *Conc.* Carth. I. *ann.* 348. *Can.* 3. *med.* Tom. II. Conc. *p.* 715. *Conc.* Rhen. II. *ann.* 813. *Can.* 33. Tom. VII. Conc. *p.* 1257. Vitæ necessaria illis procuranda ac castitatis securitas. *Conc.* Aquisgran. *ann.* 816. Lib. II. Cap. 27. Tom. VII. Conc. *p.* 1436. requirit in Presbyteris præponendis ad Sacra ministranda, ut non se amare, sed Christum cupiant, & non sua, sed quæ illius sunt quærant, utque non cum Sanctimonialibus sine necessitate & Testibus colloquantur.

XI. Fœminæ, quæ sacro velamine sunt consecratæ, si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ & remissionis gratiam valeant pervenire. *Concil.* Vormat. *ann.* 868. *Can.* 20. Tom. VIII. Conc. *p.* 949. Verosimile videtur quod vela monastica ut & vestis deponebatur, nam si velum depositum dumtaxat esset humilitatis gratia, hoc culpâ vacasset.

XII. Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifesta & rationabili causâ frequenter præsumpserit, per Episcopum (subintelligendum à Communione vel Ministerio,) arceatur. *De Vitâ & Honest. Cler.* Cap. *Monasteria*, *Tit.* 1. Cap. 8. Lib. III. Decr.

SECTIO IV.

Moniales omnes debere perpetuam servare clausuram, & Episcopos jus habere visitandi ac statuendi quoad illam in quibuscumque Monasteriis; quibus remediis ad id uti possint?

I. Constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, sancitum est, universas & singulas Moniales præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet Mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere permanere clausurâ. *In 6. De Statu Regul.* Cap. *Periculoso. post init.* Lib. III. *Tit.* 16. Capite unico.

II. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis universis districtè, sub obtestatione Divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ, mandatum est, quatenus eorum quilibet in Civitate ac Diœcesi propria in Monasteriis Monialium sibi Ordinario Jure subjectis, sua, in iis verò quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ autoritate: Abbates verò, & alii tàm exempti quàm non exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, & & Ordinum quorumcumque, in Monasteriis hujusmodi sibi subjectis, de clausurâ convenienti providere procurent; contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. *Ibid. in 6. De Statu Regul.* Cap. *Periculoso.* §. *ult.* Lib. III. *Tit.* 16. Cap. unico.

III. Bonifacii VIII. Constitutionem, quæ incipit, *Periculoso*, renovans Sancta *Synodus* Tridentina universis Episcopis sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictonis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ, in aliis verò Sedis Apostolicæ autoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari, maximè procuret: Inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 5. *init.*

IV. Perpetuò valitura Constiturione, inhærendo etiam Constitutioni felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit, *Periculoso*, & Decretis *Conc.* Tridentini, super clausurâ Monialium editis, autoritate Apostolicâ decretum est, universas & singulas Moniales præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis, quæ vel jam receptæ sint, vel in posterum, in quibusvis Monasteriis, sive Domibus recipientur, & expressè Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu Domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu Domibus, debere de cætero permanere clausura, juxtà formam dictæ Coustirutionis *Fel. recor.* Bonifacii *Papa* VIII. quæ incipit, *Periculoso*, in sacro Concilio Tridentino approbatam & innovatam. *Bulla* Pii. V. *Circa Pastoralis. ann.* 1566 *die* 18. *Maii.* §. 1. *Collectionis Actorum Ecclesia Gallicana.* Tom. I. Cap. 13. *Articulo* 4. *p.* 914. nunc Tom. IV. *Tit.* 5. Cap. 2. *Editionis nova.*

V. Quod si quæ Moniales forsan reperiantur, quæ Consuetudine etiam immemorabili, Instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant; Ordinarii unà cum Superioribus earum omnibus Juris & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles, ad præcisè subeundum dictam clausuram & perpetuò observandam. *Ibid. Bullâ* Pii V. *Circa Pastoralis* §. 5.

VI. Cùm licentiæ Monasteria Monialium ingrediendi à Romanis Pontificibus conceduntur, & mulieres non nisi de expresso earumdem Monialium & illarum Superiorum consensu ingredi possint & debeant; decretum atque declaratum consensum dictarum Monialium per easdem Moniales capitulariter & per secreta suffragia præstandum esse & præstari debere; aliàs licentiæ hujusmodi mulieribus, quibus concessæ fuerunt, nullatenus suffragentur. *Bulla Urbani* VIII. *Sacrosanctum.* 27. *Oct.* 1624. *Bullarii*, Tom. IV. *p* 75.

VII. Mandatum est in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione Divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Monasteriis Monialium, sibi ordinario Jure subjectis; in iis verò quæ ad Romanam mediatè vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ autoritate, unà cum Superioribus eorumdem Monasteriorum, clausuram quamprimum poterunt servari procurent, contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. *Eâdem Bullâ* Pii. V. *Circa Pastoralis.* §. 8.

VIII. Ut hoc tàm salutare Decretum faciliùs observetur, omnes Principes Sæculares & alios Dominos, & Magistratus Temporales requirit & obsecrat Ecclesia per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi, quod in præmissis omnibus eisdem Patri-

Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & aliis Monialium Superioribus, aſſiſtant, ac ſuum favorem & auxilium praſtent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant. *Ibid.* *§.* 8.

IX. Per boc autem in Monaſteriis exemptis Ordinarii locorum quoad alia nullam ſibi credant Juriſdictionem vel poteſtatem aliquatenus attributam. *In 6. De Statu Regul.* Cap. *Periculoſo.* §. *ult. fin.* LIB. III. *Tit.* 16. Cap. unic. *&* *Bulla* PII V. *Circa Paſtoralis.* *§.* 10.

X. Epiſcopus debet providere de iis, quæ faciunt ad clauſuram Monialium & aliis earum neceſſitatibus, undè & Monaſteria Regularibus ſubjecta poteſt viſitare in his omnibus, quæ ad clauſuram pertinent. *Congregatio Concilii ad hoc* Cap. *Concil.* TRID. Epiſcopus poteſt Moniales Regularibus ſubjectas in his, quæ clauſuram concernunt, toties viſitare, quoties verè cognoverit expedire. *Congreg. Concil. Ibid.*

XI. Epiſcopus non poteſt impediri à Regularibus, quominus ingrediatur ſepta Monaſterii ipſis Regularibus ſubjecti, ad effectum videndi ſi clauſura ſervata fuerit, necne. *Congregatio Concilii ad Cap.* 10. *p.* 375.

XII. Epiſcopus Diœceſis in Monaſteriis alteri Epiſcopo ſubjectis ex *Concilio* TRID. Jus viſitandi quoad clauſuram, & eamdem poteſtatem quoad alia quam habet in Monaſteriis Regularibus ſibi ſubjectis. *Congregatio Concilii ad* Cap. 8. *p.* 166. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 19. 30. 31. TOM. VII. *Conc. p.* 1265. Primus vetat ingreſſum in Monaſterium ſine juſta cauſa. Tertius vetat egreſſum Monialium extra neceſſitatem. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 57. 62. TOM. VII. CONC. *p.* 1284. duo requirit ad egreſſum Monialium: Juſtam cauſam, & licentiam Epiſcopi. *Conc.* AQUISGR. *ann.* 816. LIB. II. Cap. 11. TOM. VII. CONC. *p.* 1429. Nec viri quidquam, quod non decet in earum Clauſtris agendi, nec Sanctimoniales vagandi foràs, babeant facultatem.

SECTIO V.

Nemini licere ingredi intra ſepta ſeu clauſuram Monialium, niſi ex cauſa rationabili, ac de Superiorum licentia; & quibus illi hanc licentiam dare poſſint; & quam pœnam incurrant qui aliter ingrediuntur?

I. Nulli aliquatenus inhoneſtæ Perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus vel acceſſus pateat ad Moniales; ut ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omninò ſervire Deo valeant liberiùs, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentiùs cuſtodire. *In 6. De Statu Regular.* Cap. *Periculoſo.* LIB. III. *Tit.* 16. Cap. unic. *in init. ſub fin.*

II. Ingredi intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis aut conditionis, ſexûs, vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. *Conc.* TRID. Sess. XXV. *De Reg.* Cap. 5.

III. Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis; neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis vel Indulti hactenùs conceſſi, vel in poſterum concedendi. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Regularib.* Cap. 5.

IV. Dare licentiam tantùm debet Superior, Patri Confeſſori pro conſolandis ægrotis, Sacramentis adminiſtrandis, Medicis, Chirurgis, & aliis Operariis neceſſariis. *Conventus* MELODUN. *Tit.* 23. *fin.*

V. *Concilium* TRID. non prohibet quin Puellæ in Monaſteriis Monialium educationis gratia recipi poſſint; niſi fortè ratio aliqua vel Statutum Religionis alicujus Monaſterii aliter prohiberet. *Congregatio Concilii ad* Cap. 10. *p.* 170.

VI. Nomine Monaſterii volumus Clauſtrum, Domos, & Officinas interiores intelligi, pro eo quod ad alia loca homines Sæculares conveniunt. *In 6. De Verb. Signif.* Cap. *Exiit.* *§. Denique. med.* LIB. V. *Tit.* 12. Cap. 3.

VII. Monaſteria Puellarum, nonniſi probatæ vitæ & ætatis provectæ, ad quaſcumque earum neceſſitates vel miniſtrationes permittantur inire. *Conc.* EPAONENSE *ann.* 517. *Can.* 38. TOM. IV. CONC. *p.* 1581. *Conc.* MATISCONENSE I. *ann.* 581. *Can.* 2. TOM. V. CONC. *p.* 967. vetat nedum ingreſſum, ſed & collocutionem ſine juſta cauſa; ea quæ poſita intra ſalutatorium collocutio facienda.

VIII. Quæ ſpectant ad Officium Canonicum apud Moniales faciendum, à Canonibus ſequentibus præſcribuntur. Completorium pariter celebrent. *Conc.* FOROJUL. *an.* 791. Cap. 12. TOM. VII. CONC. *p.* 1007. vetat, ne ullus ad boc introeat ſine Epiſcopi licentia, nec iſta ſine teſtibus. *Conc.* CABILLON. *ann.* 813. *Can.* 63. TOM. VII. CONC. *p.* 1285. Nec Clericus Clauſtra ancillarum Dei ingrediatur, niſi quando neceſſitas operandi incumbit. *Conc.* AQUISGRAN. *ann.* 816. LIB. II. Cap. 15. TOM. VII. CONC. *p.* 1431. Oportet, ut remoto totius excuſationis obſtaculo, expeditè & honeſtè Sanctimoniales Dei exequantur Miniſterium. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 857. Cap. 16. TOM. VIII. CONC. *p.* 47. Horas Canonicas Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpertinam,

SECTIO VI.

An & quando liceat Monialibus egredi extra ſepta Monaſterii, & quas pœnas incurrant quæ legitimè non egrediuntur?

I. Nulli Religionem profeſſæ, ſit vel eſſe valeat quacumque ratione vel cauſa, (niſi fortè tanto & tali morbo evidenter aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo ſeu ſcandalo commorari) Monaſteria ipſa egrediendi facultas. *In 6. De Statu Regul.* Cap. *Periculoſo. poſt init.* LIB. III. *Tit.* 16. Cap. unico.

II. Nemini Sanctimonialium liceat poſt Profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu; niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda; Indultis quibuſcumque & Privilegiis non obſtantibus. *Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap. 4. *med.*

III. Inhærendo Decreto Sacri *Conc.* TRIDENTINI de Clauſura Monialium diſponenti, ſancitum eſt nulli Abbatiſſarum, Prioriſſarum, aliarumve Monialium, etiam CARTHUSIENSIUM, CISTERCIENSIUM, S. BENEDICTI, & Mendicantium; & quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac ſtatuum, graduum, & conditionum, dignitatum ac præeminentiarum exiſtentium, etiam à Regia vel illuſtri proſapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis ſeu aliorum Monaſteriorum etiam eis ſubjectorum, aut domorum, Parentum, aliorumve conſanguineorum viſitandorum, aliave occaſione & prætextu, niſi ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci Ordinarium (etiamſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum & Ordinariorum Juriſdictione exempta eſſe reperiantur) cognita & expreſſè in ſcriptis approbata ſit, à Monaſteriis præfatis exire; ſed nec in prædictis caſibus extra illa, niſi ad neceſſarium tempus, ſtare licere. *Bulla* PII V. *Decori & Honeſtati. ann.* 1570. 1. *Februarii.* *§.* 2.

IV. Ali-

IV. Aliter quàm ut præfertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personæ sive Laicæ, aut Sæculares, vel Ecclesiasticæ; consanguineæ vel non; excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso absque aliqua declaratione subjaceant, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. *Eadem Bulla* Pii V. *Decori & Honestati.* §. 2. *fin.*

V. Ne Moniales causam, seu occasionem habeant evagandi, Abbatissæ, & Priorissæ, ac Moniales quæcumque Monasteriorum suorum curam, administrationem, negotiave gerentes, quibuscumque nominibus censeantur, per Procuratores in Tribunalibus, seu Curiis litigare permittantur. *In 6. De Statu Regularium.* Cap. *Periculoso.* §. 3. Lib. III. *Tit.* 16. Cap. unico.

VI. Quandò Abbatissa vel Priorissa cujusvis Monasterii pro feudo, quod Monasterium ipsum tenet ab aliquo Principe, seu Domino temporali, sibi debebit homagium, vel fidelitatis Sacramentum præstare (nisi quod per Procuratorem illud præstet, possit efficere apud eum) de Monasterio cum honesta & decenti societate exire poterit eo casu licenter; homagio facto, quamprimùm commodè poterit, seu fidelitatis præstito Sacramento, ad ipsum Monasterium è vestigio reversura; sic quod in fraudem Residentiæ, sive moræ claustralis, nihil fiat omninò. *Ibid. in 6. De Statu Regular.* Cap. *Periculoso.* §. 2.

VII. Virgines Sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint, concedatur. Si verò fuga disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur. Caus. XX. Quæst. IV. Cap. 5, *Virgines.*

SECTIO VII.

Quomodò & à quibus visitari debeant Moniales?

I. Providendum est præcipuè ne per contemptum disciplinæ in his, quæ se Christo Voto celebri desponderunt, quicquam reperiatur incongruum quod in Regularis ponat honestatis gloria maculam, & Divinam meritò possit offendere Majestatem. Clementina *Attendentes. De Statu Monachorum. init.* Clement. Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Monasteria Sanctimonialium, quæ à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel aliis Regularibus teguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 9. *fin.*

III. Statutum est ut singula Monialium Monasteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi Apostolicæ quòd nulli alii subjecta noscuntur, Apostolica; non exempta verò, ordinaria autoritate, annis singulis debeant visitari. Clem. *Attendentes. De Statu Monach.* §. 1. Clem. Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 2.

IV. Exempta alia per alios, quibus subsunt, annis singulis debeant visitari. *Ibid.*

V. Monasteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis Delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscumque. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 9. *init.*

VI. Visitatores solicitudinis studium diligenter impendant, ut inducant Moniales ad impendendum in Monasteriis suis & devotum & debitum virtutum Domino famulatum. Clementina *Attendentes. De Statu Monachorum.* §. 2. Clementinar. Lib. III. *Tit.* 10. Cap. 2.

VII. Ad observanda omnia Moniales eædem (non obstantibus Exemptionibus & Privilegiis quibuscumque, quibus tamen quoad alia præjudicium non generetur) per illos, de quibus dictum est, compellantur remediis opportunis. *Ibid. fin.*

VIII. Si qui Visitatores ipsos in præmissis impedire præsumpserint, seu aliquo præmissorum, (nisi moniti resipiscant) ipso facto Excommunicationis sententiam se noverint incursuros, Privilegiis, Statutis, & Consuetudinibus quibuslibet in contrarium minimè valituris. *Ibid.* Clem. *Attendentes. De Statu Monachorum.* §. *ult.* Lib. III. Clem. *Tit.* 10. Cap. 2.

SECTIO VIII.

Quomodo Præposita, seu Abbatissa, aut Priorissa, & quales eligi debeant in Monasteriis in quibus viget Jus electionis? In quo conveniunt vel differunt Canonicæ Sæculares cum Monialibus Religiosis.

I. In Electione Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, in primis præcipitur supradictas eligi debere per Vota secreta, ita ut singularum eligentium nomina numquam publicentur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 6.

II. Ut faciliùs in hujusmodi Monalium electionibus ad concordiam veniatur; non zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, sed solùm numeri ad numerum fiat Collatio in eisdem. *In 6. De Electione.* Cap. *Indemnitatib.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 43.

III. Si qua à minori parte Conventûs numero nominata fuerit vel electa, ex nominatione, vel Electione hujusmodi (quæ eo ipso, quod Pars minor eas fecerit, vires aliquas non obtinet) ipsi Jus aliquod quomodolibet non quæratur. *In 6. De Elect.* Cap. *Indemnitatib.* §. 4. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 43.

IV. Is, qui Electioni præest, Episcopus, sive alius Superior, Claustra Monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam Vota singularum audiat vel accipiat. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 7. *fin.*

V. In reliquis serventur singulorum Ordinum vel Monasteriorum Constitutiones. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 7. *fin.*

VI. Juvenculas fieri Abbatissas vehementissimè prohibetur. Caus. XX. Quæst. I. Cap. 12. *Juvenculas. init.*

VII. In Abbatissam, aut Priorissam (ubi per Priorissam gubernatur) nulla eligatur, nisi trigesimum annum compleverit, & expressè professa fuerit Ordinem Regularem. *In* Sexto. *De Elect.* Cap. *Indemnitatibus. init* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 43.

VIII. Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam Professionem laudabiliter vixerit. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Regularib.* Cap. 7. *init.*

Quod si his qualitatibus ornata non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. *Ibid.*

IX. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui Electioni præest, videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post Professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur. *Conc.* Trid. *Ibid.* Sess. XXV. *De Regul.* Cap. 7.

X. Si Sorores in Episcopum Electionem contulerint, promittentes quòd illam, quam eis providerit, recipiant; ipsa quam providerit, debet ab eis (si tamen existat idonea) in suam recipi Abbatissam. *De Elect.* Cap. *Causam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 8.

XI. *Concil.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 52. TOM. VII. CONC. *p.* 1284. Abbatissæ creari debent, quæ se & subditum gregem, cum magna Religione & sanctitate, custodire norint, & his, quibus præsunt, prodesse non desinant.

XII. Prædicta ... sed etiam in illis, ubi sunt juxtà quarumdam Provinciarum Consuetudinem, mulieres, quæ nec propriis renunciant, nec Professionem emittunt Regularem, sed vivunt ut in Sæcularibus Ecclesiis Canonici Sæculares, per omnia volumus observari, eo excepto quod dicitur, quod non professæ nec eligant nec eligantur. *Cap.* 43. De *Elect. in* 6. *suprà laudato. §. penult.*

Ratio extensionis est, quia in aliis quæ vitæ Regulari peculiaria non sunt, ut Religiosæ vivunt, nec sine periclo diutiùs sine Abbatissa esse queunt, hoc autem periculum movit impulitque ad concessionem Privilegiorum, quæ circa Electiones Abbatissarum versantur, & citato Textu continentur.

SECTIO IX.

Quomodò confirmari debeant Monialium Præposita, seu Abbatissa, & qualis sit illarum potestas?

I. Per Superiorem (priùs tamen ex Officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa) si aliàs inventa fuerit Canonica, confirmetur. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Indemnitatibus. §.* 1. *init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 43.

II. Confirmatæ electæ, si Abbatissa extiterit, benedictio impendatur. *Ibid.*

III. Statutum est, ut quævis ad Regimen Abbatiarum assumptæ, in Monasteriis, in quibus Abbatissæ sunt solitæ benedici, intra annum, à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipiant; alioquin à jure suo (nisi subsit causa rationabilis) prorsus se noverint cecidisse. CLEMENTINA *Attendentes. De Statu Monachorum. §.* 3. LIB. III. CLEMENTINARUM. *Tit.* 10. Cap. 2.

IV. Abbatissa aliquando Presbyterorum & Clericorum Caput est & Patrona. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Dilecta.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 14. Huc facit *Cap.* 12. *De Majorit. & Obed.*

V. Moniales Canonicæ hîc appellantur, sed æque intelligendum de Monialibus: & Clerici Abbatissæ Jurisdictioni subjecti tenentur eidem Abbatissæ obedientiam & reverentiam debitam impendere, & ejus salubria monita & Mandata observare. *De Majoritate & Obedientiâ.* Cap. *Dilecta.* §. *Quocircà.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12.

VI. Abbatissa Moniales & Clericos suæ Jurisdictioni subjectos excommunicare non potest. *Ibid.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12. Absonum est pariter & absurdum quod Abbatissæ Moniales proprias benedicant, ipsarum quoque Confessiones in criminibus audiant, & legentes Evangelium præsumant publicè prædicare. *De Pœnitentiis.* Cap. *Nova.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

VII. Quod ibi dicitur Abbatissa suspendisse ab Officio & Beneficio, non intelligitur de suspensione propriè dicta, aut certè id non approbatur à Pontifice, qui remittit ad Delegatum, ut censura Ecclesiastica subditos ad obediendum compellat. Hæc observatio certa non est, cùm per illa verba, *per censuras Ecclesiasticas*, intelligi possit excommunicatio quam Abbatissa ferre non valebat. *Vide* quæ diximus hac de re in Tractatu *De Censuris* Gallicè scripto.

VIII. Ne id fiat firmiter inhibetur, quia Beatissima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni Cœlorum commisit. *Ibid. De Pœnit.* Cap. *Nova. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

IX. Abbatissa habet Administrationem Spiritualium & Temporalium. *De Confirm. Utili.* Cap *Cùm dilecta.* LIB. II. DECR. *Tit.* 30. Cap. 4. *Glossa* colligit *ad* Cap. *Dilecta. De Majorit. & Obed.* Verbo *Jurisdictionem.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12.

X. Concessio decimæ ab Abbatissa facta, si Conventu sciente & non contradicente facta est, robur firmum debet habere. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Cap. *Continebatur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2. *init.*

XI. Abbatissa præsentare potest Clericum Episcopo ad Ecclesiam cujus jus Patronatûs habet. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Ex literis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 7.

XII. Statutum est quatenus Ecclesiæ quorumcumque Monachorum in singulis Parochiis sitæ, Episcoporum, ut decet, Divinitùs subdantur Regimini, eisque debita obsequia exhibeant. CAUS. XVI. QUÆST. II. Cap. *ult. Statuendum.*

SECTIO X.

Observationes in hunc Titulum, quibus Moniales comparantur cum Monachis, ac discernuntur quæ utrisque communia sunt, ab iis quæ singulis peculiaria, eoque modo suppletur quod huic deesse videtur, aut potiùs nihil deesse ostenditur, præter dicenda circa Convertitas.

I. Status Religiosus considerari potest 1°. in se, atque ad illum sic sumptum pertinet quidquid dictum est præcedentibus Titulis *de Votis*, præsertim de iis, quibus promittitur obedientia, castitas, & paupertas, simul junctæ, quæ illius statûs sunt basis, fundamentum, substantia, necnon de omnibus & singulis, quæ illa tria Vota, vel conjunctim, vel seorsim spectant; nempè probatione ante Novitiatum, Novitiatus Professione, ætate, libertate, aliisque ad illas conditionibus requisitis, item de Privilegiis, quibus munitus & decoratus, præcipuè exemptione.

2°. Idem status inspici potest quoad personas illum amplectentes, quæ pro diversitate sexûs, conditionis, vel statûs, diversas Religiosorum species constituunt; sed præcipua distinctio ex sexu petitur, proximior verò ex statu personarum inter masculos desumitur. Hinc Religiosi Laici, quales erant primis Sæculis ferè omnes Religiosi Clerici; quorum duplex species, alii sunt in quibus Clericatus præcessit Monachatum, qualis Canonici Regulares; alii, in quibus Clericatus Monachatui accessit, tales sunt omnes ferè cæteri Religiosi.

3°. Eumdem statum Religiosum spectare est quoad diversa hæc genera personarum, eoque modo consideratus est in IV. & V. *Titulo* hujus Tractatûs, in quibus actum est de muniis Clericalibus, ad quæ Religiosi vocati sunt, præcipuè verò de Parochialibus.

II. Inscriptio hujus VI. *Tituli* docet, illum restringi ad ea, quæ peculiaria sunt Monialibus: hæc autem maximè sunt: 1. Examen Puellarum habitum suscepturarum ab Episcopo faciendum, necnon Novitiarum Professionem emissurarum, eidem reservatum, sive exemptæ sint, sive non exemptæ. 2. Subjectio Monialium, immediatarum Summo Pontifici, Episcopali Jurisdictioni, ideoque illarum exemptiones abrogatæ. 3. Exceptio nonnullarum mulierum à Lege prohibente, ne quis ad Professionem Religiosam cogatur; hæ autem *Pœnitentes* vel *Convertitæ* vocantur, de quibus *Concilium* TRIDENTINUM Cap. 18. SESS. XXV. *De Regular.* hæc habet: *Ab his*

tamen

tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Convertitiæ appellantur, in quibus earum Constitutiones serventur. De prædicta Lege priùs egerat. Circa hanc exceptionem adi Fagnan. *ad* Cap. *Ad Apostol. De Regular. n.* 30. ubi ait hunc Trid. locum referendum videri, non tantùm ad ea, quæ in hoc *Cap.* 18. continentur, sed etiam ad reliqua, quæ in aliis Capitulis præcedentibus ejusdem Sessionis sancita fuere, & consequenter ad disposita *Cap.* 15. Ut autem firmet hanc interpretationem laudat Decretum Congregationis, quæ consulta an mulieres prædictæ possint, Professionem emittere juxta dispositionem Juris Communis, earumque Constitutiones, respondit posse: teneri autem hodie ad clausuram formalem, & ad emissionem trium Votorum ex Decreto Pii V. & Gregor. XIII. nec in earum Monasteriis possunt reponi ampliùs Moniales aliorum Monasteriorum, quæ sub clausura degunt, correctionis causa, nec ampliùs egredi Convertitæ possunt. De eadem exceptione idem Fagnan. loquitur, etiam ad *Cap. Statuimus. De Regul. n.* 60. undè colligitur has Convertitas annuo Noviciatui non subjici, cùm concludat ad illas non pertinere Congregationem domûs piæ, ex eo quod in ista sit probatio annua. Quod de Professione Convertitarum sine Novitiatu dictum est, confirmatur à Tambur. *De Jure Abbatissarum.* Disp. VII. Quæst. VI. *n.* 5. qui docet id profectum esse ex Constitutione Clem. VII. & Paul. III. quam postea integram refert, postquam probavit huic non derogasse *Conc.* Trid. imò illam confirmasse in fine *Capitis* 18. Sess. XXV. *De Regular.* Porrò cùm huic Constitutioni posteriores sint suprà citatæ Constitutiones Pii V. & Greg. XIII. istis standum est, quoad ea quæ illi adjecerunt.

4. Confessio menstrua ac concessio Confessariorum extraordinariorum ter quotannis.

5. Votum peculiare clausuræ perpetuæ, quod emittitur à Monialibus secundæ Regulæ S. Urbanistis dictis ex Urban. II. earum Institutore, de quo Tambur. *De Jure Abbatissarum.* Disp. XVIII. Quæst. VII. undè fit, ut dictæ Religiosæ duplici vinculo, nempè Præcepti Ecclesiastici, & Voti ad clausuram adstringantur; hùc de Voto nulla mentione in Corpore Juris, nec in *Conc.* Trid.

6. Quidquid pertinet ad clausuram Monialibus peculiare est, ac inter alia abrogatio exemptionis cujusvis quoad visitandam clausuram, necnon translatio Monasteriorum campestrium in Urbes, Civitates, Oppida, locaque similia, in quibus Moniales tutæ sint.

7. Moniales gubernatæ à Regularibus, minùs sunt exemptæ, quoad Confessionem, quàm ipsi Regulares, cùm Confessarii à Superioribus suis Regularibus sibi nominati egeant approbatione Episcopi Diœcesani, ut illarum Confessiones audire valeant Gregor. XV. *Bulla, Inscrutabili.* Secùs autem de Confessariis datis Regularibus ab ipsorum Prælatis.
8. Canonicæ Sæculares ejusdem conditionis sunt ac Religiosæ, quoad Visitationem, quæ facienda est ab Ordinariis, autoritate propria si exemptæ non sint, autoritate verò Apostolica si exemptæ sint. Clem. II. *De Statu Monach. Concil.* Vienn. extendit ad has Canonicas, quod priùs præcepit erga Religiosas circa Visitationes. Alterum Statutum fecerat circa Moniales, nempè quod Abbatissæ illarum benedicerentur, intra annum à die confirmationis; aliàs amitterent ipso facto Jus suum, æstimans autem id convenire Abbatissis Canonicarum Sæcularium, ad istas non producit. Eidem *Tit. De Religiosis* plura alia adjici possent ex Tambur. *De Jure Abbatissarum,* quæ quidem non inutilia, qualia quæ habet de educatione Puellarum apud Moniales, singulaque ad illas spectantia; de variis Religiosarum speciebus, & inter alias de Oblatis à Conversis distinctis, quarum aliæ Religiosæ verè sunt, quales ut plurimùm in plerisque Monasteriis, quia tria Vota ibi emittunt; aliæ verò non sunt, Beatæ, Donatæ, vel Oblatæ appellantur, nullo Religionis Voto obstrictæ; de aliis Oblatis, quæ aliis Monasteriis non serviunt, sed speciales Conventus habent & Voto simpliciter ligantur, de Beguinis, de Canonissis, quæ ab illis planè diversæ, de Jesuitissis, quæ abolitæ statim ferè ac institutæ fuerunt, eaque potissimùm de causa quod institutio facta fuerat, sine approbatione Sedis Apostolicæ, imò ista inscia; de multiplici velo Religionis, nempè Probationis, seu Receptionis, Professionis, Consecrationis, Ordinationis, Prælationis, Continentiæ, Pœnitentiæ, usuque circa illas diversas relationes; de Monialibus non exemptis, quoad Parochos consideratis; de Communicatione Privilegiorum inter se, vel cum Monachis ejusdem habitûs & Ordinis.

Hæc autem omnia aliave similia prætermittuntur, ut extra Operis fines vagantia, cùm de illis nihil occurrat nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* Tridentino.

Pars Secunda

Tractatûs de Religiosis, per Regulas explicandi.

SECTIO I.

Continens Regulas de Votis in genere consideratis, & primùm ad quos pertineat potestas faciendi Leges spectantes ad Vota.

REGULA I.

Nullus est Canon, neque in Corpore Juris, neque in *Concilio* Trident. qui expressè dicat ad quem pertineat sancire Leges, quæ spectent ad Vota.

Probatio desumitur ex eo quod, post accuratè perpensos omnes Canones, contentos in Corpore Juris, & in *Concilio* Trid. quoad Vota, nullus repertus fuerit, qui expressè loquatur de potestate faciendi hoc ejusmodi Legum genus; itaque debet existimari hæc Regula vera, donec probationes contrariæ accedant.

REGULA II.

Ex Canonibus recollectis, nulli depromuntur è Legibus Principum, quamvis multas iidem promulgaverint, & præ cæteris Justinian. *in suis Novellis*, Reges Galliæ *in suis Capitularibus, & in Conciliis* quibus interfuerunt, quarum nonnullæ referuntur ab Yvone Carnot. Part. VII.

Ratio hujus omissionis non alia esse videtur, nisi quod ex una parte Gratian. crediderit, inutiliter quoad Vota citandas esse Constitutiones Principum, quia in materia spirituali sunt eædem tantùm necessariæ ad supplendum illis quæ desunt Canonibus, & iis omnibus, quæ hoc sub nomine comprehenduntur, nempè Decretis Paparum & Episcoporum, Sententiis Patrum; & nihil deesse illis Canonibus cum benemulti depromantur è Conciliis, Summis Pontificibus, Episcopis, & Sanctis Patribus. Dici non potest Gratian. omisisse referre has Constitutiones, quia easdem ignoravit, cùm Collectores Canonum, quos imitatus est, easdem Constitutiones citaverint; tales sunt inprimis Ivo Carnot. & Burchardus Episcopus Vormatiensis, ex quibus ea desumpsit, quæ dicit huc illuc de Religiosis, & de Monialibus, necnon & de Canonicis Regularibus, ut

facilè videtur, conferendo ea quæ refert, cum iis quæ leguntur *Part.* 7. primi Auroris, & LIB. VIII. & IX. secundi.

Concilia citata ab his Collectoribus, cum observatione facta Principes eisdem interfuisse, sunt I. *Concilium* VERMERIENSE, cui PIPINUS adfuit; *Concilium* AQUISGRANENSE, quod adiit LUDOVICUS PIUS; *Concilium* MOGUNTINUM, cui adstitit CAROLUS CALVUS; *Concilium* apud ALTHEIM, cui CONRADUS interfuit; *Concilium* TRIBURIENSE, cui ARNULPHUS præsens fuit: Alia ex parte, nihil est vetus in aliis Collectionibus, ex quibus constat Corpus Juris, quod non colligatur è GRATIANO, & vulgò in iisdem referuntur tantùm Canones Conciliorum, Decreta Summorum Pontificum, & aliquæ Patrum Sententiæ: Notitia illarum Regularum, & considerationes, quæ illis junctæ sunt, necessaria videtur, ne inferretur ex silentio observato, Principes nullum jus habere faciendi Leges quoad Vota, quod falsum est & injuriosum Principibus citatis, qui nonnullas sanxerunt Leges, necnon & Regibus Galliæ, qui ad eorum imitationem multa Edicta promulgaverunt hac de re: Hoc falsum est, nam quod potest voveri ordinatur à Legibus Principum, cùm nihil illud sit aliud, quàm bona & personæ, & per illas Leges possidemus bona & personas, & possumus illas alienare simul & acquirere. *Cap.* 1. DIST. VIII. è S. AUGUSTINO deprompto: Votum autem includit alienationem, quia Domino transfert dominium bonorum & personæ votæ. Idem ratiocinium Principibus injuriosum foret, qui Leges fecerunt quoad Vota, quia locum daret illos accusandi injustè, quod Jura Ecclesiæ sibi Principes arrogaverint.

SECTIO II.

Regulæ ex Corpore Juris Canonici Concilioque TRIDENTINO *deprompta.*

DIVISIO.

Colligendarum Regularum circa Vota, aliæ Votis cum aliis rebus communes sunt, aliæ Votis peculiares.

Communes Regulæ hæ sunt.

I. In re Communi potior est conditio prohibentis. REG. LVI. *De Reg. Juris in* 6.

II. Contra eum, qui Legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda. REG. LVII. *Ibid.*

III. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. REG. LVIII. *ibid.*

IV. Quæ contra Jus fiunt debent utique pro infectis haberi. REG. LXIV. *ibid.*

V. In pari causa melior est conditio possidentis. REG. LXV. *ibid.*

VI. Cùm non stat per eum ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perindè ac si impleta fuisset. REG. LXVI. *ibid.*

VII. Potest quis per alium facere quod potest per seipsum. REG. LXVIII. *ibid.*

VIII. In malis promissis fidem non expedit observari. REG. LXIX. *ibid.*

IX. In alternativis est electio, & sufficit alterum adimpleri. REG. LXX. *ibid.*

X. Nemo potest plus Juris transferre in alium quàm sibi competere dignoscatur. REG. LXXIX. *ibid.*

XI. Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur. REG. LXXXV. *ibid.*

Per Regulas Particulares explicabitur: I. Quid sit Votum? II. Quotuplex? III. Quæ voveri possint vel non? IV. Quibus vovere liceat, quibus non? V. Quæ Votum ut valeat, quæ, ut liceat, quæ, ut expediat, necessaria sint? VI. Quæ cuique Votorum generi peculiaria? VII. Quomodo cesset Voti obligatio? VIII. Cujus sit circa Vota Constitutiones cedere? IX. Quæ ex Corpore Juris circa eadem Vota colligantur Historica.

Votis Peculiares Regulæ sunt quæ sequuntur.

REGULA I.

In Jure clarius certiusque nihil, quàm vovere idem esse ac aliquid aliàs indebitum Deo promittere.

Præterquam quod Votum promissio Deo facta passim vocatur, quæcumque de Voto Regula dicit clarissimè habentur in *Cap.* 1. CAUS XVII. QUÆST. I. Hæc enim in eo leguntur: „Sunt quædam, quæ non „ voventes debemus; quædam etiam, quæ nisi vove„rimus; sed postquam ea Deo promittimus, ne„cessariò reddere constringimur„: Et hoc ex CASSIODORO in PSAL. LXXV. versu *voventes* desumi *Correct. Rom.* notant.

Hinc qui Religionem ingredi animo volvit, dicens intra se, vel coram aliis, in Sæculo non diu morabor, Mundo valedicam, melius tutiusque vitæ genus amplectar, aliaque similia, non vovet, cùm nihil Deo promittat, sed illi aliquid promittere tantùm cogitet mediteturque. *Cap.* 3. *De Voto & Voti &c.*

Hinc etiam cùm Clerici non Deo, sed Ecclesiæ, ut & obedientiam sic & continentiam promittant, vel cùm non spontè, sed ex Lege illas promittant, illas vovere non dicuntur.

Non obstant loca, in quibus Votum *propositum* vocatur, quia non de simplici proposito loquuntur, sed de proposito obligandi, scilicet voluntati conjuncto, quale in promissione.

REGULA II.

Hæc in re Deo indebitum habendum est, quidquid nulla Lege ab homine Deus exigit. Quod Deo debet homo, ad id quod aliqua Lege ab illo exigit Deus, hîc restringitur; quia cùm aliàs omnia Deo debeat, indebitum, nihil haberet quod Deo promitteret vel offerret.

Ab homine exigere Deus intelligitur, quod Lege Humana homini præcipitur, cùm Legislator omnis Dei vices gerat.

REGULA III.

Quod nulla Lege ab homine Deus exigit, est vel persona, vel actio personalis, vel res à persona distincta.

Hinc quod voveri potest, vel est persona, vel actio personalis, vel res à persona distincta.

Hinc Votum vel est Personale, vel Reale: Personale verò duplex: Aliud, quo tota Persona Deo promittitur, quale quo vita Regularis promittitur: Votum aliud, quo actio personæ propria Deo promittitur, quale quo abstinentia, continentia, peregrinatio vovetur.

REGULA IV.

Personali Voto inter alia hoc peculiare est, quod per solum voventem impleri possit, quodque personæ statum mutet, si prioris generis sit.

Votorum quæ Personæ statum mutant, aliud est Solemne, aliud non solemne.

Solemne Votum illud est, quod præscriptis ad id solemnitatibus fit: Non solemne, quod absque solemnitatibus his emittitur: Non solemne, *simplex* vocitari solet, & à Solemni in hoc uno differt, quod ad omnia Sæcularem personæ statum non mutet, secùs verò Solemne.

REGULA V.

Promitti aliquid Deo potest, vel ad tempus, vel in perpetuum; cum conditione, vel fine conditione.

Hinc Votum temporale est, vel perpetuum; conditionatum, vel absolutum.

REGULA VI.

Qui contradicente eo vel inscio, in cujus potestate est, rem in qua illi subest vovet, frustra vovet, sed, accedente istius consensu expresso vel tacito, utroque casu Votum ratum firmumque fit.

REGULA VII.

Consensus subsequens expressus est, quando is, cujus interest, verbis vel scripto Votum probat: tacitus, quando Voti executionem, etsi possit, non impedit.

Hinc filiorum-familias, uxorum, Monachorum, servorum Vota, à Patre Matreve, Marito, Prælato, Domino, irritari possunt, si istis contradicentibus, vel insciis, facta sint, dummodo postea expressè vel tacitè non consenserint. Ad res, in quibus Prælatis suis subditi subsunt, Regula restringitur, quia extra illas Prælatorum potestas sese non extendit. Hinc si à Patria potestate quoad continentiam liberi sunt filii-familias, continentiæ Vota à Filiis emissa Parentes irritare non possunt.

REGULA VIII.

Ut Prælato subditi Votum irritante, subditus illud implere non debet. ita illo consensum revocante suum, subditus ab executione Voti desistat oportet.

REGULA IX.

Si ex duobus ejusdem rei individuis Possessoribus, quorum alter alteri hac in re non subest, unus Voto circa hanc rem consenserit, consensum suum frustra revocat.

Hinc cùm in proprii corporis possessione uxor socia sit cum marito, paremque is ac illa in illud potestatem habeat, si continentiam uxor voveat, Votumque ante vel post maritus probet, consensum suum vir revocare non potest, & si revocet, revocationem uxor contemnere debet. C. 4. Caus. XXXIII. Quæst. V.

Cùm è contrà in familiæ gubernatione mulieris caput sit vir, abstinentia verò gubernationem illam spectet, si abstinentiam uxor voveat, consentiente vel ante vel post marito, validè revocationi locus est, eique sese subjicere uxor debet. C. 11. *Ibid.*

REGULA X.

Quicumque Juris Textus, invito Domino, servis Ordines Sacros suscipere non licere demonstrant, iidem quoque servorum Vota, quæ Dominorum in illos potestatem minuant, emittere non posse ostendunt.

Regula patet ex eo quod præcipua illorum Textuum Ratio sit: Rem suam nemini invito auferendam esse, nisi reus sit, vel utilitas publica id exposcat.

REGULA XI.

Quo Jure se, vel res à se distinctas, quis possidet, eodem & promittere potest; & si promittat juxtà præscriptum ab eodem Jure modum, promissis stare debet.

Hinc Votorum alia sunt licita, alia illicita: Illicita, quæcumque prædicto Juri adversantur: Licita quæ Juri conformia: Illicita vel sunt invalida, vel valida: Invalida, quæ Jus ipsum irritat: Valida secùs, quæ non irritat, etsi sibi adversentur.

REGULA XII.

Majora majoribus reservari decet. C. 3. *De Baptismo.* Cap. 7. Sess. XIV. *De Pænit.*

Hioc Votorum alia sunt reservata, alia non reservata: Reservata dicuntur, quorum commutatio vel dispensatio ad solum Pontificem Maximum pertinet: Non reservata, quæ Ordinariæ Potestati relinquuntur.

SECTIO III.

De modis, quibus Voti obligatio cessat, in genere consideratis, & in specie.

REGULA I.

Voti obligatio cessare non potest, nisi irritatione, conditionis defectu, adimplendi impotentia, redemptione, commutatione, dispensatione, adimpletione.

Regula patet ex eo, quod alius excogitari nequeat modus, qui ad relatos non reducatur.

REGULA II.

Modorum, quibus Votum obligare desinere dictum est, nullus est de quo in Corpore Juris mentio aliqua non fiat.

Ex dicendis patet.

REGULA III.

Fundamentum irritationis primum est, quod invito Domino res nulla alienari possit. C. 21. Dist. LIV.

REGULA IV.

Vota singula irritatio non spectat, sed illa tantùm, quæ ab iis, qui juris sui non sunt, emittuntur.

REGULA V.

Quoad Vota, juris sui non esse dicuntur, qui ratione status sui, de se, vel de rebus, quodlibet facere non valent.

Dicitur ratione status; quia non desunt, qui Lege vel Consuetudine, vel sententia vetante, de rebus quodlibet facere non valent.

REGULA VI.

Quibus ratione status de se vel de rebus disponere non licet, sunt filius-familias, uxor, servus, & Monachus.

REGULA VII.

Vota irritandi facultas iis solis competere potest, qui in potestate sua memoratos habent: Hi autem sunt: I. Parentes vel illorum vices gerentes, quales Tutor, Curator: II. Vir: III. Dominus: IV. Prælatus Regularis.

REGULA VIII.

In voventes potestas prædictæ facultatis causa cùm sit, ut illa potestate expirante, facultas expiret, oportet, atque ad ea sola sese ista extendat, ad quæ illa extenditur.

Hinc quamdiù liberi in Parentum potestate ita sunt, ut nec quoad se, nec quoad res, sui Juris sint, quæcumque sine Parentum consensu emittunt Vota à Parentibus irritari possunt.

Hinc si statim ac puberes sunt quoad corpus à potestate patria exempti sunt, continentiæ Vota, quæ emittunt, à Parentibus irritari nequeunt.

Hinc si ante pubertatem, quoad idem corpus, ab eadem potestate liberi sunt, quæ emittent personalia Vota à Parentibus irritari non poterunt.

Hinc si quousque majores sint de rebus suis disponere non possint, vel si etiam dum majores sunt, sed emancipati non sunt, id nequeant ante majoritatem, vel etiam post, realia filiorum Vota à Parentibus irritari poterunt.

Hinc si liberi extra Patris potestatem positi, aut spontanea illius voluntate, aut ipsa dignitate, voveant, illorum Vota, quæcumque sint, irritationi obnoxia non sunt: Inter dignitates autem quæ à Patria potestate liberant, Episcoparum JUSTINIANUS collocat. *Cap.* 20. DIST. LIV.

Præmissis Regulis objici potest *Cap.* 15. CAUS. XXII. QUÆST. V. in quo irritationi subjiciuntur sola Puellarum Vota in puellari ætate emissa. Sed nulli ex præcedentibus Regulis obstat objectum *Cap.* Nam I. *Cap.* illud Ecclesiam Hispanam, eamque non integram, spectat; desumitur siquidem ex *Conc.* ELIBERIT. ex aliquibus dumtaxat Hispaniarum Provinciis composito.

II. Per ætatem puellarem intelligere potuit totam illam ætatem, per quam in Parentum potestate Puellæ esse solent.

III. De prædictis Votis id dicendo de aliis non negavit.

IV. Quod de Votis Puellarum in puellari ætate constitutarum objectus Canon dicit, idem in nuptis omnibus. *Cap.* 16. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. locum habere docet.

V. Tantùm abest ut objectus Canon prædictas Regulas destruat, illas potiùs confirmat; quod enim de Votis, idem de juramenta promissoriis dicit, quod non provenit, nisi ex eo, quod juxtà Leges, nec quoad homines, nec quoad Deum, Puellæ memoratæ sui juris non erant, atque etiam de Votis cùm indistinctè loquatur de quibuscumque loqui credere est.

VI. Si per Puellarem ætatem intelligatur illa, quæ pubertatem præcedit, patria potestas his in locis ad usque puberem ætatem tantùm extendebatur.

REGULA IX.

Quicumque Canones Parentibus permiserunt, ut usque ad pubertatem filios voverent, in illis, de qua diximus, potestatem agnoscunt. Idem à fortiori dicendum de illis, qui eisdem, ut pro tota filiorum vita illos voverent, concesserunt. *Cit. Canones* CAUS. XX. QUÆST. I. referuntur, & peculiaribus expositi sunt in locis I. Parte, ut pote ad personas peculiariter pertinentes.

REGULA X.

Etsi prædictorum Canonum nonnulli de solo Patre loquantur, hinc inferre non est Matrem excludi; talis est autem *Cap.* 3. *loco cit.*

Colligitur ex eo quod Canones alii de Matre quoque expressam mentionem faciant; talis *Cap.* 2. *loco cit.* Alii verò, communi Patri Matrique nomine, utrumque comprehendunt; talis est *Cap.* 6. *ibid.*

REGULA XI.

Viri in uxorem potestas cùm duret quamdiu Matrimonium durat, tamdiu uxorum Vota à Marito irritari possunt; sed cùm soluto Matrimonio prædicta potestas pereat, si quod mulier voveat viduitatis tempus respiciat, vir Votum hujusmodi irritare non poterit.

REGULA XII.

Constante Matrimonio cùm uxor de nonnullis rebus quod velit facere possit, emissa circa res illas Vota, vir irritare non valet. De personalibus actionibus, quæ Matrimonialibus Juribus non nocent, idem dicendum. Tales autem habendæ Confessio, Communio Festivis diebus eo tempore quod Divino Cultui insumere quisque debet.

Non obstat Regulæ *Cap.* 16. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. in quo viro indistinctè permittitur, ut uxoris Vota, etiam ante Matrimonium emissa, irritet; etsi enim *Cit. Can.* De Votis indistinctè loquitur, *Cap.* 11. *ibid.* de solis abstinentiæ Votis mentionem facit: Hinc insinuant Vota irritandi facultatem restringi ad illa, quæ Matrimonii Juribus præjudicant; qualia, quæ familiæ oneri sunt, uxori saluti nocentia, teddendo debito aptam minùs efficiunt, vel ea qua debet tei domesticæ vigilantia consulendo imparem.

Si *Cit. Cap.* 16. de quibuscumque Votis interpretandum est, nolente viro, uxori non licebit preces per laborem recitandas, vovere, cogitationes toties vel tamdiù volvendas, suspiria desideriave in Cœlum mittenda, dum corpus reficitur, dum rei domesticæ opera datur.

REGULA XIII.

Quod de liberorum uxorumve Votis, pendente vel finita Patria potestate, constante vel soluto Matrimonio dictum est, de servorum Votis, servitute durante vel finita, dicendum.

Hinc servi pro tempore, quo liberi futuri sunt, vovere possunt.

REGULA XIV.

Permittente Lege non solùm castitatem, sed & Regularem vitam invito Domino servus vovere potest. *Cap.* 2. DIST. LIV. desumitur ex *Novel.* 5. *Coll.* 1. *Tit.* 5. in qua JUSTINIAN. in Divinæ Gratiæ honorem servis permittit, ut Domino etiam contradicente Monachi fiant, dicens justam hanc esse servitutis solvendæ causam; quam Constitutionem S. GREG. maximè probavit, eamque etiam in Ecclesiæ damnum executioni mandari curavit. *Cap.* 23. *ibid.*

Hinc filio-familias, ut Lex permiserit invitis parentibus utrumque licere, à majori colligitur; utroque autem casu concessa à Lege licentia requiritur, quia, ut VIII. *Synod. ann.* 869. & 870. docet, sæculi Leges ad cujusvis res alienationem, domini consensum saltem exigunt. *Cap.* 22. *ibid.* Unde cùm ex eodem quo Regula fonte exceptio maneat, *ejusque sit solvere cujus ligare*, ut filio servoque liceat castitatem, vitamque Regularem, invitis Parentibus Dominove, vovere, ut id sibi Lex permittat, oportet; utroque enim Voto, hoc in casu res ad alium pertinens alienatur.

REGULA XV.

Servo Monachus adeò similis est, ut quæ circa Vota servo conveniunt, Monacho quoque conveniant.

REGULA XVI.

Sicut invito Domino à servitute temporali per servitutis spiritualis Votum servus liberatur, ita & invito Prælato Regulari per Votum strictioris

vitæ à priori vinculo eximitur; & ſicut Votum, quo ſe vitam Regularem amplexurum Deo ſervus promittit, Dominus irritare non poteſt, ita nec Votum, quo Monachus Deo pollicetur, ſe ſtrictioris vitæ profeſſionem facturum, à Prælato irritari nequit.

REGULA XVII.

A nullo Prælato irritari poſſunt Vota emiſſa circa id quod Prælato inſcio, vel invito, ſubditus facere poteſt.

Hinc quia per Leges Imperatorum Chriſtianorum ſervus Judæus, vel Gentilis, Religionem Chriſtianam amplecti poterat, Domino renitente, id quoque vovere poterat, quin à Domino Votum irritari poſſet.

REGULA XVIII.

Excepto continentiæ Voto, cætera, etſi priùs expreſſè, vel tacitè probata, irritari etiam poſſunt.

Deſumitur ex eo, quod approbationi tacita conditio ineſt, quamdiù Prælatus Votum utile judicabit.

Antequam ad proximum modum, quo Voti obligatio ceſſat, tranſeamus, advertendum Canonum Doctrinam circa Votorum irritationem ex *Cap.* 30. *Numerorum* deſumptam videri; hoc autem in loco tria haberi: I. Puellam in poteſtate Patris conſtitutam, ſine conſenſu Patris validè vovere non poſſe, ideoque ſi ſtatim ac Votum filiæ Pater audit, contradicit, Votum irritum eſſe; ſi autem tacuerit, Voti ream eſſe Puellam: II. Quod de Patre erga Puellam dicit, idem de viro erga uxorem adjeciſſe: III. Si Pater, vel Maritus aliquando poſt approbatum Votum contradicit, utramque ad obedientiam teneri, & ſi quæ ſit in Voti infractione culpa Patri vel Marito imputari. Primum & Alterum expreſsè contineri: Tertium Inferri ex eo quod in *eodem Cap.* bis dicitur uxorem in domo viri exiſtentem, contradicente viro, implere non debere, quæ inſcio illo Vota emiſit: Hinc enim ſequitur eamdem rem fruſtra bis repeti, vel contradictionem priorem illam eſſe, qua ſtatim ac Votum uxoris vir audit, contradicit; poſteriorem verò eam eſſe, qua poſtquam per aliquod tempus paſſus eſt, ut quod accepit uxoris Votum, uxor impleat, ne pergat contradicit.

Dici non poteſt in *cit. Cap.* de uxoris Voto, necnon & de mariti contradictione ter mentionem fieri, nec ideò triplicem contradictionem diſtingui; nam omnium prima contradictio Votum uxoris in Parentum domo adhuc manentis, ſpectat; aliæ verò, ut dictum eſt, uxoris in viri domo commorantis Votum reſpiciunt.

De ſecundo modo, quo Voti obligatio ceſſat.

REGULA I.

Prædicti modi fundamentum, ad impoſſibile; nemo tenetur.

REGULA II.

Impoſſibile alicui eſt non ſolùm quod nequaquam facere poteſt, ſed etiam quod ſine peccato, vel ſine dignitatis ſuæ injutia, facere non valet.

Hinc I. Claudus utroque pede, qui longinquam, & pedeſtrem peregrinationem voveret, ad illam non obligaretur; ſtultum etenim irritumque ipſius Votum foret. Idem de illo, qui undè vivat vix habens, Hoſpitalis erectionem dotationemque voveret.

Hinc II. Qui vovet, quod ſine familiæ ſuæ ruina implere non poteſt, ad adimplendum non tenetur, ſive impotentia præceſſerit, ſive ſubſecuta ſit; cum hoc tamen diſcrimine, quod impotentiâ præcedenti ſtultum, vanumque ſit Votum, ſive ne liget impeditur: ſubſequenti verò, contracta jam obligatio tollitur. Hinc etiam, qui ſimplici continentiæ Voto ligatus Matrimonium contrahit, cùm ſine conjugis injuria Votum implere non poſſit, ad illud implendum non tenetur; ita ut ſi de viro agatur nedum reddere, ſed etiam petere poſſit & debeat, ne innatus ſexui pudor, quo hæc in re quod cupit, cujuſque eget, petere non audet, uxori ſcandaloſæ ſit incontinentiæ cauſa.

Hinc III. Qui pœnitentiam publicam vovet, ſi, antequam Votum impleat, Epiſcopus conſecretur, cùm ſine dignitatis injuria Votum implere non valeat, ad illud implendum non tenetur.

REGULA III.

Qui determinatam rem, eamque indiviſibilem vovet, ſi illius aliquam notandam partem habere non poſſit, ad nihil tenetur.

Hinc qui Chartusian. vitam vovit, ſi nocturnis vigiliis, vel perpetuæ carnis abſtinentiæ, vel perpetuo Jejunio, aliiſque hujuſmodi ferendis par non ſit, tota Voti ſui obligatio evaneſcit.

REGULA IV.

Hanc vel illam rem daturum ſe Deo promittens, ſi antequam Votum impleat, res promiſſa, vel omninò pereat, vel promittenti nihil debet.

REGULA V.

Se totum Deo conſecrare vovens, eòque animo vitam Regularem apud Benedictinos rigidioris diſciplinæ amplexurum promittens, ſi illi vivendi generi ineptus ſit, apud alios Regulares profiteri tenetur; ſi verò vitam Regularem ſibi non convenire experiatur, ad Clericalem adſtringi videtur.

In vovente tali duplex Votum eſt; prius eſt alterius cauſa; poſterius prioris executio; ceſſante ſecundi obligatione, primum ſubſiſtit; manente ergo priori obligatione, eoque ad vitam Regularem obligante, per ingreſſum in alium Regularem Ordinem implendum eſt; ſi autem tali modo implere non valeat, quod poteſt facere tenetur; ideoque Eccleſiæ ſervitio ſeſe dedere; quo quidem pacto, nec per obedientiæ, nec per paupertatis Votum, Deo ſacer erit, ſed per aliud non parum Deo acceptum.

REGULA VI.

Quoties Votum perpetuum eſt, & impotentiâ temporalis, ceſſante impotentia, Votum implendum eſt.

Hinc qui, Matrimonio contracto, ad præcedens perpetuæ caſtitatis Votum implendum impotens factus eſt, ſoluto Matrimonio illud implere debet.

REGULA VII.

Irritatio & impotentia, quæ Votum præcedit comitaturque, in hoc conveniunt, quod vi utriuſque, nulla eſt, vel manet Voti obligatio.

REGULA VIII.

Ab impotentia ſubſequenti, irritatiò differt; tùm in eo quod Votum quandoque tantùm ſuſpendat impotentia; tùm in eo quod eadem à parte voti dumtaxat eximat, illâ nempè, quæ impleri non poteſt: Neutrum autem irritationi umquam conveniat.

REGULA IX.

Quando per irritationem Voti obligatio cessat, per impotentiam quoque cessat, necnon & per conditionis defectum.

Regula patet, quoad Priorem Partem, ex eo quod quoties alicujus Votum per Prælatum irritatur, sine peccato illud impleri non potest: Quoad alteram, ex eo quod Voto subditi, tacita inhæreat conditio, *si Prælato placet*, proindeque is, cujus Votum irritatur, à Voti eximitur obligatione per defectum conditionis.

De tertio & quarto modis quibus Voti obligatio cessat, Redemptione, & Commutatione,

Uterque modus jungitur, quia Redemptio Commutationis genus, simili de causa, & ab eodem Prælato facienda; distingui autem solet à Commutatione, non solùm quia speciale nomen habet, sed etiam quia per pecuniam tantùm fit Redemptio; Commutatio, per quævis pia Opera.

REGULA I.

Quamquam in inscriptione *Tit. De Voto*, & in *Capitibus* quibus constat, peculiaris de Voti Redemptione mentio fiat; attamen cùm inter Opera, in quæ Voti Commutatio fit, Eleemosinæ præcipua sint, Redemptioni nihil convenit, quod Commutationi non conveniat.

REGULA II.

Commutationum alia est à Jure, alia ab homine: A Jure nulla est alia, quàm quâ omne Votùm in Religiosæ vitæ professionem commutatur: Ab homine multiplex; quælibet autem à Prælati arbitrio pendet.

REGULA III.

Commutationis quæ à Jure, etsi ALEXAN. III. antiquior Textus nullus mentionem faciat, quolibet sæculo probatam fuisse verosimile est.

Colligitur Regula ex eo quod sæculo quovis, cuique notum fuit temporale obsequium in perpetuum, partiale in totale, justissimè commutari, atque per Commutationem, quæ à Jure est, utrumque fieri.

Adverte obiter, quæ de Commutatione à Jure dicta sunt ex *Cap.* 4. *De Voto* desumi: in hoc quidem de sola Voti temporalis in Religionis Votum Commutatione ALEXAND. III. loqui, sed hinc Votum perpetuum simplex, quale perpetuæ à carne abstinentiæ Votum, ab hoc Privilegio non excludi, cùm de perpetuo mentionem haud dubiè fecisset, si Quæstio sibi proposita Votum perpetuum spectasset: quapropter, cùm utrobique par ratio sit, ALEXANDRI decisioni justam istam extendendi causam inesse, nobis visum est.

REGULA IV.

Sæculo VII. antiquior Juris Textus, qui de Commutatione ab homine expressam mentionem faciat, nullus occurrit.

Patet Regula ex eo quod omnium hac de re antiquissimus est *Can.* 7. CAUS. XX. QUÆST. I. in quo THEODOR. *Cantuariensis ann.* 680. hæc habet, *infans pro infante potest dari, quamvis alter votatus sit; tamen meliùs est Votum solvere: similiter & pecora æquali pretio, si necesse est, sunt redimenda:* Legendum *votus*, non *vocatus*.

REGULA V.

An Vota commutanda sint necne, ab ejus, qui præsidet, arbitrio, sive judicio, pendet. *Cap.* 1. *De Voto.*

REGULA VI.

Prælatus cujus est Vota commutare, vel est Summus Pontifex, vel Episcopus, vel Prior Regularis.

REGULA VII.

Summus Pontifex cum aliis concurrit, ita ut quibus casibus isti commutare possunt, iisdem etiam & ipse possit; sed quinque Vototum genera sunt, quæ solus Summus Pontifex commutare potest.

REGULA VIII.

Commutata à Summo Pontifice Vota ante sæculum XII. in Corpore Juris legimus, sed Commutationem sibi jam reservatam non legimus.

Regula patet ex eo quod *Cap.* 2. *De Voto* antiquius nullum habeamus, quod de Commutatione hac mentionem faciat: Hoc autem *Cap. est an.* 1180. nec circa hanc rem aliud habemus ejusdem sæculi; atque commutatum à Summo Pontifice cujusdam Angli Votum narrat, sed ex reservatione id factum, nec expressè dicit, nec insinuat; de illa enim ne verbum quidem, nec quidquam ex quo inferri possit, cùm in eo, prout etiam apud ANTON. AUGUST. habetur, tantùm referatur Regularem Clericum NORICENS. Diœces. in Anglia in puerili ætate peregrinationem cum alio in Terram Sanctam vovisse, atque idcirco Romam accessisse, ut à Papa auxilium peteret. ALEX. III. cum illum gravi infirmitate laborare, illiusque in illam Terram adventum parùm utilem futurum intellexisset, armaque ferre Clericum in Sacris constitutum, sanguinisque effusioni vacare licitum non esse, attendisset, à Voto quod in ætate tenera, facilitate potiùs quam ex arbitrio discretionis, promiserat, absolvisse, ea tamen Lege ut Eleemosinis Votum redimeret, & toto vitæ suæ tempore pauperem aleret, & vestiret, quoad facultates ferrent. *Cap.* 5. *De Pœnitentiis.* EXTRAVAGANT. COMMUN.

Textus antiquior nullus, qui expressè dixerit Vota quinque Sedi Apostolicæ reservari, eaque alia non sunt, quam Votum simplex castitatis, Vota peregrinationis in Terram Sanctam, ad Sacra limina Apostolorum, ad S. JACOBUM *De Compostella*, & Vota Religionis: sed hæc reservatio plures patitur exceptiones, multaque eget explicatione.

Quòd Regula negat credendum, donec occurrat Textus, qui contrarium probet, qualis nullus sese offert.

Quòd affirmat sic ostenditur: I. Reservatio Voti Castitatis communiter restringitur ad absolutum, perpetuum, & explicitum, *id est*, sine conditione esse debet, in alio non includi, nulloque tempore limitari.

Hujus Ratio est: Reservationes sunt odiosæ, utpote derogantes Potestati Ordinariæ, quæ est favorabilis.

II. Reservatio Voti præfati peregrinationis ad loca Sancta in multis Regionibus jamdiu cessavit.

III. Per *Vota Religionis* intelligendum est Vota emissa Religionis, non emittenda; sic enim explicari solent hæc verba.

SECTIO IV.

De his, quæ omnibus & singulis Regularibus communia sunt, vel quibusdam peculiaria.

DIVISIO.

Cum sit nobis loquendum de iis, quæ conveniunt cuique Religioso separatim considerato, videbuntur: I. Ea quæ sunt necessaria, ut quis fiat Religiosus: II. Quomodo mutet Religionem aut Ordinem. III. Quomodo desinat esse Religiosus

Religiosus. IV. Quænam sint jura Superiorum in inferiores. V. Quodnam sit inter utrosque discrimen. VI. Quot sint Prælaturarum genera. VII. Quomodo ad eas quis promoveatur. VIII. Quomodo easdem amittat. IX. Quot sint genera aliorum Beneficiorum Regularium. X. Quot sint modi ista acquirendi, ea possidendi, ea amittendi. Singula Capita pro gravitate sua explicabuntur, nempè vel sola numerorum distinctione vel specialibus Sectionibus. Sed antea monendum est, ea quæ sese offerent notabilia quoad Historiam, remittenda esse ad Titulum Mutationum Disciplinæ factarum quoad Religiosus, & in Corpore Juris contentarum, aut in *Concilio* Tridentino: Istæ separatim explicantur. Monendum adhuc est Tractatum *De Matrimonio* magna similitudine accedere ad hunc Tractatum; nam qui amplectitur vitam Religiosam eidem se adstringendo, Matrimonium spirituale contrahit, & hujus sunt materia, forma, & Minister, sua sunt eidem impedimenta dirimentia, & prohibentia, eadem ac Matrimonii carnalis, quæ reducuntur, quemadmodum & ista: I. Ad defectum ætatis, aut rationis, aut consensus, aut autoritatis in Ministro, aut in contrahente illud; aut libertatis, qui est multiplicis generis, cum aliæ causæ oriantur à violentia, aut servitute, quæ est etiam multiplicis speciei, aut à Matrimonio priùs consummato, aut à Professione anteriori jam facta in alia Religione: Aliæ proveniunt à subjectione alicujus potentiæ aliorum, aut pœnis capitalibus, ratione quorumdam criminum, aut redditioni rationis denariorum alienorum, imprimis publicorum: 2. Reducuntur hæc impedimenta ad defectum sexûs requisiti, quoad Monasteria hominum aut mulierum: 3. Ad defectum publicitatis: 4. Ad defectum qualitatum ad Ordines requisitarum, quantùm ad illos qui Religiosi Clerici fiunt.

Votum simplex intrandi in quamdam Religionem idem est quoad Professionem posteriorem factam in alio Conventu, quamvis mitiori, ac sponsalia contracta cum aliqua persona quoad Matrimonium posterius contractum cum alio; posterior obligatio prævalet priori, pœnitentia imponitur homini, qui promissum non servat. *Cap. 5. De Regula. in 6.* Sponsalia numquam ad Matrimonium adstrinxerunt generatim; in nonnullis casibus professio tacita effectum tantùm habuit sponsalium illorum, quæ non obligarent, nisi ad Matrimonium hujus generis, si quæ essent. *Cap. 3. De Regular. in 6.* Olim post quoddam tempus, nullus providere se poterat contra Matrimonia irrita ratione quorumdam impedimentorum Juris Humani; (hujus rei collectæ sunt probationes in Tractatu *Dispensationum Matrimonii. Tit. De Dispensationibus tacitis,*) hæc erat quædam præscriptio contra actionem in cassatione: Cui simile est *Quinquennium*, post quod nemo potest reclamare contra professionem. Hæc Præscriptio locum non habebat in impedimentis Juris Divini, de quibus Ecclesia non potest dispensare; undè si Judex Ecclesiasticus permitteret, ut personæ desponsatæ in gradu à Lege Divina vetito, simul cohabitarent, deberent potiùs tolerare excommunicationem, quàm obedire: Elapsum Quinquennium non impedit, ne quis se provideat contra Professiones nullas à Jure Divino, ut Professiones hominum in Monasteriis mulierum, & fœminarum in Monasteriis hominum; sed tollit omnem actionem quoad nullitates Juris Ecclesiastici, quia Ecclesia vult & potest de iis dispensare in hoc casu. Professio tacita multam habet affinitatem cum Matrimonio præsumpto, quod in usu fuit per multa sæcula. Quædam Bullæ Paparum præcipiunt, ut Regesta Professionis habeantur, quemadmodum Concilium ordinavit de illis quoad Matrimonium. Impedimenta, quæ occurrunt post Professionem non illam irritam faciunt; eodem modo ac illa, quæ Matrimonium sequuntur non illud resolvunt. Expulsio Monachorum incorrigibilium est quoddam divortii genus. Ecclesia dispensat de impedimentis Professionis, nec non & Matrimonii.

Juxtà hanc analogiam obligationis ad statum Religiosum, aut ad Matrimonium spirituale, cum obligatione ad Matrimonium Carnale, una per alteram explicabitur, & idem ferè in eo loco servabitur ordo, qui in alio servatus est, præterquam quod tractabuntur tria priora Capita sub terminis aptioribus, postquam observatum fuit posse reputari tamquam materiam hujus Matrimonii, traditionem aut consecrationem personarum Domino, quæ ipsum colant per praxim Consiliorum Evangelicorum; hujus autem formam esse verba, signa, aut actiones, quibus manifestatur ejus voluntas; Superiorem tamquam Ministrum esse, qui accipit hanc donationem nomine Dei & Ecclesiæ, & frequenter eamdem benedicit.

SECTIO V.

Conditiones necessariæ ut quis fiat Religiosus.

Fusiùs differetur de illis in Tractatu *De Reclamatione*, quæ fundata est super defectu illarum conditionum, & hoc modo supplendum erit quod in hoc loco deficiet.

I. Nullus est Religiosus sine professione. *Can. 3.* Caus XXX. Quæst. I. Cap. 13. *De Regular.* Cap 49. *De Elect.* Cap. 3. *De Renunciat.* Cap. 51. *De Testib.* Cap. 15. Sess. XXV. *De Regul.* Nulla est professio absque Noviciatu. *Cap. 15. 16.* Sess. XXV. *De Regul.* Neque Noviciatus sine habitûs acceptione & probatione annua. *Ibid.* Cap. 22. *De Regular.* Acceptio habitûs quamvis in anno depositi ad Religionem in genere obligabat, si evidenter perciperetur aliquem voluisse mutare vitam aut statum. *Cap. 23. De Regular.*

II. Probatio debet fieri in indumento Ordinis. *Cap. 22. De Regular.* quia illud est sæpe una ex austeritatibus Ordinis, quia aliter esset irregularitas indecens in Officiis publicis, in exercitiis Regularibus, in Processionibus, & aliis actibus etiam publicis. Illa adhuc fieri debet per omnia exercitia, ut Novitius cognoscere certiùs possit, an Monasterium sibi ipsi conveniat, & Monasterium possit certò scire illum convenire Ordini. *Cap. 16. De Regul.*

Probatio debet adhuc durare per unum annum integrum & non interruptum. *Cap. 15. 16.* Sess. XXV. *De Regul.* neque plus neque minus temporis requiritur. Ab hoc excipiuntur solùm Jesuitæ. *Cap. 16. citato.* Cùm Concilium mentionem faciat expressam de hac exceptione, & eam Societati Jesu attribuat, clarè ex hoc intelligitur illud Concilium statuere, ut Noviciatus in aliis Religionibus per unum tantùm annum duret; itaque nullum in hoc discrimen intercedit inter Religiones, nisi illud confirmetur in Constitutionibus debitè approbatis.

Novitius & Monasterium poterant Nuntium remittere Noviciatui, introducto ad commodum utriusque. *Cap. 16. De Regular.* Id non ampliùs possunt. *Cap. 15.* Sess. XXV. *De Regular.*

III. Eadem requiritur libertas ad Noviciatûs quàm ad professionis validitatem; metus, quo possit homo constans concuti, illum facit irritum, necnon & Professionem annullat; eadem est ratio. Itaque Textus, qui citabuntur super Professione ad Noviciatum extenduntur, in quo idem esse saltem videtur de Noviciatu ac de sponsalibus, quæ debent esse libera, quemadmodum & Matrimonium. Dicitur *ad minus*, nam Noviciatus multò magis est necessarius ad Professionem quàm Sponsalia ad Matrimonium, quod potest esse validum sine sponsalibus, Professio autem nulla est, nisi eam præcesserit Novitiatus. Ad seductionem producendum est, id quod de metu dictum est.

IV. Quemadmodum igitur Noviciatus majorem requirit Libertatem quàm sponsalia, ita pariter ætatem provectiorem expostulat; nam requiruntur saltem 15. ann. completi ad Noviciatum, tùm pro Puellis, quàm pro Pueris. *Cap. 15.* Sess. XXV. *De Regul.* & septem anni com-

completi sufficiunt ad sponsalia. Textus nullus exigit sponsalia durare per quoddam tempus, ita ut Matrimonium non possit citiùs contrabi, sunt qui requirant durationem determinatam Novitiatûs, sine qua Professin est oulla, illa autem est unius anni *Cap.* 15. SESS. XXV. *De Regul.*

V. Cùm Professio fieri noo possit, nisi post annum Noviciatus, exigit etiam ætatem provectiorem, quàm Matrimonium, quod requirit solùm duodecim annos in Virginibus, & quatuordecim in Pueris. *Cap.* 15. SESS. XXV. *De Regul.*

VI. Anno Novitiatûs finito, debet admitti Novitius ad Professionem, aut remitti. *Cap.* 16. SESS. XXV. *De Reg.* Non potest dispouere de bonis & suis Beneficiis, nisi intra duos ultimos menses Novitiatûs: *Ibid.* aliter dispositio est nulla. Si remittatur Novitius, debet illi restitui quod attulit intrando: *Ibid.* Hoc si Monasterium recusaret, posset ab Episcopo compelli censura Ecclesiastica ad hanc restitutionem. *Ibid.* Sive admittatur ad Professionem, sive remittatur, debet solvere Monasterio ea, quæ sibi tradita sunt, pro vestitu & cibo. *Ibid.* Concilium nihilo habet tempus Novitiatûs aut probationis, quod præcedit ætatem quindecim annorum completorum, aut statuit illum incipere citiùs quàm ad quindecim. *Ibid.*

VII. Quamvis nulla sit Pueros inter & Puellas differentia, quoad ætatem necessariam Novitiatui & Professioni, est tamen aliqua gravis momenti quoad examen quod debet utrumque præcedere. Episcopus debet appellari ad illas cœrimonias, cùm agitur de Puellis, non autem idem est si de Pueris agatur. *Cap.* 17. *Ibid.* Colligetur & explicabitur in *Tit.* in quo inserentur ea, quæ sunt peculiaria Religinsis, in ea etiam referetur Edictum particulare factum, ut conserventur Puellis aut Mulieribus libertas ingrediendi aut non ingrediendi in Religionem. *Ibid.* Cap. 18.

VIII. Autoritas Superiorum Regularium debet iotervenire ad habitûs acceptionem, & ad Professionem; illud infertur ex *Cap.* 11. SESS. XIV. in quo Concilium prohibet, ne Superiores accipiant ad habitum & ad professionem, aliter quàm illud præscribit; & ex *Cap.* 17. SESS. XXV. *De Reg.* qnod præscribit Prælatæ, ut moneat Episcopum de futura Novitiæ Professione: nam utrumque supponit Superioris esse habitum dare, & accipere Professionem. *Cap.* 6. *Ibid.* idem ostendit, nam præcipit Superioribus, ut admittant ad Professionem aut remittant Novitium, qui annum Novitiatûs complevit. In eo quod hi Textus dicunt de necessitate autoritatis Superiorum ad illos actus, subaudiendus est consensus omnis Conventûs, aut majoris ejusdem Partis. *Cap.* 6. *De his quæ fiunt*, tradit tanquam Regulam, Prælatum Regularem non posse providere Beneficiis etiam per præsentationem sine hoc consensu, & excipit tantùm casum longi usûs contrarii, & casum Privilegii: In 1. iocluditur casus conventionis, nam usus non spoliat Conventum sua potestate, oisi propter præsumptionem, quâ consensit. De uno casuum illorum exceptorum intelligendum est *Cap.* 6. *De Reg. in* 6. quod dicit: „Monasterium posse accipere personas ad habi-„tum, aut ad Professionem post mortem Abbatis, nisi „hæc receptio pertineret ad ipsum solum„.

IX. Receptio Religiosorum non minùs debet esse libera in Superiore & in Monasterio recipientibus, quàm in recepto; agitur de contractu reciproco, qui non potest esse validus ex una Parte, & irritus ex altera; itaque quemadmodum est nullus, qui non est liber à parte recepti, necesse est ut sit invalidus posito quod à parte recipientis sit coactus. Ad istum igitur extendendi sunt Textus, qui annullant Professionem coactam in Novitio. In hoc idem est de obligatione ad Statum Religiosum, quemadmodum de obligatione ad Matrimonium, quæ debet esse libera in una & altera Parte.

X. Professio aut expressa est, ant tacita. Professio expressa vulgò fit per verba, quæ significant aliquem Domino se consecrare, ut illum colat per praxim Consiliorum Evangelicorum; potest etiam fieri per signa ex quibus idem intelligitur: Professio tacita fit per actionem, in quo similis est Matrimonio præsumptivo, & hanc ob rem potest appellari præsumptiva. Utraque nunc non potest fieri, nisi post 16. annos completos, & annum præcedentem Novitiatûs. *Cap.* 15. 16. SESS. XXV. *De Reg.* annullavit Professiones, quæ fiebant ante hanc ætatem, & absque uno Novitiatûs anno, statuit subsistere illam quæ fit accipiendo habitum Professi, aut exercendo actus proprios Professis; sed ut hæc Professio vim habeat Professionis expressæ, par est ut fiat: 1. Sub autoritate ejus, qui jus habet accipiendi Professionem expressam: 2. In Monasterio: 3. Ut gerat istum habitum, ut faciat exercitia saltem per tres dies: 4. Ut ex hoc Novitius intentionem habeat faciendi Professionem, quod non potest fieri, oisi cognoscat unum aut alterum sufficere ad Professionem tacitam. TAMBUR. *De Jure Abbat.* DISP. VI. QUÆST. XIII. *n.* 10. GONZALEZ *in* Cap. 4. *De Reg. n.* 8. Horum Autorum fundamentum est, Jus Novum non corrigere Vetus, nisi in Capitibus in quibus isti adversatur; & *Conc.* TRID. nihil ordinavit oppositum his casibus Professionis tacitæ. Eamdem ob rationem admittunt etiam casum Professionis tacitæ, quæ fit gerendo, post ætatem sufficientem ad Professionem, habitum Novitii ultrà annum, cùm non distinguitur à veste Professi. *Cap.* 1. *De Regular. in* 6. & CLEMENT. II. *De Reg.* hunc autorant casum. Quod dicunt de ætate discretionis tunc sufficiente ad Professionem, debet nunc applicari ad ætatem 16. aooorum hodiè requisitorum ad eamdem Professionem.

XI. Non evidens est neque certum *Conc.* TRID. non abrogavisse Professionem tacitam, quæ fiebat per gestationem habitûs Religiosi, communis Professis & Novitiis per unum annum, aut per perseverantiam in habitu Professi per tres dies, aut in exercitio actuum Professi per idem tempus, nam hoc Concilium tribuit quinque annos ad reclamandum. *Cap.* 19. SESS. XXV. *De Reg.* illis quorum professio irritatur defectu ætatis, aut Novitiatûs, aut libertatis: nec tamen distinguuntur illi, qui agnoscentes hoc vitium, habitum indistinctè induerunt per unum annum, aut habitum Professi per tres dies, quod vitium cum defierit, aut per ætatem subsequentem, aut per Novitiatum completum, aut per violentiam finitam illorum, qui utrumque fecerunt ante hanc notitiam, & quorum ignorantia duravit usque ad finem quinque annorum: quod supponit hoc duplex genus casuum Professionis tacitæ non ampliùs subsistere, tùm pro foro interiori, cùm pro foro exteriori, cùm reclamatio locum tantùm habeat in casibus Professionis irritæ, & Concilium illud permittat in his duobus casibus. FAGNANUS coutrarium asserit in *Cap.* 11. *De Reg.* ejus rationes non videntur decisivæ.

XII. Dici non potest Concilium introduxisse novum casum Professionis tacitæ, vetando ne quis agat contra Professionem irritam post quinque annos silentii super illam; nam hæc prohibitio spectat tàm ad eos, qui non cognoverunt defectum, & qui ideò non potuerunt suæ consentire Professioni suo silentio, quàm ad eos, qui illum agnoverunt: itaque in hoc casu est rehabilitatio aut dispensatio à vitiis, quæ annullabant Professionem.

Idem est de hoc casu ac de illis, in quibus jus prohibet, ne quis petat, post silentium cujusdam annorum numeri cassationem Matrimonii irriti, ratione alicujus impedimenti, & probatum est in Tractatu *Dispensationum Matrimonii*, in hoc casu Jus dispensare ab his impedimentis.

XIII. Professio tacita, à Jure approbata, omnes habet effectus Professionis expressæ, extra casum Electionis passivæ ad Prælaturam Regularem, hic solus casus nominatim excipitur à Jure. Vid. *Cap.* 28 & 43. *De Elect. in* 6. per ultimum licet expressè Religiosis, quo-

quorum Professio est tacita, eligere conjunctim cum illis quorum Professio est expressa. *Cap.* 32. *§.* 1. *Ib.* Idem facit, quod ultimi duo Textus dicunt de electione activa, extendi ostenditur, ad alium omnem modum providendi Beneficiis, juxtà Regulam *favores convenit ampliari.* Et per Regulam contrariam restringendum est ad casum expressum, quod 18. & 43. *citati* exponunt de Electione passiva. Est alter casus, in quo Professio tacita non habet effectus Professionis expressæ, sed iste tantùm pertinet ad illam, quæ fit intrà annum Noviciatûs extrà Ordines Mendicantium. *Cap.* 3. *De Regular. in* 6.

XIV. Gravior differentia, quæ sit inter has duas ejusmodi Professiones quoad formam, est, multos Textus docere Professionem expressam debere fieri scripto ad hoc expresso. *Cap.* 9. *De Regular. deprompto ab* Alexand. III. *Can.* 16. *Can.* 20. Quæst. I. *Can.* 36. *Can.* 27. Quæst. I. Colliguntur è *Concilio* Toletano X. habito *ann.*656. Quod quidem non potest convenire Professioni tacitæ, quæ fit semper per actionem aliquam, qua præsumitur Personam velle se obligare statui Religioso. Debebat scriptum subsignari à faciente Professionem, necnon & continere, illum amplecti in perpetuum vitam Religiosam, & remitti personæ, quæ eamdem accipiebat, & hæc erat Episcopus aut ejus Vicarius; illud infertur ex his verbis quæ leguntur, in utroque illorum ultimorum Canonum, *Sacerdote, aut Ministro.* Vid. Conc. Tom. VI. *p.* 462. Ex his patet Concilium coactum fuisse præscribere Viduis, ut darent scripto suam Professionem, ut hoc modo comprimeretur scandalum frequens Religiosarum nubentium, & prætexentium aut se ad tempus tantùm obligasse, aut solùm se voluisse probare; illud Concilium non introduxit formulam scripturæ Professionis; hanc definit Regula S. Benedicti, & statuit illos, qui subscribere nesciunt, declarare suam voluntatem signo Crucis infrà scripta suæ Professionis. *Cap.* 58. *Regulæ.* Gonzalaz loquitur de hac formula in *Cap.* 4. & 9. *De Regular.* & refert verba contenta in scripto. Tamburinus hac de re meliùs agit, quia observat usum præsentem, alter verò de antiquo loquitur. Vid. Disp. VI. Quæst. XXII. Tom. III. *De Jure Abbatum*, cùm Autor in ea examinet conditiones necessarias ad Professionem expressam, præcipuè adhæret scripturæ, & docet illam Jure Communi non esse necessariam ad validitatem, quia potest aliquis se obligare viva voce, sicut & scripto; in plerisque Religionibus illam dari scripto, & illum, qui eamdem tribuit, cogi ut illam legat; quod si qui requirant hanc conditionem tamquam essentialem, in iisdem Religionibus irrita est Professio, cùm omittitur. Idem ostendit Clementem VIII. statuisse ut esset Regestum ad scribendas Professiones, ut subsignentur à Professo & à duobus testibus, qui illis aderunt, & ut in Archivis illud conservetur.

In quo Papa ordinavit super Professionem quod *Concilium* Tridentinum statuit circa Matrimonium. *Cap.* 1. Sess. XXIV. *De Matrim. Refor.* cùm judicaret Professionem clandestinam non minùs esse periculosam, quàm Matrimonium clandestinum, & ita necessarium esse ut illa præverteretur, cautela accepta ad impediendum Matrimonium clandestinum.

Hæc formula necessaria est in Gallia ad probationem Professionis; hoc infertur ex *Ordin.* 1667. *Tit.* 20. *Art.* 16. quæ præscribit formam hujus scripti.

XV. Professio est ex his actibus legitimis, qui neque diem, neque conditionem accipiunt, *id est*, quod non possit fieri pro tempore determinato, neque sub conditione, quæ hujus suspendat effectum. Vid. *Regul.* 50. *De Regulis Jur. in* 6. hæc est: *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem*: Matrimonium spirituale professi cum Deo, & cum Religione, cujus vinculum arctius est, quàm vinculum Matrimonii carnalis non consummati, cùm illud resolvat, si illud sequatur, & illud annullet, si idem præcedat. Potest igitur applicari quod dicitur de Matrimonio *Tit. De Conditionib. Appos.* Cap. *Ultimo.* Quod si apponantur Matrimonio conditiones contrariæ ejus naturæ, illud annullent, quodque conditiones contrariæ uni è tribus Matrimonii bonis, *proles, fides, Sacramentum*, oppositæ sint ejusdem naturæ; & applicatio est aptissima, si conditiones adversentur alicui è Votis tribus solemnibus obedientiæ, necnon & castitatis, & paupertatis; nam hæc sunt ex substantia Professionis Religiosæ: itaque Professio irrita esset, si illi adjungeretur conditio conservandi sua bona, & iis fruendi, aut futuræ independentiæ, aut relinquendi Religiosum statum quibusdam in circumstantiis, quæ possent evenire. *Cap.* 1. Sess. XXV. *De Regul.*

Non potest objici contra hanc Observationem *Cap. ultim. De Regular.* quod permittit ut Religiosi incorrigibiles expellantur; nam per expulsionem obligatio Religiosi cum Deo non cessat, quemadmodum obligatio mulieris adulteræ cum sponso suo per dimissionem à viro factam; idem est de obligatione ejusdem professi circa Monasterium quod compellit dissolutionibus suis ut ipsum ejiciat. Nam si ad se ipsum redeat, & vera det conversionis signa, Monasterium tenetur illum recipere. Quod ostendetur tractando de Industria. *De Expulsione Religiosorum Incorrigibilium.*

Loquendo de substantia statûs Religiosi, relati sunt Textus, qui confirmant hanc decimam quintam Observationem; nam Professio est obligatio ad id quod est substantiale huic statui, particularius quàm ad id quod est accidentale; cùm illud quod est essentiale est in omni Religione, & idem in unaquaque; quod autem est accidentale potest esse in quibusdam & non esse in aliis, & hoc sæpiùs accidit ita.

XVI. Unus ex majoribus Professionis Religiosæ defectibus est, ut illa fiat in Religione non approbata; hujus rei probationes allatæ sunt in loco in quo mentio facta fuit de Constitutione Religionum; nam si hæc fieri non potest validè non approbante Ecclesia, necesse est consequenter ut Religiones non probatæ nullam habeant potestatem accipiendi ad Professionem; nullus autem major defectus est, quàm defectus potestatis: hæc Regula certa & constans, eò majorem locum in hoc casu habet, quod nulla possit esse potestas neque Ordinaria, neque Delegata, neque ratificatio, cùm sit corpus sine autoritate, & consequenter non possit Superiores legitimos constituere, qui possint delegare aut ratificare quod suo nomine factum fuerit.

Si casus accideret nullum aliud esset remedium quàm obtinere confirmationem Religionis, cum clausula ratificationis eorum, quæ facta fuissent antea, aut transire ad Religionem approbatam. *Cap. unic. De Relig. Dom. in* 6. §. *ultimo*, quod non posset fieri sine facultate Sanctæ Sedis, si ageretur de toto aliquo Ordine aut toto Conventu; non esset necessaria si ageretur de aliquibus privatis; non comprehenduntur in reservatione facta à *Cap. citato.*

Quod insinuatum est, Superiores posse committere potestatem accipiendi ad Professionem, suum habet fundamentum in *Cap.* 20. *De Off. Jud. Ordin.* Quod de necessitate approbationis Ecclesiæ respicit effectus spirituales; approbatio Regia necessaria est ad effectus civiles.

XVII. Ante exemptiones Religionum Episcopus habebat potestatem recipiendi ad Professionem, aut per se, aut per alios ad hoc à se commissos, illud etiam potest in omnibus Religionibus non immunibus. *Cap.* 4. *Qui Cler. vel Voven.* hoc supponit. nam ponit Episcopum in capite Prælatorum, qui hanc habent potestatem; *Nec in manibus Episcopi, Abbatis aut Abbatissæ, vel suprà Altare professa est, vel obedientiam promisit*; Ex eodem Textu intelligitur Sacerdotes posse dare velum, *de manu Presbyteri velamen assumpsit.* Distinguendo sic assumptionem veli à Professione Religiosa, facilè conciliantur Textus, qui attribuunt modò Episcopo, modò Presbytero receptionem Religiosorum.

XVIII.

XVIII. Inter eos, qui legitimè impediuntur ne faciant Professionem, sunt qui in perpetuum arcentur Jure Naturali & Divino; tales sunt homines pro Monasteriis mulierum, & fœminæ pro Monasteriis hominum: hæc obligatio esset irrita, tùm defectu voluntatis ex parte Monasterii, partis recipientis, nam reciperet tantùm per errorem sexûs; tùm ex parte professi, quem lex Naturalis & Divina incapacem efficit hujus obligationis ratione salutis periculi quod adiret, necnon & salutis eorum quorum domum intraret. *Can.* 21. CAUS XVIII. QUÆST II. *desumpto ex Concilio Generali* VII. Quemadmodum Hermafroditus duplicem sexum habet, ita Jure Divino est incapax intrandi in Religionem tàm hominum quàm Fœminarum, hoc sequitur ex Canone citato & ex allegatis rationibus. Tales sunt etiam dementes incurabiles, & consequenter nunquam capaces consensûs.

Alii sunt tantùm ad tempus, tales sunt I. Illi qui requisitam ætatem non attigerunt, aut amiserunt usum rationis, casu cujus effectus non est perpetuus. Hæc impedimenta cum sua causâ cessant, modo naturali: primum potest adhuc desinere per Dispensationem, in quo casu Professio valida est, non obstante defectu ætatis; alterum quamdiu subsistit est indispensabile. *C.* 15. *De Regular. Cap.* 24. *De Sponsalib.*

Tales sunt II. Illi qui potestati alienæ subjiciuntur, & qui consequenter non possunt disponere de sua persona sine permissione eorum, à quibus pendent: ex hoc numero sunt filii-familias, criminosi, servi, homines desponsati, Religiosi professi, milites, & qui rationem reddere debent, Episcopi: Impedimenta cessant Consensu personarum quarum interest.

Quoad filios-familias minores, nunquam illi potuerunt Religiosam vitam ingredi ante pubertatem sine consensu suorum, aut Parentum, aut Tutorum, quamvis sui eos Parentes huic statui potuerint obligare ante hanc ætatem, etiam cum obligatione in eo perseverandi post illam ætatem. Hujus rei probationes sunt infra *in Tit.* in quo colliguntur Canones spectantes ad hanc potestatem.

Pueri puberes facti potuerunt Religiosæ vitæ se obligare, non consentientibus etiam suis Parentibus, etiam in sæculis in quibus licebat istis vovere Pueros suos impuberes sine eorum consensu expresso. *Ibid.*

Sub CLEMENT III. videtur facta fuisse mutatio disciplinæ, quâ Parentes non potuerunt vovere Pueros suos impuberes ultrà tempus quod præcedit pubertatem; aut saltem primus declaravit Pueros sic votos posse resilire, cum conquesti fuerint tempore benedictionis quæ dabatur post pubertatem, nec illud posse cum non fuerant questi in hoc tempore, aut cum post querimoniam ratificaverant suam obligationem. *Cap.* 12. *De Regular.*

Sunt adhuc nonnulli casus, in quibus Pueri, sive minores sive majores, non debent intrare in Religionem injussis Parentibus; talis est ille, in quo Parentes non possunt subsistere sine auxilio suorum Filiorum in sæculo manentium, & lucrantium sua industria unde alantur. Hujus rei probationes inseruntur in Canonibus citatis in explicatione VI. Mandati Decalogi: in eo visum est filios teneri assistere & sublevare Parentes in necessitate; nam Consilis, pro quorum praxi in Religionem intratur, debent cedere Præceptis à quorum observatione incipit vita Christiana ratione proximi. Eamdem ob causam Parentes non debent Religiosam vitam amplecti, cùm opus est ut, pro amore salutis animæ & conservatione corporis filiorum, remaneant in sæculo. Hoc impedimentum desineret, si qui reperirentur charitate ferventes, qui curam haberent Parentum, aut Puerorum sustentationis, & procurarent ipsis libertatem in Religionem intrandi.

Tractando de irregularitate servitutis. *Tit.* 4. *§.* 1. *R.* 4. 2. *part.* observata sunt fundamenta prohibitionis factæ ne ad professionem reciperentur servi, injussu sui Domini: Reliquum §. 1. *citati* convenit adhuc proposito, propter Religiosos Clericos, institutione sua capaces Ordinum, & alios, quos Ecclesia ad eosdem vocat in casu necessitatis. Itaque sufficiet hîc referre summam *Can.* 3. CAUS. XVII. QUÆST. II. qui loquitur expressè de receptione servorum ad Professionem, & ordinat quod est observandum in hoc casu: depromitur è *Novellâ* relatâ à JULIANO *Professore, & in Capitularibus* LIB. V. In eo statuitur quod, si ignotus postulet habitum Religiosum, illum non accipiat nisi post tres probationis annos, quod si intra hoc intervallum vindicatur ab eo ad quem pertinet, venundetur illi cum omnibus quæ attulit, cujuscumque conditionis sit, nempè aut servus aut manumissus, aut alicui agro addictus: post tres annos repetetur frustrà, nisi Dominus tàm longè distaret à loco Monasterii, ut non potuerit cognoscere satis citò, ubi homo suus erat, ut posset vindicare illum intra tres annos: Alii Canones pertinentes ad eamdem materiam referuntur in DIST. LIV. Tradunt pro Regula, ut non recipiantur servi sine consensu Episcopi. *Can.* 12. CAUS. XVI. QUÆST. I. idem facit, sed Dominus poterit semper repetere quod in Monasterio attulerit ipsius homo.

Inter personas desponsatas, solæ illæ quæ consummaverunt Matrimonium non possunt intrare in Religionem sine consensu alieno; antè consummationem Jus permittit unicuique illarum, ut Religiosa fiat una independenter ab altera. *Cap.* 2. 7. *&* 14. *De Convers. Conjug.* Hæc exceptio in hoc loco confirmat Regulam, ad cujus probationem omnis hic Titulus factus fuisse videtur: In primo casu si una intret in Religionem sine alterius permissione, Professio irrita est, nisi hæc approbet in posterum, quod altera fecit. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 1. *De Convers. Conjug.*

Facultas per vim concessa inutilis est, nisi ratificetur. *Cap.* 1. *De his quæ vi, metusve Causâ fiunt.* Tacita permissio sufficit, *Cap.* 10. Si mulier sit juvenis & aliundè suspecta de incontinentia, debet in Religionem ingredi. *Cap.* 1. *De, Convers. Conjug.* aut saltem Votum facere continentiæ, *Cap.* 8. *Ibid.* Si nihilominus neutrum faciat, maritus non potest post mortem uxoris suæ aliam ducere, quamvis post Professionem, cui consensit sponsa, cum illa habitaverit. *Cap.* 9. *Ibid.* Professio valida fuit, & cohabitatio posterior criminosa.

Quamvis bona fides excuset maritum aut uxorem ingredientes in Religionem sine licentia alterutrius, in opinione alteram partem esse mortuam, Professio tamen nulla est, ita ut si hæc rediret & requireret professam debeant iterum simul habitare Professa negare non posset; sed post mortem ejus quæ erat libera, debet alterum iterum in Monasterium ingredi, aut saltem ad secundas Nuptias non convolare. *Cap.* 3. *&* 12. *De Convers. Conjugat.* Quod restringendum est ad casum, in quo illa pars voluit se vovere continentiæ, posito quod sua Professio nulla foret. *Vide*. GONZALEZ *in Cap.* 12. *n.* 3. Verùm facilè conciliatur decisio illorum Textuum cum nullitate Professionis; nam quomodo concipi potest Professionem irritam solùm fuisse ratione Partis læsæ, non verò ratione illius quæ Professionem fecit; & quod ita videatur vix concipi posse, sequitur ex ratione decisionis; nempè, quod Pars vovit quod erat in sua potestate, quodque est non petere debitum, & quod in hoc Votum solemne fuerit bonum, & cum non potuerit vovere non reddere, quia illud in sua potestate non erat, Votum solemne fuit irritum, quantum ad alteram Partem; professio est actus indivisibilis, cum nihil aliud sit, nisi consecratio personæ totius Cultui Divino, in praxi Consiliorum Evangelicorum, continentiæ, obedientia & paupertate: Itaque ad salvandam hanc decisionem, supponendum est Partem illam, quæ fecit Professionem sine alterius licentiâ quæ illam postea repetiit, voluisse continentiæ se obligare ad tempus ad quod poterat illam servare, quod non est conforme illis quæ solent fieri & facienda sunt, cùm Professio Religiosa sit absoluta & pro omni tempore subsecuturo.

Que

Quemadmodum id quod ſupponitur alienum eſt à Profeſſione conſiderata in ſe ipſa, & ab uſu communi, tradi poteſt tanquam Regula, in hoc caſu ſubaudiendam eſſe in Profeſſione conditionem, ſi Pars conſentiat, & cum non compleatur conditio Profeſſionem eſſe ſine effectu. *Tit. De Conditionib. appoſ.*

Cum Maritus & Uxor poſt conſummationem ſibi invicem conſentiebant in Religionem intrare, illud minimè poterant, inſcio Epiſcopo, qui curam babebat, ut illi collocarentur ſeparatim in loco unicuique convenienti. *Can.* 23. Caus. XXVII. Quæst. II. Deſumitur è *Concilio Romano* celebrato ſub Eugenio II. qui affert pro ratione, in hoc caſu Matrimonium ſubſiſtere, & ob hoc tollenda eſt occaſio reunionis Partium, quæ fieri nequit ſine præjudicio illarum Voti aut Profeſſionis Religioſæ.

Ex boc Textu, & ratione *Cap.* 1. *De Converſ. Conjugat.* exiſtimare licet, Textus qui prohibent expreſſè, ne Maritus Deo ſe conſecret, niſi Uxor idem agat, produci ad caſum in quo Mulier ſe Deo vovet conſentiente Viro, hincque cogit illum ut Deo ſe conſecret pariter; prædicti Capitis ratio eſt, quod cum facti fuerint una caro, non eſt conveniens ut una Deo ſe conſecret, altera in ſæculo maneat.

Profeſſio in Religione approbata debitè facta, eſt legitimum impedimentum alterius Profeſſionis in aliâ Religione, cum perſona ſibi ampliùs non ſit, ſed primæ Religioni, ideoque non poſſit ſe tradere ſecundæ ſine licentiâ aut Juris aut Papæ. Quæ Juris eſt, locum habet quotieſcumque ſecunda eſt auſterior, & perſona probationes certas habet vocationis ad majorem perfectionem. Licentia Papæ reſpicit tantùm caſum in quo profeſſus in Religione auſterâ tenetur tranſire ad mitiorem, per impoſſibilitatem ſervandi auſteritates quibus ſe obligavit. De primâ mentio ſit in *Cap.* 18. *De Regular.* De alterâ in Clemant. I. *De Regular* & in *Cap.* 1. ejuſdem Tituli, in Extravag. Commun. Nam Religiones reditibus fruentes, in quibus ſunt Beneficia, ſunt mitiores, quàm Religiones quæ non potiuntur reditibus, ſaltem ratione paupertatis, & hi Textus docent poſſe ab iſtis tranſiri ad alias, habitâ Summi Pontificis licentiâ. Hoc impedimentum ſimile eſt impedimento vinculi; nam idem eſt de prima Profeſſione quoad ſecundam, quod eſt de primo matrimonio ratione ſecundi, cum hoc diſcrimine quod Eccleſia poſſit ſolvere vinculum quod profeſſum alligat Religioni, quia illud eſt de ſua inſtitutione, non autem poteſt diſpenſare à vinculo quod ligat perſonas conjugatas, quia illud eſt de Jure Divino indiſſolubile.

Si liceret militibus intrare in Religionem cùm vellent, ſine facultate Principis, aut ejus Miniſtrorum qui ejuſdem exercent autoritatem, exercitus Principis magna in diſcrimina adducerentur, privarentur ſuo auxilio in caſibus neceſſitatis, alerentur ſumptibus ejus in tempore pacis, & diſcederent à ſervitio tempore belli, prætexentes ſe Deo velle conſecrare, ſub hoc velo tegerent aut ſuam ignaviam aut malam voluntatem: par eſt igitur ut ſint Regulæ quibus bæc præveniantur incommoda. Tutiores ſunt illæ, ut nullus recipiatur etiam ad probationem, niſi probaverit licentiam obtentam uſque ad hunc diem, debet haberi tanquam deſertor, & conſequenter tanquam reus criminis capitalis, aut ſi admittatur ad illam, cùm coegerit Conventum ad id, per ſigna extraordinaria converſionis in illo viſa, neceſſe eſt ut per probationem moneantur Miniſtri Regis, & tentandum eſt obtinere ab illis licentiam recitatione ſignorum vocationis magis commoventium, & non eſt recipiendus ad Profeſſionem niſi poſt commeatum. Ita intelligendus *Can.* 23. Dist. LIV. in quo S. Gregorius cum fecerit obſervare, malum aliquod grave fore ſi reciperentur ad Religionem omnes qui ſeſe offerrent milites, per præjudicium quod pateretur Regnum bac de re, & malum fore itidem grave ſi nullus reciperetur, ob recuſationem quæ fieret Deo, à quo omnia accepta ſunt, parvæ partis eorum quæ ab eo conceſſa ſunt, concludit primò, probandos in veſte Laicali, illos qui ſe præſentant, & admittendos ad Profeſſionem illos qui pro ſuâ bonâ agendi ratione ſignificabunt, ſe vero & recto deſiderio teneri, Deum colere. Antonius Augustinus refert hunc Canonem *Epiſt. Vet. Jur. Can.* Lib. IX. *Tit.* 12. *C* 2. hunc applicat ſervis; ſed hæc verba, *Secularis Militia*, quæ leguntur initio, & illa, *Secularis Militiæ*, quæ videntur in medio, oſtendunt debere illum etiam intelligi de Militibus. *Can.* 1. Dist. LIII. hanc interpretationem confirmat; nam S. Gregorius in eâ ſtatuit, ne recipiantur Milites, qui poſtulant habitum Religioſum, niſi poſt tres annos probationis in ſuo habitu, & ſigna certa vocationis. Quod dictum eſt de obligatis ad ratiocinia in Tractatu *De Irregularitate*, ſuam hîc babet applicationem, nam eadem ratio eſt, nempè injuria quæ fieret Religioni, ſi admitterentur ante redditas rationes, & hujus ſolutionem quod poſſent debere. Si Textus citati in loco indicato, non conveniant illis, qui onerati curâ reddendarum rationum volunt intrare in Religionem, nulli alii videntur poſſe ad illum locum applicari. Itaque Tamburin. *De Jure Abbatum*, qui amplè fuſeque tractet de hoc impedimento, Tom. III. *Diſp. VI. Quæſt. III.* n. 9. 10. 11. 12. 13. unum tantùm Textum ex illis citat, quamvis mentionem faciat de multis Autoribus quos hac de re legit, & ex quibus videtur collegiſſe quod de hoc dicit, ſed loco aliorum Textuum affert *Bullas* Sixti V. & Clement VIII. Ille diſtinguit obligatos ad ratiocinia qui impares ſunt ſolvendo, ab iis qui non ſunt, prohibens ne recipiantur qui impares ſunt ſolvendo, & permittens aliorum receptionem.

Non perſcrutabimur diſtinctiones Autoris, ut diſcernantur caſus, in quibus obligati ad ratiocinia non poſſunt recipi ab iis in quibus poſſunt. Talis enumeratio freta & innixa ſolâ autoritate Autorum, non convenit hujus Operis propoſito, facti ad colligendas in ordine Regulas Juris de unâquaque materiâ, & ponendas illas in ſuo Ordine Naturali. Satis erit ſi obſervemus multas eſſe ex bis diſtinctionibus, quæ non ſunt accuratæ. Quoad Textum quem citat, ille eſt *Can.* 1. Dist. LIII. depromptus ex *Epiſtola* S. Gregorii *ad Epiſcopos* Siciliæ, occaſione Legis Imperatoris Mauricii, quæ vetabat ne reciperentur ad Religionem obligati ad ratiocinia, neque ad Tonſuram Clericalem, neque etiam Milites. Cùm Papa præſcripſerit ea quæ neceſſaria erant ad Clericalem Tonſuram, ſtatuit ne accipiantur obligati ad ratiocinia æris publici, niſi poſtquam probaverint validis liberationibus ſe nihil ampliùs debere. Non eſt omittendum, diſtinctionem Sixti V. in diſcuſſionem adducere in quam non convenit intrare: comprehenſi ſunt debitores ſub nomine obligatorum ad ratiocinia, quia debent & propterea rationes habent reddendas creditoribus ſuis, aliundè utrique ſunt aut impediti litibus, au iiſdem expoſiti.

Potuiſſent comprehendi criminoſi ſub eodem nomine obligatorum ad ratiocinia, quia multi reparationes habent faciendas, & conſequenter rationes reddendas; tales ſunt illi qui proximum lædunt crimine ſuo: ſed ſatius eſt loqui de iſtis ſeparatim, quod mox faciemus per aliquas Obſervationes: 1°. Juxta Veteres Canones Epiſcopi debent omnem autoritatem impendere, ut gratiam criminoſorum obtineant, ut pœnas Sæculares ab illis pro criminibus meritas in pœnitentiam converterent in Exercitiis Monaſticis peragendam. Filesacus in *ſuo Commentario*, *De Off. Jud. Ordin.* hujus rei multas probationes refert. Pater Thomass. quoque plures in Libro II. cujuſque Partis ſui Operis ſimiliter colligit. Idem videtur in *Capitular. Regum Franciæ*, docentibus quod Eccleſia obtinuerat à Regibus Galliæ, converſionem pœnarum capitalium, in pœnitentias quo-

quorum multæ fiebant in Monasteriis, tandem jus azili olim tàm extensam in favorem Ecclesiarum, & illarum dependentiæ quoad reos criminis Capitalis, originem ducit ab Ecclesiæ oratione pro conservatione vitæ & membrorum Criminosorum, abusus deinde factus ab hujusmodi nocentibus de commiseratione Ecclesiæ erga illos, suas eandem compulit ut mutaret dispositiones illorum gratia. Hoc videtur per *Bullam* SIXTI V. incipientem *Cùm de omnibus*, *ann.* 1587. annullat Professionem Criminosorum non solùm damnatorum ad pœnas Capitales, sed etiam solùm Accusatorum & criminaliter persecutorum. CLEMENS VIII. *in sua Bulla*, *in suprema*, *ann.* 16c2. prohibet ne recipiantur ad Professionem hujusmodi criminosi, quin illa fiat irrita, si ad eam admittantur, derogans in hoc *Bullæ* SIXTI V. Uterque Papa statuit, ut reddantur Judicibus criminosi recepti contra suam prohibitionem, imprimis si sint jam damnati, aut prosecuti criminaliter. Si liceret admittere ad habitum Religiosum hujusmodi nocentes, excipiendi ab istis saltem essent illi qui excluduntur jure azili, qualitate suorum criminum. Hæ Bullæ citantur ex TAMBUR. *Ibid.* refert loca præcipua Bullæ SIXTI V. *Caput* 18. *De Regular.* expressè docet, Episcopum non posse Religiosam vitam amplecti, etiam ut in pietate & perfectione proficiat, sine facultate Sanctæ Sedis. Depromitur ex INNOC. III. qui idem dicit, *Cap.* 11. *De Renuntiat.* de Episcopo, qui admisit crimen, cujus non potest facere pœnitentiam, retinendo Episcopatum. Papa attribuit falsò primo *Concil.* CONSTANTINOP. Canonem à PHOTIO factum in CONC. GENER. VIII. hujus urbis. Idem Papa approbat in hoc Textu. ingressum Episcopi in Religionem ut fugiat persecutionem. Papa NICOLAUS I. illam improbat in *Can.* 47. CAUS. VII. QUÆST. I. Iidem ut concilientur, dicendum est istum loqui de Casibus, in quibus Episcopus non obstante persecutione potest gregi suo proficere; alterum loqui de eventibus in quibus persecutio reddit Episcopum inutilem suo gregi.

Impotentia replendi obligationes Religionis, in quam aliquis intrare vult, cum oriatur à debilitate corporis, aut ab aliquo morbo incurabili, illa est adhuc impedimentum Professionis Religiosæ; quemadmodùm impotentia reddendi Officium Conjugale, est impedimentum Matrimonii. Suum habet fundamentum in REG. VI. *De Regul. Juris in 6. Nullus ad impossibile tenetur se obligare.* Hoc impedimentum est tam legitimum, ut, cum supervenit Professioni, justa sit causa Dispensationis ab obligatione contracta. Hac in re plerumque fundantur Translationes in Religionem mitiorem.

Impossibilitas, in qua fuit aliquis per omnem Noviciatûs annum aut maximam ejusdem partem, probandi præcipuas Religionis austeritates, est adhuc impedimentum ad Professionem sine altero Novieiatu, quod potest accidere per morbum, qui duraverit per id omne tempus, & qui impedierit, ne Novitius probaverit abstinentiam carnis perpetuam, cum solis alimentis Quadragesimæ, aut incommodum surgendi è thalamo cunctis noctibus & sic somnum suum interrumpendi.

Infertur probatio hujus impedimenti ex *Cap.* 16. *De Regul.* quod docet Novitiatum statutum fuisse, ut Monasterium videat, an Novitius sibi conveniat, & Novitius experiatur, an possit tolerare quod est molestum in Regula aut Constitutionibus. Hic Novitiatus cum sit insufficiens in sua qualitate probationis, inutilis esset ad validitatem Professionis, quia in hoc similis esset Novitiatui qui durasset minùs temporis quàm unius anni, qui quidem esset in sua duratione insufficiens. Professio est res tam gravis momenti, ut debeat præcedi certitudine morali, ex qua pateat obligationem convenire duabus Partibus.

Possunt esse in defectu bonæ intentionis impedimenta gravioris momenti: talia sunt illa quæ nascuntur ex eo quod sibi quis proponat fines contrarios substantiæ Professionis; ut cùm quis intrat in Religionem, ut ita ad dignitates promoveatur, ut imperet, non ut obediat, ut sit dives acquisitione Beneficiorum magni reditûs, non ut sit pauper voluntarius, renunciatione omni proprietati tàm Sacræ quàm profanæ, ut sibi procuret per hypocrisim primas Prælaturas Clericales, & Sæculares.

Quamvis liceret facere Professionem intra annum Novitiatûs, *Cap.* 10. 11. 16. *De Regular.* si nihilominùs illa tantùm fieret recipiendo habitum professi, hæc Professio, quæ solùm erat tacita, Religioni non obligabat, in qua fiebat, sed solùm Religioni in generali, *Cap.* 3. *De Regul. in 6.*: necessè adhuc erat, ut fieret extra Religiones Mendicantium, *Ibid.* quæ autem ita agebatur in his Mendicantium Religionibus erat invalida, hæc est una è differentiis gravissimi momenti inter has duas ejusmodi Professiones: quoad effectus hæc differentia non ampliùs valet, hic casus Professionis tacitæ irritatus est, cùm obligatio Religioni in generali proveniens ex Professione facta ante ætatem, aut ante finem anni Novitiatûs, sit abrogata. *Cap.* 15. Sess. XXV. *De Regul.* omnem effectum illius tollit.

SECTIO VI.

De remediis præscriptis, aut autoratis à Jure contra Professiones defectuosas: De Ratificatione, Reclamatione, Dispensatione, Pœnitentia.

Jam vidimus inter vitia Professionis, nonnulla esse substantialia, aut quasi substantialia, quæ illam reddunt illicitam & nullam; alia esse accidentalia, quibus solùm illa efficitur illicita: remedium ordinarium contra ista, nihil aliud est quàm pœnitentia; per hanc remedium affertur à Novitio malæ intentioni, negligentiæ suæ in faciendis exercitiis Noviciatûs, & consequenter defectui præparationis aptæ aut proportionatæ tantæ actioni.

Alia vitia oriuntur aut à parte professi, aut à parte Monasterii, aut ab utriusque parte. Defectus Novitiatûs proveniens ab insufficientia, aut in sua qualitate, aut in duratione, est ex ultimo genere; cui ut remedium afferatur, supplendum est defectui Novitiatûs, aut novus iterùm incipiendus: hoc ultimum remedium tutius esset. Quemadmodum vitium durat, quandiu ejus causa; ita pariter cessat, cessante causa: hæ Regulæ Juris à sano judicio sunt dictatæ: idem est de illa; *Per quascumque Causas res nascitur, per easdem dissolvitur*, accepta in sensu contrario: ut ponantur actus malefacti in eo in quo debuissent esse statu, satius est, ut in eum statum redigantur in quo esse debuissent. Hic modus adhibetur in Sacramentis, quorum collatio aut administratio fuit irritata. *Tit. De Sacram. Iterand. vel non.* Alter defectus cessat, supplendo quod deest: hoc etiam fit eo modo in quibusdam Sacramentis malè collatis *Cap.* 1. 3. *ejusdem Tit.* quæ statuunt, ut adjiciatur quod deest.

Vitia communiora, orta ex parte professi, reducuntur ad defectum consensûs sufficientis aut requisiti; nam nulli alii sunt quàm fictio, insufficientia ætatis, vis, aut metus, ignorantia austeritatum & aliorum Regulæ laborum; & unumquodque ex his vitiis reducitur ad defectum consensûs necessarii: fictio est tantùm carentia consensûs interioris, verbis aut signis contrariis tecti: insufficientem ætatem comitatur defectus discretionis requisitæ, ut quis possit judicare cujus momenti sit obligatio, & ut cognoscat si dotibus requisitis sit ornatus, ut hujus omnes obligationes repleat: vis aut metus, queis possit homo constans concuti, tollunt libertatem consensus.

His

His defectibus potest, & debet quidam jungi, quiparticularis est Professioni filiarum; hic autem est, omissio examinis quod Episcopus debet facere de Novitiâ, & approbationis quam debet in bujusce consequentiam dare; nam hoc examen fit præcipuè, ut certò cognoscatur Libertas & sufficientia consensus. De hoc defectu mentio fiet colligendo particularitates pertinentes ad Religiosas.

Nullum potest adhiberi remedium fictioni, nisi adjiciendo consensum interiorem exteriori, à quo separatus esse non debuerat: nam nullus professus acciperetur ad allegandum hunc defectum in foro exteriori, præsumptio superaret omnia quæ posset dicere contra, posito quod nihil actum fuisset ad extra, quod adduceret ad credendum illum fecisse Professionem se invito, quod locum tantùm habet in casu violentiæ de qua nondum in hoc loco agitur. Idem esset de illo, ac de Ministro Sacramentorum; consensus exterior sufficeret, ut in isto sufficit. Idem adhuc esset ac de illis qui, cùm acceperint Baptisma, Ordinem, Confirmationem, sine ullo indicio resistentiæ, dicerent noluisse illa Sacramenta accipere, fides haberetur testimonio reddito tempore actûs quem contenderent esse fictum, *Cap. 3. de Bapt.* Aliter si ageretur, aperiretur porta Sacrilegio & Apostasiæ: haberentur illi quemadmodum & personæ, qui postquam se conjunxerint aliis Matrimonio, dicerent, se non interiùs consensisse, arcerentur ab omni audientiâ, *C. 26. De Sponsalib.*

Nullitas Professionis, proveniens ex defectu ætatis, non cessat cum defectu ætatis, sed requiritur novus consensus cum notitia nullitatis, saltem necessarium est ut Novitius paratus sit ad ratificandum quod fecit, quilibet fuerit in hoc defectus, si velit perseverare in statu Religioso, non obstante omni impedimento præcedenti. Non potest objici *Cap. 21. De Sponsalib.* in quo Clemens III. in consilium vocatus super Matrimonio contracto à puellâ undecim annos nata, ad quod coacta fuerat ab homine authoritatem habente in illam, quæque nihilominùs post celebrationem manserat voluntariè & sua sponte per unum annum & dimidium cum suo marito, Respondet, illud factum fuisse hoc modo validum, & eamdem debere cum ipso habitare, & redire à quo separata fuerat; nam locus est credendi istam puellam cognovisse suum ætatis defectum, erat satis gravis momenti, ut esset notus, & cohabitaverat cum sponso suo per sex menses post ætatem 12. annorum: ratione cohabitationis junctæ cognitioni defectus præcedentis, Papa concludit illam ratum habuisse Matrimonium per consensum subsequentem: ita non deberet accipi ad probationem impedimentorum quæ allegabat, cum cessavissent per vias juris.

Non potest etiam objici *Cap. 1. De Regular. in 6.* in quo Innocentius IV. loquens de Professione factâ ante ætatem, ostendit, quod, si professus anno elapso non conqueratur, non ampliùs possit illud facere, & quod ita per hoc silentium censeatur ratam habuisse suam Professionem, non excepto casu in quo non cognovit defectum ætatis, quæ illam annullavit, nam insinuat, se loqui de illo qui agnovit hunc defectum, supponendo ipsum potuisse expressè ratificare suam Professionem: ex bis verbis illud intelligere licet, *seu professionem à se priùs factam ratam expressè babeat*, nam ratihabitio expressa non fit, nisi cum cognitione defectûs præcedentis, aliter illa non fieret, nam illa non fit nisi cognitâ ejusdem necessitate, & ista non potest agnosci, quin agnoscatur defectus qui necessariam illam efficit, ratificatio autem tacita non est pejoris conditionis, quàm expressa, si igitur cognitio defectus sit necessaria ad istam, debet esse etiam ad alteram.

Quod mox probatum fuit de necessitate cognitionis defectûs ætatis, quæ professionem præcedentem fecit irritam, ad ratificationem subsequentem hujus professionis, locum habet in omni alio defectu qui habet eumdem effectum, & qui potest à ratificatione reparari. Hoc confirmare conabimur per novas probationes, loquendo de remedio illis aliis vitiis applicando.

Quod Papa Innocentius confirmavit in *Capite objectio*, nempè quod, post annum silentii super nullitate Professionis proveniente ex defectu ætatis, nemo possit conqueri, suum habet fundamentum in *Cap. 2. De Regular.* quod unum tantùm annum concedit pro reclamatione contra Professionem irritam. Illud depromitur è *Concilio Moguntino habito anno* 813. Statuit, ut, si pueri donentur Clericali Tonsurâ sine consensu Parentum ante annos legitimos, ante quos in sua sint potestate, ut Domino se consecrent, in suâ Tonsurâ remaneant, posito quod Parentes in anno non reclament. Idem dicit de pueris, qui post hos annos per vim Tonsurâ Clericali initiantur; non accipiuntur ad conquerendum, si annus elabatur, nec illi reclament. Per Tonsurationem intelligitur in boc loco Consecratio cultui Divino, sive per Professionem Religiusam, sive per receptionem Clericalis Tonsuræ. Tonsura erat aditus ad utramque: Id videtur per *Cap. 1. ejusdem Tituli*, ex eodem Concilio desumptum; tempus præscriptum ab hoc Concilio ad reclamationem, notabiliter fuit prolongatum à *Concilio* Tridentino, *Cap. 19.* Sess. XXV. *de Regular.* Concedit quinque annos numerandos à die professionis, *Cap 2. de Regularib.* Jam citatus est antiquior Textus, in quo verbum, *Reclamare*, adhibeatur in sensu in quo accipitur hodiè, loquitur de tribus reclamationis Causis 1. Defectu ætatis; reclamatio pertinebat ad Parentes, quibus, se invitis, pueri auferebantur, quos in sua potestate habebant. 2. De violentia agit. 30. De injuriâ illata Parentibus aut Dominis, quorum Pueri Tonsurâ Clericali Donabantur, aut servi sine Dominorum consensu. Idem docet adhuc Reclamationem non solùm antè Episcopum, sed etiam ante Principem aut ejus missum. Citatus est hic Textus, quemadmodum reperitur in Gonzalez.

Pænitentiale Romanum citatum post Burchardum *C. 1. De frigid.* agit de alia specie reclamationis, similis huic, quæ est pro causâ impotentiæ, in genere Matrimonii; supponit uxorem habere tantùm 6. menses, aut, ad majus, annum ut conquereretur, utitur verbo, *proclamationis*. Mentio fit de ratificatione Professionis factæ ante ætatem requisitam in *Cap. 11. De Regul.* Alexan. III. supponit defectum reparari ratihabitione. Clemens III. *in Cap. 12. Ibidem* eodem modo agit.

Reclamatio & Ratificatio tam valdè opponuntur, ut una alteri obstet. Ratihabitio anterior reclamationem inutilem efficit; & Reclamatio facta in præscripto tempore est quædam præscriptio contrà ratificationem tacitam. Si Reclamatio ista omittatur intra illud tempus, hæc omissio habetur tamquam ratificatio, *Cap. 19.* Sess. XXV. *de Regular. Cap. 5. De Regul. in 6.* Locum tantum Reclamatio habet quamdiù nullitas subsistit; hæc autem cessat per ratihabitionem, sed ad id requiritur, ut ratificatio fiat liberè & cum cognitione; liberè, inquam, quia consensus posterior non potest supplere defectui consensûs anterioris nisi qualitates habeat quas iste debet habere, sufficitur in ejusdem locum, & *subrogatum sapit naturam subrogati.* Tempus datum ad reclamendum non currit contra professum, qui legitimè impeditur ne reclamet. *Tempus non currit legitimè impedito.* Juxta hoc principium, qui in hoc casu reperiuntur, non opus babent restitutione contrà lapsum Quinquennii, sed sufficit ut postulent admitti ad probandum legitimum suum impedimentum, quod possunt obtinere ab Ordinario.

Ex hoc numero sunt: 1°. Illi qui ignorarunt invictè defectum suæ Professionis, 2°. qui privati

sunt, per id omne tempus aut maximam ejus partem, usu rationis. 3. Qui per vim coacti ad professionem, ab illa vi liberi non sunt facti per quinquennium. Non potest dici quod *Concilium* TRIDENTINUM non exceperit impedimenti casum, & nisi voluisset in suo Decreto illum comprehendere, ab eodem Concilio clarè ille fuisset exceptus, nam agitur de exceptione Juris, quæ semper subauditur, cùm non exprimitur. Regula citata est generalis, locum habet in unaquaque specie præscriptionis.

Nulla Lex neque usus legitimè præscriptus cogit, ut petamus à Papa Rescriptum ad reclamandum; itaque quando nullus Canon contrarius attribueret Ordinario potestatem admittendi reclamationem & de illa cognoscendi, tamen hæc ad ipsum pertineret: hoc principium statutum est in Tractatu *Jurisdictionis Ecclesiasticæ*, nempè quod Episcopus possit in sua Diœcesi, omne quod non illi prohibetur à Jure: sed veteres Canones & novi supponunt hanc potestatem pertinere ad Episcopum; illud intellectum est ex Textibus suprà citatis, qui constituunt Episcopum inter illos coram quibus potest reclamari; idem legitur in Decreto *Concil.* TRIDENT. quod statuit, ut exponantur causæ reclamationis coram Episcopo, undè in Regionibus potestati Pontificiæ magis faventibus, Ordinarius de reclamatione cognoscit sine Rescripto Romano: si quibusdam in locis hæc Rescripta petita sunt, id factum fuit quia confusa est via reclamationis, cum via dispensationis; reclamatio est res quædam spectans ad justitiam & communis; alia est magna gratia & rarò concessa.

In hoc ideo est de vitiosa obligatione ad statum Religiosum, quemadmodum de contractu defectuoso Matrimonii: reclamatio adversus Matrimonium est de notitia Episcopi, non autem Papæ, sed quædam dispensationes reservantur Summo Pontifici, aut pro illis obtinendis plerumque ad eum recurritur.

Differendo de actibus qui juxta Sacros Canones annullantur à metu qui potest viros constantes concutere, probatum est Professionem Religiosam esse ex hoc genere; in hoc loco demonstratum est timorem dictum reverentialem, qui oritur ab observantia in Parentes habita, quibusdam in circumstantiis posse concutere pueros & puellas 15. aut 16. annorum; idem probatum est in Tractatu *De Reclamatione*.

Quoniam Professio non potest esse irrita ex professi parte, & non esse ex parte Religionis, quemadmodum nec Matrimonium, nec alii contractus possunt esse irriti ex una parte, quin sint ex altera, quia producunt obligationem reciprocam, Religio potest reclamare in omnibus casibus, in quibus professus potest reclamare; itaque cum professus non reclamat, Religio jus habet illud faciendi, & suo Jure debet uti, si Professus sibi non conveniat. Hoc infertur ex Textibus, qui permittunt Religionibus, ut expellant Religiosos validè professos, qui sunt incorrigibiles, nam hæc potestas alterâ longè major est, & quod majus est continet quod est minus REG. LIII. *De Regul. Jur. in 6.*

Quando tota autoritas recipiendi ad Religionem, pertinet ad Superiorem, solius istius est reclamare, hoc verò Jus spectat ad Conventum, quemadmodum ad Superiorem, cùm potestas recipiendi pertinet ad utrumque, *Cap. 1. De His quæ vi metusve causa &c.* Cap. 6. *De Regular. in 6.*

Professus idem commodum percipit ex impedimentis ortis ex parte Religionis; talia sunt: I. Defectus potestatis in eo qui recipit professionem; II. Defectus consensûs Monasterii, sive plerique, sive nullus consentiat, in locis in quibus consensus majoris partis necessarius est; idem dicendum est de occasionibus in quibus impedimenta sunt partim in professo, partim in Religione; ex hoc numero sunt quidam morbi incurabiles, qui juxta Constitutiones Religionis, Professionem annullant; idem quoque est de vitio orto ex eo quod professus sit stirpe Judaica, quoad nonnullas Religiones, aut si quis sit ignobilis quoad alias; ista impedimenta ab aliis differunt de quibus mentio facta fuit, in eo quod sint relativa, & locum non habent, nisi in quibusdam Religionibus, alia verò sunt absoluta, & locum habent in omnibus & singulis Religionibus: nulla mentio fit in Jure de his impedimentis relativis, aut si de iisdem sermo habeatur, in eo loco non sunt approbata, itaque sufficit unum verbum de his protulisse per transennam, & observavisse illa dare Jus reclamandi, tàm professo, quàm Religioni, undè sequitur, quod cum professio irrita est, professus non potest in Religione remanere, invita eadem Religione, & ista non potest retinere Professum ipso invito.

Est etiam æqualitas inter Religionem & professum quoad tempus concessum ad reclamationem, habet illa quinquennium, & si legitimè impediatur, Jus habet detrahendi tempus legitimi impedimenti, & restitutio locum habet in ejus gratiam, quotiescumque conceditur professo. Si Concilium tantùm expressè de professo loquatur, id factum est, quia reclamatio vulgò fit à professo, & hanc ob rem credidit sufficere quod mentio expressa haberetur de professo, subaudita Religione in eo quod præscribebat in favorem professi & adversus illum; agitur de duobus correlativis quæ debent esse ejusdem conditionis, cum ratio quæ militat pro uno, militet etiam pro altero. Itaque Religio debet comprehendi in dispositione quoad professum, non solùm ad causas reclamationis, sed etiam ad tempus, quod etiam producendum est ad formam, paritas rationis ad id cogit. Quemadmodum igitur professus suas debet deducere rationes ante Ordinarium, & coram Superiore, Religio ad id quoque tenetur; itaque non accipienda est ad remittendum Religiosum cujus professio fuit irrita, nisi priùs probaverit nullitatem coram Ordinario, aut ejus Vicario, debet subire onera, quemadmodum proficit de commodis professi. FAGNANUS agit fusiùs de his Quæstionibus in *Cap. 1. De Regular.* & solidè probat æqualitatem Religionis cum professo, in omnibus his capitibus. Respondet æquè pertinentet rationibus contrariis, æquum erat, ut conservaretur hæc æqualitas; obligatio professi ad Religionem, & istius ad professum, est quædam Matrimonii species, ut jam fuit observatum; & in genere cassationis Matrimonii, est quædam integra æqualitas inter maritum & uxorem, tum quoad causas, tempus, formam & quoad judicem. Concilium nullam posuit differentiam, inter Religiosos exemptos, & Religiosos non immunes, in genere reclamationis neque professionis.

Quædam est quæstio, an *quinquennio* elapso, sine reclamatione & impedimento reclamandi, professus teneatur perseverare in statu Religioso. Fusis verbis de illa differit FAGNANUS, *in* Cap. 2. *De Regul.* Apud omnes constat, quod si vitia quæ professionem irritam fecerunt, temporalia sunt, professus post illorum cessationem ad eam teneatur & obligetur. Contentio versatur circa impedimenta perpetua, & circa forum interius. Alii negant, alii affirmant. Hic Autor ita sentit; hac in re videntur adhuc distinguenda duo genera Impedimentorum perpetuorum; alia sunt Juris Divini, alia Juris Humani; quoad ista, videtur quod, quemadmodum Ecclesia ea constituit, ita de iis possit dispensare, & revera dispenset illos quibus denegat omnem actionem contra professionem quam annullant; pro aliis debent reputari subsistere,

re, post *Quinquennium*, atque ita professus nunquam tenetut perseverare in Statu Religioso, sed semper debet recipi ad probandam nullitatem, quia Ecclesia non potest, nec vult de eo dispensare; hujusce relata sunt exempla suprà; ratio differentiæ est quod præscriptio locum non habeat, in eo quod Juris est Divini, sed solùm in eo quod est Humani Juris: illud probarum in Tractatu *De Præscriptione*. Objici non potest quod Concilium loquatur indistinctè; nam hæc distinctio; cùm Juris sit, debet subaudiri.

Ille abutitur terminis Concilii, *non audiatur*, qui concludit ex illis, illud solùm intendere, ut excludat ab omni actione aut audientia, atque ita restringere suum Decretum in foro exteriori: nam, ut intellectum est, *Quinquennium* est quædam Præscriptio, & locum habet Præscriptio in foro interiori, ut & in exteriori, cùm reddat in utroque legitimum possessorem; in eo quod sit Dominus rei præscriptæ, suos faciat fructus; quemadmodum excludit suos adversarios ab omni contra se actione, per exceptionem peremptoriam, aut finem non recipiendi. Idem est de hoc Decreto, ac de Decreto de pacificis, quo acquirit Beneficium in utroque foro, ille qui illud possedit per tres annos, cum titulo colorato, & fine perturbatinne. Per *Quinquennium* Professus acquirit possessionem sui loci contra Monasterium quod non reclamavit, & istud possessionem adipiscitur Religiosi: quia tempus elapsum est fine reclamatione, præsumitur utrumque renunciasse juti quod dabat nullitas Professionis, Monasterium nempè juri expellendi professum extra Monasterium; istum verò juri egrediendi invito Monasterio.

Idem Author *in Cap. 1. De his quæ vi metus-ve &c.* fusiùs differit de impedimento perpetuo, orto ex eo quod Novitiatus non factus fuerit in Monasteriis designaris ad recipiendos Novitios, introducto à CLEMENTE VIII. Docet I. illos, qui ratione nullitatis reclamant, quæ ex eo provenit, illud facere debere juxta formam à Concilio præscriptam; quemadmodum illi qui teclamant ratione nullitatum ortarum ab impedimentis temporalibus. Quod si elapsum sit *Quinquennium*, possunt ad Religionem admitti per restitutionem contra *Quinquennium*. Eadem Lex docet, Decretum CLEMENTIS VIII. locum habere tantùm in Italia & in Insulis Statûs Ecclesiastici. Quod si Professio declaretut nulla ab Ordinario, ad quem hujus cognitio pertiner, professus est omninò liber, potest in Sæculum redire, non obligatur Religioni generatim, nec etiam in aliis nullitatis casibus, & potest validè Matrimonium contrahere. Itaque juxta hunc Authorem, hoc Impedimentum quamvis perpetuum, est ex natura temporalium, ratione reclamationis. Idem etiam est de aliis impedimentis perpetuis sub eadem ratione sumptis, scilicet hæc sunt, defectus formæ substantialis, defectus potestatis in Superiore, quidam morbus incurabilis in quibusdam Religionibus, defectus nobilitatis in aliis.

SECTIO VII.

Quando, & quomodo Dispensatio locum habeat in impedimentis spectantibus ad Professionem Religiosam.

Vidimus hæc inter impedimenta, quædam esse Juris Divini, talia sunt defectus consensus, defectus sexûs, ratione loci in quo quis se obligat, defectus fidei in CHRISTUM.

Quoad hæc Impedimenta nulla est dispensatio. Non possunt objici contra defectum consensûs, Canones quibus permissum fuit Parenribus, vovere pueros suos, illos conseerare cultui Divino in statu Religioso, ante pubertatis annum, & quibus isti coacti sunt servare Votum Parentum suorum: nam 1. hoc nunquam ab Ecclesia Universali fuit authoratum, Ecclesiæ particulares hos Canones sanxerunt, & potuerunt errare eos faciendo. 2. Hi Canones requisiverunt consensum tacirum puerorum, nam exceperunt ab hac obligatione, pueros resistentes oblationi suorum Parentum. (Idem sunt collecti in Tractatu *De potentia parentum in pueros impuberes*,) nt illos obligarent ad statum Religiosum.

Idem dicendum est de Canonibus, quibus licuit Dominis consecrare servos suos Statui Religioso etiam adultos: nam supposuerunt consensum servorum, aut solùm autoraverunt consecrationem servitio Monasteriorum, nec eos obligaverunt exercitiis Regularibus; probationex hujus sunt in eodem loco.

Non possunt etiam objici Canones qui præcipiunt, ut includantur in Monasteriis Clerici rei criminum capitalium, *Cap. 35. De sent. Excom.* qui colliguntur in Tractatu *De Censuris Tit. De Depositione*: nam illi Clerici non cogebantur ad facienda exercitia Regularia, sed detinebantur in Monasteriis tanquam in carceribus, ex quibus non poterant exire: undè cum erat periculum ne fugerent è Monasterio, ponendi erant in carceribus tutioribus.

Canones qui præcipiunt, ut ponantur mulieres adulteræ & dimissæ à marito in Monasteriis Religiosarum, non adversantur Regulæ datæ pro certa; nam in iis tantùm includebantnr, ut agerent pœnitentiam, non autem nt essent Religiosæ se invitis *Cap. 19. De Conver. Conjug.* hæc verba, *Ut perpetuam pœnitentiam ibi agant*, illud ostendunt. GONZALEZ *In Cap. 1. De Regular.* loquitur de hac inclusione, & probat solide illam non cogere ad exercitia Regularia Relatis præcipuis Canonibus hoc statuentibus, tàm in Corpore Juris, quàm extra hoc Corpus, observat nullos esse, qui dicant personas ita detentas, hoc modo fieri Religiosas. *n.* 10.

Non potest objici finis *Cap.* 18. SESS. XXV. *De Refor.* quod videtur insinuare posse compelli filias conversas aut pœnitentes ad faciendam professionem, eas excipiendo à prohibitione quam facit, ne cogantur nllæ ad intrandum in Religionem: nam exceptio cadit in ingressum, & non in Professionem pro qua relinquitur illis plena libertas. Vid. FAGNANUM *in* Cap. 16. *De Regular. n.* 29. 30. 31.

Frustra adhuc objiceretur contra eamdem Regulam, quod in Veteri Lege Parentes possent consecrare Domino infantes etiam ante ortum, per omne tempus quod viverent, & quod isti tenerentur servare votum factum à Parentibus, nam Deus Autor hujusce legis, cum Dominus sit omnium creaturarum suarum, tam rationabilium quàm irrationabilium, hanc potuit tradere potestatem Parentibus, & obligare infantes ut servarent Votum Parentum. Hac autoritate Suprema reservabat etiam servitio suo aliquos infantes ante eorum nativitatem, quales fuerunt SAMSON & SAMUEL; declaraverat suam voluntatem & id sufficiebat; non idem fecit in Nova Lege. Aliundè professio voti Religiosi ad ea obligat, ad quæ non obligabat hæc verus Domino consecratio, nempè ad castitatem perpetuam, paupertatem voluntariam, obedientiam Superiori in omnibus capitibus à Regula præscriptis.

Ratione illorum trium Votorum, defectus Fidei in JESUM-CHRISTUM reddit personam inhabilem ad professionem Religiosam institutione Divina: nam ista obligat ad praxim perfectionis Religinnis Christianæ, consistentis in sequendis consiliis Evangelicis, quod non potest fieri quin serventur præcepta Evangelii, quorum primum est fides in CHRISTUM. Itaque hoc impedimentum debet esse indispensabile, quemadmodum & illud de quo mox locuti sumus; idem esse debet de impedimento sexûs requisiti ad Monasterium in quo sit professio.

Si per institutionem JESU-CHRISTI, tria Vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, sint ex substantia status Religiosi, oportet ut impedimenta quæ illis opponuntur sint indispensabilia, ita ut Ecclesia non possit facere unam personam esse verum & perfectum Religiosum, sine praxi horum trium Votorum. Fortasse hanc ob rem INNOCENT. III. *Cap. 6. De Statu Monach.* affirmat Papam ipsum non posse dispensare Religiosum de abdicatione proprii, neque de castitate.

Si verò Ecclesia junxerit hæc tria Vota, ut ex iis faceret substantiam Professionis Religiosæ, potest de iis dispensare. Indè fortasse ortum est, ut Religiosæ quædam non fecerint Votum paupertatis; tales erant Filiæ & Mulieres, quæ capiebant velum, & domi suæ manebant, nec bonis suis renuntiabant. *Cap. 4. & 7. Qui Cler. vel Vovent. Cap. 4. De Regular. Cap. 7.* explicatum est in Titulis, qui spectant ad substantiam status Religiosi.

Quod mox dictum est de Dispensatione impedimentorum contrariorum tribus Votis Religionis, non spectat ad hæc Vota, nisi quatenùs sunt facienda; nam agitur de impedimentis, quæ præcedunt Professionem, quæque possunt illam annullare; De Dispensatione verò Votorum jam factorum, jam locutum est in Tractatu *De Votis*, & nihil hac de re superest dicendum, nisi quod si Vota Solemnia habeant effectus, quæ Vota simplicia non habent, hanc Ecclesia posuerit differentiam inter illa atque ista, quemadmodum potest dispensare de Votis simplicibus, ita pariter oportet ut possit dispensare etiam de Votis Solemnibus, ea Lege ut ista cùm sint multò graviotis momenti, non dispenset de illis, nisi propter causas multò majores; talia sunt inprimis pacificatio Regni, quod periret per divisionem sine tali Dispensatione: hæc fuit causa Dispensationis datæ Monacho RAMIRI, soli hæredi Regni ARRAGONIÆ, quod sine hoc tunc in discrimen adducebatur, ne periret bellis civilibus: Conservatio Religionis Catholicæ in Statu & Regno, proximo illam perdere periculo, nisi exeat Religiosus familiæ Regnantis, ad quem illud pertinet.

Alia impedimenta Professionis Religiosæ, cùm sint institutionis Ecclesiasticæ, sine dubio Ecclesia potest de iis dispensare, sive antequam fiat, sive postquam facta est. Regula Juris est ut, *quicumque potest ligare, possit etiam solvere*; inde oritur ut omnis Legislator possit dispensare de suis Legibus; unde JESUS CHRISTUS concludebat, se, cùm tradidisset tanquam Deus Præceptum Sabbathi, posse ab eo dispensare. Hoc super fundamento Ecclesia dispensat de impedimentis Matrimonii, necnon de illis quæ ad Ordines spectant, & Beneficia, quæ eadem constituit, tàm antè Matrimonium contractum, aut antè collationem Ordinum aut Beneficiorum, quàm posteà. Papa INNOCENT. III. Cap. 20. *De Rescript.* Cap. 4. *De Conceff. Præb.* hujus facit principium, quo dispensationes stabilit, quas in eo concedit, aut quas asserit posse dare. Hinc possunt applicari ad Dispensationem impedimentorum Professionis, Textus qui loquuntur de Dispensationibus Matrimonii, quæ illud præcedunt aut sequuntur; nam, ut dictum est, illa est Matrimonium spirituale. Talia sunt *Cap. 3. & 6. De Consanguin.* Cap. 5. SESS. XXIV. *De Ref. Matrim.* Cap. 18. SESS. XXV. *De Ref.* Ad rem adhuc facit, quia agit de causis & modo concedendi dispensationes. Hi Textus collecti sunt in Regulis pertinentibus ad Dispensationes cum omnibus aliis ad eamdem materiam spectantibus. Quamvis Dispensatio Voti paupertatis concessa Religiosis, quorum Monasterium Sæculare factum fuit, spectet ad Votum jam factum, potest nihilominùs allegari tamquam probatio potestatis Ecclesiæ quoad Vota facienda; nam minor potestas requiritur ad permittendum, ut quis retineat suum bonum, aut partem suorum bonorum, Religiosam vitam amplectendo, quàm requiritur ad solvendum de Voto paupertatis illum, qui illud vovit. Usus autem est in Sæcularisatione, ut dispensetur de Voto paupertatis membra Monasterii quod Sæculare fit, nam liberantur omnibus obligationibus Regularibus, exceptis obedientia & castitate. Potest videri exemplum in Sæcularisatione Abbatiæ VEZELIACENSIS; Bulla refertur à PINSON TOM. II. *De Regul.* versùs finem: Majus adhuc advertitur in Sæcularisatione Abbatiæ MALLEACENSIS; nam exonerat Religiosos, quos facit Sæculares, à Voto, obedientiæ, necnon & paupertatis. *Nov. Monum. Cleri.* TOM. III. *p.* 12.

SECTIO VIII.

Doctrina Canonum concernens Translationes Religiosorum ab una Religione ad aliam, ut sint istius Religiosi.

Multi reperiuntur Canones veteres, qui prohibent Translationem Clericorum ab una Ecclesia ad alteram; Nonnulli sunt in illis, qui attribuuntur Apostolis; in illis qui spectant ad *Concilium* ANTIOCHENUM *ann.* 341.; in illis qui pertinent ad *Concilium* SARDICANSE celebratum *ann.* 347. Illorum fundamentum est, quod per Ordinationem addicti erant Ecclesiæ propter quam ordinari fuerant, non sibi erant, sed isti Ecclesiæ, non poterant illam relinquere, ut se dederent alteri, sine præjudicio tertii; unde necessaria erat ad hanc Translationem licentia Ecclesiæ, quæ poterat de eo aliquid pati; necesse etiam erat examinare an Servitium Divinum, an bonum animarum, pro quibus fiunt Ordinationes, illud requirebant; illa habebatur meritò ut Dispensatio, quæ, velut aliæ, justam causam postulabat.

Ecclesiæ aut Sacella Monasteriorum erant ex istis Ecclesiis, pro quibus ordinabantur Sacerdotes, Diaconi, & omnes alii qui erant destinati ad Ordinem Ecclesiasticum. *Can. 6. Concilii* CALCED. juxtà unamquamque versionum, quæ leguntur in CONC. TOM. IV. *p.* 756. *usque ad* 788. Itaque hi Clerici erant ex illis quorum Translatio prohibebatur à Canonibus; sed non videntur illi Clerici fuisse Religiosi, imò locus est præsumendi illos in Religione non esse comprehensos; nam Religiosi raró promovebantur ad Ordines in V. aut VI. prioribus Sæculis; sed cum certò constaret illos fuisse Religiosos, non indè sequeretur Canones citatos, qui vetant Translationem Clericorum ab una Ecclesia ad alteram, pertinuisse ad Translationem Religiosorum, de quibus mens est loqui; nam fuis multùm differebat, in eo quod hæc fit, ad ducendum aliud vitæ genus, aut austerius, aut mitius; altera verò fiebat pro servitio alterius Ecclesiæ, quàm illius cui ordinatus fuerat in Ordinatione.

Non igitur esset conveniens applicare Canones, qui vetabant Translationem Clericorum Translationi Religiosorum, de quibus agitur; cùm prohibitio desumpta erat à perpetuitate Titulorum Ordinationis, undè procedit vetus effatum, *in quo Titulo quis ordinatus est in eo permaneat*, & prohibitio Translationis Religiosorum depromitur, ut observabitur, de obligatione servandi Vota facta in Professione: Præterea in hoc loco mentio fit de Translatione ab una Religione ad alteram, aut ab uno Ordine ad alterum, cum qua Translatio Clericorum ab una Ecclesia ad alteram nihil habet Commune.

Facti Canones ratione Translationis Religiosorum

rum ſunt certè multò recentiores, quàm illi qui pertinent ad Tranſlationem Clericorum; nam antiquiores qui reperiuntur in Corpore Juris ſunt ex ſæculo XI. Gratian. illos refert *Cap.* 1. 2. 3. Caus. XIX. Quæst. III. loquuntur de tranſlatione Canonicorum Regularium ad Ordinem Monaſticum: Primus deſumitur ex *Conc.* Augusтon. habito ſub Gregor. VII. *ann.* 1077. Prohibet ſub pœna anathematis omnibus Abbatibus & omnibus Religioſis, ne avertant Canonicos Regulares à ſua Profeſſione Canonica, ne ſollicitent illos ut fiant Monachi, & ne accipiant eos ad habitum Monaſticum, quandiu reperient in ſua Congregatione aliquam Eccleſiam, in qua Canonicè viventes poſſint colere Deum, & animam ſuam ſalvare. Urbanus II. *ann.* 1096. jubet in ſecundo, ne quis Canonicus Regularis, profeſſus factus, fiat Monachus, niſi in caſu delicti publici; quod ſi quis infringit hoc Decretum compellatur redire in Ordinem Canonicorum Regularium, in quo geſtabit cucullam Monaſticam, ne obliviſcatur ſuæ culpæ, & ſemper ultimum locum in Choro habebit.

Idem Papa ſcribens eodem anno Abbati S. Rufi, Capitis Congregationis Canonicorum Regularium, injungit eidem, ut vigilet, ne ullus Canonicus Regularis, cùm ſibi dederit Superiorem, qui tenet erga ſe ipſum locum Dei, exeat è ſuo Ordine, ſive per levitatem, ſive ſub prætextu, aut deſiderio agendi vitam auſteriorem, ſine Abbatis licentia & omnis Congregationis ſcriptâ; aliter verò non accipiatur ab ullo Abbate, Epiſcopo, aut Monacho; in eo loco mentionem facit de Epiſcopis, quia Epiſcopus poterat recipere ad Profeſſionem in Monaſteriis ſibi ſubjectis. *Cap.* 5. Quæst. II. *Ibidem.* Rei quoque convenit, quamvis loquatur de Tranſlatione Clerici ad Ordinem Canonicorum Regularium, aut in Religiones Monaſticas, & licèt factum fuerit tantùm ad decidendum an Clericus poſſet intrare in unum ex his duobus ſtatibus ſine licentia Epiſcopi: revera idem Papa Urbanus II. reſpondens illud eſſe licitum, affert rationes quæ ſuam habent applicationem ad Tranſlationem Religioſorum, quod eſt adeò verum ut Innoc. III. illas ad eamdem applicaverit. *Cap.* 18. *De Regul.* hoc demonſtrabitur, poſtquam explicati fuerint juxtà eundem Ordinem alii Textus, qui ad eandem materiam ſpectant, & ſunt antiquiores quàm *Cap.* 18.

Sed antequam ad hos Textus tranſeamus, obſervandum eſt primum ex Canonibus citatis & relatis, docere I. Relaxationem diſciplinæ Ordinis juſtam eſſe cauſam Tranſlationis, cum tanta eſt, ut in eo periclitetur ſalus: II. Antequam ab Ordine quis exeat, ut ingrediatur in alterum, examinandum ab illo eſſe, an ſuperſit aliquod Monaſterium ſui Ordinis in quo poſſit ſalvari, & tentandum, ut habeat obedientiam, ad intrandum in illud.

Ex ſecundo colligitur, Canonicos Regulares, qui ſcandalum generaverunt ſua mala agendi ratione, poſſe fieri Religioſos, ut reparent ſua pœnitentia publica ſcandalum procreatum, & illorum, qui Religioſi fiunt ſine juſta cauſa, Tranſlationem eſſe irritam, & talem mereri pœnam ſubire, ut alios à ſimili culpa avertat.

Tertius docet zelum progreſſûs in perfectione juſtam eſſe Tranſlationis cauſam, ſed ut quis huic deſiderio ſatisfaceret neceſſariam fuiſſe licentiam Capitis, & totius Ordinis.

Ex Quarto infertur hanc facultatem non eſſe requirendam, ſi quæ eſſent probationes vocationis ſufficientes, ad ſtatum perfectiorem, quod explicabitur fuſiùs in Conſiderationibus ſuper *Cap.* 18.

Poſt Textus relatos nullus agnoſcitur antiquior, quàm *Cap.* 7. *De Regular.* Deſumitur ab Alexand. III. facto Papa *ann.* 1159. & mortuo *ann.* 1180. & ab Epiſtola Scripta ad Epiſcopos Galliæ in gratiam Religioſorum Cisterc. Cùm iſtis expoſuiſſet, illis Religioſis perſeverantibus in fervore & exacta obſervantia ſuæ inſtitutionis, Prædeceſſores ſuos prohibuiſſe, tàm Fratribus Converſis quàm aliis, ne exirent ex Ordine, ut intrarent in alium ſine licentia ſuorum Abbatum, & hanc prohibitionem eſſe juſtam & convenientem Religioni & rationi, præcipit illis Epiſcopis, ut impediant ne infringatur, & cogant per cenſuras illos qui exierint aliter, ut in Ordinem inceſſanter redeant. Gonzal. *in Cap. illud* obſervat Converſos non facere Profeſſionem, & citat ad illud probandum Manriq. qui hoc expreſsè dicit; ſed Textus adverſatur huic obſervationi, nam poſtquam locutus eſt de Converſis hujus Ordinis, quemadmodum de Monachis, reſtringit prohibitionem ad illos, qui fecerint Profeſſionem: hæc verba, *poſt factam Monaſterii Profeſſionem*, illud demonſtrant; idem eſt de illis, *in quo Profeſſionem fecerint.*

Hic primus Textus eſt, qui mentionem faciat de Privilegio conceſſo quibuſdam Ordinibus, nempè ut nullum ex eorum membris tranſeat in alium Ordinem ſine licentia Abbatis: quamvis hoc Privilegium nihil concederet, quàm quod erat Juris Communis, ut infrà obſervabitur, non erat tamen inutile, nam adjiciebat novum vinculum, quod arctiùs compellebat Sanctam Sedem, ut ſe hujuſmodi Tranſlationi opponeret. *Cap.* 10. *ejusdem Tit.* depromptum ex eodem Summo Pontifice, & miſſum ad Epiſcopum Ambian. oſtendit Tranſlationem, quæ fiebat injuſſo Abbate, etiam ab Ordine Canonicorum Regularium in Ordinem Monaſticum, non eſſe irritam, cùm hic Ordo erat auſterior; nam Papa conſultus ſuper tali Tranſlatione, reſpondet, ſi genus vitæ hujus Ordinis potius ſit Ordine Canonicorum Regularium, Epiſcopum debere ſinere, ut ſubſiſtat Tranſlatio; aliter debere eundem cogere tranſlatum, ut redeat in ſuum Ordinem. Valdè veriſimile eſt illos Canonicos non fuiſſe tunc exemptos; aliter non pertinuiſſet ad Epiſcopum examinare hanc Tranſlationem & de illa cognoſcere, ut confirmaretur, aut infirmaretur.

Jam advenimus ad *Cap.* 18. *De Regular.* quod pro Regula habetur erga Tranſlationes ad Religiones auſteriores, & videtur, ex quo factum fuit, ita habitum eſſe. Colligitur è Papa Innoc. III. & miſſum fuit ad Priorem, & ad Conventum loci cujuſdam nunc ignoti: conſultus fuerat Summus ille Pontifex de hac ejuſmodi Tranſlatione, & rogatus veriſimiliter an illæ fieri poſſent, ſine obtenta Superioris facultate, in Ordinibus, qui Privilegium habent, ut nullum ex ſuis membris poſſit tranſire in alium Ordinem, etiam auſteriorem, ſine hac licentia; Papa cùm expoſuiſſet Sanctam Sedem conceſſiſſe quibuſdam Religioſis, & Canonicis Regularibus, necnon & Hoſpitalariis & Templariis, ut nullus ex eorum Ordine poſſit poſt Profeſſionem tranſire ad alium Ordinem ſe invito, etiam ſub prætextu vitam ſtrictiorem ducendi, ut juxta Apoſtolum quiſque maneat in ſua vocatione, interpretatur hæc Privilegia, & ea reſtringit ad caſum in quo Religioſus vult egredi per levitatem, ad detrimentum & ruinam Ordinis, allegans multas rationes ad probandam hanc interpretationem: I. Accipiendo Spiritum Sanctum, acquiritur libertas; quos ille regit, illi non ſunt Legi ſubjecti, & iſta non eſt pro juſto. II. Spiritus Sancti inſpiratio cùm ſit Lex particularis, ſuperior Legi Publicæ Eccleſiæ, illi iſta debet cedere. III. Superior, qui non obſtantibus indiciis vocationis à Religioſo expoſitis denegat permiſſionem, ille facit recuſationem indiſcretam, & conſequenter Religioſus poteſt, ſine ejus licentia, exire. IV. Papa, cui ſuprema eſt in Eccleſia poteſtas, ſolet permittere Epiſcopis & Archiepiſcopis, ut intrent in Religionem, cùm illud poſtulant juſta cum cauſa; undè concludit, quod, ſi Religioſus poſtulet cum

humilitate & puritate licentiam exeundi, ut non amittat meritum obedientiæ, hanc illi debet Superior facilè concedere, ne resistat voluntati Dei.

Cùm sic responderit super casu, in quo certum est Religionem, ad quam Religiosus vult transire, austeriorem esse, & ipsum agere per charitatem & cum maturitate, non autem per cupiditatem, & cum levitate, dicit, super casus in quibus unum aut alterum ex illis dubium est, recurrendum esse ad Superiorem.

Quod dicit de Superiore non potest intelligi de Superiore locali, cùm ipse sit Pars, & necesse sit examinare, an recuset licentiam eum justa causa; neque de aliis Superioribus Ordinis, si dubium cadat in majorem aut minorem austeritatem Ordinum, nam tunc sunt Partes, cùm illorum intersit, ut declarent suum Ordinem austeriorem esse, aut alterum non esse strictiorem. De temeritate aut levitate animi illius qui transferri vult, Superiores Majores possunt cognoscere, sed cùm de bono sui Ordinis agitur, in quo possunt esse suspecti, officii sui esse videtur, ut non deciderent dubium, nisi postquam consuluerint personas alienas.

Formatur difficultas super hac Decretali & super multis aliis, spectans ad dotes superiores quibus ornari debet Religio, ad quam quis transire intendit, super illa ex qua quis potest exire. Variæ Canonum expressiones his dant occasionem, nam *Can.* 3. *cit.* CAUS. XIX. supponunt Religionem debere esse arctiorem, *Districtioris Religionis.* Cap. 10. *suprà citatum* docet Religionem debere esse r iorem in hoc Ordine, quàm in omni alio; & *Cap.* 18. quod explicatur, utitur modò his verbis, *melioris vitæ*, modò istis, *sanctioris vitæ*, sive his verbis *Arctioris Religionis*, aut istis, *arctiorem vitam.*

Ad intelligentiam hujusce difficultatis observandum est, quod in *Cap.* 1. *De Regular. in* EXTRAV. COMMUN. istæ expressiones (*vitæ melioris & vitæ strictioris*) sunt Synonimæ, quemadmodum sunt in ho loco, & quod idem sit de illis, *Vitæ Sanctioris*; quodque Papa in illo utitur sæpiùs, & in locis gravioris momenti hac expressione, *Ordinis Strictioris*, *Religionis Districtioris*, *Vitæ Arctioris*, locus est credendi austeritatem esse qualitatem ex qua judicandum est, an translatio sit justa, vel non; ita ut si illa Religio, ad quam quis vult transire, sit austerior, æstimandum est Religiosum posse ad eam transire, non obtentâ Superioris licentiâ, cùm eandem postulaverit cum humilitate & puritate. Animadvertendum adhuc est, perfectionem status Religiosi, sive consideretur ut locus pœnitentiæ destinatus, sive spectetur ut praxis consiliorum Evangelicorum, debere consistere in austeritate servata per principium amoris Dei, sine quo omne pietatis exercitium inutile est, juxta hoc verbum S. PAULI, *sine charitate nihil sum;* nam ex una parte pœnitentia reducitur ad mortificationem animi & sensuum, & ista si major sit aut minor, pœnitentiam efficit magis aut minùs austeram, cùm austeritas sit pugna perpetua adversus inclinationes mentis & carnis; ex alia parte, nihil durius est naturæ, quàm praxis consiliorum Evangelicorum, qua quis suæ voluntati renunciat, carni suæ, & bonis; itaque quò accuratior est hæc praxis, eò debet esse austerior Religio.

Alia observatio gravis momenti est, quod Jus distinguat tantùm duplex Translationum genus, habita ratione ad Religiones, unam in Religione perfectiori, alteram in Religione minùs perfecta; ista autem in eo appellatur *Translatio in laxiorem* Cap. 18. *De Regular.* oportet igitur, ut altera sit *Translatio in strictiorem*, atque ita austeritas sit perfectio Religionis in genere Translationis.

Tandem Papa applicans principia, quæ constituit, ad casum propositum, vetat, ne molestetur Religiosus de quo agebatur, & pro ratione allegat Religionem Cisterciensem in quam transierat, strictiorem esse, quàm illam è quâ exierat.

Hic Textus supponit, quemadmodum & præcedentes, Translationem ad Religionem strictiorem posse fieri sine Papæ Dispensatione; præcipua ratio qua illam justam demonstrat, hoc requirit, nempè quia inspiratio Divina dispensat & liberat legibus, quæ obligant Religiosum ad Religionem cujus professionem fecit, consequenter nulla indiget dispensatione humana.

Non potest objici Summum Pontificem in hoc loco cogere Religiosum Episcopum, ut ab eo petat licentiam, ad aliam strictiorem Religionem transeundi; nam facultas, qua opus habet hic Religiosus, non cadit in Translationem, sed in demissionem aut cessionem Episcopatûs; cujus autoratio reservatur Summo Pontifici, *Cap.* 2. *De Translat* & cum caderet in Translationem, hæc exceptio confirmaret Regulam. Tandem non certò constat Papam in hoc loco loqui de Religioso Episcopo qui vult transire ad Religionem strictiorem. Verum est, cùm agatur in hoc Textu *de Translatione in Arctiorem*, videri à prima fronte, qualitatem subjecti requirere, ut Papa loquatur de Religioso Episcopo, qui proponit, aut projicit Translationem suam in Religionem alteram austeriorem; sed cùm attendimus Papam loqui tantùm de licentia qua opus habet Episcopus occasione comparationis factæ in expositivo hujusce facultatis cum illa quam Religiosus debet petere, hæc autem comparatio subsistit, nec tamen loquitur de Religioso Episcopo, qui vult transire ad aliam Regulam strictiorem: præterea hic ultimus casus est tàm insolitus, ut credi possit, eundem Papam noluisse de illo loqui.

Omnes Textus hactenus collecti spectant ad *Translationem ad strictiorem*, quæ est Translatio perfectionis, aut progressûs in pietate; qui supersunt citandi, spectant ad Translationem *ad Laxiorem*, quæ est Translatio infirmitatis; hi sunt *Cap* 1. *De Regular. in* CLEM. & *Caput* 1. *ejusdem Tituli in* EXTRAVAG. COMMUN. CLEM. V. *ann.* 1311. volens reprimere ambitionem Religiosorum Mendicantium, qui contra Votum suum paupertatis, illos nihil possidere obligans etiam in communi, à Papa transferebantur ad Ordines reditibus fruentes, ut in eis haberent Beneficia, sive Curas, sive Prioratus, sive administrationes, statuit approbante *Concil.* VIENN. ut illi qui sic translati essent, suffragium non haberent in his Ordinibus, quamvis alii vellent illud ipsis concedere, & ut imposterùm non possent promoveri ad Prioratus, neque ad administrationes, neque ad Officia, non quidem etiam ut ea exerceant tanquam Vicarii, neque faciant functiones ad curam animarum spectantes, neque per se ipsos, neque pro aliis, & annullat omne quod factum fuerit contrarium non obstante omni Privilegio. Facit in fine exceptionem, quæ nunc nullius est usus, quia non extant ampliùs ejusmodi Religiosi, qui habeant facultatem generalem ad omnes Ordines approbatos.

EXTRAVAG. citata severior est CLEM. cujus substantia mox relata est; nam excommunicat ipso facto Religiosos Mendicantes, qui transferentur in Ordines reditibus fruentes sub quolibet prætextu id fiat, in virtutem Indulti à Papa concessi aut à Pœnitentiario, aut à Nuntiis, aut Legatis, transferre Fratres aut nonnullos, imprimis ex Ordinibus Mendicantibus, & illos qui illos Mendicantes accipient, & hujusce reservat absolutionem Sanctæ Sedi, eodem tempore irritans quod contrarium fiet: ex quo intelligitur illam non esse ex MARTIN. IV. cui attribuitur in Inscriptione, promoto ad Papatum *ann.* 1281. 30. annis ante CLEMENT. V. sed potiùs ex MARTINO V. promoto *ann.* 1417. qui cùm videret malum auctum valdè fuisse à prætextu zeli, quo tegebatur ambitio & cupiditas, coactus fuit

ad

ad pœnam aggravandam, & adjiciendum nullitati fuscepti Eacommunicationem *ipso facto* reservatam Sanctæ Sedi: turbæ magni Schismatis, quæ præcesseraut promotionem hujus Papæ, & pro quarum reformatione electus fuit. Sententiam reddunt valdè verisimilem; nam una ea præcipuis est quod Antipapæ volentes sibi facere asseclas, concesserant gratias extraordinarias; & hujus rei probatio habetur in Sess. XLIII. *Concilii* Constantiensis, in quo hic Papa multa Decreta facit, ad revocandas aut moderandas has gratias. Hæc Sententia adhuc confirmatur ab ultima dispositione hujus Eatravag. nam in hac, Papa sub iisdem pœnis prohibet, ne Religiosi Mendicantes transferantur virtute alicujus Indulti cujuslibet, in aliquem ex Ordinibus reditibus fruentibus, excepto Ordine Carthusianorum, sine speciali Sanctæ Sedis authoritate.

Prætextus allatus à Religiosis Mendicantibus, & qui erat ut in perfectione proficerent per exercitia vitæ strictioris, vertitur in honorem Ordinum reditibus fruentium, quorum Teatus mentionem facit expressam. Hi nempè sunt Ordo S. Benedicti, Ordo Cisterciensis, Canaldulensis, Valombrosus, Ordo *Canonicorum* S. Augustini.

Ut hic prætextus aliquem haberet veritatis colorem, necesse erat ut Ordines memorati famam haberent majoris austeritatis, quàm Ordines Mendicantium, ea quibus hi Religiosi in illos transferebantur: eorum agendi ratio imposterum detegebat hypocrisim, & ostendebat finem translationis esse, ut viverent majori cum libertate, per Dignitates & Beneficia, quæ sibi procurabant. Quemadmodùm Papa eacipit tantùm Ordinem Carthusianorum à prohibitione observata, locus est credendi illum esse solum, in quo non erant Beneficia aut Dignitates aut alia commoda quæ possent allicere animi affectus & carnis, usque ad desiderium ad illum transeundi. Et ecce omnia quæ leguntur in Corpore Juris, quoad translationes unius Ordinis ad alium.

Concilium Trident. loquitur de hac translatione *C.*11.Sess.XIV. & *Cap.*19.Sess XXV. *De Regular.* Concilium cùm eaposuisset in 1°. per abusum communem Religiosos translatos obtinere à Superiore potestatem vivendi extra claustrum, quod dabat illis locum vagandi & apostatandi, ad hoc medetur, 1°. vetando ne accipiatur vi cujuslibet facultatis ullus Religiosus ad habitum & ad Professionem, nisi ea lege ut vivat in Claustro sub obedientia Superioris: 2°. Reddens Religiosos translatos, etiam in Ordine Canonicorum Regularium, inhabiles ad omne Beneficium Sæculare, & etiam ad Curas, quod ostendit per transennam illos Canonicos sua institutione esse habiles ad Curas Sæculares, nam eaceptio quæ fit in hoc loco Regulam confirmat.

C. 19. citatum videtur prohibere absolutè translationem ad laxiorem, sed hæc verba, *cujascunque facultatis rigore*, dant locum credendi, illud loqui de translatione vi Indulti Ordini concessi, aut privato alicui, sine obligatione curandi ut causa translationis eaaminetur.

Hæc interpretatio est eò magis admittenda, quod Concilium *Cap.* 11. suprà citato approbet translationem membrorum Ordinum Religiosorum ad Ordinem Canonicorum Regularium, quorum vita est mitior quàm Religiosorum. *Cap.* 5. *De Statu Monach.* cùm satis habeat excludere hoc genus translatorum à Beneficiis Sæcularibus.

Resultat ea Teatibus hactenùs collectis, qui soli reperiuntur in Corpore Juris, & in *Concilio* Tridentino, quoad translationes Religiosorum ab Ordine ad alium ut in eo sint Religiosi, & ex illis qui citati sunt in Tractatu *De Votis*, 1°. nihil esse expressum in illis de translationibus Religiosarum ad strictiorem; sed rationes in iisdem allegatæ suam habent applicationem in hac translatione: hoc silentium dat etiam locum credendi, illos qui Canones hos fecerunt, eosdem fecisse tàm pro Religiosis; quàm pro Monialibus, quia erant ex Ordinibus pro quibus illi Canones sanciti sunt, quod potest inferri ea *Can.*25. Caus. XVIII. Quæst. II in quo *Concil.* Lateran. II. *anno* 1139. demonstrat, quod; ut verè aliqua Religiosa fieret, necesse erat ut profiteretur unam ex his tribus Regulis, S. Basilii, S. Augustini, aut S. Benedicti. Non diffitemur hoc silentium potuisse etiam provenire ea eo quod translationes Religiosarum raræ essent, & non oblati sunt casus, qui meruerint, ut Leges Particulares hac de re conderentur: 2. Jus mentionem solùm facit de duplici translationis genere, nempè de illâ quæ fit in Religionem austeriorem, & de illa quæ fit in Religionem mitiorem; prima tantùm expressè approbatur, & plerique ex illis Textibus de eâ loquuntur; quoad aliam Teatus nonnulli insinuant, illam esse permissam. Tales sunt Clement. I. *De Regular.* & *Cap.*1. ejusdem Titul. *in* Eatravag. Commun. 30. Utraque justas causas requirit, & licentiam Superiorum; quoad istam sufficit illam postulare, & illam exspectare per tempus congruum. *Cap.*52. *De Elect. sub finem*; necesse non est ut obtineatur, cùm agitur de translatione perfectionis, & cum sunt signa certa aut valdè probabilia vocationis. *Cap.* 18. *De Regular.* hoc expressè dicit, cùm quis habet hæc indicia, translatio tenet, quamvis non petierit licentiam, antequam illam faceret. *Cap.*10. *De Regular.*

Quoad aliam translationem hæc facultas obtinenda est: hoc infertur ea *Cap.* 18. citato, nam continet eaceptionem, quæ confirmat Regulam, quæ est, ut Religiosi nihil agant imprimis gravis momenti sine consensu Superiorum; hanc obligationem illis imponit Votum obedientiæ: necesse fuit decidere non esse necessè, ut quis haberet consensum ad translationem perfectionis, quia Spiritus Sanctus ab hoc Officio dispensabat; sine hâc decisione quisque perseverasset in credendo hunc consensum esse necessarium. Sed ut recusatio impediat translationem, oportet ut sit justa; pertinet autem ad Superiorem Superioris, ut judicet de justitiâ hujus recusationis, quod facit examinando ea unâ parte rationes recusantis, & ea alterâ rationes recusati, si causæ translationis non sint justæ, denegatio justa est, secus verò est injusta. Posito quod rectæ sint causæ translationis, hæ reducuntur ad impotentiam observandi austeritates Votas, imprimis ortam ab infirmitatibus perpetuis Religiosi, quarum curationi obstaculum ponunt illæ, nec non ex tristitiâ sese videndi perpetuâ in infirmariâ & imparem sequendo exercitia Regulæ. Hoc infertur ea *Cap.* 5. *De Voto & Voti*, quod ponit infirmitatem inter causas dispensationis, aut commutationis Voti peregrinationis, ad cujus executionem vires corporis non sunt magis necessariæ, quàm ad observantiam austeritatum quarumdam Religionum, & per translationem in laxiorem fit quædam commutatio vitæ austerioris in vitam mitiorem. Illud etiam infertur ex Regula 6. *de Reg. Jur. in* 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Facilè ostenderetur, alias causas translationis ad laxiorem includi in impotentia servandi Regulam Votam: referuntur à Tamaur. *de Jure Abbat.* Tom III. *Disp.VII.Quæst.V.* novem recensentur, sufficiet autem allegare aliqua eaempla. Ponit illas inter causas, senectutem; impedimentum insuperabile quod est in Religione, ne quis proficiat in perfectione; odium quo prosequuntur Religiosum, & molestationes quæ illud sequuntur; Relaaatio universa aut inobservantia Regulæ, sine spe reformationis. Senectus autem reducitur ad infirmitatem habitualem: injuriosæ tractationes Religiosorum, erga illum quem odio habent, sunt perpetua causa molestiæ, quæ potest sanitatem ejus evertere, juxta verbum sapientis, *Tristitia exsiccat ossa*, est quædam cordis plaga, & in eo eumdem facit effectum tristitia, quem tinea in vestimento, hæ sunt adhuc Salomonis eapressiones. Impedimentum perpe-

perpetuum ad perfectionem ad quam quis tenetur Christianus, & inobservantia Regulæ, cui nullum potest afferri remedium, salutem ferè impossibilem efficiunt; undè nascitur impotentia spiritualis, multò gravioris momenti quàm impotentia corporea. Ratio desumpta ab odio contra Religiosum, & à vexatione quæ illum sequitur, introduxit Translationem ad Religionem æqualem, & illam justam demonstrat. FAGNANUS *in* Cap. 13. *De Renunc.* putat hanc causam non esse sufficientem, nisi pro Translatione ad parem, & nullam aliam sufficientem agnoscit, pro Translatione ad laxiorem, præter infirmitatem & debilitatem.

Causæ Translationis *In strictiorem* non sunt aliæ, quàm amor perfectionis, desiderium proficiendi in pietate, zelus quo quis se totum tradit servitio Divino, & offert vitam in holocaustum ad Dei gloriam. *Cap.* 18. *De Regular.* Præter illas differentias annotatas inter hoc duplex Translationis genus, & desumptas ex parte consensûs Superiorum Ordinis, & ex eorum causis, superest adhuc quædam gravissimi momenti, nempè quod necessaria sit dispensatio Sanctæ Sedis, aut Episcopi, aut Prælatorum Ordinis, pro Translatione *ad laxiorem*, CLEMENT. I. *De Regul.* Cap. 1. *De Regularib.* EXTRAVAG. COMMUN. TANBURIN. in loco citato contrarium asserit, post multos alios qui contendunt hanc Extravag. non observari, *n* 7. GONZALEZ *in* Cap. 18. *De Regul.* affirmat Dispensationem Papæ in hoc casu esse necessariam. Ad illud probandum citat *Cap.* 19. SESS. XXV. *De Regul.* quod prohibet Translationem *ad laxiorem*, undè concludit juxta sua principia, nempè quod nullus, præter Papam, possit dispensare à Conciliis Generalibus, hanc Dispensationem eidem Papæ esse reservatam: hoc fundamentum non videtur solidum, imprimis post illud quod suprà dictum est in hoc *Cap.* Autor *Speculi Monastiri*, *Part.* 1. Cap. 21. *n.* 6. observat non esse reservationem Papæ addictam, atque ita Episcopum posse illam dare, quoad Monasteria non immunia, Prælatos autem Ordinum exemptorum, quoad Religiosos sui Ordinis. Respondet *Concilio* TRIDENT. quemadmodum suprà respondimus. Locus est mirandi quod TANAURINUS *n.* 18. clarè dicat contrarium eorum quæ dixit *n.* 7. nempè quod ad hanc Translationem opus sit Dispensatione Papæ expressâ; FAGNANUS *in Cap.* 15. *n.* 27. asserit in usu esse, Romam mittere pro ejusmodi Translatione; sed hic usus non probat reservationem, nam quemadmodum Papa concurrit cum Ordinario, potest quisque ad illum recurrere, etsi nulla sit reservatio.

IV. Cùm Jus declarat Translationem *ad strictiorem* esse licitam & etiam præceptam, cùm vocatio est certè notata: loquitur de Religione quæ est actu austerior, non de illa quæ fuit: & cum sensus sit, omnibus exercitiis debitè comparatis, illam superare alteram austeritate, quamvis ista possit habere aliquam exercitationem magis laboriosam, Religio Minimorum comparata Carthusianorum Regulæ, austerior est ista, ratione Voti in ea facti perpetuæ abstinentiæ Quadragesimalis, quod Carthusiani non faciunt; sed isti multas exercitationes habent, quæ simul junctæ superant longè austeritatem particularem Minimis, nempè clausuram perpetuam, silentium etiam ferè perpetuum, abstinentiam carnis in morbo, longitudinem Officii noctè & die. V. FAGNANUM *in* Cap. 16. *De Reg. n.* 37. usque ad 41. In eo observandum curat comparatione Religionum inter se, nullam esse austeriorem quàm Regula Carthusianorum, & hanc ob rem MARTINUM V. declaravisse, licere transire ex omnibus Religionibus ad Regulam Carthusianorum, *Cap.* 1. *De Regul. Extravag. Commun.* post mentionem expressam Ordinis Camaldulensis: in quo EUGENIUS IV. non idem sensit ac ille in sua Bulla, *Illa qua*, *ann.* 1475. in qua permittit istis recipere Carthusianos sine consensu Superiorum suorum. *Ibid.*

Illi igitur recederent à mente Canonum, qui permitterent transire in Religiones austeriores sine consensu Superiorum, qui illis uterentur ut autorarent Translationes in Religiones minùs strictas nunc, quamvis olim fuerint strictiores: Translatio est quidam contractus permutationis, in his autem contractibus, considerantur res quæ permutantur, in statu in quo sunt tempore Contractûs.

V. Ratio *Cap.* 18. est omnium temporum; itaque extenditur ad privilegia posteriora concessa quibusdam Religionibus, ut impediant ne ullum ex suis membris transeat in aliam sine consensu Superiorum, itaque in hoc subaudienda est exceptio casuum, in quibus hæc altera Religio austerior est, nullus Papa potuit dare privilegia præjudicio hujus exceptionis, quæ est Juris Divini. TAMBUR. QUÆST. II. *Disp. citata* facit quamdam enumerationem Ordinum quibus talia Privilegia concessa sunt, & Summorum Pontificum qui illa concesserunt.

VI. Revocando quod fuit dictum de obligatione ad statum Religiosum, & de modo quo illa fit, nempè quod per Professionem quis Religiosus fit, & quod debeat præcedi ab anno Noviciatûs, sequitur, quod Religiosus Translatus in novam Religionem, debeat in ea facere Professionem, post unum Noviciatûs annum; nam, ut vidimus, in hoc loco mentio fit, de Translatione facta ab aliquo ut fit Religiosus Ordinis in quem transit: itaque *Cap.* 16. *De Regular.* Cap. 15. SESS. XXV. *De Regular.* allegata ad probandam necessitatem Novitiatus & Professionis, ostendunt Translatum ad utrumque teneri, si autem non faciat illud, ejus obligatio ad novam Religionem nulla est, & manet ligatus & adstrictus primæ. Sed nihil hoc meliùs ostendit, quàm ratio quæ introduxit Noviciatum; hæc est ut Religiosus possit cognoscere an habeat vires animi corporisque dotes requisitas, ut omnibus Officiis Religionis satisfaciat, & ut Religio hac probatione detegat, an adspirans ad Professionem non habeat vitia quæ reddant illum onerosum & perniciosum aliis. At verò militat pro casu Translationis, imprimis cùm Nova Religio est austerior, nam Religiosus non probavit istas austeritates in primo Noviciatu, & secunda Religio non examinavit si in eo nullum sit Impedimentum, quod illum ab ea excludat. Reverà cum Religiosus transit in Religionem mitiorem, quàm illam ex qua exit, videtur Noviciatus esse inutilis ex ejus parte, cùm meritò possit præsumere istum forè capacem exercitiorum novæ Religionis, cum judicatus fuerit aptus & idoneus ad Religionem austeriorem; sed præterquàm quod sunt aliquandò in Religionibus mitibus usus, quibus mens & cor hominis in perfectione educati non satiatur, nec sese illis accommodat, fieri potest ut talis homo non sit satis amator Societatis, & ob hanc rationem & alias Ordini non conveniat. Aliundè *Concilium* TRIDENTINUM quod non ignoravit rationes quæ possunt afferri contra necessitatem novi Noviciatûs, nihilominùs fecit Legem Generalem sine ulla exceptione. Vid. FAGNANUM *in* Cap. 10. *&* 16. *De Regul.* in eo agitat hanc quæstionem fusis verbis, & refert rationes pro & contra, & dicit affirmativè. TANAURINUS idem facit. TOM. III. DISP. VII. QUÆST. V. *De Jure Abbat.*

VII. Cum locus est dubitandi an Religio ad quam Religiosus vult transire sit mitior, aut minùs austera, aut non magis aspera sit, causa est dubitandi de sua vocatione ad novam Religionem, & resistendi executioni sui propositi; donec dubium tollatur, tunc non æquum est, ut transeat non obtenta licentia. In dubio necesse est sequi tutiorem viam, & Possessoris potior est conditio quàm alterius; Superior autem in possessione est impediendi, ne Religio-

ligiosus quid faciat gravis momenti sine ejus licentia; itaque ratione hujus possessionis Religiosus tenetur ipsi obedire, si non certò constet, quod id quod præcipit, adversetur Legi Dei: idem est de casu in quo locus est dubitandi an Religiosus agat per levitatem aut per charitatem: idem dicendum est de omnibus casibus in quibus justa est causa dubitandi, an Translationis causa sit apta & conveniens: qualibet sit Translatio de qua agitur, Religiosus debet manere in primo suo statu, donec rata habeatur justitia causæ.

VIII. Nihil est in Textibus citatis definitum quoad quæstionem quæ solet proponi, an quod Religiosus Translatus attulit in primo Monasterio, transeat ad secundum? circa quod dicendum est, quod, si Religiosus receptus fuerit sub pensione ad vitam propter suam sustentationem, debeat illa ad secundum Monasterium transferri, juxta Regulam, *qui sentit commodum debet sentire incommodum, & è contra*, posito quod in secundo talis pensio accipiatur, aliter pensio est extincta. Si quid acquisiverit ea quo fecit Professionem, sive per Successionem, sive per Donationem, sive per laborem suum, in Regionibus in quibus hæ acquisitiones permittuntur, remanent ad usum primi Monasterii, juxta Regulam, *quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit*; præterquam quod aliqua conditio non compleretur, nisi post acquisitionem; nam tunc acquisitio, effectum habens tantùm tempore quo membrum est alterius Monasterii, ad utilitatem hujus Monasterii convertitur: idem est, si aliquod opus elucubraverit, quod non perfecerit aut in lucem ediderit, nisi post Translationem, nisi primus Ordo aliquam impensam ad hoc opus fecisset, quo in casu hunc Ordinem indemnem facere par esset. Quoad Religiosas quæ attulerunt dotem, videtur secundum Monasterium debere saltem habere usumfructum dotis, quia fructus destinantur ad sustentationem Religiosæ. Finiendo Titulum monendum est, loquendo de Translatione Monasteriorum, Canonem quemdam *Conc.* Triburiensis relatum fuisse, qui multas patitur explicationes, ita ut acceptus in uno sensu, pertineat ad illud Translationis genus, & in alio sumptus spectet ad Translationem Religiosorum, in particulari habitorum; non credidimus operæ pretium esse illum in hoc loco repetere; sufficiens visum est, indicare locum in quo positus fuit, in hoc observatus fuit unus & alter sensus, cum ratione utriusque.

SECTIO IX.

Quæstio incidens ad intelligentiam eorum, quæ dicta sunt in Corollario Textuum Collectorum in Sectione præcedenti.

Tractanda Quæstio est, an sit certum, *Cap.* 15. Sess. XXV. *De Regular.* extendi ad Novitiatum & ad Professionem Religiosorum Translatorum, ita ut obligentur ad utrumque, conformiter ad ea quæ præcipit? Locus est de hoc dubitandi, quia Concilium in eo tantùm loquitur de ætate requisita ad Professionem, & de tempore Noviciatûs quæ illam debet præcedere, & quod dicit de Noviciatu videtur relativum ad id quod priùs ordinavit quoad Professionem; posset igitur existimari hoc Decretum factum fuisse ad corrigendam dispositionem *Cap.* 8. *De Regular.* juxta quod sufficiebat ætas 14. annorum, ut quis faceret Professionem, & ut gestasset habitum Professi per tres dies. Sed aliter sentit qui attentè considerat, Novitiatum aut probationem trium dierum in habitu professi videri insufficientem, ut satisfaciat ejus fini, qui est ut Novitius compertum habeat, an sibi conveniant exercitia Religionis, an latis roboris habeat ad ea ferenda, & ut Monasterium cognoscat, an sibi Candidatus congruat, an sit societatis amator, & an aliis dotibus requisitis præditus sit, ut sit membrum Congregationis. Hæc insufficientia videtur major, cum agitur de personis supra ætatem 16. annorum, quàm cùm agitur de illis quæ sunt infra; nam istæ sunt flexibiliores aliis, & major est sperandi ratio, illas secuturas esse impressiones quæ dabuntur ipsis. Itaque Concilium in suo Decreto debuit considerare, tàm personas natu majores sexdecim annorum, quàm illas quæ minorem attigerunt ætatem. Consequenter non operæ pretium est, ut illud restringatur ad eos qui sunt infra 16. annos; potiùs existimandum est, illud facere simul duo Decreta Generalia à se invicem independentia: primum est, quod non recipientur ad Professionem pueri infra 16. ann. in quolibet Monasterio Hominum aut Mulierum: secundum, quod in quacumque ætate accipiatur indumentum Religiosum à Novitio, admittendus non sit ad Professionem, ante annum completum Noviciatûs. Usus constans & universalis, hoc Decretum subsequens, illam confirmat explicationem quæ mox huic data est, nam semper exactus fuit unus Noviciatûs annus ad validitatem Professionis tàm erga Majores, quàm erga Minores.

Si autem Novitiatus unius anni necessarius sit ad Professionem in prima Religione, idem debet esse quoad Professionem in secunda, in quam Religiosus transfertur; nam Concilium illud exigit ad Professionem in quacunque Religione, & qui transfertur in aliam Religionem, vult esse istius Religiosus, quod non potest facere sine Professione; & consequenter, ut non potuit esse professus primæ sine uno Noviciatûs anno, ita non potest esse professus secundæ, sine eadem probatione unius anni: secunda Religio non est pejoris conditionis quàm prima, & ista jus habuit probandi per unum annum, illum qui in ea voluit facere Professionem, itaque par est, ut secunda eodem jure fruatur, licet sit mitior; nam potest accidere, ut qui visus fuerit idoneus ad Religionem austeriorem, non sit aptus ad Religionem mitem, sive quia in prima exhausit vires, & impatientem se fecit sequendo exercitia Religionis etiam mitioris, sive quia est indolis austeræ, insociabilis, & incapacis ut assuefiat remissionibus permissis in secunda Religione. Partim his rationibus innixus Fagnan. *in Cap.* 16. *De Regular.* asserit Religiosum, qui transmigrat ad aliam Religionem, etiam mitiorem, opus habere ut faciat novum Novitiatum unius anni, nec non & faciat novam Professionem, & refert Decretum Congregationis Cardinalium Interpretum *Concilii* Tridentini, quod illud ita decidit.

SECTIO X.

Translatio coacta Religiosorum in Ordinem austeriorem, ut in eo agant Pœnitentiam.

Translatio quoad Prælaturas sive perpetuas, sive temporales.

Ut non multiplicentur Tituli nimio plus, hæ duæ Quæstiones sub uno proponuntur.

Repertus est unus tantùm Textus expressus, spectans ad primum ex his duobus generibus Translationis. Hic est *Caput* 39. *Simonis*, ex *Concilio* Lateranensi IV. depromptum, statuit quod si imposterum exigatur pecunia à puellis quæ postulabunt in Monasteriis admitti etiam sub prætextu paupertatis, Superior & Prælata quæ sic recipit & Filia accepta ponantur extra Monasterium, & transferantur in Ordinem strictiorem, ut in eo agant pœnitentiam perpetuam, *tàm recipiens, quàm recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis, de suo Monasterio expellatur, in locum strictioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda.*

Hoc

Hoc genus translationis differt ab eâ de quo jam locnti sumus in Titulo præcedenti, nnn solùm in eo quod illa coacta est, altera verò voluntaria; sed etiam quod ista sit sine Novitiatu & professione, ita ut translatus nunquam sit Religiosus Monasterii, & hanc ob re n cogitur ab solvendam pensionem, nisi Monasterium velit gratuitò illum alere. Infertur hæc obligatio à *Can.* 5. CAUS. XVI. QUÆST. VI. in quo S. GREGOR dicit bona Clericorum & Monachorum, qui in aliis Monasteriis ponuntur pœnitentiam acturi, in iisdem afferri. Potest applicari *Cap.* 3. *De Purgat. Canon.* quemadmodum refertur à GONZALEZ; illud desumpsit à *Concilio* MELDENSI *anno* 845. *Concilior.* TOM. VII. *Cirra finem* Cap. 70. Loquitur de Monialibus Religiosis accusatis dehonestare statum suum per mala commercia, & statuit, quod si illæ convictæ sint, authoritate Regis & Episcopi ponantur in locis in quibus cogantur agere pœnitentiam, *sub testimonio Religioso*, sub oculis personarum Religiosarum, quod potest intelligi de Monasteriis Religiosarum magnæ austeritatis, & exactæ observantiæ, sub quarum agendi ratione conveniens erat ponere Religiosas tanti criminis reas.

Idem est de *Can.* 11. CAUS. XXVII. QUÆST. I. in quo Papa SIRICIUS præcipit ut includantur in *Ergastulis*, Religiosæ impudicæ, ut ibi Crimina sua luant: nam per hoc verbum, *Ergastulis*, inrelligi possunt loca pœnitentiæ austerioris, quàm illius quæ vulgò agebatur in Monasterio earum. *Can.* 28. *ibidem* est adhuc magis expressus; desumitur è S. GREGORIO. Agitur de Religiosa rea criminis adulterii, aut quæ sese immerserat in commercio stupri vel fornicationis; Papa jubet, ut, postquam severè castigara fuerit, & pro gravitate criminum, includatur in Monasterio austeriori, ut in eo agat pœnitentiam, vacans nrationi & jejunio, & nt per ejus exemplum, aliæ pertimescant rigorem disciplinæ, si illam pro infelici casu imitentur. *In aliud districtius Monasterium virginum, in pœnitentiam volumus redigi, ut illir Orationibns atqne Jejuniis vacet, & sic pœnitendo pœniteat, ut metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum.* Hodie non transferuntur Religiosi criminosi neque Moniales reæ, sed ad pœnitentiam rediguntur in Monasteriis quæ scandalisaverunt suo crimine, ut in iis hoc modo reparent scandalum quod procreaverunt.

Ecce omnes Textus spectantes remotè & proximè ad Primam Quæstionem; multò plures ad Secundam pertinent.

Hæc est Regula certa Juris Communis, nempè quod accipiendi sint Prælati in Monasteriis quæ debent regere. Hæc videtur in *Can.* 4. 5. 8 CAUS. XVIII. QUÆST. II. Primus depr mitur è Papa PELAGIO I. In eo præcipit Monachis ut eligant Abbatem suum de sua Congregatione. S. GREGORIUS in 2°. prohibet ne eligatur peregrinus, *non eligatur extraneus. Concilium* MOGUNTINUM præcipit Monachis, ut eligant Abbatem de ipsis, undè sequitur multò magis illum de Ordine eligendum esse.

Hæc Regula exceptionem habet in eodem Jure: hæc est, si nulli reperiantur in Monasterio dotibus requisitis præditi, est expressè in *Can.* 8. *Citato, Sin autem, de extraneis.* Si quem volunt habère Abbatem, & jam in alio Monasterio constitutus sit Abbas, non potest esse electus, sed postulatus, quia in eo vitium est aut obstaculum, quod debet à Superinte ejus immediato tolli, itaque si Abbas non sit immunis, indiget licentia Episcopi. Illud infertur ex *Can.* 8. *citato*, qui insinuat Abbates non posse relinquere suas Abbatias sine facultate Episcopi, etiam ad agendam pœnitentiam: at verò demissio 1æ. Abbatiæ necessaria est, ad promotionem ad 2am. & casus translationis non est favorabilior quàm casus pœnitentiæ de quo mentio facta est.

Si Abbas sit exemptus & immediatus Summo Pontifici, non potest transferri ad Abbatiam sine ejus facultate: unde INNOCENT. III. *Cap.* 7. *De Consuet.* consultus super consuetudine quorumdam locorum, quæ erat ut Abbates immediati Papæ, ad alias Abbatias transirent sine ejusdem autoritate, decidit illam esse abusivam, & corruptionem potiùs quam consuetudinem, & nullam habet rationem durationis, judicans illam irrationabilem. *Cap.* 12. *De præscription.* probat hanc decisionem, nam docet inferiores nnn posse præscribere obedientiam quam debent Superiori. *Cap.* 15. *De Rrnnntiat.* idem facit; desumitur ab HONORIO III., in eo cassat electionem factam super demissione facta ab Abbate immediato Papæ, sine ejusdem facultate, quod est justum; nam demissio est necessaria ad translationem, rumpendum est primum vinculum, ut possit secundum contrahi, cùm nullus possit esse Abbas Titulatus duarum Abbatiarum, quemadmodum nullus potest esse maritus duarum mulierum, quamobrem subaudienda est licentia summi Pontificis aut Episcopi in *Cap* 28. *De Elect. in* 6. BONIF. VIII. in eo demonstrat Religiosum posse eligi ad Prælaturas Ordinis alterius quàm sui, prohibens ne ullos eligatur ad illas Prælaturas, nisi professionem expressam fecerit, sub pœnâ nullitatis. Clausula *Servatis servandis* debet in eo subanditi, & inter illa quæ comprehendit, præcipuè authoritas Summi Pontificis aut Episcopi consideratur, si Ordo sit exemptus aut non exemptus. Debet igitur in eo considerari acceptio habitus, & professio secundi Ordinis, ut præveniatur inconveniens varietas, quæ esset si Prælatus aliâ esser indutus veste, & aliam Regulam profiteretur. Oportebat ut tempore CLAMENT. V. eligerentur Religiosi ad Prælaturas aliorum Ordinum, nec illi cogerentur ad habitum mutandum & Regulam; hunc abusum ut tolleret, prohibuit ejusmodi electionem, & attulit pro causa, illud esse contrarium rarioni, jungere in eodem Monasterio personas variæ professionis & diversi habitûs, & addidit prohibitioni suæ pœnam nullitatis contra talem electionem *Cap.* 1. *De elect. in* CLEMENTINIS.

Explicario *Cap.* 28. *De Elect. in* 6. confirmatur à *Cap.* 32. *De Præb. in eadem Collect.* Idem Papa BONIF. VIII. in eo vetat, ne conferantur aut committantur Prinratus, Ecclesiæ, Administrationes, Officia assueta possideri & regi à Religiosis Monasterii in quo illa sunt Beneficia. Religiosis alterius Monasteriis sine authoritate Sanctæ Sedis; sive nt illa possideantur conjunctim cum iis quæ habent in suo Monasterio, quia nulli licet Religioso habere loca in variis Monasteriis, nisi unum pendeat ab altero; sive ut possideantur separatim à demissione primi loci. Excipe nisi Canonicè transferantur, quod fieri non potest, ut ostensum est, sine eadem autoritate, posito quod Monasteria sint immunia, licentia verò Episcopi sufficit, nisi Monasteria sint immunia. Puniens posteà Episcopos qui contravenient suæ prohibitioni, confirmat hanc distinctionem; nam statuit ut Collatores amittant jus suum conferendi hac vice, & illa conferantur ab Ordinarin, si Monasteria non sint immunia; aut à summo Pontifice, si Monasteria sint exempta. Quoad illos qui accipient collationes prohibitas, & loca sic collata retinebunt, vult ut illi sint jure ineligibiles. His Textibus qui loquuntur expressè de translatione Religiosorum quoad Prælaturas Regulares, potest jungi *Cap.* 27. *De Elect.* quod ad rem etiam convenit, ratione prohibitionis eligendi Clericos sæculares ad Priorarus Regulares; nam cum illud fit, venitur contra mentem legis MOYSIS, quæ prohibet ne alligentur aratro animalia diversæ speciei, & ne gestentur vestes textæ lana & lino, nam hæc ratio opponitur translatinni de qua agitur.

Quamvis Textus citati circa translationes ad Prælaturas, non expresse loquantur de Religiosis vel Monialibus, illæ tamen in iisdem comprehenduntur; paritas rationis postulat extensionem, cùm sint nonnulli

nulli casus in quibus Monasteria Monialium opus habent Superioribus aliorum Monasteriorum, & etiam alterius Ordinis; itaque sunt illæ in usu quemadmodum translationes Religiosorum. Differentia desumpta è clausurâ, non est in eo loco gravis momenti; nam per istam non cessat necessitas aut utilitas illarum ejusmodi translationum, & una aut altera ex his causis sufficit ad illas autorandas.

Non idem est in hoc de *Concilio* Tridentino, quemadmodum de Textibus citatis; loquitur enim expressè de translatione Religiosarum ad Prælaturas, in *Cap.* 7. Sess. XXV. *de Regul.* In eo statuit, quod si in Monasterio, quod procedit ad electiorem Superiorissæ Monialium, nulla sit virgo quæ compleverit 40. annos & 8. professionis, cum aliis dotibus ad hanc dignitatem requisitis, illud poterit cum licentiâ Prælati, qui præest Electioni, aliam eligere ex alio Monasterio, sed ex eodem Ordine.

SECTIO XI.

Doctrina Canonum pertinens ad expulsionem Religiosorum incorrigibilium extra Monasteria Ordinis.

Mox locuti sumus de translatione coacta Religiosorum in alia Monasteria austeriora, ad pœnitentiam in iisdem agendam; quæ translatio est una è pœnis regularibus. Videtur conveniens agere in hoc loco de expulsione extra Ordinem, quæ est maxima ex illis pœnis, quod fiet modo historico, ordinando omnes Textus hac de re repertos, juxta ordinem temporis quo facti sunt, & dando cujusque substantiam cum considerationibus necessariis ad illorum explicarionem & conciliationem; adhibetur hæc methodus, ut faciliùs intelligatur quænam sit ultima dispositio Juris circa hanc expulsionem, ac insimul quæ mutationes disciplinæ circa eandem rem contigerint. Textus qui ad rem faciunt non sunt alii quàm *Cap.* 10. *De Majorit. & Obed. Cap.* 24. *De Regular. Cap.* 6. & 8. *De Statu Monach. Cap.* 7. *Ne Cler. vel Monach.* Istud est antiquius, depromitur ab Alexano. III. loquente de Religiosis viventibus modo sæculari, & alios exemplo suo corrumpentibus, & statuit ut Ordinarius illos compellat ad observantiam Regularem; si verò eidem resistant, ut illos expellat, & in eorum locum veros substituat Religiosos, ut justi proficiant de impiorum laboribus, & ut rei sic confusione operti redeant ad Officium, & ad vitam sui Ordinis revocentur. Ultimus finis expulsionis dat locum credendi illam esse tantùm ad tempus, nempè usque ad conversionem; nam in vanum recepissent iterùm vitam sui Ordinis, nisi deberent redire in suum Monasterium, aut in aliud ejusdem Ordinis.

Cap. 6. *De Statu Monach.* sequitur posteà. Desumitur ex Epistola Innocent. III. relata in Tertia ex veteribus *Collectionibus* Decretalium, & consequenter antiquiori quàm illa ex quâ colligitur *Cap.* 16. *De Majorit. & obed.* Hoc relatum in *Quarta* ex his Collectionibus posteriori Tertiæ, cùm summus Pontifex in illa multa Decreta faciat in gratiam Monasterii Subjacensis; præcipit Abbati ut expellat Religiosos qui postquam meritò fuerint ejecti, obstinato corde perseverabunt in proprietatis amore, & ne amplius in Monasterium accipiantur, nisi postquam pœnitentiam egerint juxta Disciplinam Monasticam; *Si verò posthac proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissâ de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam Disciplinam.*

Hæc expulsio est adhuc ad tempus, quemadmodum præcedens restringitur ad usque emendationem expulsi, & ad satisfactionem congruam; pro scandalo procreato. Alius Textus hujus Papæ mittitur ad Abbates S. Stephani & S. Paoculi. Quoad Ecclesias S. Victoris & S. Joannis à *Monte*, quæ reguntur à Canonicis Regularibus, Priori suo non obedientibus, cùm illos certos fecisset de iis quæ fecit, ut revocaret illos Canonicos ad obedientiam Priori debitam, iisdem præcipit ut cogant eos quos ipsis designavit, ad promittendam Priori per jusjurandum obedientiam, & illos recusantes penitus expellant à societate Fratrum ipsorum. *Alioquin eos de Fratrum ipsorum consortio penitùs excludatis.* Ex hac expressione intelligitur, expulsionem de quâ loquimur, esse speciem Excommunicationis Monasticæ, quæ separabat à Communione aliorum Religiosorum Monasterii aut Ordinis, quemadmodum excommunicatio major à Fidelium Communione disjungit;] undè videtur sequi, istam durare, quemadmodum illam, usque ad emendationem & satisfactionem sufficientem.

Cap. 8. *De Statu Monach.* desumptum ab Honorio III. Successore Innocentii III. confirmat hanc reflexionem; nam cùm præscribit Visitatoribus deputatis à Capitulo Generali ad visitandam suam Provinciam, quæ ipsis essent agenda; statuit ut puniant sine acceptione personarum, omnes illos quos reos esse invenient, ut non parcant rebellibus, nullâ qualibet consideratione acceptâ, & ut separent oves labie infectas à reliquo grege, ne alias inficiant. *Non parcendo rebellibus ob suam contumaciam, vel potentiam amicorum, quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves.* Reverà Excommunicatio major nullum alium habet finem, quàm bonos præservare à corruptione, separando ab illis malos.

Ultimus Textus, nempè *Cap.* 24. *De Regul.*, desumptus è Gregor. IX. docet expulsionem, in quantùm pendet à Superioribus, debere esse tantùm ad tempus; nam præcipit Præsidentibus Capituli Generalis, Patribus, Abbatibus, Prioribus, 1°. ut revocent quotannis Religiosos à suo Ordine ejectos, ne Deus rationem exposcat ab eis eorum damnationis; 2°. ut cogant per Censuras Superiores Monasteriorum undè ejecti sunt, ut ipsos in iisdem admittant, salvâ Ordinis Disciplinâ, posito quod hoc ipsis per Constitutiones liceat; quod si non illud patiantur, provideant autoritate Sanctæ Sedis, ut in iisdem admittantur, & recipiantur in locis convenientibus, si id fieri potest sine scandalo; aliter constituantur in aliis ejusdem Ordinis Domibus, & in eis sustententur, ut agant pœnitentiam. 3°. Quod si illi Religiosi nolint obedire, ab his Prælatis excommunicentur, & publicè excommunicati denuntientur, donec redierint ad Monasteria, juxta quod injunctum est illis.

Gonzalez & Fagnanus *in hoc Cap.* & Tambur. *De Jure Abbatum* Tom. III. Disput. VIII. Quæst. VII. Observant, Autores qui hâc de materiâ scripserunt, diversè sentire de sensu hujus Textûs. Alii putant illum loqui de expulsione injusta; sed isti refutantur per substantiam istius datam, quæque maxime fidelis est; nam 1°. expulsio injusta cogit Superiores ut revocent expulsum statim atque injustitia cognita est, & non solùm unoquoque anno. 2°. Nulla constitutio prohibet ne recipiantur tales ejecti. 3° Nulla est ratio ut illi pœniteant, 4° Multò minùs necessarium ut illis pœnam excommunicationis minentur, ut in Monasterium revocentur.

Alii illud interpretantur de expulsione justâ, cum hoc discrimine, quod alii illud intelligant de expulsione perpetuâ, alii de non perpetuâ; sed cùm nihil sit in hoc Textu, quod hanc distinctionem confirmet, videtur verus esse sensus, ut revocentur indistinctè Religiosi justè aut injustè ejecti, & illud quotannis fiat, ut præserventur ab induratione in quam, desperatione ne restituerentur, incidere possent; Summus Pontifex existimavit par esse

ut identidem manus illis tenderentur, ut ad pœnitentiam allicerentur per Indulgentiam ipsis concessam. Iidem Autores adhuc animadvertunt, hanc pœnam tantùm præscribi contra incorrigibiles, & referunt conditiones necessarias, ut possint tales judicari. FAGNANUS septem enumerat, quas appellat gradus ad incorrigibilitatem; sed ut illæ certo non innituntur fundamento, quod Jure probetur, non videtur conveniens in iis diutiùs immorari, aliundè istud Opus longiùs progrederetur, si hæc omnia seorsim explicarentur. Sequitur ex omnibus Textibus collectis, Ecclesiæ mentem semper fuisse, ut relinqueretur Religiosis ejectis porta aperta, ut redirent in suum Ordinem, aut tanquam Religiosi, aut tanquam Pœnitentes; & GREGORIUS IX. se se conformavit animo Ecclesiæ, in eo quod præscripsit in Textu qui continet ultimam dispositionem Juris super hanc materiam: sed non possumus quin moneamus, idem esse de expulsione pro causa incorrigibilitatis, quemadmodum de divortio pro causa dissolutionis; dimissio illa enim tàm parùm dissolvit vinculum quod alligat Religiosum Religioni, quàm divortium rumpit vinculum Matrimonii: & quemadmodum conversio conjugati hanc ob rem separati ab alio, justa est ratio rejunctionis; ita pariter emendatio Religiosi expulsi justa est causa illum recipiendi; & tamen in utroque casu examinanda priùs est veritas pœnitentiæ, ne hypocrisis Religiosi expulsi possit aliis nocere post ejus reconciliationem; requiritur adhuc in utroque casu Judicium Canonicum, ut nullus tàm gravi pœna plectatur sine causa sufficiente juridicè confirmata. Monendum adhuc est, Religiosum meritò expulsum non debere esse pejoris conditionis, quàm excommunicati ob justam causam, qui sunt absolvendi cùm aptam satisfactionem agunt.

Hæ omnes considerationes confirmantur à Decretis Congregationis Concilii pertinentibus ad Religiosos expulsos, 21. *Sept.* 1624. & promulgatis jussu URBANI VIII. Referuntur à TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. III. *Disp. VIII.* QUÆST. III. in iis renovatur dispositio *Cap.* 24. *De Regular.* & Summus ille Pontifex statuit hujus executionem erga illos qui justè fuerint ejecti, postquam lis in bona forma facta fuerit.

SECTIO XII.

Quidnam Jus doceat quoad Religiosos, sive fugitivos, sive Apostatas.

Sub eodem Titulo fugitivi cum Apostatis comprehenduntur, quia nulla est Apostasis sine fuga; nam Apostasis de qua agitur est abdicatio statùs Religiosi, quod non fit sine fuga, & in omni fuga est Apostasis quædam; saltem apparens; nam egressus ex Ordine sine Superiorum licentia, ad alium finem quàm ingressum in aliam Religionem, est quædam fugæ species. Itaque GREGOR. IX. eodem tempore loquitur de Religiosis fugitivis, & Apostatis; nam non distinguit illos qui egrediuntur è Monasteriis, ut non ampliùs ad ea redeant, ab illis qui exeunt cum proposito redeundi, omnes comprehendit sub nomine fugitivorum. Vide *Cap.* 24. *De Regular.* suprà explicatum.

Nihilominus separatim colligentur, ea quæ Jus expressè dicit de utrisque, ut cum ordine cognoscatur quod proprium est singulis. Initium ducetur ab Apostatis, circa quos Titulus est expressus in Collectione GREGORII IX. In ea junguntur cum illis qui fidem derelinquunt, qui sunt præcipui ex illis qui vocantur Apostatæ. Hic Titulus est in LIB. V. *Collectionis* GREGOR. IX. Nonus est, & sic conceptus, *De Apostatis & reiterantibus Baptisma.* Primum Caput colligitur ex ALEXAND. III., ostendit quod qui apostatat, discedit à suo statu sive Christiani, sive Clerici, sive Religiosi; loquitur de Clericis qui deposito ordine & veste Clericali vivunt quasi Laici, & huic mutationi dat nomen Apostasiæ; hæc autem ut puniatur, privat Clericos privilegio Clericali, posito quod in aliquo crimine deprehendantur: *Præterea Clerici qui relicto Ordine Clericali & habitu suo, in Apostasia tanquam Laici conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, per Censuras Ecclesiasticas non præcipimus liberari.*

INNOCENT. III. juxta eamdem mentem insinuat, nomen Apostatæ convenire Clericis qui deponunt habitum Clericalem, *qui sunt de Apostasiæ crimine infamati*; verisimiliter loquitur de iis, qui illum omninò reliquerant, aut potiùs qui accusabantur illud fecisse: nam, ut suprà ostensum est, hoc nomen *Apostasis* significat abdicationem omnimodam. Vide *Cap.* 3.

Idem Papa, *Cap.* 4. desumpto è *Concilio* LATERAN. IV. intelligendum dat, Judæos aut Mahumetanos, qui post receptam JESU CHRISTI fidem cum Baptisma, retinent priscæ Religionis suæ ritus, esse Apostatas, qui cogi debent ad perseverandum in Religione nova quam amplexi sunt, & ad nihil retinendum de veteri, quod illi novæ opponatur.

Hi Textus in eo solùm loco afferuntur, ut ostendatur quænam sit vera significatio nominis Apostatæ, & quare datum sit in *Capit.* 5. & 6. ejusdem *Tit.* Religiosis qui deponunt habitum Religiosum. Colliguntur ex HONORIO III. consulto ab Archiepiscopo TYRENSI super iis quæ agenda sunt erga Religiosos, qui relicto suo habitu, & inclusi nollent illum recipere, non obstantibus minis & blanditiis adhibitis ad eos alliciendos; ad hoc respondet ille Summus Pontifex, illos in carcere tenendos usque ad resipiscentiam, nihilque illis dandum quàm quod est necessarium ad eos à morte præservandos: vocat illos Religiosos Apostatas, *quid de Apostatis sit agendum*, quemadmodum INNOCENTIUS III. fecit suprà, circa Clericos qui simile crimen patrarunt.

Alter Textus, missus ad Archiepiscopum LUNDENSEM, non LUGDUNENSEM, loquens de Religioso qui recipit unum ex Ordinibus in sua Apostasia, decidit illum non posse exercere Ordines ipsi collatos sine dispensatione Sanctæ Sedis, quamvis in gratiam redierit cum Abbate suo & pœnituerit; undè meritò infertur, quod per Apostasiam incurrerit aliquam censuram aut suspensionis, aut excommunicationis majoris, cujus violatio per exercitium illorum Ordinum, illum effecit irregularem. GONZALEZ & FAGNANUS in hunc Textum, & alii Interpretes, nullum afferunt Canonem contentum in Corpore Juris, qui præceperit censuras *ipso facto* contra Apostatas status Religiosi; nullus adhuc repertus est istius generis; oportet ut, si quis extiterit, fuerit amissus, aut ut hæc censura ferretur per usum; nam hic Textus supponit, ut fuit observatum, aliquam fuisse; aliter Religiosus de quo loquitur non fuisset irregularis, nisi esset aliqua irregularitas contra Religiosos qui ad Ordines promovebantur sine licentia sui Superioris, quod examinabitur inferiùs; tamen observandum est, Canones præcipuos Corporis Juris, qui prohibent ne Religiosi recipiant Ordines injusso Abbate, esse *Can.* 1. DIST. LVIII. & Cap. 5. *De Tempor. Ordinat.* & nullam pœnam ferre contra transgressores.

Sunt qui contendant *Cap.* 6. *De Apost.* esse aut videri contrarium *Cap.* 10. *De Tempor. Ordinat.* collecto ex eodem Papa; Illorum fundamentum est, Summum illum Pontificem in eo permittere Religioso qui ad Sacerdotium promotus est sine licentia sui Abbatis, illud exercere, nisi in eo sit aliud impedimentum Canonicum; sed tam variæ sunt circumstantiæ, ut nulla in hoc possit esse contrarietas. Nam Religiosus de quo loquitur *Cap.* 10. non erat Apostata status Religiosi, cùm transiisset ab

Ordine

Ordine *Cisterciensi* in Ordinem Religiosorum habitu nigro indutorum, qui putantur esse *Benedictini*, & cum esset apud istos, factus fuerat Sacerdos, quod verisimiliter fecerat cum licentia Superioris secundi Monasterii, cujus membrum factum fuerat.

Nihil in hoc loco dicitur de *Cap.* 2. *Ne Cler. vel Mon. in 6.* quod nonnulli applicant ad Religiosos Apostatas. De hoc mentio fiet colligendo Textus spectantes ad Religiosos fugitivos, illud est ejusmodi generis. Non idem est de *Can. 69. ultim.* Dist. L. hic Textus est antiquior, quem repererim inter illos spectantes ad Religiosos Apostatas; colligitur ex *Concil.* Arelatensi II. *habito ann.* 452. vetat ne ad Communionem admittantur Religiosi, qui Apostatæ fuerunt, deponentes habitum Religiosum & ad Sæculum redeuntes, si recusent agere Pœnitentiam, & ne admittantur ad Ordines, etiam post Pœnitentiam. *Qui post Sanctam Religionis Professionem apostatant, & ad Sæcularem redeunt conversationem, & postmodùm Pœnitentiæ remedia non requirunt, sine Pœnitentia, Communionem penitùs non accipiant &c.* *Can.* 18. & 19. Caus. XXVII. Quæst. I. digni sunt qui in hoc loco inserantur; desumpti sunt è duabus Epistolis S. Gregorii, ratione cujusdam Religiosæ quæ deposuerat habitum Religiosum & in dissolutione vivebat; altera est missa ad Episcopum loci; altera scripta est ad Regionis defensorem. Summus Pontifex cùm utrumque redarguisset, de eorum negligentia ad illam ad Officium revocandam, præcipit illis ut pro sua culpa satisfaciant, & ad hoc apprehendatur; cogatur deindè ad recipiendum incessanter habitum Religiosum, & postea includatur in Monasterio, in quo possit arctiùs servari; tandem illis comminatur severam punitionem, si mandata sua exequi negligant & omittant. Hi duo Textus sunt primi qui clarè loquantur de Monialibus quæ apostataverunt, & de modo medendi earum Apostasiæ.

Si necessè esset illos colligere in hoc loco Canones qui possent applicari ad rem, sat haberentur ad Dissertationem conficiendam; nam tales sunt omnes illi qui mentionem faciunt de Monialibus & Religiosis qui Matrimonio conjuncti sunt, & quorum Matrimonium valuit usque ad sæculum XII. & numerus maximus est: partim referuntur in Dist. XXVII. XXVIII. *& in* Caus. XXVII. Quæst. I. Applicatio autem illorum Canonum censetur eo justior, quod non videtur verisimile, personas quæ se sic Matrimonio sociabant, habitum Religiosum retinuisse, cum quo vita conjugalis compari non poterat. Satius est remittere hos Canones ad Tractatum Matrimonii. Nihil prodesset objicere *Can.* 39. Caus. XXVII. Quæst. I. in quo S. Gregorius præcipit Subdiacono Antemio misso a Papa in Campaniam, ut, si Monachos reperiat conjugatos & publicè notos ut tales, in Monasterium remittat; nam aut supponit Mulierem ad id consensisse; aut loquitur de Monachis qui habiti sunt Matrimonio conjuncti, quamvis revera non essent; aut in Campania Vota Solemnia Religionis erant Impedimentum dirimens Matrimonium, quamvis in aliis omnibus Regionibus non essent. Factum in medium adductum, quod hæc Vota tum primùm diremerint Matrimonium in sæculo XII., saltem per Legem Generalem, probatum est in Traditione spectante ad Sacramentum Matrimonii, Tom. II., Tractatu ultimo pertinente ad Historiam *Cælibatus Sacri.*

Animadvertendum adhuc est *Concilium* Trident. Cap. 19. Sess. XXV. *De Reg.* Apostatam reputare Religiosum, qui volens reclamare contra Vota sua, deponit habitum ante reclamationem, & statuere istum puniri ut talem: *& tanquam Apostata puniatur:* Ratio Concilii est, talem Religiosum dare locum credendi, agendi ratione sua, se velle à statu suo discedere sine causa, & illum, per scandalum quod creat, mereri affici pœnis Apostatarum.

Sequitur ex Textibus collectis, quod non sine magna injustitia vocarentur Apostatæ Religiosi, qui extrent è suo Monasterio ad fugiendam vexationem, nimiam severitatem, periculum offendendi Deum proveniens à præceptis injustis Superiorum, ad quæ isti vellent eos cogere ut se subjicerent, si isti Religiosi non renuncient statui Religioso, sed tantùm præveniant periculum, ea mente ut ad obedientiam redeant cùm poterunt, tuta conscientia, & absque metu malorum quæ fuissent causæ suæ recessionis. Idem esset de hoc casu, ac de illo in quo mulier relinquit maritum, sub cujus potestate est, ut evitet molestationes illius, aut quia illam inducit aut sollicitat ad peccatum; & quemadmodùm de illis in quibus servi egrediuntur è domo sui Domini, in qua vita eorum & salus non est tuta; aut quemadmodum de illis in quibus pueri-Familias, separantur à Parentibus ob similes rationes: Omnes ejusmodi casus inter se conveniunt, in eo quod non solùm in illis fuga permittitur, sed etiam præcipitur quotiescunque periculum est peccari; tunc occurrunt circumstantiæ verborum Jesu-Christi, *neminem illo dignum esse, quin odio habeat Patrem aut Matrem*, aut occurrunt illæ; *oculum eruendum esse, qui est causa scandali, abscindendam esse manum & pedem*; quæ operantur eumdem effectum, id est, ab eo hominem separari debere quod habet charius, potiùs quàm offendere Deum.

Quoad Religiosos merè fugitivos, per quos intelliguntur illi qui exeunt è Monasteriis sine licentia Superiorum, ut maneant per quoddam tempus extra obedientiam sine ullo proposito derelinquendi statum Religiosum, nullus est alius Textus qui de iis expressè loquatur, quàm *Cap.* 24. *De Reg.* suprà explicatum fusis verbis, cùm facta est mentio de Religiosis ejectis. Idem in eo præcipit quoad illos, quod statuitur quoad expulsos: nempè ut isti revocentur quotannis; ut cogantur Superiores ad illos recipiendos; ut cum isti redeunt, observent in hac receptione Disciplinam Ordinis; ut excommunicentur inobedientes, & denuncientur excommunicati usque dum ad Claustrum redeant.

Sed ad id possunt applicari omnes Canones, qui vetant ne Religiosi exeant è claustro sine obedientia, ut maneant extra oculos Superiorum, sub quolibet prætextu illud sit. Præcipui sunt illi qui pertinent ad Monachos errantes & vagabundos *Can.* 17. & 18. Caus. XVI. Quæst. I. de his expressè loquuntur Primus colligitur *è Conc.* Calcedonensi, cùm exposuisset, aliquando accidere, ut Monachi adirent Constantinopolim sine Commissione Episcopi, & sæpè etiam ab ipso excommunicati, & manerent diu in Curia Imperiali, in præjudicium status Ecclesiastici, quem in eadem Curia turbabant, & aliquaquarum domorum quas diruebant, præcipit ut defensor moneat illos ex urbe egredi; si verò contemnentes illas monitiones in sua absentia persistant, & in negotiationibus suis perversis, statuit ut illos ab urbe expellat, & cogat ut redeant in suum Monasterium.

Can. 18. est substantia quædam *Epistolæ* Pelagii I. ad Paulinum solitarium. Cùm Papa locutus fuisset cum illo de aliquibus Monachis vagabundis, scribit ad illum se jussisse defensori, ut, si separati fuerint à Corpore Ecclesiæ sola obstinatione, illos in exilium mittat, eosque releget in Insula Reatina quam Editor ponit in Dalmatia. Sunt alii Canones relati à Gratiano in eadem Quæstione, eadem de re; Gonzalez eos indicat *in* Cap. 7. *De Off. Jud. Ordin. n. 6.*

Hic Textus est unus è præcipuis *Collect.* Greg. IX. pertinens ad Monachos vagabundos: colligitur ex Innocentio III. & desumitur ex ejus *Epistola* ad Archiepiscopum Auscitanum; præcipit isti, ut si Abbas Religiosorum & Canonicorum Regularium, qui sunt in Curia Principum sine obedientia, & in ea Monasterium suum molestant, abutentes authoritate amico-

rum quos sibi parant per dona, eos revocare omittat, ipsum Abbatem moneat illud facere; si autem iste non illud agat, suppleat Episcopus ejus defectui. Quamvis sint in hoc Textu multa alia notabilia, ultro illa omittimus, quia sunt à te propositâ aliena, aliundè in suo loco observata sunt.

Cap. 7. *De Regular.* non minus est notandum. ALEXANDER III. scribens ad Archiepiscopos, Episcopos, & alios Galliæ Prælatos, præcipit illis, ut non patiantur in suo territorio recipi Religiosos Professos Ordinis *Cisterciensis*, qui in eo reperiuntur absque sui Abbatis obedientiâ; ut illos ad Monasterium remittant, in quo fecerunt Professionem; & nisi ad illud citò redeant, illos cogant Censurâ Ecclesiastica ad illud. Papa hujus *Cap.* exordium ducit à præconio Ordinis *Cisterciensis* quoad fervorem & Institutionis perseverantiam. Ex hoc Teatu, quemadmodum ex præcedentibus, intelligitur quanta erat Episcoporum in Religiosos autoritas, & quantam ea hoc utilitatem perciperent Abbates, ut ab eis obedientiam exigerent, qui non obediebant.

Authores supra citati applicant ad Religiosos fugitivos & Apostatas *Cap.* 2. *Ne Cler. vel Monach. in* 6. BONIFAC VIII. excommunicat *ipso facto* Religiosos, qui student in scholis publicis, sine licentiâ Superiorum suorum, quemadmodum & illos, qui habentes hanc facultatem deponunt habitum in his locis, & sic adsunt Lectionibus. Eatendit banc censuram ad Professores Legum aut Medicinæ, qui illos recipiunt in hoc statu suis lectionibus. Si ponant illos Religiosos in numero fugitivorum, id fit ratione eorum egressionis à Monasterio sine obedientiâ, ut maneant diutius sine ullo exercitio Regulari, & sine subjectione suo Superiori, & inter Apostatas; ratione abdicationis aut abjectionis habitûs Religiosi. Quidquid sit de istâ applicatione, sufficiet animadvertere quod si illi Religiosi ad Ordines promoverentur, postquam ita excommunicationem incurrerint, & eosdem exercerent, certe fierent irregulares.

Quemadmodum hic Textus fert excommunicationem contra casum quemdam particulatem; non potest ex illo inferri Religiosos fugitivos & Apostatas excommunicari *ipso facto*; illud notum est, quod censuræ non producantur à casu ad alterum, quamvis etiam peccatum sit gravius.

Applicatur adhuc ad eamdem Causam Religiosorum fugitivorum, aut Apostatarum *Cap.* 4. Sess. XXV. *de Regular. Concilium* TRIDENTINUM in eo prohibet omni Religioso, ne sine licentia Superiorum se tradat servitio Prælati, Principis, Universitatis aut Communitatis, aut alterius cujuslibet, sub prætextu Prædicationis, Lectionis, aut alicujus alterius operis pii cujuslibet, non obstante omni Privilegio aut facultate ad hoc obtentâ. Si quis contraveniat huic prohibitioni, statuit ut puniatur ut inobediens, prout Superior aptum judicabit; prohibet etiam ne adeant Superiores majores, nisi ad eos mittantur, aut ab illis requirantur, & permittit Ordinario, si quem reperiat eatra Claustrum sine obedientiâ scripto expressâ, ut illum castiget tanquam suæ Professionis desertorem, supponit Religiosum amittere hoc modo Privilegium Ordinis. Eamdem ob rationem subjicit eidem Jurisdictioni Religiosos qui vivunt extra Claustrum, nonobstante omni Indulto ad hoc obtento. *Cap.* 3. Sass. VI. *De Ref.*

Tandem quod legitur in fine *Cap.* 19. Sass. XXV. *De Regular.* nulli Religioso debere dati facultatem legendi habitum suæ Religionis, suam habet in hoc loco applicationem; nam Religiosi fugitivi aut Apostatæ possent operire suum crimen sub velo talium Indultorum, quæ sibi arrogarent. Canones collecti ratione Religiosorum fugitivorum suum habent fundamentum in duabus obligationibus Statûs Religiosi; 1a Est obedientia Superiori debita & promissa, qua promissione suæ voluntati renunciant, & se subjiciunt Superioris arbitrio, à Regulâ directo, & Constitutionibus Ordinis roborato. *Cap.* 27. *De Elect. in* 6. *Can.* 3. CAUS. XIX. QUÆST. II. nam inde sequitur Religiosum non debere exire & manere extra Claustrum sine facultate Superioris, nisi iste abutatur suâ authoritate per Præcepta contraria Legi aut Naturali aut Divinæ, aut Humanæ sibi Superiori. Altera obligatio est secessûs, cui valdè opponitur vita Religiosorum fugitivorum, nam consumunt illam huc illuc vagando juata finem suæ egressionis, sine obedientia; si haberent intentiones justas & rationabiles, extra tempora vexationis & persecutionis, statim illas detegerent Superiori, cujus judicio debent illas subjicere: unde maxima pars Textuum contra ipsos factorum & supra citatorum, declarant prohibitionem factam Religiosis, ne exeant sine facultate, habere pro fine ne sint errantes & vagi. *Cap.* 17. & 18. *Can.* 16. QUÆST. I. *Cap.* 24. *De Regul. Cap.* 2. *Ne Cler. vel Monach.*

Qui fugiunt propter causam manifestè justam, sunt in casu illorum qui cùm non possint habere facultatem transeundi in Religionem austeriorem, egrediuntur sine licentiâ; nam quemadmodum isti habent à Deo permissionem ab homine recusatam, ita pariter idem est de illis fugitivis, Deus ipsis permittit ut exeant insciis & inconsultis Superioribus, quorum volunt evitare persecutionem, juata hæc verba JASU CHRISTI, *Si in una urbe vos persequantur, fugite in alteram*, & verba Sanctorum PATRI & JOANNIS, *Satius est parere Deo quàm hominibus.* Has ob rationes TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. III. *Disp.*8. tradit, tanquam principium certum & generaliter acceptum, licere Religiosis egredi sine facultate, cùm non possunt aliter evitare persecutionem, & mala quæ eam sequuntur; & Leges Superiores hominibus illa creantibus dant jus fugiendi. Erat inter primos sui Ordinis, & scribit de industriâ de authoritate Abbatum & aliotum Prælatorum: itaque non potest esse suspectus.

SECTIO XIII.

Regula spectantes ad Superiores Regulares, illorum differentias, promotionem, Jura, nec non & Depositionem.

Hactenus mentio facta est de iis quæ communia sunt Religiosis tàm Infetioribus, quam Superioribus: & hæc sunt, Nomen, Probatio, Noviciatus, Professio, Reclamatio, Translatio, Apostasia, Eapulsio, Fuga. Agendum nunc est de iis quæ propria sunt Superioribus, sive Generalibus, sive Localibus, quæ sunt Nomina, Differentiæ, Promotio, Jura, Depositio. Hæc Nomina, *Superiores, Prælati, Præpositi, Præsidentes*, sunt Nomina generalia, quæ congruunt illis qui alios regunt, sive Sæculares, sive Regulares. Ista autem *Abbates, Priores, Ministri, Custodes*, sunt nomina quæ usus aut Constitutiones Ordinum, aut eorum fundatio apptopriaverunt Superioribus quorumdam Otdinum, quæ distinguunt hoc modo Supetiores suæ domus aut Monasterii, à Superioribus Monasteriorum aliorum Ordinum. Antiquius ex istis nominibus est nomen Abhatis; significat Patrem, & hoc modo convenit omni Superiori, qui debet Pater esse illorum qui sibi sunt subjecti. A Constitutione Ordinum Religiosorum, distinctum est duplex Abbatum genus; alii erant Particulares, & cuique cura mandata fuit directionis alicujus Monasterii; alii Generales onerati regimine omnium Monasteriorum Ordiuis: Abbates Particulares habueruut infra se duplex Priorum genus; alii vocati sunt Claustrales, & isti sunt eorum Vicarii in eodem Monasterio; alii dicti Obedientiarii, & illi sunt Priores Ecclesiarum annexarum Monasterio.

In aliis Otdinibus primus cujusque Monasterii Superior

Superior vocatur Prior ; nomen ortum ex eo quod alios præcedat. Ejuſmodi Priores vocantur Conventuales in Conventibus numeroſioribus ; in aliis Ordinibus Superiores vocantur Miniſtri, aut Cuſtodes : Prima ex his denominationibus colligitur ex verbis JESU-CHRISTI ; *Qui Major eſt veſtrûm erit Miniſter veſter*, S. MATTH. Cap. 23. verſ. 11. Secunda ex eo quod Superior alios ſervet, undè venit nomen Cuſtodis, quod datur in his Ordinibus Superioribus cujuſque Monaſterii. *Cap. 3. De Verb. ſignif. in 6.* & *primum ejuſdem Tituli in* CLEMENTINIS mentionem faciunt de his duabus denominationibus.

Magnus eſt Textuum numerus qui loquuntur de Abbatibus, nonnulli citabuntur obſervando quod proprium eſt Abbatibus. Quoad Priores Conventuales, mentio fit de illis, *Cap. 27. De Elect.* Cap. 10. *De Majorit. & Obed.* CLEMENT. I. *De Statu Monach.* CLEMENT. II. *De Reſcript.* quæ loquitur etiam de Prioribus Clauſtralibus.

Priores Monaſteriorum qui non habent Abbates particulares æquiparantur Abbatibus. *Cap. 7. De Statu Monach.* utrique fiunt per Electionem. *Cap. 27. De Elect. &* Cap. 2. *De Statu Monach.* illud probant quoad Priores. *Cap. 41. 42. De Elect. & Cap. 43. ejuſdem Tit. in 6.* illud probant quoad Abbates & Abbatiſſas.

Priores Obedientiarii & Priores Clauſtrales fiunt per collationem. *Cap. 2. De Statu Monach.* Hoc duplex Priorum genus differt à Prioribus Electivis, in eo quod iſti non poſſunt revocari ſine juſta cauſa & ſine proceſſu ſeu Ordine Judiciario. *Cap. 5. & 8. De Statu Monach* Alii verò omnes & ſinguli ſunt revocabiles ad nutum *Cap. 2. cit.* Sub CLEMENTE V. circa initium ſæculi XIV. jam erant Prioratus Conventuales qui erant collativi, de iis expreſsè loquitur, & ſupponit illos jam eſſe conſtitutos CLEMENT. I. *De Statu Monach §. 7.*

Juxta Jus vetus contentum in Corpore Juris, nullus erat Abbas aut Prior qui perpetuus non eſſet, exceptis Prioribus Eccleſiarum annexarum, qui revocabiles erant ad libitum Superioris. *Cap. 5. & 6. De Confirmat. Utili.* Cap. 2. *De Statu Monach.* Jus Novum introduxit diſtinctionem Abbatum aut Priorum in temporales & perpetuos. *Cap. 6.* SESS. XXV. *De Regular.* mentionem facit de Abbatibus aut aliis Superioribus Temporalibus. Abuſus à Superioribus perpetuis factus de ſua autoritate, occaſionem dedit, Prælatos faciendi temporaneos.

Non idem eſt de diviſione Abbatum Commendatariorum in perpetuos & temporales. Cap. 2. *De Præb.* EXTRAVAG. COMMUN. mentionem de illis facit : colligitur è CLEMENT. V.

Poteſt extendi ad Superiores Religioſarum quod hactenùs dictum eſt de Superioribus Religioſorum, hac de re non videntur differentiæ expreſsè in Jure contentæ.

His obſervationibus quæ conveniunt tàm Superioribus Generalibus, quàm Localibus, nonnullæ jungendæ ſunt quæ ſunt particulares Superioribus Generalibus. Iſti Superiores non ſunt in uſu, niſi inter Religioſos qui ſunt in Congregatione, quorum Monaſteria ſubordinata ſunt alia aliis, & Superiores Locales rationem reddunt aliis Superioribus Majoribus, etiam Religioſis, ſi illæ Congregationes dividantur in Provincias, alioſve ſimiles Diſtrictus; Superiores præpoſiti ad regendas Provincias illoſve Diſtrictus, appellantur Provinciales aut Viſitatores. Superiores hujus generis habent Adjutores, qui vocantur frequenter Secretarii aut Definitores. Omnes & ſinguli ſubjecti ſunt Capiti Congregationis, quemadmodum & alii Religioſi : hoc Caput vulgò vocatur, Generalis : Suos habet quoque Adjutores qui denominantur Aſſiſtentes ; differt ab aliis Superioribus non ſolùm in eo quod regit omnem Ordinem & Congregationem, alii verò partem tantùm regunt ; ſed etiam in eo quod in multis Congregationibus, eſt perpetuus, dum alii Superiores ſunt ad tempus tantùm : Quod videtur provenire à difficultate reperiendi bonum & aptum Caput Ordinis, & a neceſſitate diutiùs in loco relinquendi illum qui electus eſt, ut longa experientia in regimine & adminiſtratione perfectus evadat. Paſſim ſunt in Jure Textus qui loquantur de ejuſmodi Superioribus Generalibus, ſic vocatis quia curam habent regiminis boni plurium Monaſteriorum. Superiores autem Locales unum tantùm habent Monaſterium regendum; revera unus tantùm Textus eſt in GRATIANO, qui de his mentionem faciat; hic eſt *Can. 3.* CAUS. XIX. QUÆST. III. loquitur de Capite Congregationis Canonicorum Regularium, iſtum ab aliis ſecernit per nomen Patris. Quoad alias Juris collectiones, tres tantùm aut quatuor Textus ſunt qui agant de Superioribus Generalibus : notabiliores verò ſpectant tantùm ad Ordinem FRANCISCANORUM ; tales ſunt *Cap. 3. De Verb. ſignif. in 6* CLEMENT. I. *ejuſdem Tituli*, & EXTRAVAG. JOANNIS XXII. ſub eodem *Tit. Cap. 7. & 8. De Statu Monach.* quæ loquuntur de Viſitatoribus, non ſpectant proximè niſi ad Ordinem *Ciſtercienſem* ; & Ordines novos conſtitutos in ſæculo XII. qui coguntur celebrare Capita Triennalia, ad imitationem Ciſtercienſium. Nihil dicetur de aliis differentiis inter Superiores Generales, & Superiores Locales, ſive quia non ſunt ſatis gravis momenti, ut mereantur annotari, ſive quia examinabuntur, agendo de aliis Capitibus, quæ pertinent ad utroſque, de quibus ſupereſt loquendum.

SECTIO XIV.

Promotio ad Superioritates Regulares.

Cùm illæ Superioritates non ſunt Beneficia, ſæpiùs illas aſſequuntur per electionem, quàm per collationem : cum autem illæ ſunt Beneficia, raró ſunt electivæ, ſed dantur per collationem, præſentationem, aut denominationem. Quod poſſet in hoc loco meliùs dici quoad electionem, methodicè explicatur in *Inſtitutionibus Eccleſiaſticis & Beneficialibus. Part 1. Tit. 66. 67. 68. 69.* Annotatur *in 66.* quænam ſint Beneficia Regularia adhuc electiva, & iſtorum datur Catalogus. Reperiuntur in *Tit. 67.* Regulæ Juris quoad poſtulationem ad dignitates electivas, quæ Regulæ adhuc inſerviunt ad præſentationem & nominationem, in quarum actu Superior rogatur, ut diſpenſet præſentatum ab inhabilitate ſua, antequam iſti detur inſtitutio. Collectæ ſunt *in 68.* præcipuæ Regulæ uſitatæ quoad electiones & confirmationem ; tentatum eſt, ut iiſdem daretur ordo aptior quem poſſent recipere. *In 69.* intenditur vera ſigna diſcernere electionis Solemnis, à falſis ; oſtendendo alia convenire tantùm huic electioni, & alia congruere electioni non Solemni.

Regulæ collectæ ſpectantes ad electionem, locum habent in illa quæ pertinet ad Superiores qui tantùm ſunt ad tempus, quemadmodum in electione Superiorum perpetuorum. *Concilium* TRIDENTINUM illud ſupponit, nullam aliam mutationem faciendo in electione Prælatorum qui tantùm ſunt ad tempus, niſi quod electio fiat per ſchedulas ſecretas ; nullus creetur nec Provincialis, nec Abbas nec Prior ad eligendum ; nec ſuppleantur ampliùs vota aut ſuffragia abſentium, ſub pœna nullitatis electionis in caſu contraventionis huic Decreto, & incapacitatis aut inhabilitatis ad omne Officium, contra illum qui ſe permiſerit factum fuiſſe Provincialem, aut Abbatem, aut Priorem, ad hoc ut faceret Electionem.

Itaque TAMBURIN. *De Jure Abbatiſſarum*

DISP. XXVIII. agens de Electione Abbatissarum Temporanearum, ad eam applicat omnes Textus Juris qui spectant ad Electionem ad Prælaturas perpetuas. DISP. XXX. confirmat hanc reflectionem; nam cùm in ea agar de duratione Prælaturæ illarum quarum Electionem explicavit, cum omnibus illis quæ ad eam pertinent, in eadem dicit, illam durare unum tantùm annum, aut ad majus tres annos, & illud probat per Bullas Summorum Pontificum, NICOLAI V. & GREGORII XIII. Prior restringit durationem Abbatissatûs aut Superioritatis Religiosarum *Franciscanarum* ad unum annum, & punit illas quæ post finem anni continuant functiones Prælatarum. Altera Bulla terminat durationem Superioritatis ad tres annos, & facta fuit ad usum Italiæ, sed præsertim ad usum utriusque Siciliæ. Forma Electionis eadem est, cum agitur de delectu Generalis cujusdam aut Provincialis, cum Quæstio est tantùm de aliquo Superiore locali: differentiæ cadunt solùm in Electores & Confirmatores, qui differunt inter se, & in dotes requisitas in omnibus & singulis, aut in Electis, qui majori opus habent experientia, prudentia, scientia, & pietate, prout Prælaturæ sunt ampliores. Hæc discrimina potiùs constituuntur ab Ordinum Statutis, quàm à Jure, quod est in causa cur ad illa remittantur hi quibus notitia illorum discriminum necessaria est.

SECTIO XV.

Jura Superiorum Regularium in suos inferiores.

Impossibile fuit loquendo de acceptione habitûs Novitiatûs, de Professione, de Reclamatione, non agere simul de Juribus præcipuis Superiorum erga suos inferiores: nam ad Superiorem pertinet ingressum dare in Monasterium, examinare illos qui sese ad intrandum offerunt, admittere ad Novitiatum, judicare an benè aut malè sit factus, ad Professionem recipere post probationem necessariam; nec etiam possibile fuit nos dispensare à loquendo de iisdem Juribus Superiorum Regularium, differendo de devoluto Jure, quod dat licentiam Superiori Majori, ut suppleat defectui Superioris Minoris, sive ratione correctionis, sive quoad dispositionem Beneficiorum, sive quoad judicia: nam Jure devoluto, transeunt ab inferiori ad Superiorem potestates quibus uti neglexit, aut quibus malè usus est.

Quemadmodùm iidem Superiores Regulares sunt ex illis qui obligantur erga inferiores suos, quemadmodum & isti obligantur erga Superiores, & ut Officia inferiorum erga Superiores sunt consequentiæ jurium, quæ Superiores in illos habent, non potuit explicari *Tit. De Majorit. & Obedientia*, ut factum est, quin eodem tempore tractaretur de Juribus Superiorum Regularium in suos inferiores. Mentio quoque facta fuit de Juribus Superiorum Regularium, agendo de dispositione Beneficiorum, de Administratione Sacramentorum & approbatione ad istam, de Jurisdictione quasi Episcopali, de potestate ferendi censuras, & ab iis absolvendi, de Contractibus, aut quasi Contractibus, de delictis & quasi delictis.

Revera isti Superiores Jus habent disponendi de Beneficiis, aut soli, aut cum Monasterio, administrandi Sacramenta erga suos Religiosos, eosdem approbare, ut illa administrent aliis Religiosis: super illos habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, si sint immunes; undè oritur potestas judicandi, puniendi, percutiendi Censuris, illas revocandi, faciendi Statuta, illa interpretandi, eadem abrogandi in omnibus aut in partibus, ab iisque dispensandi.

Sermo quoque habitus est de iisdem Juribus Superiorum Regularium, agendo de Curis, de Canonicis, de Officialibus; nam isti Regulares faciunt functiones Curiales erga suos Religiosos, Canonici Regulares sunt ex numero Religiosorum, & istorum Superiores eadem habent Jura erga suos inferiores, quæ Superiores Religiosorum habent in illos qui sibi subjiciuntur. Si quædam sint inter Religiosos controversiæ, si culpas admittant castigatione dignas, Superiores sunt ipsorum præcipui Judices.

Jura Superiorum Regularium proportionantur sublimitati Prælaturarum eorumdem, eum sint magis aut minùs magna, quemadmodùm sunt magis aut minùs elevatæ; in quo similes illi sunt Prælatis Ecclesiasticis Sæcularibus, quorum Superior Major gradum habet Jurisdictionis, qui non est in Prælato sibi inferiore. *Verbi gratia*, Metropolitanus duos habet gradus Jurisdictionis, unum tanquam Episcopus, alterum tanquam Metropolitanus; Primati tres arrogantur, cùm habeat, præter duos de quibus mox locuti sumus, gradum Primatis; Patriarchæ quatuor attribuuntur, cùm Patriarchatus aliis addat gradum superiorem; Papæ quinque debentur, cùm Papatus in hoc non sit pejoris conditionis, quàm aliæ dignitates superiores simplici Episcopatui.

Quemadmodum igitur Provinciales sunt erga Superiores locales unum & idem, quod erga simplices Episcopos sunt Metropolitani; ita pariter habent quoque gradum Jurisdictionis superiorem, præ illo qui est in his Prælatis localibus. Similem ob causam, ut Generales sunt unum & idem erga Provinciales, quod Primates Patriarchæ, & Papa sunt erga Metropolitanos, habent quoque saltem unum gradum Jurisdictionis, plus quàm Provinciales.

Ut quodque genus Prælati Ecclesiastici Sæcularis, habet negotia sibi reservata, quæ possunt vocari Causæ Majores, ut ANTON. AUGUSTIN. *Part.* I. *sua Epitomes* fusius probavit; & quemadmodum cuique sui sunt reservati casus quoad Sacramentum Pœnitentiæ; ita pariter Superiores Regulares possunt iisdem frui commodis erga suos inferiores, & Superiores Majores aliquibus uti ejusdem generis, quoad Superiores qui sibi sunt subjecti.

Tandem Superiores Majores iisdem potiuntur commodis in Capitulis sui Districtûs, quibus fruuntur Superiores Episcoporum in Conciliis sui territorii; nempè attribuitur illis præsidentia, præcipua pars in Statutis, in iisdem Synodis, ordinatis, eorumque dispensatione, interpretatione, abrogatione, aut derogatione. Sed cum eodem tempore isti subjiciantur Statutis à Concilio sui Districtus habitis & promulgatis, & teneantur eadem observare, idem etiam est de Superioribus Majoribus Religiosorum. TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. III. DISP. III. QUÆST. IV. illud asserit tanquam certum, & illud idem probat quoad unum & alium effectum, sive dirigendi, sive compellendi. Hæc dicere in hoc loco satis est, quoad Jura Superiorum Regularium: non potuissemus enumerare singula, sine multis iterationibus fastidiosis; nam ut vos curavimus monendos de illis mentionem fieri in benè multis locis Corporis Juris ratione conjunctionis & affinitatis quam habent cum rebus multis; facilè quicumque volet explanare & investigare aliqua ex his Juribus, desiderio suo satisfaciet, recurrendo ad loca indicata, in iisdem reperiet principia & consequentias deducendas quoad Jura Superiorum Regularium.

SECTIO XVI.

Depositio Superiorum Regularium.

Agendo de materia proposita, omnes prætermittentur generalitates quæ ad illam spectant, ut immoremur tantùm in illis quæ rei sunt peculiaria sunt. Itaque postquam monuerimus fusis verbis disseri de depositione Episcoporum in Regulis pertinentibus ad Causas Majores, & ea quæ dicta sunt in illis partim applicari posse ad depositionem Abbatum, ex quo iisdem communicata sunt ornamenta Episcopalia cum potestatibus multis Epis-

Episcoporum, observatur Textus præcipuos, qui expressè loquuntur de depositione Superiorum Regularium, esse *Cap.* 2. 7. 8. *De Statu Monach.* Cap. 24. *De Accusat.* §. *ult. Decret. De Concubinar. publicis* §. *& hi quorum*, in *Pragmat. Sanctione*, & in *Concordato*: animadvertitur etiam nonnullos alios adhuc esse in Decreto, examinandos, quantum par erit.

Ad explicationem Textuum Decret. Primus ex Canonibus nominatim citatis vetat, ne deponantur Priores Conventuales sine causa manifesta & rationabili: ratio hujus prohibitionis petitur verisimiliter ex eo quod isti Priores promoverentur per electionem & confirmationem, quemadmodum & Abbates, & quod immeritò spoliarentur jure, quod hac via acquisiverant, sine causa justa; & quemadmodum hæc ratio producit hunc Textum ad omnes Superiores promotos iisdem viis, ita pariter idem Textus mentionem facit de duplici genere causarum depositionis: primum est crimen dissipationis, incontinentiæ, & omne aliud similis aut majoris malignitatis; alterum est, utilitas Ordinis proveniens à Translatione ad ampliorem dignitatem, in qua speratur translatum multò majus bonum acturum. Quemadmodum dignitas personæ auget crimen proportione elevationis illius, quia debet exemplum aliis; Depositio pro crimine est eò justior in Superioribus Majoribus quàm in aliis. Altera causa depositionis non potest habere locum nisi in Superioribus, qui sunt infra primum; *Priores autem &c. Cap.* 1. *De Statu Monach. Cap.* 7. ejusdem Tituli insinuat depositionem Superiorum Regularium pertinere ad Superiorem istorum immediatum; nam loquendo de Visitatoribus, qui debent eligi in Capitulis triennalibus, præcipit istis qui sunt ex Monasteriis non immunibus, ut, si reperiant in iisdem Superiores, qui mereantur deponi, eos Episcopo denuncient, ut eos à loco amoveat. *Ita quod si Rectorem loci cognoverint ab administratione penitùs amovendum, denuncient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret*, & nisi Episcopus faciat, illis injungit, ut referant hujusce rei examen Sanctæ Sedi. *Quod si non fecerit, ipsi Visitatores hoc referant ad Sedis Apostolicæ examen.* Hæc negligentia Episcopi in deponendo Superiorem Regularem, quem Visitatores dignum depositione judicabant, visa est satis criminosa & gravis ut cognitio de illa reservaretur Papæ, præjudicio Metropolitani. *Cap.* 8. *ejusdem Tituli* clarè docet quod *septimum* tantùm insinuat, nempè quod pertineat ad Superiorem immediatum depositionem facere; nam cùm præceperit Visitatoribus, ut, si reperiant Superiorem dignum qui deponatur, sive quia est dissipator, aut quia reus est alterius criminis, de hoc moneant Diœcesanum, ut illum deponat nulla habita ratione ordinis judiciarii, & aliquem nominet qui administret temporale, donec provisum fuerit Abbatiæ, *quod si dilapidator inventus fuerit, vel aliàs meritò amovendus per Diœcesanum, postquam hoc sibi à Visitatoribus denunciatum fuerit, amoveatur absque judiciorum strepitu à regimine Abbatiæ, ac Monasterio; provideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi Monasterio fuerit de Abbate provisum.* Cùm deindè provisum fuerit negligentiæ Episcopi, eodem modo quo factum est in Capite præcedenti, transit ad Abbates exemptos & immediatos Sanctæ Sedi, qui reperientur rei criminis quod mereatur depositionem, & illam reservat huic Sedi, relinquendo tantùm Visitatoribus & Præsidibus Capituli potestatem illos suspendendi ab administratione Abbatiæ, & eligendi Administratorem idoneum, qui illam regat donec fuerit alter Abbas constitutus, *hæc eadem circa Abbates exemptos fieri præcipimus per Visitatores, vel Præsidentes in Capitulo Generali, depositione tantùm ipsorum Sedi Apostolicæ reservata.*

Non potest dici Abbates exemptos, quorum depositio est in hoc loco reservata Sanctæ Sedi, non fuisse immediatus huic Sedi, quia subjiciebantur Capitulis triennalibus, & Visitatoribus ab his Capitulis nominatis; nam hæc subjectio erat tantùm pro potestate data illis Capitulis, à qua Depositio erat excepta, & illa Capitula erant tanquam Commissarii Papæ, in potestate quam exercebant in illos Abbates. Idem est de istis, ac de illis qui constituti fuerunt à *Concil.* Trid. Monasteriis immediatis Sanctæ Sedi, quæ reductione sua in Congregationem ad eligendos Visitatores, qui ea visitent, non derogant suæ immediationi. Fagnan. *in Cap.* 7. *De Statu Monach. n.* 7. facit hanc comparationem, & observat Congregationem, de qua agitur, differre ab unione, in eo quod ista sit perpetua, & Congregatio est tantùm triennalis, post quod tempus renovanda est, quod probat ex his Concilii verbis, *intra annum à die præsentis Concilii, ea deindè quolibet triennio.*

Ex *Cap.* 24. *De Accusation.* intelligitur, non esse necesse, ut accuratè servetur ordo Judiciarius in depositione Superiorum Regularium, quia fit faciliùs & liberiùs, cùm illam requirit res gesta seu factum. *Hunc autem ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum, quæ cùm causa requirit, faciliùs & liberiùs à suis possint Administrationibus amoveri.* Depromitur è *Concil.* Later. IV. *habito ann.* 1215. *sub* Innoc. III. in eo præscripserat ordinem, quem necessè est sequi in Judicio Episcoporum. Fagnan. in hoc *Cap. à n.* 98. *usque ad finem*, examinans, quod est particulare informationi aut inquisitioni contra Superiores Regulares, dicit negligi formulas non necessarias ad probationem facti, non exigi ad hoc magnas causas, nec ad eò validas probationes, non admitti tot exceptiones, & non servari ad rigorem formulas præscriptas pro exceptionibus.

Quod legitur in *Pragmat. Sanctione* & in *Concordato*, *Decret. De publicis Concubinariis*, quoad depositionem Superiorum Regularium, supponit quosdam esse quorum depositio reservatur Sedi Apostolicæ, & de istis in hoc statuitur instructionem processûs in Capitulis Generalibus agendam esse, cum eadem diligentia quæ debet adhiberi in instructione Judiciaria pro depositione Episcoporum, & eandem esse Romam mittendam. *Eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque Generalibus Capitulis, etiam Provincialibus, quoad eos servetur.*

Hoc Decretum opponitur §. *Hunc autem. Cap.* 24. *De Accus.* suprà relati, in eo quod compellat, ut eadem diligentia adhibeatur in instructione Judiciaria, quæ fiet pro depositione Superiorum Regularium, quàm ea quæ afferenda est in instructione Judiciaria, pro depositione Episcoporum, & hic §. permittit, ut minor impendatur in hac diligentia quàm in ista, & affert rationem hujus differentiæ. Applicatur ad depositionem Superiorum Regularium *Cap. ultim. De Ætat. & Qualit.* quod deponit Episcopum quia non habebat scientiam requisitam ad suam dignitatem; applicatio videtur justa, quantumvis sit discriminis inter scientiam necessariam in Episcopo, & eam quæ est in his Superioribus: nam sensus applicationis est, quod isti debeant deponi, cùm carent illa scientia quam eorum postulat dignitas in illis esse, quemadmodum & Episcopi qui scientiam non habent requisitam ad Dignitatem Episcopalem. Tambur. *De Jure Abbat.* Tom. I. Disp. XIII. Quæst. XII. unus est ex illis qui faciunt hanc applicationem. In eo refert etiam *Bullam* Clementis IV. *ann.* 1265. quæ præscribens quid sit observandum in litibus criminosis Abbatum Ordinis Cisterciensis, enumerat crimina, pro quibus isti sunt deponendi; permittit Abbati deposito, ut se provideat contra injustam depositionem; si verò probet injustitiam defectu ordinis & causæ, statuit, ut Abbas

qui illum ſic depoſuerit, ipſe deponatur à Capitulo Generali; ſi autem ſententia juſta ſit in ſua cauſa, ſed injuſta ſolùm in modo & in ordine qui in ea ſervatus eſt, aut omiſſus, depoſitus non reſtituatur, & deponens puniatur altera quàm depoſitionis pœnâ; quod ſi agatur de crimine cujus infamia non eſt per pœnitentiam deleta, ſit ſemper depoſitus ineligibilis: aliter poſſit eligi poſt pœnitentiam completam. Refert adhoc extractum *Bullæ* LEONIS X. quæ vult, quanquam crimen ſit notorium, licere accuſato ſeſe defendere, & non poſſe illum puniri, niſi Partibus plenè auditis, crimen debitè probatum fuerit, *n. s. uſque ad finem.* Crimen falſi enumeratum inter illa quæ digna ſunr depoſitione, extenditur ad falſitatem commiſſam in literis emanatis ab Epiſcopis & Abbatibus, quemadmodum & ad falſitatem quæ admittitur in literis Summorum Pontificum & Principum.

Inter Canones Decreti qui ad depoſitionem Superiorum ſpectant, unus ex principalioribus eſt in CAUS. XVIII. QUÆST. II. Deſumitur ex Concilio Triburienſi, habito anno 895. Fert quod, ſi Abbas dotibus tequiſitis, quas enumerat, non ſit ornatus, Epiſcopus poteſt illum deponere, re maturius perpenſâ cum Abbatibus vicinis, & aliis perſonis Deum timentibus, non obſtante oppoſitione Monaſterii volentis illum conſervare, quia indulget cupiditatibus Religioſorum.

Ex hoc Canone intelligitur, quod quemadmodum Epiſcopi erat confirmare electionem Abbatum, ad eundem quoque pertinebat illos deponere; ſed cùm depoſitio ſit res gravioris momenti, opus habebat Aſſeſſoribus ut illam faceret, non autem indigebat pro confirmatione. Sunt qui referant ad depoſitionem Abbatum ab Epiſcopo *Canon. In Ordinatione* 14. DIST. LXI. ſed veriſimilius eſt agi de caſſatione electionis nullæ ob indignitatem Electi, nam in eo præcipitur, quod ſi omne Monaſterium eligat perſonam indulgentiorem, quæ ſinat Religioſos in ſuis vitiis vivere, Epiſcopus Diœceſanus qui pervenit ad notitiam electionis tam ſcandaloſæ, debet impedire ne ullum ſortiatur effectum, & tribuere domui Dei bonum diſpenſatorem: depromitur è Regula S. BENEDICTI *Cap.* 64.

Pontificale Romanum agens de induſtria de depoſitione tàm Beneficii quàm Ordinis, nihil dicit de depoſitione Abbatum aut aliorum Prælatorum Regularium; unde poteſt concludi in hoc uſurpari Jus Commune ſpectans ad depoſitionem Beneficiatorum, aut eorum qui ſunt ad Ordines promoti, niſi Conſtitutiones Ordinis aut Congregationis eorundem præſcribant hujuſce rei formam particularem.

De hoc nulla etiam mentio fit *in Epitome Veteris Juris Canonici*, quamvis Autor occaſionem habuerit illud faciendi in LIB. IX. qui pertinet ad Religioſos, & in ultimo qui fuſiùs agit de depoſitione; undè poteſt eadem conſequentia colligi quæ deprompta eſt è ſilentio *Pontificalis* in eandem cauſam.

Quod ſuppoſitum eſt per tranſennam, eſſe Conſtitutiones Ordinum Religioſorum, quæ præſcribunt formam depoſitionis Superiorum Regularium, probatur à TAMBURINO *de Jure Abbat. Tom. III.* aut in ſua *Praxi criminali Judiciaria*, QUÆST. III. *n.* 25. qui ſtatuit tanquam principium, Prælatos Regulares debere in ſuis Judiciis ſequi formam procedendi præſcriptam à ſuis Regulis & Conſtitutionibus: illa ſpectat tam ad ſuperiorum, quàm ad inferiorum Judicium; nam QUÆST. I. *n.* 11. conſtituit Præſides Generales Ordinum & Provinciales inter Judices Ordinarios criminum ſuorum ſubjectorum, Superiores Locales ſunt præcipui ex Provincialibus, & iſti majores ex Generalibus. Principium de quo locutus fuit magis præcipuè incidit in Judicium criminum quæ depoſitionem merentur, de qua agit QUÆST. XVIII. necnon & de degradatione quam dicit non pertinere ad Judices Regulares, ſed ad Epiſcopos *n.* 6.

SECTIO XVII.

Particularitates deſumptæ è Jure Communi ſpectantes ad appellationes Religioſorum à ſententiis ſuorum Judicum Regularium.

Quod eſt ſingulare quoad iſtas appellationes, includitur in *Cap.* 3. 26. 31. *De Appellat.* Alia ſequuntur tantùm mentem iſtorum, eaque confirmant, quare referetur illorum ſubſtantia & explicabuntur per alia, quamvis non referantur.

Abbas S. PETRI, cum conqueſtus fuiſſet, quod quoties emendabat Religioſos qui tranſgrediebantur Regulam S. BENEDICTI, appellabant à ſuis correctionibus, ut perſeverarent impunè in ſua malitia & diſſolutione; Papa ALEXANDER III. reſpondet, non obſtante eorum appellatione, debere Abbatem contra illos exequi quod Regula & Conſtitutiones Ordinis præcipiunt contra iſtas tranſgreſſiones, *Si quandò quilibet ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convaluerit, non ideò minùs eum, juxta tenorem mandati quod in prædicta Regula continetur, & inſtitutionem Ordinis, corrigas & caſtiges*: hæc eſt ſubſtantia *Cap.* 3. *De Appell.*

Concilium LATERAN. ſub eodem Papa, cùm præſcripſerit remedia abuſûs appellationis in genere correctionis præcipit, ut adhibeantur præcipuè contra Religioſos, ne, cum Prælati eorum volent illos corrigere à culpa, appellent ab hoc, nedum accipiant humiliter & devotè quod ipſis pro ſua ſalute injungitur. *Præcipuè verò hoc in locis Religioſis volumus obſervari, ne Monachi, ſive quicumque Religioſi viri, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra Regulam Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant: ſed humiliter ac devotè ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua eis fuerit injunctum.* Cap. 26. *De Appellat.*

Canonicus Regularis cùm appellaviſſet ad Sanctam Sedem à correctione inconſiderata ſui Prioris, magnorum exceſſuum rei, quibus notabatur, Prior illum peſſimè tractaverat; idem Papa cùm illud cognoviſſet, & offenſus fuiſſet de contemptu appellationis ad ſuam Sedem, jubet, ut ad ſe mittatur hic Prior cum fideli relatione, ut accipiat pœnitentiam, quam per hoc meruerat. *Ceterùm, ſi præfatus Canonicus Priorem, propter ſuas enormitates manifeſtas, quæ ipſum notabilem reddunt, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, & ipſe tali appellationi deferre contempſit: eum cum literis tuis veritatem continentibus, de tanto exceſſu ſatisfacturum, ad Sedem Apoſtolicam venire compellas.*

Hic Textus videtur contrarius duobus præcedentibus, in eo quod approbet appellationem à correctione, alii autem illam condemnant: ſed tamen revera non iiſdem adverſatur, nam locus omnis eſt credendi, tàm malum Priorem feciſſe correctionem manifeſtè injuſtam: itaque idem Textus, quemadmodum eſt in GONZALEZ, excipit caſum appellationis injuſtum: *Si inveneris, quod pro vitanda diſciplina prædictus Canonicus appellavit, eidem Priori propter hoc nullam pœnam infligere debes, quoniam Sacroſancta Romana Eccleſia hujuſmodi appellationem admittere non conſuevit, nec Monachis, vel Canonicis Regularibus præberetur audacia delinquendi.*

Poteſt objici contra hos tres Textus *Cap* 13. *De Off. Jud. Ordinar.* depromptum è *Concilio* LATER. ſub INNOC. III. quod præcipit, ut executioni mandentur ſententiæ correctionis, non obſtante omni appellatione, tàm contra Clericos Sæculares, quàm contra Regulares, & indè concludi poteſt Textus ſuprà regu-

relatos nihil habere particulare circà Religiosos. *Ut autem correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus ut executionem ipsius nulla consuetudo valeat impedire, nisi excesserint formam, in talibus observandam.*

Revera dispositio convenit cum illa quæ pertinet ad Textus alios, in eo quod occurrit retardationi effectûs correctionis, & appellatio potest comprehendi in consuetudine, quia ista poterat autorare appellationem sententiarum correctionis; sed non minùs verè ille Textus id non expressè prohibet, alii autem illud ita vetant quoad Religiosos, & nullam volunt rationem haberi huic Textui, cum etiam ferrur ad Papam. Rationes verò prohibitionis ab iisdem factæ, sunt propriæ Religiosis: præcipua est quod per votum obedientiæ debitum Regulæ & Constitutionibus Ordinis tenentur modo magis particulari se subjicere sententiis Superiorum suorum, nam istæ sunt mandata quæ partem faciunt materiæ hujus Voti. Aliæ sunt, quod appellationes præberent ipsis occasionem exeundi è suo secessu, sibi procurandi per vias illicitas pecuniam quâ indigerent ad eas persequendas, promulgandi dissolutiones apellantium aut Judicum, quod verteret in opprobrium Ordinis & scandalum Sæcularium, si contemnerentur Superiores, & introduceretur relaxatio Disciplinæ Monasticæ. Hæ rationes præsertim conveniunt appellationibus latis, antè alios quàm Ordinis Judices; & ideò FAGNANUS *in Cap.* 31. *De Appellat. n.* 38. illas ad hunc locum aplicat.

Frustra objiceretur contra Textus vetantes, ne Religiosi appellent, à sententiis correctionis, *Cap.* 1. *Sess.* XXII. *De Reform.* quod supponit, locum esse præcipiendo, ut istæ executioni mandenrur, non obstante apellatione; nam loquitur solùm de Clericis Sæcularibus.

Quemadmodum correctio differt à punitione, ut pœnitentia à pœna, & cùm Textus citati prohibentes appellationem Religiosis, loquantur tantùm de casibus correctionis, in quibus non observatur ordo judiciarius, quique terminantur impositione alicujus pœnitentiæ, non licet eos producere ad casus punitionis in quibus institutio judiciaria debet servari, quique ad veras pœnas conducunt, ut verbi gratia est privatio vocis activæ & passivæ, depositio, incarceratio perpetua aut diuturna. FAGNAN. *in Cap.* 3. *De Appellat.* & TAMBURIN. *in sua Praxi Criminali* huic favent distinctioni, & hanc constituunt prout valuerunt: FAGNANUS citat ad hoc, Congregationis Regularium Decretum, approbatum à Papa qui illud confirmavit.

Per hanc distinctionem facilè conciliantur Textus qui vetant ne Religiosi appellent à sententiis suorum Superiorum, cum Constitutionibus Summorum Pontificum, aut Ordinis eorumdem, quibus illud istis permittitur, & forma hujusce præscribitur; sunt isti restringendi ad casus punitionis qui incidunt in graviora crimina, vetita à lege omnibus Christianis per legem Dei; hi verò ad casus correctionis, quæ propriè pertinet ad culpas admissas contra Regulam, & solùm ab ista vetitas.

Hæc distinctio videtur justa; nam ex una parte hæ culpæ sunt particulares Religiosis, cùm sint tantùm transgressiones officiorum eorum statûs, par est ut illi qui delinquunt, pœnitentiam subeant impositam à Regula, si ista hanc determinet, aut à Superiore, si determinationem relinquat prudentiæ Superioris: iste est Pater Religiosorum, debet præsumi eosdem à Superiore ut à Patre corrigi; & quemadmodum non licet pueris appellare à correctione Patris sui, extra casus excessûs manifesti, Ecclesia credidit operæ pretium esse, ut vetaret ne Religiosi à Superiorum suorum emendatione appellarent, extra casus manifesti excessûs; aliâ ex parte, cum Religiosi incidunt in crimina vetita etiam Laicis, & gravibus pœnis obnoxia, ooo debent esse pejoris conditionis quàm alii, quibus licet apellare, cum justas ob causas se injustè condemnatos arbitrantur; appellatio in his casibus est juris Naturalis, quod permittit unicuique sese defendere cùm immeritò vexatur; itaque operæ pretium erat ut Summi Pontifices, & Fundatores Ordinis citatis permitterent Religiosis usum appellationis in similibus casibus; pœnæ, imprimis si sint graves, sunt mala quæ nullus debet pati, nisi revera sint juxta *Regulam* 23. *in* 6. par est quoque, ut illæ proportionatæ sint criminibus: Itaque si Religiosus immeritò declaretur convictus criminibus quæ non patravit, aut severiùs puniatur propter delicta à se patrata, meritò potest à talibus judiciis appellare. Hæc sunt sine dubio fundamenta Constitutionum citatarum; itaque in consequentiam justitiæ illarum appellationum, Congregatio Regularium præscripsit ordinem in hoc servandum, nempè quod liceret Regularibus appellare à Superiore Locali ad Provincialem, ab isto ad Generalem, à Generali ad Protectorem Ordinis, & à Protectore ad Papam. Decretum hujusce citatum est à TAMBURINO QUÆST. XIX. *Praxis citata*, & à FAGNANO *In Caput* 31. *De Appellat.*

Sequitur ex iis quæ dicta sunt hactenùs, nihil reperiri in Corpore Juris quoad appellationem, quod particulare sit Religiosis, nisi quod vetatur ne appellent à correctione, cùm est juxta Regulam & Constitutiones; si autem appellent, quod appellatio eorum non debet admitti, & habita quasi non facta, in casibus verò Correctionis, Clerici possunt appellare, appellatio eorum debet accipi salva executione correctionis, nonobstante appellatione.

TAMBURINUS in loco citato, loquitur de alia particularitate, quæ est quod in Religionibus in quibus appellatio vetatur indistinctè per Constitutiones aut Privilegia, ista permittitur tantùm cum injustitia sententiarum certa est & manifesta; at verò, quoad alios, appellare illis licet, cum hæc injustitia dubia est: & differentiam fundat in eo quod Religiosi tenentur obedire suo Superiori, dubitantes an præceptum justum sit an injustum.

FAGNANUS *in Cap.* 31. *De Appellat.* mentionem facit de alia particularitate, nempè quod in quibusdam Religionibus appelletur extra Ordinem, id est liceat ferre appellationem ante alios quàm Ordinis Judices: in hoc numero constituit AUGUSTINOS, CARMELITAS: Benemulta essent dicenda de his duabus particularitatibus, sed ista sunt omittenda, quia si hæc enumerarentur, à proposito Operis declinaremus, quod est explicare Jus Commune, & simpliciter monere de Jure Particulari, & de limitibus in hac Sectione à nobis præscriptis.

SECTIO XVIII.

An in processibus criminalibus contra Superiores Regulares, factis ante Provincialem, aut Generalem, unus aut alter habeant tantùm vocem Decisivam.

Nihil est hac de re expressum in Corpore Juris; in eo reperiuntur solùm principia, ex quibus potest concludi, illos qui componebant Capitula Provincialia, aut Generalia, in iis habere vocem decisivam, & illas lites à Capitulis judicari: Primæ parti hujus Observationis fides adhiberi debet, donec sint probationes contrarii, quia agitur de negatione quæ non potest positivè probari, sed solùm per responsionem ad Textus qui eidem videntur oppositi, & nullus cognoscitur ex hoc genere. Non idem est de altero, nam 10. potest inferri ex Titulo *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*; docet Prælatum opus habere consensu Capituli, in rebus in quibus istius maximi interest, sive illud commodum sit particulare, sive commune omni districtui Prælati; tales sunt præsertim dispositio Beneficiorum, alienatio bonorum

bonorum Ecclesiasticorum, processus spectantes ad bona, aut jura utilia aut honorifica, ad ipsum ut Prælatum pertinentia. 2°. Idem infertur ex *Cap. ultimo, De Majorit. & Obedient.* quod declarat consensum Capituli esse necessarium, cùm agitur de acquisitione aut conservatione Jurium Metropolis, aut Primatiæ. 3o. Illud infertur ex *Cap.* 7. & 8 *De Statu Monach.* quæ cum loquuntur de Capitulis compositis ex Abbatibus & Prioribus, cùm desunt Abbates, insinuant illorum membra vocem habere decisivam in negotiis, quæ agebantur in iisdem Capitulis, ut verbi gratia in electione Præsidis, delectu Visitatorum: est autem valdè verisimile judicari in hia cœtibus res criminosas Superiorum Regularium, sive quia illæ erant satis gravis momenti, ut essent ex eorum notitia, sive quia nullos alios habebant Superiores quibus illæ res possint meliùs convenire.

His Textibus jungi potest *Cap.* 8. Sass. XXV. *De Regul.* in quo *Concil.* TRIDENT. juxta illorum dispositionem, præcipit Monasteriis immediatis Sanctæ Sedi, quæ carent Generalibus & Visitatoribus, redigere se in Congregationem, ut in ea eligant Præsides & Visitatores; uam præsumendum est Judicia Superiorum Regularium in Congregatione fieri convocata, & membra illarum Congregationum in hoc loco vocem habere decisivam, quemadmodum Præsides.

Interpretatio data authoritatibus citatis confirmatur ab usu majoris partis Religionum, à TAMBUR. testificato, *De Jure Abbatum* TOM. III. DISPUT. I. QUÆST. II. in quo probat istarum Regimen esse Aristocraticum, aut Aristocratiâ temperatum, cuique Superiori suum esse consilium, cujus debet habere consensum, aut majoris partis eorum qui illud componunt, eos appellari Discretos aut Collegas, aut Comites, aut Definitores, istos autem Definitores vocem habere Decisivam, & eorum nomen hoc probare, cùm depromatur à verbo *definire* quod significat decidere, & reddens rationem hujus institutionis, dicit hoc fuisse necessarium, quia Successores Fundatorum Ordinis suam non sempet habent Sanctitatem, charitatem, prudentiam suam, aut scientiam: *Et quia,* ut ait NAVARRUS . . . *non omnes qui regunt, esse possunt* AUGUST. *aut* BENEDICT. *aut subditi Possidonii, factum est ut Religiones, loco Monarchiæ absoluta, cum ea simul Aristocratiam amplexatæ sunt: Imò ferè omnes Religiones tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Regimen Aristocraticum elegerunt, relicto Monarchico, ut patet ex communi singularum usu, atque simul cum Abbate, vel Præsidente, etiam aliquot alii Patres electi sunt, qui simul cum illo totius Religionis Regimen administrarent.*

Si autem talis sit Religionum usus, justa est causa credendi Prælatum, qui præsidet judicio processuum Criminalium, Superiorem non esse solum, qui habeat vocem decisivam in hoc judicio, sed eos ex quibus constat ejus Consilium similem quoque vocem habere.

SECTIO XIX.

Observationes Historica quoad Vota deprompta è Corpore Juris.

Antequam incipiamus istas Observationes, monere debemus similes à nobis jam factas aliis de rebus, quæ conjunctionem habent cum materia Votorum: tales sunt illæ quæ spectant ad antiquitatem Beneficiorum Regularium, Commendas perpetuas, nec non & ad potestatem quam habebant parentes vovendi infantes suos Deo, antequam attigissent ætatem pubertatis, ad benedictionem Abbatum & Abbatissarum; sed multùm discrepant ab illis quas suscipimus, nam aliæ factæ tantùm fuerunt per transennam, ut quædam partes materiæ illud postularunt, atque ideo fuerunt in Corpore Operis inclusæ, illas autem in Ordine aggrediemur, quoad omnem materiam Votorum eidem propriorum & easdem remittemus ad finem Regularum. Capita præcipua, quæ in ea tractabuntur, pertinent ad originem distinctionis Votorum simplicium, & solemnium, ad mutationes quæ evenerunt causâ Novitiatûs, Professionis, & ætatis requisitæ ad utrumque, dispensationis & reservationis gratia, necnon & reclamationis.

OBSERVATIO I.

Initium ducimus ab origine, aut antiquitate distinctionis inter Vota simplicia, & Vota solemnia; & id debemus facere, quia alia Capita supponunt existentiam Votorum solemnium, atque ideò distinctionem, cujus ortus aperiendus est. Ad hoc autem tria sunt examinanda, I. An demonstrent aliqui Textus Juris, quod, statim atque Christiani Domino consecrati fuerunt per Votum practicandi Consilia Evangelii, in quo consistit vita Religiosa, alii fecerint illud nullis adhibitis formulis, quemadmodum Anachoretæ; alii verò secùs, quemadmodum Cœnobitæ; undè oritur distinctio Voti simplicis, & Voti solemnis: nam istud sic vocatum est tantùm propter formalitates quæ illud comitantur, & quæ gerunt nomen solemnitatis; alterum verò non debet nominari Votum simplex, nisi quia fit sine ulla formula quæ vulgò vocatur solemnitas.

II. An aliqui Textus antiqui mentionem faciant expressam de distinctione utriusque ejusmodi Voti.

III. Quinam sint antiquiores Textus, qui mentionem faciant de effectu principali talis distinctionis, quæ consistit in eo, quod Votum solemne irritet Matrimonium subsequens etiam consummatum, & resolvit Matrimonium præcedens nondum consummatum.

Quoad primum punctum, nihil est expressum in Corpore Juris. In eo solùm videntur aliqui Textus antiqui, collecti ex S. HYERON. Hi sunt *Cap.* 5. & 27. CAUS. XVI. QUÆST. I. quæ docent quod omnibus notum est, nempè duplex esse genus Religiosorum, quorum alii soli vivebant, & testes suarum actionum Deum tantùm & Angelos habebant; alii verò qui vivebant cum aliis subjectis exercitiis communibus; quæ quidem locum dant credendi, primos fecisse Vota simplicia, nam per nullas probationes innotescit, quod, antequam desertum peterent, hoc genus vitæ intra manus Episcopi voverent, aut alicujus alterius Superioris; est etiam verisimilius, quod, ante Votum, se ipsos aliquandiu probarent in usu vitæ solitariæ. Alii verò vovebant Vota solemnia, id est coram multis hominibus, cum quibusdam formulis, cùm minùs sit verisimile illos qui tenebantur vivere in communi, eosdem occultè vitam degisse: Itaque vetustior ex Regulis Monasticis, mentionem facit specialem de probatione mutationis habitûs, de præsentatione recens vestiti, omnibus Fratribus convocatis ad orationem, & de assignatione loci quem debebat occupare. V. REGUL. S. PACOMI *n.* 26. *refertur à* STELLART *in sua Recollectione Regularum omnium Ordinum Religiosoram, à pag.* 115. *usque ad* 35. probatio erat trium annorum juxta PALLAD. *p.* 135. *n.* 11. DOUJATIUS *in sua Appendice Prænotionum Canonicarum p.* 83. ponit initium Ordinis S. PACHOMI *ann.* 320. Regula extensa S. BASILII loquitur de probatione, & ostendit quomodo fieri debeat, *Cap.* 10. *De Novitiis* Cap. 13. *De Professione. Cap.* 14. facta est circa annum 361. juxta DOUJATIUM *ibidem.*

Quoad *Cap.* 2. nihil videtur in Corpore Juris vetustius, quam sæculum XII.; nam primum testimonium expressum depromitur è GRATIANO, qui opus suum edidit circa *ann.* 1150. quod quidem inseritur in DISTINCT. XXVII. in qua cùm retulerit Canones pro & contra validitatem Matrimonii

trimonii contracti post Votum, illos conciliat per distinctionem Voti simplicis & Voti solemnis, asseverans Canones qui relinqunt subsistere Matrimonium sic contractum, loqui de Voto simplici; & eos qui illud rescindunt, aut irritum faciunt, loqui de Voto solemni. En ejus termini suprà *Cap.* 8. *Hic distinguendum est quod voventium alii sunt simpliciter voventes, de quibus* August. & Theodor. *locuti sunt, Alii sunt quibus post Votum accedit Benedictio Consecrationis vel propositum Religionis, de quibus* Hieron. Nicol. *&* Calixt. Hic est distinguendum duplex esse hominum genus, qui faciunt Vota; alii vovent simpliciter, tales sunt illi de quibus S. Augustin. locutus est; alii recipiunt post Votum Benedictionem Consecrationis, & de istis audiendus est S. Hyeron. Nicol. *&* Calixt. Benedictio de qua mox locuti sumus, est solemnitas, qua datum est huic Voto nomen solemne. Non potest objici *Can.* 3. *hujus Distinctionis* in quo Theodor. *Cantuariensis circa ann. 670.* Votum *simplex* appellat, illud quod non dissolvit Matrimonium subsequens; *Si vir simplex Votum Virginitatis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis pœniteat*: nam *Correct. Romani* monent verbum *simplex* in nullo Manuscripto reperiri; hoc Caput cum sit repetitum in Caus. XXVII. Quæst. I. Can. *Si quis Votum*, in eo non videri verbum *simplex*, etiam in chartis typis impressis; quod si legatur in quibusdam, hæc est Glossa interlinearia, quemadmodum Gratian. interpretatur S. Augustinus *De Voto simplici*, & S. Hyeron. *De Voto solemni*, & utrumque scripsisse in sæculo V. supponit Votum simplex & Votum solemne fuisse in usu in hoc sæculo.

Paulò post Gratian. Alexand. III. *Cap.* 4. *Qui Clerici vel Voventes*, hac utitur distinctione, quasi expressione usitata, expressè dicens, quod *quemadmodum Votum simplex non dissolvit Matrimonium, idem est de simplici acceptione habitûs.* Alexand. Papa factus est *ann.* 1159.

Celestinus III. promotus *ann.* 1191. primus est ex Authoribus Textuum Juris, qui vocaverit Votum solemne, Votum oppositum simplici Voto.

Quoad tertium casum, nempè præcipuum effectum, aut feriem hujus Distinctionis, consistentem in eo quod Votum simplex non irritum faciat Matrimonium subsequens, & Votum solemne illud rescindat; nihil in Corpore Juris legitur, quod hoc probet ante annum 1125. Nam antiquior Textus est *Can.* 8. Dist. XXVII. depromptus è primo *Concil.* Lataran. celebrato hoc anno à Papa Calixto II. & hic est vigesimus primus, prohibet ne Religiosi Matrimonio conjungantur, dissolvit Matrimonium quod ipsi contrahent, & reos subjicit pœnitentiæ à Canonibus præscriptæ.

Non est dissimulandum Correctores Romanos hoc sub Canone annotare, ipsos eundem repetiisse in fragmento Concilii habiti ab Urbano VIII. in quo erant etiam duo alii Canones, qui videntur etiam in *Concil.* Lateran. *Cap.* 20. *&* 22. & in Gratiano *Can. Alienationes Cau.* 12. Quæst. II. *Cum Paternarum. Can.* 24. Quæst. III. Sed præterquàm quod Exscriptor potest attribuisse Urbano II. quod pertinet ad Calixt. II. certum est hunc Canonem esse unum ex illis, qui leguntur in *Concilio* Lataranensi I. sub Calixto; Gratianum proximiorem hujus Papæ quàm Urbani illum Calixto arrogasse; posuit autem nomine Urbani II. Canonem *Alienationes*, & Canonem *Paternarum*.

Sed quamvis hic Canon revera esset ab Urbano II. hoc non impediret quin ille posset citari nomine Calixti II. quia Concilium in quo Urbanus illum fecisset, non ampliùs subsistit; tandem viginti tantùm anni sunt intervalli inter Urbanum II. & Calixtum II. nam ille promotus est *ann.* 1119. alter verò mortuus est *ann.* 1099.

Observatio II.

Spectans ad mutationes factas circà Noviciatum.

§. I.

Circà Necessitatem Noviciatus.

Nulla fit mentio de Noviciatu in Decreto Gratiani hoc nomine, sed solùm nomine probationis; & inter alias omnes Collectiones, quæ componunt Corpus Juris, nulla est quæ de hoc loquatur, nisi illa quæ est Gregor. IX. Bonifac. VIII quæ vocatur Sextus Decretalium & Clementinar. quibus jungendus est Septimus earumdem Decret. in quo collecta sunt Decreta *Concil.* Trid. & Constitutiones Summorum Pontificum posteriorum Sixto IV. ultimo omnium Paparum, cujus Decretales insertæ sunt in Corpore Juris.

Mutationes quas observare statutum est, spectant ad necessitatem, aut obligationem, habitum, locum, tempus durationis.

Quot sunt Canones qui ordinent Noviciatum aut probationem, aut præscribant habitum ejusdem, locum, & durationem, tot habemus probationes ejusdem necessitatis. Quamobrem cum sit loquendum de mutationibus ratione necessitatis Noviciatûs, non immorabimur in referendis Canonibus, qui de hac necessitate disserunt; sed ut ista supponitur tanquam res indubitata, observabimus tantum per multa sæcula, cuique liberum fuisse nuntium remittere Noviciatui; sed ex quo per *Concil.* Trident. sancitus est, non hoc ampliùs licitus est; ratio permissionis erat quod Noviciatus constitutus est in gratiam prætendentis & Monasterii, & quisque potest renunciare illis quæ introducta sunt in gratiam suam; cùm deindè experientiâ constiterit, hanc facultatem esse periculosam& sæpè perniciosam, necesse fuit illam revocari, primo partim, deindè omninò; tandem statutum est, ut Professio nulla esset, nisi præcederet ipsam Noviciatus; judicatum est, cùm bonum publicum anteponendum sit bono privato, *Cap.* 3. *De Postulat.*, cogenda esse Monasteria, & postulantes, ut se mutuò probarent, ad præveniendà mala publica provenientia ex libertate omittendi hanc probationem.

Antiquior probatio quæ legatur in Corpore Juris quoad potestatem nuntium remittendi Noviciatui, est in *Cap.* 56. Caus. XXVII. Quæst. I. Depromptâ est ex sæculo VI. & attributa *Concil.* Aurelian. In eodem videtur viduam quæ propria sua authoritate se velabat, hoc modo esse professam, & hanc ob rem teneri in statu Religioso remanere. Idem reperitur in *Cap.* 4. *De Regular.* attributo uni *Conc.* Arelat. sed depromptò secundùm Anton. August. in suis Notis, in *Cap.* 6. *De Regul. primæ Collectionis*, ex *Conc.* Tribur. *Cap.* 25. loquitur de vidua quæ cum accepisset velum non Sacrum, interfuerat oblationi cum mulieribus velatis, & cogit illam ut retineat habitum Religiosum, quamvis declararet cum jurejurando, quod se ipsam non velaverat nisi ad tempus: Aliæ probationes sunt in *Cap.* 8. 16. 17. *ejusdem Tit. ejusdem Collect.* Gregor. IX. Cap. 1. 2. 3. *ejusdem Tit. in* 6. *in* Cap. 15. Sess. XXV. *De Regularibus. Ex Cap.* 8. intelligitur illum qui acceperat vestem Professi, & tres dies portaverat, esse sine revocatione Professum, quamvis Noviciatum non fecisset. *Cap.* 16. decidit, & expressè, Professionem factam sine anno Noviciatûs validam esse, & illud probat ex uno Principio quod suam habet applicationem ad eam quæ fiebat sine probatione, nempè quod licet unicuique relinquendi illa quæ in suam gratiam

gratiam sunt constituta, & quod Novitiatus fuerit introdnctus ad Postulantis commodum, nec non & Monasterii. Posito eodem Principio, *Cap.* 17. docet, Clericum ad mortem ægrotantem, si Professionem faciat induendo habitum Canonicorum Regularium, hoc modo esse Professum, quamvis non adierit Ecclesiam illorum Canonicorum, nec unquam desierit bonis suis frui. Super hoc etiam Principium, *Cap.* 12. supponit posse fieri Professionem intra annum, sive expresè, sive tacitè. Colligitur ex *Cap.* 21. Professionem factam intra annum Noviciatûs esse validam.

Cap. 1. *De Regul. in 6.* docet, nnlla habitâ ratione Noviriatûs, fuisse validam, modò facta fuisset expresè post 14. annos, aut acceptus fuisset post illud tempus habitus Professi, aut confirmata fuisset illa quæ facta fuerat ante 14. annos. Depromitur ex INNOCENT. II. qui deindè sancivit Constitotionem prohibentem, ne quis admitteretur ad Professionem ante finem anni Noviciatûs. BONIFAC. VIII. *Cap.* 3. *Ejusdem Tituli* hujusce rei mentionem facit, & cùm addiderit ALEXANDRUM IV. illam restrinxisse ad Fratres Prædicatores & ad Fratres Minores, extendit illam ad alios Religiosos Mendicantes. Videtur restrictio ALEXAND. IV. *in* Cap. 2. *ejusdem Tit.* qua irritatur Professio Illius, qui sic fuerit admissus, & suspendit ipso facto omnes & singulos à receptione ad Professionem, addens percutiendos illos esse pœnâ qnæ solet imponi Fratribus Ordinis ob magna delicta; quemadmodum BONIFACIUS VIII. extendens hanc Constitutionem ALEXAND. IV. quam vocat *Declarationem* aliis Ordinibus Mendicantibus, mentionem oon facit expressam pœnarum, in dubium posset revocari an eædem locum haberent quoad illos Ordines, sed hoc dubium facilè resolvitur per motivum extensionis, scilicet paritarem rationis qnæ non minùs exigit pœnarum quàm dispositionis extensionem.

Concilium TRIDENT. *in loco citato Art.* 1. revocavit omninò libertatem nuntium remittendi Noviciatui, tùm ratione Monasteriorum, tùm ratione Postulantium: declarat, si quis Professionem facit aute annum integrum Novitiatûs, eam omninò nullam futuram esse, ita nt nulli adstringat Regulæ, aut Religioni, ant Ordini, & nullum alium habitura sit effectum; in quo Concilium convertit in Jus Commune, Jus Particulare constitutum pro Ordinibus Mendicantibus.

§. II.

Circà HABITUM.

Quoad habitum in quo postulans probandus erat, nonnulli Canones ostendunt hanc probationem fieri in veste sæculari; talis est 10. *Can. Legem* DIST. LIII. in qno S. GREGORIUS promulgans Legem Imperatoris MAURICII, quæ vetabat ne ad Ordinem Ecclesiasticum, sive sæcularem, sive Regularem, admitterentur milites & personæ oneratæ cura rationis reddendæ; statuit quoad statum Religiosum, nullum militem ad istum admittendum esse, antequam per tres annos sit probatus in veste sua sæculari. Talis est 20. *Can. Si quis incognitus*, *Can.* 17. QUÆST. II. in quo BONIFACIUS Archiepiscopus MOGUNTINUS jubet, ut probentur per tres annos in suo habitu viri incogniti, postulantes ut ad Religiosam vitam admittantur. *Correctores Romani* monent hunc Canonem inveniri in Capitularibus. In iisdem reperitur, LIB. V. *Cap.* 380. Inscriptio est, *De Servo in Monasteria recepto.* *Et in* JULIANO *Professore*, *Nov.* 123. Cap. 12.

Alii Juris Textus, præsertim XII. aut XIII. sæculi, docent Novitiatum factum fuisse in habitu Religioso; in quibusdam Ordinibus vestem Noviniorum non esse diversam ab habitu Professorum. *Cap. De Regular.* suprà citatis: In aliis verò distinguebantur, sive per colorem, sive per secturam aut formam. CLEMENTINA II. *De Regul.*

In locis ubi erat idem vestimentum quoad colorem & quoad formam commune Novitiis & Professis, illa distinguenda erant per Benedictionem illorum quæ Professioni addicebantur, non autem illorum quæ dabantur in receptione. Ubi habitus differebant, ibi professi fiebant acceptione babitûs Professorum, & postquam illum per tres dies induerant: & ubi habitus idem erat, satis erat, ut quis esset Professus, ut vestem portasset per annum & ampliùs, *Cap.* 8. & aliis suprà citatis.

Quoad locum Noviciatûs, non videntur fuisse mutationes gravis momenti, nam quamvis probabilissimum sit, illos qui per tres annos probabantur mansisse in locis in quibus accipiebantur hospites, aut peregrini; hi autem qni Noviciatum faciebant habitu Religioso induti, habitabant in claustro. Mutatio quæ posteà evenit; & consistens in eo qnod non ampliùs fuit nisi unum Novitiorum genus, qui omnes manserunt in locis Regularibus, oon est res sat gravis momenti ut hîc notetur.

Inter Textus jam citatos nonnulli reperiuntur, qui docent Professionem posse fieri, nec tamen habitu vestiri Religioso: tale est *Cap.* 13. *De Regular.* Alii sine acceptione vestis distinctæ; tales sunt omnes illi qui allati sunt quoad vestem Noviciatùs. Alii docent quod in locis in qnibus indumentum Professorum idem erat ac Novitiorum, oportebat ut nnum ab altero distingueretur per Benedictionem. *Cap.* 23. *De Regularib.* Alii ostendunt istam vestem ab altera differre aut in colore, aut in sectura, aut in forma. CLEMENT. II. *De Regular.* Hodiè acceptione habitûs Professorum, nullus efficitur Professus, sed præterea requiritur annus integer Novitiatûs qui præcesserit, nec non & ætas 16. annorum completorum. *Cap.* 15. SESS. XXV.

§. III.

Circà DURATIONEM.

Non idem est de mutationibns factis ratione durationis Noviciatûs; nam videntur notabiles, ut notabimus sigillatim. Es *Can.* GONSALDUS I. *Can.* 17. QUÆST. II. colligitur, juxta Regnlam S. BENEDICTI Noviriatum debere esse unius anni; è contra legitur in *Canon. Monasteriis 6.* CAUS. XIX. QUÆST. III. S. GREGORIUM scribentem ad FORTUNATUM Episcopum *Neapolitanum* præscribere isti, ne Tonsurâ Clericali illos donet, qui sese offerunt ut convertantur mutatione morum & vitæ, nisi post probationem duorum annorum; in *Can. Legem* 1. DISTINCT. LIII. in quo idem Papa prohibet, ne admittantur Milites ad Professionem Religiosam ante tres probationis annos. In *Can. Si quis incognitus* 3. CAUS. XVII. QUÆST. II. Statutum est ut probario deberet etiam esse trium annorum quoad personas incognitas, & hoc factum est in VI. VII. VIII. & IX. sæculis, juxta testimonium Autorum quibus hi Caoones attribuuntur.

Quamvis alii Juris Textus qui de duratione Noviriatùs loquuntur, statuant ut sit unius anni secundùm Regulam S. BENEDICTI; nihilominùs semper licuit illam probationem ad minus tempus reducere, usque ad Constitutiones INNOCENTII IV. ALEXANDRI IV. & BONIF. VIII. Excipe in quibusdam Ordinibns Mendicantium, & deinde in omnibus hujus generis Ordinibus, quia quemadmodum per id omne tempus, quisque poterat nuntium remittere omni Novitiatui, à fortiori ratione poterat etiam quisqne non implere partem temporis quod debebat durare.

Indè

Indè omnes Textus suprà citati ex quibus intelligere est Professionem factam intra probationis annum validam esse, imposterum libertate reliquendi Noviciatum sublata, in omnibus ferè, ut observatum fuit loquendo de necessitate Noviciatus, requisiverunt annum integrum Noviciatûs primò pro fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, quod duravit circiter quadraginta annos; deindè pro omnibus aliis Mendicantibus, quod duravit à fine Sæculi XIII. usque ad 1563.; tandem pro omnibus Religiosis Ordinibus, quod ab hoc anno usque nunc subsistit; dum prohibitum est Mendicantibus, ne admitterent ad professionem ante annum integrum Noviciatûs; secùs non solùm Professio fuit irrita, verùm etiam Superiores suspensi fuerunt, ne admitterent quemlibet ad Professionem. Sed hæc suspensio cùm non renovata fuerit à *Concilio* Tridentino *Cap.* 3. Sess. XXV. *De Regular.* hoc modo abrogata illa habetur. Tambur. Tom. III. *Disput.* 6. Quæst. XII. *n.* 6. *De Jure Abbat.*

§. IV.

Circa Professionem.

Conjunctio inter Professionem & Noviciatum tanta semper fuit, ut ejus validitas seu invaliditas pependerint à valido seu invalido Noviciatu; undè accidit ut illa valida & firma fuerit absque Noviciatu, aut sine complemento omnis temporis durationis ejusdem, dum licuit renunciare aut toti Noviciatui, aut per partes illius. Illa autem irritari cœpit defectu Noviciatûs, à revocatione hujus permissionis, in omnibus casibus in quibus hæc revocatio locum habuit; ita ut nulla facta fuerit in Ordine Prædicatorum, nec non & Minorum, cùm facta fuit absque anno integro Noviciatûs, per 40. annos de quibus mentio facta fuit; dum erat valida in aliis Ordinibus Religiosis sine hac conditione. Et post hoc tempus usque ad annum 1563. nulla fuit & irrita in omnibus Ordinibus Mendicantibus, dum erat valida in aliis Religionibus: & ab anno 1563. irrita facta fuit ubique, si annus integer Noviciatûs illam non præcessit. Hæc etiam fuit series ejusdem dependentiæ, si in Regionibus, & in casibus in quibus Noviciatus debuit esse duorum aut trium annorum, Professio facta sine hac probatione, aut post minorem, debuit esse nulla, posito quod probatio requireretur sub pœnâ nullitatis.

Aliæ mutationes factæ ratione Professionis, spectant aut ad materiam Votorum; scilicet si videatur per Textus Juris, aliquem non semper vovisse tria Vota, obedientiæ, paupertatis, castitatis; aut pertinent ad formam, nempè si semper fuerint solemnitates substantiales; aut potestatem illam recipiendi, scilicet si Abbas solus, aut Monasterium solum, aut si ambo, illam habuerint; aut quis locus; quod tempus; quis habitus fuerit; scilicet si hæc semper in Monasterio facta fuerit, si statim post tempus præscriptum pro Novitiatu, si habitus aliquo modo distinctus fuerit à veste receptionis.

§. V.

Circa Materiam Professionis.

Quoad materiam professionis, scilicet res expressè Votas, non videtur per Textus Juris hac de re mutationes gravis momenti accidisse; nam nulli reperiuntur qui clarè & distinctè disseruerint de rebus votis conjunctim in professione solemni: vulgò tantùm referuntur occasione oppositionis ejusdem professionis matrimonio, quæ præcipuè oritur ex Voto continentiæ; undè fit ut nihil aut ferè nihil dicant de Voto obedientiæ, & pauca de paupertatis Voto. Nulli autem fermè sunt quin loquantur de Voto continentiæ; illi autem sunt inserti in Distinct. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. In Caus. XVII. XVIII. XIX. XX. XXVII. *In Titulis De Regular. De conversione Conjugat. De Statu Monach.* & aliis suprà citatis initio hujus Tractatûs de Votis.

Hoc silentium posset adhuc provenire ex eo quod Textus Juris facti fuerint ad finiendas contentiones, & nullæ fuerunt circa ea quæ comprehenduntur in Votis Religionis pertinentibus ad Professionem Religiosam; multæ autem ortæ fuerunt eorumdem occasione, ratione Matrimonii; & imprimis controvertitur an illa Matrimonium infringant præcedens, an subsequens faciant irritum, an reddant aliquem ineptum ut Officium reddat, an solùm ut illud exigat; & nonnullæ ortæ sunt controversiæ circa paupertatem Religiosam, scilicet præsertim an reddat & efficiat hominem incapacem qui possideat quodcunque in proprio, qui habeat peculium. *Cap.* 6. *De Statu Monach.* & circa obedientiam quæsitum est, an ea quæ debetur Superiori tanta est, ut Priores per electionem facti sint revocabiles ad libitum ejus. *Cap.* 2. *ejusdem Tit.* Fit adhuc mentio de obligatione, quam Votum paupertatis Religiosis præscribit *Cap.* 2. Sess. XXV. *De Regular.* & in particulari Fratribus Minoribus, *Cap.* 3. *De Verb. signif. in* 6. *Cap.* 1. *ejusdem Tit.* Extravag. Joann. XXII.

Duo sunt Textus Tituli, *Qui Clerici & Voventes*, qui possunt objici contra ea quæ dicta sunt de silentio Textuum Juris, circa ea quæ continebantur in Professione Religiosa: hi sunt 4. & 7. Infertur in primo, quamdam Mulierem non fecisse professionem, eo quod non reliquerat bona sua; nec promiserat obedientiam. Secundum dissoluit Matrimonium contractum & consummatum à Muliere, quæ Votum fecerat inter manus cujusdam Religiosi S. Augustini, cum facultate manendi domi suæ & servandi in ea & retinendi sua bona. Revera primus ostendit Votum paupertatis, consistens in eo ut quis bonis suis nuncium remittat, & Votum obedientiæ consistens in eo quod quis voluntatem suam subjiciat alterius arbitrio, esse necessaria ad Professionem Religiosam: Ex altero intelligitur nonnullos esse casus, in quibus licet retinere usum suorum bonorum. His Textibus posset adjici *Cap.* 17. *De Regul.* quo tenetur Clericus Sæcularis in discrimine mortis habitum repetere, qui quidem induerat habitum Canonicorum Regularium, quem deposuerat post sanitatis restaurationem, eo quod non intrasset in Monasterium, & continuaverat uti suis bonis vidente & sciente Episcopo, nec non & Canonicis; posito quod datum ipsi fuerit bonum suum efflagitationi suæ, & in suâ Professione, tenebatur servare Regulam Canonicorum, ad quam se obligaverat.

Sed hi Textus in bonam partem accepti, stabiliunt potiùs & confirmant, quod in medium protulimus quàm illud destruunt: nam quamvis sint solidissimi ex illis qui videntur nobis adversari, multùm abest ut clarè contineant quod erat expressè votum in professione: nam ex duobus ultimis intelligere est professionem validam futuram esse posse sine Voto paupertatis, & primus contrarium asserit.

Certò igitur constat non videri per Textus Juris evenisse mutationes gravis momenti, quoad materiam expressam Votorum Religionis, quamvis aliundè probationibus quibusdam evincatur, nonnullas evenisse mutationes, & imprimis antequam aliquis voveret expressè obedientiam, paupertatem & castitatem, quod incœpit versus Sæculum XII., per 12. circiter Sæcula satis habuerunt Religiosi, ut voverent conversionem morum & stabilitatem. *Cap.* 58. *Regulæ Sti.* Benedicti.

§. VI.

Circa Formam Professionis.

Quoad formam Professionis, aut solemnitates quæ eam præcedunt, aut comitantur, aut sequuntur nul-

lus reperitur Textus, quo quis teneatur Religiosus facere expressè hæc tria Vota, obedientiæ, paupertatis, castitatis: sunt qui supponant vulgò illa facta Sæculo XIII. *Cap.6. De Statu Monach.* Quoad reliqua multæ evenerunt mutationes, 1ª. est Viduæ amplectentes statum Religiosum, dabant suam professionem manu sua signatam & subscriptam, & suam scripto declarabant voluntatem, servandi semper inviolatè quod promittebant, *Cap.16.* CAUS.XX. QUÆST.I. deprompto è *Conc.* TOLETANO X. *habito ann. 656.*

Idem legitur in *Cap.36.* CAUS. XXVII. QUÆST. I. ex eodem Concilio collecto. *C. 5.* addit illas offerre se debere velato capite; quod velum verisimiliter in formam mantelli factum erat: Illud Caput extendit ad omnes mulieres, quod alterum de viduis dixit; cùm teneantur dare, quemadmodum & istæ, Professionem scriptam & signatam; hæc solemnitas videtur à longo tempore obliterata. *Cap. 4. Qui Cler. vel. Vov.* de altera loquitur quæ non est ampliùs in usu; hæc est, ut scriptum Professionis super Altare poneretur; illud infertur ex his verbis, *super Altare professa. Cap. 4.* CAUS. XX. QUÆST. III. mentionem facit de multis aliis solemnitatibus, de promissione servandi Regulam, de Oblatione per Parentes, de manu pueri infantis tegenda cum Altaris Mappa, de Benedictione à Sacerdote facta, inter quas nonnullæ sunt abrogatæ, ut oblatio Parentum, ceremonia tegendi manum cum Altaris Mappa; aliæ sunt adhuc in usu, scilicet promissio Regulæ, & Benedictio à Superiore data. Professiones factæ cum his solemnitatibus & aliis adhuc præscriptis, vocabantur, ut adhuc vocantur, Professiones expressæ: Aliæ dicebantur tacitæ, cùm Novitius ferebat habitum ultra annum, in Ordinibus in quibus vestis Novitiorum non distinguebatur ab indumento Professorum. *C. 22. De Regular. C. 2. Ejusdem. Tit. in 6. &* CLEM. VI. *Ejusd. Tit.*

Hoc tacitæ professionis genus à *Concilio* TRIDENTINO abrogatum est. *C. 16.* SESS. XXV. *De Regular.* statuit, ut statim Novitiatûs anno finito, Superiores Novitium ad Professionem accepturi sint, aut illum sint remissuri. Professio tacita rejicitur in Gallia, non solùm in hoc casu, sed etiam in aliis omnibus: Juxta Jus Commune hæc sufficiebat, ut quis idoneus efficeretur ad eligendum. *C. 32. De Elect. in 6. §. 1. C. 43. ibid.* Sed non sufficiebat, ut quis dignè eligeretur, aut promoveretur, aut proveheretur ad Abbatiam, Prioratum, Administrationem, *C. 28. & 43. De Elect in 6.* CLEM. I. *De Statu Monach.* In Gallia expressa est necessaria, tùm ad eligendum, tùm ut quis eligatur.

§. VII.

Circa JUS AUTORANDI PROFESSIONEM.

Autoritas accipiendi Professionem modò ad Abbatem pertinuit *Cap.9.* CAUS. XVIII. QUÆST.II. nam ipsi attribuit omnem potestatem in Monasterio; modò partim ad Abbatem, partim ad Monasterium spectavit, *Cap. ult. De Regular. in 6.* Tandem *Concilium* TRID. *Cap. 16.* SESS. XXV. *De Regular.* supponit illam pertinere communiter ad Superiores, aut illos præcipuam, ad illam, partem habere; nam statuit ut recipiant, aut remittant Novitios, qui tempus Professionis compleverunt: Usus nunc est ferè ubique, ut Prælatus ad hoc opus habeat consensu majoris Conventûs partis, TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. III. *Disp. VI.* QUÆST. XV. *n. 7. &* 8.

Sunt tempora & loca in quibus Professio facta est intra manus Episcopi, *Cap. 4. Qui Clerici*, ut fit adhuc hodiè in Monasteriis Monialium subjectarum non immunium; nam qui recipit illas in iisdem Superior, nomine Episcopi illud facit. TAMBUR. *De Jure Abbat.* TOM. III. *Disput. VI* QUÆST. XXI. post alios citat *Can. 23.* CAUS. XXVII. QUÆST. II. in gratiam Episcopi; sed ad rem non convenit; nam EUGENIUS I. in eo loquitur de casu in quo sponsus & sponsa volunt separari, ut Religiosam vitam amplectantur: prohibet autem ne exequantur propositum suum sine consensu Episcopi, qui locum ipsis assignet, in quo libertatem eorum cum vocatione examinabit; *Nam*, inquit, *Matrimonium non potest disjungi nisi consensu utriusque.*

Illud factum singulare est quod legitur in *Cap. 7. Qui Clerici*, nempè quod Mulier Professionem faciat Religionis inter manus Religiosi, qui videtur fuisse simplex solùm Religiosus; hæc verba, *Fratris cujusdam* S. AUGUSTINI, hoc intelligere faciunt. Interpretes asserunt Papam INNOCENT. III. ideò hanc Professionem judicasse validam, quia confirmata fuerat à Superiore. TAMBUR. *in loco supra citato*, facit principium quoddam de iis quæ dicta sunt, de approbatione facta à Superiore, cujus nomine Professio accepta fuit, & illud particulatim applicat ad casum in quo Episcopus accepit Professionem Novitii Ordinis exempti nomine Abbatis, & sine expresso suo jussu.

§. VIII.

Circa LOCUM.

Idem *Cap. 7. Qui Clerici*, cum *Capit. 13. & 17. De Regularibus*, docent Professionem factam extra Monasterium posse esse validam; nam INNOCENT. III. in 1º. decidit talem Professionem bonam esse, ita ut illam anteponat Matrimonio subsequenti; & FAGNANUS super hoc *Cap.* docet, ante *Concilium* TRIDENTINUM Professionem factam sine ingressu in Monasterium potuisse valere.

Non potest objici contra hanc sententiam *Cap. 1. De Regul. in 6.* quod supponit Professionem debere fieri in Monasterio, postquam in eo manserit Novitius per unum annum; nec CLEMENTINA II. *ejusdem* quæ dicit illam debere fieri in una Religione: nam hi Textus & alii similes loquuntur de casibus ordinariis, in quibus Regula potest observari; & Textus supra citati loquuntur de casibus extraordinariis, in quibus non poterat fieri in Monasterio; nam agitur in *Cap. 7. Qui Clerici*, de Muliere quæ, cum se absconderet ut evitaret Matrimonium non conveniens, persuasa est, ut faceret Professionem inter manus Religiosi fidelis, & hanc fecit. In 13. *De Regular.* fit mentio de Clerico qui ægrotans Votum fecerat amplectendi Religiosam vitam, & cùm timeret ne moreretur, antequam Votum complevisset, Professionem fecit inter manus cujusdam Abbatis, nec tamen intravit in Religionem, nec habitum Religiosum induit. Et in *Cap. 17. Ejusdem Tit.* Quæstio est de Clerico qui in discrimen adductus, in lecto procumbens, induit habitum Canonici Regularis, & Ordini se devovit. Sunt quidem Autores famosi, & præsertim FAGNANUS, qui applicant ad materiam Professionum factarum extra Monasterium, Textus qui loquuntur de Virginibus, & illis Mulieribus, quæ velum in sua Domo accipiebant, & ad hoc citant *Cap. De Viduis.* CAUS. XXVII. QUÆST. I. Sed isti Textus loquuntur tantùm de Votis simplicibus, quemadmodum ostensum est in Historia Cœlibatûs: Idem Autor in *Cap. 12. De Regular.* citat Decreta quædam CLEMENT. VIII. quæ irritam faciebant Professionem quæ fiebat extra loca ad hoc designata; sed hæc non habuerunt felicem exitùm, cùm usu recepta non fuerint.

Jam suprà vidimus tempus Professionis fuisse indeterminatum, quoad validitatem, per omnia illa sæcula, in quibus licuit nuntium remittere Noviciatui, aut illum ad voluntatem Novitii contrahere,

aut

aut Monasterii; nunc Regula invaluit, ut illa fiat immediatè post annum completum Novitiatûs *Cap.* 16. Sess. XXV. *De Regular.* quod excipit casum in quo Constitutiones Ordinis exigunt Noviciatum longiorem; Canonistæ excipiunt adhuc casum morbi, & casum defectûs ætatis.

§. IX.

Circa Ætatem.

Canones qui non permiserunt ut quis nuntium remitteret Noviciatui, semper majorem ætatem postulaverunt ad Professionem, quàm ad Noviciatum; nam iste semper præesse debuit Professioni. Minor ætas ad Professionem requisita, fuit ætas adulta, nempè duodecim annorum pro Virginibus, & quatuordecim pro Pueris, in quo observata est, quoad Vota Religionis, Regula præscripta in gratiam Matrimonii. *Can.* 1. Caus. XX. Quæst. I. utrumque expressè dicit.

Excipiendus est casus in quo Parentes natos suos vovebant; nam tunc cùm voluntas Puerorum penderet à Parentum arbitrio, satis erat si Parentes essent vovendi capaces, *Cap.* 2. *Can.* 20. Quæst, II. Ætas sufficiens pro Religionibus minùs austeris, non semper pro Religionibus austerioribus conveniens fuit. *Cap.* 6 *De Regular.* à S. Gregorio depromptum, exigit ætatem decimi-octavi anni, quoad Monasteria sita in Insulis, propter asperitatem vitæ quam in ea Religiosi ducere tenebantur. Terminus hic, *suscipi potest* intelligi tàm de receptione ad Noviciatum, quàm de receptione ad Professionem. Author Summarii existimavit octodecim annos debere esse completos; nam eos interpretatur de plenâ pubertate, quæ est cùm quis attigit octodecim annos completos, quemadmodum altera postulat tantùm ut anni quatuordecim & duodecim compleantur. S. Gregorius non distinguit in hoc loco Virgines à Pueris. Tamburin, *De Jure Abbat.* Tom. III. *Disput.* 6. *q.* 13. *n.* 5. existimat post alios famosos Canonistas, hunc Canonem à Consuetudine abrogatum fuisse, usque ad Decretum *Concilii* Trid. *Cap.* 15. Sess. XXV. *De Regular.* Requisiti sunt ad Professionem majores anni in pueris, quàm in virginibus. Concilium in hoc casu utrosque æquavit, quamvis inæqualitatem ætatis ad Matrimonium reliquerit subsistere. Hoc Decretum universaliter fuit & est adhuc acceptum.

Posito quod *Concilium* Tridentinum toleraverit Professiones tacitas, quamvis statuerit *Cap.* 16. Sess. XXV *De Regul.* ut admitterentur Novicii ad Professionem immediatè post finem Noviciatûs, aut remitterentur; requireretur ad eas Professiones eadem ætas, ac ad Professionem expressam, & plures adhuc aliqui dies, nam illæ tantùm fiunt gerendo habitum Religiosum ultra annum Noviciatûs, aut faciendo actus Professorum, aut induendo habitum eorumdem Professorum post hoc tempus, quamvis Religiosi illum non receperint juxta formam solitam.

§. X.

Circa Dispensationem.

Unus tantùm Textus expressè loquitur de Dispensatione Votorum solemnium, nempè *Cap.* 6. *de Statu Monach.* in quo Innocent. III. volens probare, Abbatem non posse permittere suis Religiosis, ut aliquid in proprio possiderent, tanquam certum habet, Papam non posse relaxare abdicationem proprietatis, neque etiam obligationem ad continentiam, quia utraque est quasi essentialis conditioni Religiosæ. Cùm Interpretes non possent hoc verbum Papæ consociare cum exemplis Dispensationum concessarum ab ejusdem Prædecessoribus aut Successoribus, multis Religiosis, etiam Sacerdotibus, ut Matrimonio conjungerentur, illud restrinxerunt ad casum in quo Religiosus maneret adhuc Religiosus; quia, inquiunt, non potest esse Dispensatio hujus quod est substantiale aut essentiale statui Religioso; sed potest Papa aliquem à Statu Religioso ad Laïcalem transferre, cùm bonum Religionis illud postulat. Prima distinctio videtur adversari Regulæ, *quod plus est continet quod est minus*; nam multò majus est, si quis liberetur à tribus Votis, quàm si dispensetur ab uno è tribus; quod adducit ad credendum Prædecessores hujus Papæ & ejusdem Successores suprà citatos aliter sensisse ac illum; fortasse arbitrati sunt Papam loqui tantùm de casibus, qui spectant ad potestatem suam ordinariam, non autem illos in quibus adhibere potest plenitudinem potentiæ, illum ita assimilantes Deo, cujus est Vicarius, & in quo distinguitur Potentia Ordinaria, & Potentia Extraordinaria: Quidquid fit de sententiâ quam Papæ Successores Innocent. III. hac de re habuerunt, sunt qui in praxi aberraverunt à sensu naturali ejus verborum.

§. XI.

Circa Reservationem.

Locus citatus Innocent. III. videtur fundamentum reservationis Dispensationis Votorum Religionis in favorem Papæ; judicatum est, sensum hujus Papæ esse, ut vix Sancta Sedes posset dispensare ab his Votis; undè Episcopi has Dispensationes remiserunt Summo Pontifici, & Populi illum adierunt hac de re; quamobrem Sixtus IV. cùm attentè consideraret potestatem dispensandi à Votis Religionis esse gravioris momenti; statuit, ut nunquam comprehenderetur in potestatibus concedendi Dispensationes Sanctæ Sedi reservatas; sed ad hoc necessariam fore commissionem specialem aut clausulam specialem derogationis, cum hâc Constitutione inserta ad verbum. *Cap.* 5. *De pœnit. & Remiss.* Extravag. Comm. Illud videtur imprimis per hæc verba, *Vota Religionis*, quæ non possunt intelligi de Voto Religionem amplectendi, quod non potest nisi impropriè appellari Votum Religionis; unde sequitur, ea interpretanda esse de Votis, quibus aliquis actu Religioni adstringitur, quæ sunt Vota propria Religionis.

§. XII.

Circa Reclamationem.

Collecta sunt ea quæ sunt historica in Jure quoad Reclamationem, in Tractatu speciali, in quo actum est longiùs & de industriâ de hâc materiâ; Satis erit ergo hîc observare unum esse duntaxat Textum, qui loquatur expressè de Reclamatione; ille est 1. *De Regular.* tàm ad Clericos spectat, quàm ad Religiosos; in eo dicitur quod si quis Tonsura Clericali donatus fuit ante annos legitimos, id est pubertatem, sine consensu Parentum, & illi non conquesti fuerint in anno, Principi, Episcopo, aut Præfecto, Tonsuratus debet manere in Ordine Clericali; & quod idem esse debeat de illo qui per vim Clericus factus est, si non detulerit querelam suam in anno iisdem personis, nec etiam sui eam Parentes fecerint. Extra Corpus Juris *Cap.* 19. Sess. XXV. *De Regular.* præscribit omnia quæ sunt observanda in casu Reclamationis, scilicet quænam sint illius causæ, ante quem facienda est, & quo tempore, & quo modo.

PARS TERTIA.

SECTIO I.

Regula de Abbatum & Abbatissarum Benedictione, ex Corpore Juris Canonici Concilioque TRIDENTINO *desumpta.*

In colligendis Regulis attendendum: I. Quot Textus de Benedictione Abbatum, quot de Benedictione Abbatissarum, quæ causa illas seorsim tractandi: II. Quid sit Benedictio, quo nomine alio donetur, quodque est Ordinatio; in quo conveniat, & differat à vera Ordinatione? III. Quæ Privilegia ex Benedictione Abbatum pendeant: IV. Mutationes circa hoc Privilegium, quod est potestas conferendi Tonsuram, & Minores Ordines: V. A quo danda; & quod remedium quando denegatur, vel nimiùm differtur: VI. Quæ Concilia, qui Pontifices de illa locuti sunt: VII. Quæ peculiaria Benedictioni Abbatissarum: VIII. Initium & progressus cujusque articuli notandi.

REGULA I.

Abbatum & Abbatissarum Benedictio res est à sola Ecclesia instituta. *Cap.* 5. DIST. XCIII.

Hic Textus Abbatem post quoslibet Ordines inferiores, quos constat ab Ecclesia institutos, collocans, insinuat hanc dignitatem itidem ab Ecclesia institutam; unde sequitur ab eadem quoque institutam solemnem ad illam promotionem, quæ Benedictio dicitur.

REGULA II.

In toto Juris Corpore non alii leguntur Canones circa Abbatum Benedictionem quàm sequentes.

REGULA III.

Antiquissimus omnium Canon, est *Cap.* 5. CAUS. VIII. QUÆST. II.

Desumitur ex S. GREGORIO *ann.* 601. varia circà Monachos statuente. Quæ ad rem faciunt hæc sunt: „Defuncto verò Abbate cujusquam Congregationis, „non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum Societas elegerit, & qui electus fuerit, sine „dolo & venalitate aliqua ordinetur„. Quid enim hic per ordinationem aliud intelligitur quam Benedictio? quæ cùm spiritualis sit gratis facienda est.

REGULA IV.

Nullus antiquior, nec à majori potestate conditus *Can.* 1. DIST. LXIX.

Patet Regula ex eo quod Canone iste ex Synodo VII. quæ est NICÆNA II. *ann.* 787. desumatur; cæteri verò ab ALEXANDRO III. INNOCENTIO III. loco mox afferendo.

Quapropter referendus hic & explicandus antequàm de aliis sermo fiat.

„Quoniam videmus, sine manûs impositione à parvola ætate Tonsuram Cleros quosdam accipientes, „nondumque ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legentes; præcipimus amodò id minimè fieri. Id ipsum „observandum est inter Monachos. Lectoris manûs „impositione, licentia est Abbati solummodò in „proprio Monasterio faciendi, si dumtaxat eidem „Abbati manûs impositio facta noscatur ab Episcopo, (secundùm morem Abbatum præficiendorum,) „dum constet illum esse Presbyterum: Simili etiam „modo secundùm antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione oportet Episcopi promovere Lectores„.

Plurima docet hic Canon & notatu digna:

I. Duplicem distinguendam Tonsuram, tùm Clericalem, tùm Monachalem; alteram nempè quæ sine ulla manûs Episcopi impositione fiebat; alteram quæ illius manûs impositioni conjuncta erat.

II. Ante *Conc.* NICÆNUM II. posteriorem fuisse necessariam, ut quis super Ambonem per Missarum solemna aliave Divina Officia legeret; sed ex abusu quosdam tùm apud Clerum, tùm apud Monachos, sine illa legisse; abusum autem istum ab hoc Concilio apud utrosque damnatum & reprobatum.

III Ut faciliùs apud Monachos abrogaretur, Abbati permisit Lectores cum manûs impositione Monachos creare.

IV. Permissioni huic duas appositas conditiones; primam quod Abbas Benedictus sit; secundam quod Presbyter etiam sit; quarum conditionum causa videtur, ut Abbas facultatem tantam sibi ut Abbati existimaret.

V. Abbatis Benedictionem ab Episcopo faciendam, tanquam cujusvis Ecclesiasticæ Potestatis fonte.

VI. Per manûs impositionem, & Abbatem præfici, & Lectorem creari quia apud Græcos; nulla Spiritualis Potestas confertur sine manûs impositione.

VII, Majorem hac in re Abbatis fuisse facultatem quàm Chorepiscoporum; cùm isti sine Episcopi mandato Lectores promovere non possent.

VIII. Abbatum benedicendi morem à prædicto Concilio non introductum, quod ex relata parenthesi non infertur, cum in Textu Græco non legatur; sed ex eo quod de illo loqui videatur tanquam de re usitata, atque aliàs certum sit Sancti GREGORII tempore jam in usu fuisse Abbatum Ordinationem, quæ haud dubiè aliud nihil est quàm illorum Benedictio.

REGULA V.

Nullus Canon propiùs accedit citato Canoni, tùm argumenti qualitate, tùm temporis Ordine, quàm *Caput* I. *De Supplenda negligent. Prælat.*

Ex ALEXANDRO III. Monachis *Cisterciensibus ann.* 1169. scribente desumitur hoc Caput, & exceptionem præcedentis Canonis continet: his autem verbis concipitur: „Statuimus præterea ut si Episcopus cùm humilitate & devotione, ut convenit, „requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere „fortè renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios „Monachos benedicere, & alia quæ ad Officium hujusmodi pertinent exercere donec ipsi Episcopi suam „duritiam recogitent, & Abbates benedicere non „recusent„.

Quod in mox relato Capite continetur, articulus est Privilegii ab ALEXANDRO III. Monachis Cisterciensibus concessi, cujus alii duo articuli, *in C.* 31. *De Privileg.* & *C.* 5. *De Excess. Prælat.* Integrum verò legitur in TOMO I. *Privileg. hujus Ordinis.*

Juxta hunc articulum recusatio injusta pro concessione habetur; idque in recusantis pœnam & oppressorum gratiam; sed ad hoc requiritur, ut Episcopus, cujus est Abbatem benedicere, tertiò rogatus benedicere negligat, nam si id ex legitimo impedimento non possit, Privilegium locum non haberet, seu Abbas Benedictus non censeretur, cùm cessante causa cesset effectus.

Hinc colligitur alligatam Benedictioni potestatem, non eam esse quæ ex Consecratione fluat, sed quæ ex sola concedentis pendeat voluntate.

Dum de Electi confirmatione disceptatum est, Electum post confirmationem administrare posse, tam in Spiritualibus, quàm in Temporalibus, & si bene-

benedictus non sit, ostensum est; imò idem etiam posse ante, quando ad Papam pertinet Confirmatio, & electus ultra Italiam est; unde quod in relato *Cap.* dicitur, Abbatem ante Benedictionem non posse, restringendum est ad ea quæ ex Benedictione pendent.

Benedicere Monachos juxta communem interpretationem, hic idem est ac Tonsuram, Minoresque Ordines illis conferre. De Abbatibus non exemptis hic mentionem fieri evidens est, cùm exempti Benedictionem à quolibet Episcopo petere possint & accipere.

REGULA VI.

Tertius Juris Textus circa Abbatum Benedictionem, præter Confirmationem, præcedentibus nihil aliud addit, nisi quod juxta Ecclesiæ formam dari requirat, ut ordo Clericalis habeatur. *Cap. 11. De Ætat. & qualit.*

Textum legenti patebit Regula; hæc enim sunt illius verba: „Cùm contingat interdùm quod Laici „ad Monasteria convolantes à suis Abbatibus tonsurentur: requisisti, an Clericalis Ordo in Tonsura hujusmodi conferatur? super quo tibi taliter respondemus: Quod cùm in septima Synodo sit statutum, ut „Lectores per manùs impositionem, licentia sit unicuique Abbati in proprio Monasterio faciendi; dummodo ipsi ab Episcopo, secundùm morem præficiendorum Abbatum, manus impositio facta noscatur, „& constet eum existere Sacerdotem per primam „Tonsuram, juxta Ecclesiæ formam datam, à talibus Clericalis Ordo conferatur„.

Integra Decretalis è qua *Cap. 1. De Rescript in 4. Compil.* circa Abbatum Privilegium quo Tonsuram Ordinesque Minores conferre possunt, nihil habet quod in *Cap.* hìc relato non referatur; atque in illo, de prædicto Privilegio ne verbum quidem.

Archiepiscopus Rothomagensis Inn. III. decisam hìc Quæstionem proposuerat, ad id fortè motus, quod Tonsura ab Abbate data purè Monachalis videretur. Innoc. autem id omne à forma pendere considerans, respondet, per Tonsuram juxta Monachalem morem dumtaxat datam, Clericalem Ordinem non conferri; secùs, si juxta Ecclesiæ formam detur ab Abbate Benedicto & Presbytero: quam Responsionem argumento hoc confirmare videtur Innocent. III. Ex 7. Synodo: Abbas Benedictus & Presbyter qui juxta Ecclesiæ Græcæ Ritum, Laico quem tonsurat manus imponit, Lectoratum confert; ita similis Abbas juxta Ecclesiæ Occidentalis morem primam tonsuram faciens, Laïco Clericalem Ordinem seu Clericatum conferre debet.

Postrema relati *Cap.* verba inutili disputationi causam dederunt; nempe an prima Tonsura sit Ordo; disputationem autem inutilem dicimus, quia nihil scire refert, an Tonsura verè sit Ordo an non; cùm certissimum haberi debeat, illam esse non posse, nisi unum ex Minoribus Ordinibus; istos autem, sicut & Tonsuram, ab Ecclesia institutos.

REGULA VII.

Penultimus circa Abbates Benedictos Textus hæc peculiaria habet. 1°. de his non expressè loquitur. 2°. in illis agnoscit Tonsuram Clericalem conferendi potestatem aliis quàm Monachis.

In *Cap. 3. De Privilegiis in 6.* habetur hic Textus; *Cap.* autem hoc ex Alexan. IV. Constitutione *ann.* 1260. facta desumitur. Quæ ad rem faciunt hæc sunt: „Nec eis, (scilicet Abbatibus quos populum intra solemnia benedicendi Privilegio insignivit Sedes Apostolica) „licitum sit, aliis quàm Monasteriorum „Conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent, primam Clericalem conferre Tonsuram, nisi „eis id competat ex pleno præfatæ Sedis Indulto„.

Relatum Textum de Benedictis Abbatibus loqui inferimus, ex eo quod verisimile non sit populum solemniter benedicendi Privilegium aliis Abbatibus à Sede Apostolica concessum; cùm primam Tonsuram Ordinesque Minores conferendi Privilegio majus videatur.

Ex eodem colligimus, Abbates Benedictos eo tempore alios tonsurare potuisse, quàm Monachos; cùm ipsis quatuor personarum generibus Tonsuram conferre permittat; nempè 1°. Monachis jam receptis, quos vocat *Conversis.* 2°. In Monachos recipiendis quos istis verbis exprimit; *qui ad illa scilicet Monasteria convolaverint.* 3°. Iis quorum est quasi Episcopus, in illos Jura Episcopalia habens; eos autem his tangit terminis: *in quos Ecclesiasticam & quasi Episcopalem Jurisdictionem habent.* Ecclesiasticam dicit, quia non sufficit ut temporalem habeant. 4°. Et aliis quibuscumque, quorum nominatim, vel generatim mentionem facit, concessum à Sede Apostolica Indultum, si ex tali Indulto Tonsuram conferant.

Idem etiam Textus demonstrat Successores Innoc. III. in Abbates liberaliores fuisse, quam iste & 7ª. Synodus fuerint; cùm circa Tonsuram conferendam, ampliorem illis largiti fuerint potestatem, quàm Synodus concesserat & Innoc. confirmarat.

Contra datam à nobis relato Textui interpretationem, opponi potest *Cap.* 10. Sess. XXIII. *De Ref.* in qua *Conc* insinuat alios quàm Abbates ex Privilegio Tonsuram conferre potuisse; idque his verbis: „Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterùm, intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam qui Regularis subditus „sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre„: hac enim voce, *quibuscumque*, voci Abbatibus addita, de aliis quàm de Abbatibus sermonem facere hoc Caput manifestatur.

Cui objectioni respondendum, Concilium quidem de aliis hìc loqui quam de Abbatibus, sed nomine, non re; cum his de quibus loquitur, vetet ne *alii Tonsuram vel Minores Ordines conferant quàm Regulari subdito*; unde patet Concilium hìc non loqui, nisi de Prælato Regulari. Hinc satis patet prædictum locum nobis favere, potiùs quàm adversari; cùm negare non liceat inter eos Prælatos, de quibus Concilium, Abbates Benedictos saltem comprehendi: At quod de Concilii Textu dicitur, de Alexandri Constitutione dici quoque potest.

Hæc autem cùm ita se se habeant, objectum Textum aliis circa Abbatum Benedictionem adductis adjungere possumus; sed posito quod Concilium loqueretur de aliis Prælatis, qui non essent Regulares, id intelligi posset de illis qui similem potestatem post Alexand. IV. adepti fuissent.

REGULA VIII.

Ultimus lucri causâ factus totus videtur; sed non est.

Desumitur ex *Cap. 1. De Elect.* Extravag. Commun. pars est Constitutionis à Bonifacio VIII. datæ *ann.* 1300. quæ sunt hujus loci, hæc sunt: „Præsenti sancimus ut Prælati Regulares quocumque nomine „censeantur, qui apud Sedem Apostolicam Benedictionis munus recipiunt, ad commissa Monasteria absque ejusdem Sedis Literis Benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere præsumant, nullique eos absque dictarum Literarum ostensione recipiant, pareant, vel intendant.

Cur autem non lucri causa factus prædictus Textus existimandus est, evidens est: Multâ refert, ut qui Benedicti non sunt Prælati, quæ Benedictis tantùm conveniunt, non præstent, atque aliàs minoris lucri res est quàm ut ad Constitutionem faciendam movere potuerit.

Circa quos nmnes observandum, ex his solos qui ex *Concilio* NICÆNO & ex *Concilio* TRIDENT. expressè loqui de Minotes Ordines conferendi potestare.

Apud Græcos, Tonsuram Clericalem à Lectoratu non separari, secus apud Latinos; undè sequitur quod apud eos Minores Ordines conferre possint, qui tonsurare possunt; apud Latinns verò tonsurare quem posse, quin Ordines Minores conferre possit.

Abbates, nt Abbates, nec Tonsuram Clericalem, nec Minores Ordines conferre posse; alioqnin Abbates omnes idem possent; sed ex Privilegio, istud verò à mera concedentis voluntate pendere, è *Conc.* GENERALI VII. primum emanasse, ab illo ad Monachos Abbati cuiquam immediate subditos restrictum, ad alios extensum à summis Pontificibus, à *Conc.* TRID. in ptistinum statum redactum; cum hoc discrimine, quod *Concilii* VII. tempore, cuique Abbati unum dumtaxat subjiceretur; *Concilii* verò TRIDENTINI Sæculo, jamdiu extarent Abbates Generales quibus complura subessent Monasteria; & si utroque tempore ad subditos Monachos restrictum fuerit, ad multò plures tempore *Concilii* TRID. quàm *Concilii* VII. sæculo, sese extenderit; in honorem Benedictionis partim constitutum videri, ut à solis Episcopis fiat; id etiam partim præceptum est, nt cujus est Jure Communi Ordines omnes nt Tonsuram conferre, ejus quoque sit ad Tonsuræ & Ordinum Minorum collationem præparare per Benedictionem illos, quibus indulta est istos conferendi, simulque Tonsuram confetendi, potestas.

Regula speciales circa Abbatissarum Benedictionem.

REGULA IX.

Ex nullo Juris Textu colligi potest Abbates non perpetuos benedictos fuisse; nec verosimile id factum esse.

Patet Regula, partim ex eo quod nullus Juris Textus extet, qui Abbatis non perpetui mentionem faciat; partim ex eo quod Benedictio detur in perpetuum, non ad tempus.

Nec obstat, quod loca ad tempus in Oratoria destinata benedicantur, ut contingit quoties privatæ domus in Monasteria convertuntur, donec Monasteria ibi vel alibi construi possint.

Maximum siquidem est discrimen inter hunc, & illum casum; in priori, Benedictionis temporalis nulla necessitas, cùm ex necessitate ad tempus Abbates non fiant, sed ex Constiturionibus matura deliberatione factis; in posteriori, urgens subest hujus Benedictionis necessitas.

Hac etiam de causa juxta *Bullam* EUGENII IV. *ann.* 1487. Abbates Triennales Benedictione non egent, attamen omnibus & singulis honoribus, præeminentiis, prærogativis, Juribus, Insigniis Abbatialibus gaudent.

REGULA X.

Circa Abbatissarum Benedictionem duplex est Textuum genus; aliud nempè communium inter Abbates & Abbatissas; aliud Abbatissis peculiarium.

I. Prioris generis sunt quicumque circa Abbates adducti sunt; quoad illa tamen quæ historica non sunt, vel quæ Tonsuram Ordinesque Minores conferendi privilegium non respiciunt.

II. Posteriotis generis triplex in jure tantùm reperitur; omnium antiquissimus legitur in *Cap.* 2. *De Testamentis, prout in Compil. I. refertur.*

Desumitur è S. GREG. *Cavalitano* Episcopo scribente *ann.* 600., ut nntat PITHÆUS in illud Cap., vel *an.* 598 ut idem PITHÆUS notat in *Cap.* 7. CAUS. XIX. QUÆST. III. ex eadem Epist. desumptum, nndè credere est hìc vel ibi mendum irrepsisse.

De SIRICA Abbatissa loquens, dicit illam, postquam ab Episcopo ordinata fuerat, habitum Monialium non gestasse, sed vestem quam Presbyteræ seu Presbyterorum uxores ferre consueverant; eaque de causa Monialem non habendam; quæque Testamento legarat solvenda esse nonnullos existimare, sed allucinari, cùm alioquin Episcopi culpa, qua illam ea veste incedere passus est, in Monasterii innoxii pœnam redundaret.

Ordinari idem hìc esse ac benedici nemo non videt; Benedictionis autem vis quanta sit, satis patet; Abbatissa namque, etsi Monachali veste nunqnam usa, Monacha censetur, quia ordinata; hæc enim habet GREGORIUS „. Necessarium ergo est, postquam „ Abbatissa ordinata est, & in Monasterio per annos „ plurimos usque ad obitum præfuit, vestis qnalitatem ad culpam fortè Episcopi pertinere qui eam sic „ esse permisit; non tamen potuisse præjudicium Mo„ nasterio irrogare, sed res ipsius eidem loco ex quo il„ lic ingressa & Abbatissa constituta de jure competere.

Quæ verba non obscurè demonstrant SIRICAM habitam fuisse Monialem, ex eo potissimùm quod Abbatissa ordinata esset.

Si res de qua agitur majoris mnmenti foret, *cit. Cap.* prout est apud GREG. IX. transcriberemus, quæque in *Compil.* I. & in notis ANTON. AUGUST. circa illud peculiaria sunt, notaremus; sed tanto res labore digna non est; ideò, præmisso Capitis Summario, indiscriminatim inseruisse sufficiet, quæ in prædictis locis habentur Regulæ faventia. Nonnulla tamen sunt quæ prætermitti non possunt.

1°. Uxoratos viros ad Sacerdotinm quandoque promotos fuisse, uxoribus consentientibus, quæ propter indissolubile Matrimonii vinculum, nxores illorum remanentes Presbyteræ dicebantur, ut Consiliariæ dicuntur Consiliariorum uxores.

2°. Uxores illas peculiarem vestem gestasse, quâ ab aliis uxoribus, Deo non sacratis, distinguerentur; in loco autem Monasterii, cujus SIRICA Abbatissa erat, consuetudinem invaluisse quod simili illius Abbatissæ induerentur veste.

3°. Monialibus testari, tunc temporis, sicut & nunc, non licuisse, eamque incapacitatem ex Lege Civili manare, adeò agnoscere S. GREG., ut si qua sit circa SIRICÆ Testamentum controversia, legibus dirimi præcipiat. Quod de incapacitate testandi dictum est, de facultate succedendi Monachis, quoad acquisita post professionem, dicendum insinuare *ibidem* eumdem GREGORIUM.

REGULA XI.

Qui citato Canoni propiùs accedit Textus est *Cap.* 13. *De Accusat.*

Desumitur ex ALEX. III. *Epist. ann.* 1175. CASSIOTAM Monasterii S. ZACHARIÆ Abbatissam confirmarat ALEXAND. III. illamque benedici mandaverat. HENRICUS, tùm Laicus, tùm CASSIOTÆ manifestus inimicus, tùm in illam testis, à mandato appellaverat, dicens se paratum ad illam de simonia accusandam; qui illam benedicturus erat, appellationi hujusmodi detulerat; hunc *Alex.* tali appellationi detulisse arguit, illique præcipit ne ampliùs Benedictionem differat, sui hanc mandati causam afferens, HENRICUM ob triplicem præmissum defectum, ad CASSIOTÆ accusationem admittendum non esse.

Citat. Cap. speciem sive casum, ex integra DECRET. quæ in *Collect.* 2. *Cap.* 2. habetur, deprompsimus, ne ullam veteris disciplinæ testem circumstantiam omitteremus; quam autem hinc hausimus, hæc Laicos ad Monachorum, sicut nec ad Clericorum accusationem, non admissos fuisse ostendit, qnod cum GREG. IX. sæculo jam non servaretur, *Raymundus* DE PEGNAFORT, quæ hanc circumstantiam spectabant, de industria resecuit.

Circa Abbatissarum Benedictionem hæc docet *cit. Cap.*

Cap. propter frivolas oppoſitiones differendam non eſſe; ad illum pertinere ad quem Abbatiſſarum confirmatio ſpectat; illam committi poſſe ab eo cui illam impendere licet.

Quoad Hiſtoriam, hæc etiam docet, Monaſterium S. Zachariæ immediatè ſubfuiſſe Sedi Apoſtolicæ, cùm ad illam Abbatiſſæ confirmationem pertinuiſſe narret.

REGULA XII.

Temporis ordine, aut argumenti ſimilitudine, ſuccedit *Cap. 43. De Elect. in 6.*

Illud ſubminiſtrat Bonif. VIII. Conſtitutio *ann.* 1299. facta. Oppoſitionis caſum reſpicit; in ea namque præcipitur, ut in diſcordi electione, electæ à duabus totius Conventûs vel Clericorum partibus, nonobſtante oppoſitione quacumque, benedictionis munus impendatur, ſi à Confirmature examinata electio aliàs Canonica videatur.

Circa illud notandum, hujus Conſtitutionis cauſam peti ex periculo quod puellarum Monaſteriis imminet ex Abbatiarum vacatione, atque ſimilem cauſam *Conc.* Later. ſub Alex. III. celebratum moviſſe, ut in Summum Pontificem electum à duabus Cardinalium partibus, nulla obſtante oppoſitione, Summum Pontificem haberi, ac in Sancta Sede collocari, conſtitueret.

SECTIO II.

De Commendis Perpetuis. Regulæ è Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino *deſumpta.*

In diſcutiendis quæ ad Commendas ſpectant, triplici methodo utemur; per Regulas explicabuntur quæcumque certa ſunt; per Quæſtiones quæ in utramque partem agitari poſſunt; cætera per Obſervationes exponentur. His omnibus ſubjicitur reſolutio caſûs propoſiti graviſſimi momenti, & multi uſus circa eamdem rem.

De Commendis Tractatum, ad Commendas perpetuas, reſtringimus; quia de Commendis Temporalibus ſat egimus, dum de Vicariis Temporalibus tractavimus; Commendatarii ſiquidem Temporales nihil aliud ſunt quàm Vicarii Temporales. Unum tamen circa Temporales Commendas addemus, quod indicato loco omiſſum meminimus; nempè ad ſex menſes ab Ordinario Beneficia vacantia commendari poſſe, *Cap.* 15. *De Elect. in 6.* idque etiamſi illi non habent nec Ordinem, nec ætatem requiſitam, *Ibid.* Limitari autem ad ſex menſes hanc Ordinarii facultatem, quia ipſi ſemeſtre tantùm conceditur ad Beneficiis vacantibus providendum, *Cap.* 2. *De Conceſſ. Præb.* quod tempus fruſtra præfixum foret, ſi ultra ſex menſes commendare poſſet.

Adjiciemus etiam Commendarum Temporalium, illam, de quâ ſupra, ſolam eſſe cujus duratio ipſo jure præfinita ſit; aliarum verò durationem ab impedimenti duratione pendere. Commendatario Temporali, ſicut & Vicario itidem Temporali, ſuſtentationem deberi: Cauſas omnes propter quas ad tempus commendari poteſt Beneficium, ad iſtas reduci; primò, ſi Patroni inter ſe diſſentiant, pendente diſcordia, Beneficium Commendari poteſt. Secundò, ſi idoneus Rector, cui Eccleſia conferatur, non occurrat, atque ideò majus quàm præfinitum à Jure tempus ad quærendum inveniendumque neceſſarium ſit. Tertiò, ſi aliquot poſt annos ceſſatura paupertas, vel hoſtilitas, impediat ne, cui conferatur, idoneus quis reperiatur.

Adjiciemus quoque Commendarum Temporalium, ſicut & perpetuarum, alias fieri in Eccleſiæ utilitatem; alias in Commendatariorum commodum; iſtarum exemplum haberi *Cap.* 15. *De Elect. in 6.* Id enim tantùm fieri prohibens de Eccleſia Parochiali, de aliis facere permittit.

De Commendis perpetuis tractaturi, ad Regulam unam, quidquid dicturi ſumus, redigere conabimur; illamque ita concipere animus eſt, ut juſtiorem quæ haberi poſſit Commendæ ideam ſive notionem contineat: Cæteræ quæ ſequentur Regulæ, non erunt niſi Primæ omnium conſequentiæ. Sed priùs advertendum, Beneficia nulli perpetuò commendari, niſi in eo ſit impedimentum Canonicum ad illorum poſſeſſionem, cujus ratio evidens eſt: Erga illum qui Beneficii capax eſt, Commendatione uti opus non eſt; Canonica impedimenta propter quæ perpetuò Commendari ſolent, vel aliàs ſolebant Beneficia, hæc eſſe, nempè reſidendi impotentiam, propter aliùs reſidentiam exigentis Beneficii poſſeſſionem; Sæcularem ſtatum erga Beneficia Regularia, Regularem verò erga Sæcularia; prius autem impedimentum non ampliùs eſſe commendandi cauſam; Beneficium enim incompatibile aliud habenti in Commendam non datur, ſed in Titulum. Inter ſæcularia Beneficia quædam eſſe quæ Jure Communi, tàm à Regularibus quibuſcumque, quàm à Sæcularibus, poſſideri poſſunt, quales ſunt Epiſcopatus; nonnulla quoque eſſe, quæ à quibuſdam Regularibus, etſi non ab omnibus poſſideri queunt, quales Parochiales Eccleſiæ quæ à Canonicis Regularibus regi poſſunt, & non ab aliis Regularibus; inter Regularia quædam eſſe quæ per Clericos Sæculares regi debeant.

REGULA I.

Commenda perpetua nihil aliud eſſe videtur, quàm gratiæ genus, quo hoc vel illud Beneficium poſſidendi incapaci adminiſtrare permittitur.

Colligitur clarè hæc Regula ex Juris Textibus qui de Commenda loquuntur; illorum enim nullus eſt, qui de Beneficio alicui commiſſo, cujus aliàs poſitivo Jure incapax eſt, mentionem non faciat; quod illos percurrenti patebit; ſed ut faciliùs fiat, quid ſinguli ad rem faciens habeant, paucis ſubjicimus.

Antiquiſſimi omnium qui de Commenda loqui videntur, ſunt *Canones* 5. 6. Caus. XXI. Quæst. I. è S. Gregorio deſumpti, aliique ſimiles, quibus idem Clericus duabus ſimul præficitur Eccleſiis, quarum alteram in Titulari, alteram in Commendam habere debet, ob veteres Canones, qui duas ſimul poſſidere Eccleſias prohibent.

His propiùs accedit *C.* 3. *Eadem.* Caus. & Quæst. qui primus omnium Commendationis, eodem quo hic ſenſu ſumptæ, meminit; in eo Leo IV. fortè anno 850. præcipit, ut qui duas tenet Eccleſias, unam quidem Titulatam habeat, aliam verò ſub Commendatione.

Eodem ſpectat *C.* 54. *De Electione*, in quo Greg. IX. *anno* 1226. verſus finem docet, Eccleſias Parochiales plures ſimul poſſideri non poſſe, niſi alia in Titulata, alia Commendata habeatur.

Aliqui hactenus citati Textus de Commenda tacitè vel expreſſè loquentes, claram mentionem faciunt de Beneficio alicui aliàs incapaci commiſſo, nempè aliud incompatibile jam habenti.

Idem judicium haud dubiè feretur I. de *C.* 15. *De Elect. in 6.* in quo Bonif. V. dicit, non habenti ætatem Ordinemve ad Parochialem Eccleſiam requiſita, illam Commendari poſſe.

II. De Clementina I. *De Statu Monach.* in quo Clem. V. §. 7. meminit Regularis Prioratus, Sæculari alterive aliàs incapaci commiſſi.

III. *De* Extravag. II. *Tit. De Præb.* in qua Clem. V. dolens, ſe affectu humano commiſiſſe Epiſcopales Eccleſias, nec non Monaſteria, quibus dare non poterat; gratioſas hujuſmodi proviſiones, tamquàm Christi ſponſæ pernicioſas, revocat.

His ſiquidem tribus Textibus, luce clarius fit Beneficium Commendare idem eſſe, ac illius adminiſtrationem homini, Jure poſitivo aliàs incapaci, gratioſè permittere.

Commenda ergo perpetua est dispensationis genus, quo Beneficium administrare licet, quod ob remanens impedimentum Canonicum possidere non licet.

Eumdem esse Commendæ perpetuæ ac dispensationis effectum patet, ex eo quod Beneficia incompatibilia, quæ similia habenti aliàs in Commendam dabantur, nunc in Titulum dantur, ut colligere licet ex *Cap.* 54. *De Elect. §.* 5. & ex hodierna praxi.

REGULA II.

Hinc, quæ dispensandi causæ, eædem & Beneficia commendandi.

REGULA III.

Hinc, sicut in Legibus bonum commune respicientibus, quales quæ ad Beneficia Ecclesiastica spectant, licita non est Dispensatio, nisi illam postulent vel necessitas, vel utilitas publica, ita illicita erit Commendatio, nisi ad alteram illarum causam fiat. *Cap.* 15. *De Elect. in* 6. Regulam confirmat.

REGULA IV.

Hinc, quemadmodum necessitas privata, nisi ex illius sublevatione, ob personæ merita, exurgat publica utilitas, non est justa dispensandi causa, ita nec commendandi.

REGULA V.

Hinc, si necessaria sit Officii Claustralis Commendatio, licita erit; illicita verò Prioratûs Regularis, quantumvis simplicis, si nulla subsit vel necessitas, vel utilitas publica.

Prioratûs Commendationem, Officii Claustralis Commendationi de industria opposuimus, ut magis elucescat, quanta sit hac in re necessitatis, utilitatisve publicæ vis: necessariam autem ducimus Officii Claustralis Commendationem, quoties situm est in loco, in quo Regularis illud administrare simul & Regulam servare non potest, quale est quod per Monachum solitarium regi oporteret. Sine necessitate commendari videtur Prioratus Regularis, si per Regularem pari Ecclesiæ utilitate administrari queat.

REGULA VI.

Hinc, cùm Abbatiarum quæ Ordinum Capita sunt, Commendationes vix esse utiles possint, *Concil.* TRIDENT. Cap. 21. SESS. XXV. *De Regul.* non tolerandas significavit.

REGULA VII.

Hinc, cùm Ecclesiarum Parochialium, vel Episcopalium Commendationes, pueris aliisque similibus, qui per plures annos per se administrare nequeunt, factæ, exitiosæ tàm animabus, quàm Ecclesiarum rebus esse soleant, ut plurimùm illicitæ sunt.

REGULA VIII.

Si Commenda sit Dispensatio, qua incapaci Beneficium administrare permittitur, oportet ut quandocumque perpetua est Commenda, & Commendatarii dispositioni Beneficii fructus dimittuntur, Commendatarius à Titulari nomine tantùm differat, iis exceptis quæ ratione incapacitatis suæ sibi non conveniunt.

Exemplo lucidior fiet Regula: Sæculari Beneficium Regulare in perpetuum commendatur, liberamque accipit fructuum dispositionem, detractis, ut par est, Beneficii oneribus; Commendatarius hujusmodi non absimilis videtur illegitimo cum quo dispensatur, ut non obstante natalium defectu, Beneficium possideat; in utroque enim Canonicum ad Beneficia reperitur impedimentum; utrique tamen, eo non obstante, permittitur, Beneficia, quorum aliàs incapax est, possidere.

Nec dici potest dispensatione cum illegitimo illius defectum tolli; Commendatione Regularis Beneficii facta, Sæcularitatis defectum non tolli: nam in priori casu, natalium defectum tolli, nil aliud est quàm ipsum non considerari, quo sensu in Commendatario nostro suum tolli defectum affirmari potest, cum quo, ad Beneficii Regularis possessionem, defectus hujusmodi non attendatur, ac quasi pro non existente habeatur.

Sed & si Commenda vero titulo æquivaleat, Commendatario tamen non permittuntur omnia quæ Titulario permittuntur; sunt enim quædam quæ propter suam incapacitatem sibi non conveniunt, quæque idcircò sibi interdici debent.

Hinc, cùm non deceat, ut Clericus Sæcularis, circa Disciplinam Regularem non versatus, quæ Ordinis Regularis Regulam concernunt præscribat, atque in dubiis Regulam interpretetur, illa omnia Priorum Claustralium judicio dimittere adstringendus fuit. Propter eamdem Disciplinæ Regularis imperitiam, quæ in Sæculari Commendatario supponitur, Electionem Priorum maximè Claustralium Religiosis relinquere deberet; Officiis tamen hujusmodi providere solet, nisi Religiosi, ex Privilegio, vel Statuto, vel Consuetudine speciali, Priorem eligendi facultatem habeant. LOUET. *in Regul. De Public. resig. n.* 306.

Sed ne in eo quod Titulario Commendatarium æquiparamus, novi quid dicere videamur, observandum duximus, ne dum Gallicanos REBUFFUM, LOUET mox citandos, sed & Ultramontanos quorum omnium loco erit GOMESIUS, qui in *Reg. De Triennal.* QUÆST. V. aliorum in hanc rem sensa collegit, docere hodiernam Commendam antiquæ solùm nomen retinuisse, verique Tituli effectum habere; ad id autem motos videri his potissimùm rationibus; Beneficium sine Titulo possidere non licet, Commendatarius autem verus Beneficii Possessor: si Commenda Titulus non esset, fructus à Titulo separaretur, Corpusque Beneficii, sine illius anima, Commendatarius haberet: Contra Commendatarium præscribi non posset, cùm nec verus, nec præsumptus Dominus habendus esset. De rebus, ex non illarum nomine, sed effectibus propriis judicandum, atque ideò *verb. grat.* si quis causa mortis irrevocabiliter donet aliquid, illius donatio vocati quidem poterit donatio causa mortis, sed inter vivos donatio verè erit, cùm eumdem habeat effectum: quocircà quæ à Canone tribuuntur Titulario, jamdiù ad Commendatarium DD. extendunt. Quod de Juribus, idem de oneribus dicendum.

Ex prædicta Regula sequitur Commendatarium, cùm à Titulario non differat, teneri ad ea ad quæ tenetur Titularius, nisi Titularii obligationes nascantur ex iis quæ Commendatario, ratione incapacitatis suæ, non conveniunt; ac consequenter quæcumque onera temporalia, quæ Titularius solvere tenetur, solvere teneri; & Ordinem quem Titularius suscipere debet, suscipere quoque debere. De Ordine expressè cavetur CLEM. I. §. 7. *De Statu Monach.* Non servatur in Gallia.

REGULA IX.

Si Commenda Dispensatio quædam sit, oportet, ut cujus est dispensare ejus sit Commendare.

Hinc

Hinc quoad impedimenta circa quæ dispensare non potest Episcopus, nec etiam commendare potest; circa quod notandum, nullo Juris Textu Papæ reservari Commendam, qua Regulare Beneficinm Clerico Sæculari datur; imò ex *Cap.* 2. *De Relig. Domib.* inferri posse id Episcopo licere: in eo enim Innoc. III. De erectione Ecclesiæ Regularis in Sæcularem loquitur, tanquam de re non reservata, dicens simpliciter, deficientibus Regularibus Saculares Clericos ordinare posse. Nec obstat *Cap.* 4. Caus. XIX. Quæst. III. in quo *Conc.* Calcen. probibet, ne Monasteria ritè consecrata, Sæcularia habitacula fiant; sensus enim illius est, ne Laïcis & prophanis habitanda concedantur; prætereà, etsi vetaret ne Monasteria Clericis concederentur, hinc concludi non posset, concessionem istam ad Papam pertinete, cùm illi reservata non sit, nec in se ipsa, nec in alia re reservata, quales causæ majores, cùm minor sit quàm ut ad illas referri possit. Notandum quoque variis Textibus Episcopo permissum declarari, erectionem Sæcularis Ecclesiæ in Regularem; tales autem esse *Cap.* 9. *De Vita & Hon.* Cap. 5. *De Ædif. Ecclesiis.* Majus autem quid videri ut Ecclesia Sæcularis in Regularem, vel Regularis in Sæcularem convertatur, quàm ut Sæculari Beneficium Regulare, Regulari verò Sæculare conferatur; nam in posteriori casu non aliud fit, quàm ut Sæcularis pro Regulari, Regularis pro Sæculari habeatur; idque tantùm quoad Beneficium sibi concessum; in priori verò efficitur revera, ut plurimi, qui Sæculares erant, Regulares fiant, vel ut multi Regulares, Sæculares evadant. Sed si concessio Beneficiorum Regularium in Commendam jure scripto Papæ non reservetur, consuetudine tamen antiqua reservatur. Hinc Louet *in Reg. De Inf. n.* 306. & in *Reg. De Public. Resig. n.* 302. docet ad solum Summum Pontificem Beneficiorum Commendarionem pertinere, quæ Consuetudo hinc fortè fluxit, quod pleraque Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè suberant; hæc autem reservatio cessare potest, sicut & aliæ, quoties non est liber ad Pontificem recursus, *Cap.* 11. 56. *De Sent. Excomm.*

REGULA X.

Si perpetua Commenda Titulus est; quæ Titulario licent, Commendatario quoque licent; hinc nedum locare Beneficii fructus potest, sed & ipsum Beneficium resignare, permutare, alii illius administrationem ad tempus committere; hinc etiam conferre potest Beneficia, vel ad illa præsentare, vel instituere.

In Gallia, ut Titulus verus habetur Commenda, Rebuf. *De Commenda. n.* 53. Louet *in Reg. De Publ. n.* 303. 305. C. 306. *in Reg. De Infir. n.* 306.

REGULA XI.

Si Commenda perpetua Titulus est mortuo vel deposito Commendatario, per mortem, vel per depositionem vacare debet illius Beneficium, eodem planè modo quo mortuo vel deposito Titulario, motte vel depositione vacat Beneficium.

Hinc cessante Commenda, Beneficium non vacat eo vacationis genere quo antea vacabat: *Verb. gr.* si ntequam commendaretur. Cessione, vel defectu ætatis, vel defectu promotionis, vel incompatibilitate vacabat; Commenda veru cesset, vel per depositionem, vel per mortem, cessione aliove ex prædictis modis non vacabit Beneficium; sed per depositionem, vel per mortem; manebit tamen semper Regulare, ita ut Regulari dari possit sine dispensatione; Sæculari verò non nisi continuata dispensatione, quæ deneganda non erit, si anteà per 40. annos concessum fuerit in Commendam; cùm collatio unica facta Regulari derogare non debeat juri Sæcularium illud obtinendi in Commendam.

REGULA XII.

Si Commenda perpetua est, quoties vel moritur, vel cedit, vel deponitur Abbas Commendatarius, aliudve contingit quo sub Abbate Titulario Sedes vacare vel quasi vacare censeretur; toties Sedes vacat, vel quasi vacat, ac consequenter si cui jus aliquod ratione Sedis vacantis debetur, eo frui potest.

Hinc si Sede Abbariali vacante, Conventus, aliusve, Abbatiam administrat, in quolibet prædictorum casuum administrabit; si Beneficia confert, illa donabit.

Hinc etiam si Sede quasi vacante propter Abbatis dementiam, furorem, aliamve administrandi impotentiam, Coadjutorem dandi facultatem habet, eâ potietur, si Abbas Commendatarius in talem casum inciderit.

REGULA XIII.

Ut Dispensationes aliæ aliis majores sunt, ita & Commendarum gratiæ.

Unum, aut alterum exemplum, Regulam illustrabit.

Major est *Verb. gr.* Dispensario circa impedimentum Canonicum ad Beneficia, quò majus est illud impedimentum.

Major quoque esset Dispensatio quæ duplicis impedimenti vinculum solveret, quàm quæ unius.

Major quoque habenda est Commendarum gratia, quò major est defectus, quo nonobstante Beneficium commendatur: hinc major est Commendæ gratia, quâ Beneficium Regulare Clerico Sæculari committitur, quàm quâ simile Beneficium Regulari alterius Ordinis confertur; cùm in priori tàm in genere, quàm in specie, differentia sit inter statum possessoris & statum Beneficii; in posteriori verò, sola sit in specie differentia.

Hinc quoque major videtur Commendæ graria, qua Beneficium residentiam exigens habenti simile in Commendam datur, maximè si secundum Regulare sit.

De duplici Commendarum genere, de quo in exemplis allatis, mentio fit tàm in *Concil.* Trid. quàm in Corpore Juris. Meminit prioris generis *Conc.* Cap. 11. Sess. XIV. *De Ref.* in quo vetat ne Religiosis, in alium Ordinem transeuntibus, Sæcularia dentur Beneficia. Meminit posterioris *Cap.* 10. Ead. Sess. in quo prohibet, ne unius Ordinis Beneficia Regularibus alterius Ordinis conferantur.

Utriusque simul mentionem facit *Cap.* 2. Extravagant. Comm. *De Præb.* in quo Clem. V. revocat gratias quibus Monasteria Pastoribus destituta, sub Commendæ nomine, Regularibus diversorum Ordinum, ut & Sæcularibus, concesserat.

REGULA XIV.

Quemadmodum peccanti ut secum faciliùs dispensetur, Dispensatio deneganda est; ita peccanti ut Commendam faciliùs obtineat, concedenda non est.

Prior Pars est in *Cap.* 5. Sess. XXIV. *De Matrim.* quod intra gradum prohibitum, Matrimonium scienter contrahenti & consummanti, sub spe dispensationis faciliùs obtinendæ, dispensationem concedi vetat.

Posterior desumitur è *Cap.* 11. Sess. XIV. *De Ref.* in quo *Conc.* attendens quod Religiosi qui in mitiorem Religionem transeunt, & præcipuè in Ordinem Canonicorum Regularium, ad id sæpissimè moveantur, ut Beneficia Sæcularia, maximè Curata, faciliùs obtineant,

ntro-

utrorumque illos incapaces declarat, atque ab illis in Commendam habendis excludendos insinuat.

REGULA XV.

Si quis Beneficium in Commendam habens, aliud etiam in Commendam petit, prioris Commendæ meminisse debet; sicut qui post obtentam circa Beneficia Dispensationem, aliam postulat in supplicatione, priorem commemorare debet.

REGULÆ RATIO: Prior gratia à posteriore concedenda avertere potest.

Est alia Ratio quæ ad istum locum facit, nempè quod novum impetrans Beneficium, illorum quæ habet in supplicatione mentionem facere debet.

Alia quoque est, quæ omittenda hìc non est, nimirum variis Juris Textibus prohiberi, duas Ecclesias eidem Commendari, sed præcipuè *Cap.* 15. *De Elect. in* 6. Alii Textus qui eamdem rem prohibent, ii sunt omnes quibus vetatur, ne plura quis habeat Beneficia.

Inter illa quæ circa Commendas perpetuas in Corpore Juris *Concilioque* TRIDENTINO leguntur, cùm nonnulla sint, quæ speciali egent discussione; idcircò post reducta ad Regulam Generalem, quæ ad illam reduci potuerunt, cætera speciatim tractanda sunt. Quod ut clariùs faciliùsque fiat, obscuriora per Quæstiones hinc inde agitatas tractabuntur; alia, si quæ sint, per breves Observationes elucidabuntur.

QUÆSTIO I.

Quæritur 1°. An Beneficium Regulare Clerico Sæculari Commendatum per 40. annos Sæculare fiat?

Ratio dubitandi: Commenda statum Beneficii non magis mutare videtur, quàm depositum rei depositæ naturam mutet, qualiscumque sit cum deponitur.

Præterea, si Beneficium aliquod per quadraginta annos illegitimis conferretur, non ideo fieret tale quod ab illegitimis possideri posset sine Dispensatione.

Ex alia Parte *Cap.* 5. *De Præb. in* 6. & CLEM. I. *De Suppl. negl.* docent, Beneficium Regulare, per Consuetudinem legitimè præscriptam, adeò fieri Sæculare, ut Religiosis conferri nequeat; præterea apud Gallos Beneficia Commendari Clericis consueta, aliis donari non possunt.

Propositæ Quæstioni Respondetur, quantocumque tempore Regulare Beneficium a Clerico tanquam Commendatum possideatur, semper remanere Regulare; eodem planè modo quo Decimæ in Feudum Laïcis concessæ, per quantumvis tempus ab iis tanquam infendatæ possessæ sæculares, non fiunt; cujus ratio est: Possidendi modus possessæ rei statum vel conditionem conservat, & sicut Laïcus in Feudum habens decimas, Ecclesiæ nomine illas possidet, ideoque ad Ecclesiam pertinere perseverant; ita Clericus in Commendam habens Beneficium Regulare, nomine Regularis possidet, & Regulare esse pergit: Commendatarii bona fide possidere non possunt ut sæcularia, quæ in Commendam possident Regularia, cùm quælibet Commenda possessorem moneat se, etsi Sæcularem, ex Gratia Apostolica quod Regulare est Beneficium possidere; unde cùm sine bona fide nulla sit præscriptio, sequitur Commendatarios Beneficii Regularis statum qualitatemque præscribere non posse.

Ad Textuum citatorum explicationem sciendum, à *Concilio* LATER. *sub* ALEXAN. III. *ann.* 1179. Monachis vetitum fuisse, ne soli habitent, *Cap.* 2. *De Statu Monach.* Hinc factum ut sine Rescripto Apostolico permissum non sit Monachis, ut in Prioratibus soli commorentur, utque vel socios ipsis dari, vel si Prioratuum facultates id non ferant, necessariusque ad id proventus aliundè haberi nequeat, per Clericos Sæculares Prioratus istos gubernari præceptum sit, *Cap.* 3. 4. *De Capellis Monach.* quæ ex HONORIO III. desumpta sunt.

Sciendum quoque, in Præcepti HONORIANI executionem concessos fuisse hujusmodi Prioratus Clericis regendos, & de his loqui BONIFAC. VIII. *in Cap.* 5. *De Præb.* & CLEM. V. *in* CLEM. I. *De Suppl. negl. Præl.* Prioratus autem istos Sæculares factos esse, vel ipso HONORII Præcepto, vel facta illorum Clericis collatione per 40. & ampliùs annos, sine ulla Sedis Apostolicæ dispensatione, nec Commendæ mentione, nec non ab Ordinariis Collatoribus, quibus indultum non constat, ut in Commendam conferrent. Dici non potest Indultum illud contineri in Textibus qui præcipiunt ut Prioratus prædicti per Sæculares regantur; nec enim his in Textibus ulla fit de Commenda mentio; fieri autem debuisset, si Prioratus istos in Commendam dari voluisset HONORIUS: Cujus ratio, Quum res aliqua duplici via fieri potest, altera communi, altera speciali, eaque facienda præcipitur, præsumendum præcipientis intentionem esse ut communi via fiat, si altera fieri expresse non jubeat; provisio autem per Commendam est specialis via; provisio per simplicem collationem est via communis; cùm ergo in Textu nostro per Commendam provideri prædictis Prioratibus expresse non jubeatur, consequens est, Textùs intentionem esse, ut per simplicem collationem id fiat.

Quod si apud Gallos Beneficium in Commendam dari consuetum in Regulam dare non licet, id non provenit ex eo quod Sæculare habeatur hujusmodi Beneficium, sed potiùs ex eo quod consuetum Beneficio providendi modum mutari nolint; id autem nolunt propter publicum quod hinc nasci putant commodum. Vid. quæ suprà dicta sunt *sub finem Regul.* 11. nempè consuetudinem dandi in Commendam, impedire ne Clerico Sæculari petenti denegari possit.

De Beneficio Regulari Clerico sæculari in Commendam dato, discurrendum videtur eodem planè modo quo discurreretur de Beneficio Sæculari in Commendam Regulari concesso; undè sicut istud non diceretur Regulare, etsi Regulari dari in Commendam soleret, ità nec illud dici potest Sæculare, etsi in Commendam jam diu dari consueverit.

QUÆSTIO II.

Quæritur secundò, an Abbatia quæ Commendari consuevit, comparari queat cum Beneficio Curato in simplex converso, cum erectione Vicariæ perpetuæ.

Rem ita esse videtur, tùm quia per Commendam dividitur Abbatia, ita ut Jurisdictio & Administratio interior ad Priorem Claustralem pertineat, exterior verò ad Commendatarium spectet; quemadmodum interior Parochiæ Administratio in animarum cura sita ad Vicarium perpetuum pertinet, exterior verò in Bonorum Parochiæ Temporalium cura posita ad Priorem sive Curatum primitivum spectat: tùm quia sicut Curato Primitivo honores præcipui reservantur, necnon omnium fructuum perceptio, detracta Vicarii honesta sustentatione; ita Abbas Commendatarius honoribus præcipuis fruitur; & deductis quæ ad Monachorum victum & vestitum, necnon ad reparationes requiruntur, fructus omnes percipit.

An autem justa sit hujusmodi comparatio, ob varias causas dubitare licet; nam Abbatia in Commendam dari consueta Beneficium simplex haberi non potest, cùm eamdem Jure Communi exigat ætatem ac Beneficia Curata, CLEM. I. *De Statu Monachorum* §. 7. cùm etiam Jurisdictionem habeat annexam,

pop-

propter quam Sacerdotium ad illam requiritur; præterea erectione prædicta fit duplex Beneficium, alterum simplex, alterum Curatum; durante verò Commenda unum dumtaxat est Beneficium.

Propositæ Quæstioni respondetur, comparatas res in omnibus inter se convenire, cùm non oporteat prædictam comparationem quodommodo desendi posse, propter ea quæ inter Abbatiam Commendatam, & Beneficium Curatum in simplex conversum, cum erectione Vicariæ perpetuæ, communia supra uotata sunt.

QUÆSTIO III.

Quæritur III. An collatio in Commendam postulationi admissæ similis sit.

Dubitandi Ratio: Electio supponit omnium eligentium consensum, vel saltem partis illornm duplo majoris, *Cap.* 4. *De Elect.* Collatio verò in Commendam fieri potest nullo requirente, sed solo conserentis motu; ex alia parte, tàm admissio postularionis, quàm collatio in Commendam, gratiosa est Beneficii concessio.

Quæstioni propositæ respondetur, prædicto non obstante discrimine, collationem in Commendam admissioni postulationis non absimilem, cùm per utramque Beneficii provisio fiat, non considerato provisi defectu. Nec obstat in priori casu, ad requisitionem alterius; provisionem istam fieri in posteriori non item; cùm rei de qua agitur id merè accidat, ac etiam plerumque commendetur Beneficium ad alterius preces; imo collatio in Commendam, interdum verè postulationis admissio est; idque quoties incapaci a Principe nominato Papa confert; ut enim facta à Principe idonei nominatio, Electionis locum tenet; ita facta ab eodem incapacis nominatio postulationis vices gerit.

Dicet aliqnis, si facta ad alicujus preces in Commendam collatio, sit velut quædam postulationis admissio, undè fit ut Commendatarius Abbas plena non potiatur autoritate; cùm certum sit postulatum à Superiore concessum illâ potitum fuisse? Cui Quæstioni incidenti respondendum, ex nullo Juris Textu inferri posse Clericum Sæcularem in Abbatem postulatum, & postulantibus concessum; Monasterium interius & exterius rexisse, Professione antea non emissa. Nec obstat *Cap.* 13. *De Elect.* quia in eo sermo fit de Eremita, qui cum aliis vitam communem egerat; sed quamvis id permissum suisset postulato hujusmodi, non ideo permittendum esset Commendatario; quia postulatio rara admodum erat, & in proximam Monasterii utilitatem fiebat; Commenda frequens, & in Commendatarii commodum fit; præterea a Monachis fiebat postulatio, Postulatus ab ipsis expectabatur, postulantibus gratus erat, aptus ipsorum regendo Monasterio ipsis videbatur; Commendatarius invitis datur, plerumque Monachis ignotus, & parùm acceptus, regendoque Monasterio ineptus non immeritò reputatus; idcircò ob hujusmodi differentias, justa fuit Commendatario in Monachos Jurisdictionem interiorem denegandi causa. Adde quod ex *Conc.* TRID. *Cap.* 10. SESS. XIV. *De Reform.* Electus sæcularis ad Beneficium Regulare intra annum Professionem facere tenetur, quodque tempore REBUFFI, quando Rex Sæcularem ad Abbatiam nominabat, Beneficium nominato ad annum tantum commendabatur; intra quem habitum suscipere tenebatur, quo suscepto, in Titulum sibi concedebatur; eo vero non suscepto, alius nominandus erat. REBUF. *in Concord. Tit. De Reg. ad Prælat. nomin.* §. *Monasteriis* verbo *Sæcularem.* Nunc verò nominatus Clericus ad Abbatiam, postulatur ad Administrationem exteriorem tantùm, sine onere faciendæ Professionis.

QUÆSTIO IV.

Quæritur IV. An Commenda genus sit Concessio Beneficii unius Ordinis, vel Monasterii, facta Religioso alterius Ordinis, vel Monasterii?

Hanc circa rem certum est tàm Veteri, quàm Novo Jure vetari, ne Beneficium Regulare unius Ordinis, Religioso alterius conferatur. De Jure Veteri patet ex *Cap.* 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II. De Novo constat ex *Cap.* 10. SESS. XIV. *De Ref.* cujus prohibitionis causa à Concilio affertur, ne fiat quid simile rei per Legem MOISIS prohibitæ, nempè quod vestem lino lanaque contextam quis induat.

Certum etiam eodem Jure Veteri permitti, ut si in eo Ordine vel Monasterio, nemo ad Abbatiam aptus reperiatur, ex alio aliquis assumatur, idque sola Ordinarii autoritate. *Cap.* 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

Certum quoque Jure Novo idem licere eadem Ordinarii autoritate. *Cap* 7. *De Reg.* SESS. XXV. idque usus non infrequentis esse.

Certum etiam nec Veteri, nec Novo Jure discrimen ullum positum, quoad autoritatem, sive ad intra, sive ad extra, inter Abbatem ex alio Monasterio permittente Canone electum, & Abbatem ex eodem assumptum; undè colligere licet, Abbatem hujusmodi tamquam Commendatarium habitum non fuisse.

QUÆSTIO V.

Quæritur V. An Beneficium Patronatum commendari possit?

Ad Quæstionis solutionem supponendum 1o. fundari posse Monasterium ea Lege, ut per Monachum semper regatur. 2o. Idem Monasterium Commendari posse, vel consentiente, vel dissentiente Patrono.

His suppositis respondendum, certum esse dissentiente Patrono Laïco prædictum Monasterium Commendari non posse. *Cap.* 33. 34. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 4. 8. SESS. XXV. *De Ref.* aliisque innumeris Juris Textibus qui exequendas Fundatorum voluntates docent. Propter eosdem Textus, dubitari posset, an Monasterium Lege prædicta fundatum, consentiente Patrono Sæculari Clericis commendari possit; sed cùm Patronus Fundatorem in se repræsentet, certum videtur id fieri posse, iis casibus in quibus probaturum fuisse Fundatorem probabile est.

QUÆSTIO VI.

Quæritur VI. An ex eo quod Prælatorum sibi inferiorum Postulationem admittere posset Episcopus, Cap. 13. *De Elect.* Cap. 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II. *inferre liceat similium Prælaturarum Commendas concedere nunc posse.*

Cui Quæstioni respondendum, illam solvi posse, vel Jure scripto, vel Jure non scripto. Ex 1o. clarè colligi, Commendas hujusmodi Episcopi vires non excedere; cùm ex una parte in eodem rerum genere *qui potest majus, possit minus; plus enim continet quod est minus*; ex alia verò, Postulationis admissio sit quid majus quàm Commendarum concessio; illa enim plus dat quàm ista, plenam tribuens Administrationem, dum ista dimidiam tantùm vindicet. Jure autem non scripto Papæ soli reservari Commendarum concessionem; nedum DD. Ultramontani, sed & Gallicani testantur. LOÜAT *in Reg. De Infir. & De Publ. Resig.* locis suprà citatis.

OBSER-

OBSERVATIONES IN COMMENDAS.

Solutis quæ hinc & indè agitari possunt de Commendis Quæstionibus, circa cætera quæ eo modo tractare non convenit; Observa I°. in veteri Jure nullum Textum legi posse quo hodierna Regularium Beneficiorum Commenda approbetur: è contra in illo plures reperiri quibus improbatur; nam 1°. *Cap.* 26. CAUS. XVIII. QUÆST. II. S. GREGOR. refert suo tempore Monasteria Clericorum, imò & Laïcorum, habitacula facta esse atque Clericos, se religiosè vivere fingentes, appetiisse Monasteriis præfici, & ea per eorum vitam destructa fuisse; atque JOANN. RAVENNAT. Episcopo cui scribit, præcipit, ut quolibet in loco id factum fuerit, emendare festinet idque quia, addit GREG. *Ego non patior loca Sacra per Clericorum ambitum destrui.*

Dici non potest relatum Textum ostendere aliquandiù usu probatum fuisse, ut Clerici Monasteriis præficerentur, nec rem ipsam GREG. damnasse, sed rei abusum: nam Clericos Monasteriis præfectos narrat quidem S. GREG. sed manifestam in eo esse corruptelam docet, atque Commendam hujusmodi Clericorum ambitioni imputans, ideoque hanc esse Monasteriorum ruinæ velut necessariam causam existimans, propter pravum effectum, causam prohibet.

Secundò *idem* GREG. *Cap* 27. *Ead.* CAUS. & QUÆST. Mariniano Episcopo RAVENNAT. prædicti JOAN. Successori scribens, easdem Commendas damnare videtur, cùm significet se Mariniano de eadem re scribere, de qua JOANNI scripserat; addensque istum morte præventum emendare non potuisse, quod emendare ipsi præceperat, MARINIAN. rogat, ut quod Prædecessor non potuit, ipse perficiat. Solâ Textûs lectione res ipsa manifesta erit; in eo legendo ponderanda sunt quæ sequuntur: „Dudum ad nos mul-„torum relatione pervenerat Monasteria in RAVENNÆ „partibus constituta, omninò Clericorum vestrorum „dominio prægravari; ita ut, occasione quasi regi-„minis, ea, quod dici grave est, velut in proprie-„tate possideant„. Quibus patet Clericos de quibus hìc, Monasteriorum Regimen sibi vindicasse, fructusque quasi illorum Dominos usurpasse.

Tertiò Idem GREG. *Cap.* 2. CAUS. XVI. QUÆST. I. easdem Commendas Clericis factas damnare videtur; saltem si Ministerium Ecclesiasticum cum Monastica administratione retinere voluerint; ait enim, „Nemo „potest obsequiis Ecclesiasticis deservire, & in Mo-„nachica Regula ordinatè persistere: ut ipse Monas-„terii districtionem teneat, qui quotidiè in Ministe-„rio Ecclesiastico cogitur permanere„.

Dici non potest GREGORII sensum esse, unum eumdemque Clericum & Monachum simul esse non posse; nam quamvis id ita esset, semper verum foret illum judicasse, incompatibile à fortiori esse Ministerium Ecclesiasticum cum Monastica administratione; non enim sentire potuit Monasterii Administratorem ad ea quæ Monachi sunt minùs teneri, quàm simplicem Monachum.

Nec etiam dici potest GREGOR. improbare tantùm Administrationes Monasticas Clericis dari in Titulum, cùm insinuet illum qui Monachi Præbendam, ut ita dicamus, percipit, quæ Officii Monachorum sunt præstare debere, ideòque illam percipere non debere, qui ista implere nequit.

Observat. IV. Apud GREGOR. IX. Commendæ hodiernæ videntur damnatæ, cùm *Cap.* 27. *De Elect.* INNOC. III. præcipiat, ut electio irritetur, qua in Ecclesia Canonicorum Regularium, Presbyter non professus electus fuerat, etsi plures Priores per multa & longa tempora non professi electi fuissent, mandetque ut iste Presbyter, aliique Clerici non professi, Regulam S. AUGUSTINI profiteantur, vel Ecclesiam dimittant. Sed dici posset illum usum ab INNOC. III. damnari, quia Beneficia Regularia Clericis Sæcularibus dabantur in Titulum, non in Commendam, sola Canonicorum autoritate falsò existimantium ab Statuto quo secundùm B. AUGUSTINI Regulam Electionem facere tenebantur, dispensandi facultatem habere. Observa quoque apud eumdem GREGOR. nullo Textu expressè probari prædictas Commendas Beneficiorum Regularium Clericis factas, sed plura legi *Cap.* 6. *De Statu Monach.* quæ illis faveant; inter illa autem recensenda quæ Monachis peculium habere vetant. *Cap.* 6. *citato in fine.* quæ docent etiam Summum Pontificem cum illis dispensare non posse ut proprium habeant; quæ ad vitam dari obedientias prohibent; quæ falsitatis suspecta dicunt Rescripta quibus Administrationis ad vitam possidendæ Monachis datæ confirmantur; quæ Prioratus Regulares, qui Monachos solos habitare cogerent, per Clericos regi præcipiunt; quæ à Canone dispensandum docent, quando evidens Ecclesiæ utilitas id exposcit; quæ per Clericos Sæculares administranda Monasteria dicunt, quæ per Regulares benè ordinari nequeunt: *Cap.* 6. *De Statu Monach.* Cap. 5. *De Confir. util. &c.* Cap. 3. 4. *De Capel. Monach.* Cap. 20. *De Elect.* aliaque multa citata dum de causis Dispensationum. *Cap.* 5. *De Relig. Domib.* hinc enim evidenter sequitur, aut Beneficia Regularia abroganda, aut Clericis justè Commendari, cum à Regularibus regi tot modis prohibeantur.

Non omittendum hìc obiter observare peculii habendi licentiam inter Monachos introductam fuisse, ex injunctis Administrationibus, propter quas habere peculium illos oportebat; hinc Beneficia orta esse, sicut etiam ex eo quod nonnulla illorum Officia perpetua facta sunt, inter quæ prima fuere Priorum Conventualium Officia, quæ per Electionem Capitulorum Canonicè acquisita fuerant.

Observat. V. Apud BONIFACIUM VIII. nec probantur, nec damnantur expressè hodiernæ Regularium Beneficiorum Commendæ, nec dici potest in *Cap.* 5. *De Præb.* probari, dum de Beneficiis sola præscriptione Sæcularibus loquens, adeò legitima habet, ut illa Mandatis Apostolicis subesse doceat; nam certum est, eo in Textu BONIF. non loqui de Beneficiis Commendatis, sed de Beneficiis per longissimum tempus ut Sæcularibus possessis; cùm aliàs illorum Status præscribi non potuisset. Quoad illam autem præscriptionem, non prætermittendum, non requiri ut durante temporis spatio ad illam necessario plures Rectores successivè possederint; sed sufficere, ut ab uno toto illo tempore continuè & pacificè possessum sit; quod eò magis notatu dignum est, quod ad Jus Patronatûs præscribendum, plures præsentationes effectum sortitæ requirantur, etsi quadraginta annorum pacifica & continua adsit possessio, idemque de Jure eligendi sit. Dictum est expressè, quia apud eumdem BONIFAC. perpetua Beneficiorum Regularium animarum curam habentium, qualia Abbatiæ, Prioratus Conventuales, Commenda quodammodo damnari videtur, dum Parochiales Ecclesias ultra semestre tempus Commendari prohibetur *Cap.* 15. *De Elect. in 6.*

Observat. VI. Certum est in CLEMENTINIS, CLEMENTEM V. prohibuisse, ne imposterùm Commendarentur Beneficia Regularia, idque ostendere hæc §. 7. CLEM. I. *De Statu Monach.* verba: „Sanè Prio-„ratus aliquis, sivè Administrario committi, vel con-„ferri alicui non possit, nisi expressè professus fuerit „Ordinem Monachalem„.

Sunt qui ex prima hujus §. parte inferant CLEM. V. Commendas quasdam probasse, nempè jam factas, suamque in his verbis opinionem fundent, „Qui „Prioratus Conventuales habuerit, intra annum com-„putandum à tempore Collationis, seu Commissionis „sibi factæ de his &c.„, existimant siquidem Commissionem idem ibi significare ac Commendam.

Verùm hæc sententia probabilis non videtur, tùm quia Collatio & Commissio non sunt ibi Synonyma, significantque demandationem, vel ad tempus, vel ad vitam,

vitam; collario ad vitam, commissio ad tempus; tùm quia si committi, sumeretur pro commendari, sequeretur quod dum infra dicitur Regulari professo committendos esse Prioratus, sensus esset illi commendandos esse, quod absurdum apparet; tùm demum quia nullum in hoc Paragrapho legitur verbum, quo denotetur in eo distingui duplex Commendarum genus, alterum quod probetur, vel toleretur, alterum quod prohibeatur; quin imò ex eodem contrarium colligitur, cùm totus Paragraphus futurum respiciat; prima enim pars agit de ætate requisita ad acquirendum Prioratum Regularem, secunda de tempore intra quod suscipiendum est Sacerdotium post Prioratûs acquisitionem; tertia de non conferendo Prioratu, nisi Regulari professo; quarta de residentia in Prioratu facienda.

Observat. VII. In Extravag. Commun. Lib. III. *Tit.* 2. *Cap.* 2. perpetuæ Commendæ quæcumque, tàm Monasteriorum, quàm Ecclesiarum Parochialium & Episcopalium, reprobantur, idque propter ea quæ exindè nascuntur dispendia, quæque sunt hæc: Ecclesiarum & Monasteriorum cura negligitur, res & jura dissipantur, ipsorum subjectis personis & populis plurimùm temporaliter & spiritualiter derogatur, eisque redundant ad noxam quæ dicebantur cedere ad profectum.

Caput autem istud desumptum ex Clem. V. *ann.* 1306. quod relatum est; cujus Constitutionis occasio fuit gravissimus morbus quo Pontifici aperti sunt oculi, & ante ipsos nuda & evidentia facta sunt prædicta mala, sicut ipse in eadem Constitutione refert.

Observat. VIII. *Concil.* Trid. novas tantùm Regularium Beneficiorum Commendas fieri vetuit, ut patet ex *Cap.* 10. Sess. XIV. *De Reform.* cujus hæc sunt verba: „ Regularia Beneficia in Titulum Regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum „ aut Resignationem, vel aliàs, illa in Titulum obtinentis vacare contigerit; Religiosis tantùm illius „ Ordinis, vel iis qui habitum omninò suscipere, „ & Professionem emittere teneantur, & non aliis „ conferantur „.

Nec obstat à Concilio afferri rationem, quæ ad Commendas factas extenditur sicut ad faciendas, nempè Sæcularibus non esse commendanda Beneficia Regularia, ne sint qui vestem lino lanaque contextam induant, habentes scilicet vitam Sæcularem & Regulares proventus. Etsi enim Veteribus Commendis prædicta ratio conveniat, tanta tamen non est quæ movere debuerit, ut usitatas jam diu Commendas Concilium abrogaret, illas præsertim exigente Ecclesiæ utilitate.

Observat. IX. In eodem Concilio plura sunt Decreta, quibus aliquod Commendæ genus probare videtur; nam in *Cap.* 4. Sess. VII. *De Reform.* præcipit Concilium, ut qui plura Beneficia incompatibilia habuerit etiam per viam Commendæ perpetuæ, ac illa simul retinere præsumpserit, illis sit ipso jure privatus; undè patet Concilium permittere, ut Beneficium unum per Commendam perpetuam habeatur. In *Cap.* 8. Sess. XXI. *De Refor.* idem Concilium jubet, ut Monasteria Commendata, in quibus Regularis Observantia non viget, singulis annis ab Episcopo visitentur; vel ut Ordinario, si subsint sibi; vel ut Delegato Apostolicæ Sedis, si exempta sint; illa verò in quibus viget Regularis Observantia, ut à Prælatis Regularibus visitentur, providet, quo Decreto constat Concilium consentire, ut quædam Monasteria Commendata remaneant.

In *Cap.* 21. Sess. XXV. *De Reform.* insinuat Abbatias, quæ proprios Conventus non habent, commendari posse, dum reprobat tantùm Abbatiarum, quæ proprios Conventus habent, & illarum quæ sunt Capita Ordinum, Commendationes.

Observat. X. Triplici via Clerici Sæculares Beneficia Regularia regere possunt. 1a. Si Sæcularia fiant, qualia fieri debent, quoties Monasterium reformatione eget, & Regulares non inveniuntur, qui illud, ut par est, reformare queant. *Cap.* 5. *De Relig. Domib.* 2a. Si Prioratus in quibus plures non possunt simul habitare Monachi ob facultatum penuriam, aliis similibus, aliisve locis vicinis ad idem Monasterium pertinentibus, uniantur, uniti per Clericos Sæculares deserviri possunt; Clem. I. *De Statu Monach.* §. 6. Idem dicendum de similibus Prioratibus qui prædicto modo uniri non possunt, quorumque facultates nec alio modo augeri queunt, *Cap.* 4. *De Capel. Monach.* 3a. Per Commendam Beneficia Regularia à Clericis Sæcularibus regi possunt; Loca ex *Concil.* Trid. suprà citata id evincunt.

Ex dictis circa primam & secundam viam quibus à Clericis Sæcularibus Beneficia Regularia gubernari possunt, patet sine magna necessitate Beneficia ista nec Sæcularia facienda, nec per Clericos revocabiles regenda: quod enim dictum est illa per Clericos deservienda, de irrevocabilibus intelligendum videtur.

Hinc concludendum, Beneficia hujusmodi sine simili necessitate perpetuò commendari non debere: an autem talis adsit necessitas, non nostrum est, sed præcipuorum Ecclesiæ Rectorum judicare. Id unum nobis dicere licet, plerosque Regulares proventus, quibus per Commendam Clerici fruuntur, è Clero manasse; ita ut eo modo reversi videantur undè exiverant; nam præter Ecclesias Parochiales, vel Cathedrales Regulares factas, de quibus *Cap.* 73. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 5. *De Ecclesia Ædif.* præter portiones Ecclesiarum Cathedralium ad construenda Monasteria ab Episcopis donatas, de quibus *Cap.* 74. Caus. XII. Quæst. II. præter Decimas Ecclesiis à Laïcis ablatas, & Monachis ab iisdem concessas *Cap.* 4. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 39. Caus. XVI. Quæst. VII. præter Altaria sive Capellanias eo modo à Monachis acquisitas, *Cap.* 4. *mox cit.* præter facultatem percipiendi Decimas, vel non solvendi Privilegium, de quibus passim in *Tit. De Decimis*; præter concessa Monachis alia Parochorum jura, quale inter alia sepeliendi jus, de quo *Tit. De Sepult.* non desunt alii modi quibus Clericorum bona Monachi sibi compararunt.

Casus ad Absolutionem spectans.

Quæritur an absolvendus sit, qui vitam Monasticam amplecti decrevit, si promissa sibi Prælaturæ Regularis Resignatio fiat?

Hinc orta subsequens Consultatio circà Clerici Sæcularis ad Beneficia Regularia promotionem non infrequentem.

Quæstionis Discussio.

Quæritur an in foro poli, seu conscientiæ, Clerico Sæculari Statutum Regularem amplecti liceat, ut resignatum sibi Beneficium retinere possit? uno verbo, an provisiones pro cupiente profiteri, in prædicto foro, Canonicæ sint, vel esse soleant.

Ad forum interius restringitur Quæstio, quia de alio nullum dubium esse demonstrat usus, nemine reclamante jamdiu vigens.

Restricta eo modo Quæstio, vel Beneficia simplicia, vel Prælaturas respicit: istæ autem ab illis maximè differunt. Circa Prælaturas enim non spernendæ rationes sunt, quæ circa Beneficia simplicia suum non habent locum. Hinc dividenda Quæstio in duas Partes, ac utraque seorsim discurienda; sed priùs considerandum in genere, an Religiosa Professio, quæ ad oblatum Beneficium Regulare possidendum emittitur, Canonica censenda sit.

Non dissimulandum illicitam videri Professionem hujusmodi, idque ex eo præcipuè quod Regulare Beneficium, juxta usum præsentem spectatum, paupertatis ac obedientiæ Voto adversari omninò videatur; quid enim ex hodierno usu aliud est Beneficium Regulare, quàm perpetua bonorum Regularium Administratio, ab omni reddendæ rationis onere libera? Hujusmodi autem Administratio, nonne in Regulari proprietatis vitium inducit? Votum autem paupertatis quid aliud, quàm abdicatio proprietatis? illud commode definire nonne videtur INNOC. III. cùm ait, proprietatis abdicationem Regulæ Monachali inseparabiliter annecti; quid enim per illam abdicationem intelligere potest, quàm paupertatis Votum, sicut per custodiam castitatis, quam eidem Regulæ annexam dicit, castitatis Votum intelligit. Eadem quoque Administratio, prout revocari nequit, independentem à Prælato suo, in re maximi momenti, Regularem quodammodo efficit; independentia autem status, obedientiæ, ut & subjectionis statui, valdè contrarius est.

Eas etiam ob causas, idem INNOC. III. Episcopo & Præposito UTICENS. scribens *Cap. 5. De Confir. utili &c.* ait, Sedem Apostolicam non consuevisse personis Regularibus Administrationes ad vitam confirmare; ideoque Literas, quæ à Canonicis *Nemausensibus*, qui Regulares erant, impetratæ fuerant, quibusque Administrationes perpetuò possidendæ concedebantur, irritas & inanes denunciandas esse, idque vel quia supposititiæ, vel quia subreptitiæ.

Eisdem de Causis idem INNOCENT. *Capit. sequenti* Abbati TIMOL. vel TINOT. scribens, præcipit, ut tanquam falsarios puniat Religiosos, qui Literas ipsis, ut Regularibus Administrationes ad vitam concedentes, exhibebant, idque quia tales Literas è Cancellaria sua emanasse non credit.

Ob priorem rationem, Canonicus Regularis, qui proprium, quod contra Regulam, dum sanus esset, habuit, in morte celans retinet, Sepultura Christiana nedum privandus est, sed etiam ab Ecclesia abjiciendus. Hæc docet CLEM. III. *Cap. 4. De Statu Monach. in parte decisa*, insinuans suam se Doctrinam fundare in Regula B. AUGUST. & in *Conc.* LATAR. sub ALEXAD. III. celebrato: idem docere Concilium hoc ex *Cap. 1. Eod. Tit.* patet.

Cùm paupertatis & obedientiæ Voto eo modo adversentur Beneficia Regularia, juxta hodiernum usum considerata, consequi videtur Professionem Regularem emittere nemini licere eo animo, ut Beneficia hujusmodi possideat; qui enim hæc faceret secum ipse dissideret, eadem vellet, & nollet: spectato Voto, paupertatem & obedientiam vellet; considerato Voti fine, paupertatem & obedientiam nollet.

Illicita quoque aliundè apparet Professio hujusmodi; etenim, num perversum, num præposterum, num Judaicum quid est, spiritualem rem temporali referre? Quid autem aliud facit, qui Monachus fit, ut Regulare Beneficium possideat?

Nec dici potest, illum qui Professionem Regularem emittit, ut Beneficium Regulare possideat, duplicem habere finem; alium præcipuum & primò intentum, nempè suam Deo consecrationem; alium huic subordinatum, nempè Beneficium quo de Deo solo cogitans sustentetur; nec congruè idem comparetur cum viro Christiano, qui Matrimonium meditans doti, sicut & uxori, attendit, sed non eodem modò; uxorem præcipuè spectans, dotem verò ut medium quo nata ex inito cum illa uxore vinculo onera supportentur.

Qui hæc similiave sibi suaderet, ingenio præstaret, ut se ipsum deciperet: Deo sese verè & seriò consecrare volens Regularis vitæ Professione, loca in quibus non regulariter vivitur ad id non eligeret; in Monasteriis autem quorum Monachi Beneficia, prout nunc moris est, possident, Regularis vita non servatur, nec servari potest, cum præter proprietatem & independentiam nulla sit communis vita, nec ulla de Deo solo cogitandi libertas: qui finem verè vult, medium quod ad illud ducat eligit; exempli causa, si quis ducere uxorem volens, ut incontinentiam vitaret, mulierem quam meritò prævideret futuram sibi incontinentiæ causam eligeret, posset-ne dici hoc vitium vitare verè velle?

Quæ ex cupidate tua nasci videtur ad vitam Regiosam vocatio, suspecta tibi esse debet quantumcumque bonum finem te habere credas. Fatemur virum Christianum, etsi doti, ut & uxori, attendat, uxorem præcipuè intendere; sed fatendum etiam eumdem ex uxoris quæ sese offert qualitate, ad Matrimonii statum amplectendum non determinari, cùm non consideret, an sibi uxor illa conveniat, nisi quia ad uxorem ducendam jam determinatus; sed qui data Beneficii Regularis occasione, vitam Regularem amplectitur, ab illo quod sese offert Beneficio ad illam determinatur.

Nec etiam dici potest, allatas supra rationes ostendere, illicita esse Beneficia Regularia, prout nunc sunt considerata, ac consequenter cùm nimium probent, nihil probare. Non enim aliud monstrant, nisi Beneficia istiusmodi aliàs illicita habita esse, quod verum est; sed hinc concludere non est illicita etiam nunc esse, cum necessitas justaque alia causa cogere possit Ecclesiam, ut quæ vetuit permittat, quæ damnavit probet; non enim hic agitur de re semper mala, sed è contra de re quæ pro circumstantiarum diversitate esse potest & bona & mala. Non dissimulandum ex principiis supra adductis sequi, prædicta Beneficia possessa cum vitio proprietatis & independentiæ tolerari potiùs quàm probari.

Præterea qui verè vocatus ad Monasticam vitam, etiam inter eos quibus Beneficia possidere licet, illam amplectitur, in facienda Professione Beneficia non intendit, nec ad illa hanc refert, ideoque illi non inest perversitas, nec contradictio, quæ inesse visa est Professioni, Beneficii occasione factæ.

Nec etiam dici potest, factam Beneficii Regularis Clerico Sæculari resignationem vel collationem, signum esse à Deo vocari illum ad Regularem vitam. Nam primò, si cui resignatur, vel confertur, resignantis, vel conferentis propinquus sit, resignationem vel collationem hujusmodi non Divinæ, sed carnalis potiùs vocationis signum est, aut saltem valdè periculosum est ne ex carne procedat. Secundò Regularis Sæculari præferendus est cæteris paribus; si secus fiat, justa subesse debet, vel necessitatis, vel utilitatis causa, quæ si subsit, modò Sæcularis Clericus alias præ cæteris dignior sit, fatendum Resignatarium, vel Collatarium istius generis non immeritò judicare posse à Deo sese vocari ad Statum Regularem; sed valdè timendum est ne resignanti, vel conferenti is dignior videatur, qui magis propinquus.

His qua potuimus cura consideratis, ad primam Quæstionis propositæ partem accedimus, circa quam cum quæ hactenus dicta sunt, illam decidant, hoc unum dicere superest; nempé, Clericum Sæcularem, ad Beneficia Regularia, quantumvis simplicia, postulari tantùm posse; cùm dispensatione duplici egeat; altera, quia Regularis non est; altera, quia cùm Regularis non sit, ejus Ordinis esse non potest cujus sunt Beneficia prædicta. Postulari autem cum sine justa causa nemo debeat, ea verò si subsit, & possit & debeat, hinc fit ut Clerico Sæculari Beneficia Regularia resignare quandoque liceat, quandoque non liceat; liceat, si justa subsit causa; secùs, si non subsit. Inter illas autem causas sunt propter quas nedum Clericis Sæcularibus Beneficia Regularia conferre licet, sed etiam ipsis solis conferenda sunt, quin ad Regularis vitæ Professionem adstringantur: hujus generis

neris causa occurrit, quoties Beneficia talia sunt ut qui illa haberent Regulares, soli habitare cogerentur; nec spes est ut progressu temporis eo in loco ad plures Monachos sustentandos facultatum satis habeatur; deficiente enim hac spe Beneficia hujusmodi in Sæcularia convertenda sunt. Extant aliæ causæ propter quas saltem conferre licet Beneficia Regularia Clerico Sæculari, sine ulla vitam Regularem amplectendi occasione; uimitum si Clericus pauper Regularis Præbendæ subsidio adjutus, Ecclesiæ multùm profuturus prævideatur, ac etiam in Monasterio subsidium hoc conferente aliàs Monachorum satis sit, ut Observantia Regularis servari possit.

Sunt demum causæ, quæ Clericum Sæcularem justè movere possunt, ut resignata vel collata sibi Præbenda Monachali, vitam profiteatur Regularem, Præbendam hanc possessurus. Inter illas hæc fingi potest, nempè quod ad illam vitam aliàs idoneus, Monasterio in quo prædicta vacat Præbenda, adeo necessarius sit, ut si illam non accipiat Præbendam, Observantia Regularis servari nequeat, vel nonnisi minùs benè, quàm fieri debeat.

Nec dici potest hoc in casu, in auxilium Regularium Sæculares Clericos vocari posse, quin ad habitûs & vitæ mutationem obligentur; hoc enim Innoc. III. à Lege Divina vetitum dicit *Cap.* 27. *De Elect.* in quo consultus an in Collegii Regularis Priorem Sæcularis eligi possit, quando per multa & longa tempora multi fuerunt continuè Priores Sæculares; respondet id non licere, quia secundùm Legem Divinam non est arandum in bove & asino, nec quisquam debet vestem induere lana linoque contextam; atque ne responsio ad Priores restringeretur, idcirco posteà præcipit, ut quicumque Clerici Sæculares qui cum Regularibus Officia Divina celebrabant, aut Regulam profiteantur & servent; aut ipsam Ecclesiam omnino dimittant.

Nec etiam dici potest eodem in casu vocandos esse alios Regulares, quia Regulares cùm sint, magis convenit ad illa Beneficia assumi, ideòque nullam subesse necessitatem, ut Clerici vitam profiteantur Regularem illa Beneficia possessuri; non, inquam, id dici potest; cùm supra insinuatum sit, cæteris paribus Clericis Regulares alterius Ordinis præferendos; unde sequitur hic supponi qui prædicta Beneficia dignè possidere possint Regulares non reperiri.

De Prælaturis Regularibus nunc dicendum. Circa illas autem quæ discutienda sunt, ad unum & alterum reducuntur, nempè an ad illas Clerici Sæculares postulari possint, & an postulati ut illas possideant vitæ Regulari alligare se se possint. Sed priùs supponendum tanquam rem certissimam, Clericum Sæcularem, aliumve non Professum, in Abbatem eligi non posse, & si qua electio hujusmodi facta fuerit, irritam esse; utrumque autem expressè docere *Cap.* 27. 37. 38. 49. *De Elect.* imo longissima consuetudine effici non posse, ut electio ejus generis liceat & valeat *Cap.* 27. *cit.* Nec dici potest causam propter quam Clericus in Abbatem eligi nequeat, ex Regulæ Monachalis ignorantia peti, neque aliam afferri *Cap.* 38. *de Elect.* Clericos autem in tali Regula instructos repetiri posse, ideoque cùm in illis cesset Legis ratio, cessare etiam debere erga illos Legem; nam allata ibi causa non unica Legis ratio est; præterea scientia Regulæ quæ in Abbate requiritur, est scientia practica, talis autem in Clericis esse nequit. Hoc supposito venimus ad primum quod discutiendum; est nempè, an Clerici postulari possint ad Prælaturas Regulares: hoc autem decidere videtur *Cap.* 13. *De Elect.* in quo Celesti. III. approbat postulationem Eremitæ nullam Regulam professi, in Abbatem Monasterii de Pellicea, in Episcopatu Cænomanensi siti; hinc enim sequitur, non Professum postulari posse. Hunc etiam juxta sensum sic summatum est: *Non professus postulari potest in Abbatem, si ex aliqua bona causa fiat talis postulatio.* Sed ut pateat ex quibus causis facienda sit hæc postulatio. Notandum, factam spontè ac ex intimo affectu ab ipsis Monachis postulationem, Monachos autem ad id motos tùm necessitate, tùm utilitate Monasterii; *necessitate*, in dissolutionem lapsum erat, nec inter illos quisquam erat qui reformare posset, vel si quis erat in illum convenire non poterant; *utilitate*, postulatus ad illam reformationem aptus maximè videbatur, tùm propter laudabilem conversationem, tum propter bonam famam, quæ autem Monachos ad postulandum moverunt, ad admittendam probandamque postulationem impulerunt quoque. An verò res se se ita habeat ut notatum, judicabit qui leget citatum Caput, prout in 2. *Compil. E. T.* legitur. Hujus autem hæc sunt verba: ,, Cùm Monasterium de Pellicea in tuo
,, situm Episcopatu, ad eam dissolutionem devenerit,
,, sicut tuarum Litterarum insinuatio patefacit, quod
,, Fratres ejusdem domûs Observantiam Religionis,
,, & Ordinem abjecerant, & bonis ejus dilapidatis,
,, & consumptis, ad eligendum sibi Abbatem de
,, ipsius Ecclesiæ gremio non potuerunt hactenus
,, convenire; ad tuæ tamen admonitionis, & ex-
,, hortationis instantiam, in unum convenientes, in
,, quemdam, qui cum Fratribus suis in Eremo est
,, laudabiliter conversatus, boni testimonii virum
,, unanimiter consenserunt, & eum in Abbatem
,, totis desideriis postulantes, ejus subjici discipli-
,, nis & habitui postulabant; tu verò postulationi
,, eorum, de prudentum & discretorum virorum
,, consilio præbuisti assensum, & humiliter supplica-
,, sti eamdem Ordinationem à Sede Apostolica
,, confirmari; nos autem petitioni tuæ favorem
,, nostrum, & assensum laudabiliter impertientes,
,, Ordinationem ipsam, sicut Canonicè facta est, con-
,, firmamus. ,,

Ex eo quod postulatus Eremita habitum peculiarem habebat, cui postulantes se se subjicere volebant, inferre non licet, statum Regularem professum fuisse, cum Eremitæ passim habitum Regulari similem induant, nec ideò tamen ullam profiteantur Regulam; non ineptè tamen inferre fas esset ex eo quod ejus disciplinis subjici postulabant Monachi de Pellicea. Hinc si vera sit hæc consequentia, Eremita prædictus dici non debet non professus absolutè, sed non professus Religionis cujus Abbas postulatus est; ab Episcopo cujus erat electionem confirmare postulatio admittitur; sed ut firmior foret quæ per admissam postulationem Ordinatio fiebat, Summi Pontificis confirmatio impetratur.

Tanta est vitæ Eremiticæ, quando plures simul vivunt & communibus exercitationibus ligantur, etsi nulla emittant vota, cum vita Regulari conformitas, ut convenientiùs hujusmodi Eremita in Abbatem postuletur, quàm Clericus Sæcularis; Episcopus Cænomanensis considerans non Professi postulationem in Abbatem tanquam rem maximi momenti, eidem non consentit nisi de prudentum & discretorum virorum consilio.

Etsi prædictum Eremitam non legamus Religionem professum, cujus Abbas postulatus est; hinc colligere non licet hujus religionis Professionem non fecisse.

An verò in Abbatem postulatus Clericus, ut Abbas Regularis sit, Professionem emittere possit, major difficultas; hæc autem nascitur ex duplici Juris Textu, nempè *Cap.* 37. *&* 38. *De Elect.* In priore Innoc. III. *Bisuntino* Archiepiscopo & Suffraganeis scribens, supponit tanquam rem indubitatam, ne-

minem fieri posse Monachum cum spe vel promissione quod Abbas fiet; hinc enim concludit non Monachi in Abbatem electionem irritam esse, etsi postea Monachus factus sit. In posteriore idem INNOC. Legato suo apud Siculos scribens, confirmatam ab illo electionem cujusdam ad vitam Monachicam inducti, eo animo ut post professionem statim in Abbatem promoveretur, irritam decernit; cujus Decreti hanc affert causam, ex promotione Professionem proximè subsequenti colligi posse, cum spe Abbatiæ Professionem factam. Fuit hoc autem in ultimo casu maximè notandum, quod Electores testarentur Electum nescivisse se ipsum induci ad vitam Regularem, ut Abbas postea fieret; Patrem quoque cujus ope ad id inductus fuerat idem ignorasse. Hoc etiam valde notandum, Electores in illum ex necessitate oculos direxisse, videntes scilicet sui Ordinis idoneam invenire non posse personam, illum vero talem esse, ex nobilitate sua, aliisque dotibus, per quem poterant melius defensari, undè colligere fas est INNOCENTIUM electionem non irritasse, nisi ob mali speciem quæ illi inerat.

Ad hæc *Conc.* TOLOS *ann.* 1056. *Cap.* 5. declarat Abbatiâ indignum, Clericum qui eo animo Professionem emittit, ut Abbatia potiatur, præcipitque excommunicari, si ambita Abbatia gaudere voluerit; hæc enim habet: *Statuit item Sancta Synodus, ut si quis Clericorum adipiscendæ Abbatiæ causâ Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem permaneat Monachus, sed ad ipsum honorem ad quem aspirabat, nullatenus accedat; quod si præsumpserit, excommunicetur. Cap.* 5. 1056. CONC. TOM. IX. *p.* 1085.

Quod autem ex his Textibus sequi videatur non Professum in Abbatem postulatum Monachum fieri non posse, sic ostendi potest. Qui cum spe vel promissione Prælaturæ Monachus fit, illa indignus efficitur; à fortiori ergo qui cum certitudine Abbatiæ possidendæ profitetur; postulatus verò in Abbatem, postulatione admissa, certus est de futura Abbatiæ possessione.

Adde quod postulatus in Abbatem, si Religionem profiteatur ut revera Abbas Regularis sit, varia hinc exurgunt incommoda, nempe Magistrum vel Ducem quem fieri antequam discipulus vel miles fuerit, imperare antequam obedierit. *Cap.* 38. 49. *De Elect.*

Nihilominus contrarium tenendum est; ad hanc sententiam trahunt validissimæ rationes.

I. Maxima sunt inter electionem & postulationem discrimina. Electionis via est justitiæ via; Postulationis vero via, est Dispensationis via; multa autem per justitiæ viam fieri nequeunt, quæ per gratiæ viam fieri possunt. Longè major est postulationem admittentis, quàm Electorum potestas. Ad Postulationem requiruntur urgens necessitas, evidens utilitas, quales ad electionem non requiruntur; hinc ratione postulationis concedi potest, quod ratione electionis concedi non potest.

II. Non Professus in Abbatem frustrà postularetur, ejusque postulatio admitteretur, si Monachus fieri sibi non liceret; quo enim modo hujusmodi postulationis fructu potiri potest non Monachus?

Tali Postulato quoad disciplinam interiorem, vel suberit Monasterium, vel non. Si secundum, jam dimidium rei postulatæ tantùm habebunt postulantes; non enim qui postulant quem in Abbatem, ad disciplinam exteriorem restrictam volunt ejus potestatem: si primum, non Monachus quoad Monachicam vitam Monachos reget.

III. Ne in bove & asino aretur, vel lana linoque contexta induatur vestis; prohibetur ne Clericus Sæcularis, tanquam Prior, Regulares regat; cùm ergo Clericus in Abbatem postulatur & postulatio admittitur, ut Monachus fiat haud dubiè ipsi permittitur.

IV. *Concilium* TRIDENTINUM *Cap.* 10. SESS. XIV. *De Ref.* Postulato in Abbatem, nedum fieri Monachum permittit, sed etiam præcipit: hæc enim habet: „Beneficia Regularia in titulum Re„gularibus Professis provideri consueta Religiosis tan„tùm illius Ordinis, vel iis qui habitum suscipere, „& Professionem emittere teneantur, & non aliis, „conferantur„.

Dici non potest prædictum Decretum in foro interiori locum non habere, sed dumtaxat factum ne concessa Clericis Beneficia Regularia impetrari valeant. Etsi enim esse possint Leges Ecclesiasticæ quæ forum exterius tantùm respiciant, illius generis esse nequit dictum Decretum, cùm si justa sit causa, justa quoque sit Clerici in Abbatem postulatio; si autem justa postulatio valere debet in utroque foro. Attamen omninò rejicienda non est circa illud Decretum fori exterioris à foro interiori distinctio, cum in illo causæ justæ defectus collationem non irritet, similis verò defectus in foro interiori collationem ita irritet, ut cui inest Beneficium habere non liceat.

Ex Postulationis ergo causa pendet quæstio, an postulato in Abbatem Clerico Monachari liceat, ut Abbatia fruatur.

Si enim, *Verbi gratia*, Regulares ejusdem Ordinis, vel alterius, vel digniores vel æquè digni, vel aliàs idonei reperiantur; postulato Clerico, cui de hoc constat, vitam Regularem amplecti non licet, ut postulationis fructu potiatur, cum injustè se postulati meritò existimare possit & debeat; secùs verò, si pro locorum & temporum circumstantiis, alius, qualis requiritur, Abbas vel Prior haberi nequeat, præter Clericum Sæcularem; is cùm evidens habeat in hoc vocationis signum, sine scrupulo profiteri potest, ut Abbatia vel Prioratu fruatur.

Quod de Postulatione dictum est, de Resignatione quoque dictum intelligi debet, cùm Beneficii Regularis in Clerici favorem facta Resignatio aliud nihil sit quàm Postulatio.

Non obstant opposita incommoda, cùm probato postulationis casu, haberi nequeat Magister qui fuerit discipulus, Dux qui militis munus obierit, nec præfici qui subesse noverit ipso obedientiæ Regularis experimento.

Ex dictis colligitur, absolvendum esse Clericum qui faciendam sibi Resignationem Prælaturæ Regularis acceptare in animo habet; dummodo ex viri, probi, ac prudentis, & nullo modo suspecti, judicio pateat aliis præferri etiam Regularibus, ex urgenti Monasterii necessitate, vel ex evidenti illius utilitate.

SECTIO III.

An Abbates peregrini possint gerere Mitram & Baculum in Ecclesia Immuni sine permissione Ordinarii & jussu.

Certò constat Abbates non posse his ornamentis uti, nisi in sua Ecclesiâ, si suum ipsis Privilegium præscribat usum in propriâ Ecclesiâ; agitur de Privilegio quod debet strictiùs explicari, quia est odiosum in eo quod transmittat Prælatis inferioribus honores qui Jure communi debentur solis Episcopis, & omne quod est invisum debet restringi, *odia restringi convenit.* Certum adhuc est non convenire ut isti Abbates baculum ferant extra suam Ecclesiam, quia est indicium Jurisdictionis; undè in benedictione Abbatum, iidem monentur hoc ornamentum ipsis esse concessum, ut intelligant debere illos vigilare vitiorum correctioni: Antiqui & Novi Pontificales fidem hujus rei faciunt; ille enim qui est CLEMENTIS VIII. & URBANI VIII. his se se verbis

verbis explicat. *Accipe baculum Pastoralis officii, quem præferas catervæ tibi commissæ, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens*; & antiquus Ordo Romanus sic loquitur, *Accipe baculum Pastoralis Officii, potestatem ligandi atque solvendi, ut sis in corrigendis vitiis perseverans.* Hæc verba, *potestatem ligandi atque solvendi*, dubitare non permittunt, quin baculum sit signum potestatis Jurisdictionis; nam hæc consistit aut reducitur ad ligandum & solvendum. Quemadmodum igitur Prælati inferiores nullam habent Jurisdictionem in Ecclesiis, quæ non sunt intra territorium suum, non decet ut gerant notam suæ Jurisdictionis extra istas Ecclesias: aliter hoc ornamentum tunc fit falsum signum, quia ex eo quisque intelligit, illos Jurisdictionem habere in loco, in quo illud portant, quamvis nullam habeant in eodem; quamobrem non licet Archiepiscopis gerere Pallium, neque Crucem gerendam ante seipsos mandare, extra suam Provinciam, quæ est territorium suæ Jurisdictionis; neque Regibus datum est ferre Diadema extra suum Regnum, quod est indicium suæ autoritatis.

Sed non minùs certum illud videtur, quod, quemadmodum significatio indiciorum arbitraria est, & quod, ea quæ significant Jurisdictionem quibusdam in locis, possunt simpliciter ostendere in aliis, Prælatum qui ea fert habere dignitatem, tribuentem ipsi Jurisdictionem in aliquo loco; potest accidere, ut liceat alicui Prælato suæ Dignitatis Ornamentum præ se ferre in locis, in quibus nullam habet Jurisdictionem, si Prælatus qui Jurisdictionem exercet in his locis, hanc ipsi facultatem concedat; quia tunc consensum habet Prælati, qui solus habet jus id impediendi, cùm de proprio suo commodo tantùm agatur; ex quo fit ut cum tali consensu Archiepiscopus posset gerere Pallium, & Crucem elevatam ferendam mandare extra suam Provinciam, & Rex posset ferre suum Diadema extra suum Regnum; hoc in casu signum Jurisdictionis merum esset ornamentum, cujus usus non permitteretur, nisi ut coleretur persona quæ illud portaret; nihil est magis licitum unicuique, quàm ut proprio suo juri nuntium remittat, cum eidem renunciando nemini ullum præjudicium affert: *Unicuique licitum est renunciare ei quod in sui favorem noscitur introductum.* Cap. 16. *De Regulis.*

Certò adhuc constare potest, Prælatos Ecclesiarum immunium, qui habent usum Ornamentorum Pontificalium, posse in iisdem celebrare Pontificio ritu, atque ideò cedere posse hanc potestatem Abbati alieno qui idem habet Privilegium; quemadmodum Episcopi possunt cedere aliis Episcopis honorem faciendi functiones Pontificales in sua Diœcesi, quia istæ non sunt additæ eorum personæ, sed solùm dignitati, & quia non derogant huic dignitati hac cessione, cum illam faciant personæ ejusdem dignitatis. Revera hi Abbates in Ecclesiis suis sunt, quoad functiones quas Jus habent in iisdem faciendi, unum & idem quod Episcopi sunt in suis quoad functiones Episcopales: Hoc etiam nixus fundamento TAMBURINUS *De Jure Abbatum.* TOM. I. *Disputatione XXI.* QUÆST. IV. asserit Prælatos habentes honores Pontificales, posse illos cedere, & eos exercendos mandare Prælatis peregrinis, quos invitant ad sua Festa in Ceremoniis solemnibus, & multos autores citat idem sentientes: „ *Concilium* TRIDENTIN. SESS. VI. *Cap.* 5. inquit, „ permittit Episcopis alienigenis facere func„ tiones Pontificales in Diœcesi aliena, modò iste, id „ est, Diœcesanus ad id consentiat: oportet igitur, „ ut Abbates peregrini possint uti Ornamentis Pon„ tificalibus in Ecclesiis exemptis, quando Prælati il„ larum Ecclesiarum illud eis permittunt, cùm isti ha„ beant Jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesiis „ suæ exemptionis „: quod extendit etiam ad Collationem Tonsuræ & Ordinum Minorum; in quo errat, quia *Concilium* TRIDENT. SESS. XXIV. *Cap.* 10. prohibet ne Abbates conferant illos Ordines, aliis quàm suis propriis Religiosis; quamobrem in TOM. II. *Disput. II.* QUÆST. XIV. examinans de industria hanc difficultatem, ad id exigit, ut præter permissionem proprii Abbatis, Abbas alienigenus habeat adhuc consensum Episcopi Diœcesani, in cujus gratiam *Concilium* TRIDENT. restrinxit in hoc casu Privilegium Abbatum.

His principiis statutis, sequitur 1o. Decisionem Quæstionis propositæ pendere à tenore privilegiorum Abbatum de quibus agitur; cùm in hoc nullam habeant potestatem, quàm quæ per privilegium suum ipsis data est: 2o. Quod, si privilegium illorum generale est, & sine ulla restrictione, ferens simpliciter concessionem utendi ornamentis Pontificalibus, sine determinatione alicujus loci; possunt gerere Baculum & Mitram in locis immunibus à Jurisdictione Episcopi sine jussu ejusdem, modò Prælatus horum locorum ad id consentiat; & quod non possunt nec debent, si Privilegium suum sit terminatum locis suæ dependentiæ, cùm Prælatus cujus interest id toleraret, quia non potest extendere potestatem, quæ ipsis eorum Privilegio data est, cùm hæc extensio nihil minùs sit quàm novum Privilegium, cujus concessio excedit ejus autoritatem. 3o. Quod Episcopus jus habet petendi ab illis communicationem sui privilegii; sed priùs operæ pretium est, ut prudenter examinetur an illi non sint in possessione sufficienti ad præscriptionem, nam videtur extensio Privilegiorum posse acquiri per hanc viam, in materia etiam multò majoris momenti.

TITULUS XIV.

De Laïcis prout Ecclesiæ Membris vel filiis, ubi non pauca de Ecclesiis in quibus munia nonnulla obeunt.

LAïci ad Ecclesiam pertinent, quatenus ista est Corpus misticum CHRISTI, cujus illi sunt membra, & quatenus Ecclesia mater est omnium Fidelium cujus sunt illi filii, ut alii Fideles, de quibus supra dictum est. Cùm ergo Laici ad Ecclesiam pertineant, subesse debent, ut & cæteri Christiani, Juri Canonico, quod idem est ac Jus Ecclesiasticum. Laïcorum autem, ut & Clericorum, alii sunt in dignitate vel superioritate constituti, ut Principes, Magistratus, & Patres-familias; alii non, ut cæteri. De utrisque dictum est, dum de pertinentibus vel ad fidem, vel ad Episcopos, vel ad Curatos, vel ad Festa Officiaque Divina, vel Jejunia qualiacumque; ac dicetur inferiùs, dum de Decimis alisque bonis Ecclesiasticis, de Contractibus, de Sacramentis, de Judiciis; cùm hæc omnia, aliave in illis comprehensa, sint communia tàm Laïcis quàm Clericis, sicut sepultura, Missæ Sacrificium, eleemosinæ, piaque opera quæcumque, Vota, Juramenta; cumque præterea Laïci sint oves Episcoporum & Curatorum. Eas ob causas, prætermissis iis quæ omnibus Laicis conveniunt, quæque etiam aliis Fidelibus Clericis & Religiosis congruunt, uni alterive insistemus, nempè in explican-

dis quæ ad Principes pertinent, comparatos, five quoad Ecclesiam, sive quoad Subditos; necnon & illis quæ Parentum potestatem in Filios circa Religinnem. Fusa erit utraque expositio, per Regulas fiet, vel per Observationes, si quæ sint quæ ad Regulas redigi nequeant. Multus quoque sermo erit de Judicibus Sæcularibus, sed istud remittendum est, dum de Judiciis. Nonnihil etiam dicetur de Matriculariis, sed dum de bonis Ecclesiæ: Itidem aliquid adjicietur de Patronis Laicis, illorumque juribus honorificis, dum de Beneficiis differetur.

De iisdem Laïcis actum est quodammodo, dum de Clericis in genere; explicando enim quid sint Clerici, explicatur quid sint Laïci, cum proprius Clericorum caracter, sive signum illorum distinctivum à Laïcis sit, quod illi arceantur à multis quæ Laïcis permittuntur; undè collecti Canones de hoc caractere loquentes, conveniunt quoque Laïcis, cùm per oppositionem insinuent, quid sit Laïcis proprium comparatis cum Clericis.

SECTIO I.

Regula circa Principes è Corpore Juris Canonici desumptæ.

Quas collecturi sumus circa Principes Regulæ, non solùm docebunt, quid subditi debeant Principibus, Principes quæ subditis; sed etiam quid quilibet inferior Superiori debeat suo, Superior verò inferiori; nam sub nomine Principum de aliis Superioribus agimus, idque quia inter Temporales sunt præcipui, & de Temporalibus hîc præcipuè loquimur; de Spiritualibus posteà seorsim locuturi. Verùm antequam ad Regularum Collectionem progrediamur, notandum quod quæcumque Jus Canonicum tradit circa Principes, ad isthæc Capita reducantur. 1°. Quæ obedientia, & sub quibus pœnis illis debeatur. 2°. Quot Principum genera, quid omnibus commune, quid cuique generi proprium. 3°. In quibus conveniant vel differant Principes & Pontifices inter se; an utraque potestas Principalis & Pontificalis in eodem nunc sint. 4°. Quæ Principibus prohibeantur, quæ præcipiantur. 5°. De Officiis Principum. 6°. Quæ Ecclesiastica in Principes potestas. 7°. Quæ statuta in favorem Principum. 8°. Quæ in peculiarem glotiam Regum Francorum dicta.

REGULA I.

Cuivis Principi in his, quæ suam non excedunt potestatem, ab omnibus subditis obediendum est. *Can.* 3. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULA II.

Qui in re gravi ac justa Principi non obedit, morte plectendus vel anathemate feriendus. *Cap.* 2. *De Majorit. & Obed.*

REGULA III.

Princeps omnis est, Supremus vel non Supremus; Supremus, qui in Temporalibus alium non agnoscit Superiorem, quàm Deum; Non Supremus, qui alium in his habet Superiorem. *Ibid. &* Cap. 13. *Qui Filii legitimi*, de utroque fit sermo.

REGULA IV.

Uterque suam accepit à Deo potestatem ad laudem bonorum, ad vindictam malorum; sed non eodem modo; Supremus siquidem immediatè; mediatè verò, non Supremus. *Cap.* 11. DIST. LXIX. *C.* 6. *De Majorit. C.* 18. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *C.* 2. *De Homicid.*

Hinc non licet Principi Supremo inobedire, nisi in uno casu, cùm scilicet aliquid Deo contrarium præcipit; nec fas est ulli homini eumdem Principem sua privare potestate; Principi verò non Supremo licitè inobeditur duobus casibus. 1°. Cùm contrarium Deo aliquid præcipit. 2°. Cùm Præcepta ipsius Superiorum suorum Præceptis adversantur, suaque licitè privatur potestate ab eo cui subest, si pœnam hujusmodi mereatur. *C.* 2. DIST. VIII.

REGULA V.

Qui Suprema pollet potestate, non solùm Princeps, sed & Rex ac Imperator in Canone dicitur.

De primo nomine patet *C.* 20. CAUS. XXIII. QUÆST. V. De secundo *C.* 23. *ibid. C.* 13. *Qui Fil. legit.* De tertio *C.* 85. 88. 89. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULA VI.

Potestas Regalis etsi dignitate inferior quàm Potestas Pontificalis, suo in genere minor non est.

Prima Pars patet ex *Cap.* 13. *Qui Fil. legit. C.* 1. 9. 10. DIST. XCVI.

Secunda Pars ex eo patet quod Suprema sit in Temporalibus Regia Potestas, ac Pontificalis in Spiritualibus.

Hinc pessimè discurrunt, qui dicunt, Spiritualia Temporalibus præstant, Potestas ergo Temporalis Spirituali subjicitur; quemadmodum malè ratiocinaretur qui diceret; Curia Parlamenti præstat Curiæ Computorum, ista ergo illi subest: cujus rei Ratio: Inter res diversi Ordinis nulla est subjectio.

REGULA VII.

Potestas Regalis & Pontificalis sunt sibi invicem necessariæ, & sese mutuò revereantur oportet.

Can. 11. DIST. XCVI. *Cap.* 4. CAUS. XX. *Cap.* 21. CAUS. XXIII. QUÆST. V. Legendus *Canon* 6. *Ejusdem Distinctionis.*

Hinc contra Divinum Consilium, Potestas Pontificalis, quæ Temporalia sunt, usurparet; Potestas verò Regia, quæ spiritualia sunt, sibi vindicaret. *Cap.* 34. *De Elect. C.* 5. DIST. X.

REGULA VIII.

Etsi altera alteri non subsit propter æqualitatem; attamen Possessor unius, & Possessor alterius, sibi mutuò subjiciuntur in his in quibus altera alterius ope indiget.

Prior Pars colligitur ex Regula Sexta: Posterior patet tùm est dictis, tùm ex dicendis.

Ex posteriori parte sequitur, quod Possessor Potestatis Regalis non subest Pontificalis Potestatis possessori, nisi in Spiritualibus; nec iste illi, nisi in Temporalibus. Hinc etiam sicut Regalis Pontificalem circa Spiritualia delinquentem corrigere non potest, ita nec Pontificalis Regalem in Temporalibus excedentem.

Doctrinæ huic non obsunt Canones, qui dicunt oppressos à Judice Sæculari ad Judicium Sacerdotum recurrere posse, quales inter alios *Canon* 3. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 10. *De For. compet.* Prior enim è Pseudo-Anacleto petitur; posterior prioris doctrinam secutus est.

Hinc Canones qui dicunt Imperium subesse Sacerdotio; vel Regibus præcipiunt, ut Episcopis obediant; vel qui docent non posse Reges de Præsulibus judicare, ad Spiritualia restringendi sunt.

Pri-

Primi generis sunt *Cap.6. De Major.* Cap.9.10.11. Dist. XCVI.

Secundi generis sunt *Cap. 4. De Major.* Cap. 89. Dist. XCVI.

Tertii generis sunt *Cap.* 7.8. 12. 15. Dist. XCVI.

Canones verò qui omnibus subditis præcipiunt, ut Regi suo obediant, ultra Temporalia non sunt extendendi; tales sunt *Can.* 84.85.88. 89. Caus. XI. Quæst. III.

Verùm ut præcedentes consequentias, Regulasque intelligas, adverte duplex esse Legum & Canonum genus; sunt enim quas Rex condit ut Rex, & illæ ultra Temporalia non extenduntur; sunt etiam quas sancit ut Ecclesiæ Protector ad Canonum executionem, & istæ Spiritualia respiciunt; sicut Divina spectant, quæ fiunt ad Præceptorum Dei observationem procurandam. Sunt quoque Canones quidam quos condit Ecclesia ut Corpus Christi Mysticum, & illi ad Spiritualia restringuntur.

Sunt alii quos statuit Ecclesia ut Regum Protectrix, Mater, Patrona, ad Legum executionem; quales sunt, qui sub anathemate jubent ut Regibus fides servetur, reverentia exhibeatur, justa præcipientibus obediatur, & isti Temporalia attingunt. In præcedentibus autem consequentiis Regulisve sermo fit de Canonibus Legibusve prioris generis.

Adverte iterùm Leges & Canones posterioris generis, cùm in subsidium Canonum & Legum condantur, eodem habenda loco quo Leges & Canones, in quorum subsidium fiunt; Canones enim isti nihil aliud esse videntur, quàm Leges quibus spirituales pœnæ apponuntur, ab eo ad quem illas irrogare pertinet; idem quoque dicendum de Legibus in executionem Canonum factis, nihil aliud videri quàm Canones, quibus adduntur pœnæ Temporales, ab eo qui solus illas infligere potest.

Adverte denuò, Temporalia esse quæ vitam temporalem proximè spectant; Spiritualia quæ vitam Æternam immediatè respiciunt; Temporalia quodammodo fieri spiritualia, si Deo consecrentur; atque hinc personas, res, & loca Deo consecrata, inter spiritualia recenseri; Spiritualia quodammodo Temporalia fieri, si commodi publici circumstantia in iis occurrat; cura enim hujus commodi ad Potestatem Temporalem pertinet: hinc controversiæ circa Doctrinam, crimina circa eamdem vel circa Sacramenta, atque Missæ Sacrificium, à Clericis etiam commissa, sunt causæ Temporales, si tranquillitatem publicam perturbent, vel si hujusmodi perturbatio verè timenda sit; hinc Canones similes causas ad Potestatem Sæcularem remittunt. *Cap.* 18. 19. 20. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 7. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 10. *De Judic.*

REGULA IX.

Ante Christum natum utramque Potestatem uni eidemque sæpiùs concessit Deus; post Christum passum, eumdemque ad Cœlos receptum, in nullo juncta simul esse voluit. *Cap. 6.* Dist. XCVI. Ex Nicolao I. sumitur, de Imperatoria & Pontificia Potestate sermonem facit. Apud Romanos & apud Judices idem multoties fuit Rex & Pontifex, ad id alludere videtur Autor Canonis.

Non obstat quod Papa Princeps sit & Pontifex; non enim omnium quorum est Pontifex eorumdem Princeps est, quales qui apud Romanos & apud Judæos Pontifices & Principes.

REGULA X.

Quæ Principibus prohibet expressè Jus Canonicum hæc sunt.

I. Ut Conciliis non intersint ad definiendum. *Cap. 7.* Dist. XCVI.

II. Ut de his per quos Divina ministrantur, non judicent; id restringendum ad casus in quibus suis non degradantur criminibus. *Cap.* 5. Dist. LXIII. *Cap* 5. Dist. XLVI. *Canon* 9. Caus. XII. Quæst. II. docet Sacrilegium, quod Ecclesiasticum crimen est, Pontificali & Regali autoritate puniendum; undè si Principibus licet de rebus Sacris furto violatis judicare, quidni licebit eisdem de Personis Sacris suo crimine maculatis, itidem judicare? *Canon.* 15. Dist. XCVI. insinuat Episcopos contra Religionem excedentes à Potestate Sæculari percelli posse. Caus. XXIII. Quæst. IV. *à Canone* 37. *ad Canonem* 54. tribuitur Principi Hæreticorum punitio sine ulla distinctione personarum. *Cap.* 18. 19. 20. Caus. XI. Quæst. I. Clericos criminosos certis casibus Principi subjiciunt.

III. Ut Ecclesiæ bona immobilia invitis Prælatis non alienent, nec ab eisdem sine justa causa accipiant. *Cap.* 4. 19. 21. 22. Caus. XII Quæst. II. Cap. 57. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 7. *De Constit.*

IV. Ne ullum Monasterium in proprium jus convertant vel vendant. *Cap.*40. Caus. XVI. Quæst. VII. *Extat* Lib. V. *Capitular. Can.* 386.

V. Ne recipiant Clericum, qui, dimisso sine justa causa Judice Ecclesiastico, ad se recurrit. Cujus rei Ratio: quia illum admittendo, injusto recursui cooperantur. *Cap.* 1 2. 5. 6. Caus. XXI.

VI Ne Episcopos cogant ad consentiendum, ut Ecclesiæ Catholicæ Hæreticis tradantur. *Cap.*31. Caus. XXIII. Quæst. VIII.

VII. Ne in comitatu suo Clericos patiantur Superiorum licentia carentes, nisi à se justa de causa vocatos. *Cap.* 36. 27. 38. *Ibid.*

VIII. Ne Ecclesiarum, vel Monasteriorum, aliorumve piorum locorum vacantium, custodiam sibi vindicent, nisi eam habeant ex fundatione vel ex antiqua consuetudine, neve habita abutantur. *Cap.* 13. *De Elect. in 6.*

IX. Ne de rebus Ecclesiasticis quicquam statuant propria autoritate, nisi prout Canonum Tutores, Custodes, Executores; supplicante verò Ecclesia id possunt; sed tunc accepta ab Ecclesia potestate statuunt. *Cap.* 1. Dist. XCVI. Cap.23. Caus. XVI. Quæ exceptio petitur ex *Can.* 26. Caus. XXIII. Quæst. V. Cap. 19. Caus. II. Quæst. V. Cap. 1. 2. Dist. XCVI.

Has autem inter & illas Leges discrimen est, quod Leges prioris generis, Canones subsequantur: posterioris verò generis Leges, Canones præveniant. Quibus casibus istæ condi possint, & quo sensu accipiendæ, vel quomodo considerandæ sint, expositum est in Prolegomenis, Parte Ia., dum de comparatione Legum Ecclesiasticarum, cum Legibus Sæcularibus circa easdem.

X. Ne Ecclesias vel Monasteria propria autoritate dent, nulla intercedente vera necessitate. *Cap.* 2. Caus. I. Quæst. VII.

XI. Ne Jura Regni sui quæ in Coronatione sua illibata servare jurant, violent, aliudve in præjudicium Regni faciant. *Cap.* 23. *De Jurejur.*

XII. Ne quæ sunt Naturalis Juris tollant, qualis est seipsum in Judicio defendendi facultas. Clem. II. *De Sent. & Re. §. Cæterum.*

XIII. Ne Ecclesiæ Dei per discordias Regum divisionis aliqua patiantur damna, cùm, quantùm in se est, pacem quam prædicant servare studeant invicem, & in omnes. *Cap.* 10. Caus. III. Quæst. VI.

REGULA XI.

Ex his quæ Ecclesia potest vel dicitur posse circa Principes, in Canone exprimuntur sequentia; inter quæ aliqua sunt erronea, nisi benignè explicentur. *Cap.* 3. 4. 5. Caus. XV. Quæst. VI. Desumuntur è Gregor. VII. atque ex Urbano II hâc in re non magnæ apud sanos Judices autoritatis.

I. Summus Pontifex absolvere potest subditos erga Principes à juramento fidelitatis. Hoc autem, ne erroneum sit, restringendum ad Principes non Supremos, Apostolicæ in temporalibus Sedi subjectos. *Restrictionis Ratio*: Attributa Potestas supra stabilitæ Doctrinæ contraria; scilicet, Pontificem, ut Pontificem, circa temporalia nihil omninò posse; cujus rei hanc adduximus causam, quia Principes Supremi non alium habent in Temporalibus Superiorem quàm Deum; undè sicut solus Deus est autor vinculi quo subditi cum istis ligantur, ita & solus Deus est illius dissolutor.

Nec obstat quod Summis Pontificibus dictum sit: *quodcumque solveritis, erit solutum*; id enim intelligendum de solis peccatis, vel de pœnis ab ipsis impositis, vel de Legibus ab ipsis constitutis, non de vinculis à Deo formatis. *Cap.* 2. *De Translat.* Cur enim excipitur ab hâc potestate, ipsis fatentibus, Matrimonii vinculum, etsi in prædicta comprehendatur propositione, si generaliter sit explicanda? nisi quia dictum est, *quos Deus conjunxit, homo non separet*: Excipiendum ergo vinculum Regium, cùm dictum sit, *omnem Potestatem esse à Deo, Deique ordinationi resistere, qui Potestati resistunt.*

II. Summus Pontifex Regi Regnum suum malè administranti, Coadjutorem dare potest, *Cap.* 2. *De Suppl Negl. in* 6. Hoc quoque, ne erroneum sit, restringendum ad Regna Sedi Apostolicæ, ut Principi Supremo, in Temporalibus subjecta. Qui enim Superiores non habent in Temporalibus, à solo Deo corrigi possunt, si circa temporalia delinquant. Non negandum tamen, id etiam extendi posse ad illa Regna in quibus Regi dissipatori, ut & minori, Curator dari soleret, ex Lege in iis recepta; sed tali in casu consensus eorum ad quos Curatorem hujusmodi eligere pertineret, desideraretur; vel hic locus intelligendus de casu in quo Rex dilapidator consentiret, datusque à Papâ Curator utilior fore Regno & Ecclesiæ speraretur, ob singularem erga Sedem Apostolicam Subditorum Regni reverentiam.

III. Summus Pontifex, imò & Episcopi, Reges excommunicare possunt, cùm sint ut alii Christiani Ecclesiæ Filii. *Cap.* 10. DIST. XCVI.

A quâ Regulâ Jurisconsulti Galli exceptos volunt Reges, qui à tali Censura exemptionem oneroso titulo sunt adepti; qualis Gallorum Rex, qui propter immensa erga Ecclesiam Beneficia, tali privilegio à pluribus Romanæ Sedis Antistitibus donatus est. Eo autem casu quo Princeps Supremus excommunicaretur, Subditi non ideò solverentur Sacramento fidelitatis, quia excommunicatio solvere non potest vincula civilia, nisi authoritate Principis, & nullus Princeps consensit unquam, ut vinculi quo subditi sibi ligantur solutio fieret, posito quod excommunicaretur. Adde quod ipse GREG. VII. qui primus hanc potestatem excommunicationi falsò tribuit, agnoscit *Cap.* 103. CAUS. II. QUÆST. II. vincula Regio minora, & ab ipso vim suam habentia, non solvi ipsa excommunicatione, ut fusè explicatur in *Tractatu de Excommunicatione, Tit. De Effectibus.*

REGULA XII.

Quæ in Canone habentur de Regum potestate circa res spirituales, annexasve spiritualibus, hæc sunt.

I. Ut ordinatio inordinatè facta, ad Principis postulationem rata habeatur, concessa eam ob causam infracti Canonis veniâ. *Cap.* 24. DIST. LXIII.

II. Ut postulante Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, vel accedente Ecclesiæ consensu, Episcoporum Regni sui Electioni per se vel per Deputatos intersint, vel aliter factam approbent; uno verbo, ut sine Principis consensu nullus fiat Regni sui Episcopus. *Cap.* 14. 18. *De Elect.* DIST. LXIII. *à Cap.* 9. *usque ad ultimum.*

Huc faciunt Canones omnes qui ad istas Electiones requirunt consensum Populi, cùm Princeps sit Populi caput.

III. Ut Episcopos investiant, quod de Temporali investitura intelligendum, non de Spirituali, quæ sibi prohibetur, quæque fiebat per intronizationem. *Cap.* 22. 23. DIST. LXIII. Cap. 12. 13. 14. 15. CAUS. XVI. QUÆST. VII. ac Titulum simul cum possessione dabat, si ex Canone Apostolico, cui adversari dicitur, de illa judicetur.

IV. Ut Conciliis præsideant, id est, primas Sedes, similesve ibi occupent; non ad ostendendam potentiam, sed ad confirmandam fidem; non ad definiendas fidei morumque controversias, sed ad pacandam Ecclesiam. *Cap.* 55. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 2. 7. DIST. XCVI.

V. Condere possunt Leges, quæ Ecclesiæ res, sicut & alias, spectant; tales sunt Leges quibus statuta est 1°. Triennalis præscriptio. 2°. Quadragenaria. 3°. Centenaria. *Cap.* 8. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 2. 16. 17. CAUS. XVI. QUÆST. III.

Triennalis erga res Ecclesiæ immobiles jamdiu abolevit.

Quadragenaria servatur universaliter circa easdem res, præter res Ecclesiæ Romanæ, circa quas sola viget Centenaria.

VI. In Regnis in quibus sitæ sunt Abbatiæ, exigente necessitate constituitur, ne sine Regali provisione Abbas eligatur. *Cap.* 39. CAUS. XVI. QUÆST. I.

Canon hîc de Regno Galliæ loquitur; hujus Regni usui favet; ambitiones, necnon & contentiones vitandæ, quæ huic Canoni locum dedere, usum hunc introduxerunt.

VII. Si Metropolitanus Patronatæ Ecclesiæ aliquid usurpet, à Rege corrigi potest. *Cap.* 31. CAUS. XVI. QUÆST. VII. desumitur è *Concilio* TOLETANO IX. *ann.* 655.

Hinc patet quod recursus ad Principem, in Causis etiam Criminalibus ipsos Prælatos contingentibus, Canonibus innitatur, iisque etiam antiquis.

VIII. Licet Principi Monasterium Monasterio tradere, vel aliud cum alio commutare. *Cap.* 40. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

Hic Articulus exceptio est Articuli quarti Regulæ X. quæ exceptio in Capitularibus loco supra citato non habetur. De Monasteriis Regiis loqui videtur hic Canon, in his plenissimum jus habet Rex, quale requiritur ad dandum vel commutandum. De his mentio fit *Capitular.* TOM. I. *p.* 174. 259. 538.

IX. Ad Regem pertinet violatam Ecclesiæ Immunitatem punire. *Cap.* 35. CAUS. XVII. QUÆST. IV. Cujus ratio est, quia hujus immunitatis est author, ideoque illius defensor esse debet & vindex.

X. Quæ Hæretici nomine Ecclesiæ possident, ab iis auferre possunt Reges, & Clericis Orthodoxis dare. CAUS XXIII. QUÆST. VII. sed præcipuè *Cap.* 3. *§. Quidquid.*

XI. Exigente bono publico, Episcopi, imò & Summi Pontifices, si subditos fuerit, vel voluerit de criminibus accusati vel suspecti defensiones audire possunt, ut iis auditis, vel reum, vel innoxium denuncient. *Cap.* 41. CAUS. II. QUÆST. VII.

Desumitur ex eo quod LEO Tertius, vel Quartus variis criminibus accusatus, Imperatoris cui suberat judicio sese submisit.

XII. In alienatione Rerum Ecclesiasticarum Regni, suus requiritur consensus. *Cap.* 4. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 44. CAUS. XII. QUÆST. II.

XIII. Legibus suis Canones confirmare possunt, ut duplici ligent vinculo, Regali, & Pontificali. *Ibid.*

XIV. In causa Clericali Episcopale judicium dare possunt, si ab ipsis id petatur. *Cap* 11. CAUS. XI. QUÆST.

Quæst. I. desumitur è *Concilio* Milavitano II. *Cap.* 19. Per Episcopale judicium, Conventum Episcoporum autoritate Imperatoris habendum, Zonaras intelligit.

Causa Canonis : Clerici in sacris constituti, culpæque Ecclesiasticæ conscii, ut correctionem Episcopalem fugerent, ab Imperatore judicia publica sive Sæcularia impetrabant; qnod ne fieret, neve etiam Concilium ad Imperatorem confugientem damnare videretur, permisit ut ab illo Episcopale judicium peteretur.

XV. Ubi non sufficit Ecclesiæ autoritas, ad Principem recurritur. *Cap.* 4. Dist. XVII. *Cap.* 2. *De Cler. Excom. Minist.*

XVI. Statutum aliàs ne sine Consilio Principis Sanctorum corpora è loco in locum tranferrentur. *Cap.* 37. *De Conf.* Dist. I. Cujus Canonis ratio fortè fuit : Cavendum erat ne translationis hujusmodi occasione, turbæ excitarentur, vel si quæ excitatæ fuissent, ut faciliùs sedarentur; vel æquitati consonum visum fuit, ne inconsultus Princeps reliquiarum Patrocinio, si extra ipsius ditionem transferrentur, privaretur.

XVII. Principum est per Judices suos impedire ne Divina vel publicè contemnantur, vel turbentur. *Cap.* 3. *De Conf.* Dist. III. Utrumque autem fieret, si saltationibus ac turpibus Canticis prope Ecclesiam, dum Divina celebrantur, vacaretur.

XVIII. Contra Clericos censurarum contemptores, Principes ab Ecclesia requisiti, temporales pœnas irrogare possunt. *Cap.* 2. *De Cler. excom. Ministr.* In Antiqua Collectione, & apud Gasgoarium IX. tribuitur *Concilio* Antiocheno : hujus non esse, verba ista, *Regis judicio*, demonstrant, cætera etsi ex hoc Concilio desumpta sint. Antonius Augustinus notat peti ex *Concilio* Vernenst, *Cap.* 9.

REGULA XIII.

Quæ in Canone exprimuntur Regum Officia, hæc sunt.

1°. Judicium atque Justitiam facere, *Cap.* 23. Caus. XXIII. Quæst. V.

2°. Oppressos de manu calumniantium liberare. *Ibid.*

3°. Peregrinos, pupillos, viduas, qui faciliùs opprimuntur, juvare. *Ibid. Cap.* 26. Caus. XXIII. Quæst. V.

4°. Ecclesiam tueri etiam non requisitos ; quod patet ex eo quod Ecclesiæ tuitio jungatur pupillorum tuitioni ; pacatam reddere ; contra Hæreticos aliosve perversos, opem petenti dare ; alioquin de omisso rationem reddent. *Cap.* 26. *cit. Cap.* 1. 3. 10. Caus. XXIII. Quæst. III. *Cap.* 24. 25. 37. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 39. *ibid. Cap.* 20. *ejusdem* Caus. Quæst. V.

5°. Leges justa præcipientes & contraria prohibentes, convenienti rigore sancire. *Cap.* 42. Caus. XXIII. Quæst. V.

6°. Enormia flagitia, à quibuscumque suis patiantur subditis, punire ; nam sine distinctione loquuntur Canones. *Cap.* 39. 40. Caus. XXIII. Quæst. V.

7°. Malos etiam invitos ad bonum trahere, Caus. XXIII. Quæst. VI.

8°. Autoritatem Regiam Sacerdotali jungere ad res Ecclesiasticas defendendas. *Cap.* 20. 21. Caus. XXIII. Quæst. V.

9°. Episcopis tamquam Patribus ac tanquam Magistris obedire. *Cap.* 4. *De Majorit. Cap.* 8. 9. Dist. XCVI.

10. Sacerdotes ut Angelos, imò ut Deos, honorare. *Cap.* 7. Dist. XCVI.

11. Boni Principis est Ecclesias contritas restaurare, novasque ædificare, cùm aliundè hæc similiave haberi non possunt. *Cap.* 16. Dist. XCVI.

12. Quæ Ecclesiastici Juris sunt, tamquam Dei præcipua, venerari, nec pati ab ullis Magistratibus lædantur. *Cap.* 20. Sess. XXIII. *De Ref.*

REGULA XIV.

Quæ in Jure Canonico leguntur in Regum favorem, præter jam memorata, hæc sunt.

1. Profertur anathema in illum qui juratam Regi fidelitatem violat. *Cap.* 19. Caus. XXII. Quæst. V.

2°. Præcipitur nobis ut Regi obediamus, quamdiù nobis certum non est præcepta Regia Divinis adversari mandatis. *Cap.* 4. Caus. XXIII. Quæst. I. *§. Sed si.*

3°. Jubetur ut fides & reverentia Principi exhibeantur, ut debitæ justitiæ & consueta servitia reddantur à Clericis conjugatis. *Cap.* 2. Dist. VIII. *Cap.* 23. 25. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 9. *De Cler. conjug.*

4°. Injungitur ut de bonis etiam Ecclesiasticis tributa solvantur. *Cap.* 27. 28. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 21. 23. Caus. XXIII. Quæst. VIII. Huc referri potest Canon. 3. Caus. X. Quæst. III. quod docet Episcopos Hispanos Regi aliquid tunc temporis dedisse pro Regiis Inquisitionibus, quo jure simile quid tributo intelligi potest.

5°. Civilis Constitutio, quâ in Crimine læsæ Majestatis ad accusandum & testificandum admittuntur personæ ad accusationem vel testimonium aliàs inidoneæ, quales sunt infames, Criminosi, servi, de se confessi, approbatur, istaque approbatione quodammodo fit lex Canonica. *Cap.* 31. *De Simon. Cap.* 6. Caus. XV. Quæst. III.

6°. Contumelia Regem afficiens, si sit Clericus, deponendus est ; si Laicus, excommunicandus. *Cap.* 83. *Apostolorum, ad calcem Decreti.*

7°. Præcipitur ut in sacris Mysteriis, aliisque precibus publicis, pro Principe oretur. *Cap.* 12. Dist. XCVII.

8°. Vetatur ne sine consensu Principum nova pedagia imponantur. *Cap.* 4. *De Censib.*

9°. Declaratur ad Principem, non ad Ecclesiam, pertinere, de possessionibus bonorum temporalium judicare. *Cap.* 7. *Qui fil. legit.*

10. Regna consuetudinibus suis, Regumque suorum institutionibus, regenda. *Cap.* 3. *De Consuet. in integr.*

11. Jus Romanum in potestate Regum est; hinc jure à Regibus constituto dicitur, hæc villa villa est mea, hæc domus est mea, hic servus est meus. *Cap.* 1. Caus. XXIII. Quæst. VII. *Cap.* 1. Dist. VIII.

REGULA XV.

Nonnulla sunt in Canone quæ in favorem Regis Franciæ speciatim dicuntur ; hæc autem non sunt alia quàm ista.

1°. Rex Franciæ in Temporalibus Superiorem non agnoscit, undè proprios filios non tamquam Pater, sed tamquam Rex, ad actus Sæculares legitimare potest. *Cap.* 13. *Qui filii.*

2°. Exaltatio Regni Francorum, Apostolicæ Sedis sublimatio reputatur, *Cap.* 13. *De Judiciis.*

3°. Hoc Regnum in devotione hujus Sedis semper permansit, & permansurum creditur. *Ibid.*

4°. Declaratur Rex Franciæ Regnumque illius quoad temporalia non subjici Summo Pontifici, ideoque non includi in *Extravagante*, *Unam Sanctam*, *primâ, De Majorit. & Obed.* in quâ Bonifacius VIII. definit terrenam potestatem spirituali ita subdi, ut illa possit ab ista institui & destitui. Quæ Declaratio inter Privilegia non rectè collocatur, cum nihil habeat quod Jure Communi cuivis Regi non conveniat. Eadem declaratio etiam docet, Bonifacium VIII. in prædictâ definitione errasse, cum hîc in re Regis Galliæ quàm aliorum Regum conditio potior non sit, ideòque in aliis locum habeat, quod de Rege Franciæ peculiariter declaratur.

SECTIO.

SECTIO II.

De Poteſtate Principum circà Electiones ad Beneficia, Regulæ ſive Obſervationes ex Corpore Juris deſumptæ.

Inutile prorsùs videbitur diſcutere quam Principibus poteſtatem circa Electiones tribuant Canones in Corpore Juris comprehenſi; tum quia Electiones ubique ferè exoleverint, tum quia, ubi adhuc vigent, circa illas nihil poſſint Principes. Verùm ſi quos ſubit hujuſmodi cogitatio, abjicere omninò debent, cùm nominationis jus, aliudve ſimile, quo Principes pleriqoe potiuntur, poteſtati circa Electiones ſucceſſerit, cumque etiam illa quæ de hujuſmodi poteſtate docent Canones, quid Principibus permitti vel non permitti circa Beneficia debeat oſtendant. Noſſe ergo hos Canones etiam nunc non parùm prodeſt, illoſque diſcutere; in hac autem diſcuſſione poſt notata quæ certa ſunt, quæ contraria reveta ſunt, quæve oppoſita non ſunt, ſed apparent, conciliabuntur.

Certum eſt Canones, qui Populo, ut cum Clericis eligat, permittunt, Principi in Populo id permittere, cum Populi caput ſit Princeps.

Certum eſt *Canonem 6.* Dist. LXIII. qui Laïcis prohibere videtur ne Electionibus ſeſe immiſceant, ita explicari poſſe ut illius ſenſus ſit, Laïcorum non eſſe per ſe ipſos ſolos Electiones facere; ejus enim Canonis verba ſunt. *Non eſt permittendum turbis, Electionem eorum facere qui ad Sacerdotium promovendi ſunt*; quibus inſinuatur totam Electionem ſibi turbas tribuiſſe. Eo etiam modo illum interpretatur Martinus Bracharensis *Cap. 8. Ej. Tit.* dum poſt relatum prædictum Canonem addit: *Sed in Judicio Epiſcoporum ſit, ut ipſi eum* (ſcilicet promovendum) *probent, ſi in Sermone, & fide, & in ſpirituali vita edoctus ſit*; quæ verba prædicto Canoni oppoſita iuſinuant Laïcis, ne ſibi totam Electionem tribuant, illo Canone prohiberi.

Verùm etſi prædictus Canon Laïcis prohiberet, ne cum Clericis in Electionibus concurrant; certum eſt quoad Principes non ſervatum, 1°. in *Hetruria, ann.* 558. ſub Pelagio, cùm *Cap. 15. Ejuſd.* Dist. Pelagius referat quoſdam Principis licentia eguiſſe ut ad Ordines Sacros promoverentur, quamvis illos ſpeciali jure Principi addictos nullo modo inſinuet.

2°. Nec in Gallia verſùs idem tempus, cum *Can. 5. Ejuſd.* Dist. deſumptus è Concilio Parisiens, non *ann.* 362. ut notat Pithæus, ſed 557. ut teſtatur Labbæus, celebrato, præcipiat ne quis ambitione aliiſque viis pravis Principis poteſtate abutatur, ut ad Epiſcopatum provehatur: nec etiam in Macedonia, *ann.* 594. cum *Can. 9. ejuſd.* Dist. referat S. Gregorius Joannem ad primæ Justinianæ Epiſcopatum provectum Principe conſentiente.

3. Nec etiam in Bithinia, aliiſque Orientis Provinciis, *ann.* 787. cùm Synodus Nicæna II. ſimilem abuſum prohibeat, ad ſui confirmationem Decreti Canonem Apoſtolicum afferens, qui ſub gravibus pœnis eamdem ambitionem Principum poteſtate abutentem prohibet.

4. Nec etiam *ann.* 853. in Occidente, cum Leo IV. ab Imperatoribus Lothario & Ludovico petat quoſdam Italiæ Epiſcopatus.

5. Nec etiam in eodem Oriente, *ann.* 869. vel 870. cùm octava Synodus Constantinopoli celebrata eo tempore, *Cap. 1. 2. E. D.* vetet Principibus ne Electionibus ſeſe immiſceant, ne *videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio & contentio*, quibus poſtremis prohibitionis cauſa vel ſaltem occaſio indicatur. Nec etiam *ann.* 860. cum *Canone 4. Ejuſd.* Dist. Nicolaus I. Lothario Regi ſcribens, roget, ut ſaltem in Treverensi Urbe, vel in agrippina Colonia, quemquam Epiſcopum eligi non patiatur, priuſquam de vacatione monitus ſit Papa. Nec etiam tempore Stephans, *ann.* 885. cum *Canone 18. ejuſdem* Dist. Imperatoris licentiam expectet, ut Epiſcopum Reatinum conſecret. Certum eſt quoad Populum non ſervatum prædictum Canonem Laodicensem in Africa, tempore *Concilii* Carthaginensis IV. celebrati *ann.* 398. cùm *Canon 6.* Dist. XXIV. Epiſcopis præcipiat, ut in Electione Clericorum certam conniventiam & teſtimonium quærant. Nec tempore Celestini I., *ann.* 428. in Gallia, cum *Canone* 13. Dist. LXI. & Cap. 26. Dist. LXIII. Celeſtinus iſte teſtetur ad Epiſcopi Electionem, plebis ſicut & Cleri conſenſum requiri. Nec tempore S. Leonis, *ann.* 445. cum *Canon 19. Ejud.* Dist. velit ut Methopolitanus nonniſi diſcuſſa omnium Civium voluntate Electum conſecret. Nec tempore Gelasii, *ann.* 493. cum *Canon 11.* Dist. LXIII. ad Electionem Epiſcopi Diotrensis præcipiat, ut convocetur univerſa turba cum Clero, ut communi conſenſu Epiſcopus eligatur.

Nec tempore S. Gregorii, cum *ann.* 593. *Can. 10. Ejud.* Dist. LXIII. ad Epiſcopi Mediolanensis Electionem nedum Cleri, ſed & Plebis conſenſus requireretur; cùm etiam *ann.* 600. *Can. 15.* Dist. LXI. Clero & Nobilibus Civibus ſcribat, ut ſi, quem elegerunt Epiſcopum, aptus non ſit, alium eligant; cùm etiam *ann.* 602. Viſitatori Eccleſiæ Panormitanæ Paſtore viduatæ præcipiat, Clerum plebemque admonere, ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi expetant Sacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri.

Nec tempore Isidori, cum *Cap. 20. ejuſd.* Dist. Archipresbyteri Electionem à Clero & populo faciendam dicat.

Nec tempore Caroli & Ludovici Imperatorum, *ann.* 803. cum *Canone 34. ejuſd.* Dist. præcipiant, ut Epiſcopi per Electionem Cleri & Populi eligantur, idque faciendum inſinuent, quia Canones ita ſtatuerunt.

Nec tempore Stephani, *ann.* 816. cum *Cap. 28. ejuſd.* Dist. præcipiat, ut Pontifex eligatur præſente Senatu & Populo, & ſic ab omnibus electus conſecretur.

Nec tempore Nicolai I. *ann.* 857. cum *Cap. 13. ejuſd.* Dist. *Joanni* Ravennati Archiepiſcopo prohibeat, ne Epiſcopos per Æmiliam conſecret, niſi poſt electionem Cleri & populi.

Nec tempore Nicolai II. *ann.* 1059. cum *Cap. 15.* Dist. XXIII. ad Electionem Summi. Pontificis conſenſum populi requirat. Nec tempore Innocentii II. *ann.* 1139. cùm *Cap. 35.* Dist. LXIII. præcipiat, ut Religioſiſſimi viri ad Epiſcopi Electionem admittantur, illamque irritet, ſi illis excluſis fiat; inter Religioſiſſimos autem tam Laïcos quàm alios recenſere licet.

Certum eſt ex Canonibus qui Clero ſoli Electionem tribuunt, nonnullos expreſsè exigere deſiderium vel conſenſum plebis; tales autem *Canon* 1. Dist. LXI. ex S. Leone deſumptus, Narbonensi Epiſcopo ſcribente *ann.* 443. *Canon* 12. Dist. LXIII. ex Epiſtola Stephani Papæ Ravennati Epiſcopo, circa *ann.* 886. & ex his cæteros interpretandos; ita ut affirmari poſſit nullum voluiſſe ut contra Celestini I. ſententiam *Canone* 13. Dist. LXI. relatam, cuiquam populo invito daretur Epiſcopus.

Certum eſt in Corpore Juris Canonem legi nullum, quo cogatur Populum ut ſe inconſulto Electum Epiſcopum admittat, etſi juſtas habeat illum rejiciendi cauſas. Certum eſt uſque ad ſæculum XIII. extitiſſe Populos qui cum Canonicis Epiſcopum eligebant; patet ex *Cap. 56. De Elect.* in quo Gregorius IV. *ann.* 1219. damnat Eccleſiæ Massanensis in Hetruria conſuetudinem, quâ

Laici

Laïci cum Canonicis Episcopum eligebant, vetat imposterùm id fieri; quæ contra prohibitionem suam fiet, Electionem irritat.

Certum est extare Canones antiquos qui Principi totam pertinere Electionem agnoverint; talem autem esse *Canonem* 25. DIST. LXIII. ex *Concilio* TOLETANO XII. *ann.* 181. celebrato desumptum; in hoc enim legimus Episcopos Hispaniæ & Galliciæ, (fortè melius Galliæ) considerantes ex locorum distantia viduatis Ecclesiis seriùs provideri, idque tùm quia Episcoporum mors difficilè ad Regis aures perveniebat; tùm quia ante vel post factam à Rege Electionem, consulendus erat Metropolitanus cum Suffraganeis suis circa Electum vel eligendum, nec Literæ à Rege expediebantur priusquàm ab istis probatus fuisset; hac, inquam, motos consideratione, permisisse Episcopo TOLETANO ut quos eligeret Rex, ipseque probaret, consecraret.

Certum est Apostolicum *Canonem* Cap. 4. CAUS. XVI. QUÆST. I. relatum, qui sub pœnæ depositionis & excommunicationis prohibet, ne quis potestate Sæculari usus Ecclesiam obtineat, intelligi posse de iis qui Potestate Sæculari abutentes, per vim cogebant Electores ut sibi faverent; atque interpretationem istam ex pœnarum gravitate colligi posse. Certum est etiam, Canonem istum juxta Haloandri interpretationem de Principe non loqui, sed de Magistratu Sæculari; in calce Decreti habetur hæc interpretatio; Canon de quo Quæstio est vigesimus nonus. Certum est denique, Canonem hunc aliter interpretatam videri Synodum Nicænam secundam, *ann.* 781. celebratam, idque *Cap.* 7. DIST. LXIII. in quo, postquam decrevit ut facta à Principe Electio irrita sit, Decretum suum prædicti Canonis autoritate confirmat, his verbis illum referens: *Si quis Episcopus Potestatibus Secularibus usus, Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur & segregetur*; sed hinc non sequitur Synodum damnasse usum quo, Ecclesia consentiente justa de causa, Principi Electiones ad Prælaturas dimittuntur; sed abusum dumtaxat quo, Ecclesia Clericis Electiones bas reservante, nonnulli ambitiosi potentia Principis eligebantur, vel potiùs intrudebantur.

Certum est, Canones quibus Imperatoribus Pontificem Summum eligendi jus datur supposititios esse; idemque dicendum de iis quibus tali Juri Imperatores renunciant; hujusmodi Canones sunt *Cap.* 22. 23. 30. 31. DIST. LXIII.

Cujus rei ratio: in eisdem conceditur Imperatoribus Episcopos Investiendi jus, in quod postea GREGORIUS VII. PASCHALIS II. *Cap.* 12. 13. 16. 17. invecti sunt, additis gravissimis pœnis in illos qui imposterùm tali Jure uterentur; quod ausi non fuissent, si à Prædecessoribus illorum Imperatores illud accepissent; nec pendente hac controversia Imperatorii prædictos Canones opposuerunt, qui soli tamen Pontificis os obstruxissent, cùm plus concederent quàm Imperatoribus disputaretur, posito quod Investitura controversia temporalis tantùm esset; vel idem quod disputabatur, posito quod spiritualis Investitura controverteretur.

Certum est, Electionem Summi Pontificis ab Imperatora probari debuisse, ideoque ab Electo significari illi oportuisse, cùm *Can.* 28. DIST. LXIII. utrumque expresè testetur.

Certum est, post finitam de Investituris controversiam Pontifices significasse à Principe postulandum assensum circa factam Electionem, ubi talis est consuetudo; illorum Pontificum duo sunt præcipui, nempè CELESTINUS III. & INNOCENTIUS III. quorum prior id testatur *Cap.* 14. *De Elect.* posterior verò *Cap.* 18. *Ejusd. Tit.*

Certum est, Principem cujus assensus Electioni factæ postulandus est, illum justa de causa denegare posse, atque hinc vanam facere Electionem; nam prætetquàm quod quoties consensus alicujus alicui actui necessarius est, in potestate ipsius sit concedere vel denegare, cùm nemo invitus consentire teneatur; assensus Principis in Electionibus poscitur, ne si Electus sibi suspectus sit, consecretur; adde quod non minima irrogaretur Principi injuria, si rogaretur ut Electionem probaret, quam, vellet nollet, salvam incolumemque videre cogeretur.

Hinc sequitur, Principi permitti posse ut adhibito qui electuri essent, similiumve, consilio ipse eligat; cùm aliàs Electionis irritatio vel confirmatio ab illius voluntate pendeat, si assensus ipsius factæ Electioni requiratur. Certum est, idem omninò esse quoad effectum post Electionam factam, Principum judicio illam subjacera, ac Principes cum Electorum consilio eligere.

Certum est, ad Beneficia Ecclesiastica per Electiones promovendi modum ab Ecclesia introductum esse, cùm non solùm Episcopatus, sed & inferiora, usque etiam ad minima, per Electionem darentur Beneficia, ut ex citatis suprà Canonibus patet, sed præcipuè ex *Canone* 6. DIST. XXIV. Cap. 7. 15. 20. DIST. LXIII. Nunc autem inferiora Episcopatui Beneficia sine Electione conferri solent; idemque est de maxima Episcopatuum parte.

Cujus mutationis causa: Invalescente inter homines morum pravitate, satius visum est ut unus solus Beneficia conferret, quàm si plures simul Electionis via donarent, idque quia meritò creditum est faciliùs repertum iri unum quàm plures viros probos. Ob eamdem corruptionem plurima secum invehunt Electiones incommoda; ambitio, avaritia, vitæ commodioris amor, nullum non movent lapidem ut ad Beneficia pinguia paretur iter; Simonia, Sacrilegium, aliaque ad id necessaria crimina pro nibilo habentur; Prælati præpostera gratitudine erga illos à quibus electi sunt, indulgentiores sunt; isti verò ad eumdem post concupiscantias suas audaciores; Prælatos eosdem concepta pro nepotibus spes desideriumque, ad similem indulgentiæ excessum propensos etiam efficiunt; ac undè illorum crescit indulgenria, inferiorum augetur indè audacia, peccandique temeritas.

Certum est, ratione reditùs, à Potestate Temporali pendere Beneficia; ratione Officii, à Potestate Spirituali; idcircò utramque circa Beneficiorum donationem jus habere, alteram alteri jus suum cedere, vel altera cum alteram concurrere, vel demum alteram perficere quod altera incepit. Prædictæ cessionis exempla continere quoscumque Canones, in quibus Beneficia ab alterutra tantùm donantur potestate; tales sunt pleraque Titulorum *de Præbendis*, *de Concessione Præb.* similiumque Capitula; in his enim de sola Potestate Spituali mentio fieri solet; tales sunt etiam *Cap.* 6. *De Jure Patronatus, in prima collectione.* Cap. 34. *De Præb.* Cap. 16. *De Concess.* in quibus sola Potestas Temporalis Beneficia quædam donat.

Utriusque Potestaris concursûs extare exempla in quibuscumque Textibus in quibus Potestas Temporalis cum Spirituali eligit; talis est inter alios *Canon* 25. *De Jure Patron.* Quod enim ibi dicitur, cadere potest in Principem qui Patronorum præcipuus existit. Tales etiam sunt quos supra collegimus, ostensuri Populum per plura Secula cum Clero admissum ad Pastoris Electionem, Beneficiorum. Donationis quam altera Potestas incipit, altera absolvit, exempla legi in singulis Juris Textibus, io quibus Patronus eligit aut præsentat, Ecclesia verò confirmat vel instituit; quales sunt *Canon* 14. DIST. LXIII. necnon quævis Titulorum *de Institutionibus* & *de Jure Patronatus* Capitula, aliaqua complura apud GRATIANUM;

in

in iis quoque legi in quibus electione factâ Patroni consensus postulatur, quales sunt *Canones* 16. 17. 18. 21. DIST. LXIII. *Cap.* 14. 18. 51. *De Elect. Cap.* 25. *De Jure Patronatûs.* Nam præterquam quod de Rege plures illorum Textuum loquuntur, quæ alii de Patrono dicunt, ad Regem ex Patronis potissimum extendere fas est.

Certum est, circa Ecclesiarum provisionem ita interdum delatum Principibus, ut si quid meræ disciplinæ ipsis volentibus in provisione ab ipsis factâ omissum esset, omissionis illius defectus remitteretur, atque pro nihilo haberetur. Celebre hujusce rei exemplum habes in *Canone* 24. DIST. LXIII. Ecclesiæ Salonitanæ ita provideri per Principes solitum erat ut electus nesciente Papa vel Responsali illius non ordinaretur; contingit autem ut MAXIMUS à Principibus electus inconsulto Sancto GREGORIO illiusque Responsali ordinatus sit, quo audito hanc propter culpam, illum à Missarum celebratione suspendit, donec à Principibus accepit, id ipsis jubentibus ita factum esse.

Certum est, Canones, quibus consentiens electioni de se factæ per abusum Potestatis Sæcularis punitur, non adversari Canonibus qui circa electiones Principibus aliquid permittunt; nam per abusum Potestatis Sæcularis eligi, non est eligi mediâ Potestate Sæculari, concesso sibi jure benè utentre; sed per hujusmodi Potestatem quæ vel nullum circa electiones jus habet, vel excedit totum sibi tribuens cujus pars sibi dumtaxat competit, vel per terrorem minis incussum, impressamque vim aliquem eligere facit.

Certum est, Juris Textus qui contra Principes aliquid adversus electionem factam tentantes, anathema pronunciant, de electione quam justa de causa rejicere non possunt, intelligendos. *Caput* enim *primum* DIST. LXIII. quod solum hujus anathematis mentionem facit, certò loquitur de electione communi, consonanti, & Canonicâ; quæ autem talis est, justè rejici non potest à Principe; non enim justè rejicit nisi qui sibi jure suspectus; Canonicè autem electus suspectus Principi esse nequit, cum Canones vetent, ne qui suspectus est Principi eligatur, idque propter gravia hinc secutura incommoda.

Certum est, veram esse contrarietatem inter Canones qui electionem à Principe factam irritant, qualis *Canon* 7. DIST. LXIII. desumptus è *Concilio* NICÆNO II. *anno* 787. *Cap.* 3. & Canones qui Principi electionem totam dimittunt, qualis *Canon.* 25. *ejusdem Distinctionis*, depromptus è *Concilio* TOLETANO XII. *Cap.* 6. *anno* 681.

Hinc sequitur, Canones illos inter conciliandos hîc recenseri debere: illos autem conciliandi modus alius non est, quàm qui petitur ex diversitate locorum, temporis, & causarum; Canon siquidem septimus DIST. LXIII. factus est in Oriente; alter verò in Occidente, alium una Sæculo & ampliùs præcessit; justus erat timendi locus ne Principes Orientales eligendi potestate abuterentur, sive quia jam abusi erant, sive alia de causa; simile quid erga Principes Occidentales timendum non erat; atque hic conciliandi modus optimus est: sunt enim loca & tempora quibus probibenda sunt, quæ aliis permittenda sunt, idque quia quæ hoc loco hocve tempore utilia sunt, alio loco, aliove tempore, perniciosa existunt.

Certum est, Juris Textus qui Principi vetant, ne adversùs electionem factam aliquid tentent, qualis Canon primus DIST. LXIII. desumptus è Canone 22. *Concilii* VIII. 870. contrarios videri illis qui præcipiunt ut electioni factæ Principis assensus postuletur. Isti enim Principis judicio electiones factas subjiciunt, illi verò electiones factas Principis potestati subtrahunt, si sola inspiciantur verba; sed veram non esse illam contrarietatem, cum prioris generis Canones intelligendi sint de electione quæ justè rejici non potest; posterioris verò generis Canones de illâ quæ justa rejici potest interpretandi sint, ita ut illi in Principe non damnent, nisi potestatem injustam; isti verò non probent nisi quæ justa est. Alii Electiones Canonicas muniunt tuenturque adversùs malorum Principum injustitiam; alii verò debitum bonis Principibus honorem circa easdem Electiones conservant.

Ex iis quæ certa esse demonstravimus, sequitur errasse qui dixerunt à Deo præcipi, ut Ministri Sacri per Electionem promoveantur, tùm etiam eos qui affetunt eorumdem Ministrorum Electionem faciendam à solis Clericis, alioquin esse nullam. Idem dicendum de his qui senserunt è contra, sentiuntque adhuc, irritam illam esse si in illâ faciendâ Laïci non concurrant; ostensum siquidem ex indubitatis monumentis Ministros sacros, modò per Electionem, modò sine Electione, constitutos; Electionem quandoque factam à solis Clericis, quandoque à Clericis simul cum Laïcis; alterutro modo factam valere, nisi aliud Ecclesiæ placuerit; irritam verò esse si eidem libuerit; utrumque pendere ex merâ ipsius voluntate. Idem tenendum quoque de diversis viis promovendi Ministros sacros, Electione, Collatione, Præsentatione, Nominatione, Institutione.

Ex iisdem Observationibus colligitur etiam, hodiernum usum quo per totam Occidentalem Ecclesiam, Principes partes suas interponunt promotioni ad præcipuas sacras dignitates, vel præsentando, vel nominando, vel supplicando Canonicis Regulis Corpori Juris insertis non adversari, imò potiùs cum plurimis rectè concordare, ideoque hoc unum optandum superesse, ut factæ eâ viâ promotiones aliunde sint æquæ, pariterque Canonicæ.

SECTIO III.

Regula de potestate Parentum in offerendis Filiis impuberibus in vitam vel Clericalem, vel Regularem, è Corpore Juris desumpta.

Antequam promissæ in Titulo Regulæ colligantur, observandum est Constitutiones circa prædictam potestatem effectus suos habere non posse, nisi & Principis & Ecclesiæ autoritate muniantur, ideoque esse debere ut ita dicamus Nomocanonicas, vel quod eodem recidit Ecclesiastico-Civiles: Cujus rei Ratio; Patria in Liberos potestas, à Lege est minor majorve, pro Legislatoris voluntate; animam vero Filii ad hanc vel illam rem factam per votum obligandi potestas ab Eclesia proficisci videtur, aut saltem ab illa fuit ritus quo Liberi vovendi sunt.

Hinc quia per Leges Parentes personam Filii puberis obligare non poterant, nisi iste vellet; iisdem Parentibus non licebat Filios puberes vovere nisi isti vellent.

Hinc quia per Canones ante decimum octavum annum, pueri in Monasteriis Insulanis recipi non debebant, Filii impuberes á Parentibus voveri non poterant ad vitam in his Monasteriis transigendam pro tempore intercedenre 14. & 18. annum.

Observandum secundò, oblationes hujusmodi, usu, non Canone, introductas, usumque ex similibus, quæ in Veteri Testamento leguntur, profectum esse; ideoque Canones quoscumque oblationes illas jam usitatas supponere; quique illas defendere volunt, illarum defensionem ex prædictis exemplis præcipuè petere.

Observandum, illas oblationes numquam prohibitas fuisse, nec etiam nunc prohiberi: in Orientali & Occidentali Ecclesia usurpatas fuisse, illasque ostendere quanta fuerit Patria potestas, quantaque esse possit, ideoque non inutilem fore susceptam discussionem, etiam quoad praxim hodiernam, circa Matrimonia Filiorum præsertim minorum contra Parentum voluntatem, ingressumque in Religionem illis reluctantibus. His observatis

REGU-

REGULA I.

Juris Textus extat nullus qui Parentibus permittat, ut Filios puberes, io vitam Clericalem, vel Monachalem, nisi ea conditione, si isti consenserint, offerant.

Non obstant Canones, qui de Parentum potestate ad vovendos Filios indistinctè loquuntur; qualis. *Cap.* 6. Caus. XX. Quæst. I.

Non obstant inquam, quia Canones isti explicandi sunt per illos, qui prædictam Parentum potestatem restringunt, ad obligandos per Votum Filios impuberes; quales *Cap.* 1. 2. Caus. XX. Quæst. II.

Non obstat. *Cap.* 7. Caus. XXVII. Quæst. I. in quo *Conc.* Paris. V. *ann.* 615. ratam habet Viduarum, quæ puberes esse solent, Professionem, sive à Parentibus habitum Religiosum, sive per se susceperint: nam *cit. Canon.* de puellis simul ac viduis loquitur; undè prior. alternativæ pars virgines respicere potest, & debet; posterior verò viduas. Dici etiam posset, viduas rite Professionem facere, sive per se solas, sive per se, & per Parentes simul; sed prior solutio præferenda videtur.

REGULA II.

Antiquiores habemus Juris Textus circa vovendi impuberes potestatem, quàm circa, illos per Votum obligandi, etiam post adeptam pubertatem, similem potestatem.

REGULA III.

Paulò post medium sæculi IV. Canones Corpori Juris inserti, de potestate Parentum ad vovendos Filios meminisse cæperunt.

Antiquior omnium Canon, est *Cap.* 4. Caus. XX. Quæst. II. ex S. Basilio desumptum, hæc *ann.* 362. scribente: *Oportet infantes, cum voluntate & consensu Parentum, imò ab ipsis Parentibus, oblatos esse.*

Non obstat *Cap.* 10. Caus. XX. Quæst. I. in quo Marcellus I. *ann.* 306. nonnulla præcipit circa Filios à Parentibus oblatos; textus enim hic suppositicius est; tùm quia mentionem facit de Monasteriis, & nondum erant Monasteria; tùm quia meminit Sacræ Tonsuræ Monachalis nondum institutæ; tùm demùm quia Pontificum Epistolæ Siricium præcedentes spuriæ sunt, nisi apud vetustiores Sciptores etiam reperiantur.

REGULA IV.

Ex Corpore Juris colligere non est in Oriente à Parentibus Filios impuberes, etiam pro tempore pubertatis, voveri potuisse; imò hinc contrarium deduci potest.

Prior Pars patet ex eo quod in toto Juris Corpore, unus tantùm extat Textus, qui quoad prædictam potestatem, Orientem spectet: Id autem est *Can. supra* ex S. Basilio *citatus*, qoi solemnitatem in recipiendis oblatis pueris servandam dumtaxar docet.

Posterior infertur ex eo quod *Cap.* 1. Caus. XX. Quæst. I. ex eodem S. Basil. desumptum, de Professione Virginitatis ante pubertatem emissa loquens, ait, illam firmam non esse, nisi postquàm adulta cœperit esse ætas, & ea quæ solet apta nuptiis deputari; nam si Professio à Filio impubere emissa non valeat, nisi post pubertatem rata habeatur, per perseverantiam in re promissa; consequi videtur oblationem impuberis à Patre factam, firmam non fuisse, nisi postquàm oblatus, factus pubes, oblationem ratam babebat.

REGULA V.

Plurima Occidentalis Ecclesiæ, circa Patriam, Filios impuberes etiam, pro pubertatis tempore vovendi, potestatem, testimonia, Corpus Juris subministrat.

Tom. II.

Hæc testimonia collecta habes Caus. XX. Quæst. I. *Cap.* 2. 3. 4. 6. Quæst. II. Cap. 1. 2. *De Regular.* Cap. 11. 12.

Ex his testimoniis antiquius nullum apparet; quàm *Cap.* 3. Caus. XX. Quæst. I. desumptum è *Concil.* Tolet. *ann.* 633. celebr.

Non obstat *Cap.* 4. ejusdem Caus. & Quæst. Isidoro *Hispal.* inscriptum, & *ann.* 630. collocatum; incertum enim est an sit Isidori; cùm in ejus Operibus, quæ extant, non reperiatur; incertius adhuc, an supposito quod sit Isidori ab eodem scriptum sit anno illo quo collocatur.

REGULA VI.

Ex eisdem testimoniis nullum recentius quàm *Cap.* 12. *De Regular.* desumptum è Clem. III. *ann.* 1190. ab Editore collocatum.

Regula patet ex eo quod post illud, nullum aliud in Corpore Juris reperiatur, imò subsequens Cælest. III. Caput insinuet, oblatum à Patre, si factus adultus in vita Regulari persistere noluerit, ad sæculum redire posse.

Circa tempus, quo ab Editore Clem. III. Caput collocatur, nota quod Decretalis Clem. datâ careat, nec in illa ullum temporis, quo scripta sunt, indicium observetur, ideoque tempus illud præcisè sciri nequit; unde cùm ab *anno* 1188. ad *annum* 1191. regnavit; citea prædictæ Decretalis tempus, dicendum illam scriptam intra illud tempus. Gonzal. in illud, asserit nesciri cui Episcopo scriptum sit, ac de anno silet.

REGULA VII.

Prædicta testimonia omnia è quatuor præcipuis Ecclesiæ Occidentalis partibus eruuntur; nempè Romana, Gallica, Hispanica, Germanica. Ex Romana & Gallicana Ecclesia sumitur *Cap.* 11. *De Regul.* ab Alexand. III. *Belvacensi* Episcopo, circa *ann.* 1180. scriptum. Ex Gallica, atque ex Hispanica desumitur *Cap.* 3. Caus. XX. Quæst. I. & *Cap.* 1. Caus. XX. Quæst. II. nam certum est plures Galliarum Episcopos *Concil.* Toletanis interfuisse; & hæc *Cap.* Tolet. III. & X. Canones sunt: Romana & Germanica subministrant, *Cap.* 2. Caus. XX. Quæst. I. desumptum ex ipsa *Epist.* 4. Greg. III. ad Bonif. Germaniæ Legatum; notat *Correct. Rom.* Ex Germania petuntur etiam *Cap* 6. Caus. XX. Quæst. I. & 2. ejusdem Caus. Quæst. II. utrumque enim ad *Conc.* Tribur. in Germania celebr. *ann.* 895. pertinet.

REGULA VIII.

Per totum illud tempus quod ab antiquiori ad recentius testimonium interfluxit, nullum extat, saltem in Corpore Juris, quod his & aliis relatis adversetur.

Non obstat *Cap.* 8. Caus. XX. Quæst. I. in quo puellæ quæ Parentum imperio virginitatis propositum, habitumque susceperunt, nuptias eligere posse dicuntur: Nam 1°. desumitur oppositum è S. Leone qui sæculo & dimidio ad minus præcessit Epocham prædictam: 2°. S. Leo loquitur de puellis nubilibus, ideoque puberibus, eoque modo illum Clem. III. *C.* 12. De *Regul.* interpretatur: 3°. Loquitur de puellis coactis; at mox visuri sumus quod oblationi Parentum, etiam intra annos impubertatis, renitentes, ab illorum Voto eximebantur.

Noo obstat *Cap.* 9. *ejusdem* Caus. & Quæst, in quo Synodus habita ab Eugen. II. *ann.* 836. docere videtur, quod qui Monasteria non elegerunt ab his egredi permittendi sunt; quia quod non petunt, non observant: Prædicta enim Synodus loquitur de puberibus, qui ad vitam Regularem coguntur sine justa causa; id indicant hæc verba; *Qui inviti sine justa offen-*

sionis

sionis causa intromissi sunt, nisi volentes non teneantur. Per coactos autem justa de causa, hi intelliguntur qui propter crimina in Monasteria detruduntur.

Non obstat *Cap.* 4. CAUS. XX· QUÆST. III. quo NIC. I. insinuare videtur, quod tempore suo in Germania, Filius Parentum Voto non tenebatur, si factus adultus illud servare nolebat: nam NIC. de oblato loquitur, cujus oblatio irrita, vel irritanda erat, tùm ob justam Filii resistentiam, tùm ob non servatas solitas Solemnitates, de quibus posteà.

REGULA IX.

Quibus rationibus defendi potest licentia liberis data, ut post pubertatem sine Parentum consensu vitam Regularem amplecti possint, iisdem quoque excusari valet licentia aliàs Parentibus concessa, ut Filios impuberes etiam pro tempore pubertatis Deo obligarent.

Regula patet ex eo, quod si Religioois favore liberis permittendum est, ut res Parentum, illis non consentientibus, alienent; eadem de causa, non injustè aliàs Parentibus permittebatur, ut res Filiorum, iis non consentientibus, eo tempore, quo consensûs talis haud capaces erant, alienare possent.

Dicet aliquis, si eadem sit utriusque licentiæ causa, cur major datur liberis, quam aliâs Parentibus concederetur; cùm invitis Parentibus Liberi vitam Regularem vovere possint, & Parentes repugnantes Filios aliàs obligare non possent, ut mox ostendetur.

Huic Objectioni Respondendum, 1o. quod sicut audiendi Liberi erant, quando justa de causa Parentum illos offerentium voluntati resistebant; sic audiendi essent Parentes sese justè opponentes Filiorum Professioni Monasticæ. 2o. Negari non posse quoddam inter utramque licentiam interesse discrimen ex natura rei petitum, nempè ex necessitate vocationis Divinæ ad Vitam Religiosam, ipsamque sequendi, quando sufficienter nota est; hinc enim fit ut liberi Vitæ Regulari ineptos se existimantes, Parentibus ipsos Religioni offerentibus renitebantur; ac è converso, qui se se à Deo vocari justè credunt, opponentibus se Parentibus licitè non obediunt.

REGULA X.

Falsissimum est quod Paternæ Filiorum impuberum Oblationi conditio inesset, nisi factis adultis displiceret.

Colligitur Regula ex *Cap.* 2. CAUS. XX. QUÆST. I. Cap. 1. & *Cap.* 2. *Ead.* CAUS. QUÆST. II. ex quibus colligitur nec post nec ante pubertatem, Oblatis hujusmodi factam oblationem infringere licuisse.

Non obstat *Cap.* 8. & *Cap.* 11. *De Reg.* in quo ALEX. III. dicere videtur Oblatum ante adultam ætatem non ligari, nisi postea oblationem ratam habuerit: in utroque enim *Cap.* contrarium dicitur; cùm in priori ALEXANDER insinuet Oblatum impuberem, etiamsi infra annum decimum quartum pœniteat, exire non posse; in posteriori tres casus distinguat in quibus Monacho Monasticam vitam dimittere non liceat; primò, si Oblatus est; secundò, si post decimum quartum spontè intravit, aut saltem sine gravi metu; tertiò, si in minori ætate factam Professionem factus pubes ratam habet.

Nec etiam obstat *Cap.* 12. *De Regul.* quod declarare videtur Puellam Matrimonio à Parentibus traditam, Matrimonio copulari non posse, ex eo tantùm quod dum velata, & benedicta est, non contradixerit, & utrumque intra discretionis annos fieri soleat: nam CLEMENS III. Autor *Cap.* in eo bis distinguit duplicem Professionem, nempè in medio & in fine, quarum altera per Parentum voluntatem fit, altera per propriam ipsius Monachi voluntatem; prior autem si rata habenda fuisset à Monacho, tunc per propriam facta fuisset illius voluntatem.

REGULA XI.

Extra dubium esse videtur, Filium impuberem, qui nolens Monasterio offerebatur, nolens habitu Monachico induebatur, nolens illum retinebat, vitamque Monachalem agebat, eaque in resistentia ad pubertatem usque persistebat, habitum vitamque Regularem dimittere potuisse.

Regula desumitur ex *Cap.* 4. CAUS. XX. QUÆST. III. in quo NICOL. I. declarat LAMBERTUM eo modo à Patre autore oblatum, eaque in voluntate puberem factum, Voto Paterno non obligatum.

Non obstat, quod LAMBERTUS conquestus quoque fuerit, Solemnitates adhiberi solitas servatas non fuisse: nam NICOLAUS decisionem suam super solam violentiam fundat, ut patet his verbis quæ decisionis fundamentum continent: *Quapropter consultè Psalmographi verba recolentes, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat; præsentem* LAMBERTUM *minimè debere sub tali violentia Monachum fieri existimavimus; quod enim quis non eligit, nec aptat, profectò non diligit; quod autem non diligit, contemnit: Nullum quippè bonum nisi voluntarium.*

Relata NICOLAI verba quærendi ansam præbent, quid ante abrogatam Disciplinam, de qua hactenus, in Filios impuberes Deo offerendos Parentes possent, quod nunc non valeant, si voluntaria in Oblato sicut in offerente esse debuerit oblatio.

Cui Quæstioni Respondendum, discrimen grande interesse inter Disciplinam Veterem, & Disciplinam Novam circa rem propositam; illudque in eo potissimùm positum esse, quòd, juxta Veterem, ut Oblatus ligaretur, sufficeret illum offerenti Parenti non contradixisse, & substantiales ad hoc ritus servatos esse; juxta Novam autem, præterea requiritur ut post completam ad profitendum ætatem, Professionem emittat, vel anteà factam ratam habeat; alterutro autem deficiente, exire possit.

REGULA XII.

Parentibus determinatum erat tempus intra quod reclamare poterant Filios impuberes, illis insciis, Monachos vel Clericos factos, istudque tempus annale erat.

Colligitur Regula *Cap.* 2. *De Reg.*

REGULA XIII.

Circa Filios impuberes contra voluntatem à Parentibus oblatos, nullus est Textus, qui intra quod reclamare possent, tempus determinet.

Non obstat *Cap.* 2. mox citatum, in quo Filiis puberibus per vim Monachis factis, annus conceditur ad reclamandum: hinc enim concludi certò non potest, intra simile tempus Liberos impuberes contra voluntatem à Parentibus oblatos reclamare debuisse; cùm ætas non adulta propter majorem debilitatem, & ignorantiam, tempus majus requirere videatur.

REGULA XIV.

Offerendi Filios potestas, tàm ad Matrem quàm ad Patrem pertinet.

Colligitur ex citatis suprà Textibus, quorum plerique Parentibus, vel Progenitoribus indistinctè illam tribuunt; & abundè certum est, nomine Parentum tàm Matrem quàm Patrem comprehendi; undè si qui sunt Textus qui de solo Patre loqui videantur, qualis est *Can.* 3. CAUS. XX. QUÆST. I. per alios interpretandi sunt.

Præterea *Cap.* 2. *Ejusdem* CAUS. & QUÆST. de Matre specialem mentionem facit.

REGU-

REGULA XV.

Solemnitates ad prædictas oblationes non aliæ in Jure requiruntur, quàm istæ.

I. Ut coram pluribus testibus fierent; ait enim Divus Basilius, quod Oblati sub plurimorum testimonio suscipi deberent, *Cap.* 4. CAUS. XX. QUÆST. II.

II. Ut offerendus pallio Altaris indutus offerretur, *Cap.* 4. CAUS. XX. QUÆST. II.

III. Ut Oblati Benedictionem à Sacerdote aliquo vel ab Abbate susciperent. *Ibid.*

REGULA XVI.

Duodecimo saltem sæculo, Benedictio cum velamine Monialibus dabatur; & non nisi intra annos discretionis.

Utrumque in *Cap.* 12. *De Regular.* CLEM. III. expressis terminis memorat; & CLEM. III. ab *ann.* 1188. *ad* 1191. regnavit.

REGULA XVII.

Si intra discretionis annos semper Benedicti sunt Monachi, aut Oblati à Parentibus Benedicti non sunt, aut Benedictio Professioni accedebat; sed posterius verosimilius.

Prior Regulæ Pars colligitur ex iis Textibus qui Oblatos ante adultam ætatem veros Monachos fuisse evincunt.

Posterior inferri potest, ex en quod LAMAERTUS in *Cap.* 4. CAUS. XX. QUÆST. III. ab Athone Patre nondum decennis oblatus, se absque Regulari institutione cuculla indurum conqueritur; quod per subsequentia ita explicari videtur, ut idem sit ac offerri non indutum Altaris pallio, & sine Benedictione vestem Monachalem indui.

REGULA XVIII.

Sæculo XII. & XIII. Benedictioni conjunctam fuisse Missæ celebrationem certum est.

Infertur ex *Cap.* 14. *De Convers. conjug.* in quo INNOC. III. *ann.* 1210. Archiepiscopo LUGDUNENSI scribens hæc habet: *Ex parte tuâ est intimatum, quod cùm quadam Mulier velum viduitatis, coram duobus Abbatibus assumpsit, Benedictione solemni, cum celebratione Missæ ac Litaniâ, Sicut debuit, accedente:* Ex quibus verbis hæc notanda sunt: *Sicut debuit;* quibus patet totam hanc Ceremoniam nedum fieri solitam, sed & præceptam fuisse; eamque non recens, sed jamdiù institutam; neque Gallis peculiarem, sed aliis Ecclesiis communem; cùm de illa Ceremonia tanquam de re omnibus nota & passim usitata loquatur.

REGULA XIX.

Quam in Filios non adultos Parentes habuere potestatem, eâdem Domini in servos, tàm adultos quàm non adultos, potiti sunt.

De non adultis dubitare non licet; undè quoad partem hanc, ut Regula probetur opus non est; De Adultis patet ex *Cap.* 1. *De Regular.* prout apud GONZALEM habetur, in quo hæc leguntur: *Deinceps hoc cavendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate, spontaneaque voluntate, vel licentia Domini sui.* Undè inferre licet, servos posse cum licentia Domini sui tonsurari invitos; hinc ergo petere licet ratiocinium *à majori ad minus*, ex potestate Dominorum circa vovendos servos ad potestatem Parentum circa vovendos Filios.

SECTIO IV.

Circa Parentum in vovendis filiis Potestatem dubia nonnulla proponuntur.

Dubitatur primò, an concessa Parentibus pro pubertatis tempore Filios impuberes vovendi potestas Legi Divinæ adversum quid habeat.

Dubitandi Ratio: Illius est ad continentiam vocare, cujus est illam dare; cùm ergo continentiam solus Deus dare possit, ad illam vocatio ad solum Deum pertineat, oportet; qui autem aliquem in vitam Regularem vovet, ad continentiam illum vocat; cùm ad illam illum obliget.

Attamen verosimillimum est, prædictam potestatem Legi Divinæ non adversari: nam JEREMIÆ XXXV. legimus, JONADAB Filium RECHAB ad quoddam vitæ Regularis genus posteros obligasse; cùm illis laboriosam à vino abstinentiam, variis incommodis expositam, sub Tabernaculis habitationem, agros possidendi facultatis abdicationem, præcepisset; eam autem necessitatem posteris suis à JONADAB impositam, acceptam habuisse Deum; ita ut JEREMIÆ ore JONADAB et posteros laudaverit, quod ob debitam Parenti suo reverentiam, quæ ab illo præcepta acceperant, Religiosè servarent.

Legimus quoque *Reg.* I. SAMUEL ab ANNA matre sua, antèquam natus fuisset, Domino consecratum fuisse, atque ad abstinentiam à vino, aliaque NAZARÆATUS perpetui, vitam Religiosam non obscurè adumbrantes, præcepta, obligatum fuisse.

Non obstat quod continentia difficiliùs servetur, quàm abstinentia à vino. Etsi enim faciliùs abstineat quis à vino, quàm à muliere per totam vitam, à vino nemo abstinere potest virtutis amore, nisi Divino fretus auxilio; unde si ad continentiam vovere Filium Pater non potest, quia illam virtutem filio dare non potest; propter eamdem rationem, nec ad abstinentiam à vino Filius voveri poterit.

Hinc patet oppositam rationem nimium probare, cùm ad illa omnia extendatur, quæ absque Dei gratia impleri non possunt; si quid enim hîc valeret, nullam Legem ab homine homini imponi posse ostenderet; cum ad servandas Leges humanas gratia necessaria sit, ideoque dici possit illius esse ad res iis Legibus præceptas obligare, cujus est illarum observantiam dare.

Si dicas Deum se se obligasse ut nobis opem ferat ad implendas humanas Leges, dum jussit ut Legislatoribus nobis præpositis obediremus; dicam ego similem opem promisisse Deum, ut probata ab Ecclesia Vota Parentum circa nos impleamus, dum præcipit ut Parentes honoremus, idque præsertim illorum in nos autoritatem reverendo.

Dubitatur secundò, an prædicta potestas Divi PAULI Doctrinæ repugnet; hic enim 1. *Cor.* *VII.* docere videtur, continentiam suaderi posse, imperari non posse, ℣. 25. 26. cùm dicat nullum à Domino Præceptum accepisse circa virgines; consilium autem dare, ut Matrimonium non contrahant, quia propter tribulationes hujus vitæ bonum est uxorem vel maritum non quærere; hæc autem est dubitandi ratio. Cui respondendum 1°. Virginibus Continentiam à Divo PAULO præcipi non potuisse, cùm præceptum hujusmodi generalem Matrimonii prohibitionem includeret, utpote nedum temporis sui sed & futuri virgines respiciens. 2°. Addo eumdem Apostolum, qui virginibus Continentiam præcipere noluit, quia non potuit, quoddam Continentiæ genus Episcopis & Diaconis præcepisse, nempè à secundis nuptiis abstinentiam, dum præcipit ut unius uxoris essent mariti.

Tertiò, Ecclesiam PAULI vestigiis inhærentem idem Præceptum retinuisse, illique nonnihil addidisse; cùm in Occidente quibuscumque in Sacris Ordinibus constitutis, Continentiam omnimodam injunxerit; in Oriente verò Episcopis Matrimonii usum, & Presbyteris Diaconisque Matrimonii Contractum vetuerit.

Dubitatur 3°. An Concilia quæ Filios vovere etiam pro tempore pubertatis Parentibus permittunt, sibi constent? Ex eo autem dubium petitur, quod inter illa extent quæ ipsis Filiis permittunt, statim ac puberes sunt; ut seipsos voveant, non consentientibus Parentibus; undè sequitur eadem Concilia illinc velle, ut Filii puberes facti sui juris sint quoad vitæ Regularis Professionem, cùm quoad illam sui Dominos illos constituant; istinc verò nolle, ut iidem Filii sui juris sint, cùm Voto à Parentibus emisso illos adstringant; tale autem sit *Conc.* TRIB. quod *Cap.* 26. relato. Cap. 6. CAUS. XX. QUÆST. I. filios, quos Parentes voverunt, ut

ut istorum Vota impleant, obligat, & *Cap.* 24. Filiis pubertibus seipsos Deo dedicandi facultatem concedit. Refertur iste *Canon* Cap. 2. CAUS. XX. QUÆST. II.

Verùm dubii hujus difficilis non est solutio; citatum enim *Conc.* nequaquam sibi contrarium est, cum ad id requireretur, ut eosdem filios puberes, dum adhuc liberi sunt, juris sui faceret, & non faceret; quod certè non facit; prior siquidem Canon loquitur de filiis jamjam à Parentibus Deo obligatis, qui proinde sui juris esse non poterant; posterior verò de non obligatis, quibus ideò sui Dominis esse licebat; vel quod eodem recidit, posteriori Canone filii post adeptam pubertatem sibi ipsis non dimittuntur, nisi quando illos anteà obligare Parentibus non placuit.

Dubitatur quartò, an prædicta Parentum in filios potestas Legi Civili adversetur; id autem ita esse videtur; ea enim lege is cui usufructus ad tempus relictus est, ultra tempus illud obligare illum non potest; citatis autem superioti Dubio Canonibus *Conc.* TRID. Filii non subsunt Patris potestati ultra pubertatem, undè concludere est à Parentibus ultra impubertatis tempus Filos obligari non posse.

Sed contra veritas; longè enim abest quin prædicta potestas usufructui ad tempus concesso similis esset; plena erat Parentum in Filios potestas, illorum Domini erant; circumscriptum quidem erat tempus quo illa frituri erant potestate; sed ista circumscripta non erat, nec ad usum, nec ad usumfructum; cum ad obligandos ipsos filios extenderetur: Verùm ut omnis omninò tollatur ambiguitas, certaque simul ac clara appareat solutio, distinguendum duplex tempus, atque utriusque reddenda ratio; aliud enim est tempus intra quod Voto Paterno obligandi erant Filii, aliud quo duratura erat obligatio. Prius eodem quo puberes fiebant momento, expirabat; cujus rei causa erat, quia pubertate vitæ generis eligendi capaces Filii efficiebantur: Posterius pro voventis voluntate Voto significata durabat; nempè per totam vitam, si ad vitam Regularem, vel Clericalem, Pater Filium vovebat; vel per definitum spatium, si ad rem vovebat natura sua non perpetuam, nec etiam voventis voluntate, qualis esset illius educatio in Monasterio: Hujus rei ratio; intra limitatum possessionis tempus, cum integra pro arbitrio alienandi facultate, Parentes Filios possidebant.

Dubitatur quintò, num aliqui extent Canones qui Filios puberes Parentibus voveri permiserint: ex eo nascitur dubium, quod non desint Canones qui indistinctè loquantur. *V gr. Can* 3. CAUS XX. QUÆST. I. è *Conc.* TOLET. IV. desumptus indistinctè dicit paterna devotione, vel propria Professione, Monachum fieri; & *Cap.* 6. Quem Progenitores ad Monasterium tradiderunt, & cæpit in Ecclesia canere & legere, ad Sæculum reverti non posse; hic autem *Can.* è *Conc.* TRIBUR. desumitur.

Præterea *Can.* 1. CAUS. XX. QUÆST. II. concessam Parentibus Filios vovendi licentiam, intra decimum quartum annum restringit; atque indè insinuat post eumdem annum decimum quartum, à Parentibus Filios anteà voveri potuisse.

Attamen certum est, nec in Corpore Juris, nec alibi, ullum reperiri Canonem qui Parentibus expressè concederet, ut Filios puberes vovere possent. Certum est etiam *Can.* 2. CAUS. XX. QUÆST. II. è *Conc.* TRIB. desumptum, intra annum duodecimum Filias vovendi facultatem restringere, indeque sequi Canones qui de illa indistinctè loquuntur, explicandos per eos qui illam certum intra tempus circumscribunt; cùm suprà citatorum pro indistincta vovendi facultate Canonum posterior è *Conc.* TRIB. etiam desumatur.

Certum est denique, ex Canonibus qui concessam Parentibus Filios vovendi facultatem, intra annum duodecimum erga Filias, & decimum quartum erga Filios, inferri certò non posse, alios extitisse qui Filios puberes vovere permitterent, cùm ætatem illam determinare potuerint, ne pubertas ulteriùs protenderetur.

Quæri posset, an Parentes potestatem tantam habuerint circa Filios non adultos Matrimonio locandos, quantam habuisse ostensum est circa Filios vovendos.

Unicus Textus est qui rei quæsitæ meminerit, nempe *Cap.* 1. *De Desponsat. Impuber.* HORMISDÆ tribuitur, & quæ ad rem sic se habent: *Potest Filium non adultum (voluntas cujus discerni non potest) Pater cui vult Matrimonio tradere, & postquam Filius pervenit ad perfectam ætatem, omninò debet hoc adimplere*: tria postrema verba denotant in Filio strictam obligationem. Circa eadem notat PITHÆUS, quasi judicium impuberis suppleverit autoritas Patris. Idem Textus est in CAUS. XXX. QUÆST. II. *Cap.* 3. Circa illum notant *Correct. Rom.* in vulgatis citari ex HONORIO; sed in *Cap.* 2. *Collect.* 1. DECR. HORMISDÆ adscribitur. Relatis supra verbis additur clausula quæ hanc decisionem, tamquam rem gravissimi momenti ab omnibus tenendam, commendat; sed cùm hic Textus unicus sit de hac potestate loquens, incertus quoque ejus Autor, ac insolitam habeat clausulam, hac fruitos Parentes dubium est, aut saltem rarò id factum credere est, ideoque non comparanda cum potestate vovendi Filios, de qua tot tantaque certæ fidei sunt testimonia.

TITULUS XV.

Sive Tractatus de Locis Sacris, ubi res Sacræ peraguntur, & potissimùm de Ecclesiis; quarum Immunitas, Constructio, Dotatio, Consecratio, Pollutio, Reconciliatio, Reparatio, Profanatio Juridica explicantur, partim per Collectionem Decisionum Juris, ipsis illius verbis conceptarum, partim per Regulas, Quæstiones, & Observationes.

PARS PRIOR

Decisiones Juris verbatim descriptas comprehendens.

SECTIO I.

De Immunitate Ecclesiastica libertatis, & exemptione tàm Ecclesiarum, quàm Personarum Ecclesiasticarum ab oneribus Communibus quæ Laicis imponi solent.

HIc revocanda in memoriam quæ dicta sunt initio Prioris Partis Prolegomenorum, de distinctione Potestatis Spiritualis & Temporalis; nempè utramque esse immediatè à Deo; illam præfici Spiritualibus, istam Temporalibus; utramque independentem in his quæ verè sui Juris sunt. A Spirituali emanare Privilegia circa Spiritualia; & à Temporali, illa quæ sunt circa Temporalia: inter Temporalia recenseri corpora, bona, & loca, omniaque sensibilia; inter Spiritualia, illa quæ animam proximè respiciunt. Jus Divinum vocari impropriè, quidquid in Scriptura continetur, atque etiam quidquid ratio naturalis dictat congruum, decens, vel conveniens esse; Spiritualia ac Temporalia alia esse in se, & ex sua natura, alia tantùm accessoriè; facultatem condendi Leges, illas interpretandi, easque exequendi, pertinere ad Potestatem præfectam rebus sui Juris, penes illam esse judicare de utilitate publica, cujus cura sibi incumbit. Sive Spirituali

rituali rei, ſive Temporali bona Temporalia accedant, ſubjici ſaluti publicæ temporali; ad Eccleſiam tranſire cum illo onere. Privilegia revocari, reſtringive poſſe ab eo à quo emanant; illius eſſe illa interpretari. Hæc autem præmittuntur Textibus colligendis circa Immunitates; quarum aliæ Perſonas, aliæ res, aliæ loca reſpiciunt, ad bene judicandum de germano illorum ſenſu; aliàs periculum magnum eſt, ne ultra mentem in illis loquentium extendantur. Huc etiam ſpectant collectæ Regulæ de Privilegiis, Tom. I. *Part. 2. versùs finem.*

§. I.

Quo jure Immunitas Eccleſiaſtica libertatis Eccleſia competat? In quo conſiſtat? Quàm agrè ferat Eccleſia Laicos illam violare, & ſub quibus pœnis id vetet?

I. Immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis, non tantùm Sancti Patres, ſed etiam Principes Sæculares Privilegiis multis munierunt. *De Rebus Eccleſiæ non alienandis* &c. Cap. *Cùm Laicis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12. *Poſt init.*

II. Paternarum traditionum exemplis commoniti, Paſtoralis Officii debitum perſolventes, Eccleſias cum bonis ſuis, tàm perſonis quàm poſſeſſionibus, Clericos videlicet ac Monachos, eorumque Converſos Oratores quoque cum ſuis nihilominùs rebus quas ferunt, tutos & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus; ſi quis contra hoc facere præſumpſerit, à liminibus Eccleſiæ arceatur, & Anathematis gladio feriatur. Caus. XXIV. Quæst. III. Cap. 24. *Paternarum.* Calixtus II. *ann.* 1123.

Indecorum eſt Sæculares in Eccleſia judicare. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 22. *In nona. Poſt. init.*

Agrorum vel Clericorum immunitate conceſſa. *Conc.* Aurelian. I. *ann.* 511. *Can.* 5. Tom. IV. *Concil. p.* 1405.

III. Non placuit Laïcum ſtatuendi in Eccleſia habere aliquam poteſtatem, cui obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi. *Ibid.* Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 23. *Non placuit.*

IV. Laïcis nulla eſt de ſpiritualibus concedendi vel diſponendi facultas. *De Decimis.* Cap. *Tua. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 25.

V. Ut Laïci Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant; ſed Epiſcopi, Abbates, Archiepiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati de negotiis Eccleſiaſticis, maximè de illis quæ Spiritualia eſſe noſcuntur, Laïcorum judicio non diſponant. *De Judiciis.* Cap. *Decernimus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 2. *Conc.* Matiscon. II. *ann.* 585. *Can.* 8. Tom. V. Conc. *p.* 984. *Conc.* Rhamense *ann.* 625. *Can.* 7. Tom. V. Conc. *p.* 1690. *Conc.* Suession. *an.* 853. Cap. 8. Tom. VIII. Conc. *p.* 83.

VI. In domibus Eccléſiarum, neque Miſſus, neque Comes, vel Judex, quaſi pro conſuetudine, neque placitum neque hoſpitium vindicent. *Conc.* Ravennensa, *ann.* 878. *Statuto* 19. Tom. IX. *Conc. p.* 304.

VII. Laïcis, quamvis Religioſis, diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla eſt attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi. *De Rebus Eccleſiæ non alienandis.* Cap. *Cùm Laicis. inis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

VIII. Si Laici ad Deum, à quo cuncta bona procedunt, debitum reſpectum haberent, Jus Eccleſiaſticum diminuere non contenderent. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *verùm.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 26.

IX. Grave nimis & Divini dignum animadverſione judicii habetur, quod Laïci quidam, quod Sacerdotum eſt, in Eccleſiaſticis rebus uſurpant. *De Decimis.* Cap. *Quamvis. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 17.

X. Dolendum in quibuſdam ex Laicis ſic refrigeſcere caritatem, quòd immunitatem Eccleſiaſticæ libertatis non formidant, ſuis Conſtitutionibus, vel potiùs deſtitutionibus impugnare; de uſurpatione juriſdictionum, & aliis quæ Juri Spirituali videntur annexa, illicitè præſumendo. *De Rebus Eccleſiæ non alienandis.* Cap. *Cùm Laicis. Poſt init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

XI. Volens Eccleſia ſuper his indemnitatibus conſulere Eccleſiarum, Conſtitutiones hujuſmodi ſine legitimo perſonarum Eccleſiaſticarum aſſenſu præſumptas, cùm non Conſtitutio, ſed deſtitutio vel deſtructio dici poſſit, nec non uſurpatio Juriſdictionis, decernit non tenere, præſumptoribus per Cenſuram Eccleſiaſticam compellendis. *De Rebus Eccleſiæ non alienandis.* Cap. *Cùm Laicis.* §. *volentes.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

Hactenùs collectæ Sententiæ Generales in favorem libertatis Eccleſiæ in ſe ſumptæ, eximiæ ſunt; ſed plerumque periculoſæ in applicatione caſibus particularibus; plura enim judicantur adverſa libertati huic, quæ veræ & germanæ libertati contraria non ſunt; & nihilominùs hujuſmodi ſententiæ, ſæpiùs iteratæ in Jure, ad iſtam reſtringendæ ſunt.

XII. Excommunicantur qui ſervari fecerint Statuta edita, & Conſuetudines, vel potiùs abuſiones introductas contra Eccleſiæ libertatem. *De Sent. Excom.* Cap. *Noverit.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 49. *In integra.*

XIII. Ut ſecundùm Canonicam autoritatem, de agro Eccleſiaſtico ac manſo, vel ſi quilibet pro loco ſepulturæ aliquid largitus Eccleſiæ fuerit, neque de Decimis, & Oblationibus fidelium, cuiquam Presbyteros aliquem cenſum perſolvere cogat &c. *Conc.* Magn. *an.* 845. Cap. 63. Tom. VII. *Conc. p.* 1838.

§. II.

Quo jure, & qua onera, & ſub quibus pœnis vetitum ſit Laicis, ab Eccleſiis & Eccleſiaſticis Perſonis exigere?

I. Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque Perſonæ, ac res ipſarum, non ſolùm Jure Humano, quin imo & Divino, à Sæcularium Perſonarum exactionibus ſunt immunes. *In 6. De Cenſibus.* Cap. *Quanquam.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 20. Cap. 4.

Jus Divinum hìc ſumitur impropriè, hoc eſt, pro eo quod in Jure Divino fundamentum habet, qualis æquitas Sacros Miniſtros eximendi ab his oneribus, quam videre eſt in exemplo Pharaonis. Genes. 47.

II. Prohibitum eſt, ne quæcumque perſona, vicem Sæcularis Poteſtatis gerens, viris Eccleſiaſticis, in domibus, aut aliis rebus ſuis injuriam præſumat inferre; ſed tàm in his quàm in aliis Privilegia ipſis à Regibus vel Epiſcopis pia conſideratione conceſſa, inviolata conſerventur. *De Inſtitutionib.* Cap. *Autoritate. In int. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 4. *Principes* quoad temporalia; *Epiſcopi* quoad ſpiritualia; *Pia conſideratione*, id eſt, Religionis intuitu.

Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticarum Immunitas Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus eſt conſtituta. *Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Ref.* Cap. 20. *med.* hæc verba *Dei Ordinatione* docent Religionem Divinam Privilegiis dignam eſſe.

Si quilibet, pro loco ſepulturæ. &c. Caus. XXIII. Quæst. VIII. Cap. 24. ex *Conc.* Paris. vel Meldens. quæ exemptionis temporalis conceſſionem Principi tribuunt.

III. Adverſùs Conſules vel Rectores Civitatum, vel alios qui Eccleſias & Eccleſiaſticos viros, talliis ſeu collectis & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens Immunitati Eccleſiaſticæ *Concilium* Later. providere, præſumptionem hujuſmodi ſub Anathematis diſtrictione prohibuit; tranſgreſſores & fautores eorum excommunicationi ſubjacere præcepit, donec ſatiſfactionem impenderint competentem. *De Immunit. Eccleſiarum.* Cap. *Adverſùs. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 7. Manente Privilegio Principis eximente Miniſtros

Sacros eorumque bona à talliis aliisve oneribus, justè puniantur Consules illa illis imponentes.

IV. Immunitatem Ecclesiasticæ Libertatis nedum Sancti Patres, sed etiam Principes Sæculares, multis Privilegiis munierunt. *De Rebus Eccl. alien.* Cap. *Cum Laicis. in int. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12. *ult. Vid.* notam in *num.* 2.

V. Constitutiones & Sententiæ quæ à Laïcis, vel de ipsorum mandato, circa talia fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ. *Ibid. De Immunitate Eccl.* Cap. *Adversus.* §. *quia. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 7. Principis est irritare judicia circa temporalia, Ecclesiæ verè circa spiritualia.

VI. Si Consules, aut alii, fossata, sive expeditiones, seu alia de bonis Ecclesiarum aut Clericorum & pauperum, Christi usibus deputatis, compleverint, & commoniti desistere noluerint; tàm ipsi quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere; nec communioni reddantur donec satisfactionem fecerint competentem. *De Immunit.* Cap. 4. Inferiores Principi minuere nequeunt concessam ab illo immunitatem.

VII. Statutum est illud, contra quoscunque Laïcos, exigentes seu extorquentes ab Ecclesiis Ecclesiasticisque Personis tallias, seu collectas, aut exactiones quascumque, & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel favorem, inviolabiliter observari, quod super hoc in Lateranensi & Generali *Conciliis* salubriter est provisum. Clementina. *Quoniam. med.* [*De Immunit. Eccles.* Clementinarum Lib. III. *Tit.* 17. *Cap. unic.* Duplex peccatum: violentia, & defectus potestatis si sine Principis consensu fieret.

VIII. Decernit & præcipit Sta Synodus Tridentina, Sacros Canones & Concilia Generalia omnia, nec non alias Apostolicas Constitutiones in favorem Ecclesiasticarum Personarum ac libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia etiam innovat, ab omnibus observari debere. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Reform.* Cap. 20. *med.*

Restringendum hoc Decretum ad Immunitates Spirituales, quæ solæ emanare possunt à Conciliis & à Pontificibus Summis; si extendatur ad temporales, id limitandum ad approbatas à Principe.

§. III.

Quibus in casibus licitum sit Episcopis, & Clero, Ecclesiis, & Ecclesiasticis Personis, onera aliqua imponere, & quomodo?

I. Si Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem adspexerint, ut absque illa exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda, de bonis Ecclesiarum & Clericorum fiat. *De Immunit. Eccles.* Cap. *Non minùs.* §. 2. *quocircà. Init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 4. Ad hunc consensum Clerus tenetur.

II. Sustineatur pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum à subditis Episcopi valeant auxilium postulare. *De Censibus.* Cap. *Cùm Apostolus.* §. 2. *prohibemus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 6. Hoc fieri nequit sine licentia Principis, si obligatio solvendi imponatur.

III. De exterioribus suis quæ palàm cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit. Caus. XXIII. Quæst. VIII. Cap. 22.

IV. De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitùs est pro pace & quiete, qua nos tueri & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est. *Ibid. Concil.* Liptinense *ann.* 743. Cap. 2. Tom. IV. Concil. *p.* 1537.

V. Si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel utilitatem perspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi Laïcorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, Laici humiliter & devotè recipiant cùm gratiarum actione. *Ibid. De Immunit. Ecclesiast.* Cap. *Adversus. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 7.

VI. Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. *Ibid. De Immunit. Eccles.* Cap. *Adversus.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 7. Non recipitur in Galliâ, nec in nonnullis aliis ditionibus, quoad ultimam clausulam; quia Principem subjicit Papæ in temporalibus Regni sui necessitatibus.

VII. Statutum est illud, circa præstandas subventiones Laïcis, ab Ecclesiarum Prælatis, ac aliis viris Ecclesiasticis, inviolabiliter observari, quod super hoc in Lateranensi & Generali Conciliis salubriter est provisum. Clement. *unicâ. De Immunit. Eccles.* Lib. III. Clement. *Tit.* 17. *& ult.* Cap. unico.

§. IV.

Quandonam Reges Franciæ possint à Clero subsidium petere, etiam inconsulto Romano Pontifice?

I. Si Regi Franciæ & Successoribus suis, pro universali vel particulari ejusdem Regni defensione, periculosa necessitas immineret, Rex & Successores sui possent à Prælatis & Personis Ecclesiasticis dicti Regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium vel contributionem; illudque vel illam, Prælati & Personæ prædictæ, Regi & Successoribus suis, inconsulto etiam Romano Pontifice, teneantur & valeant sub quotæ nomine, aut aliàs etiam, impertiri; non obstantibus Constitutione contraria, seu quovis exemptionis aut alio quolibet privilegio, sub quacumque verborum forma confecto, à Sede Apostolica impetrato. *Bulla* Bonifacii VIII. *Etsi de Statu. anni* 1297. 11. *Calendas Augusti.* Vide eumdem Raynaldum ad *ann.* 1296. in *Bulla* ad Regem Philippum. *Concil. ad Theodonis villam ann.* 844. C. 4. *fin.* Tom. VII. Conc. *p.* 1804.

II. Necessitatis declaratio supradictæ, Regis & successorum suorum conscientiis, dummodò successores ipsi vicesimum ætatis annum attigerint, relinquatur; super quo sua & Successorum prædictorum conscientiæ onerentur. *Ibidem. Probationum Libertatum Gallicanarum,* Tom. II. Cap. 39. *Artic.* 10. *p.* 1089. *fin;* & apud Raynaldum *Annalium Ecclesiæ* Tom. XIV. ad annum 1297. n. 50.

III. Regi & eisdem Successoribus innotescat, quod quidquid recipi ultra ipsius defensionis casum contigerit, ipse & iidem Successores in suarum recipient periculum animarum: super quo nisi sibi salubriter providere curent, attendere poterunt in quo periculo eos contigerit remanere. *Ibidem.*

IV. Si verò defensionis prædictæ tempore, hujusmodi ætatis annum præfati non exegerint Successores; declaratio necessitatis ejusdem Prælatorum, Clericorum, qui de ipsorum Successorum stricto Consilio, seu majoris partis ipsorum fuerint, conscientiis relinquatur; quorum similiter conscientias onerari volumus, eisque pleniùs aperiri, quod si quid ultra casum defensionis reciperetur, ejusdem in dispendium salutis Consiliariorum reciperetur ipsorum, illudque restituere teneantur. *Ibid.*

Bulla hæc Privilegium non est, sed declaratio Juris Communis, quo subditi, etiam Ecclesiastici, tenentur succurrere Principi suo in verâ Regni necessitate; ac hic casus exceptus subintelligitur in Decreto *Concilii* Lateranensis: Prætereà de Principe expresse non loquitur, ideòque in illo comprehendi præsumendus non est; cùm ob eminentem illius dignitatem in Decretis Ecclesiasticis sibi contrariis exprimi debeat & soleat, si mens Eccesiæ sit ut in illis comprehendatur.

Extat *ibidem* alia Bulla ejusdem Pontificis, quâ Prælatos tres Regni committit ad cogendum Ecclesiasticos, ut subsidia Regi exhibeant ad redimendam Regiam prolem, si contigerit in captivitatem redigi. Quod de coactione temporali in illâ dicitur, habitum est pro non inserto.

§. V.

§. V.

Clericos teneri libertates suas defendere; nullamque vim habere quod sit contra illas.

I. Clerici se debent opponere pro juribus Ecclesiæ defendendis. Glossa *ad Caput* Generali, *De Electione, in 6.* Verbo *Opponunt. in 6.* Lib. III. *Tit. 6.* Cap. 13. §. 10. *illos.*

II. Consuetudines quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, decet remittere. *De Consuetudine.* Cap. *Consuetudines.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 1.

III. Decretum est, ut cultus atque honor Ecclesiarum Dei, in omnibus, & ab omnibus Religiosè custodiatur; & digna reverentia immunitatibus earum ac Ministris exhibeatur. *Concil.* Trosleianum, *ann.* 909. *Cap.* 1. Tom. IX. Conc. *p.* 524.

IV. Quæ in Ecclesiarum & Ecclesiasticorum virorum præjudicium attentantur, firmitatem sortiri non decet; sed ad Ecclesiarum indemnitatem debent potiùs infirmari. *De Constitutionib.* Cap. *Quæ in Ecclesiarum. in integra. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 7.

V. Quod redundat in dispendium Ecclesiasticæ libertatis non tenet. *De Electione.* Cap. *Sacrosancta. §. 2. Colligitur.* Lib. I. Decr. *Tit. 6. Cap.* 51. Agebatur de optione concessa Laico, ut è duobus nominatis, Abbatem eligeret quem mallet; undè fiebat, ut Laïcus plus Juris haberet in concessione Priotatuum Regularium, quàm ipse Abbas.

VI. Quod redundat in gravamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis, penitùs abolendum est. *Ibid. De Electione.* Cap. *Cum terra. §. quia igitur. init.* Lib. I. Decr. *Tit. 6. Cap.* 14. quod vetat ne assensus Regis ante electionem, vel in electione petatur, tamquam rem oppositam libertati illius electionis, permittens tamen ut id fiat post electionem.

§. VI.

Quæ sint partes Principum Temporalium ad conservandas, tùm reverentiam Clericis debitam, tùm Ecclesiæ & Clericorum libertates?

I. Cupiens S. Synodus Trident. Ecclesiasticam Disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam tectamque à quibuscumque impedimentis conservari; Sæculares Principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut Catholicos, jus suum Ecclesiæ restitui, non tàm esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & Superiores Ordines reverentiam revocaturos. *Concil.* Trid. Ssss. XXV. *De Refor. Cap.* 20. *init.* Hæc reverentia origo est immunitatum; & quia à Deo præcepta est, istæ dicuntur esse Juris Divini.

II. Quousque privilegia sunt servata Statûs Ecclesiastici, profecit in augmentum sui conservatus à Deo Status Regni. *Concil.* Trosleianum, *ann.* 909. *Cap.* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 529.

III. Confidit etiam illos non permissuros, ut Officiales aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliquâ violent; sed unà cum ipsis Principibus, debitam Sacris Summorum Pontificum & Conciliorum Constitutionibus observantiam præstent. *Concil.* Trid. Sess. XXV, Decr. II. *De Refor. Cap.* 20. Hoc confirmat Notam. *n.* 1.

IV. Prætereà admonet Reges, Principes, & omnes & singulos cujuscumque status & dignitatis extiterint, ut quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati; eò sanctiùs quæ Ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximèque Ministris ipsorum Principum lædi patiantur. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXV. *De Ref. Cap.* 20. Prædictæ reverentiæ cura Principibus incumbit, proindèque onus invigilandi, ne immunitates à Potestatibus sibi subditis violentur.

V. Severè in eos qui Ecclesiæ Libertatem, Immunitatem, atque Jurisdictionem impediunt, animadvertant; quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, Religionem, Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores Optimos Religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ, suâ imprimis autoritate, & munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. *Ibid.* Vide Notam a. 4.

VI. In ea re quisque officium suum sedulò præstet; quò cultus Divinus devotè exerceri, & Prælati cæterique Clerici, in residentiis & officiis suis quieti, & sine impedimentis, cum fructu & ædificatione populi permanere valeant. *Ibid. Conc.* Trid. Ssss. XXV. *De Refor.* Cap. 20. *fin.*

VII. Immunitas violata, & præsumptio, & Sacrilegium, Canonica autoritate à vestrâ Regiâ dignitate talem terminum accipiant, ne posthæc membra Diaboli, filii nequam, in Sancta Ecclesia, te ibi regnante, talia præsumant. Caus: XII. Quæst. II. Cap. 9. *Si Sæculi Leges.* S. Greg. ad Constantiam Reginam Galliæ.

VIII. Si qui in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec ii qui dicuntur oppressi damna sustineant. *De Pactis.* Cap. *Qualiter. med. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 35. Cap. 3.

IX. Nec aliis noxia sint; & ipsis, Ecclesiastica salva ratione, possint prodesse refugia. *Ibid.*

Ita ergo Fraternitas vestra faciat, ut hæc quæ ejus studio emendanda sunt, mora per eam, vel impedimentum aliquod, non contingat. *Ibid.* S. Greg. *Episcopo Calaritano.* Gonzal. *ibid.*

§. VII.

Non licere in Ecclesiis aut Cæmeteriis judicia, negotia, nundinas, spectacula, ludos exercere; Episcopos, ac Superiores hæc impedire debere; & sub quibus pœnis hæc sint vetita?

I. Cùm Ecclesia Dei secundùm Evangelicam veritatem domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: Sæculares Judices causas, ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis, vel Cæmeteriis agitare, sub interminatione Anathematis prohibitum est; absurdum enim est, & crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta. *De Immunit. Ecclesiarum* Cap. *Cùm Ecclesia.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 5.

II. Cessent in Ecclesiis earumque Cæmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscumque tumultus: omnis in eis Sæcularium Judiciorum strepitus conquiescat; nulla inibi causa per Laicos, Criminalis maximè, agitetur: sint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena. *In 6. De Immunit. Eccl.* Cap. *Decet.* Lib. III. *Tit.* 23. Cap. 2.

Processus Judicum Sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis, omni careant robore firmitatis. *Ibid. in 6. De Immunit. Eccles.* Cap. *Decet. §. 1. Ordinarii. med.* Lib. III. *Tit.* 23. *Cap.* 2. Cùm Judex Sæcularis suam potestatem teneat à Principe, istius est irritare processus Judiciarios.

III. Cessent in locis illis Universitatum & Societatum quarumlibet Concilia, conciones, & publica Parlamenta. *Ibid.* Ordinarii locorum Interdicta, hujus Canonis autoritate, compescant. *Ibid. in 6.*

IV. Tàm Ordinarii, quàm Ecclesiarum Decani & Rectores, spectacula aut ludibria, larvales ac theatrales jocos, choreas, neque etiam mercantias, seu negotiationes nundinarum, in Ecclesia, quæ domus orationis esse debet, & etiam Cæmeterio, exerceri ampliùs ne permittant; transgressoresque per Censuram Ecclesiasticam, aliaque juris remedia, punire non negligant. Pragmatica Sanctione. *Tit.* 19. Cum hæc Lex sit opus Regis, ut & Cleri, Juris remedia, de quibus loquitur, sunt æque temporalia ac spiritualia.

V. Omnes Conſuetudines, Statuta aut Privilegia, quæ his non concordant Decretis, irrita decernuntur. PRAGMAT. SANCT. *Tit.* 19. De Temporalibus, ac de Spiritualibus hoc intelligendum; ratio mox adducta id poſtulat.

VI. Ne per Ludorum Theatralium turpitudinem, Eccleſiæ inquinetur honeſtas; ludibriorum conſuetudinem, vel potiùs corruptelam, curent Epiſcopi à ſuis Eccleſiis extirpare. *De Vita & honeſt. Cleri.* Cap. *Cùm Decorem.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12.

VII. Curandum eſt, ne in Eccleſia, profana tractentur negotia, ac ne in Eccleſiarum veſtibulis aut Cæmeteriis, Choreæ, Ludi, Saltationes, aut Spectacula fiant; domum enim Dei decet Sanctitudo. CONVENT. MALOO. *Tit.* 28. *Art.* 1.

VIII. Ceſſent in iis vana, moltò fortiùs fœda & profana colloquia, & confabulationes quælibet. *In 6. De Immun.* Cap. *Decet* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 2.

IX. Sint, quæcumque Divinum poſſint tubare opus, aut oculos Divinæ Majeſtatis, ab Eccleſia protſus extranea; ne ubi venia peccatorum eſt poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. *In 6. fin. dicto* Cap. 2. *De Immun.*

X. Ordinarii ab Eccleſiis Muſicas eas, ubi ſive Organo, ſive cantu, laſcivum, aut impurum aliquid miſcetur, arceant. *Concil.* TRID. SESS. XXII. *Decreto De Obſervandis* &c. *med.*

XI. Item ab Eccleſiis, Sæculares omnes actiones, vana atque adeò profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant; ut domus Dei verè domus Orationis eſſe videatur, ac dici poſſit. *Conc.* TRID. *Ibid.* SESS. XXII. *Decreto De Obſervandis &c.*

XII. Qui præmiſſas inhibitiones petulanti animo contempſerint; præter proceſſum Ordinatiorum & deputandorum ab eis, Divinæ ultionis & noſtræ acrimoniam poterunt formidare, donec ſuum confeſſi reatum à ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere. *In 6. De Immun.* Cap. *Decet.* LIB. III. *Tit.* 23. §. 1.

XIII. Non ſunt toleranda in Eccleſia profana colloquia; quia domus Dei domus Orationis eſt. CONVENT. MELON. *Tit.* 28. *Artic.* 2.

XIV. Ne ſuppellectilia in Eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat haberi refugium; ſic tamen ut neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. *De Cuſtodia Euchar.* Cap. *Relinqui.* §. *quia verò. Initio.* LIB. III. DECR. *Tit.* 44. Cap. 2.

XV. Locorum Ordinarii, aut alii Superiores, per Cenſuram Eccleſiaſticam, dummodò ad eos illam exercere pertineat, aliiſque opportunis remediis compeſcendo, faciant, prout ad eos ſpectat, in his quæ ad Eccleſiarum & Cœmeteriorum reſpiciunt honeſtatem, Sacrorum Statuta Canonum irrefragabiliter obſervari. *Clementina.* Gravi. *De Celebrat. Miſſ.* §. Ne igitur. *fin.* CLEMENT. LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

§. VIII.

Nec licere in Eccleſiis, ſeu Cœmeteriis colloqui, deambulare, aut quidquam profani miſcere, aut reponere, & Epiſcopos illarum honeſtati debere invigilare.

I. Oratorium hoc ſit quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur vel condatur, quàm quod Divinis Miniſteriis conveniat. DISTINCT. XLII. *Cap.* 6. *Oratorium.*

II. In Oratorio, præter orandi & pſallendi cultum, penitùs nihil agatur; ut nomini huic & opera jugiter impenſa concordent. DIST. XLII *Cap.* 7. *fin.*

III. Solemnitates Dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ, ipſo Domino exemplum dante, qui ad feſtum Dedicationis Templi, eandem Feſtivitatem celebraturus venit. *De Conſecr.* DIST. Cap. 17. *Solemnitates*, & Cap. 6.

IV. In Eccleſiis non Collegiatis convenienter & debitè celebretur Divinum Officium. *Clementina.* Gravi. §. Ne igitur. *De Celebrat. Miſſ.* CLEMENT. LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

V. Rectores Eccleſiarum unum eumdemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum; nec aliqua diverſitate cujuſcumque Ordinis, vel Officii à Metropolitana ſe patiantur Sede disjungi. DIST. XII. *Cap.* 13. *De iis. init.* Hoc non ſervatur; quandoque decet ut fiat, ſed multoties non expedit.

§. IX.

Ad Eccleſias conveniri non debere, niſi ad orandum; quo modo id fieri debeat? & an Mulieres ab earum ingreſſu aliquando arceri debeant?

Vide Canones citatos in §. VIII.

I. Decet domum Domini ſanctitudo: decet ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus: Sit itaque ad Eccleſias humilis & devotus ingreſſus; ſit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placita, quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed & reficiat. *In 6. De Immunit. Eccleſiarum* Cap. *Decet. init.* LIB. III. *Tit.* 23. Cap. 2.

II. Convenientes ibidem nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, à quo non eſt aliud ſub Cœlo datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet JESU CHRISTI, qui ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum, exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant; & quod generaliter ſcribitur, ut in nomine JESU omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſe ipſis implentes, præcipuè dum aguntur Miſſarum Sacra Miniſteria, glorioſum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Attendantur in locis eiſdem, intentis præcordiis, Sacra ſolemnia, devotis orationibus inſiſtatur; nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace ac quiete, vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. *Ibid. In 6. De Immunit. Eccleſ.* Cap. *Decet. poſt init.* LIB. III. *Tit.* 23. Cap. 2.

III. Ordinarii locorum hæc faciant obſervari, ad hoc alios etiam in Eccleſiis ipſis magis aſſiduos & ad præmiſſa idoneos deputando. *Ibid.* §. 1. *Ordinarii. init.* Ludi Theatrales, Ludibria &c. *De Vita & Honeſt. Cler.* Cap. *Cùm Decorem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12. *in init.*

IV. Mulier, dum ex conſuetudine menſtrua patitur, prohiberi Eccleſiam intrare non debet; quia ei naturæ ſuperfluitas in culpa non valet imputari: & per hoc quod invita patitur, juſtum non eſt, ut Eccleſiæ ingreſſu privetur. DIST. V. *Cap.* 4. *Ad ejus. med.*

V. Si mulier eadem hora qua genuerit, actura gratias, intrat Eccleſiam, nullo pondere peccati gravatur; voluptas enim carnis, non dolor, in culpa eſt. Si itaque enixam Mulierem prohibemus intrare Eccleſiam, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus. DIST. V. *Cap.* 2. *Si Mulier.*

VI. Licet ſecundùm Legem Moſaicam, certi dies determinati fuiſſent, quibus Mulieres poſt partum à Templi ceſſarent ingreſſu; quia tamen Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta eſt, poſtquam umbra Legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii; ſi Mulieres poſt prolem emiſſam, acturæ gratias Eccleſiam intrare voluerint, nulla proindè peccati mole gravantur; nec eſt Eccleſiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam; ſi tamen ex veneratione voluerint aliquandiù

aliquandiù abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. *De Purificatione post partum.* Cap. un. LIB. III. DECR. *Tit.* 47. Cap. unic.

§. X.

An, & quomodò polluantur Ecclesiæ? quis sit pollutionis illius effectus? & quâ ratione, & à quo debeant ac possint reconciliari?

I. Ecclesiam pollui Sanguinis aut seminis effusione voluntaria contingit. *In 6. De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. unico. *init.* LIB. III. *Tit.* 21. Cap. unico.

II. Si homicidio vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 19. §. 1.

III. Ecclesia non consecrata cujuscumque seminis (*a*) ant sanguinis effusione (*b*) polluitur. *De Consecr. Eccl.* Cap. *Si Ecclesia.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 10.

(*a*) Conjugum extra absolutam necessitatem: (*b*) Injuriosa.

IV. Cùm in Ecclesia per contentiones & rixas homicidia contingunt, aut vulnera inferuntur, ipsa reconciliari debet. *De Consecrat. Ecclesia* Cap. *Proposuisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 4.

V. Non liceat Missas in Ecclesia celebrare in qua paganus sepultus est; sed jactari foras & mundari oportet. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 27. *Ecclesiam.*

VI. Si quando Sacerdotes Latini super Græcorum celebraverint altaria; ea tanquam per hoc inquinata lavare, priusquàm in ipsis sacrificent Græci, non præsumant. *De Baptismo.* Cap. *Licet.* §. *volentes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 6.

VII. Polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, non debet Ecclesia reputari polluta; ne minùs dignum majus, aut accessorium principale, ad se trahere videatur. *In 6. De Consecr. Eccles.* Cap. unico. LIB. III. *Tit.* 21. Cap unico §. 1.

VIII. Non licet in Ecclesia Choros Sæcularium vel puellarum Cantica exercere, nec convivia in Ecclesia præparari, quia scriptum est, *Domus mea Domus orationis vocabitur.* CONCIL. *Antissiodor. ann.* 578. *Can.* 9. TOM. V. *Concil. p.* 958. Simile quid habet CONC. *Cabill. ann.* 650. *Can.* 19. TOM. VI. *Conc. p.* 391. vetat id fieri, etiam in porticibus vel atriis Ecclesiarum.

IX. Non debetis ad Ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudem Domini &c. THEODULPHUS *Aurelian. In Capitulari.* Cap. 10. TOM. VII. *Concil. p.* 2139. *ann.* 797.

X. Ut placita publica & Sæcularia, neque in atriis Basilicarum, neque in ipsis Basilicis fiant, dicente Domino, *Domus mea domus orationis vocabitur.* CONC. *Arelat.* VI. *ann.* 813. *Can.* 22. TOM. VII. *Concil. p.* 1238. CONC. *Moguntiacum. ann.* 813. *Can.* 40. TOM. VII. *Concil. p.* 125?. CONC. TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 38. 39. TOM. VII. *Concil. p.* 1267.

XI. Basilicæ Deo dicatæ & consecratæ loca sunt Divina; sunt etiam Dei habitacula, & omnibus in Christiana Religione consisteoribus pavenda & veneranda. CONCILIUM *Aquisgranense* II. *an.* 836. LIB. I. ad PIPINUM *Aquitaniæ Regem Cap.* 30. TOM. VII. *Concil. p.* 1738.

XII. Si quis in Ecclesia percutiens aliquem, ipsam Ecclesiam sanguinis effusione fœdaverit; usque ad Reconciliationem Divinam, in ea donec reconciliata fuerit, permitti non debet Officia celebrari Divina. *De Privilegiis.* Cap. *Tuarum.* §. 3. *eos* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 11. *Ibid.* interdicitur Officia celebrari *De Privileg.* Cap. *Tuarum* §. 3. LIB. V. DECR. *Tit.* 33 Cap. 11.

XIII. Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, cùm id non sit expressum in Jure, laqueum non incurrit. *In 6. De Sent. excom.* Cap. *Is qui.* LIB. V. *Tit.* 11. *C.* 18.

XIV. Ecclesias quæ sanguinis vel seminis sunt effusione pollutæ, Civitatis Clericis convocatis, cùm processione, Aquæ Benedictæ aspersione, prout in Ordinario habetur adscriptum, poteris emundare. *De testibus cogendis.* Cap. *Pervenit ad nos. in integrâ fin,* LIB. II. DECR *Tit.* 21. Cap. 5.

XV. Quos Episcopus in Ecclesia polluta, lege sibi Diœcesana subjecta, post interdictum suum Divina celebrare cognoverit, ab Officio Beneficioque suspendat. *De Privilegiis.* Cap. *Tuarum* .§. 3. *eos.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 11.

XVI. Si Ecclesia non consecrata cujuscumque fuerit seminis aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcisata lavetur, ne Divinæ laudis Organa suspendantur. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Si Ecclesia.* LIB. III. DECR. *Tit* 40. Cap. 10.

XVII. Aqua per Episcopum benedicta, Ecclesiam consecratam, mandante Episcopo, reconciliari per Sacerdotes simplices misericorditer toleratur. *De Consecr. Ecclesiæ.* Cap. *Aqua. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 9. Hæc tolerantia in permissionem transiit ipso usu, saltem in Gallia.

XVIII. Manente Ecclesia & Altari, ipsa reconciliari potest per aquam cum vino & cinere benedictam. *Ibid. De Consecr. Ecclesia.* Cap. *Proposuisti. fin.* LIB. III. DECR. *Tit* 40. Cap. 4.

XIX. Si Presbyterum cum alterius conjuge intra Ecclesiam dormivisse mulier publicè (*f*) detegat, & Presbyter primò fateatur, sed postea neget, muliere in confessione persistente, Ecclesiam per aspersionem Aquæ Benedictæ reconciliare procuret Episcopus, *De Adulteriis.* Cap. *Significasti.* §. *ideoque.*

(*f*) Publica debet esse seminis effusio, à quocunque, etiam conjugibus, contingat: excepta est suprà absoluta necessitas.

§. XI.

Quomodò polluatur Cœmeterium sanctum Ecclesiæ, vel ab eadem distans, & quomodo reconcilietur?

I. Si Ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum. *In 6. De Consecr. Ecclesiæ.* Cap. unico. *init.* LIB III. *Tit.* 21. *Cap. un.* Accessorium sequitur naturam seu conditionem principalis.

Secùs, si remotum fuerit ab eadem Ecclesia. *Ibid.* Quæ Religiosis adhærent, Religiosa censentur. *Glossa in Cap.* 3. *Quod in dubiis. De Consecrat. Ecclesia* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 3. Non unum, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum, licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum. *Ibid. in 6. De Consecr. Ecclesiæ.* Cap. unico. LIB. III. *Tit.* 21. Cap. unico. §. *ult.*

II. Cùm Cœmeterium pollutum est, antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. *In 6. De Consecrat. Ecclesiæ.* Cap. unic. LIB. III. DECR. *Tit.* 21. Cap. unico.

Polluuntur Cœmeteria (*a*) in quibus excommunicatorum (*b*) corpora sepeliri contingit. *De Consecr. Ecclesia.* Cap. *Consuluisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 7.

(*a*) A fortiori concludendum de Ecclesia. (*b*) Intellige nominatim denuntiatorum.

Cœmeteria reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ. (*c*) *Ibidem* Cap. *Consuluisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 7.

(*c*) Intellige si fuerint cum Ecclesia consecrata; si enim consecrata non sint, reconciliari possunt per Aquam simplicem Benedictam, ut colligitur ex *Cap. fin. de Consecr. Ecclesia.* LIB. III. DECR. *Tit* 40. Cap. 10. Superioris Sectionis *Decisione* XV. *Epistola* 2. VIGILII Papæ *ann.* 538. Cap. 4. TOM. V. CONC. *p.* 313. Locus rei conveniens refertur à GRATIANO *De Consecr.* DIST. I. *Cap.* 24.

§. XII.

§. XII.

An, & quandò Ecclesia vel Altaria iterùm consecrari debeant?

I. Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum Consecratio adhiberi, nisi ab igne exustæ fuerint; quia sicut infans à qualicumque Sacerdote, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti semel baptisatus, non debet iterùm baptisari; ita nec locus Deo dicatus iterùm consecrandus est, nisi propter eam causam. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 20. *Ecclesiis &* DIST. LXVIII. *Cap.* 3. Comparationis sensus & vis in eo sunt, quod sicut Baptismus validus non est iterandus, ita nec Consecratio valida.

II. In eo loco Consecrationis solemnitas debet iterari, in quo Sanctuaria non fuerint. *§. De Ecclesiarum Consecratione quoties dubitatur &c. De Consecrat.* DIST. I. Cap. 16. §. 1.

III. Si qua Sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cùm in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius Consecrationis sanctificatio implebitur. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 24. *De Fabrica. post med.* Hinc inferre est Consecrationem Ecclesiarum olim factam hujusmodi celebratione.

IV. Ecclesiæ vel Altaria, quæ ambigua sunt de Consecratione, consecrentur, (quod fiebat sine conditione, ut aliàs Baptismus dubius absolutè iterabatur,) & superflua Altaria destruantur. *Ibid. Cap.* 18.

V. Si Sanctuaria, quæ habebat ablata sunt, rursùs eorum repositione, & Missarum solemnitate, reverentiam significationis accipiet. *Ibid. fin.* Cùm parietes Ecclesiæ in sua integritate permanserint, & Tabula Altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit; nec Ecclesia, nec Altare debet denuò consecrari. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Ligneis. §. Inquisitioni.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 6, Altaria erant immobilia, nec transferri poterant, sine demolitione, ab uno loco ad alium ejusdem Ecclesiæ.

VI. Altare in quo Excommunicatus celebrat, nisi aliud interveniat, consecrari non debet. *De Renunciatione.* Cap. *Quod in dubiis. in int. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 8.

VII. Ligneis ædificiis Ecclesiæ casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa principalis Altaris in sua extremitate modicam passa fracturam; propter hoc ipsius Altaris, vel etiam totius Ecclesiæ, non debet Consecratio innovari. *Ibid. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 6.

VIII. Si Altare motum (a) fuerit, aut lapis ille solummodò suprà positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiàm diminutus, debet denuò consecrari: Propter hoc verò nequaquam reiterare suam Consecrationem Ecclesia consuevit. *Ibid. De Consecrat. Ecclesiæ.* Cap. *Ad hæc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 1. (a) Mutatum quoad formam. *Gloss.*

IX. Altare, in quo Tabula, cui Consecrationis Benedictio Pontificali Ministerio adhibetur, mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari. *Ibid.* Cap. *Quod in dubiis. §.* 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 40. Cap. 3. Et *De Renunciat.* Cap. *Quod in dubiis. in init. fin.* LIB. DECRET. *Tit.* 9. Cap. 8. Decisionis Ratio: Altaris Consecratio distinguitur à Consecratione Ecclesiæ, ipsa saltem forma, nempè Oratione; manere ergo debet ista, illa cessante.

§. XIII.

Observationes in totum Titulum de Immunitate Ecclesiastica.

Valdè conveniens hic erat loquendi locus de qualibet Immunitate Ecclesiastica, ut uno intuitu inspici posset quidquid ad Immunitatem pertinet, vel saltem quisque haberet præ oculis, quid omnibus commune, quid singulis proprium.

Definienda ergo erat Immunitas Ecclesiastica, exemptio ab oneribus, Obligationibusque Sæcularibus, debitam Ecclesiæ reverentiam dedecentibus, quoad personas, bona, loca ad illam pertinentia.

Undè dividenda erat in personalem, realem, & localem.

Personalis, quæ Privilegium Clericale vocitari solet, erat subdividenda in Privilegium Canonis, quo excommunicantur *ipso facto*, qui manus violentas & temerarias in Clericos injiciunt; Privilegium fori, quod, quoad actiones personales, eximuntur à foro Judicis Sæcularis; Privilegium servitiorum Clericalem statum dehonestantium, qualia sunt quæcumque Militaria, custodia pontium, vel murorum sivè excubiæ; tallia, seu impositio ratione bonorum, quoties personalis; Militia, receptio ad Hospitium. De 1o. agitur fusis verbis, dùm de Excommunicatione: De 2o. dùm de Judiciis: De 3o. dùm de Vita & honestate Clericorum, non omisso Gallorum usu circa illas Immunitates.

Immunitas Realis illa est, quæ res, sive bona Ecclesiastica spectat, easque eximit ab oneribus, quibus subsunt bona profana; idque saltem quantùm necessarium est ad Ministrorum Sacrorum sustentationem, ad Divini Officii celebrationem, ad Ecclesiarum constructionem, restaurationemque.

Localis Immunitas illa est, quæ locis Deo dicatis concessa est, quæque illa eximit ab omnibus actibus Sæcularibus; quales Actus judiciarii, exercitium mercaturæ, Cœtus Politici Civitatum, Urbium, Pagorum, necnon ab omni violentia necessaria ad extrahendum ex illis qui ad illa confugiunt, quæ postrema exemptio Jus azili nuncupatur, & in Gallia jam à pluribus Sæculis exolevit.

Prætermissa hujusmodi instructio adjicienda visa est. Similem ob causam subjungitur Tractatio plena de omnibus ad Ecclesias pertinentibus, de quibus Collector velut per transennam locutus est, eaque fit per Regulas, Observationes, Quæstiones, Resolutiones: His Adjectionibus supplebitur, quod deest huic Titulo, atque etiam quod Jus Canonicum docet his de rebus, quoad fieri potest, enucleabitur.

Quæ addi potuissent circa exemptionem à Militia, ab excubiis Militaribus, à ferendis armis, collecta sunt, dùm de obligatione Clericorum ad lenitatem, ubi casus urgentis necessitatis excepti sunt à Canonibus qui hæc similiave Clericis prohibent. GONZALEZ de hac exceptione meminit, *Cap.* 2. *De Immunit.* & *Cap.* 24. *De Homicid.* ubi hanc rem consultò fusè & solidè explicat.

SECTIO II.

De Ecclesiarum Consecratione.

§. I.

Quomodo consecrari debeant Ecclesiæ, & quid agendum, si de illarum Consecratione dubitetur?

I. Templa Divinis Precibus & Sanctis Unctionibus, suis cum Altaribus, & Vasis, Vestibus quoque, & reliquis ad Divinum Cultum explendum utensilibus, devotè & solemniter sacrare debemus. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 2. *Tabernaculum. §. fecit. med. Si quis Episcoporum. & Conc.* ARAUTICAN. I. *Can.* 10. TOM. III. CONC. *p.* 1449. FELICIS IV. *ann.* 530. GELASIUS *ann.* 494. Quod ex FELICE levis est autoritatis, cùm spuria sit Epistola.

II. Quia devotus locus non debet à Ministeriorum gratia diù vacuus permanere, consecrari debet, ut populorum frequentatio, servatis Regulis Ecclesiasticis & Canonibus, integrum habeat firmata Religione Conventum. *Ibid. De Consecrat.* Cap. 5. *Præcepta. med.*

III. Quotquot venerabilia Templa consecrata sunt, absque Sanctis Reliquiis Martyrum, definimus in eis Reliquiarum una cum solita oratione fieri positionem. *Cap.* 7. CONC. NICÆN. II.

IV.

IV. Ecclesia quæ non consecrata est, quam citiùs fieri poterit consecranda. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *fin. Si Ecclesia.* Lib. III. Decr. *Tit.*40. Cap. 10. Si à præsenti tempore iuventus fuerit Episcopus absque lipsanis consecrare Templum, deponatur, ut ille qui Ecclesiasticas Traditiones transgreditur. *Conc.* Nicæn. II. *Can* 7. *ann.* 787. Tom. VII. Conc. *p.* 603.

V. Pluta in Ecclesia unâ Altaria potest Episcopus consecrare. *Ibid. De Consecrat. Ecclesia.* Cap. *Cùm sic.* Lib. III. Decr. *Tit.* 40. Cap. 5.

VI. Hodiè quoque Christiana Religio, exemplum sumens ex antiqua traditione, domos in honorem Dei ædificat ac dedicat, & Altaria erigit, eisque oleum superfundit ac Sacro Sancto Chrismate perungi. Ex *Conc.* Aquisgr. II. Lib. III. ad Pipinum *Aqitaniæ Regem*, *ann.* 836. Cap. 24. Tom. VII. Conc. *pag.* 1735.

VII. Ecclesia per congrua & utilia loca Divinis precibus sacrari oportet, & in singulis Sacerdotes Divinis Orationibus Deo dicatos poni. *De Consecrat.* Dist. I. *Cap.* 13. *Ecclesias*, & Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 28. *Ecclesias.*

VIII. Omnes Basilicæ cum Missa debent semper consecrari. *De Consecrat.* Dist. I. Cap. 3. *Omnes. init.*

IX. Aspersio aquæ solenniter benedictæ in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit. *De Consec. Ecclesia.* Cap. *Consuluisti. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.*40. C. 7.

X. Consecrationem cujuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus Sancti arrha non ponitur, celebritatem scimus tantùm esse Missarum. *De Consecrat.* Dist. I. Cap. 24. *De Fabrica, med.*

XI. Ecclesia in Fide Catholica, introductis illuc Sanctorum Reliquiis, dedicari debet. *Ibid. De Consecr.* Dist. I. Cap. 22. Expressè meminit Reliquiarum S. Sebast. Hae introductione reconciliabantur hujusmodi Ecclesiæ. Desumitur ex Dialogis S. Gregor. Episcopi Catholici.

XII. Ecclesias Hæreticorum Divinis precibus & operibus consecrare debent. *Ibid.* Cap. 2. *Ecclesias.* Cap. 21. *Ibid. pseudo* Joann. Episcopi Italiæ Van-Espen *in hunc Canonem* ait, quod tunc reconciliatio Ecclesiarum, Hæreticorum Cæremoniis pollutarum, facienda erat Divinis precibus, & bonis operibus.

XIII. Ecclesiæ vel Altaria, quæ ambigua sunt de Consecratione, consecrentur. *Ibid. Cap.* 18. *Ecclesia.*

XIV. De Ecclesiarum Consecratione quoties dubitatur, & nec certa Scriptura, nec certi testes existunt, à quibus Consecratio sciatur; absque ulla dubitatione scitote illas esse consecrandas: nec talis trepidatio facit iterationem; quoniam non monstratur esse iteratum quod nescitur factum. *De Consecratione.* Dist. I. Cap. 16. *Solemnitates* §. Consecratione n dubitetur; *ex falsa* Felic. IV. *Epistol.* Impostor accommodavit dubiæ Consecrationi Ecclesiæ, quod S. Leo dixerat de dubio circa Baptisma.

XV. Hoc de cætero observari debet, ut nullus Episcoporum Basilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare. *De Consecratione.* Dist. I. *Cap.* 10. Vide *Concil.* Arelat. II. *ann.* 452. *Can.* 56. Tom. IV. Conc. *p.* 10. 115. docet Consecrationem Ecclesiæ pertinere ad Episcopum loci, sed Administrationem ad illum spectare, qui illam condidit & dotavit. Vide *Conc.* apud Alichtth. *ann.* 816. *Can.* 2. Tom. VII. Conc. *p.* 1485. respicit Administrationem dotis Ecclesiarum.

XVI. Ne Ecclesia sacretur, donec provideantur necessaria & Presbytero & Ecclesiæ. *Concil.* London. *an.* 1102. *Can.* 16. Tom. X. Conc. *p.* 729. *Pontificale Roman.* Idem vetat. *p.* 243. Vide *Epist.* 3. S. Anselm. *Contuar.* Tom. X. Conc. *p.* 737. ex *Conc.* Carth. V. *ann.* 398. ubi docet quod manente Altaris principalis Consecratione, manet Ecclesiæ Consecratio; ista vero perit illa pereunte.

De Ecclesiis, quoties super earum Consecrationem hæsitatur, agendum est, ut sine ulla trepidatione consecrentur. *De Consecratione.* Dist. IV. *Cap.* 111. *Placuit.* §. 1. *fin. Conc.* Carthag. *ann.* 398. producit ad dubium circa Ecclesiæ Consecrationem, quod priùs definit de dubio circa Baptismum.

§. II.

Eos qui Ecclesiam, seu Templum ædificant, teneri ad illam dotandam.

I. Antè præfiniat, qui ædificare vult Ecclesiam, quæ ad luminaria, & ad ejus Custodiam, & ad stipendia Custodum sufficiant. *De Consecratione.* Dist. I. Cap. 9. *Nemo.*

II. Ecclesiam ab Episcopo ex more convenit dedicari, collata primitus donatione solemni quam Ministris Ecclesiæ destinasse se testatur oblator. Caus. XVI. Quæst. VII. *Ultima.* Cap. 26. *Piæ mentis. med.*

III. Exceptiones Egberti *Cap.* 25. Tom. VI. Conc. *p.* 1588. *Conc.* Ravennat. *ann.* 868. *Can.* 3. Tom. VIII. Conc. *p.* 946.

IV. Hoc unusquisque Episcoporum meminerit, ut non priùs dedicet Ecclesiam, nisi anteà dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ accipiat; nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, consecretur Ecclesia. Caus. I. Quæst. II. Cap. 1. *Placuit. med.* pertinet ad *Conc.* Bracar. III. *ann.* 572. *Can.* 5. Tom. V. Conc. *p.* 897. Vide *ibid. Can.*

V. Non est Ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, consecranda. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Cùm sicut.* §. *Cùm non. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 40. Cap. 8.

VI. Qui fecit Ecclesiam consecrari, eò liberaliùs ad dotandam prædictam Ecclesiam aperire manus munificentiæ suæ debet, quod ad hoc fortiùs tanquam ex debito iam tenetur. *Ibid. De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Cùm sicut.* §. *Cùm non.* Lib. III. Decr. *Tit.* 40. Cap. 8. Gonzal. *in illud*, ubi probat dotem proportionandam magnitudini Ecclesiæ, multitudini Ministrorum, necnon Officiorum, onerumve persolutioni.

VII. Novæ Ecclesiæ Provinciæ debent sequi Ordinem Metropolitanæ in Officiis Divinis; multi id docent Canones, sed pluribus in Regionibus non vigent. Vide *Conc.* Epaon. *ann.* 517. *Can.* 27. Tom. IV. Conc. *p.* 1579. *Vid.* etiam *Cap.* 13. Dist. XII. & *Cap.* 14. *Ibid.* Prius desumitur è *Conc.* Tolet. II. *ann.* 675. Posterius è *Conc.* Bracar. *ann.* 563.

VIII. Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere Diœcesim, primùm & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua Officia impleant; ut Sacratis locis reverentia condigna tribuatur. *Conc.* Aurel. IV. *ann.* 541. *Can.* 33. Tom. V. Conc. *p.* 387.

IX. *Conc.* Valent. III. *an.* 855. *Can.* 9. Tom. VIII. Conc. *p.* 140. Vide *Epistol.* Montan. Episcopi *Toletani* ad Parochos, suæ Provinciæ, Tom. IV. Conc. *p.* 1737. *ann.* 531. Prohibito ne vocentur Episcopi alius Provinciæ ad Ecclesiæ Consecrationem, quod tendebat ad confusionem Provinciarum, offert Ecclesiis Suffraganeorum, quod occurrente casu subministrabit illis Episcopos Provinciæ, qui consecrent Ecclesias consecrandas. Vide Van-Espen in Dist. XII.

§. III.

A quo, & quando consecrari debeant Ecclesiæ recens constructa, & à quo gubernari.

I. Episcopo, in Diœcesi sua, licet Ecclesiis dedicationem impendere, tàm diebus Dominicis, quàm privatis. *De Consecrat. Ecclesia.* Cap. *Tua Fraternitas. fin.* Lib. III. Decret. *Tit.* 40. Cap. 2.

II. *Concilium* Cæsaraugustanum III. *an.* 689. Cap. 1. Tom. VI. Conc. *p.* 1312. præcipit ut Ecclesiæ consecrentur die Dominico, ut eodem die consecrantur Episcopi; docetque illud à fortiori faciendum esse quàm istud, idque forte, quia Episcopi Consecratio in Ecclesia fit.

III. Piæ

III. Piæ mentis amplectenda devotio est, quâ quis se in re sui juris fundasse perhibetur Ecclesiam, hanc quoque ab Episcopo, si ad suam Diœcesim pertinere non ambigit, ex more convenit dedicari. CAUS. XVI. QUÆST. VII. in Cap 26. *Piæ mentis. Init.*

IV. Episcopus, si ad suam pertinet Parochiam, Benedictionem fundatæ Basilicæ solemni veneratione dependat. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 17. *Frigentius.*

V. Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio, pro quocumque suorum opportunitate Ecclesiam ædificare disponit, non præsumat Dedicationem facere, quæ illius est in cujus territorio Ecclesia assurgit. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap 1. *Si quis Episcoporum. init.*

VI. Basilicæ quæ nove conditæ fuerint, ad eum procul dubio pertinebunt Episcopum, cujus Conventus esse constiterit. CAUS. XVI. QUÆST. V. Cap. 2. *Possessio.*

VII. Si Episcopus in Diœcesi alterius sine præcepti autoritate, contra morem præsumpserit dedicare Oratorium: eam rem cum summâ celebritate ac districtione convenit emendari. *ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. V. Cap. 3. *Lator.*

VIII. Omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio, ad eum in cujus Civitatis Territorio Ecclesia surrexir, pertinebit. CAUS. VI. QUÆST. V. Cap. 1. *Si quis Episcoporum. fin.*

IX. Omnes Basilicæ quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit ut juxtà priorum Canonum Regulam, in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus Territorio positæ sunt. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 1. *Omnes.*

X. Concilium MOGUNTIACENSE *ann.* 888. Cap. 4. TOM. IX. CONC. *p.* 405. Ad Basilicam quæ dedicanda est, debet disquiri, cujus Civitatis Episcopus, antequàm fundaretur, baptisavit Incolas; & ad cujus consignationem sub annua devotione concurrerint; non enim hæc terminis aut locis convenit definiti, sed ille ad Consecrationem vocetur, cui per hunc modum constat debere permitti. *De Religiosis Domibus* Cap. *Nunc autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 1.

Si quis Presbyterorum Ecclesiam ædificaverit, non offerat antequam adducat suum Pontificem, ut eam consecret, quia sic decet. *Synodus* S. PATRICII. *ann.* 450. *Can.* 23. TOM. III. CONC. p. 1480.

§. IV.

Quomodo, & à quo Altaria erigi & consecrari debeant, & quis possit tractare Vasa Sacra, & an Ecclesia non consecrata amittat aliquod ex suis Privilegiis.

I. Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis Unctione non consecrentur. *De Consecratione* I. C. 31. *Altaria. Concil.* EPAON. *anno* 517. *Canon* 26. TOM. V. CONC. *p.* 1579.

II. Altaria placuit non solùm Unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali Benedictione sacrari. *ibid. De Consecrat.* DIST. 1. Cap. 32.

De Altaribus, ut lapidea sint. *Concilium apud Ventoniam. ann.* 1075. Cap. 5. TOM. X. CONC. *p.* 311.

III. Presbyteri quædam sibi prohibita noverint, sicut est Constitutio Altaris, ac Benedictio vel Unctio; siquidem nec erigere eis Altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licet. DIST. LXVIII. *Cap.* 4. Quamvis hic Textus, ut & sequens, desumpti videantur ex supposititiis circa Corepiscopos; sed illorum doctina non ideò minùs vera.

Hæc illicita sunt Presbyteris; quoniam, quanquam Consecrationem habeant, Pontificatûs tamen apicem non habent. *ibid.* DIST. LXVIII. Cap. 4. *Quamvis. fin.*

IV. Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud Altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est vel permissum; ut sit discretio inter sacrum & non sacrum: nec Dedicationem fingat, nisi sit. *De Consecratione.* DIST. I. Cap. 25. *Nullus. init.*

V. Statutum est ut sacra Vasa non ab aliis, quàm à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus; indignum enim valde est ut sacra Domini Vasa, quæcunque sint, humanis usibus serviant; ut ab aliis quàm à Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 41. *In sancta.*

VI. Ad nuptiarum ornatum Divina Ministeria non præstentur; ne, dum improborum contactu pompaque Sæcularis luxuriæ polluuntur, ad Officia Sacri Misterii videantur indigna. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 43. *Ad Nuptiarum. Conc.* ARVERN. 535.

VII. Ecclesiæ, in qua Divina Ministeria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure Privilegium Immunitatis adimitur, quia Divinis obsequiis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda; *De Immunit. Ecclesiarum.* Cap. *Ecclesia.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 9.

Ecclesia non consecrata in qua Divina Officia celebrantur, eodem privilegio gaudet, ac si esset consecrata.

VIII. Consecrare Altare Presbyter non præsumat. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 3. *Ministrare. Ex Conc.* AGATHENSI Cap. 43. *ann.* 506.

IX. Solemnitates Dedicationum Ecclesiarum per singulos annos sunt celebrandæ. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 16. Desumitur ex falsa FELICIS IV. Epistola.

Solemnitates Dedicationum Ecclesiarum, &c. *Ibid. Cap.* 17. Hic quoque suppositius, utpote desumptus ex Epistola S. GREGORII scribentis ad *Felicem* Episcopum MESSANENSEM; sed in utraque nihil nisi verum.

X. Tanta est sanctitas sacri Ministerii, ut salva altioris Misterii inintelligentia etiam per Prophetam Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis Sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat, ad eum à colloquio Divino rediens. *De pignoribus. Cap.* 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 21. ex *Conc.* REMENSI, circa quod GONZALEZ *Ibid.*

Nullus Vestimenta Sacerdotalia vel Altaris utensilia, præter Episcopum, benedicere præsumat. *Concilium* PECTAVENSE, *ann.* 1100. *Can.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 725.

§. V.

Quàm cautè custodiri debeant quæ sunt in Ecclesia, quàm nitida & munda esse omnia?

I. Sciat Sacrista ad ejus curam pertinere custodiam sacrorum Vasorum, Vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiastici, necnon quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo. *De Officio Sacristæ.* Cap. unico. *Ut sciat.* LIB. I. DECR. *Tit.* 26. Cap. un. CONC. BRACAR. IV. *ann.* 675. *Cap.* 3. TOM. VI. CONC. *p.* 564. *Conc.* TOLET. 17. *ann.* 694. Cap. 4. TOM. VI. CONC. *p.* 1366.

II. In cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur; ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. *De Custodia Euchar.* Cap. *Statuimus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 44. Cap. 1.

III. Si is ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit; tribus mensibus ab Officio suspendatur. *Ibid.* §. *si verò* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 1.

IV. Si per ejus incuriam aliquid nefandum indè contigerit, graviori subjaceat ultioni. *ibid. fin.*

V. THEODULPHUS AUREL. *in Capitulari ann.* 797. Cap. 18. TOM. VII. CONC. *p.* 1140. prohibet ne res sacræ aliis usibus applicentur, quàm quibus ab Ecclesia destinatæ sunt.

VI. Oratoria, Vasa Ministerii, Vestimenta Ministrorum, Pallæ Altaris, Corporalia, munda & nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. *De Custodia Eucharistiæ.* Cap. *Relinqui. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 44. Cap. 2. GONZALEZ eo loci legit *oraria*, ac rectè probat sic legendum.

VII. Ne propter incuriam Sacerdotum, Divina indignatio graviùs exardescat, districtè præcipitur, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo, & signato, semper honorificè collocata, de-

votè

votè ac fideliter conservetur. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Sanè. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap 10.

VIII. Custos sollicitus esse debet de omni Ornamento Ecclesiæ. *Ibid. De Officio Custodis.* Cap. *Custos. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 27. Cap. 2.

IX. Custos Ecclesiæ, cui ea quæ Ecclesiæ competunt custodienda committuntur, oportet ut cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat. *De Officio Custodis.* Cap. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 27. Cap. 1.

X. Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus aliis in usibus non debent frui, quàm in Ecclesiasticis & Deo dignis Officiis. *De Cons.* DIST. I. Cap. 42. *Vestimenta. init.* Ignotus Autor.

XI. Locorum Ordinarii, aut alii Superiores, sollicitam curent diligentiam adhibere, ne in Ecclesiis cum Vasis, Vestimentis, & cæteris Ornamentis ad Divinum Cultum necessariis, indecentibus, utique pensatis earum facultatibus, deserviatur. CLEMENTINA *Gravi. De Celebr. Missarum* §. 4. *In multis* & §. *Ne igitur.* CLEMENTINARUM. LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 1.

XII. Nihil in Ecclesiarum Vasis, Ornamentis, Libris, aut aliis mobilibus sordidum sit; sed omnia munda & nitore splendentia appareant. *Conventus* MELODUN. *Tit.* 18. *Art.* 7.

XIII. Caveant Sacerdotes, & præcipuè Curati, ne Sacra Vasa, ut Calices, pyxides, imo ne urceoli quidem, fontes baptismales, & Vasa Sacri Olei, nec Sacerdotalia qualiacumque Ornamenta, sordibus scateant; Corporalia Missæ, & alia linteamina, Sacris usibus deputata, nitida & munda sint, juxta PAULI *Epistolam*, ne cum CORINTHIIS sordidissimis ad Divina irreverenter accedentibus jure redarguantur. *Ibid. Tit.* 17. *ann.* 8.

§. VI.

Eos qui in Theatris spectacula exhibent, à Communione Ecclesiæ separatos esse; similiter puniendos esse qui spectacula vel jocos Theatrales in Ecclesia faciunt.

I. De Agitatoribus sivè Theatricis qui Fideles sunt, placuit eos quamdiù agunt, à Communione separi. *Conc.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 20. TOM. IV. CONC. *p.* 1013.

II. Nec larvas Dæmonum ante se ferri permittere, quia hoc Diabolicum est, & Sacris Canonibus prohibitum. *Can.* 7. DIST. XLIV. tribuitur *Conc.* NANNETANII; sed in nullo hujus nominis reperitur. VAN-ESPEN in DIST. *hanc.* Turpia joca vel urso vel tornatricibus ante se ferri patiatur, *in eodem Canone.* Quod de larvis dixit prædictus *Can.* NANNATANS. sic explicat GONZALEZ in *Cap.* 12. *De Vita & Honest. n.* 2. bis verbis: „Improbatur & damnatur antiquus mos introdu-„cendi per convivia larvas sic aptas, ut earum arti-„culi vertebræque in omnem partem verterentur, ut „convivæ, humanæ conditionis admoniti, largiùs ge-„nio indulgerent„. *Ibid. n.* 8. Idem Autor circa Histriones notat ex AUGUSTINO quod Romani eos notarent infamia, & iidem scenicis ludis Deos honorandos putarent: Quî verò conveniat, ignominia notare atque in infamium numero ponere, per quos Divinus Cultus augearur: *Idem* GONZALEZ *in* Cap. 1. *Ne Cler. vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant. n.* 6. explicans illa verba, *turpis verbi vel facti joculatorem,* ait: „Turpis facti seu verbi joculator in Jure & „apud bonæ notæ Autores ille dicitur, qui proprii „corporis spectaculum, in scena vel ludo præbet, qui „variis nominibus appellatur: Histrio, Moms, Panto-„mimus„

III. Hujusmodi artis meminit. *Cap.* 1. *De Vita & Honest. in* 6. illamque damnat in Clericis, ita ut si illam exerceant per annum aut brevius tempus post trinam monitionem, omni privilegio Clericali priventur. *Cap.* 2. DIST. XXXIII. Excludit à Clero qui in scena lusisse dignoscetur hujus Canonis Autor. VAN-ESPEN *in illum.*

IV. Simile quid habetur in *Can.* 17. *Apostolorum* qui arcet ab Ordinibus qui in uxorem duxit aliquam quæ publicis spectaculis mancipata est, prout jacet ad calcem Decreti.

V. De locis histrionicis intelligere est *Cap.* 1. *Ne Cler. vel Monach.* dum prohibet Clericis, ne ante se joca Sæcularia vel turpia fieri permittant.

VI. Interdum ludi fiunt in eisdem Ecclesiis Theatrales, nec solùm ludibriorum spectacula introducuntur in eas, monstra larvarum; verùm etiam in tribus anni Festivitatibus, quæ continuè Natalem Domini sequuntur, Diaconi, Presbyteri, aut Subdiaconi, vicissim insaniæ suæ ludibria exercentes, per gesticulationum suarum debacchationes obscænas in conspectu populi, decus faciunt vilescere Clericale; quem potiùs illo tempore deberent prædicatione mulcere. *Cap.* 12. INNOCENT. III.

VII. Post expositionem abusus hæc in illius condemnationem subdit: „Prælibatam verò ludibriorum „Consuetudinem, vel potiùs corruptelam, curetis ab „Ecclesiis vestris taliter extirpare, quod vos Divini „Cultûs & Sacri comprobetis Ordinis Zelatores. *Ibid.*

GONZALEZ damnationis hujus causam afferens, notat *n.* 8. id genus ludibriorum non convenire, nec Sanctitati Ecclesiarum in quibus fiunt, nec dignitati personarum à quibus fiunt, nec Solemnitati Festorum in quorum honorem exhibentur; sed hinc non prohiberi recitationem Misterii quæ à pueris fit; indè (subdit) tolerari potest mos in plerisque Hispaniæ locis receptus, ut pueri intra Ecclesiam in Sacratissima illa nocte magnum illud fidei nostræ Mysterium recitent, dum, cum omnium modestia, & ex pietate tantùm fiat.

VIII. Nihil magis proposito congruit, quàm *Decretum Conc.* BASILIENSIS acceptatum à *Pragmatica Sanctione,* sic se habens; „Turpem etiam illum abusum „in quibusdam frequentatum Ecclesiis, quo in certis „anni celebritatibus, nonnulli cum Mitra, Baculo & „vestibus Pontificalibus, more Episcoporum benedi-„cunt; alii ut Reges aut Duces induti; quod Festum fa-„tuorum vel Innocentium seu puerorum in quibusdam „Regionibus nuncupatur; alii larvales ac Theatrales „jocos, alii choreas, seu tripudia marium & fœmi-„narum facientes, ut homines ad spectacula & cachin-„nationes moveant... hæc Sancta Synodus detestans „statuit & jubet tàm Ordinariis, quàm Ecclesiarum „Decanis & Rectoribus, sub pœna suspensionis om-„nium proventuum Ecclesiasticorum, trium mensium „spatio, ne hæc aut similia ludibria..., ampliùs per-„mittant, transgressoresque per Censuram Ecclesiasti-„cam, aliaque Juris remedia punire non negligant.

Quod pejus erat in damnato abusu, est conversio Ornamentorum Episcoporum & Benedictionis Solemnis, quæ est una ex illorum prærogativis, in ludibrium, & hoc videtur ubique abolitum; secùs est de usu pueros Choristas induendi ut Reges aut Duces; viget enim adhuc in plurimis Ecclesiis Cathedralibus.

Duplex est pœna; alia contra Superiores hæc ludibria permittentes, alia contra exercentes illa. Utraque Sententiæ ferendæ, ideoque Monitiones præmittendæ antequam ferantur; ex illarum gravitate colligitur culpæ ipsius gravitas.

§. VII.

Observationes circa Ecclesiarum Consecrationem, de qua agitur in DIST. I. *De Consecrat. in* TIT. *De Consecratione Ecclesiæ* IV. LIB. III. DECR. *& in Pontificali Romano Part.* 2.

Cùm hac in re præcipuum sit praxim nosse, hæc autem contineatur in Pontificali, hinc potissimùm desumentor quæ dicenda sunt, notato priùs, pleraque illorum quæ refert GRATIANUS de illius Ritibus, peti ex scriptis Apocriphis, nempe *Epistola* FELICIS IV. ex HIGINI *Decretis,* & ex *Epistola* JOANNIS Pontificis ad Episcopos Italiæ eumdem fal-

sò dare pro Regula, Ecclesias non posse consecrari sine licentia *Papæ*; quod enim laudat ex GELASIO, spectat ad majus Regiones Suburbicarias immediatè illi subjectas; nonnulla ex illis quæ ex legitimis Operibus depromuntur aliis tribuere, quàm quibus pertinent Tale est *Cap. 9.* laudatum ex *Conc.* AURIL. in quo non reperitur, sed in *Capitularibus*, & paulò aliter quàm à GRATIANO referatur: VAN-ESPEN *in hanc* DIST. De Ritibus pauca haberi *in Tit. citato*, nempè hanc Consecrationem fieri posse alio die quàm Dominico vel Festivo, contra dispositionem *Conc.* CÆSARAUGUSTANI, quod adhuc servatur in Hispania, ut observat GONZAL. *in Cap. 2. De Consecrat. in Commentario*, ac in eâ adhiberi aquam benedictam cum Vino & Cinere; non fit mentio de sale, quia aqua benedici solet cum sale *Cap. 4. De Consecr.*

Quæ autem *in Pontificali* habentur notabiliora hæc esse videntur.

I. Supponit ubique Consecrationem de Jure Communi fieri ab Episcopo Diœcesano.

II. Præcipit ut ab illo pridie jejunetur, necnon ab illis qui illam petunt.

III. Ut in pergamena scribat, quo anno, quo die, in cujus honorem consecret, ac Fidelibus dedisse annum indulgentiæ pro Dedicatione, & 40. dies pro anniversario.

IV. Ut celebrentur Vigiliæ ante Reliquias ipsas, ac cantentur nocturnæ & matutinæ laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ.

V. Ut in illâ adhibeantur Chrisma, Oleum Catechumenorum, Aqua benedicta cum Sale Vino & Cinere, & accendantur duodecim Candelæ in circuitu Ecclesiæ, juxta parietes Templi.

VI. Ut Episcopus ter circumeat Templum; & cùm ad portam accedit, ter super liminare percutiat extremitate Baculi Pastoralis, & ostium aperiatur, ipsoque ingresso ac cinere consperso, per pavimentum Ecclesiæ Baculo scribat Alphabetum Græcum & Latinum.

VII. Ut ungantur Oleo Sacro duodecim cruces in parietibus depictæ.

VIII. Præscribit modum conficiendi prædictam Aquam, & preces adjungendas cuique Cæremoniæ congruentiores, quòd naturæ & fini Ecclesiarum adoptentur, ac ex Locis Scripturæ ad utramque appositis desumantur.

IX. Insinuat Consecrationem Ecclesiæ non pendere à Consecratione Altaris, ideòque istâ pereunte illam non perire, cùm de Ecclesiæ Consecratione priùs agat seorsim, quàm de Consecratione Altaris sermonem faciat, nec ad istam transeat, nisi postquàm præscripsit quidquid ad illam attinet, quod finit his verbis: *Post hæc Pontifex procedit ad Altare.* Nec obstat quod in quibusdam Cæremoniis & Orationibus illas comitantibus jungatur Ecclesiæ Altare; id enim non fit nisi quia conveniunt utriusque fini, nempè quod consecrentur in honorem Dei, & sub nomine ejusdem Sancti; ut circa finem Litaniarum, ubi hæc leguntur; *deindè dexteram in altum extendens, producit communiter super Ecclesiam, & Altare consecrandum ter successivè signum Crucis, dicens:* 1°. *Ut Ecclesiam & Altare, sive ad honorem tuum, & nomen Sancti N. consecranda benedicere digneris, te rogamus, audi nos.* 2°. Dicit: *Ut Ecclesiam & Altare hoc, ad honorem tuum, & nomen Sancti N. consecranda benedicere & sanctificare digneris, te rogamus, audi nos.* 3°. Dicit: *Ut Ecclesiam, & Altare hoc, ad honorem tuum, & nomen Sancti N. consecranda benedicere, sanctificare, & consecrare digneris, &c.* p. 268. 269. Idem videre est in Benedictione commixtionis Vini, Salis, Cineris, Aquæ, quæ fit hac Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, Creator & Conservator humani generis, & Dator Spiritualis gratiæ, ac Largitor æternæ salutis, emitte Spiritum Sanctum tuum super hoc vinum cum Aqua, Sale, & Cinere mixtum, ut armatum Celestis defensione Virtutis, ad Consecrationem hujus Ecclesiæ & Altaris tui proficiat.*

Hæc autem Observatio IX. facta est & justa probata, ad refutationem illorum qui senserunt, Ecclesiam suam amittere Consecrationem, quoties Altare principale illius suam perdit, hac freti ratione; quod illa consecretur propter istud, cujus sententiæ Autores illustriores fuere S. ANSELMUS, & IVO CARNOTENSIS refutati à GONZAL. *in Cap. 1. De Consecrat. Eccles. n. 15.* post relata illorum fundamenta. *n. 3.*

X. Idem Pontificale docet ad hanc Consecrationem, Missæ Sacrificium necessarium non esse, sed decere fieri, *p. 332.* his verbis: *Quo dicto accedit Pontifex ad Sacristiam, ubi deposito pluviali, si Missam celebrare voluerit, quod conveniens est, &c.* Olim autem fiebat ipsa Missarum Celebratione, ac infertur ex *Cap. 24. De Consecrat.* DIST. I. desumpto ex VIGILIO Papa ad EUTHARIUM *ann.* 538. *Celebrationem cujuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritûs Sancti arrha non ponitur, celebritatem scimus tantùm Missarum.* VAN-ESPAN *in illud* id notat & probat.

XI. Ex Pontificali colligere est, quod Aqua quæ adhibetur in Consecratione Ecclesiæ, justè vocetur Aqua Consecrata, ad distinctionem Aquæ communiter benedictæ, quæ appellari solet Aqua benedicta, cùm, ut dictum est supra, hæc Aqua in tertia Benedictione super illam consecrari petatur.

PARS POSTERIOR.

Continens Regulas, Quæstiones, Observationes, desumptas ex Jure communiter usitato circa illa quæ pertinent ad Ecclesias, cum applicatione earum plurimis casibus particularibus & quotidianis.

SECTIO I.

CONTINENS REGULAS.

Regula Generalis, aliarum materiam, divisionem, & ordinem exprimens.

Quidquid à Jure Communi statuitur circa Ecclesias, aut ad earum constructionem, aut Dotationem spectat, sive ad Consecrationem earum, aut reparationes, aut earum pollutionem & reconciliationem, aut earum Immunitates.

§. I.

CONSTRUCTIO.

REGULA I.

Nulla potest ædificari Ecclesia sine consensu Episcopi loci, in quo mens est ut illa construatur. *Cap. 9. De Consecr.* DIST. I. Attribuitur *Concilio* AURELIANENS. Extat in *Novella LXVII.* Cap. 1. 2. prohibet absolutè, ne construatur Ecclesia, antequam Episcopus viderit locum, & illum approbaverit. IVO CARNOTENSIS *Part. 3. Cap.* 8. refert hunc Canonem & *Cap. 9.* unum citat nomine *Concilii* VORMATICI, quo statuitur ut, qui vult Ecclesiam ædificare in suo proprio fundo, incipiat habere Episcopi consensum. Extat in *Capitulari* CAROLI MAGNI *ad* SALZ..... *ann.* 804. GRATIAN. hoc etiam refert CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 44.

REGULA II.

Episcopus cui mens est ædificare Ecclesiam in alterius Diœcesi, expressè subjicitur huic Legi. *Cap. 1. Can. 16.* QUÆST. V. quemadmodum extat in *Concil.* ARAUSICANO I. Cap. 10.

REGULA III.

Episcopus non debet consentire constructioni novæ Ecclesiæ, si veteribus grave præjudicium afferre debeat, præterquàm quod bonum animarum illud expostulet. *Cap. 2. De Eccles. ædif.* Cap. 44. CAUS. XVI. QUÆST. I.

Ex-

Exceptio non exprimitur in Canonibus citatis, sed certè in iis ſubauditur, ſicut in omni alio Diſciplinæ caſu; quia ſi quando bonum animarum concurrat cum Temporali Eccleſiarum commodo, ſemper debet ipſi anteponi. Juxta hanc Regulam, Epiſcopus difficillimè conſentire debet conſtitutioni Monaſteriorum, in locis in quibus Parochus ſola portione congrua fruitur; quia timendum eſt ne Monaſterium panem auferat Parocho, ita ut non poſſit ſuæ Parochiæ pauperes ſublevare; quod ſi Parochus Vicario careat, & eo opus habeat, præſtat ut ei aliquis concedatur Decimatorum ſumptibus; hi dum magis proderunt animabus quàm Religioſi plures, quia cùm ſubjiciantur Parocho, vivent in unione, & unanimiter animarum utilitati totos ſe tradent.

REGULA IV.

Quantalibet conceſſa fuerit facultas Eccleſiam ædificandi, neque poteſt incipi, neque continuari, ſi quæ ſit oppoſitio uni aut alteri: tres habet menſes opponens, ut ſua juſtificetur oppoſitio; quod per id tempus conſtruitur contra voluntatem ipſius debet dirui; non tenetur conſentire ut ædificetur, dato Vade ut deſtruatur ædificium, ſi oppoſitio in gratiam ipſius cedat & dijudicetur. *Cap.* 1. 2. 3. 4. *De novi Operis nunciatione*, fundantur in Jure Civili, & illud declarant. *Cap.* 3. pertinet ad Canonicos Sanctæ Opportunæ *Pariſienſis*. Timendum eſſet ne ingentes impenſæ factæ in ædificationem Judices moverent, ut huic faverent.

§. II.

Dotatio.

REGULA I.

Non licet Epiſcopo conſentire de conſtructione alicujus Eccleſiæ, niſi appareat illam ſufficienter eſſe dotatam. *Vide* Canones ſuper *Reg.* I. *citatos.* *§.* 1. huic adde *Cap.* 1. Caus. I. Quæst. II.

REGULA II.

Dos Eccleſiæ ut ſit ſufficiens, debet accommodari oneribus. *Cap.* 1. Caus. I. Quæst. II.

REGULA III.

Onera ſunt Miniſtrorum victus, cultus, & veſtitus, qui Eccleſiæ ſervire debent, neceſſaria ad ſervitium, ad luminare, & ea quæ ſufficiant ad Reparationes in anno faciendas, auxilia. *Eod. Cap.* 5. *De Eccleſ. Ædif.*

REGULA IV.

Dos Eccleſiarum Parochialium olim fuit nominatim definita Principis Legibus & Conciliorum; non idem eſt de ulla alia; conſiſtebat in eo quod haberet manſum integrum, immunem liberumque ab omni onere temporali: Prætereà Curatus nihil debebat Domino, neque de Decimis, neque de Oblationibus Fidelium, neque de domo Curiali, neque de area & horto contiguo. *Cap.* 1. *De Cenſibus.* Cap. 25. *Can.* 23. Quæst. VIII. Colligitur ex *Capitul.* Aquisgr. 816. per verbum, *manſus integer*, quem interpretatus ſum (*mas entier*) quia ſunt adhuc loci in quibus nomen (*mas*) imponitur cuidam terræ menſuræ, intelligebatur fundum terræ 12. bovium aratione colendum: Videtur illud per Formulam inquiſitionis faciendam per viſitationem, quæ eſt in *Cap.* 5. *Lib.* Reginon. n. 13. Cap. 3. Caus. X. Quæst. III. videtur etiam determinare nominatim quanta ſint neceſſaria bona ad Parochiæ dotem, cùm dicit tribuendum eſſe Parochum Eccleſiæ, in qua ſunt decem ſervi; nam apparet, quod numero ſervorum judicaretur de amplitudine fundorum terræ, quibus addicti erant; quod, ſi cui decem eſſent ſervi, ille haberet fundum capax occupandi decem homines.

Nullum adhuc reperi Canonem, qui definiret nominatim aut ſpeciatim dotem alicujus alterius Eccleſiæ.

REGULA V.

Nunquam licitum fuit Fundatori Eccleſiarum Adminiſtrationem dotis earumdem retinere neque etiam licet, ſi pertineret olim ad Epiſcopum, præter quàm quod Eccleſia eſſet Regularis. Beneficiatius hodiè illam habet, ea lege ut rationem Epiſcopo reddat, ratione onerum, niſi ſit immunis ab ejuſdem Juriſdictione.

Hæc Regula & ejus exceptiones colliguntur ex *Cap.* 1. Quæst. I. 4. Caus. X. quoad Jus Vetus. Novum autem tàm notum eſt, ut non neceſſe ſit afferre probationes de illo. Annotandum eſt ſuper *Can.* 1. quod, qui detrahebat Eccleſiam Legi Diœceſanæ, illam Juriſdictioni Epiſcopi pro Temporali eriperet, & ideò privaret illum Juribus Epiſcopalibus, debitis ratione hujus Juriſdictionis; quamobrem, quia Monaſteria erant immunia à Lege Diœceſana, qui Epiſcopum volebant depellere de ſpe jurium ejus, fundabant Eccleſias Monaſteriorum nomine, nec in animo habebant illas dare alicui Communitati Religioſæ.

REGULA VI.

Quamvis Epiſcopus juraverit, ſe bona Epiſcopatûs non alienaturum, poteſt tamen hujus partem impendere in dotandis, nec non in conſtruendis Eccleſiis ad ſalutem animarum neceſſariis.

Hoc ſolùm in Gallia verum eſt, cùm habet Decimas in locis in quibus vult ædificare & dotare illas novas Eccleſias, & cùm de Parochiis agitur.

Ratio hujus eſt, quia Epiſcopus in hoc caſu ſolùm adimplet onera bonorum Epiſcopatûs; nam *Verbi grat.* Decimarum onus eſt, ſi impendantur ad procuranda auxilia ſpiritualia, illis à quibus eædem præcipiuntur. Quod ſi Epiſcopus jurans ſe non alienaturum in ſuo Jurejurando comprehenderet alienationem neceſſariam ad explenda onera, ejus juramentum contra bonos mores eſſet, atque ideò non obſtringeret. *De Reg. Jur.* Cap. 58. *in* 6.

§. III.

Quæ origo, qui ritus, à quo, quo fine, quo tempore fiat, & quid operetur Consecratio *Eccleſiarum, quomodo amittatur, & recuperetur, quæ Diſciplinæ mutationes circa illam.*

REGULA I.

Antiquiores Canones qui loquuntur de Conſecratione Eccleſiarum, de illa tanquam de re uſitata loquuntur. Per quoſdam adducimur ad credendum, quod, ubi primum Chriſtiani loca ſecreta potuerunt habere pro ſuis Conventibus, ea potiſſimùm conſecraverint. *Cap.* 59. *Concil.* Laodicens intelligitur, quædam eſſe loca conſecrata, in quibus Sacrificium offerendum erat; illud agit prohibendo etiam ne Epiſcopi offerant illud in domibus. Hic Canon citatur à *Canon.* 2. *De Conſecrat.* Dist. I.

Hoc etiam adducimur ad credendum, Consecrationem Ecclesiarum esse tàm veterem, quàm ipsas Ecclesias. Hinc colligitur quod hic usus è Veteri Testamento desumptus, quod docet primum Templum ædificatum in honorem veri Dei, jussu ipsius consecratum fuisse; & hæc certè origo vera est ac sincera; addit rationem convenientiæ, quæ potuit in animis Christianorum primorum impressiones quasdam habuisse, quemadmodum & exemplum allatum; ideò hæc dicit, quia Ecclesiæ præcipuè ædificantur ad Sacrificium, & quemadmodùm non potest offerri, nisi à Ministris Domino consecratis, ita illud non posse decenter offerri, nisi in locis cultui Domini Sacris.

REGULA II.

Consecratio Ecclesiarum tanto in pretio semper fuit habita, ut reservata sit in omni tempore & loco, Episcopo; extitere etiam loca & tempora in quibus Summo Pontifici reservata est. *Cap.* 2. 11. *De Consecr.* constantissimé evincitur, Canones illos qui loquuntur de Ministro Consecrationis Ecclesiarum, illam omnes tribuere Episcopo. ANTON. AUGUS. in sua *Epit. Veter. Juris Can.* LIB. II. *Tit.* 46. LIB. XIII. *Tit.* 7. multos collegit qui vetant ne Sacerdotes consecrent Ecclesias. *Can.* 4. 5. 6. 7. 8. *Ejusd.* DIST. loquuntur de Reservatione Consecrationis Ecclesiarum Papæ; ita ut non possit fieri sine ejus facultate & autoritate; nitebatur profectò in eo quod Magnus Sacerdos AARON consecravit Tabernaculum, & Summus Pontifex Templum SALOMONIS dedicavit; Summi Pontifices occasionem indè arripuerant suas facere proprias functiones, quas Ministri exercuerant, quas reputabant suas tanquam umbras & figuras; hæc reservatio postmodum abolita est, quia onerosa illis facta est, ob maximam Ecclesiarum multiplicationem.

REGULA III.

Si quid dubium rationabile sit, an Ecclesia consecrata sit, debet absque conditione sacrari. *Cap.* 16. 18. *De Consf.* DIST. I. non facit mentionem de conditione *Cap.* 111. *De Consecr.* DIST. IV. Nullum vidi qui statuat apponi conditionem. Ad dubium rationabile restringitur, in eo positum quod paria utrimque momenta habeantur; aliàs sine necessitate sufficienti iteraretur Consecratio, vel illius iterationis periculum subiretur.

REGULA IV.

Si ante Consecrationem Ecclesiæ, Paganus in ea sepeliatur, non debet sacrari antequam corpus illius Ethnici extractum sit ab illa, & purgata sit. *Cap.* 27. *De Consecr.* DIST. I.

REGULA V.

Ecclesia nulla est sacranda ad utilitatem temporalem Fundatorum. *Cap.* 10. *De Conf.* DIST. I. Adversatur illis qui Ecclesias ædificabant, ut fruerentur Oblationibus.

REGULA VI.

Nulla est sacra functio, quam Ecclesia tàm sæpè vetuerit, ne fieret extra loca consecrata, quàm celebratio Missæ; excipitur casus necessitatis, aut exceptio subauditur. *Cap.* 12. *De Conf.* DIST. I. annotat fundamentum exceptionis, & illud est, quod in genere Disciplinæ necessitas non subjicitur legibus, juxta Regulam, *necessitas non habet legem.*

REGULA VII.

Præter necessitatem, requiritur adhuc facultas Episcopi aut Summi Pontificis, & lapis sacratus. *Cap.* 12. 30. *De Conf.* DIST. I. *Cap.* 30. *De Privileg.*

Duo primi Canones excerpuntur è *Concilio* MOGUNTINO, *celebrato ann.* 888. *Cap.* 9. Loquuntur de casu, in quo Ecclesiæ dirutæ sunt ab Hostibus fidei, & de casu itineris; mentionem expressam faciunt facultatis Episcopi. Alter Canon de Indulto Sanctæ Sedis concesso Fratribus Minoribus & Dominicanis, ut Altari utantur quod possit portari ubicunque occurrent, modò hoc fiat sine præjudicio Jurium Parochialium, & declarat illos non opus habere facultate Episcoporum, ut hoc Indulto fruantur. Non est ampliùs in usu hodiè, saltem in Gallia.

Canones citati è *Concilio* MOGUNTINO sunt antiquiores Corporis Juris, qui loquantur de Altari portatili. BURCHAR. LIB. III. *Cap.* 61. unum refert de re eadem, quem vetustiorem putari debuit; hunc tribuit *Concilio* AURELIANEN. I. quorum recentius ex illis quæ sanxerunt Canones, antequam BURCHARDUS scripferit, quod est versùs initium Sæculi XI. habitum est *ann.* 549. hic autem Canon in nullis Conciliis hujus nominis reperitur. Quoad modum consecrandi Altaria portatilia, in *Pontificali Romano* habetur *p.* 371. usque ad 388 longè differt à modo consecrandi Altaria non portatilia, tùm quoad preces, tùm quoad verba quæ junguntur aspersioni Aquæ Benedictæ, Unctioni Olei Catechumenorum, & Chrismatis; præcipuè notandum est, quod non dicatur in consecratione Altaris portatilis, illam fieri in honorem Beatæ MARIÆ Virginis, omnium Sanctorum, & alicujus Sancti in particulari; dicatur verò in Sacratione Altaris non portatilis.

REGULA VIII.

Episcopus non magis potest consecrare alterius Diœcesis Ecclesias, quàm Ordines conferre Clericis alterius Episcopi, quanquam easdem jussisset ædificandas suis sumptibus, *Cap.* 18. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 1. 2. 3. CAUS. XVI. QUÆS. V.

REGULA IX.

Ex omnibus observandis, tùm in constructione, tùm in Consecratione Ecclesiarum, sex tantum sunt notata in Corpore Juris, præter ea de quibus locutus sum in §. §. præcedentibus.

1. Oportet ut Episcopus assignet locum in quo Ecclesia debet construi, & quod vestibulum habere debeat. *Cap.* 9. *De Consecrat.* DIST. I.

2. Par est ut idem Episcopus crucem figat, in loco ubi debet esse Altare. *Ibidem.*

3. Necesse est ut imponat reliquias Martyrum, in Cavo Altaris, posito quod Ecclesia ædificata sit, sub Titulo alicujus Sancti Martyris; non autem in loco in quo manserit, aut quem possederit, aut in quo sanguinem suum fuderit. *Cap.* 1[illegible] *Ejusd.* DIST.

4. Episcopus tribuere potest unum annum integrum Indulgentiarum, sed non plus ultrà, quamquàm Consecratio à multis Episcopis fieret. *Cap.* 14. *De Pœnit. & rem.* Cap. 3. *Ejusd. Tit. in* 6.

5. Sacrandæ sunt Aræ, cum Unctione Chrismatis, & precibus eidem junctis, si sint Lapideæ. *Cap.* 31. 32 *De Consecr.* DIST. I.

6. Adhibetur quædam particularis aqua in Consecratione Ecclesiarum, quæ sine dubio est aqua GREGORIANA. *Cap.* 7. *De Consecr.*

REGULA X.

Sunt Textus Juris mentionem facientes de Ceremoniis Consecrationi Ecclesiarum addictis, de quibus nullus habetur sermo *in Pontificali*; talis est aspersio Aquæ Benedictæ in Vestibulo, aut Ecclesiæ Curia. *Cap. 9. De Conf.* Dist. I.

REGULA XI.

Eadem ratione ad consecrandas solemniter Ecclesias adducti sunt Christiani, quâ ad celebrandum hujus Consecrationis Festum cum Octava. *Cap. 16. 17. De Conf.* Dist. I. Hi duo Canones excerpuntur ex Epistola Felicis IV. *ann.* 520. docet exemplo Judæorum utrumque statutum fuisse.

REGULA XII.

Ecclesiarum Sacratio omni tempore fieri valuit. *Cap. 2. De Consecrat. Eccles.*

REGULA XIII.

Multis legibus expresse vetitum est, ne quid exigeretur circa Ecclesiarum Consecrationem; nullam reperimus quæ illud toleraverit. *Cap. 106.* Caus. I. Quæst. I *Cap. 1.* Quæst. II. *ejusdem* Caus. Cap. ult. Quæst. III. *ejusdem* Caus. I.

REGULA XIV.

Ecclesia consecrata suam potest amittere Consecrationem; & revera in casibus sequentibus illud evenit.

1°. Si ab ea tollatur Altare consecratum; sed tunc Consecrationem suam recuperat, ubi Altare loco suo remittitur, vel reponitur. *Cap. 24. De Consecrat.* Dist. I. Cap. 1. *De Consecrat. Eccles.*

2°. Idem est si lapis principalis Altaris mirum in modum frangatur; sed tunc si ponatur alius Lapis Sacratus, sua Ecclesiæ restituitur Consecratio. *Cap. 1. De Consecrat. Eccles.*

3°. Si muri Ecclesiæ labantur, aut diruantur; non idem est de tecto cadente, aut everso. *Cap. 6. ejusd. Tit.* Ex hoc triplici casu, ultimus tantùm postulat, ut de novo Ecclesia consecretur; in quo Jus *Decretalium* differt à Jure contento in *Decreto* Gratiani, nam juxta *Canon. 19. De Consecrat.* Dist. I. statuitur, ut, si Altare è suo loco extrahatur, iterùm consecranda sit Ecclesia, & non idem sit, si muri mutati fuerint; sed ut tunc sufficiat si illa purgetur cum sale benedicto: Hæc contradictio partim agnoscitur ab Alexand. III. Cap. 1. *De Consecrat. Eccles.* Non multùm curandum de conciliatione, cùm *Can. 19.* sit spurius, falsò suppositus Higino.

REGULA XV.

Nulli licebat nova Altaria collocare in Ecclesia consecrata, quin ab Episcopo sacrata fuissent, & Episcopus illam facultatem daret. Si Clericus aliter ageret, à Clericatûs Ordine deponendus erat; si Laicus, anathemate feriendus erat. Nunc satis est si Episcopus suam tribuat facultatem, & non est necesse ut Altare consecretur. *Cap. 25. De Consecrat.* Dist. I.

REGULA XVI.

Episcopus multa simul Altaria sacrare potest, necnon & multos simul Episcopos; sed oportet ut Consecratio successivè fiat, adhibendo easdem Ceremonias, & eadem verba in Consecratione cujusque. *Cap. 5. De Consecrat. Eccles. Pontif. p. 280. Consecratio Altaris.*

REGULA XVII.

Quod dictum est hactenùs de Consecratione Ecclesiarum & Altarium, debet extendi ad Benedictionem earumdem Ecclesiarum & Altarium; hæc differt ab alterâ in eo, quod nulla in ea Unctio adhibeatur, nec Olei Catechumenorum, neque Chrismatis.

§. IV.

Reparationes Ecclesiarum.

Reditus Ecclesiarum semper onerati sunt Reparationibus earumdem, cum hoc discrimine, quod usque ad partitionem bonorum Ecclesiæ, sit portio aliqua determinatè affectata his Reparationibus, quodque post istam partitionem, omnes Beneficiariorum reditus illa gravati sunt, præter illos qui victui & cultui, & aliis muneribus Beneficio particulatim alligatis, destinantur. *Cap. 1. 2. 3.* Caus. X. Quæst. III. Cap. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 1. 4. *De Eccles. Ædific.*

REGULA I.

Antiquiores Canones quos circa Distributionem bonorum Ecclesiæ habemus, supponunt, jam aliquam assignatam esse partem Reparationibus Ecclesiarum. *Cap. 28.* Caus. XII. Quæst. II. collectum è Simplicio, creato *ann.* 467. est antiquissimus legitimus Textus quem repererim, & tàm invictè supponit, aliquam partem Ecclesiæ redituum determinatam addici Reparationibus, ut puniens Episcopum ob Ordinationes non Canonicas ab ipso factas, administratione illius partis eumdem privet, & alteri illam committat. Ex citatis Textibus, qui prior refertur à Gratiano (nempè *Cap. 27. Eod.* Caus. & Quæst.) est tempore posterior altero; sumitur à Gelasio ad Summum Pontificatum evecto *ann.* 492. idcoque 25. annis post Simplicium: undè fit ut iste à Gelas. citetur circa divisionem Ecclesiæ redituum in 4. Partes, & assignationem unius ex 4. iisdem portionibus Ecclesiarum Reparationibus; de qua prædicta divisione, necnon & de memorata assignatione, testantur jamdiu esse in usu hæc verba: *Sicut dudum rationabiliter fuit decretum.*

REGULA II.

Portio attributa Reparationibus colligebatur, tùm ex lucro fortuito, cùm ex reditibus Ecclesiæ; erat communiter quarta pars utriusque.

Canones supra allati; dùm addicunt Ecclesiarum Reparationibus quartam partem, in hac comprehendunt tum quartam partem Oblationum, quàm quartam redituum portionem.

Ab hac Regula excipiendæ quædam Regiones in quibus major Pars huic oneri affectabatur; de illis mentionem faciunt Canones nonnulli Quæst. III. Caus. X. excerpti è *Concil.* Hispan. quæ tertiam Partem applicant; & hi Canones pertinent tantùm ad Parochias, ex quorum reditibus nullam Episcopo portionem arrogant, quæ in ipsius utilitatem vergat; sed ipsi assignandæ Reparationis onus imponunt, quod ut impleatur ut par est, unamquamque Parochiam quotannis visitare compellitur.

REGULA III.

Si portio, assignata unoquoque anno Reparationibus, excederet quæ restaurandа essent in anni curriculo; reliquum in manibus electi Oeconomi ad hoc deponebatur, aut emebatur fundum pro communibus Ecclesiæ necessitatibus. *Cap. 3.* Caus. XII. Quæst. II. Colligitur è Gelasio creato *ann.* 492.

REGULA IV.

Restat adhuc aliquod vestigium affectationis potrionis Ecclesiarum bonorum earumdem Reparationibus, in Monasteriis quæ sunt in Commenda; cùm in usu sit, ut illorum Monasteriorum bona partita sint tres in partes; unam, in gratiam Abbatis; alteram, Monachorum; & tertiam, reparationum causa. Hunc usum explicavi in Praxi Episcopali, seu Institutionibus, quibus hic Titulus convenit, cùm sermo haberetur de Commendis.

REGULA V.

Cùm jus percipiendi reditus cujusdam Ecclesiæ, tribueretur aliis quàm illi qui eamdem regebat, tenebantur illam Ecclesiam restaurare. *Cap.* 1. *De Eccles. Ædif.* quemadmodùm in prima ex antiquis Compilationibus extat; illos asserit qui Beneficia Ecclesiastica possident, teneri ad reparationes faciendas, & ad solvendum nonam & decimam partem. Ex quo intelligitur mentionem fieri de casu in quo reditus & bona Ecclesiarum aliis tribuebantur, quàm iis qui curam illarum habebant & Administrationem; nam nona & decima debebatur solùm à bonorum Possessoribus Ecclesiis addictorum, quæ non regebant, sed ab aliis Spiritualiter administrabantur.

REGULA VI.

Curati non sunt immunes à debito onere conferendi ad reparationes, si quid supersit postquàm necessaria victui & vestitui ceperint, nec non & Officio Divino: æquiùs ac congruentiùs ad id tenentur, ut suo exemplo alii excitentur ad munus suum adimplendum circa easdem reparationes. *Cap.* 4. *De Eccles. Ædif.*

REGULA VII.

Canones, quibus pecuniariæ mulctæ statuuntur contra Beneficiarios, solent eas expressè applicare ad reparationes Ecclesiarum. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *De Ref.* Cap. 14. SESS. XXV. *De Ref.* PRAGM. SANCT. *Tit.* 19. CONCORD. *Tit.* 13. §. 1.

§. V.

POLLUTIO & RECONCILIATIO ECCLESIARUM.

Cùm Reconciliatio Ecclesiarum pollutarum, non aliud plerumque sit, quàm restitutio Ecclesiarum consecratarum in Juribus acquisitis Consecratione, ut functionibus Sacratissimis Religionis serviant potuissem collocare hunc §. antè supra recensitum; sed aliundè, quia Ecclesiæ polluuntur aliquandò occasione reparationum, quæ in ea sunt faciendæ, sanè operæ pretium fuit, ut loqueremur de Pollutione Ecclesiarum, postquam egimus de earum reparationibus.

REGULA I.

Pollui possunt Ecclesiæ non Sacratæ, sicut & illæ quæ consecratæ sunt. *Cap.* 27. 28. *De Cons.* DIST. I. *Cap.* 10. *De Consecr. Eccles.*

REGULA II.

Pollutio Ecclesiarum fit via criminosa, & non criminosa.

REGULA III.

Non polluuntur via non criminosa, nisi in casibus in quibus causa est cur amittant suam Consecrationem, quoad effectum inserviendi Servitio Divino.
Vide *Reg.* XV. §. III.

REGULA IV.

Sunt tantùm tria facinora quibus illæ polluuntur: Primum est homicidium voluntarium, aut vulnera gravia. Cap. 19. *De Cons.* DIST. I. Cap. 4. *De Cons. Eccl.*
Secundum est crimen impurum consummatum inter hominem & mulierem; *In eodem Cap.* 19. *De Cons.* DIST. I. Cap. 10. *De Consecr. Eccles.*
Tertium est humatio excommunicati in Ecclesia delati; idem est de sepultura data Pagano aut Infideli alteri. *Cap.* 27. 28. *De Cons.* DIST. I. Cap. 7. *ejusd. Tit.*

REGULA V.

Cùm celebrat aliquis in Ecclesia polluta, non ideò fit Irregularis, quamvis peccet mortaliter. *Cap.* 18. *De Sent. Excom. in* 6.

REGULA VI.

Datur nomen reconciliationis actioni qua cessat pollutio. *Cap.* 10. *De Consecr. Eccl.*

REGULA VII.

Reconciliantur Ecclesiæ non consecratæ aspersione aquæ Benedictæ communis.

REGULA VIII.

Ecclesiæ consecratæ reconciliantur aspersione aquæ Benedictæ cum vino & cinere, vocatæ plerumque aqua GREGORIANA, quia a S. GREGORIO fuit introducta. *Cap.* 4. *De Consecr. Eccles.*

REGULA IX.

Quoad reconciliationem Ecclesiarum pollutarum viâ non criminosâ, Jus Vetus cum Novo non est consentaneum: Juxta Jus Vetus, Ecclesiæ pollutæ modo non criminoso sola Missæ celebratione in pristinum statum revocantur, postqnàm cessaverit causa pollutionis; sive reponendo Altare consecratum in suum locum; sive subrogando loco principalis lapidis altaris seu mensæ quæ fracta est, alterum lapidem integrum, seu mensam quæ aliàs habeat qualitates requisitas; sive restaurando muros eversos. Jure Novo statuitur, quod si Ecclesia sit polluta, per murorum eversionem, non solùm restituendi sunt, sed etiam iterùm sacranda est Ecclesia. *Cap.* 24. *De Cons.* DIST. I. Cap. 6. *De Cons. Eccles.*

REGULA X.

Quemadmodum ad Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, illas etiam solus reconciliare jure potest. Hæc functio erat illi olim tam propria, ut non posset illam committere simplicibus Presbyteris, jamdiu id potest *Cap.* 9. *De Cons. Eccles.* BOCHEL. LIB. III. *Tit.* 19. colligit illud ex *Statutis Ecclesiæ* TRECASSINÆ. Recentior Collectio ab hoc authore citata est *ann.* 1530.

REGULA XI.

Omnia quæ hactenùs de Pollutione dicta sunt, nec non & de Reconciliatione Ecclesiarum, extenduntur etiam ad Cæmeteria. Hoc infertur ex *Cap.* 7. *De Cons. Eccles.* & ex *Cap.* 27. 28. *De Cons.* DIST. VII. Docent eadem crimina quæ polluunt Ecclesias, Cæmetia etiam vitiare, & reconciliari aspersione aquæ Solemni ritu benedictæ.

REGU-

REGULA XII.

Pollutio Ecclesiæ transit ad Cæmeterium contiguum; sed pollutio Cæmeterii nunquam pervadit usque ad Ecclesiam.

Nullus Textus hoc expressè dicit, sed infertur ex *Cap.* 17. *De Excommun. in 6.* in quo legere est, unà cum Ecclesia, Cæmeterium contiguum interdictum esse. Sed non obstante affinitate pollutionis cum interdicto, nihilominus hæc Regula non esset invicta, posito quod nullum aliud haberet fundamentum; quia cessatio Cultus Divini quæ sequitur pollutionem, res quædam odiosa est, & in genere rei odiosæ ratiocinium à simili non est accipiendum; sed adhuc nititur usu commemorato à multis Statutis Synodalibus, allatis à Bochel *in Tract. citato.* Cap. 31. 32. 34. 35.

§. VI.

Immunitas Ecclesiarum.

Multi Textus in Corpore Juris loquuntur de Immunitatibus Ecclesiarum; nam 1°. est illarum Titulus integer in *Decretalibus* Greg. IX. Lib. III. *Tit.* 49. *in 6.* Decr. Lib. III. *Tit.* 23. in Clem. Lib. III. *Tit.* 17. 2°. Adhuc fit mentio harum Immunitatum in Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. 19. 20. 21. Caus. XXIII. Quæst. VIII. *Cap.* 28. Caus. XXXVI. Quæst. I. *Cap.* 3. sed ex his omnibus Textibus pauci sunt, qui ad materiam spectent, aut qui sint in usu apud Gallos; agitur ibi de sola Immunitate locorum consecratorum Cultui Divino, quæ intelliguntur vulgò nomine *Ecclesiarum.* Textus collecti, & in Titulis *De Immunitate Ecclesiarum*, loquuntur majori ex parte, de Immunitate aut virorum Ecclesiasticorum, aut bonorum Ecclesiæ; aliundè exemptio & libertas Ecclesiarum ferè abrogata est in Gallia, quia consistit in eo quod non possint in illis apprehendi nocentes sine consensu Prælatorum, qui eas regunt, & quin promittatur illos vitam habituros salvam, & non mutilandos iri; ideò non operæ pretium foret, si ibi colligerentur omnia quæ comprehenduntur nomine Immunitatis Ecclesiarum acceptæ juxta omnem hujus extensionem, neque omnia quæ à Jure exponuntur circa eandem Immunitatem restrictam ad loca consecrata Cultui Divino. Itaque sufficiet ista Observatio, & nonnullæ aliæ utiles aut ad Historiam aut ad Praxim.

Cap. 28. Caus. XXIII. Quæst. VIII. est antiquissimus Juris Textus, qui de Immunitatibus Ecclesiarum loquatur. Excerpitur è *Concilio* Saroicensi *ann.* 347. *Cap.* 8. In eo dicit Concilium, quod si rei pœnis Capitalibus damnati recurrant ad Ecclesiam, pro ipsis intercedere debet.

Ex *Cap.* 10. Caus. XVII. Quæst. IV. collecto è Gelasio Papa intelligitur, ipsum credere Immunitatem Ecclesiæ esse Juris Divini; nam in eo dicit nulli unquam Principi facultatem concessam fuisse, ut reum è Locis Sanctis, qui confugisset ad ea, vi eriperet; nihilominùs locus est credendi sensum Papæ esse Sanctitatem Ecclesiarum postulare, ut Principes parcant illis, qui ad eas confugiunt, si bonum publicum illud permittat.

Canones qui de hac Immunitate loquuntur, aut Ecclesiarum Privilegio, exceperunt ab illa quosdam nocentes, quorum punitio bono publico multùm importat; tales sunt publici latrones, magnarum viarum fures. *Cap.* 6. Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 6. *De Immunitate Ecclesiarum.* Hi rei poterant vi in Ecclesia apprehendi; alii non poterant nisi forent servi, & nisi herus eorum promisisset cum juramento, apud se gratiam illos habituros; exceptio necessaria, ut servus è suis criminibus commodum non perciperet. *Ibid.* Qui suum committebant in Ecclesia facinus, non fruebantur Immunitate Ecclesiæ, *Cap.* 10. *ejusdem Tit.* Immunitas Ecclesiarum non includebatur intra Ecclesiam; extendebatur ad 30. aut 40. passus circa eamdem Ecclesiam; 30. pro Sacellis aut parvis Ecclesiis; 40. pro magnis Templis. *Cap.* 6. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 21. *ibid.* Vestibulum & primus aditus Ecclesiarum eodem fruebantur Privilegio. *Cap.* 20. *ibid.*

Prohibetur ne Judices Sæculares in Ecclesiis Jus dicant, præsertim in materia criminosa, *Cap.* 1. 5. *De Immunit. Eccles.* Adhuc vetatur, ne Communitates Urbis, aut aliæ similes in Ecclesiis Conventus faciant, *Cap.* 2. *De Immunit. Eccles. in 6.* Hæ duæ prohibitiones vigent; nec non & prohibetur ne habeantur Catus Judiciales, & Jus dicatur in Porticu Ecclesiarum, quæ quidem prohibitio legitur in multis Canonibus, qui necessarii ampliùs non videntur, quia abusus vetiti jamjam cessarunt.

Plura in Novis Commentariis Cleri Gallicani circa jus azili in Locis Sanctis Tom. V. *p.* 1627. ubi antiquus & novus usus Regni hac in re ostenditur, relatione testimoniorum id testantium, & desumptorum è Conciliis, & Capitulatibus Regum Francorum, Ordinationibus Regiis, ex Senatus-Consultis: quod præsertim notandum est, jam à duobus sæculis jus asili desiisse, tàm in criminali quàm in civili; Franciscum I. hanc abrogationem inchoasse, Ordinatione sua 1539. *art.* 164. eamque propter abusus frequentes ac exitiosos adeò probatam esse, ut à nullo Rege expressè hoc jus restitutum sit, nec ulla Consuetudine, sciente & tacente Principe, ulla in Regni Provincia apparuerit restitutionis vestigium: Præcipuos Autores eò loci laudatos esse, Burdinum 1°. Advocatum, deindè Procuratorem Generalem, idque in *citatum Articulum.* 2°. Molinæum in *Notis* circa eumdem *Articulum.* 3°. Luetum in sua *Placitorum Collectione.* 4°. Paponem in suis *Arrestis.* Quoad alias Religiones ubi jus azili adhuc viget, valdè optandum foret, ut Ecclesia & Principes ita illud temperarent, ne ullo modo esse posset innocentium scandalum, ac nocentium præsidium.

Quæcumque hunc Paragraphum spectant, amplissimè discussa sunt à Germoninio Archidiacono *Tauriensi*, in suo Tractatu *De Immunitat.* in tres Libros diviso; sed ubique nimius adeo est, ut nihil sacrum sit, sive persona, sive res, sive locus, quod non sit à Lege Civili exemptum, soloque Jure Divino Canonicoque regendum; quæ sententia innumeris Canonibus adversatur, iisque potissimùm qui adducti sunt in prima Parte Prolegomenorum, dum de distinctione Potestatis Spiritualis, & Potestatis Temporalis, proindeque de prærogativis cuique peculiaribus.

TRACTATUS DE LOCIS SACRIS

SECTIO II.

Quæstiones Practicæ & Quotidianæ circa Benedictionem, Consecrationem, Pollutionem, & Reconciliationem Ecclesiarum, resolutæ præsertim à Sacris Canonibus, indeque desumptis suprà Regulis.

PRÆFATIO.

Pauci sunt casus praxim spectantes circa pollutionem Ecclesiarum, ac ea quæ illam vel præcedunt, vel subsequuntur, qui in Quæstionibus quas trado, aut non resolvantur, aut non possint decidi per principia quæ de illis statuo. Ut autem detur idea justa hujusce pollutionis, dicendum est, de ea idem esse ac de irregularitate; nam hæc pollutio eumdem ferè effectum producit, quoad loca Deo consecrata, quem irregularitas quoad viros Domino pariter consecratos

patit. Hic effectus est, quod quemadmodum irregularitas personas reddit incapaces functiones sacras adimplendi; propter pollutionem hæc loca minimè valent earumdem functionum exercitio inservire. Similitudo mox observata non sola est quæ sit inter pollutionem & irregularitatem; nam sicut illa duplicis generis est, ratione causæ; una orta è crimine, & altera proveniens ex defectu; sunt etiam Pollutiones duplicis generis acceptæ à diversitate causæ: Altera oritur è crimine in Ecclesiis admisso, & tria producunt hunc effectum 1. Utriusque sexûs mixtio, 2. Homicidium aut vulnera gravia, 3. Humatio personarum excommunicatarum in Ecclesiâ. Alia pollutio provenit à defectu; talis est 1°. illa quæ procedit à demolitione integra Ecclesiæ, aut parte ejusdem majori; talis est 2°. illa quæ ab omni alia mutatione notabili quæ in ea fit, emanat, sive adjiciendo eidem, sive aliquam magnam partem illius detrahendo: talis est 3°. illa quæ derivatur à fractura immensa Majoris Altaris consecrati, aut ejusdem Altaris amotione. Ut igitur ponatur ordo in Quæstionibus à me resolutis, eas dirigam juxta hanc divisionem, postquam nonnullas in Capite collocaverim, quæ spectant ad utrumque pollutionis genus. Sed interim notandum, pollutionem comparari posse cum Censura, quia est localis: ut interdictum, & excommunicatio, ac suspensio inhabiles reddunt ad munia sacra, sic facit pollutio. Attamen hæc comparatio tanquam imperfecta omittenda videtur, cùm nulla sit censura ex defectu veniens, extent verò pollutiones hujus generis.

QUÆSTIO I.

An Sacri Canones aliquod discrimen ponant inter actionem benedicendi, consecrandi, & dedicandi Ecclesias? an sit in usu aliquod statuere?

Frequentissimè loquuntur homines de Benedictione, Consecratione, & Dedicatione Ecclesiæ: Magni refert igitur ut cognoscamus an sit aliqua inter illa differentia, & quænam illa sit. Revera juxta sermonem Canonum, consecrare & dedicare sunt verba synonima; cùm utrumque promiscuè adhibeatur. Innumera possent de hoc afferri exempla; satis erit si aliqua desumamus è Corpore Juris, & è Pontificali, quod collegit ea quæ exposuit hac de re, tàm ex Canonibus insertis in Corpore Juris, quàm ex aliis. Et ut ordiamur ab eodem Pontificali; profectò Papæ qui faciendum illud curaverunt, aut confirmaverunt, nullam ponunt differentiam inter hæc verba *consecrare* & *dedicare*; nam in Inscriptione Tituli in quo hæc materia agitatur, hæc duo verba, *Dedicatio* & *Consecratio* reputantur ut synonima; *De Ecclesiæ Dedicatione seu Consecratione*. Sed quia verbum *Consecrationis* magis usitatum est & notum, quemadmodum explicatur verbum, *Dedicationis*, per terminum *Consecrationis* in Rubrica ejusdem Tituli, usurpatur modò verbum *dedicare*, modò verbum *consecrare*. *Quandò autem Ecclesia fuerit dedicanda, debet Archydiaconus pronuntiare Clero & Populo, quibus est Ecclesia consecranda. p. 157.* Idem videtur in instructione Episcopi ad Populum circa Consecrationem.... *Quam vos... nobis humiliter supplicastis, vel N.* (fundator) *supplicavit ut eam consecrare dignaremur; nos autem vestris vel suis supplicationibus inclinati, eam in honorem Omnipotentis Dei, Beatæ MARIÆ semper Virginis, & omnium Sanctorum, ac memoriam Sancti N. dedicamus.* Eadem verba *dedicare* & *consecrare* promiscuè usurpantur in *Can.* 2. & *Can.* 4. *De Consecrat.* DIST. I. Idem legitur in *Tit. De Consecrat. Eccles.* DECR. LIB. III. nam quod vocatur *Consecratio*, in Inscriptione Tituli, & in plerisque Capitibus ex quibus constat, nomen habet *Dedicationis*. in Cap. 2. & 7. *ejusdem Tituli*, Idem adhuc vocatur *Dedicatio* in Cap. 14. *De Pœnit. & remiss.* Præscribit indulgentias quas Episcopus potest tribuere die Consecrationis, & anniversarii ejusdem Consecrationis, & semper usurpatur verbum *Dedicare* & *Dedicatio*.

Quoad verbum *Benedicere*, innumeri sunt Canones quibus intelligitur illud, in materia de qua agitur, non idem significare ac verbum *consecrare*; tales sunt imprimis illi qui statuunt, ut consecrentur Ecclesiæ, quæ benedictæ fuerunt; unus legitur in Corpore Juris, *ultimus* scilicet. *De Eccles. Consecrat. Concil.* LONDINENSE 1237. *Cap.* 1. alium tradit, *Concil.* MEDIOLAN. *ann.* 1576. *Constitut. Part.* 1. *Tit.* 19. eodem modo agit: Hi duo ultimi Canones infrà referentur.

QUÆSTIO II.

Quænam sint præcipua differentia inter Benedictionem, & Dedicationem seu Consecrationem Ecclesiarum?

Sex sunt differentiæ gravis momenti inter Benedictionem, & Consecrationem Ecclesiarum; nam 1°. Benedictio solùm præparat illas ad Consecrationem, & constituit in eo statu, ut possint inservire Functionibus Sacris, dum commodè consecratæ sint. 2°. Benedictio sit sine Unctione. duodecim sunt in Consecratione, quia figuntur duodecim cruces, & fit in unaquaque Unctio. 3°. Aqua quæ in Benedictione adhibita, nihil aliud est quàm Aqua Benedicta communis & ordinaria; & in Consecratione Episcopus utitur mixtione composita ex aqua, ex sale, cinere & vino. 4°. Consecrationem prævertere debet dies jejunii, tùm ex parte Episcopi qui debet hanc facere, cùm ex parte populi qui illam requisivit: At ut disponamur ad Benedictionem Ecclesiarum, nollo obligamur jejunio. 5°. Episcopus Consecrator jus habet tribuendi unum Indulgentiarum annum die Consecrationis, & quadraginta dies pro anniversario ejusdem Consecrationis: Non idem jus habet quoad Benedictionem. 6°. Soli Episcopi faciunt ceremoniam Consecrationis; & Benedictionis ceremonia plerumque à simplicibus Sacerdotibus, ad hoc deputatis ab Episcopis, agitur. Probatio harum differentiarum evincitur *in Pontificali Tit. De Consecratione Eccles. p.* 157. in Cap. unico. *De Sacra Unct.* in Cap. 14. *De Pœnit & Remission.* & in Ritualibus *Tit. De Benedictione Ecclesiarum.*

QUÆSTIO III.

An loca Benedicta & Consecrata suam possint amittere Benedictionem aut Consecrationem? an in hoc idem sit de Altaribus ac de Ecclesiis?

Dico quoad primam Quæstionis partem, quod videatur idem esse de Benedictione & Consecratione locorum, ac de Benedictione & Consecratione personarum. Viri semel Benedicti & Consecrati, semper sunt quamdiu vivunt; hoc videre est in Abbatibus, Abbatissis Benedictis; idem videtur in Virginibus consecratis, in promotis ad Ordines Sacros aut ad Episcopatum; necesse igitur ut Benedictio & Consecratio locorum subsistat, quandiu & ipsa in integro remanent. Sed si in hoc casu eadem loca nequeant amittere suam Benedictionem aut Consecrationem, hujus effectum saltem possunt perdere, qui est ut possint in eisdem Sacræ functiones exerceri, & eas amittunt pollutione orta, aut à quibusdam facinoribus in eisdem locis

cis patratis, aut ex eo quod in usus profanos eadem conversa fuerint; ut, *verbi gratia*, si factum fuerit ex iis præsidium aut munitio copiarum, aut si quis in iis habitaverit aut manserit, tanquam in profana domo. Non hîc ampliùs loquar de hac duplici Pollutione; satis explicabitur & fusiùs Decisione casuum spectantium ad utramque, aut ad quamque particulatim. Itaque Quæstio pertinet tantùm ad casum in quo hæc loca diruuntur, aut omninò aut in majori sua parte, aut ad illum in quo notabiliter augentur; denique ad alium omnem casum spectat, io qno fiunt mutationes gravis momenti in iisdem locis. Quemadmodum hæc omnia puncta sunt maximi ponderis, atque nt nitidè explanentur, necesse est in partes descendere; satis erit hic generatim dicere, par esse & æquum ut illa loca benedicta aut consecrata suam amittant Benedictionem aut Consecrationem, si quæ hujusmodi mutationes eveniant, quia cessant esse eadem loca, & aliæ res benedictæ suam perdant Benedictionem, cùm in iis tales fiunt mutationes, ut non possint dici eædem esse quæ erant anteà, eadem aqua, idem oleum, eadem alba, eadem casula, eadem sacra Augustissimæ Eucharistiæ pixis.

Quoad 2am. Quæstionis partem, dico quod nullam rationem perspiciam, quâ quis reneatur distinguere Altaria & Ecclesias, in iis quæ spectant ad Benedictionem & Consecrationem; assero, quod usus quoque nullam ponit in eo differentiam inter Altaria & Ecclesias; sunt Aræ benedictæ, sunt & aliæ consecratæ, quemadmodum sunt Ecclesiæ benedictæ, & aliæ consecratæ. Et eodem modo quo fiunt in Ecclesiis mutationes, quibus suam amittunt Benedictionem aut Consecrationem, & admittuntur in illis crimina quibus privantur effectu hujus Benedictionis aut Consecrationis; ita pariter fieri possunt tales murationes circa Altaria, ut suam amittant ex eo Benedictionem, aut Consecrationem; & potest etiam accidere, ut in iis admittaotur crimina quibus effectu utriusque priventur. Imposterùm examinabimus quænam sint istæ mutationes, quænam sint hæc crimina.

QUÆSTIO IV.

Estne aliqua Lex edicens aut prohibens Consecrationem Oratoriorum Publicorum?

Imponitur nomen Oratorii Publici omni loco Cultui Divino dedicato, cujus aditus permittitur omni fideli: talia sunt imprimis Sacella ruralia, Sacella devotionis; talia fuerunt olim omnia Sacella exteriora Religiosorum, & Monialium: illa tantùm reputabantur ut Oratoria, sed ubi primum Religiosi inceperunt administrare Sacramenta Sæcularibus, & in iisdem Sacellis prædicare, adscripta sunt in numerum Ecclesiarum. Itaque difficultas proposita non pertinet ad Capellas exteriores Religiosorum; quia eo quo nunc spectantur modo comprehenduntur in *Tit. De Consecrat Eccles.* ut habentes communiter Ecclesiæ nomen quapropter haud dubiè istæ Capellæ non sunt ampliùs ex his Oratoriis Publicis, de quibus quæri potest, an statuatur aut prohibeatur ne consecrentur.

Hoc posito, dico onllam esse Legem autoritatis universalis, quæ ordinet aut prohibeat Consecrationem Oratoriorum de quibus hîc agitur, nisi confundatur Consecratio cùm Benedictione. Excipio hunc casum, quia vetitum semper fuir, oe Missa celebraretur in locis Domino non dicatis aliqua particulari ceremoniâ, quæ vocatur *Benedictio* cum fit sine Unctione & Consecratione, eum adjungitur eidem Unctio, quod nomen potest etiam imponi Ceremoniæ quæ vocatur Benedictio, quia applicat &, dicat loca cultui Domini; & hoc significatur verbo *consecrare*. Hoc in sensu *Synodus* WIGORNIENSIS *ann.* 1240. CONC. TOM. XI. *p.* 574. dat oomen *coasecrationis* Benedictioni Cæmeteriorum in Inscriptione *Cap.* 3. *De Consecratione Cæmeterii*; idem habet *Tit.* 23. *Statutorum Synodi* AUGUSTANÆ *ann.* 1548. CONCIL. TOM. XIV. *p.* 587.

Quod dixi nullam esse legem autoritatis universalis, qnæ statuat ut consecrentur Oratoria Publica, non destruitur à 60. *Canone Coacilii* BRACHARENSIS III. quod asserit consecrari Oratoria, damnando quosdam homines avaros, qui Oratoria in suis agris consecranda ordinarent, ad suam propriam utilitatem; nam hic Canon est autoritatis valdè limitatæ, cùm constaret Concilium ad majus ex Episcopis solis Regni Galiciæ. Neque verò idem factum destruitur à *Cap.* 15. *Capitularium* CAROLI MAGNI, depromptum è Capitularibus diverso tempore factis, CONC. TOM. VII. *p.* 1176. quamvis supponat usum esse consecrandi Oratoria; cùm hic locus non possit habere autoritatem Legis, nisi in Galliâ; præterea probari non potest his locis & aliis similibus Leges esse quæ ordinarent Consecrationem Oratoriorum, solùm verò illa solita consecrari, quod poterat fieri ex devotione, æque ac ex obligatione; prætereà quemadmodum hæc loca non designant quomodo fieret Consecratio Oratoriorum, & an eædem Ceremoniæ adhiberentur in eâ, ac in Dedicatione Ecclesiarum, & particularim Unctio, asseverare nullus potest Ceremoniam quâ dicabaotur Domino Oratoria Publica, eam esse quæ vocatur communiter *Coasecratio*, aut solùm Ceremoniam Benedictionis, quæ, ur observatum fuir, potest habere nomen *Consecrationis*. Prima Responsio ad loca objecta inservit adbuc contra primum Canonem *Cancilii* LONDINENSIS *habiti aa.* 1237. Nam solùm factum fuit io gratiam Angliæ; adde quod hic Canon cum præfixerit spatium duorum annorum ad Consecrationem Ecclesiarum, numerandum à tempore earum constructionis perfectæ & absolutæ, remitiit ad definitiones Canonicas, circa ea quæ spectant ad Consecrationem Oratoriorum, & illæ nihil hac de Consecratione statuunt. *De Capellanis* (Legendum est Capellaniis) *Minoribus nil novi duximus statuendum, Consecrationes earum qualiter & quando fieri debeant definitionibus Canonicis reliaquentes.* Applica easdem responsiones Canoni 4. *De Coasecr.* DIST. I. Nam docet solùm quod sub Papa GELASIO in usu esset, ut consecrarentur Oratoria, nec designat quomodo hoc fieret.

Quod addidi nulla lege prohiberi Consacrationem Oratotiorum publicorum, non potest impugnari à *Pontificali Romano*, quod in Rubricâ *de Coasecratione locorum destiaatorum cultui Diviao* loquitur taotùm de Ecclesiis, & idem agit in Inscriptione; neque à *Tit.* 4. LIB. III. DECRETAL. eandem ob causam edito, si solùm mentionem faciat de Ecclesiis, *De Consecrat. Eccles.* Nam ex his locis inferri non potest, quod vetent ne consecrentur Oratoria Publica, ex eo quod de illis non loquantur, cùm agunt *de Coasecratioae locorum Cultui Diviao destinatorum.* Reverà hæc omissio potest oriri ex eo quod statutum seu propositum est loqui tantùm de præcipuis inter hæc loca, quæ sunt Ecclesiæ; aut ex eo quod, eo tempore quo hæc volumina edita sunt, mos non erat consecrandi Oraroria Publica: aut nomine Ecclesiarum comprehensa fuerunr Oratoria Publica; illud enim nomen habere possunt, cùm Populus in illas conveniat, ad actionem principalem cultùs Divini, quæ est Celebratio Missæ; sed hoc postremum probabile non est, cùm in *cit. Tit.* nullus Textus, nec verbum ullum de Oraroriis.

Secundò ad Quæstionem propositam reponam, Leges esse autoritatis particularis, quæ videntur ordinare Consecrationem Oratoriorum Publicorum; talis est inprimis Canon *Concilii* LONDINENSIS suprà citati; tale est etiam *Edictum Concilii* Mediolanensis

lanensis IV. *ann.* 1570. *part.* 1. *n.* 19. *De Consecrat. Eccles.* Statuitur ut Consecrationi Ecclesiarum saltem Parochialium procedatur, certo quodam tempore, & hoc verbo, *saltem*, insinuatur alias etiam Ecclesias esse consecrandas. Parochialibus Ecclesiis inferiores videntur esse Ecclesiæ aut Capellæ rurales, quæ vocantur etiam Oratoria Publica. Usurpavi verbum, *videntur*, quia non certò constat hæc loca Consecrationem ordinare. Quoad Leges autoritatis particularis, quibus vetatur Consecratio Oratoriorum Publicorum, nullam adhuc inveni, & nullam factam esse verisimile est, quia nullum est incommodum, si consecrentur Oratoria Publica; & ut res habeatur quo se habet modo. Ecclesiæ Religiosorum, quarum multæ sunt consecratæ, sunt tantùm simplicia Oratoria Publica; cùm nomen Ecclesiarum propriè solùm pertineat ad Ecclesias Cathedrales & ad Parochiales.

QUÆSTIO V.

An polluere Ecclesias idem sit ac easdem profanare?

Ad hanc Quæstionem Respondeo: Verbum, *pollutio*, quoad Ecclesias, multis modis accipitur: 1°. generatim ob omnem injuriam illatam Benedictioni & destinationi Ecclesiarum Cultui Divino; & juxta hanc generalem significationem, verbum (*pollutio*) est synonymum cum verbo *profanatio*; ita ut pollutio & profanatio sint eadem fermè res. Undè potest in hoc sensu dici, quod illud quod profanat Ecclesias, illas quoque polluat; quapropter sicut omne peccatum in Ecclesiis admissum, eas aliquo modo polluit; hac de causa nonnulli Canones loquentes de irreverentiis in Locis Sacratis commissis, nomen illis imponunt *pollutionis* simul & *profanationis*; exemplum habes notabile in *Concilio* BITURICENSI *ann.* 1528. CONC. TOM. XIV. *p.* 340. Ne adeò facilè polluantur aut profanentur Cœmeteria, statuit ut proximè quàm citiùs fieri poterit, saltem intra triennium, claudantur. 2°. Verbum, *pollutio*, accipitur modo particulari, pro injuriâ locis Sanctis illatâ, quâ redduntur impropria, ut Cultui Divino serviant, dum injuria reparetur Ceremonia, quæ vocatur reconciliatio; & secundùm hanc particularem significationem, magnum est pollutionem inter & profanationem discrimen; nam omnis profanatio non est pollutio, quia nihil est in profanatione quod non reperiatur in Pollutione, sed unum est in Pollutione quod non reperitur in simplici profanatione, hoc est, atrocitas injuriæ loco Sancto factæ, deprompta aut ab enormitate criminis in se spectati, aut ab hujus oppositione particulari circumstantiæ destinationis Ecclesiarum Cultui Divino, secundùm legem JESU-CHRISTI redditò. Hoc in ultimo sensu accipitur verbum *Pollutio*, in materia de qua tracto: Tot erunt probationes, quot à me Canones citabuntur in posterùm, quorumque non parvus erit numerus. Præter profanationem illicitam, de qua hactenùs mentio facta est, una est licita quibusdam in circumstantiis, & quæ fit authoritate Superiorum Ecclesiasticorum cum Ceremoniis quibusdam à *Pontificali*, aliisve libris præscriptis; de ea inferius suo loco tractabitur: hæc actio vocatur *profanatio*, quia loca Sancta in statum suum profanum restituit & convertit, & eadem usibus profanis derelinquit.

QUÆSTIO VI.

Quod nomen imponatur medio quod adhibetur, ut remedium afferatur Ecclesiarum pollutioni? quænam sit origo & ratio hujus nominis?

Ad primam Quæstionis partem Respondeo, remedium quod impenditur contra pollutionem Ecclesiarum communiter aut vulgò vocari *reconciliationem*; illud intelligitur ex *Cap.* 4. & 7. *De Consecr. Eccles. ex Pontificali Rom. p.* 400. & 412. In altero differitur de ceremonia adhibita, cùm Ecclesia & Cœmeterium polluuntur; & in altero agitur de ceremonia adjunctâ, cùm Cœmeterium solùm polluitur & coinquinatur; & in utroque Ceremonia vocatur *Reconciliatio*, eodem modo ac in duobus Textibus citatis, quorum primus loquitur de Ecclesia polluta, & alter de Cœmeterio coinquinato.

Ad secundam Quæstionis partem Respondeo, nullum me adhuc antiquiorem Canonem reperisse, *Canone* 4. *De Consecr. Eccles. suprà citato*, in quo remedium, quo medela affertur Ecclesiarum Pollutioni, vocatur *Reconciliatio*. *Ipsa reconciliari poterit per aquam.* Hic Canon est ab ineunte Sæculo XIII.

Ad Tertiam Quæstionis partem dico, nomen *reconciliationis* impositum remedio contra Ecclesiarum pollutionem, depromi è materia pœnitentiæ; in qua Ceremonia vocatur *Reconciliatio*, quâ pœnitens in Communionem Ecclesiæ restituitur, in ea adhuc idem datur nomen Ritui, quo peccator pœnitentia motus in unionem cum Deo redit, quique sæpiùs *absolutio* appellatur. Justa videtur applicatio, quia remedio contra Ecclesiarum coinquinationem, in pristinum suum statum eædem revocantur, & aptas adhuc efficit, quæ Cultui Divino inserviant; eodem modo quo hæc pœnitentiæ medela, de qua mox locuti sumus, peccatorem ad communionem Fidelium revocat usu Sacramentorum, à quibus propter suas dissolutiones excludebatur, postquàm in gratiam cum Deo, efficacia ejusdem remedii, redierit.

QUÆSTIO VII.

An usus Aquæ GREGORIANÆ in Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum sit antiquus? à quonam GREGORIO nomen duxerit? & an alia effundi aqua nequeat in ejusmodi Ceremonia?

Ad Primam partem Respondetur: Quod inter Canones qui de Aqua dicta GREGORIANA, disserunt, nullus videatur antiquior in Corpore Juris, quàm *Cap.* 4. *Tit.* 40. LIB. III. DECR. INNOCENTIO III. attributi: Hic Papa in eo dicit, reconciliationem Ecclesiarum coinquinatarum fieri debere cum mixtione vini, cineris, & aquæ naturalis, & benedici debere hanc mixtionem.

Ad Secundam reponitur, in Statutis Synodalibus Ecclesiæ TRECENSIS, anteà commemoratis, videri hanc mixtionem, aquam GREG. appellari; nullum autem nosse, à quo GREG. nomen suum sortita fuerit. Quod si liceret hanc difficultatem alterius ejusdem generis resolutione enodare, posset asseri, quod quemadmodum cantus GREGORIANUS nomen suum à Sancto GREGORIO Magno habuerit, ejusdem inventore; ita pariter hæc aqua suum ab eodem Sancto GREGORIO nomen duxit, quod eam præceperit. Asseri quidem posset hanc aquam sic nominari, quia GREGORIUS IX. ultimus est Paparum qui hujus usum in Jure præscribat; sed aliquis posset quoque objicere GREGORIUM IX. non expressè significare, quænam sit illa aqua, sed eundem solùm exponere Reconciliationem Ecclesiarum pollutarum debere cum aquâ ab Episcopo Benedictâ fieri; & solùm inferri, quod loquatur de aquâ, in qua vinum & cineres miscentur, ex eo tantùm quod INNOCENT. III. anteà edixerat, ut tali ad eandem reconciliationem aquâ uterentur Episcopi.

Ad Tertiam Quæstionis partem opponitur Dominum SAMBOVIUM TOM. II. *p.* 247. censere, posse reconciliari validè Ecclesias pollutas cum simplici aquâ benedictâ; fundatum in eo quod Canones qui præscribant ut illæ reconcilientur aquâ ab Episcopo benedictâ, quâ intelligit aquam GREGORIANAM, defi-niant

niant iidem quoque, hanc Reconciliationem ab Episcopo celebrandam esse; & quemadmodum validè potest illa à simplici Presbytero fieri, ut jam vidimus, eandem quoque validè posse, cum alia aqua quàm Gregoriana celebrari. Hoc ratiocinium potest hac reflexione confirmari, quod si Episcopus possit, dispensare à Lege, quæ statuit Episcopum Reconciliationem facere debere, à fortiori potest à Lege solvere, quæ definit, ut cùm aquâ Gregoriana hæc Ceremonia perficiatur.

Quæstio VIII.

An in Reconciliatione Ecclesiarum eadem Aqua, qua in earumdem Consecratione, adhibeatur.

De hoc dubitandi locus; nam si ab una parte *Cap. 7. De Consecrat. Eccles.* statuat, ut reconcilientur Cæmeteria polluta, aspersione Aquæ solemni ritu benedictæ, sicuti in Dedicatione Ecclesiarum, mos est fieri, id est, aquâ eâdem ac illa quæ adhibetur in Dedicatinne Ecclesiarum; ex alia parte *Caput 4. ejusdem Tituli* docet Reconciliationem debere fieri cum mixtione Aquæ, Cineris, & Vini; & apparet per *Pontificale Romanam p. 276. 277.* Aquam cum qua fit aspersio in Dedicatione Ecclesiarum, esse mixtionem compositam, primò ex sale & cineribus quæ in aquam posteà projicitur, cui tandem vinum additur. Ex en patet in quo sita sit difficultas; ecce resolutio. Quemadmodùm non benedicitur Aqua, quin sal benedictum in eâ ponatur, Papa Innocantius III. Author horum duorum Textuum, potuit omisisse mentionem facere de sali in *Cap. 4.* quia in aqua illud intelligebat: Hæc resolutio eo minùs rejicienda est, quod possit inferri ex *Cap. 4.* quod cùm dicit Papa aquam debere intrare in mixtionem, cum qua fieri Reconciliatio debet, loquitur de Aquâ Benedictâ in qua semper est sal benedictum. Quod si objiciatur, in mixtinne de qua loquitur *Pontificale*, sal non immediatè jungatur aquæ, sed cineri, & solùm in aquam projici cùm Cinere, atque ita non debuisse comprehendi in aquâ potiùs quàm cinenere, de qua tamen expressa mentiu facta est: Respondetur quod aut Papa potuit in has partes non descendere sigillatim, & satis habere si loqueretur de duobus quæ jungi Aquæ benedictæ non solent, cinere videlicet & vino, quia hæc ratio, ut de iis expressa mentio fieret. Ut ut sit, videtur ex *Pontificali Romano p. 400.* aquam hodiè in Reconciliatione adhibitam nihil aliud esse quàm Aquam Benedictam communem & vulgarem, ex sale benedicto & aqua constantem' benedicta; *Benedicit ibidem aquam in vase, positam simpliciter cùm sale, prout habetur suprà in benedictione primi Lapidis.* Hoc autem eo certius est, quod in loco ad quem remittit, loquatur tantùm de simplici aquâ benedictâ communi; hoc est, ad *p. 244. in loco ubi Ecclesia est fundanda, benedicit sal & aquam.*

Quæstio IX.

An Aqua cum qua reconciliantur Ecclesiæ benedicta, eadem sit, ac illa cum qua Ecclesia consecrata reconciliantur.

Cap. 7. De Consecr. Eccles. dat locum credendi eandem aquam adhibendam esse in utrâque Reconciliatione; nam statuit ut reconcilientur Cæmeteria coinquinata cnm aqua benedictâ, eodem ritu solemni quo benedicitur aqua quæ adjungitur Dedicationi Ecclesiarum; nam ex una parte Ecclesiæ consecratæ debent reconciliari cum Aquâ Dedicationis Ecclesiarum, quæ constat ex aqua, cineribus & vino, *Cap. 4. De Consecr. Eccles.* & alia ex parte si Cæmeteria quæ sunt tantùm benedicta, reconcilianda sunt cùm Dedicationis Aquâ, idem esse debet de Ecclesiis benedictis.

Quidquid sit de hoc ratiocinio, & sensu hujus *Cap.* ex quo depromitur: certum est Reconciliationem Ecclesiarum benedictarum, fieri solùm cum Aqua benedicta ordinaria & communi; reconciliantur verò Ecclesiæ consecratæ cùm aqua solemni ritu benedictâ, composita, ut in Dedicatione, ex aquâ, sale, cineribus & vino. Hoc demonstrant Ritualia, & in particulari *Rituale* Burdigalensa 1707. *pag.* 378. In eo annotatur quomodo fieri debeat Reconciliatio Ecclesiarum benedictarum, & non fit mentio in eo de aliâ aquâ quàm de aquâ benedicta ordinariâ & communi, & monetur quod si Ecclesia consecrata fuerit, ad Episcopum pertinet ut illam reconciliet; quod oritur partim ex eo quod in Reconciliatione Ecclesiarum consecratarum, eadem adjungatur Aqua ac in Consecratione, & hæc Aqua debeat ab Episcopo benedici: Idem videtur in *Rituali* Metensi *ann.* 1713. & modo adhuc clariori; nam expressè distinguit duas ejusmodi Reconciliationes differentia Aquæ quæ effunditur, cum fiunt, statuens & decernens Reconciliationem Ecclesiarum simpliciter Benedictarum, cùm Aqua benedictâ communi fieri; & Reconciliationem Ecclesiarum consecratarum cum Aqua benedictâ ab Episcopo adimpleri, quæ vocatur Aqua Gregoriana: Hnc continetur *in Secunda Parte p.* 129. In ea dicit Sacerdotem deputatum ad Reconciliationem Ecclesiarum coinquinatarum, in sacrario debere Aquam benedicere, ut pro mnre benedicitur die Dominicâ, *Aquam benedicat in Sacristiâ, ut in diebus Dominicis*, & *pag.* 151. Excipit casum in quo Ecclesia polluta, consecrata fuit, & contendit Delegatum tunc adhibere debere Aquam vocatam Gregorianam, cum ritu in *Pontificali* præscripto, *tumque Delegatus adhibere debet ritum in Pontificali præscriptum, uti aquâ qua dicitur* Gregoriana. Hæc differentia fundatur in eo quod debeat esse aliqua conformitas inter Reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, & Ceremoniam quâ destinata est & dicata Cultui Divino; nam Reconciliatio est tantùm restitutio; undè si cum Aqua Gregoriana eidem cultui dicata fuerit, ut accidit, quando id Consecratione perficitur, aptum est ut cum eâdem Aquâ ad pristinum statum revocetur; si autem dicata fuerit cum Aquâ benedictâ communi, ut evenit cùm ad id simplex adhibetur & accedit Benedictio, par est ut reconcilietur cum Aquâ benedicta ordinariâ. Eadem differentia non solùm rationibus evincitur, sed etiam authoritate nititur, depromptâ è Corpore Juris; nam legitur in *Cap.* 10. *De Consecrat Eccles.* Gregor. IX. cùm provideret Reconciliationi Ecclesiæ pollutæ non consecratæ, jubet simpliciter ut lavetur cùm Aqua exorcisata, quæ nihil est aliud quàm Aqua benedicta ordinaria & communis. *Si Ecclesia non consecrata fuerit polluta, Aquâ protinus exorcisatâ lavetur. Divinæ laudis organa suspendantur;* & *Cap. 4. ejusdem Tituli* docet, quando Ecclesia pollutâ consecrata fuit, reconciliandam illam esse, cum mixtione composita ex Aqua, Cinere & Vino. Quoad *Cap. 7.* quod statuit ut reconcilientur Cæmeteria polluta cùm Aqua Dedicationis, non est in usu, ut patet per *Pontificale Romanum p.* 411. Cùm loquitur de Aqua cum qua reconciliantur Cæmeteria separatim ab Ecclesia, mentionem facit de Aquâ benedictâ Communi; hoc videtur adhuc in suprà citatis Ritualibus, *Rituali* Burdigalensi *p.* 387. *Rituali* Metensi *p.* 153. *part.* 2.

Quæstio X.

An reconciliare Ecclesias idem sit ac eas iterùm consecrare.

Prima fronte illud ita videtur esse, nam 1°. Canones citati in prima Parte Secundæ Quæstionis, statuunt ut de novo consecrentur Ecclesiæ pollutæ ob effusionem sanguinis, postquàm diligenter anteà pur-

purgatæ fuerint. 2°. Archiepiscopus *Compostellæ* rogat INNOC. III. *Cap.* 4. *Tit.* 40. LIB. III. ut nonnullis Ecclesiis pollutis provideat, alio modo quàm Consecratione; ex quo inferri potest, illas, ut reconciliarentur, iterùm consecrari. 3°. Cùm reconciliatur Cæmeterium, Deus rogatur, ut ipsum consecret. *Pontif. Rom. p.* 412. Cap. 6. *De Consecr. Eccles.* statuit, ut in Ecclesiarum Reconciliatione adjungatur eadem aqua, quæ in Consecratione earumdem effunditur.

Sed non obstantibus his omnibus, locus est credendi Reconciliationem Ecclesiarum differre ab illarum de novo Consecratione; nam primò in illa non adhibetur Chrisma. 2°. INNOC. III. ordinat Reconciliationem in *Capite mox citato* loco Reconsecrationis. 3°. Non videtur quare scelus in Ecclesia patratum, suam ab illa tolleret Consecrationem; dum crimen ab homine ad Ordines promoto admissum, non facit ut ille amittat Ordinationem. Ad rationes oppositas responderi potest, olim Pollutioni Ecclesiarum remedium allatum esse duobus modis, nempè Reconciliatione & Reconsecratione; aliquandò utramque adhibitam fuisse, ut in Canonibus citatis in prima Parte Secundæ Quæstionis; aliàs verò unam adjunctam esse, ut legitur in Canonibus citatis in prima Responsione ad Primam Quæstionem; nam in iis dicitur, quod si fiat mutatio in muris Ecclesiæ, cum sale sunt purgandi, *Salibus sunt exorcisandi*, & hoc inferri potest ex Decretali INNOC. III, paulò post citata; quod si non ampliùs consecrentur Ecclesiæ pollutæ, id non indè est quod creditur & reputatur Consecratio Ecclesiarum esse non amissibilis, cùm Cæmeteria iterùm benedicantur, quorum Benedictio videtur quoque non amittenda; sed potiùs quia casus Pollutionis frequens est, & Ceremonia Consecrationis longa, & Episcopis reservata est, & his per tempus non liceret illam adhibere, quotiescunque necessaria foret. Posset addi Ecclesiæ non ampliùs placere ut loca sancta suam amittant Consecrationem criminibus quibus illa polluuntur.

QUÆSTIO XI.

An Sacerdotes Missam celebrantes in Ecclesia Polluta, fiant Irregulares.

Videntur isti Sacerdotes contrahere Irregularitatem, sive quia Pollutio reddit Ecclesiam interdictam, & quia contrahitur Irregularitas celebratione Missæ in loco interdicto; sive quia si Sacerdos fit Irregularis, Missam celebrans in loco nominatim interdicto, non aliam ob causam illud fit, nisi quia peccat contra Legem Ecclesiæ, & prohibitionem; & Sacerdos qui Missam dicit in loco polluto, violat quoque Ecclesiæ prohibitionem. Tamen certè constat Celebrationem in loco polluto, nullum Irregularem efficere: Papa BONIFAC. VIII. illud expressè dicit in *Cap.* 18. *De Sent. Excomm. in* 6. fundatur in eo quod nullus sit Canon qui hanc Irregularitatem ferat; & Irregularitas locum habet tantùm in casibus expressis in Jure; nihil refert si Pollutio loci benedicti interdictum eundem efficiat, & Missa in eo dici nequeat inviolata Ecclesiæ inhibitione; nam si locus pollutus sit interdictus, ideò hoc evenit quia factus est tanquam prophanus, & quod idem est de loco profano ac de loco non benedicto in quo non licet celebrare; sed si quis celebraverit, non efficitur Irregularis, quamvis celebrando violetur Ecclesiæ vetitum; nam si Celebratio Missæ in loco nominatim interdicto, Irregularem reddit Sacerdotem, hoc non fit quia violatur Ecclesiæ inhibitio, sed solùm quod infringatur prohibitio facta sub pœna Irregularitatis. Quod si violatio vetiti ne quis celebret in loco nominatim interdicto Irregularitatis pœna afficiatur, & violatio inhibitionis celebrandi in loco polluto non eadem pœna infligatur; hoc fit quia interdictum est pœna, & contemptus pœnarum debet asperrimè puniri. Ne dicas, quod si vetetur ne quis celebret in loco polluto, hoc quoque fiat in pœnam scelerum quibus polluitur & coinquinatur; nam 1°. Loca benedicta aliquando sine crimine vitiantur, ut cum locus benedictus, habitus ut Capella benedicta, in usus profanos serie temporis convertitur, quia nolunt ut in eo Missa celebretur. 2°. Cùm loca sunt polluta crimine, & propter ea prohibetur ne in eis Missa celebretur, non illud fit, ut crimen, à quo pollutio orta est, puniatur; sed potiùs ut evitetur indecorum sive indecentia celebrandi in loco facto tanquam profano, & reputato ut loco non benedicto. Sed quamvis hæ rationes non essent invictæ, nihilominùs verum esset loci polluti violatione nullum Irregularem effici; nam in genere rerum arbitrariarum in se ipsis, ut Irregularitas, ratio non debet audiri, cùm Lex clarè & perspicuè loquitur.

QUÆSTIO XII.

An Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ possit simplici Presbytero committi.

Hìc disseritur tantùm de Reconciliatione Ecclesiarum consecratarum, quia supponitur nihil impedire quin simplices Sacerdotes benedictas Ecclesias reconciliare valeant, quia hæc Reconciliatio cum aqua ordinaria benedicta celebratur, & perficitur; & quia simplices Sacerdotes hanc Aquam Benedictam possunt & solent facere. Hoc posito, dico quoad Quæstionem propositam, quod Papa GREGOR. IX. in *Cap.* 9. *Tit.* 40. LIB. III. DECR. asserit hoc non valere, & dat nomen abusûs consuetudini Ecclesiæ BRACARENS. in qua similis Reconciliatio agebatur à Presbyteris deputatis ad hoc: Ratio hujus Papæ est, quod Reconciliatio sit Ordinis Episcopalis munus, & quod ita non possit cuiquam delegari. Sed hæc Decretalis non accipitur in multis Galliæ Ecclesiis, contrarium verò ibi usurpatur; nam præterquàm quod Dominus SAMBOR. hoc expressè dicit *p.* 248. TOM. II. Statuta Synodalia Ecclesiæ TRECENSIS, quæ edita sunt sub finem sæculi XIV. aut circa initium XV supponunt hoc communiter in usu fuisse. Hoc videtur in Inscriptione eorum quæ de iis BOCHELLUS refert. *Decret. Eccles. Gallic. p.* 521. initio sui Extracti; uterque locus loquitur de Sacerdote ad hoc Deputato. *Rituale* RHEM. in loco citato idem supponit, nempè illam Reconciliationem fieri posse à simplici Sacerdote ad hoc Delegato. *Rituale* VEROUN. probat ex Ritualibus hujus Veteribus Ecclesiæ, illam solere Reconciliationem Ecclesiarum pollutarum simplicibus Sacerdotibus committere.

Quoad rationem GREGOR. IX. dici potest Reconciliationem, de qua Sermo habetur, esse reverà functionem Ordinis Episcopalis, sed eam tantùm Jure Ecclesiastico talem fuisse factam, & eo modo ad eam posse simplicem Presbyterum deputari. Quod potest confirmari à Canone *Concilii* SENONENSIS celebrati *ann.* 1528. ab eodem BOCHELLO relato *p.* 206 Hoc Concilium agnoscit Abbates posse per Privilegium consecrare Calices, quamvis hæc Consecratio sit Ordinis Episcopalis. Legitur in TOM. I. *Veterum Commentariorum Cleri. p.* 1045. factum quod confirmat hanc Decisionem: Ecclesia Parochialis S. PETRI *Aniciensis* reconciliata fuerat à Magno Vicario cum Aqua *Gregorianâ* benedicta à DD. Episcopo MIMATENSI, & hæc Reconciliatio in eô non vituperatur, imò autoratur Edicto quo declaratur in eâ non esse abusus.

Rituale *ann.* 1712. postquam annotasset, quod juxtà Decretalem citatam Reconciliatio Ecclesiarum consecratarum ab Episcopo perficienda esset, animo omni alio Episcopale munus non exercente, addit nihilominus usum invaluisse ut hæc cæremonia committeretur simplicibus Presbyteris; sed nunc usus invaluit ut etiam à simplici Sacerdote ex Episcopi com-

commissione ea fieri possit Reconciliatio *part. 2. p. 151. Rituale Trecense. p. 185.*

Quæstio XIII.

An Sacerdos deputatus ad reconciliandam Ecclesiam, possit Aquam ad hoc necessariam benedicere.

Caput 9. De Consecr. Ecclesiar. statuit ut reconcilientur Ecclesiæ cum Aqua ab Episcopo benedicta: Indè occurrit dubitandi occasio, an Sacerdos ad Reconciliationem deputatus possit Aquam benedicere ad hoc necessariam: Hoc dubium non satis benè fundatum videtur; nam idem Canon, quo statuitur & præscribitur ut hæc Aqua ab Episcopo benedicatur, definit quoque Reconciliationem ab Episcopo perficiendam esse. Quemadmodum igitur simplex Sacerdos pollutam Ecclesiam reconciliare potest, si ab Episcopo deputetur; ita pariter potest quoque eodem in casu benedicere Aquam ad hoc necessariam; quia tunc credendi locus est, Episcopum qui committit illi Reconciliationem, ipsi etiam Benedictionem Aquæ necessariam committere. Idem est de hoc casu ac de illo in quo Diaconus ad baptisandum delegatus, sal benedictum non invenit, & aliundè non potest habere; nam sicut ille potest in hoc casu necessitatis Sal benedicere, quamvis hæc Benedictio Sacerdoti reservata sit (hoc probavi in meis *Casibus Practicis p. 75.*) ita pariter Sacerdos deputatus ad reconciliandam Ecclesiam, potest aquam necessariam benedicere, posito quod aliundè non possit habere quæ sit benedicta ab Episcopo. Ratio fundamentalis est, quod accessorium sequitur principale, & consequenter qui committit principale, censetur committere & accessorium. *Cap. 5. & 21. De Off. Jud. Deleg. §. 3. sub finem.*

Quæstio XIV.

An sint sumptus faciendi ad Reconciliationem Locorum pollutorum? quinam debeant illos ferre?

Supponitur in Quæstione, Ecclesiam aut Cæmeterium reconciliandum distare ab Ecclesia Cathedrali, cujus Episcopus, aut magnus ejus Vicarius, Reconciliationem facere intendit; & hac de causâ quæritur, quinam in hoc casu debeat impensas ministrare illius qui Reconciliationem facturus est. *Synodus* Parisiensis *ann.* 1557. hac de re dicit, quod in hoc casu, si agatur de Ecclesiâ Parochiali, Parochiani debent sumptus sufficere, salvo suo recursu in eos qui Ecclesiam contaminarunt. *Quoties Ecclesia vel Cæmeterium polluuntur, debent reconciliari sumptibus Parochianorum; sed sumptus illos debent recuperare ab his qui fecerunt Pollutionem.* Quemadmodum hæc Synodus Parochianos tantùm cogit, ut sumptus necessarios ministrent ad Reconciliationem Ecclesiæ Parochialis, quia hæc Ecclesia eorum est, & illorum interest, ut illa reconcilietur; inde potest concludi, quod si agatur de Reconciliatione Ecclesiæ alicujus Monasterii, ad Monasterium spectet, ut sumptus Reconciliationis ministret, data facultate eosdem recuperandi in eos qui causati sunt Pollutionem. *Concil.* Coloniens. *ann.* 1536. *Part. 9. Cap.* 19. loquitur de eodem casu, & hoc eodem modo eumdem decidit, hos omnes sumptus reducendo ad sumptus itineris Vicarii Suffraganei qui Reconciliationem facturus est. „Reconciliationem autem ejusce modi gratis fieri, ac tantùm „itineris sumptus Vicariis Nostris in Pontificalibus „suppeditari volumus; qui quidem sumptus ex bonis „delinquentis desumentur, modò tantæ illius facultates sint; Sin secùs, Parochiani non gravabuntur vel „tantillos sumptus itineris suppeditare, ne Populus „propter culpam suam gravetur„. Non immoror ampliùs resolutioni hujusce difficultatis, quia raro admodum sumptus faciendi sunt ad Reconciliationem locorum contaminatorum, cùm possit Episcopus ad hoc deputare simplices Sacerdotes.

Quæstio XV.

Certumne est, ut Profanatio Ecclesiarum actionibus criminosis polluat easdem Ecclesias, notoriam illam esse oportere.

Sunt qui credant Ecclesias non esse pollutas, nisi Profanationibus notoriis; fundati fortassè in eo quod Censuræ privent tantùm Communione exteriore, cùm sunt notoriæ: Si hoc sit hujus opinionis fundamentum, longiùs progreditur; nam si in hoc puncto idem sit de Profanatione Ecclesiarum ac de Censuris, necessè erit, ut quemadmodùm in Galliâ Censuræ reputantur tantùm notoriæ cùm denuntiantur, ita pariter Profanatio Ecclesiam tantùm polluat, ita ut non sit reconcilianda, neque abstinendum sit ab exercendis in ea Functionibus Sacris, nisi postquàm denuntiata fuerit, id est, cùm Judex Ecclesiæ reverâ promulgaverit illam Loca Sancta verè polluisse. Quidquid sit de fundamento hujus opinionis, certum videtur Alexandrum III. *Cap. 5. De Adult.* illam condemnare; nam jubet ut reconcilietur quædam Ecclesia, cujus Profanatio ab una tantùm persona testificabatur, & illud testimonium contradicebatur ab alia quæ ratione caracteris videbatur fide dignior. Agebatur de muliere quæ confitebatur se adulterium commisisse cum Sacerdote in Ecclesiâ, & Sacerdos illud negabat, & Summus Pontifex nihilominùs statuit ut reconciliaretur Ecclesia, juxta Regulam, *In dubiis tutior pars est eligenda*: quæ quidem perfectè conveniebat proposito; cùm certum sit legem quandam definire ut reconciliarentur loca polluta; & dubium erat an Ecclesia, de qua agebatur, polluta esset.

Posset objici, Profanationem de quâ loquitur hic Textus, publicam & notoriam esse, quia mulier publicè declaraverat Episcopo loci, (Carnotensi) Sacerdotem & ipsam confessos esse suum crimen cuidam Parocho, & ipse Curatus testatus fuerat hoc ita esse, nec Sacerdotem nominabat. Sed hæc objectio non multùm urgeret; nam declaratio hujus fœminæ quantumvis publica esset, & testimonium Confessarii etiam publicum, non erant probationes sufficientes Profanationis de qua sermo habetur, & nullus est Judex perspicax & prudens qui voluisset hac de re accusatos habere ut convictos; & per publicum & notorium intelligitur quod est tàm notum & tàm certum, ut nulla possit tergiversatione tegi.

Quæstio XVI.

An sufficiat scire Locum esse pollutum, ut quis teneatur Sacerdos abstinere à faciendis in eo Functionibus Sacris?

Nullus est Juris Textus quoad Pollutionem Ecclesiarum, quin supponat omnem hominem qui scit quamdam Ecclesiam esse pollutam, debere abstinere à Celebratione Missæ in eadem. Et *Cap. 18. De Sent. excom. in 6o.* declarat, eum qui celebrat in Ecclesia quam novit esse pollutam, actionem temerariam agere. *Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerariè agat. &c.* At quæ notitia habenda est? An necesse est ut viderimus facinus patratum quod Ecclesiam contaminavit? sufficitne ut personæ fide dignæ hoc nos docuerint? an oportet ut hoc crimen sit notorium? an par est ut sententiam dixerit Officialis, qua declaretur Ecclesia polluta? *Synodus* Senonensis 1524. *Decret. Eccles.*

Gall. LIB. III. *Tit.* 19. *Cap.* 31. cogit tantùm ut agnoscantur Cœmeteria polluta à die quo talia sunt declarata Judicio Episcopi aut Officialis. *Nullus à Pollutionis Judiciali Declaratione per nos, aut Officiales facta, sepeliatur usque ad Ecclesiæ vel Cœmeterii Reconciliationem.* Optandum esset ut observaretur ubique hæc Disciplina, & ut, quemadmodum tenemur tantùm evitare censuris illigatos, postquàm sunt denunciati, non teneremur abstinere à Functionibus Sacris in locis pollutis, nisi à tempore quo tales declarati fuissent; hoc medio tanquam tuto, non haberentur imprudenter ut polluta loca quæ non sunt talia. *Synodus* CARNOTENSIS *ann.* 1526. *Cap.* 32. *Tituli citati*, cogit ut omnes abstineant à functionibus Sacris, in his locis pollutis, ubi primùm Pollutio est notoria: *Nec aliqui Seculares aut Regulares, scienter celebrent, aut faciant celebrari Divina in Ecclesia, aut sepeliant, aut sepeliri faciant in Cœmeteriis post notoriam & injuriosam effusionem sanguinis, & antè eorum Reconciliationem.* Ut Pollutio potest esse notoria, facto & Jure; facto, ob evidentiam actionis, quæ causata est Pollutionem; Jure, per Sententiam quæ declaravit locum esse pollutum; hæc Synodus longiùs protrahit obligationem abstinendi à Functionibus Sacris, in locis pollutis, quàm *Synodus* SENONENSIS *suprà citata*; cùm compellat illud agere non solùm, cùm Pollutio est notoria Jure, ut *Synodus* SENONENSIS; sed etiam cùm est notoria facto. *Concilium* COLONIENSE *ann.* 1536. *Part.* 9. *Cap.* 18. declarat Ecclesiam esse pollutam, & requirere Reconciliationem, cùm pollutio publica est, aut per evidentiam rei, aut saltem per famam: *Non tamen omnis Pollutio hanc Reconciliationem requirit, sed tantùm publica vel per rei evidentiam, vel saltem per famam.* Cæterùm non cito has Synodos tanquam leges, quas sequi necesse sit in omnibus Galliæ Diœcesibus, cùm pro certo teneam, nullas illam authoritatem habere extra Diœceses in quibus habitæ sunt; sed eas propono tanquam exempla quæ possunt sequi aliæ Diœceses. SENONENSIS *Synodus* aliis longè anteponenda tutior est, quia in ea sunt benemulta, quæ habentur ut notoria facto, quæ tamen revera non sunt; nihil autem notorium est Jure, quin sit revera tale; adde quod notorietas orta è rumore communi, de qua loquitur *Concilium* COLONIENSE, tàm parùm probat facta, quàm eadem fama, cui nullomodo fidendum est.

QUÆSTIO XVII.

Cùm Ecclesia polluta reconciliata fuit, estne adhuc necessarium ut illius Consecratio fiat?

Caput 10. *De Consecr. Eccles.* videtur id præscribere (nam cùm dixerit Ecclesiam protinùs reconciliandam, quæ polluta est, cum aqua Benedicta, ut possit in ea cantari Officium Divinum, subjungit: *Est tamen, quàm citiùs poterit, consecranda.* Nihilominùs verisimilius est, non esse necessè, ut Ecclesiæ reconciliatæ fiat Consecratio; nam 1°. INNOCENT. III. *Cap.* 4. *ejusdem Tit.* agnoscit, posse Ecclesiam pollutam de novo non consecrari, dum aspersione Aquæ benedictæ reconcilietur cum Vino & Cinere. 2°. Reconciliatio eundem effectum operatur, quem posset producere Consecratio, cùm Ecclesiam revocet ad statum pristinum, quo possit Cultui Divino inservire. 3°. Si quæ sit lex quæ definiat ut consecrentur Ecclesiæ, oportet ut illa non ampliùs vigeat; nam sæpenumerò videas bonos Prælatos, qui satis habent si benedicantur novæ Ecclesiæ, aut easdem benedicere faciant; si autem tales leges non ampliùs valeant, oportet ut nulla sit obligatio Ecclesias consecrandi, cùm Reconciliatio sit quædam iterata Benedictio, quæ habetur loco Consecrationis. 4°. *Caput objectum* loquitur de Ecclesia Benedicta & non consecrata, & præscribit, si tales Ecclesiæ polluantur, illas citiùs reconciliari, ut possit in iisdem celebrari Officium Divinum, dum commodiùs consecrari possint.

QUÆSTIO XVIII.

Si quis celebret in Ecclesiâ pollutâ, estne hoc reconciliata modo?

Aut agitur de Pollutione orta à demolitione, aut de Pollutione causâ criminis in Ecclesia patrati.

In primo casu, Disciplina passa est mutationes; nam in veteri quodam Canone clarè exponitur Ecclesiam pollutam à demolitione, cùm sit reædificata, sufficienter reconciliari Celebratione Missæ, posito quod Reliquiæ Sanctorum non fuerint ab ea amotæ Ecclesia; si verò fuerint ablatæ ab eadem, satis esse si in loco suo eædem reponantur, & Missa celebretur in ea ad eam reconciliandam. Colligitur è Papa VIGILIO. GRATIANUS eum refert *Cap.* 24. *De Consecr.* DIST. I. Idem quoque legitur in IVONE CARNOTENSI *Part.* 3. *Cap.* 25. *De fabrica cujuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, & si in ea loco Consecrationis debeat iterari Solemnitas in quo Sanctuaria non fuerint; nihil judicamus officere si per eam minimè Aqua exorcizata jactetur, quia Consecrationem cujuslibet Ecclesiæ in qua Spiritûs Sancti arrha non ponitur, scimus esse tantùm Celebritatem Missarum, & ideò si qua Sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innovata,* (*sine Altaris motione*, hæc verba non sunt expressa in IVONE.) *sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius Consecrationis Sanctificatio implebitur; si verò sanctuaria quæ habebat ablata sunt, rursùs eorum repositione & Missarum solemnitate reverentiam Sanctificationis accipiet.* Ex hoc Canone intelligitur, quod, si non fuissent Reliquiæ in Ecclesia quæ destructa fuerat, aut si quæ erant ante demolitionem, ab ea non fuissent amotæ, nulla opus erat Reconciliatione, quàm illa quæ fit Celebratione Missæ; si quæ autem Reliquiæ fuissent ab ea ablatæ & detractæ, videtur quod illa reconciliaretur repositione Reliquiarum, & Missæ Celebratione. Canones posteriores hanc disciplinam mutaverunt, indistinctè præcipientes, ut quoties muri Ecclesiæ reficiuntur, de novo Ecclesia consecretur; hoc sanè fundamento hinc nova evadit Ecclesia, *Cap.* 6. *De Consecr. Eccles.* Hic est adhuc sensus *Cap.* 19. *De Consecr.* DIST. I. nam salis exorcismus ab eodem præscriptus & definitus, in casu quo muri mutantur, nihil aliud est quàm Reconciliatio per Aquam Benedictam. *Si parietes mutantur, salibus tantùm exorcizetur.*

Si agatur de Pollutione à crimine orta, Ecclesia non reconciliatur sola Missæ Celebratione: Hoc clarè & nitidè perspicitur ex *Cap.* 11. *De Privileg.* Archiepiscopus LUGDUNENS. multas querelas formaverat contra Hospitalarios, ex quibus una querimonia fuit, quod quidam inter eos, cùm contaminasset Ecclesiam Diœcesis ejusdem Prælati, violentiis sanguinolentis contra Vicarium adhibitis, & hanc ob causam Archiepiscopus cùm vetasset ne in ea functiones Sacræ exercerentur usque ad ejusdem Ecclesiæ Reconciliationem, in ea tamen Officia Divina celebraverant: *Cum enim in quadam Ecclesia Baptismali à tuo Prædecessore collata, quidam eorum percutiens Vicarium Sacerdotem, ipsam Ecclesiam sanguinis effusione fœdasset; usque ad Reconciliationem Divina ibidem interdixisti Officia celebrari; sed nihilominùs ipsi Divina Officia in ea celebrarunt.* Ad hanc querelam Papa INNOCENTIUS III. respondet, Archiepiscopum debere suspendere ab Officio

cio & Beneficio, Clericos qui prohibitioni suæ non paruerunt; & non permittere, ut celebrare Officia Divina in hac Ecclesia pergant, donec reconciliata fuerit: *Eos verò qui in Ecclesia Lege tibi Diœcesana subjecta, eadem pœna suspensionis involvens* (anteà locutus est de suspensione Officii & Beneficii) *in ea, donec reconciliata fuerit, Officia non permittas celebrari Divina.*

Hoc super Fundamentum, Ordinationes Synodales Diœcesis Nannetensis *6. Augusti. ann.* 1682. sese explicant ita circa hanc Quæstionem, *p.* 100. *n.* 3. *Ecclesia fœdata non censetur reconciliata, quando Missa in ea celebrata est, etiam bona fide:* Per hæc ultima verba *Constitutiones* Nannetenses rem ulteriùs protrahunt, quàm Textus refert; nam hæc mentionem tantùm facit de casu in quo Celebratio Missæ criminosa est; Ordinationes verò protenduntur adhuc ad casum in quo Celebratio non est noxia.

Quæstio XIX.

Cùm duæ Ecclesiæ ita junguntur, ut ab una intretur in alteram, transitne pollutio ab una in alteram?

Canones hunc casum silentio prætermittunt; & ex eo quod sileant, locus est concludendi, Pollutionem unius Ecclesiæ alteram non fœdare; nam de re quadam odiosa agitur, quæ non admittenda est, nisi in casibus in Jure expressis. Aliunde quidam est Textus in eodem Jure, ex quo licet augurari, quod si Ecclesia aliquam sanciret Legem quoad hunc casum, statueret Ecclesiam, in qua scelus non fuisset patratum, participem Pollutionis non fore illius Ecclesiæ in qua admissum fuisset; illud est *Cap. unic. De Cons. Eccles. in 6.* asserit, quod si duo sint Cœmeteria contigua, ita ut ab uno in alterum transeatur, Pollutio unius non tamen alteri communicatur; & hoc Caput, depromptum à Bonif. VIII., habitum est tanquam Regula, ex quo factum est; hoc legitur *in Ordinationibus Synodalibus à* Bochello *collectis. Eccles. Gallic.* Decr. Lib. III. *Tit.* 19. Cap. 29. *&* 31. Primum continetur in *Statutis Synodalibus Ecclesiæ* Trecensis *ann.* 1399. Alterum depromitur ex *Constitutionibus Synodal.* Senonensibus *ann.* 1524. Uterque locus expressè exponit, quod licet Cœmeteria sint contigua, Pollutio unius ad alterum non pervadat.

Quæstio XX.

An, in genere Pollutionis & Reconciliationis, sit aliqua differentia gravis momenti Cœmeteria inter & Ecclesias?

Differentia nulla est quoad reconciliationem; nam fœdata Cœmeteria eodem modo Reconciliantur, quo & Ecclesiæ pollutæ. *Cap.* 4. *&* 7. *De Cons. Eccles. Pontif. Rom. p.* 400. *& p.* 412.

Duæ sunt autem, ratione Pollutionis: Prima est, quod contaminatio Ecclesiæ contiguæ aut Cœmeterii, ad idem Cœmeterium transeat; Cœmeterium autem fœdatum Ecclesiam non coinquinat contiguam: Ratio hujus discriminis est, quod operæ pretium sit ut nobilius ad se alliciat minùs nobile, quemadmodum principale ad se accessorium attrahit; sed non conveniens est, ut nobilius & principalius sequatur sortem & conditionem minùs nobilis & accessorii. *Cap. unico. De Cons. Eccles. in 6.*

Alia differentia consistit in eo, quod Cœmeterium contiguum alteri suam non eidem communicet Pollutionem, quamvis pollutum gravioris esset momenti; Ecclesia verò polluta, ut jam dixi, suam transmittit Pollutionem Cœmeterio contiguo; quod potest fundari in eo quod Cœmeterium Ecclesiæ contiguum ab ea dependeat; & Cœmeterium alteri contiguum, non est ab altero dependens.

Textus supra citatus hoc expressè significat. Idem legitur in *Statutis Synodalibus* à Bochello *recollectis* Lib. III. Decr. *Eccles. Gall.* Cap. 29. 31. 34. 35. Primum depromitur ex *Statutis Ecclesiæ* Trecensis 1399. Secundum ex *Synodo* Senonensi *ann.* 1524. Tertium è *Synodo* Lingonensi *ann.* 1404. Quartum ex *Synodo* Paris. *ann.* 1557. quæ omnia ferè iisdem terminis utuntur, ac Textus supra citatus.

Quæstio XXI.

Undè fit ut Ecclesia statuerit, Ecclesias habendas esse pollutas, cùm in eisdem quædam admittuntur facinora? suntne Leges illæ aptæ & convenientes?

Videtur ab Ecclesia tales Leges non esse sanciendas, ne detur occasio credendi Loca Sancta à criminibus fœdari quæ in iis patrantur, & suam hoc modo amittere Benedictionem, & hanc ob causam necesse esse, ut de novo & iterùm benedicantur, adhibita Reconciliatione. Adde quod hanc opinionem erroneam possit sequi altera longè periculosior, nimirùm quod Sacramenta etiam polluuntur à malignitate eorum qui eadem administrant, & iidem Ministri suam evertant & amittant Consecrationem propter scelus.

Sed non obstantibus omnibus his rationibus, nullum dubium est quin Canones quoad Pollutionem Ecclesiarum per quædam crimina sint aptissimi; nam 1°. timendum non est, Ecclesiam ductam & directam à Sancto Spiritu, sancire Leges contrarias rationi & justitiæ. 2°. Eadem Ecclesia sæpè explanavit Quæstionem, an malignitas Ministrorum qui Mysteria Divina celebrant, possit hæc Mysteria polluere, cùm declaravit, id ipsorum malitia non posse fieri, proindeque periculosum minimè esse, si ejusdem alumni credant Ecclesiam haberi pollutam si quædam in ea scelera patrentur, & hoc fieri ideò quod judicet facinoribus illis Ecclesias fœdari; nam manifestum est, idem esse in hoc puncto de Sanctis locis, ac de Sacris Mysteriis, quorum Sanctitatem certum est hominum improbitate non posse corrumpi. 3°. Eadem Ecclesia quibusdam in Conciliis suis monuit se idcircò statuere Ecclesias, in quibus quædam admittuntur crimina, tamquam pollutas haberi, ut omnes ab his criminibus abhorrerent, propter eorum oppositionem particularem destinationi Ecclesiarum; cùm *v. gr.* nihil videatur magis contrarium puritati & mansuetudini illius qui in Ecclesiis offertur, quàm impuritas & violentia homicidii. 4°. Leges circa Pollutionem Ecclesiarum à certis quibusdam criminibus, sunt imitatio Præceptorum Moïsis spectantium Immunditias Legales; similitudo fundata est in eo quod, quemadmodum illi qui laborabant morbis quibus immundi fiebant, Levit. Cap. XIV. & XV. fœdabant omnia illa quæ tangebant, ita pariter polluta debent haberi Loca Sancta, in quibus hæc facinora patrantur, his morbis adumbrata qui immundos efficiebant. Multæ ex his reflectionibus videntur in *primo Conc.* Coloniensi *habito ann.* 1536. *Part.* 9. Cap. 17. hæc sunt ejusdem verba: *Reconciliatur Ecclesia aut Cœmeterium ob seminis commixtionem peccandi libidine factam; itidem ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera, violenter & injuriosè commissam, ac aliis quibusdam de causis; qui mos ex* Levitici XIV. & XV. *suam originem trahit. Fit autem hæc Reconciliatio non quod Templum reverà polluatur, (Ecclesia enim, cum Sancta sit, coinquinari non potest; imo ipsius loci Sanctitas infamiam abolet) sed cum Templum locus sit ubi delictorum venia postulatur, ubi salutaris Hostia pro*

peccatis immolatur, ubi Deo laudes exsolvuntur, ubi tutela refugii esse debet, fit ut scandalum, horror, atque abominatio turpitudinis & peccati ibi commissi, propositum quoque & voluntas lethaliter delinquentis, in causa fuit ut Sacer locus reconcilietur, idque ad exemplum & terrorem, ut videntes locum Sanctum, seu inanimatum Templum, nulli peccato obnoxium, lavari & purificari, delicti horrore concutiantur, & recogitent quantùm pro expiatione delictorum & vivo Dei Templo elaborandum.

Idem Concilium addit adhuc aliam reflectionem multò notabiliorem; ea est, quod observata ea agendi ratione, Ecclesia JESUM CHRISTUM imitetur, qui facto de funiculis flagello, expulit è Templo vénditores & emptores, ut doceret non debere peccato servire locum Orationi destinatum, qua obtinetur remissio peccati: *Sic CHRISTUS vendentes & ementes è Templo ejecit, flagello facto de funiculis, ipsos acerrimè corripiens, ac dicens: Domus mea Domus Orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam Latronum; aliud quidem agens, aliud verò innuens.*

QUÆSTIO XXII.

An Pollutio Ecclesiæ per effusionem sanguinis humani sit antiqua? an ad hoc necesse sit ut sanguis in terram effundatur?

Ad *primam Partem* respondetur. 1°. *Cap.* 12. LIB. III. BURCHARDI 13. *Tertiæ Partis* YVONSA CARNOTENS. & *Cap.* 19. *Tertiæ Partis* GRATIANI DIST. I. quæ depromuntur ex Epistola, cujus nomen est à Papa HYGINO, & quæ edita est circa sæculum VIII. aut IX. de hac Pollutione loqui; ex quo unum potest inferri, quod in sæculo VIII. aut IX. hæc Pollutio in usu erat; nam credere fas est, Authorem hujus falsæ Epistolæ, ab HYGINO præscribendum illud voluisse, quod ætate sua usurpabatur, ut illam magis autoraret.

2°. *Caput* 20. *Tertiæ Partis* DIST. I. GRATIANI. *Concil.* NICÆNO attributum, celebrato *ann.* 325., de hac quoque Pollutione differere; sed ex eo nihil certum inferri posse quoad tempus quo incepit adhiberi; hic enim Canon non collectus est ex hoc Concilio, sed potiùs ex illis, qui videntur eidem additi fuisse, quia Collectio ex qua fuit deprompti incipiebat à Canonibus NICÆN. iique vere ad Concilium pertinebant, cùm nomen hujus præ se ferrent; alii verò non erant inscripti alicui alteri, ideoque ejusdem Concilii esse putabantur. Porrò tempus ignoratur in quo hæc Collectio facta est; ea vocatur Arabica, quia Arabico sermone scripta est.

Ad *secundam Partem* id reponitur, quod, juxta tres primos Canones citatos quoad alteram Partem, non est necesse ut sanguis effundatur., sed satis est si in ea Ecclesia patretur homicidium, quoquo modo admittatur, dum sit illud publicum. Idem videtur in *Cap.* 4. *De Consecr. Tit.* 40. LIB. III. DECR. Prætereà Statuta Synodalia LINGONENS. *ann.* 1404. illud expressè dicunt, ut videtur in BOCHELLO LIB. III. *Tit.* 19. *Cap.* 30. His omnibus addi possent *Ritualia* RHEM. & VERDUNENS. quæ hoc expressè asserunt; primum *pag.* 483. secundum *pag.* 539. Ratio hujus Decisionis est, quod effusio sanguinis non sit causa hujus Pollutionis, sed crimen quo illa fit;' nam ex Statutis citatis intelligimus, quod si casu fortuito & absque criminibus eveniat, eadem effusio non polluit. *Rituale* VERDUN. idem agit *pag.* 529. Quod si dicatur idem esse de hac Pollutione, ac de illa quæ fit seminis effusione, quia Canones solent illas simul jungere, cùm de hac coinquinatione disserunt, *Cap.* 20. DIST. I. *De Consecr.* Cap. 10. *De Consecrat. Eccles.* & hancce Pollutionem, oriri tantùm ex actione patrata cum Seminis effusione: Respondere potest, has duas ejusmodi Pollutiones non posse comparari in hoc puncto; nam quidam Canones expressè dicunt Ecclesias esse coinquinatas homicidio, & vulneribus; & hæc duo facinora possunt committi sine effusione sanguinis, quippe cùm interfici aliquis veneno possit, & strangulatione, quemadmodum & armis cruentis, & lethalia etiam vulnera possint esse quibus inflictis sanguis non effunditur.

QUÆSTIO XXIII.

Cum insanus aliquem in Ecclesia vulnerat, estne ex hoc polluta.

Hæc Quæstio facilè resolvitur principiis supra positis, quibus asseritur effusionem violentam sanguinis humani polluere tantùm Ecclesiam, quia est criminosa, & quod scelus causa sit coinquinationis, non verò effusio: nam hinc sequitur, quod si, in Quæstione proposita, stultus hominem in Ecclesia vulnerat & sauciat, illa non est ideò polluta, quia insanus peccare nequit. Veritas principii positi indubitata mihi videtur, quoad omnem hominem credentem, quod Ecclesia suis in Ceremoniis in Judaismum non inducat; nam Pollutio de qua agitur merè esset Judaica, si haberet tanquam causam, sanguinem humanum effusum, non verò crimen; quemadmodum & altera, quæ oritur ex seminis effusione humani, purè Judaica esset, nisi attenderetur ad peccatum quo creata est. Idem principium ut invictum reputabitur, consideranti effectus Pollutionis gravis esse momenti; atque ita non esse verisimile Ecclesiam voluisse, ut actio innoxia, quæ nullam attulit mutationem in Loco Sancto, eumdem pollueret. Revera potest accidere die Dominica, & quidem Festis solemnioribus, ut insanus sauciet aut occidat aliquem in Ecclesia, antequàm Plebs Missam audiverit, in loco in quo una tantùm est Ecclesia; essetne conveniens, ut Concilia vellent, ut pari in casu omnis Populus Missam non audiret, illeque celebratione Officii Divini privaretur, & indè occasionem arriperent, omnes, in dissolutione dies consumendi, quibus solùm Cultui Divino vacare debebant. Tamen hic casus esset inevitabilis, posito quod tale facinus locum Sanctum contaminaret; nam fieri reconciliatio non potest eodem die, quo Pollutio accidit, multò minùs eodem mané quo evenit, præsertim cùm locus ab Episcopali Palatio distat; quia 1°. de hoc moneri debet Superior. 2°. Ab ipso deputandus est qui rei gestæ casu Acta exscribat, ut de veritate ejusdem casus certior fiat, & ideò dies assignanda est Testibus, illique audiendi. 3°. Par est ut Episcopus Acta exscripta examinet, ut cùm noverit causam, statuat Reconciliationem. Non potest dici eosdem casus locum habere circa actiones criminosas, quibus certè polluuntur Ecclesiæ; nam si revera possint accidere diebus Festis, etiam solemnibus, in locis à Sede Episcopali remotis, & aliundè numerosissimis; non minùs verum est, enorme crimen his circumstantiis auctum, mereri ut nulla talis casus seu omissionis ratio habeatur.

QUÆSTIO XXIV.

An Ecclesiæ, in quibus Catholici Christiani occiduntur Religionis causa, ex hoc profanentur.

Hæ turbæ ultimæ Occitaniæ circa Religionem, occasionem præbuerunt Quæstioni propositæ; de qua credo, eas Ecclesias eò magis prophanari, quòd crimen sit atrocius, & circumstantia notata tantùm auget

get coinqoinationem ; meum fundamentum est in *Cap. 4. De Consecrat. Eccles.* in eo videtur, quod pe-regrini euntes ad Divum Jacoaum *Galicia* se invicem occidebant & vulnerabant, ut haberent custodiam Altaris per noctem ; & quamvis zelus causa esset horum ctiminum, Episcopus nihilominus existimabat Ecclesiam ex hoc esse pollutam & prosanatam, & quod solùm à Papa peteret aliquod medium, undè provideretur huic Ecclesiæ alio modo quàm Consecratione; denique Papa statuit, ut Ecclesia reconcilietur in his casibus aspersione Aquæ Benedictæ mixtæ cum Vino & Cinere; undè concludo quod si devotio erga S. Jacobum non impedivit, quin Papa & Archiepiscopus *Compostellæ* judicaverint clades & vulnera quæ creaverat, prosanasse Ecclesiam S. Jacobi; ita pariter bona causa propter quam toleratur mors in Ecclesia, non debet impedire quin credatur hanc Ecclesiam profanari ab homicidio sacrilego quod in ea cnmmittitur.

Nihil prodest si quis dicat sanguinem effusum in hac occasione personam consecrare, & debere tanquam pretiosam reliquiam colligi, atque ita effuso sanguine Ecclesiam prosanari non posse; oam si ob Sanctitatem Martyrii debet Ecclesia in honore esse, in qua toleratur; atrocitas criminis, quod charitas Martyrii convertit in gloriam Dei, postulat, ut locus in qno committitur, reputetur ot prophanus, ut ab hoc crimine abhorreant homines.

Quæstio XXV.

Si quis in Ecclesia strangulетur usque ad deliquium, jacturam rationis, & ad periculum mortis, polluiturne Ecclesia?

Canones non expressè de hoc casu loquuntur, sed illis possunt applicari, quæ dicunt de vulneribus in Ecclesia inflictis; si verò hæc volnera polluant Ecclesiam cùm sunt gravis momenti, oportet ut strangulatio, quæ ponit iu periculo mortis, eundem operetur effectum; reveta magna vulnera polluunt Ecclesiam, quia sunt attentata in animam hominis, quibus exponitur periculo illam perdendi: quemadmodum igitur strangulatio, de qua loquimur, est etiam attentatum homicidii quo adimus periculum mortis, oportet, ut polluat Ecclesiam. Possum hanc reflectionem confirmare per aliam adhuc multò sensibiliorem, quæ est: Si qnis tentaret alterum veneno afficere in Ecclesia, per sertum aut chitothecas, aut per pixidem boni odoris venenosi, & ille noo moreretur, cui insidiæ tenderentur, sed solùm mortis periculo redigeretur; nullum dubium esset, qnin hac actione Ecclesia pollueretur & coinquinaretur, quia eundem effectum faceret ac gravissimæ plagæ; boc esset attentatum homicidium, quod lethalem morbum crearet, & violentia quæ potest mortem creare polluit Ecclesiam eodem modo, quo illa quæ revera mortem affert; hoc intelligitur ex exemplo allegato. Nihil prodesset si quis objiceret, pollutionem, cùm sit quid odiosum, non posse extendi ad duos casus, de quibus mentio facta est, strangulationis & veneficii attentati, quia oulla de illis expressa mentio facta est in Jure; hæc objectio vana esset; nam sufficit, ut Jus doceat, sicut in *Cap. 4. citato* agit, homicidium attentatum cum aliquo effectu in Ecclesia, illam pollutam efficere.

Quæstio XXVI.

Debetne reconciliari aliqua Ecclesia, cum plaga in eadem inflicta sanguinem effundit, postquàm vulneratus ab ea egressus est, & reus non est in locis, neque circum eadem?

Factum quod mihi significas per tuam Epistolam (Domine) unom postulat, ut scias an peregrinus per Cœmeterium transiens, & malitiosè in eo vulnerans aliquem è tuis Parochianis, causa sit cur Cœmeterium sit reconciliandum, quamvis è plaga sanguis manet, postquàm vulneratus ab eodem exiit. De hoc dubitas propter duas rationes. 1o. Quia reus non est in loco neque in vicinia, atque ita cùm ignoret hanc reconciliationem, non poterit adduci ab illa ad abhorrendum magis à suo crimine. 2o. Quia plaga non effudit sanguinem in Cœmeterio, & Canones differentes de pollutione de qua agitur, dicunt illam fieri effusione sanguinis humani, *Cap. 10. De Consecrat. Eccles.* Ego verò facile adducor, ut credam (*Domine*) reconciliandum esse hoc Cœmeterium, & hoc fundamento nitor. *Cap. 4. De Consecr. Eccles.* à te citatum expressè dicit, *Si peregrini aliquem in Ecclesia saucient, illam esse reconciliandam, nec exigendum an sit effusus in Ecclesia sanguis.* Archiepiscopus *Compostellæ* petierat ab Innocent. III. quid agendum esset, in iis quæ aliquandò in Divi Jacobi Ecclesia eveniebant, cùm peregrini pugnantes pro custodia Altaris per noctem, invicem se occidebant, & vulnerabant in Ecclesia, & rogaverat illum ut huic malo provideret alio modo quàm Ecclesiæ iterata Consecratione; Summus Pontifex respondet in hoc casu reconciliandam esse Ecclesiam cum Aqua Benedicta, Vino & Cinere mixta: *Proposuisti quod venientibus ad Ecclesiam* S. Jacobi *ex diversis Regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab aliis per contentiones & rixas Altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt fieri interdùm, & aliquandò vulnera inferuntur, propter quæ nos humiliter postulasti, ut alio modo quàm per Consecrationis Beneficium dignaremur ipsi Ecclesiæ providere; manente igitur Ecclesia & Altari, Fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat, quod ipsa reconciliari poterit per Aquam cum Vino & Cinere Benedictam.* Cùm intellexerim tuum casum hoc Capite clarè resolvi, retuli illud integrum, & ut illud legeres quale est in origine, illud citavi eodem modo quo repetitur in Tertia ex antiquis Collectionibus. *Cap. 3.* Non est necessè, ut observes Papam nullam habuisse rationem ad hoc quod, illi qui scelus patrabant in Ecclesia S. Jacobi peregrini essent, & quod possent recessisse antè quàm Reconciliatio facta fuisset, & quod ita non posset esse utilis erga ipsos, satis per te ipsum intelliges; sed quamvis tu ipse possis perspicere, ob quam causam Summus Pontifex non immoretur in hac circumstantia, illam tamen annotabo, quia responsum præbet primæ rationi tui dubii; nimirum quia fit reconciliatio, ut reparetur injuria Deo illata, prosanatione loci ipsi consecrati; quod fructus qui ex ea debet percipi, faciendo illam utilem, ad excitandum in se horrorem pro facinore quod Sanctum locum coinquinavit, non solùm ad reum spectet, sed etiam loci incolas, & vicinos non ignorantes factum, & hujus remedium. Potes etiam ex teipso animadvertere, Papam non distinguere inter plagas ex quibus manat sanguis in loco sancto, & eas quæ sanguinem effundunt extra hunc locum; sed illum loqui indistinctè, cùm faciat intelligere, quod talibus in occasionibus, qualitas criminis consideretur, & loci in quo committitur, quia injuria Deo illata non oritur ab actuali effusione sanguinis, facta in loco ipsi consecrato, sed ab impudentia qua facinus atrox patratur in loco in quo præcipuo quodam modo residet. Nihil prodest si objiciatur *Caput ultimum ejusdem Tituli*; nam si mentionem faciens de pollutione, asserit illam creari effusione Sanguinis humani, boc fit quia plerumque in homicidio & in vulneribus, quibus contaminatur locus sanctus, effunditur sanguis; non autem quod effusio illa sit necessaria, ut locus sanctus polluatur; aliter esset aliquid Judaïcum in Legibus spectantibus ad pollutionem Ecclesiarum, humani sanguinis effusione; & si quis morte crudelissima mactaretur vel suffocaretur in loco sancto, non ideò coinquinare-

tur, quia in eodem sanguis non effusus fuisset. Omisi unam ex his rationibus cui respondere debeo, nimirum asseris reconciliationem in casu proposito non esse necessariam ut Parochiani tui à crimine in Cœmeterio commisso abhorreant, quod illud mirum in modum detestentur: ad hanc rationem Respondeo, quod, ut jam dixi, reconciliatio locorum pollutorum adhibetur, 1o. Ut reparetur injuria Deo illata defectu reverentiæ in loco, in quo præcipuè præsens est; Respondeo 2o. loco, quantumvis sit gravis horror pro injuria Cœmeterio illata, reconciliationem non fore inutilem propter fructum qui debet ex ea percipi; nam poterit augere hunc horrorem, qui videtur major esse posse; aliundè inter Parochianos nonnulli existere possunt, qui hoc crimine non satis moveantur, & idem esse de vicinia; atque ita, cùm reconciliatio non proficeret aliis, prodesset illis Parochianis & vicinis. Tandem posteritas de hoc utilitatem percipere poterit actis rei gestæ exscribendis.

Quamvis Textus à me relatus sufficiat, ut omninò difficultatem tuam explanet, non possum non illi jungere locum Statutorum *Synodalium* LINGONENSIUM *ann.* 1404. Continetur in BOCHALLO DACR. *Eccl. Gallic.* LIB. III. *Tit.* 19. Cap. 30. In eo legitur, quod, si cui in Ecclesia lethalis plaga infligatur, aut in Cœmaterio; Ecclesia aut Cœmeterium coinquinantur, quamvis moriatur extra utrumque locum, & sanguis in terram non cadat, & par est ut reconcilientur,,. Quod si quis in Ecclesia percussus fuerit, & ,, posteà moriatur extra Ecclesiam, vel si extra Ec- ,, clesiam per dictum modum & sanguis effundatur, ,, licet in terram non cadat, nihilominùs Ecclesia ,, vel Cœmeterium polluta est, & reconcilianda,,. Sensus horum verborum (*sanguis effundatur* &c.) potest esse ut percutiatur plaga sanguinolenta, sed ex qua sanguis non exeat vel fluat, nisi cùm vulneratus è Cœmeterio egressus est; aut ut sanguis revera fluat, sed ita retineatur & comprimatur cum sudario, ut terram non irriget; elige quem tibi libuerit sensum; debes convenire Synodum credidisse, à scelere in Ecclesia patrato eandem pollui, non sanguinis effusione.

QUÆSTIO XXVII.

An in genere Pollutionis Ecclesia creata violentia criminosa, distinctio Pollutionis in magnam & parvam fundetur in Canonibus.

Sunt nonnulla prisca Statuta Synodalia quæ distinguunt pollutionem Ecclesiarum in magnam & parvam. Vocant magnam pollutionem illam, quæ fit aut injuriosa effusione sanguinis humani, aut consummatione peccati carnalis, aut sepultura excommunicati in Terra Sancta: Dicunt parvam Pollutionem illam, quæ fit feriendo aliquem pede aut manu, aut injuriosè illum impellendo in Cœmeterium aut in Ecclesiam: ,, Et sciendum est ,, quod duplex est pollutio, videlicet major aut mi- ,, nor: Major per sanguinis humani injuriosam ef- ,, fusionem aut seminis emissionem, vel excommu- ,, nicati inhumationem: Minor est quando alius in ,, alium violenter manum imponit aut pedem, seu ,, pulsat alium in Cœmeterio injuriosè vel in Eccle- ,, sia,, *Statuta Eccles.* TRECENSIS *ann.* 1309. BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gall. Tit.* 19. Cap. 29.

Hæc Statuta dant locum postulandi, an distinctio quæ in eis legitur de Pollutione in majorem & minorem, fundetur Canonibus; quemadmodum divisio excommunicationis in majorem & minorem. Refert ut illud sciamus, quia si depromatur ex Canonibus, utraque erit explicanda Pollutio, & quærendum remedium minoris, sicut & majoris; quemadmodum tenemur explanare duplicem excommunicationem, naturam cujusque, & quibus modis utraque finiat.

Hactenùs status & motivum Quæstionis propositæ; ecce resolutio. Nihil reperitur in Canonibus, ex quibus constat Jus Commune, quod autoret Divisionem Pollutionis in majorem & minorem; in eo solùm mentio fit de majori, quæ, ut mox vidimus, tribus criminibus creatur, scilicet violentia sanguinolenta, peccato carnis consummato, & inhumatione excommunicatorum in Terra Sancta; & de hujusmodi Pollutione hic agitur præcipuè, & circa quam formabo & resolvam Quæstiones quæ possunt decidi iisdem Canonibus; dico *præcipuè*, quia de alia adhuc Pollutione sum locuturus, & hæc Pollutio oritur à demolitione, aut alia aliqua mutatione gravi in locis sanctis facta. Quoad minorem Pollutionem, de qua sermo habetur in *loco citato Statutorum* TRECENSIUM, nullum quidem verbum de ea profertur in Jure Communi; cùm nullus Textus dicat, neque claré neque obscurè, Loca Sancta coinquinari injuriis, & malefactis proximo illatis in iisdem, alio modo quàm homicidio, & attentato hujus criminis cum aliquo effectu gravis momenti.

QUÆSTIO XXVIII.

An, si fortè BIDELLUS *aut* HELVETIUS *alicujus Ecclesiæ, volens Populum amovere, ut Parochus aut Prædicator, aut aliquis alius similis homo transire possit, percutiat fuste aut hasta sua bipenni caput alicujus, & illum vulneret, ita ut magna sanguinis copia fluat, Ecclesia sit polluta.*

Cap. 4. *De Cons. Eccles.* supponit Ecclesiam esse pollutam, si quis in ea vulneretur; sed loquitur de casu in quo vulnus creatur ex contentione, jurgio, rixa, & consequenter animi motu impotenti; & hic agitur de plaga inflicta incogitanter, sine proposito, & contra intentionem hujus qui hanc creavit. Idem est de hoc casu, ac de illo in quo Janitor volens repellere populi turbam, ut viam aperiat Hero suo quem non sinit intrare, casu fortuito percutit Clericum qui reperitur in turba; & quemadmodum hic Ostiarius hoc in casu non delinquit, ita ut incurrat excommunicationem latam contra eos qui verberant Clericos, *Cap.* 3. *De Sent. Excomm.* ita pariter BIDELLUS & HELVETIUS qui vulnerant incogitanter, volentes aditum præbere Pastori, Prædicatori, aut alteri alicui simili viro, non peccant, saltem ita ut polluatur Ecclesia actione illorum, quæ deberet esse lethalis ut posset hunc effectum producere.

QUÆSTIO XXIX.

Cùm Rector alicujus Ecclesiæ putans per errorem, illam esse coinquinatam aliqua culpa animi impotentis, in eadem commissa, amovit ab ea Sacrosanctam Eucharistiam, & transmisit in alium locum, quomodo potest honorem suum resarcire, postquam ab errore revocatus est?

Quæris à me duo simul; 1o. an pueri infra 14. annos, cùm se invicem in Ecclesia vulneraverint, & unus cùm creaverit alteri magnam sanguinis effusionem ictu pugni inflicto ipsi in naso, Ecclesia polluta fuerit. 2o. Posito quod hæc actio Ecclesiam non fœdaverit, quid faciendum tibi sit, ut honorem tuum repares, in eo quod, ratus illam fuisse pollutam, Sacrosanctam Eucharistiam in Capellam vicinam transmiseris.

Quoad

Quoad *Primam Quæstionem* dico, quod antiquior Textus qui loquitur de Pollutione Ecclesiarum criminibus commissis contra mansuetudinem, mentionem tantùm de Homicidio facit, hic est *Can.* 19. *De Cons.* Dist. I. attribuitur Papæ Higino; videtur esse sancitus ineunte Sæculo IX. Assero, quod post hunc Textum, unus tantùm superest, qui loquatur expressè de iisdem criminibus; & hic Textus loquitur solùm de Homicidio, & de lethalibus plagis, hic est *Cap.* 4. *De Consecr. Eccles.* Imò dico quod alii Canones; qui de eadem Pollutione loquentes, comprehendunt crimina quibus illa creatur, his verbis, *Effusio sanguinis*, debent explicari duobus citatis Textibus, quia hi Textus sunt expressi & formales, & significant in particulari hæc eadem crimina; hi autem Canones obscuri sunt, & loquuntur tantùm generatim de his facinoribus; & ideò Homicidium & vulnera hoc modo sunt intelligenda: hac etiam ratione vulgò interpretantur. Non cito Autores hoc factum testificantes, quia non habeo in animo Sententiæ Autorum fidem habere, illique inniti; sed unicè Legibus Ecclesiæ adhærere. Quamobrem ut non immorer ampliùs huic Doctorum interpretationi, finio per locum Ordinationum Synodalium Tricensium à Bochello citatarum *Decret. Eccles. Gallic. Art.* 3. *Tit.* 19. *Cap.* 29. Distinguunt duplex Pollutionis genus, criminibus oppositis clementiæ; alteram Majorem, quæ fit injuriosa effusione Sanguinis humani; alteram Minorem, quæ consistit in eo quod aliquis, alterum pugnis aut pedibus in Ecclesia percutiat, vel in Cæmeterio. „Sciendum est „quod duplex est Pollutio, videlicet Major & Mi„nor; Major per sanguinis humani injuriosam effu„sionem . . . Minor est quandò aliquis in alium vio„lenter manus imponit, aut pedem, seu pulsat alium „in Cæmeterio injuriosè vel in Ecclesia„. Quod Leges dicunt de minori Pollutione, rei perfectè convenit seu materiæ; nam in casu proposito agitur de simplici pugni ictu; alia autem crimina, quæ Constitutiones illæ jungunt criminibus contra clementiam commissis quibus Ecclesiæ fœdantur, sola sunt ratione quorum Jus Commune Ecclesiarum Reconciliationem præscribit: Ex quo intelligitur, culpis quæ minorem Pollutionem creant, Ecclesias non contaminari, ita ut faciant Reconciliationem necessariam.

Ad *Secundam Quæstionem* respondeo, quod si Sacrosancta Eucharistia translata fuerit ad Sacellum Processione Solemni, eodem modo referendum est; & postquam horror in animis injectus fuerit propter culpam, quæ occasionem dedit his Processionibus & supplicationibus. Addendum est quod, cùm locus sit sperandi Deum tali reparatione contentum fore, Superiores nihil fieri ampliùs arbitrantur.

Quæstio XXX.

An, posito quòd in Regionibus in quibus Ecclesiæ non potiuntur ampliùs jure azili, ut in Gallia, Rei qui in illis se receperunt, occidantur aut vulnerentur, resistentes Ministris Justitiæ, volentibus eos apprehendere, Ecclesiæ coinquinatæ efficiantur.

Si quis Literæ quorumdam Canonum adhæreat; hic necessè esset pollutas Ecclesias haberet; quia cùm mentio fit de pollutione Ecclesiarum, violentiis factis quibusdam hominibus, in eisdem Ecclesiis, alii dicunt fœdari easdem Sanguinis humani effusione, *Cap.* 10. *De Cons.* Dist. I, Cap. 10. *De Cons. Eccles.* Cap. *unic. De Cons. Eccles. in* 6. Alii asserunt hanc Pollutionem creari Homicidio. *Cap.* 19. *De Consecr.* Dist. I. Cap. 4. *De Cons. Ecclesiæ*, aut vulneribus gravis momenti. *Cap.* 4. *De Cons. Eccles.* nec distinguunt expressè casus in quibus hæc fiunt sine crimine, ab illis in quibus hæc sunt criminosa.

Sed tenebitur aliter sentire, & judicare illas Ecclesias non esse coinquinatas, quisquis attenderit ad mentem eorumdem Canonum; nam nihil aliud intendunt, quàm ut omnes abhorreant ab actionibus, propter quas volunt ut Ecclesiæ pollutæ habeantur. Hoc intelligitur ex aliis actionum speciebus, propter quas statuunt ut Ecclesiæ fœdatæ reputentur, cùm hæc facta omnia sint noxia, ut fornicatio, adulterium, & inhumatio Excommunicatorum in Terra Sancta. Idem inferri potest, ex eo quod hi Canones, circa Pollutionem Ecclesiarum à facinoribus de quibus modò sum locutus, essent Leges Judaïcæ, si decernerent ut Ecclesiæ pollutæ haberentur, cùm hæc facta in iisdem patrentur modo innoxio; cùm tunc Ecclesiarum contaminatio esset tantùm immunditia legalis, similis illis quæ oriebantur aut à fluxu sanguinis orto ex menstruis, aut seminis effusione in seminifluis. Si autem Homicidium & vulnera in Ecclesia inflicta, illam contaminent tantùm, cùm actionibus Criminosis committuntur; par est ut Ecclesiæ non reddantur pollutæ, cùm Ministri Justitiæ interficiunt aut sauciant nocentem in Ecclesia, quia executioni ipsorum obstat; cùm in hoc nihil agant quod Jure ipsis non permittatur.

Quæstio XXXI.

Si Sponsus & Sponsa Matrimonio utantur in Loco Benedicto, sitne pollutus?

Tres tantùm Textus loquuntur de coinquinatione locorum Benedictorum, ex cohabitatione consummata hominis & mulieris. *Cap.* 19. *De Cons.* Dist. I. Cap. 5. *De Adult.* & hæc duo Capita differunt tantùm de coitu in se criminoso, quinimò mentionem faciunt de duplici cohabitationum illarum genere, de Adulterio, & Sacrilegio quoque adultero: Tertius Textus est *Cap. Ultimum. De Cons. Eccles.* quod est generale, *cujuscumque seminis effusione*; itaque ex illo percipitur usum Matrimonii in loco Benedicto eumdem contaminare; sed ex eo, quod sequitur, facilè cognoscitur, quod par sit ut illud explicetur per alios Textus: nam addit *& humani sanguinis*, & certò constat omne genus effusionis sanguinis humani non polluere; nam partim alii Canones circà eandem materiam docent, ut hæc effusio sanguinis humani Ecclesiam polluat, oportere ut proveniat à plaga accepta in Ecclesia; & aliundè ratio hujus coinquinationis compellit Autores, ut interpretentur hoc *Cap. ultimum. De Cons.* per illos alios Canones; nam nihil aliud est quàm malignitas criminis, & oppositio hujus præcipua loci dignitati; & non habet locum in effusione involuntaria & innoxia, & in ea quæ, licet noxia, non oritur tamen à plaga, ut effusio creata percutiendo nasum alicujus.

Revera ex eo sequitur quod, si annotata incommoda in expressione generali, *Sanguinis humani effusione*, cogunt ut explicetur *Cap. ultim. De* Consec. *Eccles.* per alia quæ disserunt de eadem sanguinis humani effusione, oportet ob eandem rationem interpretari quod dicit generatim de alia effusione, per alios Juris Textus, qui præcipuè loquuntur de actionibus Ecclesiam hac effusione fœdantibus; aliter dicendum esset eadem effusione Ecclesiam coinquinandam esse, non solùm cùm fieret absque ulla mixtione sexûs, sed solùm cum sola cogitatione produceretur, voluntaria & criminosa; imò etiam cùm esset involuntaria; expressio siquidem generalis, *cujuscumque seminis effusione*, ad omne effusionis genus extenditur. Adde quod agatur de re aliqua odiosa; nam cessatio ab Officiis Divinis quæ oritur ex Pollutione, est aliquod pœnæ genus, itaque Pollutio non debet habere locum, nisi in casibus clarè expressis in Jure.

Tandem certò constat, quod GREGOR. IX. Autor hujus Capitis noluerit constituere Jus Novum; sed solùm in animo habuisse, Jus Antiquum applicare casui sibi proposito. Ille est, an possit coinquinari Ecclesia non Consecrata: Respondit; Ecclesias non Consecratas in eo esse, ejusdem conditionis ac Ecclesiæ quæ sunt Consecratæ, & easdem posse effusione contaminari *cujuscumque seminis, & Sanguinis humani effusione*, quemadmodum Ecclesiæ Consecratæ polluuntur; & hoc responsum nihil aliud docet, nisi quod iisdem criminibus Ecclesiæ Consecratæ ac non Consecratæ coinquinentur.

Quæri posset, an decisio hujus Quæstionis locum habeat in casibus, in quibus cohabitatio, de qua agitur, sine ulla necessitare contrahitur; ut accideret, si quis conjugatus præpositus ad Ecclesiæ custodiam per noctem, in ea Matrimonio uteretur; an verò restringenda sit ad casus necessitatis, quales possent esse illi, in quibus tempore belli, conjugati coguntur se recipere cum familia sua in Ecclesiis, aut in Oratoriis. Ad hanc Quæstionem Respondetur, rationem decisionis esse generalem, & tàm extendi ad primum casuum genus quàm ad secundum, atque ita illos comprehendi in Decisione, quemadmodum & alii casus.

QUÆSTIO XXXII.

An peccatum mollitia sit ex illis quibus Ecclesia polluitur?

De hoc dubitari potest; nam I. nullus Canon adscribit illud in numerum illorum peccatorum, & agitur de re quadam odiosa, quæ, quemadmodum Irregularitas, debet tantùm locum habere in casibus in Jure expressis. *Cap. 18. De Sentent. Excom. in 6.*

II. Canones, qui nominatim loquuntur de peccatis impudicitiæ Loca Sacra polluentibus, mentionem solùm faciunt de illis quæ committuntur mixtione utriusque sexûs; hi Canones aliud non sunt, præter quàm *Cap. 19. De Consecr.* DIST. I. & Cap. 5. *De Adult. & Stupr.* Utrumque loquitur de casu adulterii; alii Canones confusè sese explicant, cum utuntur hac expressione generali, *cujuscumque seminis*, Cap. 2. *De Consecr.* DIST. I. aut illam adhibent: *Cujuscumque seminis effusione*, Cap. 10. *De Consecr. Eccles.* aut tandem illam usurpant, *seminis effusione*. Cap. 18. *De Sentent. Excom. in 6.* Itaque, cum illi Canones videantur obscuri, alii verò lucidi, videntur debere explanari ab aliis his Canonibus.

III. Locus est credendi, quod Leges quæ statuunt, ut Ecclesiæ habeantur pollutæ, cùm in illis impudicitiæ crimina committuntur, sancitæ fuerint, occasione usûs insumendi noctes in Ecclesiis, quibusdam Festis diebus, quo periculum adibant homines conjunctionis criminosæ, tùm pro locorum obscuritate, tùm hominum cùm mulieribus mixtione.

IV. Si ponantur peccata mollitiæ in numero peccatorum & delictorum impudicitiæ, quibus Ecclesiæ coinquinantur, frequenter polluerentur; nam hæc delicta possunt patrari cogitationibus voluntariis, quemadmodum & actione.

Sed non obstantibus his rationibus, sunt Ordinationes Synodales, & Ritualia, in quibus mollitia collocatur inter peccata impudicitiæ, quæ Ecclesias contaminant; fundantur in *Cap. 20. De Consecr.* DIST. I. Cap. 10. *De Consecr.* Cap. 18. *De Sentent. Excom. in 6.* ex quorum generali expressione cognoscitur, omnia peccata impudicitiæ consummata in Ecclesiis, easdem fœdare. Constitutiones citatæ duplicis sunt generis; aliæ docent mollitiem polluere tantùm Ecclesias, quia nullum excipiunt è peccatis impudicitiæ consummatis ad extra, & his terminis sunt espressa, *Seminis effusione.* Nonnullæ ex illis leguntur in LIB. III. *Tit. 19. Decret. Eccles. Gall.* Hæ sunt, Ecclesiæ TRECENSI attributæ, Ecclesiæ SENONENSI, necnon & PARISIENSI. *Cap. 29. 31. 33.* Ex aliis facilè percipitur mollitiem comprehendi inter peccata quibus Ecclesiæ fœdantur, duobus modis: 1°. Si addantur hæc verba, *aut seminis humani effusione*, postquam asseruerint illas contaminari adulterio & fornicatione; quæ additio videretur inutilis, nisi extenderetur ad peccata impudicitiæ consummata ad extrà sine sexûs mixtione. 2o. Si nominatim excipiatur Pollutio nocturna per somnum in Ecclesia facta, nec illi jungatur ullum aliud genus peccati impudicitiæ ad extrà consummati; undè sequitur illas peccatum mollitiæ comprehendere inter ea quæ Ecclesiæ contaminant; tales sunt Ordinationes LINGONENSES relatæ *Cap. 30. ejusdem Tituli. Propter adulterium, fornicationem, aut seminis effusionem, ibi scienter factam.... secùs de Pollutione nocturna in somno facta*; exceptio posset restringi ad Pollutionem nocturnam innoxiam.

Quoad Ritualia, habet BURDIGALENS. quod expressè hoc peccatum mollitiæ collocat inter peccata impudicitiæ quibus Ecclesiæ polluuntur. *p.* 378. sed hoc restringit ad casum in quo peccatum est publicum.

Cæterùm, quemadmodum agitur de re ad Disciplinam spectante, de qua Jus Commune obscurè loquitur, & aliundè in genere Disciplinæ licet cuique Provinciæ in suo sensu abundare. In simili casu hæc Regula observanda videtur, ut nimirùm sequamur usum cujusque Diœcesis, in quâ hic casus evenit, cùm expressè significatur in Ordinationibus, aut in Ritualibus Diœcesum, aut ut videtur ex aliis locis, sicut ex agendi ratione servata in tali occursu: si autem usus sit ignotus, nonnullæ sunt circumstantiæ, in quibus satiùs est hæc facta dissimulari, quàm aperiri per Reconciliationem; aliæ verò in quibus potest esse necessè, ut fiat Reconciliatio.

QUÆSTIO XXXIII.

Canones qui statuunt, ut polluta habeantur Cœmeteria & Ecclesia, in quibus corpora Excommunicatorum inhumata fuerint, de quibusnam Excommunicatis debent intelligi.

Duplex est genus excommunicatorum. Sunt quibus licet communicare, & illi non fuerunt declarati; sunt alii quos tenemur ita vitare, ut nullam cum iis communicationem habeamus in rebus Sacris aut Civilibus, & illi fuerunt denuntiati. Hæc distinctio introducta est à *Concil.* BASILEENSI, in Gallia accepta à *Pragmatica & Concordato*, & approbata à *Concilio* LATERAN. sub Pontificatu LEON. X. in *Homologatione hujusdem Concordati.* Ab illo tempore omnes Canones, qui prohibent communicationem cum excommunicatis, debent restringi ad casum in quo indicti fuerunt. Hoc posito Quæstio facilè resolvitur, nam indè sequitur, quod Canones, qui præscribunt, ut polluta habeantur Sancta loca, in quibus sepulta fuerint corpora Excommunicatorum, debent intelligi de excommunicatis indictis & denuntiatis, cùm severa inhumatio mortuorum Excommunicatorum sit participatio cum illis in re Sacra.

Debent omnes expresè moneri, quod, cum dictum est restringi debere excommunicatis declaratis Canones, qoi vetant ne quis communicet cum excommunicatis, mentio facta est de illis qui nominatim fuerunt denunciati, non verò de illis qui solùm in generali deferuntur; ut fit in promulgatione aggravationis Monitoriorum, in qua denunciantur ignoti, nomine generali, *Cujusdam*: Ratio hujus est quod delatione generali non agnoscitur persona denuntiata, & ut denuntiatione teneamur vitare indictum, oportet ut illa notum eundem faciat, quod non fit nisi denuntiatione personarum propriis nominibus & cognominibus. Non esset igitur ille casus Pollutionis Cœmeterii, si in eo inhumaretur

ex

excommunicati non declarati, neque si in eo sepelirentur, qui denunciati tantùm fuissent generatim; sed ille esset verus & certus, si in eo excommunicatus humaretur nominatim indictus.

Superest difficultas examinanda hac de re; hæc est, an idem sit de iis quos notorium est lapsos esse in excommunicatione, ac de excommunicatis delatis? Quoad hanc difficultatem, dicendum est, *Pragmaticam* hoc genus excommunicatorum ponere in eodem ordine, ac excommunicatos indictos; hoc fundamento posito, notorietatem æquivalere denunciationi, *Tit. De Excomm. vitand.* Sed aut illud non acceptum, aut abrogatum fuit; nam usus Galliæ invaluit, ut nemo teneatur vitare excommunicatos notorios, nisi denuntientur. Hoc probavi *in Tractatu Censurarum in generali, Tit. De effectibus.* Ille igitur aut errat in principiis Juris Gallici, qui contendit Ecclesiam aut Cœmeterium pollutum esse inhumatione hominis quem notorium est injustè percussisse Clericum; aut Jus particulare introducit, qui cùm authoritatem habeat sancire Leges Ecclesiasticas, hunc casum collocat in eorum numero in quibus Cœmeterium coinquinatur, & tunc abusum committit, quia notorietas facti in Gallia non admittitur, ut citato loco ostensum est. Hæc difficultas examinata est occasione aliquarum Ordinationum Synodalium, in quibus hic casus numeratur inter eos quibus Cœmeteria polluuntur.

Quæstio XXXIV.

Cùm Ecclesia coinquinatur inhumatione in ea facta Excommunicati delati, aut Infidelis, potestne reconciliari quin priùs ab ea tollatur corpus, quod sic in ea inhumatum est?

Antiqui Canones prohibent ne consecrentur Ecclesiæ, in quibus inhumata sunt corpora aliquorum Infidelium, & ne in iisdem dicatur Missa; jubentque ut extrà projiciantur hæc corpora, & hæ Ecclesiæ purgentur: *Ecclesiam in qua Paganus sepultus est, non liceat consecrare, atque Missas in ea celebrare, sed jactari foris, & mundari oportet.* Cap. 27. *De Consecr.* Dist. I. Idem ferè videtur in Canone sequenti; declarat non licere Ecclesiam consecrare, in loco ubi inhumati sunt Pagani; si verò locus aptus sit alicui Ecclesiæ construendæ, illa demolienda est quæ polluta fuit, & reædificanda, postquàm amota fuerint corpora, quæ eam contaminaverint: *Ecclesiam in qua mortuorum cadavera Infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed si apta videatur ad consecrandum, indè evulsis corporibus & rasis parietibus, vel tignis hujus loci, reædificetur.* Hi duo Canones depromuntur à Collectione Theodori Cantuariens. facta versùs finem sæculi VII. Nunc pari casu adveniente, Pollutio tolleretur ipsa Reconciliatione, post eam non sublatis corporibus Ecclesiam polluentibus.

Canones sæculi XII. inclusi in Collectione Gregorii IX. facta sæculo XIII. non mentionem faciunt de exhumatione corporum quibus Ecclesia contaminata fuit; statuunt solùm quod si Ecclesia polluta sit in ea sepeliendo excommunicatos, reconciliari debet aspersione Aquæ solemniter Benedictæ, & adhibitæ in Consecratione Ecclesiæ: *Cœmeteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione Aqua benedicta solemniter, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit.* Hæc Aqua ea est quæ Gregoriana vocata est, & quam diximus componi ex Aqua, Vino & Cinere. *Pontific. Roman.* quod hodiè videtur esse in usu quoad hoc punctum, non exigit tanta; sed satis habet, si ad hanc Cæremoniam adhibeatur Aqua benedicta communis, aut ordinaria; nam cùm loquitur de Reconciliatione Cœmeterii coinquinati, in quolibet loco fiat, & quælibet aqua adhibeatur, insinuat nullam aliam præter Aquam benedictam communem adhibendam esse, statuens *p.* 412. ut præparetur ad hoc vas Aquæ mundæ benedicendæ, & vas salis: *Parantur... vas Aquæ mundæ benedicendæ, & vas salis:* & addens *p.* 413. *Litaniis finitis, Episcopum benedicere Sal & Aquam,* ut facit, cùm agitur de impositione primi lapidis. *p.* 244. in qua certè effundit tantùm Aquam benedictam communem, quemadmodum clarè videtur in 1°. loco citato.

Quæstio XXXV.

Si sepeliatur in Terra Sancta peccator publicus in peccato suo mortuus, aut omnis alter sepultura interdictus, polluunturne Ecclesia aut Cœmeterium?

Videtur esse locus credendi hunc esse Pollutionis casum; nam locus Sanctus coinquinatur, si in eo excommunicatus sepeliatur; interdictum verò sepulturæ est aliqua species excommunicationis; cùm excommunicatio, propriè loquendo, sit tantùm exclusio ab aliqua Communione Sacra, & Communio Sepulturæ, qua privat ejusdem Sepulturæ interdictum, est Communio Sacra; itaque qui interdicuntur Sepultura Sacra, sunt aliquo modo ex numero excommunicatorum; oportet igitur, ut eorum humatio in locis benedictis hæc loca polluat, quemadmodum sepultura excommunicatorum in eisdem locis ea contaminat.

Addi potest Excommunicationem Sepultura privare tantùm quia includit interdictum Sepulturæ; apparet ergò, quod si Sepultura excommunicati in Loco Sancto, hunc coinquinet, Pollutio oritur ex eo quod hic excommunicatus interdictus est Sepultura, & consequenter oportet, ut hæc loca quoque polluantur, si in eisdem sepeliatur homo interdictus Sepulturâ, non excommunicatus. Sed non obstantibus his rationibus, tenemur asserere contrarium, *id est*, quod in casu de quo agitur, Loca Sancta non polluta fiant, & ad id compellimur ob duas rationes fortiores præcedentibus: Prima est, quod in materia odiosâ, qualis est Pollutio, non licet extendere Canones à casu ad alterum, neque afferre ratiocinium à simili; sed adhærendum est iis quæ scripta sunt. At verò tàm certò constat, nonnullos Canones præscribere, Loca Sancta haberi polluta, si in iis sepeliantur homines excommunicati, quàm certum est nullum esse Canonem, qui idem præscribat pro casu in quo inhumantur iisdem in locis homines simpliciter interdicti à Sepulturâ.

Præterea, quemadmodum excommunicatio Major est Censura multò gravioris momenti, quàm simplex interdictum Sepulturæ; etsi extensio locum haberet in materia de qua agitur, esset rejicienda in casu proposito, quia esset *à majori ad minus*, atque adeò injusta, quandoquidem materia est pœnalis, & immeritò extenditur ad minus peccatum pœna præscripta contra aliud majus.

Secunda ratio contra Pollutionem Sanctorum locorum in casu proposito, non minùs est urgens, quàm prædicta; hæc est, ut Sepultura excommunicati iisdem in locis ea polluat, oportet ut excommunicatus declaratus fuerit, quia Excommunicatio suos habet effectus exteriores à denunciatione, & privatio Sepulturæ est unus ex his effectibus exterioribus. *Pragmat. Sanct. Tit.* 10. *Concord. Tit.* 14. Supponatur igitur, quod ut Loca Sancta polluta fierent Sepultura in iis facta hominum ab inhumatione interdictorum, oporteret ut denunciati fuissent interdicti, quæ circumstantia deest in casu proposito.

Quæstio XXXVI.

Cùm Ecclesia polluitur demolitione alicujus ex hujus muris, post reædificationem ejusdem parietis, sufficitne ut illa reconcilietur, an verò benedicenda, aut de novo consecranda?

Quoad hanc Quæstionem videtur Reconciliatio esse remedium ordinarium & unicum contra Pollutionem

nem Ecclesiarum. Illud inferri potest ex *Cap. 47. 9. De Consecrat. Eccles.* nam cùm loquuntur de modo Ecclesias pollutas revocandi in pristinum statum, mentionem tantùm faciunt de Reconciliatione; illud intelligitur ex verbis *Cap. 4. Ipsa reconciliari poterit*: Ex his dicti *Cap. 7. Reconciliauda eruut aspersione Aquæ solemniter benedictæ*: Tandem ex his terminis *Cap. 9. Quod super Ecclesiæ Reconciliatione factum est.*

Sed non obstantibus illis rationibus, locus est credendi, cùm Ecclesia contaminatuc destructione alicujus parietis, & ejusdem refectione, ad novam Benedictionem procedendum esse. Nam 1o. INNOC. III. hoc insinuat, cùm docet *Cap. 4. supra citato* satis esse si reconcilietur Ecclesia polluta, posito quod Ecclesia in suó toto remanserit, & idem sit de Altari, *Maneute Ecclesia & Altari*. Revera viderur ex eo sequi quod, si Ecclesia polluta non remaneat integra & illibata, iterùm consecranda, vel de novo benedicenda est; hæc consequentia videtuc eo majori fundamento niti, quod Papa consultus fuerat de modo providendi aliter quàm iterata Consecratione coinquinatæ Ecclesiæ, & respondet illud fieri posse Reconcilatione, si Ecclesia sic illibata & integrum Altare; ex quo facilè percipitur, Ecclesiam iterùm consectandam, si Ecclesia & Altare non manserint in integro. Idem Summus Pontifex *Cap. 5.* idem insinuat; nam cùm fuisset consultus, an reconsecranda esset Ecclesia, quæ tota incensa est, subjungit necessè non esse, si parietes sint illibati, & sic idem de Majoris Altaris mensa, & ex hoc intelligitur locum esse Reconsecrationi, cùm muri non manent in integro. Idem potest concludi ex *Cap. 1. 3. & 6.* ex quibus eognoscitur, quod, cùm lapis Altaris notabiliter fractus est, Altare sit reconsecrandum; nam ex eo sequitur Ecclesiam esse iterùm consecrandam, si quis murus dirutus sir; nam hæc mutatio & fractuta quoad Ecclesiam est gravis momenti. Sed ut percipiatur utilitas hujus Quæstionis, obsecvandum est necessariò Ceremoniam Benedictionis longè differre à Ceremonia Reconciliationis, cùm sint multò majores ritus servandi, & Orationes recitandæ in Benedictione, quàm in Reconciliatione. Hoc videtuc per *Pontificale Romanum, p. 257. usque ad p. 353. & p. 400. usque ad 412.* & pec Ritualia, imprimis BURDIGAL. *ann.* 1707. *p.* 368. *usque ad* 377. *& p.* 379. *usque ad* 383. necnon & per METENSIA *ann.* 1713. *Part.* 2. *p.* 142. *usque ad* 148. *& p.* 149. *usque ad* 151.

QUÆSTIO XXXVII.

Potestne coinquinari Altare, impolluta Ecclesia?

Aut agitur de Pollutione à crimine orta; & tunc Altare non potest contaminari, quin Ecclesia fœdetur; quia Altare, cùm sit Pars Ecclesiæ, non potest crimine pollui, nisi scelus in Ecclesia patretur; si verò in Ecclesia committatur facinus, oportet ut Ecclesiam coinquinet. *Verbi gratia*, supponamus Altare homicidio pollui, aut consummato ad Altare, aut attentato cum gravis momenti causa in eodem loco; hoc crimen tunc in Ecclesia committeretur, ac proindè Ecclesia pollueretut eodem modo quo fœdatetur Altare. Auc agitur de Pollutione creata ob aliquam enormem Altaris fracturam, ut est loci fractio in quo Reliquiæ asservantur & tunc Pollutio Altaris Ecclesiam non comprehendit. Idem est si oriatur ex eo quod Altare è loco amovetur: Utrumque videmus in *Cap. 1. De Consecr. Eccles. Ad hæc si Altare motum fuerit, aut lapis ille supra positus qui sigillum continet confractus aut etiam diminutus, debet denuò consecrari*; postea addit duas illas rationes non sufficere, ut necessè sit denuò Ecclesiam consecrari in qua existit hoc Altare: *Propter hoc nequaquam consuevit suam Ecclesia reiterare Consecrationem, licet id quidam Canones innuere videantur.* Canon à Papa citatus in his ultimis verbis, est *Can. 19. De Consecr. Eccles.* DIST. I. Ex hac decisione sequitur, quod si quæ alia sint Altaria in eadem Ecclesia, possit in eadem celebrari Missa, & quod Altaribus omnibus pollutis Officium Divinum in eadem Ecclesia decantari posser.

QUÆSTIO XXXVIII.

Potestne evenire ut Ecclesia polluatur, impolluto Altari?

Hæc Quæstio eodem modo deciditur ac præfata, XXXVIII. id est, eadem Distinctione. Revera, aut agitur de Pollutione orta à crimine; & facilè patet Altare contaminari, quemadmodùm & Ecclesiam, cùm juxta *Cap. unic. De Consecr. Eccles. in 6.* Ecclesiæ Pollutio extendatur etiam ad Cœmeterium contiguum, quod non est illius pars, sed tantùm ab Ecclesia pendet; Altare verò est una ex præcipuis portionibus ejusdem Ecclesiæ. Aut Quæstio est de Pollutione creata ob demolitionem, & tunc Ecclesia potest impolluto Altari coinquinari. *Verbi gratia*, si diruatur pars maxima prioris Templi portionis quæ Navis vocatur, & Chorus in integro relinquatur, Ecclesia fœdabitur, quia demolitione amittet suam Benedictionem; sed Chorus non contaminabitur, quia nullam patiur mutationem, & in hoc casu mutatio unica causa est Pollutionis; itaque videmus quotidiè Officium in Choto continuari, dum prior pars Ecclesiæ partim diruta reædificatur.

Non potest objici qnod, in Ritu Reconciliationis Ecclesiæ qui legitur *in Pontificali*, Altare expressè Ecclesiæ jungatur, ita ut iisdem precibus, quibus petitur Reconciliatio & Ecclesiæ munditia, purgatio quoque & Reconciliatio Altaris exposcatur: Hæc demonstrant verba *Litaniarum p. 403.* „Ut hanc Ecclesiam & Altare hoc purgare & reconciliare digneris: ut hanc Ecclesiam & Altare hoc purgare, reconciliare, & sanctificare digneris: ut hanc Ecclesiam, & Alcare hoc purgare, reconciliare, sanctificare, & consecrare digueris„. Nam hæc forma Reconciliationis directa est propter casum, in quo tota Ecclesia cum Cœmeterio contiguo coinquinatur, & pco prudentia Reconciliationem operantis omittitur, quod non pectinet ad casum, quo datur huic Ceremoniæ locus.

Quod si objiciatur, interdicta Ecclesia, Altare quoque interdici, & quidem aras Sacellorum, *Cap. 16. De Sentent. Excommun. in 6.* & idem esse debere de casu, in quo Ecclesia contaminatur, qnia Pollutione aliquo modo Ecclesia interdicta redditur, Objectionem retorquere licet; nam in re odiosa, qualis est Pollutio, ratiocinium *à pari* non benè accipitur; itaque concludendum non est, Pollutionem Ecclesiæ ad Altare pervadere, ex eo quod Altare sic interdictum, cùm Ecclesia interdicitur.

QUÆSTIO XXXIX.

An Altare amittat suam Consecrationem, cùm amovetur à loco in quo fuit consecratum, & posito quod illam perdat, jacturamne facit Ecclesia ejusdem?

IVO CARNOTENS. *Lit. 72. & 80.* expressè dicit Altare suam amittere Consecrationem, cùm à loco eximitur. Divus ANSELM. Archiepiscopus *Cantuarensis* idem asserit in sua *tertia Epist. Conc.* TOM. X. *p.* 737. Hic citat Decretum EUGENII, declarans consecrandum esse de novo Altare è loco suo amotum: Alter citat Canonem quem attribuit *Conc.* MELD. ad exemplum BURCHARD. qui clarè supponit talem mutationem tollere Consecrationem ab Altari: Ratio illorum Autorum est, quod Altare debet esse immobile, tanquam

tanquam fides cujus est figura, cùm sit fundamentum Ecclesiæ materialis, ut fides ædificii spiritualis est stabilimentum.

Idem Divus Anselmos refert in eodem loco, quod cùm locutus fuerit de hac Quæstione cum Papa Urbano II. coram nonnullis Episcopis, ille dixerit mensam Altaris separatam à pede, neque debere reconciliari, neque denuò consecrati, neque reputari ut Altare. Sed hoc testimonium nihil facit ad materiam Quæstionis, quæ pertinet tantùm ad casum in quo Altare eximitur è loco in quo consecratum fuit; sed spectat ad casum Altarium portatilium alligatorum pedi ex quo non possunt dissolvi, quin amittant suam Consecrationem; hoc sic intelligit Ivo Carnotensis *in Literis citatis*.

Quoad alteram Quæstionis partem, uterque Autor existimat, Altare cùm perdiderit suam Consecrationem, Ecclesiam quoque suam Consecrationem amittere; cujus rationem afferens Divus Anselmus, asserit illud fieri, quia Altare est quod in Ecclesia majus apparet, cùm Ecclesia sit constructa propter Altare, *undè sequitur*, inquit, *quod Ecclesia quæ est accessorium, debet sequi conditionem Altaris, quod est gravioris momenti*, & addit quod in hoc Capite omnes, quotquot sunt, Theologi & Canonistæ consentiant. *In hoc autem omnes concordant, quod violato principali, tota Ecclesia cum Altari iterùm consecranda est.* Et inferiùs, *Altare non fit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter Altare, & ideò violato principali Altari, jam non videtur esse Ecclesia, quia non est illud propter quod Ecclesia constituitur & consecratur.* Hæc Epistola mittitur Abbati Guillelmo; verisimile est eumdem esse ac illum ad quem Ivo scribit eadem de re *Epist.* 80. *citatam*, & hoc posito erat Abbas Fiscanensis, nam ita decoratur ab Ivone: uterque loquens per transennam de Altaribus portatilibus, censet non illa esse consecranda, nisi fulcro alicui adhæreant. Divus Anselmus testatur hoc ita communiter fieri, cùm vidisset nonnulla consecrata sine pede in Normannia, qui usus jamdiu desiit, cum Lapides sacrati qui Altaribus portatilibus successerunt, soleant à pluribus Sæculis sine pede consecrari.

Quæstio XL.

An Ecclesia cujus tectum mutatum est, & muri tali modo inducti, ut indicia Consecrationis non ampliùs appareant, & quæ prolata productaque est toto Choro, amittat suam Consecrationem? &, posito quod illam perdat, licebitne continuare anniversarium hujus Dedicationis, donec denuò consecretur?

Respondetur posse resolvi primam hujus Quæstionis partem, aut antiquis Canonibus, aut Decretalibus: Quod si decidatur secundùm Veteres Canones, procul dubio talis Ecclesia suam perdit Consecrationem; nam *Cap.* 11. Lib. III. Burchardi. *Cap.* 13. 3æ. *partis* Ivonis Carnotensis. Cap. 19. Dist. I. *De Cons.* quæ depromuntur ex Epistola attributa Papæ Higino, expressè asserunt quod, si Altare cujusdam Ecclesiæ consecratæ à loco amoveatur, Ecclesia de novo consecranda est, & non potest Ecclesia produci toto Choro, quin Altare è loco detrahatur. Quod si objiciatur Epistolam ex qua hæc Capita depromuntur esse falsam, atque ita nullam autoritatem habere; locus est respondendi quod reverà non possit probari his Capitibus, à tempore Papæ Higini hæc quæ præscribunt usurpata fuisse; sed solùm quod hoc in usu fuerit Sæculis in quibus hæc Epistola apparuit, nempe 8°. scilicet aut 9°. & in Sæculis Burchardi, Ivonis Carnotensis, & Gratiani qui illam in suis Collectionibus inseruerunt, propter autoritatem quam babebat ex seipsa, posito quod veram ipsam putarent, aut illam quam sibi serie temporis comparaverat, posito quod falsam illam haberent; quod potest confirmari hac reflectione, quod nimirùm hi Autores compilationem suam non fecerunt, nisi ut Canones à se collecti & non servati observarentur, vel cùm jam servarentur noti essent.

Est alia responsio facienda objectioni propositæ; quod nimirùm Alexander III. Cap. 1. *De Consecr.* Lib. III. *Tit.* 40. agnoscit nonnullos Canones insinuare, Ecclesiam iterùm consecrandam, cùm Altare è loco detrahitur, nec illos rejicit tanquam autoritate legitima carentes; & aliundè credibile est hos Canones nihil aliud esse quàm Capita citata; nam nulli alii videntur in Collectionibus Canonum.

Quod si decidatur hæc Quæstio juxta Decretales, sunt in ea nonnullæ difficultates; sed locus est existimandi Ecclesiam de qua agitur suam amittere Consecrationem; non propter mutationem in tecto factam, nam Innocent. III. *in* Cap. 6. *Tituli citati* expressè dicit hoc non sufficere; non quia inducti sunt muri, & notæ Consecrationis aut indicia non apparent, nam juxta idem Caput satis est si muri in integro remaneant, ut Consecratio quoque constet, & secundùm D. Sambovium Tom. II. *p.* 239. 241. res consecrata talis manet, quamvis perdat suæ Consecrationis indicia; sed potiùs propter illa quæ huic Ecclesiæ addita sunt. Fundamentum hujus opinionis est, 1°. posse Ecclesiam toto suo Presbyterio extendi, quin destruatur aliquis ex hujus muris qui erat una ex ejus partibus; at juxta *Cap.* 6. *De. Consecr.* Ecclesia suam amittit Consecrationem, cum parietes non manent in integro. 2°. Eadem ratio quæ adduxit ad credendum olim, mutationem majoris Altaris suam ab Ecclesia tollere Consecrationem, videtur requirere Ecclesiam à toto Choro auctam, suam perdere Consecrationem; nam hæc ratio nihil aliud est, nisi quod majus Altare reputabatur tanquam pars Ecclesiæ principalior, & aliundè Chorus hujus est pars magis præcipua, non solùm in opinione quæ habetur de illa, sed etiam in effectu. Et revera 3°. Famosus Canonista à Domino Sambovio relatus Tom. II. *p.* 239. credit quod, si mutetur forma Altaris consecrati, ab eo tollitur ejus Consecratio, & quod fractura enormis, qua Altaris cessat Consecratio, ea est quæ formam mutat. Si autem hoc ita sit, par est ut extensio de qua agitur, formam Ecclesiæ mutans, faciat ut amittat Ecclesia suam Consecrationem. 4°. Si Ecclesia cui additur pars, quæ dicitur Chorus, maneat consecrata, aut tota est consecrata, & tunc oportet ut communicet suam Consecrationem Choro adjecto, quemadmodum liquor Benedictus communicat suam Benedictionem liquori ipsi adjuncto, quod non potest asseri propter disparitatem quæ est inter utrumque casum, cùm duo liquores mixti confundantur secum invicem, nova autem pars Ecclesiæ de quâ fit mentio, ab antiqua semper distinguitur, & idem est de hac parte ac de illa quæ adjiceretur Altari consecrato quam nullus dicet hoc modo fieri consecratam; aut non est consecrata per respectum ad Chorum, & hoc esset tàm absurdum, quàm Calix dimidia parte consecratus. Unum verbum dicendum quoad secundam Quæstionis propositæ partem, nimirùm quod videtur idem esse aliquo modo de anniversario Ecclesiæ quæ suam amisit Consecrationem, ac de memoria Sacræ inunctionis Episcopi qui perdidit effectus suæ Consecrationis, aut morte naturali aut civili, aut depositione; credendum autem est quod, si adhuc celebraretur memoria inaugurationis Episcoporum, non celebraretur in casu de quo mox locutus sum, quia reputaretur Consecratio hujus Episcopi, tanquam res quæ non subsisteret. Videtur igitur ob eandem rationem non convenire ut continuetur anniversarium Ecclesiæ de qua agitur in hac suppositione, coleretur res quæ nullo modo existeret, nempè Consecratio non ampliùs subsistens.

Quæs-

QUÆSTIO XLI.

Si Episcopus declaratus Excommunicatus Ecclesiam benedicat, aut Cœmeterium, fiuntne ambo polluta hac Benedictione?

Synodus LINGONENSIS *ann.* 1404. in BOCHELLO DECR. *Eccles. Gall.* LIB. III. *Tit.* 19. *Cap.* 30. ponit, Benedictionem Ecclesiæ aut Cæmeterii ab Episcopo publicè excommunicato, inter crimina quibus polluuntur Ecclesiæ & Cœmeteria, & ad hoc citat Cardinalem OSTIENSEM, qui sententiam suam fundat ratiocinio non accipiendo: hoc assumit ex eo quod Ecclesia aut Cœmeterium, in quo excommunicatus sepelitur fit pollutum; undè concludit, quod à fortiori Benedictio eorumdem locorum facta ab excommunicato debet ea contaminare: Hæc consequentia non est justa, quia agitur de re quæ pendet ab Ecclesiæ voluntate, quæ potest noluisse, ut hæc loca polluerentur tali actione. Sed fortè hic Cardinalis nihil aliud asserit, nisi quod hæc loca manent profana, quia benedictio facta ab Excommunicato non tolerato nulla est, cùm Ecclesia omnem potestatem quam ex ipsa tenet ab illo auferat. Et quidem verisimile est hunc esse sensum ejusdem Cardinalis; nam locus non benedictus fieri pollutus nequit Benedictione illicita quæ hujus fit, nisi manens profanus, ut erat antea; cùm propriè loquendo, Pollutio non sit hic aliud quàm suspensio effectus benedictionis validæ.

QUÆSTIO XLII.

An Prælati Regulares exempti possint ipsi reconciliare, aut aliis Religiosis facultatem dare reconciliandi Ecclesias Regulares sui Ordinis, cùm pollutæ fiunt, postquam benedictæ solùm fuerint à simplicibus Sacerdotibus?

Extant Autores qui Benedictionem Ecclesiarum ab Episcopo factam majori in pretio habentes, quàm earumdem factam à simplicibus Sacerdotibus Benedictionem, contendunt, si Ecclesiæ Religiosorum exemptorum pollutæ fiant, postquàm ab Episcopo benedictæ fuerint, tunc Reconciliationem ab Episcopo faciendam esse aut ejusdem autoritate; si autem Ecclesiæ tantùm fuerint à Sacerdotibus benedictæ, asseruot posse easdem à Religiosis reconciliari sine Episcopi jussu, posito quod eveniat aliquis pollutionis casus. Fundantur profectò in eo quod credant injuriam Benedictioni illatam Episcopali Pollutionis causa gravioris esse momenti, quàm illam quæ eadem infert Pollutio Benedictioni Presbyterali, & ita Reconciliationem quæ est hujus injuriæ reparatio in hoc casu designandam esse dignitati superiori præ dignitate Sacerdotali. Sed quælibet sit hujus distinctionis ratio, illa non videtur apta; Benedictio enim Ecclesiarum à simplicibus Presbyteris facta, non minùs valet, quàm ab Episcopis facta fuit; sive spectetur in se ipsa, quia eadem omninò est, siquidem fit cum iisdem precibus. *Vit.* BURDIGALENS. *p.* 379. *usque ad* 377. sive consideretur in autoritate per quam fit, quia in nullo casu, nisi autoritate Episcopi, fieri debet; hoc autem supponitur in *loco citato*, & *Articulus* 29. *Edicti circa Regulares ann.* 1625. 1635. 1645. hoc expressè declarat, dicendo nunquam licere Religiosis, ut Ecclesias reconcilient: Hæc Decisio confirmata est autoritatibus citatis in QUÆST. XII. nam probant Reconciliationem Ecclesiarum pollutarum posse fieri à simplicibus Sacerdotibus per commissionem, nulla habita ratione distinctionis earum, in quibus benedictæ fuerunt ab Episcopis, ab illis in quibus Benedictio facta fuit à simplicibus Presbyteris.

TRACTATUS DE LOCIS SACRIS.

SECTIO III.

Quæstiones quoad Profanationem Juridicam Ecclesiarum.

Quartum *Concil.* MEDIOLAN. judicavit tàm gravis esse momenti materiam Profanationis Juridicæ Ecclesiarum, ut de ea scripserit Capitulum integrum, & pro hujus affinitate cum materia Benedictionis & Consecrationis, ponit quæ habet dicenda de hac profanatione immediatè post ea quæ dixit quoad Benedictionem & Consecrationem Ecclesiarum. CONC. TOM. XV. *p.* 436. Ad imitationem hujus Concilii disseram privatim de Juridica Profanatione Ecclesiarum, & illud faciam postquam locutus fuero de iis quæ spectant ad Benedictionem & Consecrationem earumdem Ecclesiarum: Juridica dicitur, quia autoritate legitima, justa de causa, ac præscripta forma, fieri debet. Explanando materiam, immorabor in examinandis causis requisitis ad hoc ut Ecclesiæ profanentur; ad quem spectet ordinare Profanationem; à quo possit fieri; quomodo oporteat ut fiat; an ad Cœmeteria extendi debeat, quod dictum fuerit de Profanatione Ecclesiarum.

QUÆSTIO I.

Quænam rationes exigant, ut Ecclesia quædam profanentur.

Potest evenire 1°. ut Monasteria Religiosarum quæ sunt in pleno campo, transferantur in urbes, & quas haberent Ecclesias, inutiles illæ fierent, & in hoc casu justa est causa cur profanentur; cessante enim necessitate qua consecratæ fuerant, Consecratio, seu ejus effectus, cessare debet. *Concil.* TRID. SESS. XXV. *De Regul.* Cap 5.

Potest adhuc accidere 2o. ut Incolæ pagorum sitorum in locis sublimibus, descendentes in planitiem, & in ea ædificantes novos vicos, veteres imposterùm derelinquantur, & idem sit de eorum Ecclesiis, quia sunt nimium distantes, & non est undè sustineantur. *Concil.* TOLOS. *ann.* 1590. *Part.* 3. *n.* 29.

3°. Si quis pagus aut quæ Civitas mereatur pro sua rebellione ut radatur, & demolitio hujus integra ordinetur, tunc Ecclesiæ Civitatis hujus sortem sequuntur, & necessè est ut profanentur antequàm diruantur.

4°. Reperiuntur aliquando Ecclesiæ quarum demolitio necessaria est, necnon & Sacella ejusdem generis, idque ad urbis decus atque ornamentum, aut ad prævertendum abusum, quem adversarii possunt de illis facere, posito quod Urbs obsidenda foret. *Verb. gr.* si quæ Ecclesia in medio plateæ constructa sit quam necesse est amplificari, aut in extremo alterius quam par est protrahi, aut in elevatione quæ dominatur Urbi cui imminet obsidio sit quædam Ecclesia ex qua hostis urbem oppugnare posset tutus ab ictibus; in omnibus his casibus, publicum bonum postulat ut istæ Ecclesiæ, hæcvè Sacella evertantur, atque ideò ante destructionem profanentur.

5o. Si Capitulum Sæculare aut Regulare, si Monasterium Hominum aut Mulierum incidat in dissolutiones, quæ exigant ut radantur; ut memoria imposterùm illorum oblivione deleatur & in perpetuo horrore sit, posito quod supersit adhuc ex illis aliquod vestigium; quovis autem hæ casu dirruendæ sunt Ecclesiæ & priùs profanandæ.

6o. Si Ecclesia jamjam lapsura, propter vetustatem aut infirmitatem ipsius fundamentorum, nec possit impediri ne cadat nisi eam diruendo, tunc justa causa Profanationis sicut & eversionis.

In omnibus his casibus qui non rarò eveniunt, justa est causa cur profanentur Ecclesiæ.

7o. Si magnæ cùm fuerint eversæ Ecclesiæ, aut injuriâ temporis aut hostium violentiâ aut igne, non

non sint funda seu facultates è quibus reædificentur, sive quia possessorea illarum Ecclesiarum non sunt satis divites, & est idem de Incolis locorum. *Conc.* Tolosan. *ann.* 1590. *Part.* 3. *C.* 1. *n.*29. hinc ergo patet quàm necessaria propositæ Quæstionis examinatio.

Quæstio II.

Cujus Autoritate fieri debeat Profanatio Juridica Ecclesiarum.

Idem est de profanatione Juridica Ecclesiarum, ac de Benedictione & Consecratione earumdem, quoad Authoritatem qua debent fieri; nam Profanatione, de qua agitur, juridicè tollitur sua Ecclesiia Benedictio & Consecratio; & multæ Juris Regulæ docent spectare ad eandem Autoritatem ut ædificet & destruat, plantet & evellat, det & auferat: Revera legitur *in Cap.* 10. *De Regul. Juris*, res iisdem causis dissolvi, quibus formantur: *Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur:* Multi Canones docent, quod *Ejus est solvere cujus est ligare; Ejus est destitutio cujus est institutio*, quod solvere & ligare, destituere & instituere, ad eandem spectent Autoritatem: Itaque, ut authoritate Episcoporum Ecclesiæ benedicuntur, aut sacrantur; par est ut virtute ejusdem authoritatis profanentur; quare si agitur de Ecclesiis subjectia Jurisdictioni Episcopi Diœcesani, tales autem sunt plerumque omnes Diœcesis Ecclesiæ, debet intervenire Authoritas Episcopi Diœcesani ad Ecclesiarum Profanationem, atque ideò oportet ut statuatur ab Episcopo, aut ab ejus Vicario Generali. Quod si Ecclesiæ profanandæ sint in territorio Prælatorum Jurisdictionem quasi Episcopalem habentium, videtur tunc Profanatio fieri debere authoritate illorum Prælatorum, quia habentur quasi Episcopi harum Ecclesiarum, sicut & aliarum ejusdem territorii; quare Concilium Mediolan. *Part.* 12. *Cap.* 20. supponit ad Episcopum pertinere, ut ordinet,& statuat de Profanatione; & cùm loquitur inferiùs de modo quo debeat fieri, videbimus esse aliquas Ceremonias quæ requirant Autoritatem Episcopi; talis est imprimis translatio Requiarum Altaris, & aliæ quæ possunt occurrere in Ecclesiis quæ sunt profanandæ: Super eadem principia *Concil.* Tolosan. 1590. *part.* 3. *Cap.* 1. *n.* 38. vetat expressè ne suscipiatur Profanatio alicujus Ecclesiæ, Cæmeterii aut alterius loci Domino consecrati, sine jussu Episcopi: *Ecclesiarum, Cæmeteriorum, sacrorumque aliorum Locorum profanationes, & injussu Episcopi non tentanda.* Synodus Exoniensis *an.* 1287. *Cap.* 9. declarat, juxta Constitutiones Canonicas ad Episcopum spectare ut decernat demolitionem Ecclesiarom. Quod dictum est hanc Profanationem fieri posse à simplici Sacerdote, id supponit *Cit.* Conc. IV. Mediolan.

Quæstio III.

Debetne Episcopus per se ipsum facere Profanationem? potestne illam simplici Sacerdoti committere?

Posset existimari idem esse de Profanatione Ecclesiarum consecratarum, ac de earumdem Consecratione, & unam non minùs esse Episcopalem, quàm alteram,& possent ad has applicari Regulæ citatæ circa quæstionem præcedentem;sed hæc cogitatio non esset apta, quia præterquàm quod in Profanatione, nulla fit Unctio ebrismalis facienda quæ mereatur ut hæc Functio Episcopo reservetur;agitur de rebus quæ ab hominum voluntate pendent, & nulla lex Episcopo reservat functionem Profanationis Ecclesiarum. Itaque *Concilium* Mediolanense IV. *part.* 1. *Cap.* 20. supponit Episcopum posse aliquem committere qui profanet Ecclesias; nam præscribit quid Sacerdoti faciendum sit ad hoc designato: *Deinde Ecclesia Altaria per Sacerdotem, cui Episcopus Profanationis facultatem scripto exaratam nominatim dederit, hac Ceremonia amovebit.*

Objici posset dictum Innocentii III. *Cap.* 2. *De Translat.* nempè spiritualia difficiliùs destrui quàm construi; indeque inferri quod si à solo Episcopo Ecclesia consecrari possit, ab eo solo profananda sit. Sed non est usquequaque verum; nam depositio Presbiteri Diaconi fieri potest ab Officiali qui est simplex Sacerdos; & eollatio illorum Ordinum effici nequit, nisi ab Episcopo; at profanatio Juridica Ecclesiarum est velut quædam illarum depositio.

Quæstio IV.

Quomodo Ecclesiarum Profanatio facienda sit? Quæstio hac in duas partes seorsim explicandas dividetur.

§. I.

Quid sit agendum ante Profanationem Ecclesiarum.

Si sint Reliquiæ in Ecclesiis profanandæ, par est ut aliquot diebus ante Profanationem, earum fiat verificatio, & posteà transferantur in Ecclesiam in quam Episcopus qui eas agnoverit, translationem designaverit: Clerus, & populus loci in quo debet fieri, nec non & vicini debent adesse processioni translationis: *Primò, si quæ sacræ Reliquiæ, corporave Sanctorum in eâ recondantur, aliquot ante Profanationem diebus, diligenter recognita, ad Ecclesiam in quam Episcopo transferri placuerit, ritè ex præscriptâ ratione transferantur: ad quam Sacrarum Reliquiarum translationem, illius viciniæ Ecclesiæque Clericus imprimis conveniat, in quam deferuntur, convocato etiam præsertim ejusdem viciniæ populo. Concil.* Maiolan. IV. *ann.* 1576. *part.* 1. *Cap.* 20.

Si sint imagines iisdem in Ecclesiis, transferendæ sunt in illas in quas transferentur Reliquiæ, aut in alias si Episcopo placuerit, sacræ etiam Imagines eò transferantur.

Sed ante omnia, operæ pretium esset ut Promotor Profanationem requireret, & in suâ supplicatione exponeret omnes rationes illam requirendi, & ut perveniretur ad hanc Profanationem Episcopus aut Officialis statueret ut Ecclesia visitaretur, ut post visum locum & situm ejusdem, decernatur quod est rationabile; ratio hujus est, quia Profanatio Ecclesiarum est res magni & gravis momenti, & non facienda, nisi cognitis causis.

§. II.

Quid sit agendum per Profanationem.

Duo sunt præcipuè facienda; alterum pertinet ad Altaria consecrata Ecclesiarum profanandarum; alterum corpora sepulta in iisdem Ecclesiis. Quoad aras, Delegatus cùm volet eas profanare, flectere prope easdem Aras genua debet, & aliquas recitare Orationes vocibus submissis, & in primis, Pater, Ave, Orationem sancti Titularis: *Deinde par est ut Altaria disco operiat ex omni parte, eorum lapidem consecratum tollat, ita ut illum non frangat, & illam sublatum lavet, & aquam projiciat in piscinam, seu Sacrarium; quo facto, quod superest de Altaribus demoliendum ab Architectis relinquet: Primum aliquantisper genibus ad Altare profanandum flexis, tacitè orans Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Orationem de Sancto dicat, cujus nomini Altare illud dicatum est, tùm ubi oraverit, ab omni parte detegat: Lapidem consecratum ita aptè evellat, ut ne confringat. Tum manibus suis lavet atque abstergat; deinde aquam ad sacrarium effundat... tùm reliqua Altaris pars ab operariis amoveatur.*

Quoad corpora in Ecclesiis profanandis humata, ea sunt facienda: Episcopus cùm elegit Operarios qui debent collocari, ut ossa illorum corporum exhumentur, debent incipere executionem jussi, uno post Profanationem Altarium die,& Sacerdos Deputatus debet esse præsens, & antequàm incipiatur, recitat Oratio-

nes

nes similes illis de quibus locuti sumus, ossa exhumata debent in eodem loco collocari, & in hunc transferri procedentibus Clero & populo vicino, cum solitis Orationibus pro defunctis, & cùm illa reposita fuerint in eodem loco, par est ut celebretur Officium in memoriam defunctorum, quorum hæc sunt. Præterea alio post amotionem die, per homines quos Episcopus adhibere voluerit, fidelium ossa exhumentur; unoque loco collecta reponantur præsente eodem Sacerdote: qui antequam exhumationis initium fiat, tacitus item ut supra ad Altare majus precetur, cum processione Cleri & populi viciniæ, infra cujus fines Ecclesia profanata est, ossa efferentur ad locum ubi reponenda sunt; dumque efferuntur ut pro mortuis fit, precum Officium dicatur, tùm in Ecclesiæ loco ubi reponentur viciniori, pro mortuis itidem Missæ Sacrificium fiat.

Sequitur ex decisione Quæstionis propositæ, falsum esse Ecclesiam profanari, statim atque Altare è loco principali amovetur, cùm jam viderimus præterea esse adhuc exhumanda ossa corporum fidelium, qui in eo sepulta fuerunt; sed ut evenire potest, quod agatur de Ecclesia ubi nullum unquam corpus humatum fuerit mortuum, necesse erit ut inferiùs discutiamus, an saltem non certò constet, ad hoc ut Ecclesiæ profanentur, in quibus nullus unquam sepultus fuerit, sufficere, ut principale Altare ab eisdem amoveatur è loco.

QUÆSTIO V.

Quid faciendum sit post Ecclesiarum Profanationem.

Si quas Reliquias invenerit Deputatus Sacerdos in lapide Altaris, debet de hoc Episcopum monere, ut reponantur jussu ipsius, utque transferantur in Ecclesiam ad hoc electam ab Episcopo. Lapide ita amoto diligenter, religioséque, perspiciat, si quæ Sacræ Reliquiæ insunt, quas inventas certo, honestoque loculo clausas, atque obsignatas asservet, & ubi Episcopo denuntiarit, in Ecclesia ubi Translatio fit, ad Episcopi præscriptum recondendas & asservandas tradat. Ecclesiis ita pollutis atque eversis & ad usus profanos destinatis, aliquod signum imponendum est, quod non possit facilè auferri. *In Ecclesiis autem dirutis ad usumque profanum conversis, crucis insigne* figatur, ex *Conc* TRID. *Sanctione*, Cap. 7. SESS. XXI. quod signum facilè amoveri non queat, *Conc.* MEDIOL. IV. *ann.* 1576. *Part.* 1. *Cap.* 20. Quod dicitur ibi de cruce figenda in loco in quo erat Ecclesia profanata, legitur etiam in *Conc.* TOLOSANO. *ann.* 1590. *Part.* 3. Cap. 1. *n.* 28. & 29. Idem Concilium in *numero* 28 designat adhuc unum esse agendum post Profanationem, quod est ut transferantur ad aliam Ecclesiam fundationes cum reditibus ejusdem Ecclesiæ præfatæ, sin minùs ad viciniores transferantur. Idem fermè videtur in *Conc.* MEDIOL. IV. *an* 1576. *Part.* 1. *Cap.* 12. nam quod in eo asserit de Translatione onerum Altarium profanatorum, ad alia cum emolumentis potest extendi ad Ecclesias profanatas. Hæc autem Translatio ideò necessaria, quod fundationes semper servandæ sint, quoad fieri potest.

QUÆST. VI.

Suntne aliqui casus in quibus profanandum sit aliquod Altare sine Ecclesia Profanatione, & posito quod nonnulli sint, quomodo fiat his in occasionibus Altaris Profanatio?

Concil. MEDIOLAN. IV. *ann.* 1576. *Part.* 1. Cap. 20. supponit hunc casum evenire posse, & statuit ut tunc profanetur Altare eodem modo quo profanatur conjunctim cum Ecclesia. „ Altaris item unius, „ quod sine Ecclesia profanandum est, ratio, ut suprà „ de Altaribus in Ecclesia profanandis, præscripta servetur „. Idem Concilium in *Cap.* 12. *ejusdem partis*, multos casus animadvertit in quibus locus est Profanationi Altarium, nec tamen necessè est ut profanentur Ecclesiæ; hi sunt in quibus Altaria constructa fuerunt prope Pulpitum, aut organum, aut fulcrum, aut columnam, aut adversus principale Altare; aut sunt januæ proximiora, aut alio in aliquo loco quem Episcopus incommodum aut periculosum censebit: *Altaria omnia amoveantur, quæ prope suggestum, aut organum extructa sunt, aut columnæ pilæve hærentia, aut adversa Altari majori, aut Ecclesiæ januis nimis propinquo, aut alio quavis ratione incommodo, aut periculoso Episcopi judicio sunt. Cap.* 12. *supra cit.*

QUÆSTIO VII.

An Ecclesiæ in quibus nulla unquam fuit mortuorum Sepultura, sufficienter polluantur, profanenturque amovendo lapidem Altaris è suo loco?

Nonnullis Canonibus illud affirmativè resolvi videtur; talis est *Can.* 19. *De Cons.* DIST. I. His innixi Canonibus IVO CARNOTENSIS & ANSELMUS Cantuariensis, docent Ecclesiam profanari, si Altare è loco auferatur; alter in suis *Epist.* 72. & 80. hunc Canonem affert tanquam sententiæ suæ fundamentum; alter eodem modo agit in sua *Epistola* ad Abbatem Guillelmum missa, & suam hoc ratiocinio sententiam confirmat; *Altare est quid ipsa Ecclesia majus propter Altare Ecclesia construitur, & non propter Ecclesiam Altare; par est igitur ut Ecclesia Altaris sortem sequatur, atque adeò profanetur cum Altari profanato; illud autem cùm polluatur ubi primùm lapis qui est suprà è locò amovetur, oportet ut Ecclesia quoque profanetur*: Eo casu non refero propria illorum Autorum verba, quia opinionem illorum nullus sequitur, eò quòd iste Canon ab IVONE CARNOTENSI citatus, abrogatus fuit ab ALEXAND. III. Cap. 1. *De Cons. Eccles.* Propria hujus Papæ verba supra recensita fuerunt in QUÆST. XXXVII. Satis erit si annotetur Canonem, qui asseruit Ecclesiam pollui, cùm Altare è loco aufertur, citari ab IVONE CARNOTENSI, ut spectantem ad *Concil.* MELDENSE *Cap.* 5. ipsumque IVONEM subjungere se eundem depromere ex Collectionibus BURCHARDI; & in hoc Autore LIB. III. *Cap.* 11. Hic Canon attribuitur Papæ HIGINO; præterea ipse Ivo in sua Collectione *Part.* 3. *Cap.* 13. eumdem affert Canonem nomine Decreti Papæ HIGINI; hæc duo aut tria criticæ verba ignoscenda mihi velim, ita oblata sunt, ut ea non potuerim prætermittere.

QUÆSTIO VIII.

Profanenturne Altaria portatilia eodem modo quo alia Altaria?

Cùm suprà differerem QUÆST. V. de modo quo Ecclesiæ polluuntur, observavi quatuor esse facienda circa Altaria quæ destinantur profananda unà cum Ecclesiis quibus adhærent: Primum, ut solvantur à pede & ab Ecclesiis quibus alligantur cum pede: Secundum est ut laventur, quò tollatur eorumdem unctio: Tertium est, ut projiciatur ablutio in piscinam: Quartum est, ut & iis Reliquiæ detrahantur. Ex his quatuor sunt tria etiam adhibenda, quoad Altaria portatilia, cùm ea Episcopus, aut ab eo delegatus polluere intendunt; cùm in hoc nulla justa ratione possit discrimen afferri, inter portatilia aliaque Altaria; quia cùm ea consecrantur, imponuntur in eisdem Reliquiæ, & adhibetur unctio eodem modo quo utrumque eorum fit in Consecratione aliorum: Hæc tria continent secundum, tertium, & quartum. Quoad primum, quemadmodum Altaria portatilia nulli Ecclesiæ addicuntur, & illud nomen desumpserunt à facilitate quæ datur ea portandi ubicunque necesse est, nullo modo potest illud ipsis convenire

mantio fit de Consecratione Altarium portatilium in *Pontificali p.* 32. & per adjunctas in en Ceremonias videtur, quænam sint in Profanatione adhibendæ; in hoc enim de Profanatione idem est quoad Consecrationem, ac de Depositione quoad Ordinationem; & quemadmodum in Depositione fit contrarium eorum quæ facta sunt in Ordinatione, tollendo ab illo qui deponitur omnia quæ in sua Ordinatione accepit, videlicet instrumenta Unctionis, Vestes; ita pariter ex Altaribus profanandis amoventur ea quæ in iis posita fuerunt tempore Consecrationis, scilicet Reliquiæ & Unctio.

TITULUS XVI.

De Xenodochiis & Hospitalibus.

SECTIO I.

Xenodochia & Hospitalia omnia ei duntaxat usui esse applicanda ad quem sunt ex sua fundatione instituta, & ad pauperum vel infirmorum utilitatem.

I. Statuit Hospitalia reformari per Collatores ipsorum & Cogirectores eorum, ad Conservationem locorum, & suorum Jurium, & ad Hospitalitatem tenendam. *Concil.* Meldense *anno* 845. *Cap.* 40. Tom. VII. *Conc. p.* 1832. *Conc.* Regiaticinum *anno* 850. *Cap.* 15. *ibid.* Tom. VIII. *Conc. p.* 67. Prius meminit Hospitalium quæ sub defensione Ecclesiæ erant, & implorat opem Principis contra negligentes illorum curam. Posterius meminit illorum quæ posita erant sub defensione Principum, & admonet delinquentes in illa Judiciorum Dei.

II. Quia contingit interdum quod Xenodochiorum, Leprosariarum, Eleemosynariarum seu Hospitalium Rectores, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res, & Jura ipsorum interdum ab Occupatorum & Usurpatorum manibus excutere negligunt; quinimo ea collabi & deperdi, domos & ædificia ruinis deformari permittunt: & non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter convertentes; cùm tamen ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salvâ quidem Sedis Apostolicæ Autoritate, converti; Sancitum est ut hi ad quos id de Jure, vel Statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine præscriptâ legitimè, vel Privilegio Sedis Apostolicæ pertinet, loca ipsa studeant in prædictis omnibus salubriter reformari, ac occupata, deperdita, & alienata indebitè in statum reduci debitum faciant, & ad ipsarum miserabilium personarum receptionem, & sustentationem debitam, juxta facultates & proventus locorum ipsorum Rectores prædictos compellere non omittant. Clementina *Quia contingit. De Religiosis domibus. init.* Lib. III. Clement. *Tit,* 11. *Cap.* 2.

III. Si locus ad Hospitalitatis usum, & pauperum provisionem fuerit, sicut moris est, autoritate Pontificis destinatus, cùm sit Religiosus, non debet mundanis usibus deputari. *De Religiosis domibus. Cap. Ad hæc. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 4.

IV. Illis qui Hospitalia vulgò nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipuè instituta sunt, in Commendam, Administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita obtinent; vel si Ecclesiæ Parochiales Hospitalibus fortè unitæ, aut in Hospitalia erectæ, earumque Patronis in administrationem concessæ sint; præcipitur omninò ut impositum illis onus officiumve administrent, atque Hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant, juxta Constitutionem *Concil.* Viennensis quæ incipit *Quia contingit. Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. 2. *De Refor. Cap.* 8 *post. init.* Gonzalez *in Cap.* 3. 4. *De Relig. domib. n.* 2. refert nomina quæ cuique Hospitalium speciei Jus Civile vel usus dedit, de qua hîc *Conc.* Trid. aliisque ab illo omissis.

V. Quod si Hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco ubi sunt Hospitalia dicta, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur; mandatum est, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit. *Concil.* Trid. *ibid.* Agnoscit *Concil.* prædictam conversionem in casu necessitatis in alios usus pios ad Episcopum pertinere, eumque, quoad opus est, in jus suum restituit.

VI. Nisi aliter fortè, cùm in hunc eventum in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum; quo casu, quod ordinatum fuit observari curet Episcopus, aut si id non potest, ipse, prout supra, utiliter provideat. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Reform. Cap.* 8.

SECTIO II.

Clericos non debere ordinariè præfici administrationi Hospitalium, sed Laïcos; nulla mutatione facta erga Hospitalaria Religiosorum aut Militarium Ordinum.

I. Nullus ex locis Sæcularibus Clericis in Beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine, quæ reprobatur penitùs, hoc fuerit observatum; nisi in illorum fundatione secùs constitutum fuerit, seu per electionem sit de Rectore loci hujusmodi providendum. Clementina. II. *De Relig. dom. §.* 2. *init.* Lib. III. Clementina *Tit.* 11. Cap. 2.

II. Hospitalium gubernatio Viris providis, idoneis, & boni testimonii committatur, qui sciant, velint, & valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, & eorum proventus, & reditus, in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, & quos in usus alios bona prædicta convertere præsumptio verisimilis non existat; in quibus sub obtestatione Divini judicii, illorum ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientiæ onerantur. *ibid.* §. 2. *med.*

Si secùs à quoquam fuerit attentatum, Collationem, Provisionem, seu Ordinationem ipsam, carere decretum est omni robore firmitatis. *ibid. §.* 1. *fin.*

III. Illi quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad instar Tutorum & Curatorum juramentum præstare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, & Ordinariis seu aliis quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. *ibid.*

IV. Administratio seu Gubernatio hujusmodi locorum, uni & eidem personæ ultra triennium non committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Reform. Cap.* 8. *fin.*

V. Hospitalium debitores ad eorumdem bonorum administrationem non admittendi. *Constitutionum* Mediolan. *Tit.* 26. *art. ult.*

VI. Præmissa ad Hospitalia Militarium Ordinum, aut Religiosorum etiam aliorum extendi minimè debent; quorum in Hospitalium Rectoribus in sanctæ obedientiæ virtute mandatum est, ut in illis secundùm suorum Ordinum instituta, & antiquas observantias, providere pauperibus, & Hospitalitatem debitam in illis tenere procurent; ad quod per Superiores eorum arcta districtione cogantur; Statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in præmissis. Clementina II. *De Relig. domibus §.* 3. Lib. III. Clement. *Tit.* 11. *Cap.* 2.

SECTIO III.

Hospitalia conservare debere sua Privilegia, ut habeant Altaria, Cœmeteria, Presbyteros, imò & Parochos, si tenere consueverint.

I. Constitutum est ut ubicumque tot simul leprosi sub commuui vita fuerint congregati, quòd Ecclesiam cum Cœmeterio sibi construere, & proprio gaudere valeant Presbytero, sine contradictione aliquâ permittantur tenere: Caveant tamen ut injuriosi Veteribus Ecclesiis de Jure Parochiali nequaquam existant. *De Ecclesiis ædificandis* Cap. *Cùm dicat.* LIB. III. DECR. *Tit.* 48. *Cap.* 2.

II. Si quæ sint Hospitalia, Altare vel Altaria, & Cœmeterium, ab antiquo habentia & Presbyteros celebrantes, & Sacramenta Ecclesiastica pauperibus ministrantes; seu si Parochiales Rectores consueverint in illis exercere præmissa; antiqua consuetudo servetur, quoad exercenda & ministranda spiritualia supra dicta. CLEMENTI II. *De Relig. Domibus.* §. *ult.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 11. Cap. 2.

SECTIO IV.

Episcopos debere Hospitalium gubernationi invigilare, & ut ad eum usum ad quem sunt instituta, bona eorum applicentur.

I. De Xenodochiis, & aliis similibus locis per sollicitudinem Episcoporum in quorum Diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur. *De Relig. Domib.* Cap. 3. *De Xenodochiis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 3. GONZAL. notat desumi ex EUGEN. II. illumque integrum refert. Ex CALCED. *Concil.* Cap. 4. *ann.* 451. prout est in GRATIAN. *Cap.* 10. CAUS. XVIII. QUÆST. II. qui huic Canoni jungit *Canonem* 8. *ejusdem Concilii,* loquitur de ptotrophiis, quæ sunt loca ubi recipiuntur pauperes debiles. Vid. varias versiones *Can.* 4. in diversas illius Partes. *Correct. Rom.*

II. Clerici in ptotrophiis constituti, sub potestate sint ejus qui in ea est Civitate Episcopus, secundùm traditionem Sanctorum Patrum, nec per præsumptionem recedant à suo Episcopo. CAUS. XVIII. QUÆST. II. *Cap.* 10. *Quidam* §. 1. Quod de Clericis in Hospitalibus servientibus intelligendum est, ut de aliis. *Cap.* 8. *Concil.* CALCED. CONC. TOM. IV. *pag.* 760.

SECIO V.

Episcopos invigilare debere, ut bona Hospitalium ad pauperum usum applicentur; & quibus pœnis obnoxii sint Administratores, qui bona illa aliter impendunt?

I. Si hi ad quos dictorum locorum commissio pertinet, fortè commiserint negligentiam, & defectum, in reformandis Hospitalibus, & miserabilium Personarum receptione & sustentatione debita; Ordinariis locorum injunctum est, ut etiamsi pia loca prædicta exemptionis Privilegio munita consistant, per se ipsos, vel alios impleant omnia præmissa & singula, & Rectores eosdem, utique non exemptos, propriâ; exemptos verò & alios Privilegiatos, Apostolica ad id autoritate compellant. CLEMENT. II. *De Relig. Domib.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 11. Cap. 2. Iidem Ordinarii, cujuscumque contradictores status, aut conditionis existant, ac præbentes eisdem circa præmissa consilium, auxilium, vel favorem, per Censuram Ecclesiasticam & aliis Juris remediis compescant; nullum tamen per hoc exemptionibus seu Privilegiis ipsis, quoad alia, præjudicium generando. *Ibid.*

II. Curent Ordinarii, ut Hospitalia quæcumque à suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur, Constitutionis consilii, quæ incipit, *Quia contingit,* forma servata, quam Sancta Synodus TRIDENT. innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis. *Concil.* TRID. SESS. VII. *De Reformat.* Cap. 15.

III. Si omnes & singuli cujuscumque Ordinis & Religionis & Dignitatis, etiamsi Laici fuerint, qui Administrationem Hospitalium habent, non tamen Regularibus subjecti (ubi viget Regularis observantia) ab Ordinatio moniti Hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessariis, reipsa obire recusaverint; non solùm per Ecclesiasticas censuras & alia Juris remedia, ad id compelli possint; sed etiam Hospitalis ipsius Administratione curave perpetuò privari possint; aliique eorum loco, ab iis ad quos spectabit, substituantur. *Concil.* TRIDENT. SESS. XXV. DECR. II. *De Reformat.* Cap. 8.

IV. Et prædicti nihilominùs etiam ad fructuum restitutionem perceptorum, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Reformat.* Cap. 8. *fin.*

V. Cùm inter bonorum Episcoporum partes, hæc una enumeretur, ut sint Hospitales, & infirmorum per se, aut per alios, curam gerant; non incongruè *Concil.* VIENN. Canone statutum est, ut Episcopi videant, ne bona quæ ad sustentandam pauperum inopiam, & ægrotorum levandam miseriam, pietate hominum constituta sunt, alios in usus avertantur. *Constitutionum* MELODUN. *Tit.* 26. *Art.* 1.

SECTIO VI.

Observationes in relatos in hoc Titulo Canones.

I. Ex Collectis Textibus sub hoc Titulo patet 1°. Nihil frequentiùs commendari, quàm ut fundationes serventur, bonaque Hospitalium in usus destinatos insumantur. 2°. Curam Episcoporum præcipuam hanc esse, ideoque illa loca administranda potiùs per Laicos, quàm per Clericos, ne in Beneficia converrantur. 3°. Quotiescumque fundationes impleri non possunt, ad usus proximiores menti illarum applicandos reditus. 4°. Potiora jura in iis ad Episcopum pertinere; hinc Jus præsidendi Cœtibus, ordinandi quæ Cultum Divinum spectant, animarumque salutem. 5. Prædictos Textus desumptos potissimùm ex *Conc.* VIENN. apud Gallos recepto; ideoque cùm Decreta illius innovata sint à *Concilio* TRID. istius Decreta, quoad hoc, ibidem servati.

II His adjiciendum, illa quæ usum hodiernum respiciunt, extare in *Artic.* 29. *Edicti de Jurisdictione* Ecclesiastica *ann.* 1695. & in *Declaratione ann.* 1698. Hæc continet 23. *Articul.* circa Regimen Hospitalium, innovatque Dispositiones *Ordinationis Blesensis* de eadem re; utrumque minùs favet Vicario quàm Episcopo; cùm nedum Episcopum conserveut & manuteneant in Jure præsidendi, ubi illo potiebatur, sed etiam illum in eumdem honorem revocent, ubi illud amiserat: Declaratio verò secundam tantum sedem det Vicario. Ista restringitur ad nonnulla Hospitalia, de quibus initio & in fine mentionem facit.

III. Addendus insuper *Articulus* 61. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* „Papa non potest conferre, nec unire „Hospitalia aut Leprosarias hujus Regni; nec in his „locum habet Regula de pacificis„. Hunc confirmant REBUFF. in Commentario *hujus Art.* & GUIMER. *in* §. *Si autem de collationi.* ubi probat Hospitalia non comprehendi sub nomine Beneficiorum, & *cit.* CLEM. *Per Literas. De Præb.* quæ declarat illa non subjici Mandatis Apostolicis, nec decimis Papalibus; excipit Hospitalia conferri consueta Religiosis. CLEM. *citat.* sic se habet: „Per Literas à Sede Apostolica, „vel Legatis ipsius super provisione quorumlibet Cle„ricorum directas de Xenodochiis, Leprosariis, Elee„mosinariis, seu Hospitalibus (etiamsi Ecclesias vel „vel Capellas, decimas vel alia Spiritualia jura nos„cantur habere,) nulli posse decernimus provideri,

„nisi

„nisi hoc in litteris Apostolicis caveatur expresse „. Hæc exceptio non recipitur in Gallia, ut patet ex citato articulo, nisi ipsa fundatione; Hospitalia erecta fuerint in Beneficia, quia fundatorum Vota sunt implenda. Sunt qui alium casum adjiciunt, nempè Consuetudinis, vel præscriptionis legitimæ; sed hunc non agnoscit Blesmianus in sua *Theoria & Praxi Beneficiorum. Tit. De Xenodochiis:* quod certum si extet fundatio, & ipsa contraria sit.

Ob parem causam si fundator Hospitalis velit illud regi per Laicos, & Administratores eligi à Rectoribus Civitatis, ipsisque Hospitibus, à Parocho, quemadmodum & aliis Parochianis Sacramenta administrari; standum *§. Fundationi*, quo casu Hospitale, ut profanum habetur, etsi pius locus dici possit ob pietatis opera quæ in eo exercentur, nec subest Juridictioni Episcopi, quia non est locus Religiosus & Sacer; ideòque non comprehenditur sub *Titulo De Religiosis domibus*, qui alia loca non subjicit Episcopo, quàm Religiosa, nec alia de causa, quàm quia Religiosa; hinc hujusmodi Hospitale per Judices Sæculares visitari potest, ut agnoscit Fagnanus *in Cap. 4. De Religiosis.* & confirmat Decreto Congregationis Cardinalium. Prætereà idem Hospitale potest in habitaculum Sæculare converti, cùm destinatum non sit ad usum pauperum. *Cap. 4. De Relig. Domibus.* Idem Fagnanus *ibid.* Ubi fusè explicat casus, quibus Hospitalia subsunt Episcopo, & quibus non, datque pro Regula certa quod libera sint ab ejus autoritate, quæcumque sine illa instituta sunt, secus verò de illis quæ hac autoritate confirmata sunt. Alias addit Regulas, nempè, 1°. Hospitalia quæ non tenentur Episcopo rationem reddere, à Visitatione illius immunia esse, quia amplior est illius potestas in exigendis rationibus, quàm in visitando: 2°. Quod ab Episcopo non solùm exempta sunt, quæ immediatè subsunt Regibus, sed etiam quæ fundatio ab illius autoritate liberat, dummodo Episcopus illam confirmarit. 3°. Quod etsi omnis locus Sacer sit Religiosus, omnis tamen locus Religiosus non sit Sacer, quia ipsa cujusvis hominis sepulturâ fit Religiosus, non autem Sacer. Eamdem materiam tractat Fagnan. *in Cap. 3. eodem Titul.* ubi notandum hoc legitur, quod Hospitalia, quæ sunt sub immediata protectione Regum, libera non sunt à Visitatione Episcopi, nisi probent se ante *Conc.* Trident. legitimè exempta fuisse; & si lis moveatur super hac Quæstione, cognitio pertineat ad Judicem Ecclesiasticum; quæ duo non recipiuntur in Gallia. Priùs probat, ex eo quod *Conc.* Trid. subjiciens Episcopo Hospitalia exempta quoad Visitationem, excipiat ab hac subjectione, illa quæ sunt sub immediata Regum protectione, ideòque illius mens non est ab hac derogatione, omni exemptione illa liberare, nisi legitimè jam sint exempta.

Gonzalez *in Cap. 8. De Religiosis Domibus* loquens de Hospitalibus exemptis, notat exemptionem triplici via acquiri: 1°. Per Sedem Apostolicam quæ sibi illa subjicit. 2°. Per Episcopum qui renunciat omnibus suis juribus in illa. 3°. Præscriptione. Primam viam esse valdè odiosam, quia membra aliter locat in Christi Corpore, quàm disposuit ipse. *n. 5.*

Navarrus *in Consiliis. Tit. De Religios. Domib.* consultus circa certum Hospitale, an esset Beneficium; adducit signa quibus dignoscitur Beneficium à non Beneficio, petitque ea 1°. Ex natura Beneficii, quæ est, ut detur cuique in perpetuum, cum facultate disponendi de fructibus in suam utilitatem, amplexis illius oneribus, idque vel per electionem à Superiore confirmandam, vel per collationem, vel per præsentationem & institutionem. 2°. Ex fundatione, quæ declaret illud futurum Beneficium, vel designet. 3°. Ex usu quo patet, illud datum ut Beneficium à Papa, vel ab Ordinario illud impetratum, resignatum, permutatum ut tale, idque per 40. annos, sine lite & interruptione.

TITULUS XVII. *& Ultim.*

De Jure Sepulturæ in Locis Sacris & Religiosis.

SECTIO I.

Licet Sepultura præcisè nec obsit, nec prosit; Christianos tamen sepeliri oportet, cum Psalmis, & quidem in Locis Sacris, tùm ut Martyrum patrocinio, tùm ut Fidelium vivorum Orationibus juventur.

I. Non obest Justis Sepultura nulla, vel vilis. *De Sepulturis.* Cap. *Sacris.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 12. Vide *Conc.* Bracar. II. *ann.* 563. Cap. 58. Tom. V. Conc. *p.* 842. Infert *à majori* non faciendam intra Martirum Oratoria, ex eo quod non fieret intra muros Civitatis.

II. Impiis sepultura celebris vel speciosa non prodest. *Ibid. fin.* Undè concluditur relinquenda corpora excommunicatorum consepulta cum corporibus justorum, si ab illis discerni non valeant.

III. Ubicumque sepeliamur, Domini est terra & plenitudo ejus. Omnino fit quod oportet fieri. Caus. XIII. Quæst. II. Cap. 26. *Ubicumque.* S. Chrysost. *in* Cap. 15. *Epistol. Hæbr. fortè circ. ann.* 404.

IV. Corpori humando quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectum quo nemo unquam carnem suam odio habet; undè oportet, ut quam potest pro carne proximi curam gerat, cùm ille recesserit. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere, qui credunt? Ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro, impensum hujusmodi officium, sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium. Caus. XVI. Quæst. II. *Cap.* 19. *Non æstimemus.* §. 2. S. Aug. *Lib. De Cura pro mortuis.* Cap. ult. *circ. ann.* 421. In ea *Quæstione* Gratianus fusè agit de Sepultura. Van-Espen *in illam* paucis notat quæ notatu digna.

V. Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio Sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. Caus. XIII. Quæst. II. *Cap.* 22. *Animæ defunctorum.* §. 1. Gregor. III. *ann.* 738. desumptus videtur ex præcedentis doctrina.

VI. Nec ideò tamen contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum; maximeque justorum ac fidelium. *ibid* §. 2. legendus quoque §. 3. qui concludit quanti fiant adeò Officia pro vivis, ex eo quod apud illum non perit, quod pro mortuis persolvatur. *Conc.* Meld. *an.* 845. Cap. 72 Tom. VII. Conc. *p.* 1845. permittit in Ecclesia sepelire hoc honore dignos, cujus Judicium dimittit Presbyteris, & Episcopo. Vetat ne turbentur cineres defunctorum, ac ne quid exigatur pro Sepultura; docet pœnam mortis ferri contra Sepulchrorum violatores.

VII. In Sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 70. *Aurum.* §. 1. S. Ambr. Lib. II. *De Officiis.* Cap. 28. *ann. circ.* 391.

VIII. Qui Divina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis tantummodò, & Psallentium vocibus debent ad Sepulcra deferri; sufficiat quod in spe resurrectionis, Christianorum corporibus famulatus Divinorum impenditur Canticorum; sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum. Caus. XIII. Quæst. II. *Cap.* 28. *Qui Divina.* Ex *Concil.* Toletano III. *Cap.* 22. *ann.* 589.

TOM. V. *Conc. p.* 1014. Omissa sunt quæ spectant abusus tunc in hac regione vigentes, nimiæ tristitiæ signa: existimat Christum non flevisse Lasarum mortuum; sed ad hujus vitæ ærumnas resuscitandum.

IX. Quod quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 19. *Non æstimemus. §. ult. fin.* S. AUG. LIB. *De Cura pro mortuis. Cap. ult. circ. ann.* 421.

X. Cùm gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem Sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. CAUS. XIII. QUÆST. II. *Cap.* 17. *Cùm gravia.* S. GREG. I. LIB. IV. *Dialog.* Cap. 5. *ann.* 593.

SECTIO II.

Hæreticis & excommunicatis, qui Ecclesiæ reconciliati ante mortem non fuerint, atque iis qui seipsos voluntariè interfecerint, deneganda est Ecclesiastica sepultura, & si fuisset concessa, exhumanda sunt, si fieri potest, eorum corpora.

I. Quicumque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ; usque ad satisfactionem idoneam, Excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, & locus ille perpetua careat sepultura. *In 6. De Hæreticis.* Cap. *Quicumque. init.* LIB. V. *Tit.* 2. *Cap.* 2. De notoriis qui nulla tergiversatione celari possunt, intelligendum.

II. Propriis manibus extumulent & projiciant hujusmodi corpora damnatorum. *Ibid.* Subandi, si discerni possint.

III. Sacris ex Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; & ut careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. *De Sepulturis.* Cap. *Sacris. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 12. Canones hic laudati sunt *Cap.* 1. & 3. CAUS. XXIV. QUÆST. II. ex S. LEONE & ex URBANO II. desumpti.

IV. Si contingat quod vel excommunicatorum corpora, per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cæmeterio Ecclesiastico tumulentur; si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. *De Sepult.* Cap. *Sacris. §.* 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 12.

V. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium. *Ibid.*

VI. Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsùs pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. CAUS. XXIII. QUÆST. V. Cap. 12. *Placuit.* Ex *Conc.* BRACAR. I. Cap. 34. *ann.* 563. Tales non sepeliantur Ecclesiastica sepultura. *Gl. v. Sepulturam.*

VII. Similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur. *Ibid fin.*

Non communicandum defunctis, licet communicaretur vivis in his qui seipsos interficiunt, vel pro suis sceleribus interficiuntur. *Gl. v. communicabuntur* ad *Cap.* 11. *Ex Parte. Tit.* 28. *De Sepult.* Isti nunc pluribus in Regionibus sepeliuntur in Locis Sacris; quoad alios necessaria est sententia quæ declaret defunctum se interemisse; pœna publica non feriendum crimen, nec certum, nec publicum.

SECTIO III.

Excommunicati & publici peccatores qui fuerunt reconciliati, & qui casu non sponte sese interfecerunt, aut qui interfecti reperiuntur, Ecclesiastica sepultura donari debent.

I. Parochiano suo, qui excommunicatus fuit, dum ageret in extremis, per Presbyterum suum, juxta formam Ecclesiæ, absolutus, non debent Cæmeterium & alia Ecclesiæ Suffragia denegari. *De Sepult.* Cap. *Parochiano.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 14. *fin.* Excommunicatus, qui per suum Presbyterum fuit absolutus in morte, in Cæmeterio sepeliri debet. *Summa.* Suponitur in articulo mortis cessare quamvis reservationem, vel absolventem habuisse aliunde facultatem absolvendi à reservatis, vel excommunicationem non fuisse reservatam.

II. Quicumque violenter surrexerit in rapinam, sive in Ecclesiarum violationem manifestè fuerit deprensus; si usque ad obitum in contumaciâ sua duraverit, & in extremis positus remedium pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem vel emendandi securitatem præstiterit: ei pœnitentia & sepultura Ecclesiastica concedantur. *De Raptorib.* Cap. *Super eo. §.* 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 2. Manifestus raptor, vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cavet in morte, ad pœnitentiam & ad sepulturam admittitur. *Summa.*

III. Parochianus qui fuit interfectus in campis, ad Ecclesiasticam sepulturam recipitur. *De Sepult.* Cap. *In nostra. §. ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 10.

IV. Cùm ille non sponte præcipitaverit se de ponte, sed casu eciderit; corpus ejus tradi facias Ecclesiasticæ sepulturæ. *De Sepul.* Cap. *Ex Parte. §.* 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 11.

Qui casu & non sponte submergitur vel moritur, non privatur Ecclesiastica sepultura. *Glossa.*

Quia si sponte, non esset sepeliendus in Cæmeterio Ecclesiæ. *Gl. v. non sponte.* In dubio præsumendus casus, non præcipitatio: dubia in meliorem partem interpretanda. *Cap.* 2. *De Reg. Jur.*

V. Si constiterit quod aliquis fortuito casu obierit, corpus ejus Ecclesiasticæ tradi facias sepulturæ; maximè si Dominicum corpus susceperit, & Sacri Olei fuerit unctione perunctus. *De Torneamentis. Cap. Ad audientiam. §.* 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 1. Loquitur de illo qui ad faciendum torneamentum non venerat.

SECTIO IV.

Vendere non licet sepulturam, neque aliquid tanquam pretium pro ea exigere; sed ea licet accipere quæ Ecclesia juxta loci cujusque Consuetudinem ordinavit.

I. In Ecclesiastico libro scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens, quoniam omnes moriemur. Et item: Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur. Quid terra terram vendis? Memento, quoniam terra es & in terram ibis, & quoniam mors tibi futura est, approperat & non tardat. Recordare, quoniam non hominis terra, sed ut Psalmista commemorat: *Domini est terra, & qui habitant in ea.* Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti à Deo; gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omninò Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare; nisi fortè proximi & amici defuncti propter nomen, & redemptionem animæ viri gratis aliquid dare velint. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 14. *In Ecclesiastico.* Ex *Concil.* TRIBUR. Cap. 16. *ann.* 895. TOM. IX. CONC. p. 450. Est initium Canonis in quo dicitur, morem horrendum esse vendere Sepulturam, & gratiam Dei facere venalem. *Conc.* METENSE. *ann.* 888. *Can.* 4. TOM. IX. CONC.

CONC. *p.* 414. vetat ne census exigatur de terris pro Sepultura datis, ac ne Sepulturæ pretium ullum detur. CAUS. XIII. QUÆST. II. *Cap.* 15. præcipiendum ex *Conc.* NANNET. *ann.* 890. *Can.* 6. TOM. IX. CONC. *p.* 469. permittit voluntariam oblationem, vetat omnem exactionem pro Sepultura quam vult fieri extra Ecclesiam, præsertim verò prope Altare, ubi Corpus Domini & sanguis conficitur. *Concil.* CLAROMONT. *ann.* 1095. ut refertur ab ORDERICO VITALI, Pro Sepultura mortuorum pactum pretium non exigatur, aut detur. TOM. X. CONC. *p.* 573.

II. Abolenda perversitas est, ut decedentibus non priùs permittatur effodi Sepultura, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur: Inhibitum est Clericis, ne quicquam omninò præsumant exigere hac de causa. *De Sepult.* Cap. *Abolenda.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 13. HONOR. III. Episcopo *Magalon.* GONZALEZ. *Ibid.* Vendi non potest terra Cœmeterii, quæ Religiosa & Sacra dicitur: Item Officium Sepulturæ vendi non potest. *Gl. V. Sepultura.*

III. Quòd centum solidos pro Sepultura Fraternitas vestra velit exigere, hoc vitium de Ecclesia nostra omninò vetuimus, memores, quia dum Abraham à Filiis Ephron, *hoc est*, à Filiis Seor, Sepulchri terram pretio ad humandum corpus conjugis postularet, præmium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus: Si ergo tantæ considerationis Paganus vir fuit, quantò magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Undè ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuò tentari præsumatur, admoneo. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 12. *Questa est.* Licet Clerici exigere non possint, Laïci tamen compelli possunt pias & laudabiles Consuetudines observare, si quæ super hæc fuerunt; multa enim inhonestè petuntur, quæ honestè recipi possunt. *Gloss. v. exigere.* S. GREG. I. LIB. VII. *indict.* 2. *Epist.* 55. *ann.* 599.

IV. Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus; peti verò aliquid aut exigi omninò prohibemus; ne (quod valdè irreligiosum est) aut venalis fortasse (quod absit) dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium. *Ibid.* CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 12. *Questa est. fin.* Secundum nostrum institutum, noveris nos illicitam antiquam consuetudinem à nostra Ecclesia omninò vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, ut loca humani corporis pretio possint adipisci &c. *De Testam.* Cap. *Filius. in integra. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 5.

V. Præcipiendum est secundùm Canonum autoritatem, ut de Sepulchris, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant; nisi fortè qui sepelitur, vivens jusserit Ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, aliquid de rebus suis tribuere, aut etiam post mortem ipsius, illi quibus commissum est ejus Eleemosynam facere, de rebus illius aliquid dare voluerint; & tamen nullatenus à Presbyteris Ecclesiæ illius aliquid exigatur, sive ab illis qui locis præsunt. *Ibid.* CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 13. *Postquam.* Ex *Conc.* NANNET. Cap. 6. *ann.* 890.

VI. Salvâ Justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debet, ut sicut B. HYERONIMUS inquit, unaquæque Provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilem consuetudinem Regionis; illa justitia pro locorum diversitatibus attendatur. *De Sepult.* Cap. *Certificari.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 9. Justitia quæ exhiberi debet illis Ecclesiis, à quibus dum vivebant, percipiebant Ecclesiastica Sacramenta. *Gl. v. Salva Justit.* In mortuariis consuetudo loci servatur. *Glossa.* De eadem portione GONZAL. fusè agit in *Cap.* 8. *De Sepult. n.* 5. *ad finem. usque*, examinatque quota debeatur, cui, à quibus, & ex quibus rebus, omnesque Textus de illa sequentes explicat.

SECTIO V.

Liberum esse cuique adulto eligere sibi Sepulturam in quocumque loco, etiam minus Religioso, modò nihil decernat contra rationabilem Consuetudinem.

I. Nulli negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam; Dominus enim & Magister alienam elegit ut propriam. *De Sepult.* Cap. 1. LIB III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 1. Licitum est alienam eligere Sepulturam, *id est*, in alieno loco. *Glossa.*

II. Cùm liberum sit ex universis Constitutionibus Sanctorum Patrum, apud Religiosa loca in ultima voluntate sibi Sepulturam eligere; Canonicæ procul dubio obviat rationi, qui devotioni & extremæ voluntati decedentium in hac parte contradicere præsumit. *De Sepulturis.* Cap. *Cùm Liberum sit. in integr. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28 Cap. 6.

III. Si mortuorum Sepulchra, & Cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo sint disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti, & Orationes atque Missarum solemnia, tàm pro vivis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur, illorum devotioni & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est. *De Sepult* Cap. *Fraternitatem init.* LIB. III. DECR. *Tit* 28. Cap. 3.

IV. De Uxore, utrùm quemadmodum Vir liberam debeat habere Sepulturam? Videtur quod super hoc inter Virum & Mulierem non sit facienda distinctio; sed utrique in casu isto æqualem esse credimus facultatem; cùm Electio ista ad eum potiùs statum pertineat in quo Mulier solvitur à Lege Viri. *De Sepult.* Cap. *De uxore. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 7. Sicut liberum est viro eligere Sepulturam, ita liberum est mulieri; nulla est in hoc casu inter eos differentia, cùm à Lege viri soluta esse intelligatur. *Gl.*

V. Filius familias absque Patris assensu sibi potest liberè eligere Sepulturam. *In* 6. *De Sepult.* Cap. *Licet.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 3. Filius-familias potest sibi Sepulturam eligere sine consensu Patris. *Glossa.*

VI. Minores Filii nequeunt, antequàm ad annos pubertatis perveniant, eligere Sepulturam. *Ibid. De Sepult.* Cap. *Licet. init.* LIB. III. *Tit* 12. Cap. 4.

VII. Pater illos potest, si consuetudo terræ id habeat, quò voluerit sepelire: Secus, si non habeat. *ibid.* Vid. *Navarrum De Sepult. Consil.* 1. ubi fusè hunc Textum explicat.

VIII. Si quis, antiqua dimissa, novam, etiam in loco minùs Religioso, elegerit Sepulturam, Electionem hujusmodi nequaquam volumus impugnari. *In* 6. *De Sepult.* Cap. *Cùm quis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. 2. Quis potest eligere Sepulturam in loco minùs Religioso. *Glossa.*

IX. Si quis contra antiquam & rationabilem consuetudinem, aliquid de corpore suo sepeliendo mandavit, hoc non præjudicat rationi, sed viribus debet carere. *De Sepult.* Cap. *Fraternitatem* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 3. Minus legitima voluntas defuncti defendi non debet. *Glossa. v. Præjudicat.* 8. & 9. Textus adversari sibi videntur; sed contrarietas est tantùm apparens & in verbis; nam Prior dùm probat corpus sepeliri in loco minùs Religioso, per illa verba intelligit locum minùs solemniter Benedictum; Posterior, dum vetat sepeliri in loco minùs Religioso, per hæc verba intelligit locum non benedictum.

X. Volumus, & juxta Canonum Statuta probabile nobis videtur, ut sicut morienti conceditur judicium rerum facere, cuicumque loco sibi placuerit, sic

nimirùm justum est sui corporis habere licentiam illud iudicandi, in quocumque loco volnntas ejus extiterit,five in Monasteriis,five in aliis Religiosis locis. PASCHALIS II. *in* Cap. 2. *De Sepult. in* 1. *Compil.* Non obstat huic comparationi quod Filii, quandiù sunt in potestate Patris, non possunt disponere de rebus suis, indèque sequatur, si valeat comparatio, quod simili in casu non possunt disponere de corpore suo; nam quod possident hujusmodi Filii ipsorum non est, sed Patris, nisi sit peculium Castrense, vel quasi Castrense, de quo disponere valent, quia suum est; corpus autem Filiorum ipsorum est, non Patris, nisi in certis casibus in quibus Lex illis prohibet ne de illo disponant sine assensu Patris, quorum numero non recensetur ipsa sepultura.

Antequàm Monachis concessum esset Privilegium sepeliendi mortuos qui eligerent sepulturam apud ipsos, Parochianis non licebat illam eligere apud Monachos sine licentia Parochi. GONZALEZ *in* Cap. 5. *De Sepult. n.* 7. *juncto. n* 4. Agebatur de Jure Parochiali, quo Monachi frui non valebant Parocho non consentiente; cùm inviro Domino istius res in alium transmitti non valet per Consensum; Parochus jus suum cedebat, quæ cessio renovanda erat qualibet vice, nisi generalis esset pro vita Parochi. Prædicto Privilegio semel impetrato, Monachi non egerunt Parochi consensu, sed satis fuit ut illi solverent portionem congruam ex relictis sibi pro sepultura. Huic mutationi consensisse Parochos verosimile est, ut sese accommodarent Parochianorum suorum devotioni, salva tamen Juris sui (quod par erat) compensatione.

SECTIO VI.

Districtè vetitum est Clericis & Religiosis, ne quos Voto aut Juramento adstringant ad eligendam apud ipsos sepulturam, idque sub pœna Excommunicationis, & si pactum fecerint de aliquibus non sepeliendis, tenere illud debent, & corpora aliaque restituere, si per vim illa rapiant.

I. Universis Religiosis & Sæcolaribus Clericis, cujuscumque status vel conditionis existant, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibitum est, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita seu aliàs promittendum, inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent: Si secus actum fuerit, electionem talem decretum est nullins penitùs existere firmitatis. *In* 6. *De Sepult.* Cap. *Animarum.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 1.

Vide *Constitutiones Cleri Gallicani an.* 1645. *Art.* 11. *fin. Antiqua Monumenta Cleri.* TOM. I. Cap. 14. *p.* 993.

II. Temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis & Clericis Sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita vel aliàs promittendum, inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent; sententiam Excommunicationis, pœna in dicta Constitutione contenta in suo perdurante robore incurrere volumus ipso facto, ab alio, quàm à Sede Apostolica (præterquàm in mortis articulo) nullatenus absolvendos: Nullis Privilegiis aut Statutis, cujuscumque tenoris existant, super his valituris. CLEMENTINA *Cupientes.* §. 2. *De Pœnis.* LIB. V. CLEMENT. *Tit.* 8. Cap. 3. Violatores Superioris Decretalis excommunicantur ipso facto, eorumque absolutio soli Sedi Apostolicæ reservatur, præterquàm in articulo mortis.

III. Pactum cum Rectore Parochialis Ecclesiæ factum à Religiosis, ne aliquos vel certos ipsius Ecclesiæ Parochianos recipiant ad Ecclesiasticam sepulturam, omninò servare debent, quamquàm sepultura libera sit Monasterio illi ab Apostolica Sede indulta, & illi apud eos elegerint sepeliri; cùm per dictum pactum Indulto hujusmodi derogetur. *In* 6. *De Pactis.* Cap. *Pactum.* LIB. I. *Tit.* 18. Cap. 1.

Monachi habentes à Sede Apostolica sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis aliquibus vel certis Parochianis Ecclesiæ alicujus, servare compelluntur pactum, nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri. *Gl. v. Pactum.*

IV. Si constiterit quod cùm Presbyter quidam corpus cujusdam mulieris, prout in ultima voluntate dispofuerat, ad Ecclesiam sepeliendum deferre, Monachi aliqui corpus ipsius violenter rapere, & in Ecclesia sua sepelire minimè dubitarunt; præfati Monachi compellantur ut ossa præfatæ mulieris, & Beneficia quæ occasione sepulturæ ipsius recepisse noscuntur, cum integritate restituant. *De Sepult.* Cap. *Cùm liberum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 6.

Qui sepeliunt Parochianum alienum quem sepelire non debent, coguntur restituere corpus, & quæ ratione ipsius obtinuerunt. SUMMA. Quod obtentu vel occasione alicujus quæritur, illi est restituendum. *Gl.* Accessorium sequitur principale; restituto ergo corpore, restituendum quoque est quidquid relictum fuit pro illo sepeliendo.

SECTIO VII.

Si electa non fuerit sepultura, corpora sepeliri debent vel in sepulchris Majorum, vel in Ecclesia Parochiali; si secùs factum fuerit, restituenda, si petantur, corpora & jura funeralia.

I. Contradictione non obstante, Minores Filii qui nequeunt eligere sepulturam, ubi consuetudo non habetur,ut pater possit eos quò voluerit sepelire, sunt cum suis Majoribus vel in Parochiali Ecclesia tumulandi. *In* 6. *De Sepult.* Cap. *Licet.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 4. Consuetudo habet quod Parentes vel amici tales sepeliunt in altera quam volunt. *Gl. v. Vel in Parochiali. fin.*

II. Contradictione quacumque cessante sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si sepultura non electa forsitan decessissent. *In* 6. *De Sepult.* Cap. *Animarum.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 1. Si quis non eligat sepulturam, tunc est sepeliendus in loco suorum Majorum, si habeant certum locum pro sua sepultura; si autem certum locum non habeant, tunc est sepeliendus in Cæmeterio Ecclesiæ Parochialis in qua recepit Sacramenta. *Glossa.*

III. Unumquemque in Majorum suorum sepulchis jacere, Patriarcharum exitus docet. *De Sepult.* Cap. *Nos instituta. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 1.

IV. Ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur & mortuus. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 6. *Ubicumque. fin.*

De honestate debemus eligere sepulturam, obi Majores nostri sepulti sunt. *Glossa.*

V. Is qui habens domicilium in Civitate vel Castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causâ, vel ut opera ruralia exerceat in eadem, si non electâ sepulturâ decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel in ea poriùs in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit; dummodò absque periculo ad ipsam valear deportari. *In* 6. *De Sepult.* Cap. 15. *Is qui.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 3. Hoc non absolutè necessarium est, sed portari potest ad suam Ecclesiam. Si civis accedat ad coloniam, & ibi mortuus est, non sepelietur in Ecclesia in cujus Parochia mortuus est, sed portandus est ad suam Ecclesiam Parochialem. *Glossa* 1. Ex *Conc.* TRIBURIENSI *Can.* 15. *ann.* 895. TOM. IX. CONC. *p.* 449. Cùm quis decesserit non electa sepultura, est sepeliendus in loco Majorum suorum. *Glossa. Conc.* LONDINEN. *ann.*

ann. 1102. *Can.* 25. Tom. X. Conc. *p.* 730. Ne corpora defunctorum extra Ecclesiam suam sepelienda portentur, ut Presbyter Parochiæ perdat quod illi indè justè debetur.

VI. Hospitalarii non recipiant Parochianos alicujus Ecclesiæ ad Ecclesiasticam sepulturam, nisi apud eos elegerint sepeliri; alioquin, nisi probaverint quod Parochianus apud ipsos elegerit sepulturam, universa quæ ipsius intuitu receperunt Parocho restituant. *De sepult.* Cap. *In nostra.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 10.

Si qui sepeliant aliquos qui non elegerunt apud se sepulturam, tenentur restituere quicquid occasione funeris receperunt.

VII. Pro illis Parochianis, quos constat intra annos legitimos decessisse, & quos dicti Hospitalarii receperunt ad Ecclesiasticam Sepulturam, quæ Sepulturæ eorum gratia receperunt restituant universa. *Ibid.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 10. Idem est si sepeliant aliquos qui propter ætatem non potuerunt sibi eligere Sepulturam, quia sepeliendi sunt in Sepulchro Majorum, ac Ecclesiæ in quâ est debentur Jura funeralia.

VIII. Conquerente Parocho quod Prior aliquis quemdam Parochiarum suum in sua Ecclesia sepelivit, quoniam hoc Ecclesiasticæ institutioni contrarium esse dignoscitur, & à rationis tramite penitùs alienum, ut quis falcem mittat in alienam messem: præfatus Prior districtè compelli debet, ut prædicti Parochiani corpus restituat, & exinde, *id est*, de cæteris quæ obvenerunt occasione illius corporis amicabiliter conveniat, aliàs tenetur ea restituere. *Gloss.* Verbo, *exindè.* Amicabiliter conveniat cum eodem Parocho. *De Sepult.* Cap. *Ex Part. in int.* Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 5. Iste Parochianus non elegerat Sepulturam apud Ecclesiam Prioris, & ideò Corpus illius debet restitui cum bonis perceptis occasione illius. *Glossa.* Verbo *Parochianum.*

IX. Si Religiosi vel Clerici aliquos non electa Sepultura apud quos, in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire; ad restitutionem, tàm Sepultorum Corporum, si petatur, quàm etiam omnium quæ occasione Sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, ipsos obligatos esse censemus. *In 6. De Sepult.* Cap. *Animarum.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 12. Cap. 1. Sepelientes aliquem indebite tenentur restituere quidquid exinde receperunt, etiamsi non fuerint requisiti; tenentur verò restituere ossa cadaveris, si fuerint requisiti & moniti ab Ecclesia; aliter non. *Glossa.* Istius ratio; restitutio perceptorum est absolutè necessaria; non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; restitutio verò Corporis quandoque remittenda propter incommoda exhumationis.

SECTIO VIII.

Etiamsi electa de jure fuerit Sepultura, semper tamen Ecclesia Parochiali sua jura consueta solvenda sunt, juxta consuetudinem locorum, vel pacta inita.

I. Quia dignus est operarius mercede sua, partem sui Judicii (id est, quod relinquit in ultima voluntate) illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cælesti pabulo refici unusquisque consuevit; ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerunt passionum, & sic demùm, ubicumque libitum fuerit, eligat Sepulturam. *De Sepult.* Cap. *Nos instituta.* §. 5. Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 1. Ecclesiæ Parochiali relinquenda est sua portio, cùm quis eligit sibi Sepulturam. *Glossa.*

II. Si aliquem Parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere Sepulturam, de testamento ipsius vobis portio relinquatur. *De Sepult.* Cap. *Cùm super.* Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 8.

III. De oblationibus portio relinquatur illi Ecclesiæ à qua Corpora mortuorum assumuntur. *Glossa.* Verbo, *De Testamento.* Hoc consuetudini relinquenquendum est. *Glossa.* Quis potest eligere Sepulturam demissa Ecclesia Parochiali, & etiam demissa Ecclesia, in qua sepulti sunt Majores sui: & Canonica portio est solvenda Ecclesiæ Parochiali in qua recepit Sacramenta. *Glossa.* Solvitur Ecclesiæ Parochiali in recompensationem laborum quos sustinuit Rector in celebrando Divina & administrando Sacramenta ipsi defuncto. *Glossa.*

IV. Cùm ab eo qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur Sepultura; domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere Canonicam portionem. *Ibid. in 6. De Sepult.* Cap. *Cùm quis.* Lib. III. *Tit.* 12. Cap. 2. Si habet plura domicilia, debet solvi Canonica portio ambabus Ecclesiis, in quibus ipse defunctus habebat domicilia. *Glossa.*

V. Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum, in Ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis, liberam habeant Sepulturam, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant qui sepeliri elegerint in locis & Ecclesiis memoratis; verùm ne Parochiales Ecclesiæ & ipsorum Curati sive Rectores debitis & necessariis Beneficiis defraudentur, autoritate Apostolica constitutum est, ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus Funeralibus partem Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri teneantur. Clement. *Dudum. De Sepult.* §. *Si hujusmodi.* Lib. III. Clementin. *Tit.* 7. Cap. 2. Hæc pars paulò post quarta esse declaratur his verbis: *Quartam Partem, quam Apostolica autoritate taxamus & limitamus.* Si Consuetudo habet, semper priùs funus portabitur, ad propriam Ecclesiam. *Glossa.* Verbo *integr.* Hæc Consuetudo viget in Gallia. Vide *Constitutiones Cleri Gallicani ann.* 1645. *art.* 11. *Antiqua Monumenta Cleri Gallicani.* Tom. I. *Cap.* 24. *p.* 993.

VI. Secundùm rationabilem consuetudinem Regionis, illa justitia circa medietatem, vel Tertiam, vel Quartam Partem, pro locorum diversitatibus attendatur. *Cap.* 9. *De Sepult.*

VII. *Concilium* Trident. Sess. XXV. *Cap.* 12. derogat quibuscumque Privilegiis ante quadraginta annos concessis, tempore quo illud Decretum conditum est, scilicet *ann.* 1563. Ex quo cœpit obligare, cessarunt prædicta Privilegia, & portio Canonica cœpit restituta esse, iis quibus antea pertinebat, sive Ecclesiæ Parochiali, sive Cathedrali.

Cæterùm præter Consuetudinem Gallicanam de qua mox dictum, cujusque plures aliæ probationes in *Novis Commentariis ejusdem Cleri* Tom. III, *Tit.* 3. *Cap.* 4. ubi fusè de exequiis, & de Juribus Parochorum in illis, & Tom. V. *Tit.* 5. *Cap.* 3. ubi *De Sepulturâ.* Extat alius usus notandus, nempè quod portio Canonica versatur tantùm circa luminaria, quorum medietas pertinet ad Parochos defunctorum; alia autem est Ecclesiæ, in qua elegerunt Sepulturam. Id demonstrare videntur Senatûs-Consulta ibidem relata, & desumpta è Curiis Parisiensi, Redonensi, Aquensi.

Reliqua ad Sepulturam spectantia, collecta & examinata sunt 1°. Dum de Jurisdictione Ecclesiastica, ubi de Episcopi Jurisdictione in Loca Sacra, inter quæ sunt Cœmeteria, Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria. 2°. Dum de Ecclesiis istarumque Benedictione, Pollutione, Reconciliatione. 3°. Dum de Curato, ubi de illius Juribus & muneribus, quorum non minima sunt Jura & munia Funeralia.

SECTIO IX.

An ex collectis Textibus inferri possit, quod Parochia recens erecta debeatur Quarta Funeraria, in locis ubi Antiqua ea non potiuntur.

Prædicti Textus demonstrant Quartam Funerariam debere Parochiali Ecclesiæ Jure Communi; inspecto ergo hoc Jure, illam deberi novæ Parochiæ videtur, cùm præsumendum sit erectionem novam fieri juxta Jus Commune, ipsique Parochiæ assignari illa quæ hoc Jure debentur Ecclesiæ Parochiali. Non obstat, quod Parochiæ hujusmodi non debeantur Decimæ, ubicumque istæ ab aliis quàm à Parochis possidentur; cùm in his locis Parochi nihil aliud sunt quàm Vicarii perpetui, quibus Jure Communi non aliud datur ad sustentationem illorum, quàm portio ex ipsis Decimis. *Cap.* 30. *De Præb.* idque quia instituuntur, & vices gerunt aliorum Beneficiatorum, quorum Beneficiis jam annexæ sunt Decimæ. *Ibid.* Præterea Quarta Funeraria est unum ex illis Juribus, quæ vocantur obventiones, & reducuntur ad oblationes, quæ Jura debentur illis qui actu exercent curam animarum, ideòque malè comparantur hic cùm Decimis, quæ sunt Jus fixum, annuum, & immobile Beneficiorum. Justa esset, si ageretur de Parochia, quæ erigeretur in terris noviter cultis; tunc enim cùm Decimæ nulli anteà deberentur, Parocho haud dubiè pertinerent eodem planè modo, quo Quarta Funeraria, posito quod ibidem instituta vel constructa Monasteria fuissent, quæ ex Privilegio gauderent Jure funerandi: Ob contrariam rationem, cùm Quarta Funeraria jam pertineat ad alios quàm ad Parochos in locis de quibus agitur, videtur quod Parochia nova subire deberet sortem antiquarum, quoad illam Quartam Funerariam; illius siquidem possessores objicere possent Parocho consuetudinem locorum, quæ est, veluti illorum cui subsunt omnes illorum incolæ: Consuetudo verò derogat Juri Communi. *Cap. ult. De Consuet.* Addere liceret novam Parochiam erectam ex locis & Incolis jam possessis à Veteribus Parochiis, proindeque plus Juris novum Parochum sibi vindicare non posse, quàm antiqui, cùm his in locis illorum sit Successor.

Porrò nonnulli casus excipiendi occurrunt: Jus in quo antiqui transactione vel præscriptione Quartam amiserunt; hoc enim casu, novus dicere posset, quod transactio suos tenet Autores, ut docet *Concil.* TRID. & ostensum dùm de Transactionibus, quod acta inter alios sibi præjudicare non possent, quod renuntiatio ab illis facta Juri suo ad se non producatur, quodque demùm Ecclesia nondum erecta incapax est jus perdendi, ut & acquirendi.

Alter casus est, in quo Quarta acquisita fuisset eo tempore quo Curati erant ad nutum amovibiles, ab illis qui illos constituebant, nec alio jure fruebantur, quàm illo quod Curati Primitivi illis concedebant: hoc enim casu legitimè impediri erant tuendi Jura Ecclesiæ suæ, proindeque si tunc temporis Curati primitivi Quartam præscripserint, hanc præscriptionem antiquis Parochis nocere non potuisse, multòque minùs novo Parocho nondum existenti eo tempore quo Quarta præscripta est, cùm certissimum sit tempus non currere contra legitimè impeditum, Ecclesiamque nihil perdere posse, quamdiù caret legitimo defensore; undè in qualibet præscriptione Ecclesiastica detrahitur tempus quo Ecclesia vacavit, vel quasi vacavit, per coactam absentiam Rectoris, quemadmodum ostensum est dùm de Præscriptionibus, vel de Sede vacante actum est.

SECTIO X.

An ex eisdem Textibus colligi valeat, quod Episcopus statuere possit, ut Quarta Funeraria solvatur, ubicumque non solvitur.

Jam suprà notatum est prædictos Textus docere, quod Jure Communi debeatur Quarta Funeraria Ecclesiæ Parochiali defuncti, qui alibi sepelitur, quàm in ista in qua ex ipsa Sepulturæ origine apud Christianos sepeliendus est, idque in recompensationem laborum, quos tulit Parochus in conferendis illis subsidiis Spiritualibus, quibus eguit, præsertim in ultimo morbo, quodque huic Juri non derogatum fuerit per Privilegia Monachis concessa, imò ista illud confirmaverint, additâ semper clausula (salva justitia) hinc autem sequi videtur, quod prædictum Statutum condere Episcopus valeat, quia Juris Communis est executor natus, ideoque teneatur illud restituere, ubicumque non servatur, etsi utilitas publica illius observationem postulet; hæc enim utilitas est ratio & finis Legis, ideircò Lex durare debet quandiù illius ratio subsistit, quemadmodum illa cessare debet, ista cessante. Hoc posito & probato, unum restat examinare, an lex de Quarta Funeraria consulat utilitati publicæ, & possint occurrere circumstantiæ in quibus cessant hujusmodi circumstantiæ: Quoad prius, ex tot Textibus collectis patet, Legem ferentem ut solvatur Quarta Funeraria Parocho prædicto semper habitam publico utilem, justitiæque innixam, adeò ut hæc Quarta communiter appellata sit justitia, gravibusque rationum momentis semper defensa, imò numquam non æstimatum Privilegia, quantùmvis in se favorabilia, huic cedere debere, eamque salvam dimittere: Quoad posterius, ex priori colligitur; quæ enim occurrere possunt circumstantiæ, quæ rem tàm utilem tanto tempore & ubique existimatam, adeò inutilem efficere valeant, ut ipsa cessare debeat?

Non obstat quod Quarta Funeraria sit præscriptibilis, *Cap.* 4. *de Præscrip. Cap.* 13. SESS. XXV. *De Ref.* etiam contra Episcopum *Cap.* 4. *cit.* Hoc enim non habet locum in Regularibus, quia nemo potest præscribere contra Titulum suum, cùm id fieri nequeat sine mala fide, & malæ fidei Possessor numquam præscribit. *Reg.* 2. *De Reg. Jur. in* 6. *Cap.* 30. *De Præscript.* ac aliundè patens & manifestum, Regulares non habere Jus Funerandi, nisi ex Privilegiis in quibus inseritur semper clausula *Salvo Jure Parochiali, vel Salva Justitia, vel Salva Quarta Parochi*, ideòque si præscribere vellent hanc Quartam, præscribere intenderent contra Titulum suum; verum quidem est Ecclesiam Parochialem posse hanc Quartam præscribere contra similem Ecclesiam, sed in hoc nullum præjudicium erga Ecclesiam contra quam præscriberetur, cùm ista simili commodo gaudeat contra alias, proindéque compensationis locus esset: Idem dicendum de præscriptione similis Juris ab Ecclesia Cathedrali contra Parochialem Ecclesiam, cùm ista possit idem Jus præscribere contra Cathedralem, si Cathedralis illo potiatur in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, & ista per quadraginta annos sine lite & interruptione Quartam posteà possederit.

Cùm ergo jus Quartæ Funerariæ justissimum sit, & impræscriptibile videatur contra Regulares, ita ut isti semper teneantur illam solvere, non obstante longissimo usu non solvendi, consequens est, ut Episcopus statuere valeat, ut in Diœcesi sua illa solvatur ab illis, ubicumque illam solvere desierunt.

Non obstant huic Decisioni Privilegia quæ colliguntur à TAMBURINO *De Jure Abbatum.* TOM. I. *Disput.* 15. QUÆST. XVII. quibus multi Ordines Religiosi ab illa Quarta eximi videntur; nam vel non loquuntur de hac Quarta prout nunc est in usu, & deducitur tantùm ex certa, sed de Quarta Episcopali quæ deducebatur ex omnibus relictis Ecclesiæ Regulari, in qua Sepultura eligebatur, cùm de illa sola mentionem expressam faciant; vel non sunt recepta, cùm Mendicantes, Minimi, Cœlestini quorum meminerunt, Quartæ Parochiali hic subjiciantur; vel irrita sunt, quia non derogant expressè CLEMENTINÆ *Dudum*, quæ est Conciliaris, utpote facta *in Conc.* VIENNENSI, & derogatio expressa similibus Constitutionibus

bus neccessaria ad validitatem privilegiorum his contrariorum, ut communiter docent Interpretes in Textus citatos ab ipso Tamburino *loco Cit. n. 9. & 10.* quos ipse etiam sequitur; vel demum abrogata sunt à *Conc.* Tridentino loco supracitato, ubi derogat cuivis privilegio, qualecumque sit, Quartæ Funerali contrario, sive Episcopo, sive Parocho debeatur, quique sic summatur; Quartam Funeralium Ecclesiæ Catedrales vel Parochiales recipiant.

SECTIO XI.

I. *An sint pœna Ecclesiastica contra violatores sepulchorum.*

II. *In quo consistat tumulorum Violatio.*

III. *An illi qui eos aperiunt, ut videant in quo statu sit corpus quorumdam hominum mortuorum in odore Sanctitatis, hujus criminis sint rei.*

Quæstio I.

Qui requirit an sint pœnæ Ecclesiasticæ in violatores sepulchorum, supponit aliquas esse sæculares; & quod supponit fundatur & probatur *Tit. De sepulchro violato*, qui est duodecimus Lib XLVII. *Digestorum* & Decimus-nonus Lib. IX. *Codicis*. Quod si hic sermo non fiat de his sæcularibus pœnis, illud est quia difficultas, de qua consulti sumus, spectat tantùm ad Judicem Ecclesiasticum, & sufficit ut ille sciat, quid Ecclesia statuerit contra homines hujus criminis conscios.

Antiquior Canon inventus hac de re, nullus est quàm sexagesimus Literarum Canonicarum Divi Basilii mortui *an.* 378. Privat communione per undecim annos quemlibet aperientem & effodientem tumulos: *Qui sepulchra effodit, undecim annorum carebit Communione.* Conc. Tom. II. *p.* 1752. Judicari potest de idea quam Stus Basilius habebat de horrendo illo scelere, qualitate & diuturnitate pœnæ.

Locus omnis est credendi Excommunicationem de quâ loquitur, nihil aliud esse quàm illam quæ adhærebat pœnitentiæ publicæ; itaque undecim erant anni pœnitentiæ propter hoc peccatum, sine distinctione personarum; Clerici, Religiosi, in hoc continebantur, nec non & Laici, & mulieres, atque homines; hujusce Verba sunt generalia & obsoluta.

Inter Canones Pœnitentiales Popæ Gregorii III. quæ vocantur *Judicia*, unus definit pœnitentiam illorum qui demoliuntur tumulos, præscribit illam per tres annos, & statuit, ut deponantur è Clericali Ordine si sint Clerici; si autem Laici, ab eo excludantur; sceleris horrorem demonstrat dicendo, à Legibus publicis illud ut sacrilegium reputari, & illud supplicio sanguinis puniri. *Si quis Clericus aut Laicus in demoliendis sepulchris deprehensus fuerit, quia faciunt hoc pro sacrilegio Legibus publicis sanguineum dicitur, oportet in tali scelere proditum à Clericatûs Ordine submoveri, & pœnitentia triennio deputari.* Hoc verbo *deprehensus*, adducimur ad credendum Canonem loqui tantùm de casu, in quo scelus est publicum; est vigesimus *Conc.* Tom. VI. *p.* 1481. Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in sua Canonum collectione, unum refert nomine Canonis Toletani. *Canon* Toletanus, qui præscribit septem annos pœnitentiæ, & jejunium trium annorum cum pane & aquâ definit, nec non & depositionem cum exclusione Clericatûs Ordinis, contra violationem sepulchrorum, & illam, ut sacrilegium reputat: *Si Clericus in demoliendis Sepulchris fuerit deprehensus, à Clericatûs Ordine pro Sacrilegio submoveatur. Si quis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat; tres ex his in pane & aquâ.* Ille est 74. Conc. Tom. VI. *p.* 1592. Videtur distinguere inter violationem, & demolitionem sepulchrorum, quia loquitur solùm de demolitione in primâ parte, & punit illum tantùm depositione: in secundâ verò loquitur solum de violatione, & illum punit subjiciendo pœnitentiæ publicæ; sed verisimillimum est, non esse distinctionem nisi in terminis: & sensus Canonis nihil aliud est, quàm quem illi dedimus, quia videtur excerptus e Canone Gregorii III. cujus sunt ferè eadem verba pro prima parte; quoad secundam in eâ producitur diuturnitas pœnitentiæ, & determinatur exercitium. Egbertus non citat ex quo *Conc.* Toletano hunc Canonem sumpserit, nec ullum numerum huic affigit, nec aliud indicium quo dignosci possit utrumque vel alterutrum. Posset inferri ex *Cap.* 72. *Concilii Meldensis an.* 845. ex legibus Ecclesiæ percuti Excommunicatione Majore violationem sepulchorum; nam ex una parte exponit Leges Divinas, nec non & humanas, morte condemnare violatores Sepulchorum; & nomine Legum Divinarum, Canones sæpè intelligunt Leges Ecclesiæ. Quod si morte digni reputantur ab eisdem violatores Sepulchorum, illud fit, quia ex una parte ab illis Legibus feriuntur Excommunicatione Majori, & aliâ ex parte iidem Canones imponunt nomen pœnæ mortis huic Excommunicationi; & *Cap.* 56 hujus Concilii in hoc numero computatur: *Anathema est æternæ mortis damnatio*: Prohibet ne quis sine justâ causâ excommunicetur; & cum prohibitionis suæ rationem afferat, addit Excommunicationem condemnare Morti æternæ.

Ex *Eodem Canone* 72. intelligitur, quod qui mortuorum ossa extra tumulos projiciat, sine Autoritate Legitimâ, reus efficitur sceleris Violationis sepulchorum: *Nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulchro suo ejiciat, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquomodo violet: sed unumquemque in loculo sibi a Deo præparato atque concessu, adventum sui Judicii præstolari concedat; maximè cùm non solùm Divinæ Leges, sed etiam & humanæ apud humanam Rempublicam, sepulchrorum violatores reos mortis dijudicent.* Conc. Tom. VII. *p.* 1841. Idem videtur in *Capitulari Aspernacensi Cap.* 72. *an.* 846. iisdemque verbis. *Capitular.* Tom. II. *p.* 38.

Quemadmodum hic Canon, juxta explicationem hujus datam, loquitur de pœnis Sæcularibus, perindè ac de pœnis Ecclesiasticis in violatores sepulchrorum, *Cap.* 192. Lib. VII. *Capitular.* idem facit, sed clarè & distinctè explicat singulas quoscunque; nam postquàm statuerit, ut puniantur tùm liberi homines, tùm servi qui hoc crimen patrabunt; adjicit homines Illustres, qui hoc convincentur, dimidia parte bonorum spoliandos esse, & infamiæ nota inurendos; nec non & Clericos statuit deponendos & perpetuum mittendos esse in exilium, & Judicem qui non illas exequetur pœnas, bona amissurum, nec non & munus: *Qui sepulchra violaverint, puniantur tàm ingenui, quàm servi. Si major persona in hoc scelere fuerit deprehensa, amissa medietate bonorum suorum, perpetua notetur infamia. Si Clericus, depositus omni honore Clericali, perenni exilio deputetur. Si Judex hoc persequi aut implere distulerit, facultatibus & honore privetur.* Quod statuitur hoc Capite, quantùm ad depositionem Clericorum, qui sepulchra violant, colligitur ex Ecclesiæ Legibus; nam sola potest Ecclesia talem pœnam infligere. Supersunt adhuc aliqua verba sub finem hujus Capituli, quæ non minùs sunt notanda, quàm ea quæ relata sunt; nam hæc ostendunt, sicut & præfata, violationem Sepulchrorum collocari inter crimina quæ plurimum nocent bono publico; cùm in eo Capite unicuique tribuatur facultas accusandi de hoc facinore, & hæc non concedatur potestas nisi quoad hujusmodi scelus. *Et cuicunque hoc scelus accusare voluerit, licentia tribuatur.* Hoc Caput inter ea recensetur, quæ Isaac. Episcopus *Lingonensis* in sua Collectione inseruit. *Tit.* 11. *Cap.* 24. & quod hoc modo in Legem Ecclesiasticam convertit. Canones hactenùs citati, non soli pœnas ferunt in violatores sepulchrorum, nonnulli adhuc inveniuntur in *Pœnitentiali Romano*, edito circa finem *Episto-*

Epitomes Veteris Juris Canonici ANTONII AUGUST. Continentur in *Tit.* 4. *Cap.* 7. *&* 8. Septimum eos damnat ac subjicit pœnitentiæ septennio, jubet ut tres annos in pane & aqua jejunent. *Si quis Sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua.* Octavum postquàm retulerit in exemplum Violationis sepulchrorum, infractionem factam ut vestes defuncti capiantur, statuit contra hanc actionem duos annos pœnitentiæ per ferias legitimas, & hæ erant dies Lunæ, Mercurii, & Veneris: *Violasti Sepulchrum, ita dico dum aliquem videres sepeliri, & in nocte infringeres Sepulchrum, ut tolleres Vestimenta ejus. Si fecisti, duos annos per legitimas ferias peniteas.*

QUÆSTIO II.

Post lectos Canones relatos in decisione Primæ Quæstionis, facilè videtur violationem Sepulchrorum præcipuè consistere in illis effodiendis, irumpendis, demoliendis, absque legitimâ autoritate, ut ex illis auferantur ossa mortuorum, aut vestimenta eorum, aut alia quælibet humo tecta cùm ipsis; nam expressè loquuntur de his circumstantiis, quia finis ordinarius hujus facinoris erat, Sepulchra diripiendi; idcircò *Pœnitentiale Romanum* constituit illud sub Titulo *Latrocinii*: Apparet partim ob hanc causam, multos è Canonibus citatis, illud ut sacrilegium habere; nam hac appellatio perfectè convenit rerum Sacrarum furto, aut rerum profanarum in locis Sacratis positarum, & quod cùm mortuum humo mandatur, illud in loco sacrato extat, & reputatur ut res Sacra, necnon & corpus mortuum cujus hoc est.

QUÆSTIO III.

In crimine Violationis Sepulchrorum duo distinguenda sunt, 1o. substantia actionis quæ consistit, in aperiendis, frangendis, aut demoliendis Sepulchris sine autoritate legitima. 2o. Circumstantiæ finis, quæ est, si hoc agatur aut per vindictam, ut si hoc fiat ad tollenda mortuorum ossa, ut illis insultetur, aut saltem ut priventur honore sepulturæ; aut cupiditate, ut accidit cùm aperiuntur tumuli ad eos diripiendos. Quemadmodùm igitur violatio fiebat plerumque ob unum aut alterum ex his duobus finibus, credere fas est Canones citatos attendisse ad hanc circumstantiam, in pœnis quas statuerunt contra hoc facinus. Itaque justus est præsumendi locus, non contentam esse in illis violationem Sepulchrorum factam aperiendo illa sine autoritate legitima, ad observandum an mors mutaverit homines mortuos in odore sanctitatis, aut si eorum corpus integrum remanserit; nam cùm in hoc suscepto esset omnis substantia actionis quæ vocatur violatio Sepulchrorum, non in hoc videretur malignitas finis ordinarii hujus facinoris, præcipuè si, cùm fieret, nihil aliud spectaret hæc faciens, nisi ut seipsum & alios ædificaret miraculo quod speraret se patefacturum; reverà hujus intentionis bonitas minueret multum malignitatem suscepri, & illam, ut ita dicam, justificaret, quantùm recto fine mala actio potest corrigi. Immeritò igitur subjiceretur Canonum acerbitati contra Sepulchrorum Violationem, cùm loco duplicis generis malitiæ, quæ causa hujus hæc fuit, nempè actionis & finis, hic esset sola malignitas actionis in quodam sensu toleranda pro simplicitate intentionis.

Aliter loqueodum esset, si de quibusdam ageretur, qui cùm non benè sentirent de pietate defuncti, tumulum aperirent in spem probandi opinionem suam, propter sui corporis corruptionem, quia tunc actio dupliciter prava esset, in seipsa, atque in fine, & aliundè esset error criminosus in eadem, cùm mortuorum corporis corruptio non sit indicium, multo minùs probatio qua intelligatur illorum alicujus pietatem non fuisse sinceram.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

INDEX
VERBORUM ET RERUM
TOMI SECUNDI.

ABBAS.



HODIE Abbates jus habent visitandi, 66
Sed versus finem XII. sæculi, Abbates illud jus non adhuc habebant, 69
Abbates habent Jurisdictionem Ordinariam, 79. 112
Abbates, qui gaudent juribus quasi Episcopalibus, de causis Matrimonialibus cognoscunt in Galliâ, 88
Administrator Abbatialis. 234
Quo casu Canonici debent præesse Abbatibus, &c. 230
Abbas post Episcopum habet primam Sedem, 234. 237
An Abbas Episcopo subjectus Vicarium Generalem præcedere debeat, 237
Quænam est potestas Abbatis, 237. 442
De Residentiâ Abbatis, 335
Qui eligi debeant in Abbates, & quomodo fieri debeat talis electio, 416. 417. 432
Quales esse debeant Abbates, & ad quid se extendat eorum autoritas, 416. Vide etiam, 414. 417. 418. 419
Insignia & Ornamenta Abbatum, 417
Quæ speciatim pertineant ad Abbates, 432
Quæ sint Privilegia Abbatum, 433. 435. 496. 497. 540
Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistunt, 436
De Electione Abbatis, 480. 485. 496
Nomen Abbatis quid significat, 484
Duplex Abbatum genus, 484. 485
De Depositione Abbatum, 486. 187. 488
Regulæ de Abbatum & Abbatissarum Benedictione, 496. & seq.
Divisio harum Regularum, 495
Abbatum & Abbatissarum Benedictio res est à solâ Ecclesiâ instituta, 496
Antiquissimus omnium Canon circa Benedictionem Abbatum. 495
Benedictio Abbatum ab Episcopo facienda est. 495
De Confirmatione Abbatum, 496. 497
Abbates habent potestatem conferendi Tonsuram, & Minores Ordines, 497. 498
Ex nullo Juris Textu colligi potest Abbates non perpetuos benedictos fuisse, 498
An Abbatia quæ commendari consuevit, comparari queat cum Beneficio Curato in simplex converso, cum erectione Vicariæ Perpetuæ, 502
An Abbates peregrini possint gerere Mitram & Baculum in Ecclesiâ immuni sine permissione Ordinarii & Jussu, 508

ABBATISSA.

Abbatissæ habent Jurisdictionem Ordinariam, 79
Quomodo Præpositæ, seu Abbatissæ, aut Priorissæ, & quales eligi debeant in Monasteriis in quibus viget Jus Electionis, 457. 480. 485
Quomodo confirmari debeant Monialium Præpositæ, seu Abbatissæ, & qualis sit illarum potestas, 458
Duratio Superioritatis Abbatissæ. 486
Regulæ de Abbatum & Abbatissarum Benedictione, ex Corpore Juris Canonici, Conciliique Tridentino desumptæ, 496
Circa Abbatissarum Benedictionem duplex est Textuum genus, 498

ABDICATIO.

Ex Jure Antiquo Episcopus abdicare poterat sine Papæ licentiâ, 125
Tres sunt causæ propter quas Episcopus abdicare potest, 125. 126
Casus, in quibus Episcopus Episcopatum suum abdicare non potest, 126
Regulæ ex Corpore Juris Canonici desumptæ circa Episcopatus Abdicationem, 124
Nullus est Juris Textus sæculo XII. antiquior, qui Episcopatus Abdicationem inter Causas Majores annumeret. 127

Tom. II.

ABSENS.

Qui absens est pro utilitate Ecclesiæ suæ præsens reputatur, 157. 337. 338. 345
Idem dicendum est de Absente pro servitio Episcopi, 157. 337. 343
Reipublicæ causâ absens pro præsenti habetur, 338. 345
Qui abest ex infirmitate, residere non potest, 337
Qui propter Ecclesiæ utilitatem abest, propter Absentiam remunerandus, non puniendus. 337. 338
Absentes Studiorum gratiâ, Præbendarum fructus percipere possunt, 339
Quod Absentiæ tempus requiratur, ut quis Beneficii privatione dignus habeatur. 340
Fraudulenter Absens, 340

ABSOLUTIO ECCLESIASTICA.

Absolutio differt à Dispensatione, 107
De Absolutione à Censuris Papæ reservatis, 132. Vide etiam, 101. 431
Vicarius Capituli potest à Censuris absolvere, 178
Semper operæ pretium est, ut ad Pœnitentiam & Absolutionem pœnitens humiliatus admittatur, 178
Sede vacante an Capitula possint absolvere à Censuris, 176. 177. 178
Confessor antè Absolutionem quid deberet facere, 213
Non posse Regulares sine Jussu Episcoporum absolvere à casibus reservatis Autoritate Apostolicâ, 431. 432
De Absolutione in articulo mortis, 457. 560
Casus ad Absolutionem spectans, 505

ABSTINENTIA.

De Abstinentiâ à vino, 391. 519
De Abstinentiâ à carne animalium, 384. 385. 386. 391. 397. 399
De Abstinentiâ à potu extra horas refectionis. 385
Vinum est lætitiæ signum, ibid.
De Abstinentiâ ab uxore in diebus Jejunii, 392. 393
Vide Verb. Animal, Hebdomada.

ABUSUS.

Qui abusus vitandi circa Jurisdictionem, 81. 100
Tria sunt genera Abusuum circa Jurisdictionem, 82
Alii Abusus Jurisdictionis. 83
Casus, in quibus Papa nequit derogare absque Abusu. 165
Vide Verb. Cathedralis Confessio Sacramentalis.

ACOLITUS.

Acolitus inter Minores Ordines habet primum locum, 234
De Acolito, 258

ACTUS.

Quinam Actus Notarii recipere possunt in Diebus Festis, 361
Ut validi sint Actus Capitulares quid requiritur, 184
Exceptiones de iis quæ requiruntur ad validitatem Actuum Capitularium, 184

ADULTER.

Adulteræ Filius ad Episcopatum electus, in eo confirmari potest, 105
Clerici in Adulterio deprehensi, aut ab aliis convicti, ad honorem redire non possunt, 271
In Monasterio detrudantur, 272
Vide Verb. Femina.

ÆTAS.

Ætas requisita ad Beneficia, seu Dignitates, quæ curam animarum habent, est annus XXV. cœptus, 94. 151. 182. 202. 206. 243. 245
Ad cæteras Dignitates, vel Personatus, quibus assatum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei & XXII. annis non minores adsciscantur, 152. 182
Aut saltem XX. cum Dispensatione Episcopi, 152
Ætas ad Canonicatum Cathedralium requisita, 151. 182. 188

Ætas ad Canonicatum Collegiatæ requisita, 188
Ætas requisita ad Parochum seu Curatum, est annus XXV. cæptus, 94. 202. 210. Vide etiam, 242. 243
A quo tempore numeratur hic annus, 182. 191. 192. 202. 245
Ætas requisita ad Sacerdotium, ad Diaconatum, ad Subdiaconatum secundum Concilium Raven. II. ann. 1314. 282
Pueri minores septem annorum non possunt suscipere primam Tonsuram, 261. 301. 303
Ætas requisita ad Clericaturam seu primam Tonsuram, est Ætas circiter duodecim annorum, 301. 302
Ætas ancillæ matris Clerici, 312
Varia nomina illarum ancillarum, 311. 312
Hodiè Ætas requisita ad Professionem Monachorum & Monialium, est annus XVI. expletus, 410. 425
Ætas requisita ad Abbatissam seu Priorissam Monialium, est annus XXX. expletus, 457

ALTARE.

Omnia Ornamenta Altarium sunt per Episcopum benedicenda, 83
Altaria sunt per Episcopum consecranda, 83. 91. 528. 532. 533
Qui Altari servit, de Altari vivat, & qui eidem non servit, nec de eodem vivere debet, 194. 332
A simili quid paret, 292
An, & quando Altaria iterùm consecrari debeant, 526
Quomodò, & à quo Altaria erigi & consecrari debeant, 528. 530
De Altari Portatili, 532
Poteſtne coinquinari Altare impolluta Ecclesia? 550
Poteſtne evenire ut Ecclesia polluatur, impolluto Altari? 552
An Altare amittat suam Consecrationem, cùm amovetur à loco in quo fuit consecratum, & posito quod illam perdat, jacturamne facit Ecclesia ejusdem, 550
Suntne aliqui casus in quibus profanandum sit aliquod Altare sine Ecclesiæ Profanatione, & posito quod nonnulli sint, quomodò fiat his in occasionibus Altaris Profanatio, 554
Profanenturne Altaria Portatilia eodem modo quo alia Altaria, 554

AMBITIO.

Episcopus de loco ignobili ad nobilem per Ambitionem non transeat, 42. Vide etiam, 128
Antiqui Canones damnant translationes ex Ambitione factas, 42. 128. 129. 133
Dispensatio ambitiosa quid sit, 106
Ambitio Sacerdotum quid effecit, 209
Nullus Episcopale Ministerium per Ambitionem munerum attentare præsumat, 298. 302
Magnæ mutationes introductæ in Ecclesia per vanam Ambitionem Prælatorum, 353. 515

AMBROSIUS, (Sanctus.)

Sermones S. Ambrosii suppositi, 382. 383
Pseudo Ambrosius, 383. 389

ANGELUS.

Deus creavit Angelos, 3
Vide Verb. HYMNUS.

ANIMA.

Totius plebis Animæ Episcopo commissæ sunt, 92
Bonum Animarum præponendum est conservationi collationis in gratiam Ordinarii, 178
Regimen Animarum est Ars Artium, 241
Cura Animarum est Ars Artium, & Scientia Scientiarum, 242
Vide Verb. Ætas, Beneficium, Curatus, Scriptura.

ANIMALIA.

Animalia de suis factis nullam rationem reddituta sunt, quia rationabilia non sunt, 3
Vocabulum Animalia, quid significat, 391
An tempore S. Gregorii abstinentia à carne ad solam Animalium carnem restringeretur, an verò ad Avium quoque carnem extenderetur, 391
An Gallinæ inter aves collocandæ sint, 391
De abstinentia à carne Animalium, 384. 385. 386. 391. 397. 399

APOSTASIA.

De Pœnis contra Religiosos, Monachos Apostatas, 422. 482. 483. 484.
Quidnam jus doceat quoad Religiosos, sive Fugitivos, sive Apostatas, 482. 483
Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, qui abjiciunt habitum Clericalem, fieri Apostatas, & quomodò puniendi sint, 401. 482
Nulla est Apostasis sine Fuga, 482
Vera significatio Nominis Apostatæ, 482
De Apostasia Monialium, 483

APOSTOLUS.

Quo tempore facta sit Canonum Apostolorum collectio nescitur, 382
Festivitates Apostolorum & Evangelistarum, 319. 362. 363. 364. 366
Vide Verb. Cantus Ecclesiasticus, Disciplina.

APPELLATIO.

In corrigendis excessibus juxta Canonicas Sanctiones, Appellationis est diffugium interclusum, 36
De Appellationis jure, quo Archiepiscopi fruuntur, quid sentiendum est circa methodum Collectoris, 56
Omni casu, in quo licita est Appellatio, appellare licet ab Episcopo ad Archiepiscopum, 108. 110
Quid significat hæc clausula: *Nisi appellatum fuerit*, 140. 142
Non licet Religiosis à correctione appellare, nisi Superiores excedant in modo correctionis, 420. 488. 489
Particularitates desumptæ è Jure Communi spectantes ad Appellationes Religiosorum à sententiis suorum Judicum Regularium, 488
Jurisdictio Vicarii eadem est, ac Episcopi, & per consequens à Magno Vicario non appellatur ad Episcopum, 39. 75. 86. 113
Officialis Archiepiscopi sine Appellationis interpositione, non debet audire causas de Episcopatibus Suffraganeorum, 51. 52. 108. 114
Vide Verb. Causa Ecclesiastica, Delegatio, Ecclesia Romana.

ARAUSIO.

Episcopus Arausiacus incidit in morbum insanabilem, 61
Principatus Arausionensis, 75
Concilium Arausi. I. ann. 441. post Can. 5. Carthag. I. Antiquior non est Canon ullus, qui expressam Episcopi originis & domicilii mentionem fecerit, 274
Ordo Diaconissarum fuit sublatus in Concilio Arausicano, 453

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconus habet jurisdictionem Ordinariam, 79. 168
Archidiaconi habent jus visitandi, 66. 167
In Gallia Archidiaconi non habent ampliùs Officiales, 112
Ætas ad Archidiaconatum requisita est annus XXV. 151. 167
Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, 162. 229
Archidiaconatus est major post Episcopatum dignitas, 167. 317
Archidiaconus est Vicarius Episcopi, 167
Quodnam est Officium & Potestas Archidiaconi, 167. 168. 321
Jurisdictio Archidiaconi potiùs ex consuetudine quàm ex Jure juvatur, 168
Archidiaconus potest excommunicare, 168
Jus ipsum Archidiaconorum quid sit, 212
An Archidiaconus præcedere debeat Vicarium Generalem, 237
Plerique Archidiaconi habent Jurisdictionem, 237
Archidiaconus est Vicarius natus Episcopi, 237
De Residentia Archidiaconorum, 333
Sub Dignitatis vel Præbendæ nomine Archidiaconatus & Archipresbyteratus comprehenduntur, 333

ARCHIEPISCOPUS.

Archiepiscopi olim dicuntur Patriarchæ, vel Primates, 6. Metropolitani dicuntur etiam nunc Archiepiscopi, *ibid.* Archiepiscopus electus, confirmatus, dare potest Mandatum Suffraganeis ut consecrent Episcopum, 31
De Archiepiscopis Rhemensib. 48
Archiepiscopus vel ejus Officialis, sine appellationis interpositione non debet audire causas de Episcopatibus Suffraganeorum, 51. 52. 108. 114. Ad Archiepiscopum gradatim est appellandum, 52. 53. Quænam est potestas Archiepiscopi, 52. 446. Et quoad Censuras, & quoad Visitationem Diœceseos suorum Suffraganeorum, 53
Archiepiscopus Eboracensis à solo Papa dependet, 55
Archiepiscopus Arelatensis erat Vicarius Apostolicus, 56
Jurisdictio Archiepiscopalis alia est voluntaria & alia contentiosa, 53. 69. 76
Archiepiscopus antequàm visitet suam Provinciam, quid debet facere, 54. 69
Apud Gallos quid Archiepiscopo non licet, 87. Vide etiam 92
Archiepiscopus habet sub se simplices Episcopos, 55. 108. 178
De Jurisdictione Archiepiscopi in Suffraganeorum subditos, 108
De Jurisdictione Archiepiscopi in Suffraganeos, 509
De Juribus Archiepiscopi apud Gallos, 109. 182
Rationes allatæ circa Episcoporum translationes, ad Archiepiscopos extendendæ sunt, 132
De erectione Episcopatus Urbis Tolosæ in Archiepiscopatum, multa notatu digna, 134. 135. 138
De Residentia Archiepiscoporum, 39. 333
Vide Verb. Concilia Particularia Gallicana, Metropolitanus, Pallium, Primas, Privilegium.

ARCHIPRESBYTER.

Archipresbyter idem esse videtur ac Chorepiscopus, 66
Archipresbyter habet jus visitandi, 66
Quodnam est Officium & Potestas Archipresbyteri, 168. 317
Decani, de quibus in *Tom. IX. Concil.* iidem sunt ac Archipresbyteri, 168
Archipresbyter seu Decanus Ruralis quid sit, 207. 209
Sicut Episcopus Matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri seu Decani Rurales præsunt Plebibus, 207. 209
Archipresbyter Episcopi vices gerit in Divino celebrando Officio, 317. 325

De

De Residentia Archipresbyteri, 333
Sub Dignitatis vel Præbendæ nomine Archidiaconatus & Archipresbyteratus comprehenduntur, 333

ARMA.

An & quomodò vetitum sit Ecclesiasticis Arma ferre, & sub quibus pœnis, 264. 265
Lectio & Oratio sunt Arma Fidelium, 257

AVARITIA.

Avaritia, seu forsan Ambitio, est origo Translationum Episcoporum; nam nonquam inventus est Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transierit, 42. 118
Ab Ecclesiastico Ordine omnis Avaritiæ suspicio abesse debet, 162
Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant, 262
Sola Avaritiæ suspicio in omnibus Ecclesiasticis populum non mediocriter offendit, 316. 411
Cautela præscripta Prædicatoribus super hanc materiam, 316. 456
Vide Verb. Lucrum.

AVENIO.

Legatus Avenionensis suam Jurisdictionem exercet in Provinciam & in Delphinatum, 75
Vide Verb. Legatus Papæ, Papa.

AUGUSTINUS.

Augustinus, (Sanctus Aurelius) Patrum Latinorum Ecclesiæ Africanæ Illustrissimus, an fuerit coadjutor Valerii Episcopi Hipponensis, 144
Sancta Monica Mater S. Augustini. 308
Festa universalia tempore S. Augustini celebrata, 361
Res notatu digna circa diem Ascensionis, quoad verba S. Augustini, 368

AZILUM.

Varia circa jus azili, 525

BALUSIUS.

Balusius laudatus, 15

BABTISMUS.

Omnis & solus baptizatus Ecclesiæ Jurisdictioni subditur, 81
Concilium Arelatense circa Baptismum ab Hæreticis collatum, 119
De Officio Parochi erga Baptismum, 212. 251
Ritus Baptismi sunt accidentales, vel substantiales, 212
Multa de Baptismo notatu digna, 212. 251
Ne Sacerdos vendere Baptismum videretur, multi Canones aliquid pro eo dare prohibuerunt, 217. 250 251
De Registris Baptismorum à Parochis conscriptis, 222. 227. 250
Usus Registrorum Parochialium circa Baptismum est antiquissimus, 227. 228
Ordinationes Francisci I. Regis Galliæ circa illa Registra Parochialia, 227
Decreta Conciliorum Provincialium circa illa Registra, 227 250
Si pro baptisandis pretia quælibet vel præmia voluntariè oblata susceperit Presbyter, tribus mensibus Excommunicatione plectatur, 250
Peculiares Canones circa Baptismum, 251 & seq.

BARBA.

Clericus nec comam nutriat, nec barbam, 301. 303
Sacerdotes à superiori labro debent barbam tondere, 263

BENEDICTIO.

Benedictionum multiplex est genus, 321
Duplex est genus Benedictionum circa Officia Divina, 321
Majorem à minori non benedici, 321
De Benedictione commixtionis vini, salis, cineris, aquæ, 530. 538. 539.
Aqua Benedicta, 530. 538. 539
De Benedictione Ecclesiarum & Altarium, 533
Sex sunt differentiæ gravis momenti inter Benedictionem, & Consecrationem Ecclesiarum, 536
Differentiæ inter Benedictionem & Consecrationem personarum & Ecclesiarum, 536
Ceremonia Benedictionis differt à Ceremonia Reconciliationis, 550

BENEFICIUM.

De Beneficiorum collatione illicita, 63. 64
Omnes Dispensationes circa ætatem requisitam ad Beneficia, Summo Pontifici olim non reservabantur, 103
In Gallia Beneficiati Minores gaudent Privilegiis Majorum circa causas Beneficiorum, 115
An Coadjutor Beneficia conferre possit, 145
Dispensationes reservatæ Summo Pontifici circa Beneficia, 143. 149
An & quomodò Capitulum, Sede vacante, conferre possit Beneficia, 160
Indulta, quibus ad Beneficia vacatura jus datur, optandi juri non derogant, 162
Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium Reservatio optioni obstat, 162. 163
Cùm omnia Beneficia in prima origine fuerint Sæcularia, præsumuntur Sæcularia, donec contrarium probetur, 171
Beneficia conferri debent intra sex menses. 172
Aut saltem intra annum integrum, 173
Institutio ad Beneficia Patronatûs pertinet ad Capitula, Sede Vacante, 175
De collatione Beneficiorum Sede Vacante, 175. 176. 177. 178
In Gallia solet Rex, Sede Vacante, providere Beneficiis, quæ ad dispositionem Episcopi pertinent, 179
Nullus debet ad Beneficium, animarum curam habens, ab Episcopo admitti, nisi vigesimum quintum annum attigerit, 94. 151. 181. 202. 206. 243. 245
De Officio Parochi erga Beneficia incompatibilia, si quæ habet, vel obtinet. 218. 222
Beneficia Curata Regularia Regularibus conferantur, 222. Vide etiam, 242
Tenens Beneficium animarum curam habens, obligatur intra annum promoveri ad Ordinem Sacerdotalem, 27. 153. 181. 182. 202. 210. 245
A quo tempore numeratur hic annus, 182. 191. 192. 201. 211. 245
Hic annus quo casu non currit, 202
De Episcopi Beneficio, 274. 278
Hac voce Beneficium, tunc (scilicet sub Dagoberto) intelligebatur fundus ad usumfructum gratiosè datus, 289
De Ordinatione cùm Titulo Beneficii, Patrimonii, 292. & seq.
Vide Verb. Patrimonium, Titulus.
Quilibet Beneficii Possessor tenetur jure novo ad Officium privatum vel publicum, 324
Ratio hujusce obligationis, 324
Beneficium datur propter Officium, 324. 332. 338
Beneficia ad Cultum Divinum & ad Sacra munia obeunda constituta sunt, 332. Vide etiam, 324. 335
De pluralitate Beneficiorum, 332
De divisione Beneficiorum quæ Residentiam exigunt, & quæ Residentiam non exigunt. 332
Beneficia simplicia quæ exigunt Residentiam, 332. 335
Alexander quid per Beneficium simplex intelligat, 332
De Beneficiis quæ Residentiam exigunt, & quæ Residentiam non exigunt, 333. & seq.
Beneficia alia sunt quæ Lege Divina Residentiam exigunt, alia quæ humana lege, 334
Beneficiari curam animarum gerentes, ut Episcopi & Archiepiscopi ad Residentiam tenentur, 39. 333. 334
Fundatione Canonica, Beneficio annecti potest Residentiæ onus, 334
Beneficia quæ Residentiam exigunt, non æqualem exigunt, 335
Beneficia compatibilia, 338
Beneficia incompatibilia, 338
Quod absentiæ tempus requiratur, ut quis Beneficii privatione dignus habeatur, 340
Quid cautum sit circa Beneficia Regularia à Religiosis obtinenda, 429
An Beneficium Patronatum commendari possit, 503
An in foro conscientiæ, Clerico Sæculari Statum Regularem amplecti liceat, ut resignatum sibi Beneficium retinere possit, 505
Olim Beneficia dabantur tantùm per electiones, 515
Mutationes introductæ ab Ecclesia super hanc materiam, 514. 515. 516
Causa harum mutationum, 515. Vide etiam, 553
Signa ex quibus dignoscitur Beneficium à non Beneficio, 557
Vide Verb. Dispensatio Papæ, Divisio.

BIBLIOTHECA.

Unaquæque Ecclesia Cathedralis & Collegiata debet habere Bibliothecam, 199

BIGAMIA.

Clericus bigamus amittit omnia Privilegia Clericorum, 267
De Bigamia Ecclesiasticorum, 268
Bigamus est incapax Ordinis, 286. 287

BONA ECCLESIÆ SEU BONA ECCLESIASTICA.

Episcopus non est Dominus, sed Administrator seu Procurator Ecclesiæ Bonorum, redituumque distributor, 92. 96
Non licet Episcopo Ecclesiæ res, sine Presbyterorum, & Cleri conscientia pertractare, 96. 173
Casus, in quibus Bona Ecclesiæ alienari possunt, 96. 97.
Bona alienari non possunt à Capitulo sine consensu Episcopi, 172
Episcopi non possunt facere alienationes gravis momenti sine Capitulorum consensu expresso aut tacito, anteriori aut posteriori, 96. 173. 174
Casus, in quibus Episcopus potest alienare sine consensu Capituli Bona Ecclesiæ, 176. 531
Debent convertere in utilitatem suæ Ecclesiæ Bona derelicta à Prælato, aut ea conservare pro Successoribus suis, 182
Non est in usu in Gallia, ubi parentes succedunt ab intestato, 182
Capitula debent nominare Oeconomum pro bonis Episcopatus, si hujus administrationem habeant, 176. 182
Regalis causa fuit, cur Capitula Galliæ amiserint œconomatum temporalis Episcopatuum, 176. 182

BONIFACIUS.

Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, Germanorum Apostolus, 125. 133. 134. 144. 145
Bonifacius erat Legatus Gregorii, 11. 125. 126. 133

BULLA.

Archiepiscopus habet jus recipiendi Bullas Jubilei, easque mittendi Suffraganeis, 110
Canones notabiles circa habitum Clericalem ex Bullario deprompti, 308
Bulla Pii IV. Papæ, laudata, 431

CALENDÆ SEU KALENDÆ PAROCHORUM.

Vide Verb. Curatus.

CANCELLARIUS.

Quodnam sit Officium Cancellarii, 166

CANON.

Canones Sanctorum Patrum à Spiritu Dei sunt conditi, 12. 24. Romanus Pontifex Canonum gubernacula custodit, 19
Clerici & Sacri Ministri callere & legere Canones assiduè tenentur, 29. Canon *cum Episcopus* in Galliâ non recipitur, 38
Multi Canones abrogati, 174. 209. 283. 335
Canones qui non sunt in usu, 171. 176. 331
Hic Canon suppositittus licet, ex longissimo usu roboris nonnihil habet, 238
Pedissequa Canonum quid sit, 429
Nomina collectorum Canonum, 459. 563
Canones suppositittii, 515
Circa Canones supposititios, Vide Verb. Decretale, Decretum, Epistola, Gregorius VII.

CANONICUS.

Canonici debent adesse saltem tribus horis præcipuis Officii, 72
Canonicus quid sit, 151
Ad Ordinationem Canonicorum quid necessarium sit, 151. 182
De Electione, & de Installatione Canonicorum, 151. 174
Ætas ad Canonicatum requisita, 151. 182. 188
Ad restaurandam fabricam Ecclesiæ, quid Canonici debent facere, 152. Vide etiam, 165. 534
Possidentes Dignitates, & Canonici tenentur Professionem fidei emittere, ac solita præstare juramenta, 152. 182. 185. 191
Quid requiratur ut Canonici vocem habeant in Capitulo, 153. 180. 191
Canonici sunt Senatus & Concilium Episcopi, 153. Vide etiam 39. 170. 171. 187
Omnes Canonici tenentur interesse Choro per se, & non per substitutos, 154. 195. 331
Canonici, qui Divinis Officiis non intersunt, amittunt Distributiones quotidianas, 155. 193. 194. 195. Vide tamen, 180. 337. 349
De Residentia Canonicorum, 156. 181. 182. 185. 192. 224. 333. 335.
Quomodo procedi possit contra Canonicos non Residentes, & quæ pœnæ in eos decerni debeant, 156. 182. 340. 341
Sunt multi casus, in quibus Canonicus à Choro absens lucratur fructus Præbendæ suæ, non tamen Distributiones, 157. 158. 181. 337. 349. 350
Duo tantùm ex Canonicis possunt esse in servitio Episcopi, 157. 180. 185. 198. 199. 337. 349
De unione seu suppressione Canonicatuum seu Præbendarum, 158. 159. 171. 181. 184. 185
Valet consuetudo ut antiquior Canonicus possit optare Præbendam vacantem, & suam dimittere, 159. 161. 162. 163
An Canonicus Ecclesiæ collegiatæ minor annis XIV. possit petere Restitutionem in integrum, si intra tempus præfinitum optare neglexerit, 164
Canonicus Theologus ut liberiùs studio vacare possit, etiamsi absens fuerit à Divinis, habeatur pro præsente, ità ut nihil perdat, 166. 182
Undè impositum sit nomen Capituli Corpori Canonicorum, & ipsorum Synodis, 170
Multa in Jure dantur nomina Corpori Canonicorum, 170. Vide etiam, 39. 153
Cùm omnes Canonici in prima origine fuerint Sæculares, quamvis in communi viverent, præsumuntur Sæculares, donec contrarium probetur, 171. Vide etiam, 151
Tantùm sæculo XI. visi sunt primùm Canonici Regulares, sic vocati, quia Religiosorum Vota faciebant, & ea Vitæ Clericali adjiciebant, 171
In Gallia Canonici non possident Parochias unitas Canonicatibus, nisi tanquàm Curati primitivi, & tenentur in eis habere Vicarios perpetuos, 172. 186. 349
Canonici possunt à Sanctâ Sede delegari, 175. Vide tamen, 210
Canonici sunt membra Capitulorum, 179
Ut Canonicus habeat Suffragium, quid requiritur, 180. Vide etiam, 153
Canonici qui componunt Capitula, debent vivere Canonicè juxta Regulas Scripturæ & Sanctorum Patrum, 181. 187
Canonici debent abstinere à frequentationibus cum mulieribus suspectis, 182. 189. 310
Canonici debent abstinere à multis aliis rebus, 153. 182. 187. 189
Sessio Canonicorum Ordinis diversi, qui debent ordinari pro Dignitate suorum Ordinum, & non per tempus eorum Receptionis, 182. Vide tamen, 161. 197. 198. 231. 236
Canonici debent relinquere Episcopo licentiam eligendi locum quem voluerit, non solùm in Choro & in Processionibus, sed etiam in Capitulo, cùm jus habet illud adeundi, 183. Vide etiam, 47. 185. 186
Enumeratio Jurium Canonicorum, 179
Quales debeant esse Canonici, 153. 182. 187. 189
Hoc nomen, *Canonicus*, vel latè, vel strictè sumitur, 187
Canonici à Canone nomen sortiti sunt, 187
Canonicos præsertim Cathedralium Ecclesiarum, qui Episcopi Consiliariorum nomine decorantur, 187. 199. Vide tamen, 250
Canonici obligantur intra annum promoveri ad Ordines Sacros requisitos à suo Beneficio, 181. 190. 191. 192
Canonici & Dignitates possidentes assistere debent Divinis Officiis, 153. 154. 155. 193. 194. 195
Quomodò Canonici canere debent in Choro, 154. 195. 196
Canonici debent celebrare Missam, 153. 154. 196
Canonici adesse debent Capitulis, 197. Vide etiam, 159
Præcipui Canones circa Sessionis Ordinem, inter Canonicos ejusdem vel diversarum Ecclesiarum, 197
Observantia Canonicorum erga Episcopum, 200
Canonici Regulares undè dicantur, 201
De Curis Sæcularibus hic agitur, quarum capaces semper fuerunt Canonici Regulares, 201
Canonici sunt unum Corpus cum Episcopo, 230. 251
Vide Verb. Capitulum.
Quo casu Canonici debent præesse Abbatibus, &c. 230
Molanus asserit Curam nobiliorem esse Canonicatu, *ibid.*
Hodiè Canonicatus ferè amisit suas Prærogativas, Canonici rarò ab Episcopis consuluntur, multò minùs à Papa delegantur, *ibid.*
Canonici Regulares debent præesse omnibus Religiosis post Cleros Sæculares, 231
Materia, forma, & color vestimentorum, & calceamentorum Canonicorum, 305. 306. 307. & seq.
Vestes, Vestimenta, Calceamenta, &c. prohibita Canonicis sub variis pœnis, 305. 306. & seq.
Canonicus quasnam Fœminas secum, seu in Domo habere potest, 310. 312
Sub Pœna Excommunicationis, 310. aut aliis Pœnis, 312. 315
Circa tempora quibus præcipuè Canonicus residere debet, 335
An Collegiatæ Ecclesiæ Canonici in Episcopi comitatu commorantes Præbendarum suarum fructus percipiant, 343
Residentia Canonici est de Jure Ecclesiastico, 341. 348
An, ut, *verbi gratia*, Canonicus propter Ecclesiæ utilitatem absens, quotidianas Distributiones percipere possit, utilior esse debeat, quàm ut Præbendæ suæ fructus lucretur, 345
An, *verbi gratia*, qui anno abesset Canonicus, trimestris absentia sibi concessæ fructus lucraretur, 346
Canonicorum munus est plenum laboris, 347
Vide Verb. Comparatio.

CANONICUS REGULARIS.

Origo Canonicorum Regularium, 151. 171
Canonicus Regularis quid sit, 151. 402
In multis casibus, idem judicium de Canonicis Regularibus, quod & de Monachis, 417
Quomodo Canonici Regulares à cæteris Religiosis differant, 437
De Canonicis Regularibus, 475. 477. 481. 499
Canonici Regulares sunt ex numero Religiosorum, 486
Quæ peculiaria sunt Canonicis Regularibus, tàm quoad animarum curam, quàm quoad alia, 201
Vide Verb. Canonicus.

CANONISATIO.

Canonisatio Sanctorum, 16. 370
Canonisatio est vocabulum barbarum, *ibid.*
Canonisare vocabulum, nec in Corpore Juris, nec in Concilio Tridentino reperitur, *ibid.*
Ad alicujus Canonisationem quænam debent concurrere, 371. 372
Ultimus Actus Canonisationis Sanctorum consistit in sententia, *ibid.*
Forma hujus sententiæ, *ibid.*

CANTOR.

Cantor vel Concentor aut Præcentor quid sit, 330
Præcentor vel Cantor qualis debeat esse, *ibid.*
De Cantore Verba notabilia Sancti Hieronymi, *ibid.*
In Ordinatione Cantoris, hæc Verba dicebantur: Vide ut quod ore cantas, corde credas, & quod ore credis, operibus comprobes, *ibid.*
Quodnam est Officium Cantoris, *ibid.*
An duplex sit Cantorum genus, *ibid.*
In Ecclesia Romana Diaconos ad Cantoris Officium eligere non licebat 331
Cantoribus Orariis uti, & cum illis psallere prohibetur, *ibid.*
Cantor, Præcentor idem est ac Primicerius, 166
Junge Verb. Primicerius.

CANTUS ECCLESIASTICUS.

Regulæ circa Cantum Ecclesiasticum, è Corpore Juris Canonici desumptæ, 329

Pauca

Pauca de Cantu in jure, sed hæc continent quidquid de illo sciri dignius, 329
Cantûs Ecclesiastici Autorem CHRISTUM, Apostolosque indigitant nonnulli juris Textus, ibid.
Quisnam est finis Cantûs Ecclesiastici, 330
Psallendi modus idem videtur ac canendi modus, ibid.
In Coronâ, Veste, & Tonsurâ convenienti, psallendum est, ibid. Vide etiam, 154
Qui ad Cantum benè dispositi sunt, ad scientias minùs apti sunt, 331
Quicumque ad Officia Divina publicè recitanda tenentur, ad canendum obligamur, ibid. Vide etiam, 153. 154
Quomodò Canonici & Clerici dicere, aut psallere debent horas Canonicas seu Officium Divinum, 154. 195. 196
Modus psallendi seu canendi, 154
In Ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur, 154. 330
Moduli Theatrales quinam sunt, 330
In Gallia Laici canunt in Pulpito, 331
In Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis devotè psallatur, 153
Cantus Gregorianus undè dicatur, 338

CAPELLA, CAPELLANUS.

An Capellanus ad Residentiam ex fundatione obligatus, ex causâ à jure probatâ à residendo eximi possit, Patrono Laico inconsulto, 335
Capellæ exemptæ, 439. 440
Capellæ rurales, 528
Ne novæ Capellæ fiant sine consensu Episcopi, 402

CAPITULUM.

Capitulum facit cum Episcopo unum Corpus, Episcopus est caput, Capitulum verò repræsentat membra, 39. 175. 167. Si Episcopi aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, Vota exquirant, & juxta ea concludant, 39. 185. 188
Quænam funda sunt in manibus Capituli, 72
Capitulum habet jus visitandi, 66. 185
Capitula non habent hodiè Jurisdictionem Ordinariam, 72. Vide tamen, 172
Capitulum Sede Vacante potest constituere Vicarium seu Officialem, 112. 162. 176. 179. 182
Capitulum investit Canonicum de Canonicatu, & solemniter installat, sed ad Episcopum pertinet collatio Beneficii seu Præbendæ, 151
Capitulum est Senatus Episcopi, 153. 170. 171
Quandonam Canonicis prohibitum sit Capitula celebrare, & quandò valeant Constitutiones ab illis factæ, 159. 197
Sede Vacante quænam est autoritas & potestas Capituli, 160. 161. 175. 176
Capitulum est necessarius, non voluntarius Administrator, 161
Regulæ circa Capitula, depromptæ è Jure Canonico, quemadmodum observatur in Galliâ, 169
Hoc verbum, Capitulum, quomodo accipitur, ibid.
Numerus hominum sufficiens in Capitulo est, si adsint duo aut tres, 170
An Episcopus ex propria autoritate possit in aliqua Ecclesia Capitulum constituere, ibid.
Capitula alia sunt Ecclesiarum Cathedralium, & alia Capitula Ecclesiarum non Cathedralium, 171
Capitula alia sunt Sæcularia & alia Regularia, ibid.
In quo Capitula Cathedralium conveniant & differant cum aliis Capitulis, ibid.
De Juribus Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium & Ecclesiarum non Cathedralium, ibid. Vide etiam, 234
Capitula exempta, 172. 173. 198. 234
Sunt Capitula, quæ habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, 172
Capitula quid possunt injussu Papæ, ibid.
Mensa Capitularis, 173. 185
De Juribus Capitulorum Cathedralium, 173. 174
De Juribus propriis Capitulorum Cathedralium, 174. 175
Capitula Cathedralium succedunt Jurisdictioni Episcopi, cùm Sedes vacat, 175
Limita tamen ut hîc, 175. 176
Exceptiones Regulæ quoad jura propria Capitulorum Cathedralium, 176
Capitulorum Cathedralium, dùm Sedes vacat, jura certa, aut quæ clarè exprimuntur in Jure, ibid.
An certò constet jura Capitulorum, Sede Vacante, nihil aliud valere, nisi quod expressè ipsis à Jure permittitur, 178
Jura Episcopalia à quibus Capitula expressè excluduntur, Sede Vacante, 179
Sede Vacante, Capitula non possunt exercere per se Jurisdictionem Episcopi, sed intra octo dies debent eligere Magnum Vicarium, 179. 182
Quænam sunt membra Capitulorum, 179
Enumeratio jurium membrorum Capitulorum, ibid.
Obligationes communes omnibus Capitulis, 180
Obligationes propriæ Capitulis Cathedralium, 182
Quæ requirantur ad validitatem Actuum Capitularium, 184
Exceptiones de iis quæ requiruntur ad validitatem Actuum Capitularium, ibid.
De Juribus & Obligationibus Episcoporum quoad Capitula, ibid.
Si Capitulum statuat in materia gravi sine consensu Episcopi, Statutum est nullum, 185
Sunt nonnulla Capitula in Galliâ, quæ non reddunt Episcopo honores, qui ipsi videntur debiti, 186
Capitula Cathedralium sunt tanquam Caput aliorum, 192
Legantur singulis annis in Capitulis Generalibus, Capitulorum Statuta, 197
Capitulum dispensare potest circa Residentiam, 318
Vide Verb. DISPENSATIO ECCLESIASTICA.

CAPITULA MONACHORUM SEU RELIGIOSORUM.

In singulis Regnis seu Provinciis, fiat de triennio in triennium commune Capitulum Abbatum atque Priorum, 419
Hujusmodi Capitulum aliquot certis diebus continuè celebretur, ibid.
Quid ordinetur in illo Capitulo, ibid.
Capitula Provincialia, 489

CARDINALIS.

Cardinales sunt unum Corpus cum Romano Pontifice, 18. 230
Ecclesia quæ spectat ad Titulum Cardinalis, illi in spiritualibus est subjecta pleno jure, 19. Cardinalium Cœtus Collegium Apostolicum repræsentant, ibid. Cardinales alii sunt Cardinales Episcopi, alii Presbyteri & alii Diaconi, ibid. Dignitas Cardinalatûs est prima post Papatum, 18. 19. Cardinales undè dicantur, 19. De Prærogativis Cardinalium in Gallia, 20. Per promotionem ad Cardinalatum vacant omnia Beneficia, 20. Ubi judicandæ sunt causæ ad Cardinales spectantes, ibid.
In Synodo Romanâ, Anastasius Presbyter Cardinalis Tituli Beati Marcelli, ab omnibus Canonicè est depositus, eo quod Parochiam suam, per annos quinquè, contrà Canonum instituta, deseruit, 40. 218. 145
De Optione Titulorum Cardinalium, 165
De Sessione Cardinalium, 230
Cardinales sunt Consilium Papæ, 234
De Residentiâ Cardinalium, 333. 334. 342
Cardinalatus, qui Jure Residentiam exigebat, Consuetudine non exigit, 334
Decanus Cardinalium, 336

CARTHAGO.

Circa Concilium Carthaginense, vide verb. ECCLESIA AFRICANA.

CASTITAS. CÆLIBATUS.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi non habent licentiam ducendi uxorem, 262
Clerici & Sacerdotes à voluptate uxoriâ privari debent, 267
Clerici in Sacris Ordinibus constituti continenter & castè vivere debent, 270
Castitas corporis est proprium & præcipuum Clericorum Ornamentum, 372
Continentia servanda est in Jejunio Quadragesimæ, & in diebus Jejunii, 392. 393
An Virginitas, aut perpetua Castitas voveri possint, 424. 519
De Cœlibatu Sacerdotum, Monachorum & Monialium, 454
Papa non potest dispensare Monachum, seu Religiosum de Voto Castitatis, 474. 495
Observatio spectans ad mutationes factas circa Votum Castitatis, 493. 494
De Voto Castitatis seu Continentiæ, 519

CASUS RESERVATI.

De Absolutione à Casibus Reservatis, 101. 431. 432
Vicarius Generalis Episcopi in Casibus occultis, Sedi Apostolicæ Reservatis, non potest in foro Conscientiæ absolvere, nisi sit ad id specialiter deputatus, 114
In Galliâ Deputatio illa non est necessaria, ibid.
In Kalendis seu Synodis, Curati legere debent Libellum de Casibus Episcopis & Sedi Apostolicæ Reservatis, 229
Vide etiam, 228

CATHEDRALIS, (Ecclesia.)

A quo Ecclesiæ possunt erigi in Cathedrales, vel Metropolitanas, 25. Non est tanta communio inter Episcopum, & inter Capellas, seu Monasteria, seu alia pia loca, quàm est inter Episcopum & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus, 39
Quandò, & quomodò Episcopus possit visitare Ecclesiam suam Cathedralem, 70. & seq. An debeatur illi hanc ob causam aliquod Jus Procurationis, 71. 73. 74
Liber punctuationum in Ecclesiis Cathedralibus, 72
De Dignitatibus, ut vocant, Ecclesiarum Cathedralium, ad quid institutæ sint, cujus ætatis, & quales esse debeant qui ad illas assumuntur, 151
Ecclesia Cathedralis est Sæcularis, vel Regularis, 151. 153
Ad restaurandam fabricam Ecclesiæ, quid Canonici aut Clerici debent facere, 152. 165
Ordinarius Collator in unaquâque Cathedrali, ac etiam Metropolitanâ Ecclesiâ, Canonicatum & Præbendam Theologalem ibi consistentem conferre teneatur uni Magistro, seu licentiato, 166. 182. 31

Archidiaconatus est prima Dignitas Ecclesiastica in Cathedralibus Ecclesiis, 167
De custodiâ Ecclesiarum vacantium, quæ aliquandò pertinet ad Archidiaconos, & de Investiturâ eorum qui iisdem Ecclesiis præficiuntur, 168
De Dignitatibus Ecclesiarum in particulari, 165
Quid intelligitur per Matricem Ecclesiam, 23. 106
Ecclesiæ sunt per Episcopum conservandæ, 83. 98
Circa Ecclesias (Cathedrales, Collegiatas, Conventuales, &c.) nihil fieri potest, sine Episcopi consensu, 100
An Episcopus ex propriâ autoritate possit in aliquâ Ecclesiâ Capitulum constituere, 170
Quomodò Ecclesia Cathedralis distingui potest ab Ecclesiâ non Cathedrali, 171
Ecclesiæ aliæ sunt Episcopales, aliæ Archiepiscopales, aliæ Primatiales, aliæ Patriarchales, aliæ Collegiatæ, aliæ Parochiales, 171
Duo sunt Capitulorum genera, nempè Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & Capitula Ecclesiarum non Cathedralium, ibid.
Capitula-Ecclesiarum Cathedralium sont in gradu eminentiori, quàm alia, quemadmodùm Archiepiscopi ratione Episcoporum, 171. 334
In rebus odiosis, Ecclesia Cathedralis non comprehenditur sub expressione generali Ecclesiarum urbis, 174
Administratio Cathedralium, tàm in Temporali, quàm in Spirituali pertinet ad Capitula, cùm Episcopus, aut defunctus, aut captivus est, 175. 176
Limita tamen ut hîc, 175
Canonici seu Capitula Cathedralium sunt tanquàm Caput aliorum, 190
In omnibus Ecclesiis Cathedralibus, omnes Canonici & alii Officio Divino addicti, sint vel Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, 191
In unâquaque Cathedrali, Magister Ceremoniarum ab Episcopo & Capitulo constituatur, 200
Sola Cathedralis Ecclesia in alias Jure Communi habet Jurisdictionem. 226
Aliæ verò in alias Jurisdictione non potiuntur, nisi sibi expressè concessa fuerit, 226
Abusus plurimarum Ecclesiarum Cathedralium circa Spectacula Comica, seu jocus Theatrales, 529

CATHEDRATICUM.

Cathedraticum est Jus Cathedræ Episcopali annexum, 84.
Vide etiam, 31
Vide Verb. SYNODATICUM.

CAUSA ECCLESIASTICA.

Omnes Causæ Ecclesiasticæ in primâ instantiâ ab Ordinariis locorum judicandæ sunt, 88
In Officialem Episcopi, per commissionem Officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transfertur, 38
Via latissima à Concilio Tridentino introducta, quæ auxilium præbet ad deferendas causas ad Sedem Apostolicam, omisso medio, 149

CAUSA PAPÆ.

Per causas majores intelligi solent negotia magni momenti Summo Pontifici reservata, 118. 342
Quænam sunt causæ majores, 12. 61. 107. 118
In Galliâ Papa causas majores non potest evocare, sed per Delegatos eas in Regno judicat. 83
Regulæ circa causas majores è Corpore Juris Canonici desumptæ, 117. & seq.
In causis Ecclesiasticis, cùm aliquid fuerit difficile vel ambiguum, recurrendum est ad Judicium Sedis Apostolicæ. 18
Erectio Episcopatuum inter causas majores numeranda non est, 134
Quo tempore inter causas majores annumerari cœperit Coadjutorum Episcoporum datio, 146
An Coadjutorum datio inter causas majores apud Gallos recenseatur, ibid.

CAUTELA.

Cavet Romanus Pontifex, ne quid, quod ad cautelam pertinet, omittat. 18
Omnis cautela adhibenda est, ne fraus fiat circa Titulum Clericalem, 297

CENSURA ECCLESIASTICA

Censuræ Ecclesiasticæ, quid per hæc verba intelligendum est. 83
Censuræ pertinent ad Episcopum ut Judicem & ut Legislatorem, 84
Censuræ aliæ sunt ab Homine, aliæ à Jure, 107
Apud Gallos, Archiepiscopus ferre nequit Censuras in Suffraganeos, 53
Sede vacante, Capitula possunt ferre Censuras etiam majores, 176. 177
An Capitulum possit absolvere à Censuris, 176. 177. 178
Censura Ecclesiastica est principalis correctio aut pœna à Jure Canonico adhibita contra Religiosos, Monachos, aut Abbates, Priores delinquentes. 421. 422. 423. 455. 475. 483. 484. 566
Ratio hujus rei est, quia per XII. priora sæcula Censuræ Ecclesiasticæ maximè timebantur, 435
In Galliâ Censuræ reputantur tantùm notoriæ, cùm denunciantur, 541

CEREMONIÆ.

A Parochis de Ceremoniarum significationibus Populum doceri volumus, 248
Ceremoniæ sunt signacula Pietatis & Religionis Christianæ, 250
In unâquaque Cathedrali, Magister Ceremoniarum ab Episcopo & Capitulo constituatur, 200
Qualis debeat esse, ibid.
Magistri Ceremoniarum Officium erit, tàm assistentes Choro, quàm Altari Ministros Officii admonere, ibid.

CHARITATIVUM.

Episcopi possunt exigere charitativum subsidium, 84
Charitativum subsidium quid sit? ibid.

CHOREPISCOPUS.

Chorepiscopi habent jus visitandi, 66
De Chorepiscopis, 208. 285
Vide Verb. ARCHIPRESBYTER.

CHORUS.

Præsidens Chori, 155
Clericus, Dignitas, seu Canonicus non possunt abesse à Choro vel à Divino Officio sine gravi causâ, 154. 155. 156. 180. 349
Exceptis tribus casibus, 182. 324. 325. 337. 349
Observationes circa illas Exceptiones, 180
Canonici consident in Choro, 179
Omnes Canonici & Dignitates tenentur interesse Choro per se & non per substitutos, 154. 195. 331
In Choro Canonici debent cantare dilucidè, clarè & distinctè, non cursim, & inordinatis vocibus, 154. 195. 196
Tabula continuè pendens in Choro, 196
Usus illius Tabulæ, ibid.
Servanda quæ scripta sunt in illa Tabulâ, & si Scriptor erraverit, ut vitetur scandalum, Officioque peracto, curandum ut error corrigatur, 197
Quemnam locum in Choro debeat habere Curatus Cathedralium, 231
Hodiè Moniales cum Canonicis vel Monachis in uno Choro convenire non debent ad psallendum, 323. 328. 331
In Italiâ versus sæculum XII. hæc consuetudo erat in usu, 328
Cur hæc consuetudo hodiè est abrogata, 335
Quicumque ad Officia Divina publicè recitanda tenentur, ad canendum in Choro obligantur, 331. Vide etiam. 153. 154
Vide Verb. CEREMONIA, PUNCTUATOS.

CHRISMA.

In Consecratione. Chrismate ungi debet Episcopus, non tàm in corpore, quàm in corde. 28
Chrisma ab Episcopo conficitur, 83. 91. 215. 388
Parochi seu Rectores Ecclesiarum debent petere singulis annis Chrisma à suis Episcopis, & illud custodire. 204. 252
Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu Medicinæ, donare præsumant, 205. 528
Chrisma est genus Sacramenti, & non ab aliis, nisi à Sacerdotibus contingi debet, 205
Omni tempore Episcopo liceat Chrisma conficere, 388

CHRISTUS.

Ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur, 2. Unigenitus Dei Filius JESUS-CHRISTUS à totâ Trinitate communiter incarnatus, ibid. CHRISTUS secundum Divinitatem immortalis, sed secundum humanitatem factus est mortalis, ibid. CHRISTUS verus est Deus, & verus Homo, 248
Omnes Episcopi sunt Vicarii CHRISTI, 143. 297. 299
Summus Pontifex est etiam Vicarius CHRISTI, 9. 141. 143. & passim.
CHRISTUS est Caput Ecclesiæ, 292
Sensus Legis CHRISTI circa primam Sedem. 337. 338
Cantûs Ecclesiastici Autorem CHRISTUM, Apostolosque indigitant nonnulli Juris Textus, 329
Festum Corporis CHRISTI, 326. 329. 364
Passio Domini pari Solemnitate S. Augustini tempore, ac ejus Resurrectio celebrata erat. Hæc Solemnitas abrogata est in Ecclesiâ Romanâ, 359. 361. 362. 365. 366
Ascensio CHRISTI, Adventus Spiritûs Sancti, 361. 366. 368
Nativitas CHRISTI, 362. 366
Festum Transfigurationis. 363
Festum Circumcisionis. 363
Quænam sunt prærogativæ Paschæ, 367
De die & tempore Celebrationis Paschæ, 368
Jejunium Quadragenarium CHRISTI. 383. 384. 386
Ad imitationem illius Jejunii, Jejunium Quadragesimæ institutum fuit, 385
Nomen CHRISTI est super omne nomen, 524
In nomine JESU omne genu flectatur. ibid.
Concilium Toletanum ann. 589. existimat CHRISTUM non flevisse Lazarum mortuum, sed ad hujus vitæ ærumnas ressuscitandum, 558

CIRCUITORES seu VISITATORES.

Vide Verb. PAROCHUS.

CIVI-

CIVITAS.

Unus tantùm Episcopus in una Civitate esse debet, 7. 27
In quibus Civitatibus Episcopi constitui debent, 6. 24
Sub nomine Ecclesiarum Civitatis comprehenditur plerumque Ecclesia Cathedralis, 23. In odiosis, nomine Ecclesiarum Civitatis, quid intelligitur, 23. Civitatis appellatione Diœcesis non continetur, 30
Nunquam inventus est Episcopus, qui de majure Civitate ad minorem transierit, 42. 128
Non oportet Episcopum de Civitate ad Civitatem migrare, 42. 128
Clerici de Civitate in Civitatem migrare non debent, 232. Vide etiam, 291. 292. 396. 472
Casus, in quibus Ecclesiæ Civitatis profanantur, 552

CLAUSULA.

Clausula *Salvo Jure alieno*, 231
Clausulæ *Salvo Præjudicio tertii*, 232
Clausula *Quod usque placuerit Dimissum revocare*, 583
Clausula *Servatis servandis*, 480
Clausulæ usitatæ in Privilegiis Monachorum, Religiosorum circa jus funerandi, 562

CLERICUS, CLERICATURA.

Clerici Sacros Canones callere tenentur, 29. Clericorum correctio ad Episcopos spectat, 36. 267. Monebunt Episcopi suos Clericos, in quocumque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone & scientia, commisso sibi Dei populo præeant, 36. 298
Quid servatur in Gallia circa crimina Clericorum, 89
Incontinentia quomodo punitur in Clericis, 90. 270
Casus, in quibus Clerici amittunt fori Privilegium, 90. 266
Circa vitam & honestatem Clericorum & Canonicorum, 36. 153. 261. 298. 307
De Residentia Clericorum, 156. 331. & seq.
Clerici in ægritudine stipendiis suis privari non debent, 158
Clerici Urbici, quid erant olim, 209
Clerici Rustici, ibid.
Clerus Sæcularis debet prægredi Clerum Regularem, tàm Monasticum, quàm Mendicantem, & Canonicum Regularem, 231
Clericorum Dignitas ex Sacris Ordinibus desumitur, 232
Parochi in Clericos Ecclesiæ Parochialis potestas, 243
Emolumenta, Retributiones seu Jura Clericorum Ecclesiæ Parochialis, ibid. 244
Casus, in quibus Clerici sunt suspensi ipso facto, 244. 245
Clerici undè dicantur, 260. 302. 378
Clerici quid sint, 260
Quid nomine Clericorum in Jure Canonico intelligatur, ibid.
Clerici Majores, Clerici Minores, seu Inferiores, 261
Casus, in quibus nomen Clerici accipitur in stricta significatione, ibid.
More Romano Clerici tonsi sint, ibid.
Qui Mores in Clericis exigantur à Canonibus, 261. 262. 263. 264
Ludi voluptuosi, 262
De pœnis contra Clericos vitiosos & turpia lucra sectantes, 262. 263
De Pœnis contra Clericos usurarios, 263
Casus, in quibus Clericale nomen abominabile redditur, 264
Quænam Sæcularia Negotia Clerici non debent exercere, ibid.
An & quomodo vetitum sit Clericis Arma ferre, & sub quibus Pœnis, 264. 265
Quæ Officia, quas Artes, exercere Clericis vetitum sit, ibid.
Quas Negotiationes, & quas Artes licitum sit Clericis exercere, ibid.
Clerici Arma portantes excommunicentur, ibid.
Clericus victum & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura, absque Officii sui duntaxat detrimento, paret, ibid.
Qui manus violentas in Monachum, vel in Clericum injicit, ipso jure fit excommunicatus, 266. 429. 521
Clerici non possunt cum mulieribus habitare, vel mulieres in habitationes suas recipere, & retinere, cum suspectis mulieribus conversari, 182. 189. 258. 269. 270. 271. 308 & seq.
Neque est Clericis licitum ingredi caupenas, vel tabernas, nisi longioris itineris causâ, 262
De Privilegiis Clericorum concessis à Jure Canonico, 266. 521. 522. 523
Casus, in quibus Clerici amittunt Privilegia, 90. 266. 267. 324. 306. 308. 402
Usque ad tertiam Admonitionem gaudent Clerici Privilegio Clericali, 266. 271. 589
An Clerici, qui Tonsuram, vel Minores Ordines assumpserunt, statum mutare possint, 267
De Pœnis contra Clericos & alios in Majoribus Ordinibus constitutos Uxorem ducentes, 268. 269
De Pœnis contra Clericos & alios Ecclesiasticos in Majoribus Ordinibus constitutos, Concubinarios, 269. 270
Quibus Pœnis puniantur Clerici in Sacris Ordinibus constituti, qui incidunt in aliquod luxuriæ peccatum, 270. Vide etiam, 90
Cùm quibus Fœminis liceat Clericis seu Sacerdotibus habitare, 272. 308. & seq.
Obligationes Clericorum, Sacerdotum circa horas Canonicas, 272
Clerici in Sacris Ordinibus constituti, non possunt ministrare in aliis Ecclesiis sine licentia sui Episcopi, 273. 408
Variæ Pœnæ latæ fuerunt contra Clericos discedentes sine Literis Dimissoriis, 283
De Examine Clericorum ante Ordinationem, aut ante Ordines, 284. 285. 286
Innocent. I. statuit omnes Ecclesiasticos Viduarum Maritos à Clericatu arcere & promotos deponere, 285. 287
Clerici non possunt ordinari sine Literis Dimissoriis ipsorum Episcoporum, 274. 275. 276. & seq. 287
Clerici obtinent Ordinem Levitarum, 289
Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundum meritum, vel reditum Ecclesiarum 291. 292
Clerici qui Sancti non sunt, Sancta tractare non possunt, 270
De Vocatione Divina ad Clericatum, & quibus modis dignosci possit, 297
Qui per Clericatûs Officium aliud quærit quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit, 299
Canones circa primam Tonsuram Clericorum, *Clericaturam* vulgò vocitatam, 300. & seq.
Conditiones necessariæ ad fruendum Privilegio Clericali, 301. 302
Præcipui Canones cujusque sæculi circa Titulum Clericalem, 390. & seq. Vide Verb. Titulus.
Quo casu Clericatura seu prima Tonsura est Ordo, 301
Ætas requisita ad Clericaturam, est ætas circiter duodecim annorum, 301. 302
Inserviturus habitum Clericalem quotidiè gestet, Sacerdotibus præeat ad nutum, obedientiam præstet, & Ritus Ecclesiasticos discat, 301
Vestis datur in Collatione Clericaturæ seu primæ Tonsuræ, 261. 301
Minores septem annorum non possunt suscipere istam Clericaturam, 261. 301. 302
Quænam sunt requisita ad istam Clericaturam suscipiendam, 301
Episcopus potest conferre Clericaturam quolibet die & quovis tempore, ibid.
Episcopus quodnam Examen facere debet ante Collationem Clericaturæ seu Tonsuræ Clericalis, 302
Clericatura seu Tonsura Clericalis est janua ad Ordines, ibid.
Clericus nec comam nutriat nec barbam, 302. 304. 405
Clerici honestè tonsi & coronati incedant, 303
De Pœnis contra Clericos comam & barbam nutrientes, 302. 303. 304
Clerici à novitatibus scandalosis, & deformitatibus monstrosis in coma capitis abstineant, 303. 307
Clericus qui Tonsuram negligit, non gaudet Privilegio fori, 304. 308
Notabiliores Canones circa habitum Clericalem, à Christo ad nos, juxta Ordinem temporum collecti, 304
Ex hac collectione exurget Historia Ecclesiasticæ Disciplinæ circa Clericales vestes ex certissimis Monumentis desumpta, 304
Connexio Clericalis habitûs cum Clericali Tonsura, 304
Clerici quænam Vestimenta aut Vestes induere debent, ibid. 305. & seq.
Vestes, Vestimenta, Calceamenta, &c. prohibita Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, sub variis Pœnis, 304. 305. & seq. 308
Canones circa habitum Clericalem ex Bullario deprompti, ibid.
Canones de interdicto Clericis cum mulieribus consortio, ibid. & seq. Vide etiam, 182. 189. 258. 269. 270. 271
Clerici non soli ad viduas, vel virgines accedant, 308
Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, quasnam mulieres secum, seu in domo habere potest, 272. 308. 309. 310. 311
Nullus Clericus, Sponsalibus, Baptismo, Nuptiis audeat interesse, 311
Ratio hujus rei, ibid.
Matres Clericorum non debent habere Pedissequas aut Servitrices (id est Ancillas) suspectas, ibid.
Ætas illarum Ancillarum, 312
Quæ inferenda ex præmissa Collectione Canonum, de interdicto Clericis cum mulieribus consortio, ibid. & seq.
Circa Clericorum Residentiam aliæ sunt certa, aliæ controversa, 331
Quæ sunt certa circa Residentiam Clericorum, 332. & seq.
De Pœnis contra Clericos non Residentes, 335. 342. 361. 362
Dies Absentiæ Clericis permissæ quomodo computandi sunt, 336
Quæ sunt controversa circa Residentiam Clericorum, 342. & seq.
Obligatio Clericorum ad lenitatem, aliave similia, 400
Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, qui abjiciant habitum Clericalem, fieri Apostatas, & quomodo puniendi sint, 401
Obligationes Clericorum circa Ecclesias, sive Templa ac Basilicas, & ea quæ ad illas pertinent, 402
Clericos posse Religionis statum amplecti, 425. 429
Clerici sine Capite, 542
Clerici aut sunt in Dignitate constituti, aut non, 548. Vide Verb. Coma.

COADJUTOR.

Episcopo ægrotanti Coadjutor Episcopus associari potest vir providus & honestus, per quem tàm Episcopo, quàm populo utiliter consulatur, 42. 61. 143
Plurima sunt genera Coadjutorum, 60. 143.
Casus, in quibus datur Coadjutor, 42. 60. 109. 143. 144. 145.
De Coadjutoribus, præsertim Episcopalibus, 143. & seq.

Vicarii Generales Episcopi appellantur etiam Coadjutores, Officiales, Procuratores, Oeconomi, 60. 111. 143
Coadjutor alius est temporalis, alius est voluntarius, alius necessarius, 143. 144
De Coadjutore cum futura successione, 144. 145
An Coadjutor Beneficia conferre possit, 145
An cuivis Coadjutorum generi alienatio prohibeatur, 145
An & in quibus conveniat, vel differat cum expectativa, Coadjutoria futuræ successioni conjuncta, 145
An de quovis Coadjutore dici queat easdem in illo qualitates requiri, quæ in Prælato requiruntur, 146
An Coadjutoriæ cum futura successione propter easdem prohibeantur causas, propter quas aliàs vetabatur, ne quis suum eligeret Successorem, 146
An quod de Episcoporum Coadjutoribus à Bonifacio constitutum est, ad Abbatum Coadjutores extendendum sit, 146
Concessa circa Canonicatum Coadjutoria cum futura successione, non impedit ne coadjutus optet, si optioni locus detur, 163
Episcopus non potest absque Capitulorum approbatione Coadjutorem sumere, 174. 175
Limita tamen ut hic, 174. 175

COEMETERIUM.

Episcopus eamdem circa Cœmeteria Jurisdictionem habet, quàm circa Ecclesias, 97
Cœmeterium gaudet iisdem privilegiis ac Ecclesia, 97
Privilegia Cœmeteriorum, 97. 523. 534. 558
Cœmeterium pollutum eodem modo reconciliatur, ac Ecclesia, 98. 525. 534. 543
Pollutio Cœmeterii nunquam pervadit usque ad Ecclesiam, 535. 543
Cœmeteria à quo die seu tempore, censenda sunt polluta, 542
Vide Verb. Ecclesia seu Templum.

COLLATIO.

Ex dilatione Collationis majus nascitur incommodum, quàm ex dilata optione, 163
Capitula Cathedralium in genere Collationis supplere possunt Episcopi negligentiam, 525
Vide Verb. Devolutio.
De Collatione Beneficiorum Sede vacante, 175. 176. 177. 178
De Collatione Beneficiorum illicita, 63. 64

COLLEGIATA (ECCLESIA).

Ecclesia Collegiata est vel Sæcularis, vel Regularis, 151. 153
Numerus Clericorum debet institui in Ecclesiis Collegiatis, secundum facultatem ipsarum 158. Vide etiam, 201. 202
Major decem annis est idoneus habitus ad possidendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata, 164
Ecclesia Collegiata Parochialis, 171
Ecclesiæ Parochiales inferiores sunt Ecclesiis Collegiatis, cùm pro magno suo honore erigantur in Collegiatas, 230. 232
Vide Verb. Canonicus, Dignitas.

COMA.

Clericus nec Comam nutriat, nec barbam, 302. 303. 304
Si quis ex Clericis laxaverit Comam, Anathema sit, 302. 402
Tonsuræ Ecclesiasticæ à Nazareis usus exortus est, 302. 304
Cultus crinium est habitus mulierum secundum Petrum Apostolum, 303
Forma crinium Clerici in Majoribus Ordinibus constituti, 303
Forma crinium Clerici in Minoribus Ordinibus constituti si velit gaudere Privilegiis Clericalibus, 303
Vide Verb. Corona Presbyteri.

COMMENDA.

Commendæ temporales non agnoscuntur in Gallia, quia in eadem regione, præventione irritantur, 172. Vide tamen, 178
Commenda aut ad totam hominis vitam, aut ad aliquot menses, 177
Commendata Monasteria, nec non Beneficia tàm Curata, quàm non Curata, Sæcularia & Regularia, qualiacumque Commendata etiam exempta, ab Episcopis annis singulis visitentur, 430
De Commendis perpetuis, Regulæ è Corpore juris Canonici, Concilioque Tridentino desumptæ, 499
Commendatarii temporales nihil aliud sunt, quàm Vicarii temporales, 499
Commenda perpetua quid sit, 499
De Dispensationibus circa Commendam, 500. 501
An Beneficium Regulare Clerico Sæculari Commendatum per 40. annos, Sæculare fiat, 502
An Collatio in Commendam postulationi admissæ similis sit, 503
An Commendæ genus sit concessio Beneficii unius Ordinis, vel Monasterii, facta Religioso alterius Ordinis, vel Monasterii, 503
An ex eo quod Prælatorum sibi inferiorum postulationem admittere possit Episcopus, inferre liceat similium Prælaturarum Commendas concedere nunc posse, 503
Hodiernæ Regularium Beneficiorum Commendæ reprobatæ sunt in veteri Jure, 504

COMPARATIO.

Comparatio Prælatorum vagantium in diversis Curiis cum Mercenariis, 39. Vide etiam, 44. 203.
Comparatio Summi Pontificis Veteris Legis cum Summo Pontifice novæ Legis, 147. 532
Comparatio mulieris cum serpente, 309. 313
Comparatio militiæ Sacræ cum militia armata & togata, 342
In istis sunt milites emeriti, Consiliarii emeriti, ita in militia Ecclesiastica esse debent Canonici emeriti, 342
Quid sentiendum est circa illa verba, & circa multa alia ferè similia, 347. 348
Comparatio Philippi II. Regis Hispaniæ cum Constantino & Theodosio, 356
Sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita sine Monasterio Monachus, 431
Comparatio desumpta ex lege Moysis circa animalia diversæ speciei, 482
Comparatio Prælatorum, Monachorum, Religiosorum, cum Prælatis Ecclesiasticis Sæcularibus, 484
Vide Verb. Conjugium, Servus.

CONCILIUM.

Concilia quid sint, 26. Textus Juris Canonici, qui ad Concilia spectant, 26
Concilia sunt præcipui fontes Juris Canonici, 26

CONCILIUM GENERALE.

De Prærogativis & Privilegiis Conciliorum Generalium, 26. 354
Imperatores possunt adesse Conciliis Universalibus in quibus de Fide tractari solet, 2

CONCILIA GENERALIA SEX PRIMORUM SÆCULORUM.

Concilia Generalia Ecclesiam repræsentant, 2
Notata circa Concilium Apostolorum, 314
Quatuor prima Concilia Generalia ut Evangelia sunt veneranda secundum S. Gregorium, 125

CONCILIA GENERALIA NOVA SEU RECENTIORA.

Decretum Concilii Tridentini circa Symbolum Fidei, 8
Hac potestate (scilicet convocandi Visitatores) Metropolitani non gaudent in Gallia, nec ulla alia nova à Concilio Tridentino concessa, 86
Concilium Tridentinum novum jus constituit, 146
Ex Concilio Tridentino partim factus est VII. Decretalium liber, 169. 491
Ante Concilium Tridentinum, Capitula regebant Ecclesias vacantes per magnos Vicarios, 176
Concilium Tridentinum totam Sacramenti Extremæ-Unctionis materiam ex professo exposuit, 214
A Conciliis Generalibus Lugdun. & Viennens. maximè detractum Antiquæ Disciplinæ, circa ætatem Sacerdotalem, 343
Concilium Pisanum I. Conc. Constant. & Basileens. 354. 355
Hæc Concilia aliis multis Generalibus anteponimus, ideò quòd habita fuerint ad restaurandam Autoritatem Conciliorum Generalium à Pontificibus usurpatam, 354
Ante Concilia Lateran. quæ Generalibus annumerantur, nullum est Concilium Generale, cujus Decreta sub nomine Pontificis concepta fuerint, 355
Anteà loquebatur ipsa Synodus, 355
Indè est quod Synodi particulares ante Sæculum XI. habitæ, nunquàm Decreta sua conceperint sub nomine Præsidentis, sed suo, 355
Concil. Generalia Lugd. & Vienn. imitarunt exemplum Conciliorum Lateran. 355
Quamnam utilitatem Gallia, respectivè ad Curiam Romanam traxit, nolendo publicare Concilium Tridentinum, 355
Concilium Tridentinum plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honorifica, 356
An Principes aliquam partem habuerint in Conciliis Provincialibus, post Tridentinum habitis, ad procurandam executionem Decretorum ipsius, & posito quod aliquam habuerint, an indè elici possit aliquid illi Concilio favorabile, 356
Regulæ Concilii Constantiensis circa exemptiones, 438
A tempore publicationis Decretorum Concilii Tridentini, non creverunt, sed potiùs decreverunt privilegia, 450
Martinus V. in Concilio Constantiensi revocavit multas gratias extraordinarias ab Antipapis concessas, 477
Concilium Generale Nicænum II. convocatum fuit. ann. 787. 496
Canon hujus Concilii Generalis explicatus, 496
Hic Canon docet plurima notatu digna, 496. 498
Decretum notatu dignum Concilii Generalis Basileensis circa turpem quemdam abusum, 529
Concilium Viennense est receptum apud Gallos, 556

CONCI-

CONCILIA PARTICULARIA GALLICANA, seu CONCILIA ECCLESIÆ GALLICANÆ.

Concilia Gallicana non derogantur Juri Communi circa Distributiones, nec quidquam adaderant notatu dignum, 194
Synodus Altissiodorensis ann. 578. inter Concilia recensetur, 314
An post Concilium Tridentinum reperiantur Concilia Particularia, quorum Decreta confecta sint sub Archiepiscopi nomine, cum Suffraganeorum consilio, & consensu: & quænam illa sint, 355
Post Concilium Tridentinum nulla ferè, saltem in Galliâ, celebrata fuerunt Concilia Provincialia, 357. Vide etiam, 62

CONCILIUM PARTICULARE.

Annis singulis Episcopus in suâ Diœcesi Synodum faciat de suis Clericis, 33
Quænam est potestas seu autoritas Concilii Provinciæ, in Episcopos Provinciæ, 60. & seq. 108
A sæculo XVI. nulla ferè celebrata fuerunt Concilia Provincialia, 62. 357
Archiepiscopus convocare potest Suffraganeos ad Concilium Provinciale, 109. 110. 357
Concilia Provincialia convocari debent ad dirimendas quaslibet controversias, quæ circa Fidem in Provinciis nascuntur, 119
Multa exempla super hanc materiam, ibid.
Res notatu digna super Concilium Arelatense, 119. 120
Episcopi sunt inferiores Conciliis Provincialibus, 149
Multa Concilia Provincialia existimant Episcopos à Decretis Conciliorum Generalium posse dispensare, 149. Vide etiam, 104
Synodus Diœcesana Frisingen. (in Bavariâ) ann. 1440. inter Concilia recensetur, 314
Nonnunquam accidit, ut Decreta Conciliorum fiant contra Votum Præsidentis, 354
Decreta Conciliorum cur concipiendi non sunt nomine Præsidentis, 354. 355
Concilia citata à Collectoribus Canonum, cum Observatione facta Principes eisdem interfuisse, quænam sint, 460
Concilium Londinense ann. 1237. solùm factum fuit in gratiam Angliæ, 137
Concilium Bracharense III. in Regno Galiciæ habet autoritatem valdè limitatam, ibid.
Circa Concilium Brac. I. Vide verb. DISCIPLINA.

CONCIONATOR.

Vide verb. PRÆDICATIO.
Canones circa Concionatores, 313
Quinque Classes sunt Canonum ad Concionatorem pertinentium, ibid.
Requisita in Concionatore, ibid.
Quæ Concionator prædicare teneatur, 314
De potestate committendi prædicandi munus. ibid.
De modo prædicandi, 316
Si Populus Eleemosynam Concionatoribus præbere neglexerit, quid facere debet, 316
An, & quomodò licitum sit Religiosis prædicare Verbum Dei, 445
Quomodò prædicare possint Regulares in suis vel alienis Ecclesiis, 446. Vide etiam, 315

CONCUBINA.

Clerici, Sacerdotes, Monachi & alii Ecclesiastici non possunt habere Concubinam, 268. 269
De pœnis contra Ecclesiasticos Concubinarios, 268. 269. 270. 271
Clericus publicus Concubinarius quisnam sit, 269. 311
Fornicaria idem est ac Concubina, 269
De pœnis contra Superiores, qui negligunt punire publicos Concubinarios, 270
De pœnis contra Clericos Concubinarios Beneficia non obtinentes, ibid.
De Filiis Clerici Concubinarii, ibid.
Diaconus, Subdiaconus qui Concubinam palam ducit, aut ductam retinet, in Presbyterio, seu Choro manere non debet, 355

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Fundatur in Jure quod dantur Confessores illis, qui componunt Corpus Capituli, 185
De Officio Parochi circa Sacramentalem Confessionem. 212. 253
Ecclesia Romana unicam præcepit in anno Confessionem, 213. 553.
Si aliquis methodicè discere velit, quæ Canones docent circa Confessionem, ad Capita citata in hoc loco recurrere debet, 213
Plures abusus circa Confessionem, 214
Confessores semper & ubique deberent observare Regulas hic enunciatas, ibid.
Confessor debet evitare abusus circa impositionem Pœnitentiarum, ibid.
Acceptio Donorum pro administrando Sacramento Pœnitentiæ, pluribus in locis improbatur, 218
Peculiares Canones circa Confessionem Sacramentalem, 253
Non posse Regulares sine approbatione Episcoporum audire Confessiones sæcularium, 431. 447
Circa Confessionem Monialium, 454. 459
Religiosi, Monachi, Mendicantes, & non Mendicantes, & Jesuitæ, non possunt audire Confessiones Sæcularium sine permissione proprii Episcopi, 431. 447
Confessor qualis debeat esse, 431

CONFIRMATIO.

Per Confirmationem conceduntur ea quæ sunt Jurisdictionis, 31
Ex Jure Antiquo Confirmatio Electionum Episcoporum ad Metropolitanum spectabat, 122. 123
Quo casu Metropolitanorum Confirmatio ad Papam spectabat, 123
Ante Confirmationem non licebat Electo Ecclesiam suam gubernare, nisi in nonnullis casibus, 124
Hodiè Episcoporum Confirmatio pertinet ad Papam, 30. 124
Quomodò confirmari debeant Monialium Præpositæ, seu Abbatissæ, 458

CONFIRMATIO SACRAMENTALIS.

Minister hujus Sacramenti Confirmationis est Episcopus, 6. 91. 211. 212. 253
Presbyteri non habent potestatem confirmandi, 6
De Officio Parochi circa Confirmationis Sacramentum, 212. 253
De effectibus Confirmationis, 212
Confirmatio imprimit characterem, 212
Peculiares Canones circa Sacramentum Confirmationis, 253
Requiritur ut confirmatus, Alapa percutiatur ab Episcopo, ibid.

CONJUGIUM.

Episcopus contrahit cum Ecclesiâ Matrimonium, & spirituale conjugium post Confirmationem suæ electionis, 30. 124. 130. Hoc spirituale conjugium à solo Papa dissolvi potest, 30. 43. 130. 141. 143. Comparatio conjugii spiritualis cum Matrimonio naturali claudicat, 30. 143. Comparatio conjugii spiritualis cum Matrimonio naturali, 43. 124. 130. 141. 145. 465. 467.
Dum Ecclesiæ utilitas postulat, eligi potest conjugatus in Episcopum, 105
De Clericis conjugatis, 267. 268. 269
Comparatio *Tractatus* de Monachis, Religiosis, cum *Tractatu* de Matrimonio, 465

CONSECRATIO.

Plures Episcopi simul possunt consecrari, 28. Episcopi inter Epistolam & Evangelium consecrantur, *ibid.* Non minùs quàm à tribus Episcopis, Episcopus ordinetur, 28. 29
In Consecratione recipienda, servanda est consuetudo, 28. Episcopus electus, confirmatus, non consecratus nequit exercere quæ sunt Ordinis Episcopatus, 31. Episcopus dùm consecratur, quid illi datur, 47
Peculiares Canones circa requisita in Episcopo, tàm consecrando, quàm consecrato, 297
Romanus Pontifex ante Hymnum Angelicum consecratur, 12
De Anniversariis Consecrationis Episcoporum & Ecclesiarum, 375. 524. Vide etiam, 327. 513
Quomodò consecrari debeant Ecclesiæ, & quid agendum, si de illarum Consecratione dubitetur, 526. 527
Consecrare & dedicare sunt verba Sinonima, 536
Sex sunt differentiæ gravis momenti inter Benedictionem, & Consecrationem Ecclesiarum, 536
Differentiæ inter Benedictionem & Consecrationem personarum & locorum, 536. 542
Ceremonia Consecrationis Ecclesiæ est longa, 540
Illa Ceremonia reservata est Episcopis, 532. 540
Olim Papæ reservata erat, 529. 532
Vide verb. ECCLESIA seu TEMPLUM MYSTERIUM.

CONSUETUDO.

Antiquæ Consuetudinis Ordo servandus est, 36
Consuetudo allata in Cap. *Romana* in Galliâ non probaretur, 52
Consuetudo à præscriptione multùm differt, 70. 77
Duplex est genus Consuetudinum particularium, 162
Ad Canonicam Consuetudinem quid requiritur, 162
Præcipimus, ut Consuetudines Cathedralium Ecclesiarum redigantur in Scriptis ut valeant ignorari, 189
Undè ortæ sunt contrariæ Consuetudines circa Sessionis Ordinem, & quâ ratione utræque approbari possint, 235. 236
Prima Sedes seu Sessionis honor pendet ex Consuetudine, 237
Sæculo VI. per Consuetudines & usus Monachorum circa Officium Divinum, quid intelligendum est, 327
Magna est potestas Consuetudinis, 334
Cardinalatus qui jure Residentiam exigebat, Consuetudine non exigit, ibid.
Ad bonam Consuetudinem duo sunt requisita, 247
De Consuetudine circa abstinentiam carnis, 396. 398
Piæ & laudabiles Consuetudines, quænam sint secundum Glossam, 559
Circa exactiones Parochi servandæ sunt piè introductæ Consuetudines, 250

CON-

CONVENTUALIS (Ecclesia.)

Ecclesia Conventualis, sola autoritate Episcopi constitui potest, 170

CONVENTUS RELIGIOSORUM.

Vide Verb. MONASTERIUM.

CORONA PRESBYTERI.

Ut Clerici patentes Coronas habeant, 261
Clerici Coronam & Tonsuram habeant congruentem, ibid.
Clerici sunt Reges & in Deo Regnum habent, & hoc designat Coronam in capite, 302
Clerici hanc Coronam habent ab institutione Ecclesiæ Romanæ, ibid.
Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli Coronam relinquant, ibid.
Forma Coronæ seu Clericæ Ecclesiasticorum sæcul. XIII. ibid.
Corona Rotunda, 303. 304
Clerici in Sacris Ordinibus constituti, Coronam deferre contemnunt, & crinium extensorum, quasi ad scapulas utentes, discrimine velut effeminati &c. 303. 305
Hic abusus Clericorum in Tonsuris, inquit Concil. Lond. ann. 1342. abominabile scandalum populo generavit, 303
Forma Tonsuræ Clericorum sæcul. XIV. ibid.
Vide Verb. TONSURA CLERICALIS.
Corona non in omnibus Clericis una sit, sed major Sacerdotalis digitis tribus undequaque à vertice pateat, 304
Duobus digitis Diaconalis, ibid.
Semi digito Subdiaconalis angustior, ibid.
Minorum Ordinum omnium minima, & digito undique sit deducta, ibid.
Tonsuram variis in Regionibus vocari Clericam. ibid.

CORPUS.

Debilitas Corporis quid sit, 43
Vitia Corporis sunt paralisis, aut lepra, aut omnis alius morbus insanabilis, 60
Quid si Episcopus incidit in ills vitis, 60. 61
Circa corpora hominum mortuorum in odore Sanctitatis, 564

CRIMEN.

Crimina dividuntur in Ecclesiastica & Civilia, 88
Crimina Ecclesiastica quid sint, ibid.
Crimina Civilia quid sint, 89
Episcopi habent Jurisdictionem circa res criminales, 88. 445
Clerici committentes crimina aut delicta puniuntur per Judicem Ecclesiasticum, 266
Quid servatur in Galliâ circa crimina Clericorum. 89. 267
Falsæ Decretales introduxerunt distinctionem occulti & publici criminis, quoad exercitium Ordinum post Pœnitentiam, 271
Crimen Apostasiæ, 401. 402. 413
Vide Verb. APOSTASIA.
Pro vitando graviori lapsu dissimulandus est minor, 90

CRUX.

Festum inventionis Sanctæ Crucis, 364
Festum exaltationis ejusdem Crucis, ibid.
Privilegium Archiepiscopi ante se crucem deferre, 109. 110. 446
De Primatibus, 109

CURATUS.

Plebanus sive Curatus non hodiè habet Jurisdictionem Ordinariam, 79
Curatus ad quid teneatur, 94
Examen in Curatis non fit in Galliis per concursum, exceptis paucis Diœcesibus Atrebatensi. Vesontionensi, 94. 178
Casus, in quo Cura dari potest in Commendam, ut observatur in locis, in quibus Parochiæ dantur in concursu, 178
Curatus etiamsi absens fuerit à Divinis, habetur pro præsente, ita ut nihil perdat. 180
In Gallia Curati privantur suo Beneficio ipso facto, si non promoveantur intra annum ad Sacerdotium, 181. 182. 202. Vide etiam, 210. 245
Curatus potest semper eligere locum honorificentissimum suæ Ecclesiæ, 183
In Galliâ Curæ visæ sunt cum Canonicatibus non congruentes per Arrests multa. 186. Vide tamen, 201
Ante elapsum annum integrum, Ecclesia Parochialis non vacat, non suscepto Sacerdotio, 202
A quo tempore numeratur hic annus, 202. 211. 245
Hic annus quo casu non currit, 202
Parochiani alicujus Ecclesiæ Parochialia jura illi debent, 205. 217
Jus Parochiale complectitur Decimas, Oblationes, jus funerandi & obventiones alias, 205. Vide etiam, 217. 218. 219. 220. 221. 556. 558. 559. 560. 561
Portio Canonica Parochi ex jure sepeliendi præscriptione amitti potest. 220. 562
Beneficia Curata Regularia Regularibus conferuntur, 222
Ut Curati Regulares subsint Episcopo, non solùm quoad munia Curialia, sed etiam quoad mores, nisi quibusdam casibus. 223
Ut Parochus immunis sit à tallis personalibus, ibid.
Curati primitivi apud Gallos quid sint, 226
Kalendæ seu Conventus Curatorum quid sint, 227. 229
Ut quandò ad Conventum veniunt, Religiosè equitent, 228
Kalendarum usus antiquissimus est usus, & abusus, 229
Molanus asserit Curam nobiliorem esse Canonicatu, 230
Quemnam locum in Choro debeat habere Curatus Cathedralium, 231
Origo hujus nominis, Curatus, 238
Curati potestatem circa Curam animarum acceperunt non immediatè à CHRISTO, sed solùm ab Episcopis, 238. & seq.
Provisiones in formâ dignum de Beneficiis Curatis, 241
Provisiones in formâ gratiosâ de Beneficiis animarum curam habentibus, ibid.
Quodnam Jus Parochus seu Curatus habet circa Puerperam, 242. 259
Reditus vel portio congrua Curati seu Parochi, 258
Curatus seu Parochus quasnam mulieres secum, seu in domo habere potest, 258. 308. 309. 310. 311. 312. 313
Vide Verb. PRESBYTER.
Sub pœnâ Excommunicationis, aut aliis pœnis, 258. 310. 311. 313.
Sacerdos nescire debet nomen fœminarum, 312
Apud Gallos nullum discrimen inter Curatos Sæculares & Regulares, quoad congruam portionem, 452
Curati non sunt immunes à debito onere conferendi ad Reparationes Ecclesiarum, 534
Circa reditus seu jura Curati, jura & munia funeralia non sunt minima, 561
Vide Verb. CONSUETUDO, PAROCHUS, SEPULTURA.

CUSTOS.

De residentiâ Custodis, 333
De Custode, 166
Vide Verb. HORA CANONICA.

DAMASIUS.

Liber Pontificalis Damasi est suppositius, 368

DECANUS.

Hodiè Decanus non habet Jurisdictionem Ordinariam, 79
Ætas ad Decanatum requisita est annus XXV. 151. 165
Decani Rurales habent jus visitandi, 66
Quod sit Officium Decani ex consuetudine colligitur, 166
Tenetur ad Residentiam, ibid.
De promotione Decani, ibid.
Quænam est potestas Decani Capitulorum, 172. 189
Kalendæ Decanorum Ruralium, 228. 229
In Synodis Diœces. Decani Rurales quid debent facere, 229
Decani Rurales, 294
Qui possidet Beneficium Decanatûs residere debet, 333

DECIMA.

Parochus seu Curatus habet jus decimandi, 219
Decima Papalis, 556
Cautela præscripta Prædicatoribus circa solutionem Decimarum, 446
Capitula sunt Summi Decimatores, 173
Ordinationes prohibentes exactionem Decimarum insolitarum. 222

DECRETALE VOLUMEN seu DECRETALIS EPISTOLA.

Junge Verb. EPISTOLA.
Clausula desumpta ex falsis Decretalibus, 48
Collectio Decretalium Innocentii III. quo tempore facta fuit. 128
Duo Textus Historici Decretalium narrantes res notatu dignas, 137
Jus novum ex falsis Decretalibus Isidorianis introductum in orbe, 48
Jus novum ex falsis Textibus Decretalium, 109
Decretalis suppositia Pii I. 359. 367
Prima Decretalis Papæ Victoris est suppositiis, 359. 367
Decretalis Gregorii IX. non est usitata in multis Ecclesiis Galliæ, 540
Vide Verb. CONCILIA GENERALIA RECENTIORA.
Textus suppositi in sæculo VIII. vel IX. & desumpti ex Pseudo Urbano I. ex Pseudo Melchiade, & ex Pseudo Eusebio, 212
Textus supposititius, 219

DECRETUM.

Caput 71. De Conf. Dist. I. Falsitate suspectus est iste Textus, 329. Vide etiam, 369. 370
Textus suppositus Calixti I. Papæ, 377. 394
Textus supposititius, 379
Ratio hujus falsitatis, ibid.
Pseudo Soter, 388. 395.
Pseudo Fabianus, 388
Decretum Apocriphum Bonifacii IV. Papæ, 427
Cap. 13. de Cons. Dist. V. *Collationes*. legendum est *Collectiones*, 319. 321
Pseudo- Anacletus, 510
Decretum falsum Higini, 527

DEGRADATIO.

In Galliâ Degradatio non est in usu, 90
Presbyteri publicè fornicarii, degradantur. 270

DELEGATIO, DELEGATUS.

Quibus viis amittatur Jurisdictio Delegata, 72
Quibus viis acquiratur Jurisdictio Delegata, 77. Peculiaria Jurisdictionis Delegatæ, 80
Qui possit à Papâ, ipsiusque Legato delegari, 80
Casus, in quibus Jurisdictio committi non potest, 82
Si appelletur ab Episcopo in iis, quæ agit tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatus non ad Papam, sed ad immediatum Superiorem, saltem in Galliâ, appellatur, 82. Ratio hujusce rei, 87
An Capitula succedant Jurisdictioni, quam habent Episcopi, tanquàm Delegati à Sanctâ Sede, 177. 178
Episcopus quid possit tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatus, 85. 86

DELICTUM.

Delictum Personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet, 25
Vide Verb. Crimen Forum.

DENUNCIATIO MATRIMONII.

Denunciationes Matrimoniales præceptæ non fuerunt per Universam Ecclesiam, nisi sæculo XIII ineunte, 216
Publicationes Matrimonii ortum habuere à Galliâ, 290
Junge Verb. Publicatio.

DEPOSITIO.

Quid circa depositionem Episcoporum Summo Pontifici reservetur, 138. 147
Ante sæculum XII. nullus extat legitimus Textus, qui eam depositionem Sedi Apostolicæ reservet, 141
A quo tempore Reservatio Episcopalis depositionis Summo Pontifici facta sit, 142
Honorius III. deposuit Prælatum, solo prætextu, sola ratione, scilicet quia ignarus erat, 210
In Synodo Romana Anastasius Presbyter Cardinalis tituli Beati Marcelli, ab omnibus depositus est, eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum statuta deseruit, 40. 2. 8. 245. 340
Hæc Depositio sub Leone IV. circa annum 850. facta est, 245
Is Anastasius nihil aliud quàm Curatus erat, 245. 340
Innocentius I. statuit omnes Ecclesiasticos fœminarum viduarum maritos à Clericatu arcere & promotos deponere, 286. 287
Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine suo illum deponi debere, 268
Quodnam absentiæ, vel non residentiæ tempus requiratur, ut quis à Beneficio deponi possit, 340
Depositio per sententiam fieri debet, ibid.
Depositio Superiorum Regularium, 456
Quæ dicta sunt de Depositione Episcoporum, partim convenire potest ad Depositionem Abbatum, 456. 457
Sola Ecclesia potest pœnam Depositionis infligere, 563

DEVOLUTIO.

Jus Devolutionis, 55. 56
De Devolutione collationis, 163
Quo casu collatio vana est, & est devoluta, 173
In Galliâ ab Episcopo non fit Devolutio ad Capitulum, sed ad Archiepiscopum, 175
Jus devolutum consideratum est tanquàm Jus Superioritatis, 175. Vide etiam, 177

DEUS.

Deus quid sit? 2. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres Dii, sed unus Deus, ibid.
Ubique credimus Divinam esse præsentiam & oculos Domini speculari bonos & malos, 195
Ministri Ecclesiarum offerre debent Deo Sacrificium laudis, 154
Num quid verborum multitudine flecti Deus ut homo potest, 154
Homines debent diligere Deum tanquàm fontem omnis justitiæ, 213
Qui per Clericatûs Officium aliud quærit quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit, 299
Quærere Deum potiùs cultum cordis quàm corporis, evidentibus Scripturæ Sanctæ patet indiciis, 305
Sine amore Dei, omne pietatis exercitium est inutile, 476
Vide Verb. Rex.

DEUTERONOMIUM.

Deuteronomium undè dicatur, 147
Autor Textûs Cap. 13. Qui Filii, circa hoc verbum, notatus, 147

DIABOLUS.

Diabolus & alii Dæmones à Deo creati sunt, 3
In Baptismo abrenunciare Diabolo quid sit, 249. 251. 253
Pompa Diaboli, seu pompa mundi quid sit, ibid. Lectio & oratio sunt arma quibus Diabolus expugnatur, 257
Diabolo servire quid sit, 272
Clerici timere debent subtilitates Diaboli circa mulieres, & nihil debent facere erga illas sub prætextu charitatis, 308. Vide etiam, 272
Diabolus insidiatur sicut Leo, 308
Subtilitas Diaboli sub prætextu charitatis & dilectionis erga Moniales, 415
Vide Verb. Fœmina, Mulier, Reservatio Papæ.

DIACONISSA.

Vide Verb. Arausio.

DIACONUS.

In sæculo XIII. Diaconi in tantam eruperant superbiam, ut sese Presbyteris anteponerent, 230
Concil. Nic. I. vetat ne Diaconi ante Presbyteros Eucharistiam accipiant, 233
Diaconus qualis debeat esse, 289
Apostoli quid in Diaconorum Ordinationibus observarunt, 292
De Ordinatione Diaconi, 292
Diaconus quænam Mulieres secum, seu in domo habere potest, 308. Vide etiam, 272. 309. 310
Sub pœnâ Excommunicationis, 310. 311. Aut aliis pœnis, 312. 313
Diaconus tenetur ad Officium publicum vel privatum, 124. Vide etiam, 153. 154. 155. 193. 194. 195
In Ecclesiâ Romanâ Diaconos ad Cantoris Officium eligere non licebat, 331
Presbyter & Diaconus, si per tres Hebdomadas abfuerint, severè puniuntur, 335. 341

DIES.

In Die Dominicâ Ordinationes Sacerdotum celebrari debent, 28. 29. 367
Dies & Menses, in quibus Ordinationes rectè fiunt, 283. 367. 378. 379. 388
Licitum est Episcopis, Dominicis & aliis Festivis Diebus, unum aut duos ad Minores ordines promovere, 283
Dies Dominica est dies lætitiæ, 324. 365. 366
Quænam sunt dies tristitiæ secundum Innocentium I. 324
Circa Celebrationem diei Dominici, 358. 362
Multa Concilia celebrata sæculo IV. loquuntur de die Dominico, 359
Qui Sabbatho ut Dominico otiandum docet, Antichristi Prædicator dicitur, 361
Apud Græcos Sabbathum cum Dominica multa communia habet, 361. 365. 378. 393
Quid apud Latinos, 365
In Die Dominico mundus conditus fuit, 365. 367
A Vespera ad Vesperam aliàs celebranda erat dies Dominica, 366
Quid faciendum est in die Dominico, ibid.
Pascha differt à die Dominico, 367
De Jejunio Sabathi, 377. 378. 397
De Die cinerum, 388
De Sabatho Sancto, 388. 389
Diebus jejuniorum à propriis uxoribus abstinere oportet, 393
Junge Verb. Hebdomada, Quadragesima.

DIGNITAS.

Dignitates non in Prælatorum, sed in subditorum commodum institutæ sunt, 120
Ad Dignitates nullus promovendus est, nisi illius & capax & dignus sit, ibid.
Quænam personæ ad Dignitates Ecclesiasticas postulari possunt, 122
Ex majoritate ac decore majori ornatum, majoritas apparet Dignitatum, 56
Quid intelligitur per hoc verbum, Dignitates, 80. 198. 333
Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, cur institutæ sint; cujus ætatis, & quales esse debeant qui ad illas assumuntur, 151. 188
De Residentia Dignitatum, 156. 181. 182. 192. 313
De Dignitatibus Ecclesiarum in particulari, 165. 188
Quis habet potestatem supprimendi aliquam Dignitatem, 172
Dignitates aut personatus quid possunt esse, 173
Ætas Dignitatum, quibus animarum cura credita est, est XXV. annorum inceptorum, 182
Ætatem alii debent attigisse XXII. annorum inchoatorum, ibid.
Dignitates, scilicet Præpositi, Archidiaconi, Sacristæ, & Præcentores, Missam Majorem canant Festis Solemnioribus, 188
Concilium Trident. hortatur ut Dignitates omnes & saltem dimidia pars Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico, 189. 190
Dignitatibus peculiaria, 188
Clericorum Dignitas ex Sacris Ordinibus desumitur, 232. 509.
Vestes, vestimenta, calceamenta, &c. prohibita Ecclesiasticis in Dignitatibus constitutis, sub variis pœnis, 305. 306. 307
Dignitates, Capellani & alii Capitulorum Ministri, quænam mulieres in domibus possunt habere, 310. 312
Sub pœnâ Excommunicationis, 310. Et aliis pœnis, 312. 313
Dignitatibus peculiaria, 188. Vide etiam, 165. 166. 167. 168.
Sub Dignitatis vel Præbendæ nomine Archidiaconatus & Archypresbyteratus comprehenduntur, 333
Dignitates percipere possunt distributiones, 350
Casus, in quibus Dignitates amittunt distributiones, 451
De Dignitatibus Quæstio circa distributiones, 352
Clerici, Laici in Dignitate sunt constituti, 509

Regca

Reges sunt in Dignitate supremâ constituti, & Papa est constitutus in Dignitate Ecclesiasticâ supremâ, sic inter res diversi Ordinis nulla est subjectio, 509. 510
Vide Verb. Electio.

DIMISSORIA.

Vide Verb. Litera Dimissoria.

DIOECESIS.

Unaquæque Diœcesis unum tantùm debet habere Episcopum, 27. Hoc verbum Diœcesis, quid olim significabat, 29. 33 Quid faciat Diœcesin, 29. 33. Constitutum est Episcopos ita Diœceses suas regere, ut nihil jure præsumant auferre, 31. Diœcesanus Episcopus Statutum condere potest, 35. 83 A quo figendi limites Diœceseos, 33. Diœceses olim Parochiæ vocabantur, 29. 33. 173. 207. 208. Episcopi, ad Ecclesias, quæ sunt ultrà suam Diœcesim, suosque limites, ne accedant, 33. Episcopus in locis exemptis suæ Diœcesis quid potest facere, 41. Episcopus est Caput Diœcesis, 186
De Jurisdictione Episcopi in sua Diœcesi, 38. Vide etiam, 31 32. 35. 36. 83. 84. & seq. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. & seq.

DIONYSIUS AREOPAGITA, (Sanctus)

De Corpore Sancti Dionysii Areopagitæ. 26
Reliquiæ S. Dionysii detectæ & recognitæ anno 1053. in Sandionysiano, 26

DIPLOMA.

Dubium Diploma Alexandri III. circa Capitulum Parisiense, 234

DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Canones Apostolorum primorum Sæculorum Disciplinam continent secundùm communem opinionem, 270
Ex Concilio Bracar. I. ann. 561. patet tunc tantùm fuisse tres Gradus, scilicet 1. Officium Lectorum, 2. Diaconatus, 3. Officium Sacerdotii. 289
Primitivæ Ecclesiæ facies, quoad institutionem Ministrorum attinet, paulatim mutata fuit secundum Concilium Colon. ann. 1536 294
Vide Verb. Patrimonium Titulus.
Historia Ecclesiasticæ Disciplinæ circa Clericales Vestes ex certissimis Monumentis desumpta, 304. & seq.
Quæ discrimina inter Antiquam Disciplinam & Novam circa Jejunia, 390
De iis quæ pertinent ad Disciplinam Monasteriorum, 416
In quo potissimùm sita sit Disciplina Religiosorum, 418
De iis quæ pertinent speciatim, tàm ad Professionem, quàm ad Disciplinam Monialium, 453

DISPENSATIO ECCLESIASTICA.

De Episcopi Jurisdictione circa Dispensationes, 102
Dispensationes respiciunt Personas, res & loca, 102
Casus, in quibus Episcopo permittitur Dispensationes concedere, 38. 103
Quænam sunt causæ expressæ in Jure Canonico circa Dispensationes, 105
Dispensationes aliæ sunt ab homine, aliæ à Jure, 107
Quænam sunt Dispensationes à Jure, ibid.
Casus, in quibus Episcopus non habet potestatem concedendi Dispensationes, 147. 148
Episcopus potest dispensare cum his, qui in Sacris Ordinibus Matrimonium contrahunt, 269
Ecclesia dispensare potest à Jure Divino, 334 Vide etiam, 106
Dispensatio à culpâ liberat, 336
Quantacumque sit residendi obligatio, & ex quocunque jure nascatur, super illam cadit Dispensatio, dummodo justa subsit causa, 336
Quò major residendi obligatio, quæ ex digniori Jure nascitur, eò major subesse debet dispensandi causa, 336
A residentiâ justæ dispensandi causæ aliæ sunt generales, aliæ particulares, 336
Quænam sunt causæ scriptæ generales, ibid.
Particulares aliæ sunt scriptæ, aliæ non scriptæ, ibid.
Quænam sunt scriptæ dispensandi causæ particulares, ibid.
Dispensatio à residendo Personis indignis concessa quænam incommoda secum trahit, 338
A residendo Dispensatio vel est temporalis vel perpetua, ibid.
Vel à Jure vel ab Homine. ibid.
Quinam dispensare possunt circa Residentiam, ibid.
Quod ab Ordinario impetrari potest circa Dispensationes, à Papâ quoque peti potest, 338. Vide etiam, 106
Inter Dispensationes à residendo à Jure concessas nulla est propriè perpetua, 338
Temporales à residendo Dispensationes à Jure concessæ, vel nominatim probatæ sunt, vel indeterminati temporis, vel determinati temporis, 339
Quænam sunt Dispensationes indeterminati temporis, ibid.
Quænam sunt Dispensationes determinati temporis, ibid.
An extra casus sibi nominatim permissos à residendo dispensare valeant Episcopi, 342
An Capitulum propriâ autoritate aliquod ex Membris suis à residendo dispensare valeat, 343
An Sede vacante à residendo valeat dispensare Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, ibid.
An non residendi licentia idem sit, ac à residendo Dispensatio, ib.
Indulgentia, Privilegium, Dispensatio sunt verba Sinonima, ib.
Episcopus potest dispensare circa dies Festos, 364. 365
Episcopus habet potestatem dispensandi circa jejunia, 394
Episcopus potest dispensare circa abstinentiam carnis, 394. 395. 399
Principalis causa voti consideranda est, & secundum illam dispensari debet, 405. 406
Episcopus potest commutare Votum peregrinationis, vel circa illud dispensare, 405. 406. 408
Casus, in quibus Dispensationes circa Votum Religionis amplectendæ, non sunt reservatæ Summo Pontifici, 409
Episcopus habet potestatem dispensandi circa translationes Religiosorum, 478
Episcopus potest dispensare à Decretis Conciliorum Generalium, 104. 149. 478

DISPENSATIO PAPÆ.

Nonnulli Canonistæ ponunt discrimen inter Papam & Episcopum, in eoque situm, quod Papa sine causâ dispensare possit, Episcopus verò non valeat, 105. Vide etiam, 106. 343. 353 405
Expositio Dispensationum Summo Pontifici reservatarum, per Regulas è Corpore Juris Canonici, & ex Concilio Tridentino desumptas, 147. & seq.
Dispensationes reservatæ Summo Pontifici circa Ordines, 147. 148
Dispensationes reservatæ Summo Pontifici circa Beneficia, 148. 149
Factæ Reservationes, circa Dispensationes Matrimoniales in favorem Sedis Apostolicæ nullæ leguntur, nec in Corpore Juris, nec in Concilio Tridentino, 149. 150
Dispensationes Summo Pontifici reservatæ, quæ inter causas majores recensentur, quænam sunt, 152
Nonnullæ sunt Dispensationes Sedi Apostolicæ reservatæ, quæ in Jus Commune transierunt, aut quæ concedi non consueverunt, 151
Non recipitur in Galliâ Dispensatio Papæ, pro pluralitate Canonicatuum, 181
Capitula non debent pati, ut quis sine Dispensatione Papæ occupet ultra Personatum, Dignitatem, Officium perpetuum cum Præbendâ, 181
Papa potest dispensare à Jure Divino, 334. Vide etiam, 106
Quomodo soleat Sedes Apostolica commutare Vota sibi reserta, seu super illis dispensare, 407. 464
Cùm Dispensatio necessaria est, tantùm pro foro conscientiæ, ac Votum est omninò occultum, tunc illa requirenda est à Sacrâ Pœnitentiariâ, 407
Cùm Dispensatio necessaria est pro foro externo, tunc illa requirenda est à Datariâ, 407
Omnis Legislator potest dispensare de suis Legibus; sic Papa potest dispensare de Jure Ecclesiastico seu Canonico, sed non de Jure Divino, 474
Innocentius III. affirmat Papam ipsum non posse dispensare Religiosum de abdicatione proprii, neque de castitate, 474 495
Nullus, præter Papam potest dispensare à Conciliis Generalibus secundum Gonzalez, 478
Sed opinio hujus Autoris est falsa. Episcopi possunt etiam dispensare, 478. Vide etiam, 104. 149
Mutationes factæ circa Dispensationem quoad tria Vota Monachorum, 495

DISSIMULATIO.

Pro vitando graviori lapsu dissimulandus est minor, 98

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

Distributiones Quotidianæ quid sint, 155. 326. 348
Distributiones Quotidianæ appellantur etiam victualia, seu Portiones Quotidianæ, 155. 337. 348. 352
Omnes Canonici & alii Clerici sunt capaces Distributionum Quotidianarum, illarum scilicet, quæ quotidiè distribuuntur illis, qui Horis Canonicis intersunt, 155. 325. 350
Duo sunt genera Distributionum, 170. 326. 352. Vide tamen, 348
Distributiones sunt tantùm pro illis, qui adsunt Officiis, exceptis tribus casibus, 180. 324. 325. 337. 349
Casus, in quo illi, qui Officiis intersunt, omnibus non fruuntur Distributionibus, 182
Observationes circa dictas tres Exceptiones, 180. 337. 349
Ad Episcopum pertinet constituere Distributiones Quotidianas in Ecclesiis, quæ carent iisdem, 155. 185. 188. 193. 348
Ad Episcopum pertinet ordinare ea, quæ Dignitates & Canonici lucrari debent unâquâque horâ, 185. 348. 349
Plumbea est Symbolum meritæ Distributionis, 194
Concilium Meclin. ann. 1570. præcipit ut Canonicis præsentibus in Choro dentur Symbola meritæ Distributionis, quæ Plumbea vocat. 194
Concilium Tolet. ann. 1473. jubet, ut Festis Solemnioribus, Majores Distributiones Canonicis dentur, 195
Sunt multi alii casus, in quibus Canonici & Clerici amittunt Distributiones Quotidianas, scilicet propter Tonsuram, 303 306
Propter Caligas. 305
Propter Vestes breves, 306. 307
Qui à Divinis Officiis absunt toto stipendio privantur, 323. 324. 325
Si Clericus adeò esset lucri cupidus, ut Distributionis lucrandæ causâ Officiis adesset, non Simoniacus, sed Mercenarius habendus esset, 326
Distributiones sunt Remunerationes temporales concessæ à Jure Canonico, Clericis, aut Canonicis qui adsunt Divinis Officiis, 326. Vide etiam, 155. 348
Explicatio causarum propter quas non residenti Distributiones dantur, 337
Cur Distributiones Quotidianæ institutæ fuerunt. 338. 348

Aa

An per trimestrem absentiam sibi concessam, Canonici Distributiones lucrentur, 346
De Distributionibus quotidianis, Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino depromptæ, 348
Tria sunt genera Distributionum, 348. Vide tamen, 179. 326. 352
Rei per Distributiones significatæ nulla in Jure mentio ante Sæculum XII. 348
Stipendium, de quo in Concilio Carthaginensi ann. 398. multùm differt à Distributionibus quotidianis hodiernis, 348
De Restitutione Distributionum perceptarum extra casus à Jure exceptos, 349
Quibus in rebus consistere debeant Distributiones, 350. 353
Amissæ Distributiones, vel Fabricæ quatenùs indigeat, vel alteri Pio Loco, Episcopi arbitrio, applicandæ sunt, 351
Circa Distributiones Juris accrescendi nulla mentio, nec in Corpore Juris Canonici, nec in Concilio Tridentino, 351
Circa Distributiones pro Anniversariis defunctorum, 351
Controversiæ magni momenti circa Distributiones, 351
An juxta Canonum mentem, Præbendæ nomine Distributiones cum grossis fructibus intelligantur, post Distributionum institutionem, 351
Distributiones è Præbendis detrahuntur, 351
An quicunque absentes, qui pro præsentibus habendi sunt, quotidianas percipere debeant Distributiones, 352
De Dignitaribus quæstio circa Distributiones, 352
An Lex quæ Distributionibus privat Divina Officia negligentes, purè pœnalis sit, 353

DIVISIO.

In Occidentali Ecclesia jam diu invaluit usus, ut à solo Summo Pontifice, etiam in Gallia, Episcopatus dividantur, 138
Circa Divisionem Beneficiorum quæ Residentiam exigunt, & quæ Residentiam non exigunt, 332

DOCTOR.

Ordo Doctorum est quasi præcipuus in Ecclesia, 14
Debet antè esse Discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit, 258
Vide verb. Scientia.

DOMESTICUS.

Domestici Episcoporum, 41
Duo tantùm ex Canonicis possunt esse in servitio Episcopi, 157. 182. 185. 198. 199. 337. 349.
Junge verb. Familiares.

DOMUS RELIGIOSORUM.

Vide verb. Monasterium, Moniales.

DOS ECCLESIARUM.

De Dote Ecclesiæ Parochialis, 531
Vide verb. Ecclesia seu Templum, Oblatio, Parochialis,

ECCLESIA SEU TEMPLUM.

Tractatus de Locis Sacris, ubi res Sacræ peraguntur, & potissimùm de Ecclesiis, quarum Immunitas, Constructio, Dotatio, Consecratio, Pollutio, Reconciliatio, Reparatio, Profanatio juridica explicantur, 520. 535.
Quæ spectacula, & quænam alia sunt prohibita in Ecclesia, 523. 524. 529
Solemnitates Dedicationum Ecclesiarum per singulos annos Solemniter sunt celebrandæ, 524
Vide verb. Metropolitana.
Ecclesia est Domus Orationis, 523. 524.
Ecclesia polluta quomodo reconciliari potest, 525. 534
An, & quando Ecclesiæ vel Altaria iterùm consecrari debeant, 526. 533
Obligationes Clericorum circa Ecclesias, sive Templa ac Basilicas, & ea quæ ad illas pertinent, 402
De Consecratione Ecclesiarum, 526. 530. 531. 532. 533
Eos qui Ecclesiam, seu Templum ædificant, teneri ad illam dotandam, 527. 531
A quo & quando consecrari debeant Ecclesiæ recens constructæ, & à quo gubernari, 527
An Ecclesia non consecrata amittat aliquod ex suis Privilegiis, 528
Quàm cautè custodiri debeant quæ sunt in Ecclesia, quàm nitida & munda esse omnia, 528
Quæ in Pontificali Romano habentur notabiliora circa Consecrationem Ecclesiarum, 530
Consecratio Ecclesiæ fieri debet in honorem Dei, & sub nomine Sancti N. 530. 536
Regulæ, Quæstiones, Observationes desumptæ ex Jure communiter usitato, circa illa quæ pertinent ad Ecclesias, cum applicatione earum plurimis casibus particularibus & quotidianis, 530. 535
Nulla potest ædificari Ecclesia sine consensu Episcopi loci, 99. 530
Quo casu Episcopus non debet consentire constructioni novæ Ecclesiæ, 530
Dos Ecclesiæ ut sit sufficiens, debet accommodari oneribus, 531
Quid sint onera Ecclesiæ, 531
Sex notatu digna circa constructionem & Consecrationem Ecclesiarum, 532
Quarta pars ex reditibus Ecclesiæ, adhibenda est ad reparationes illius Ecclesiæ, secundum Gelasium Papam, 533
De reparatione Ecclesiarum, 533. 534 Vide etiam, 152. 165
Reconciliatio Ecclesiarum quid sit, 534
Ecclesiæ quomodo reconcilientur, 525. 534
Pollutio Ecclesiæ transit ad Cæmeterium contiguum: sed Pollutio Cæmeterii nunquàm pervadit usque ad Ecclesiam, 535
Sacella aut parvæ Ecclesiæ, 5 5. 537. 543
Ecclesiæ aut Sacella Monasteriorum olim quænam erant, 474. 537
Privilegia Ecclesiarum, 523. 524. 535
Vide verb. Privilegium.
Circa Pollutionem Ecclesiarum idem dicendum est de ea ac de Irregularitate, 535
Duplex est genus Pollutionis, 536. 546. 547
An Sacri Canones aliquod discrimen ponant inter actionem benedicendi, consecrandi, & dedicandi Ecclesias; an sit in usu aliquod statuere, 536
Quænam sint præcipuæ differentiæ inter Benedictionem, & Dedicationem seu Consecrationem Ecclesiarum, 536
An polluere Ecclesias idem sit ac easdem profanare, 538
Quod nomen imponatur medio quod adhibetur ut remedium afferatur Ecclesiarum Pollutioni? Quænam sit origo & ratio hujus nominis? 538
De custodia Ecclesiarum vacantium, 168
An usus Aquæ Gregorianæ in Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum sit antiquus? A quonam Gregorio nomen duxerit? An alia effundi aqua nequeat in ejusmodi Ceremonia? 538
An in Reconciliatione Ecclesiarum eadem aqua, quæ in earumdem Consecratione, adhibeatur, 539
An aqua cum qua reconciliantur Ecclesiæ Benedictæ, eadem sit, ac illa cum qua Ecclesiæ consecratæ reconciliantur, ibid.
An reconciliare Ecclesias idem sit ac eas iterùm consecrare, 539
An Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ possit simplici Presbytero committi, 542. Vide etiam, 534
An Sacerdos deputatus ad reconciliandam Ecclesiam, possit aquam ad hoc necessariam benedicere, 541
Certumne est, ut Profanatio Ecclesiarum actionibus criminosis polluat easdem Ecclesias, notoriam illam esse oportere, 541
Cùm Ecclesia polluta reconciliata fuit, estne adhuc necessarium ut illius Consecratio fiat, 542
Si quis celebret in Ecclesia polluta, estne hoc reconciliata modo, ibid.
Cùm duæ Ecclesiæ ita junguntur, ut ab una intretur in alteram, transitne Pollutio ab una in alteram, 543
An, in genere Pollutionis & Reconciliationis, sit aliqua differentia gravis momenti Cæmeteria inter & Ecclesias, ibid.
Undè fit ut Ecclesia statuerit, Ecclesias habendas esse pollutas, cùm in eisdem quædam admittantur facinora? Suntne leges illæ aptæ & convenientes, ibid.
An Pollutio Ecclesiæ per effusionem sanguinis humani, sit antiqua? An ad hoc necesse sit ut sanguis super terram effundatur, 544
Cùm insanus aliquem in Ecclesia vulnerat, estne ex hoc polluta, ibid.
An Ecclesiæ, in quibus Catholici Christiani occiduntur Religionis causa, ex hoc profanantur? ibid.
Si quis in Ecclesia stranguletur usque ad deliquium, jacturam rationis, & ad periculum mortis, polluiturne Ecclesia, 545
Deberne reconciliari aliqua Ecclesia, cùm plaga in eadem inflicta sanguinem effundit, postquàm vulneratus ab ea egressus est, & reus non est in locis, neque circum eadem, 545
An in genere Pollutionis Ecclesiæ creatæ violentia criminosa, distinctio Pollutionis in magnam & parvam fundatur in Canonibus, 546
An si fortè Bidellus aut Helvetius alicujus Ecclesiæ, aliquis vulneret, ita ut magna Sanguinis copia fluat, Ecclesia sit polluta, ibid.
Cùm Rector alicujus Ecclesiæ putans per errorem, illam esse coinquinatam aliqua culpa animi impotentia, in eadem commissa, amovit ab ea Sacrosanctam Eucharistiam, & transmisit in alium locum, & quomodo potest honorem suum resarcire, postquàm ab errore revocatus est, 546
An, posito quod in regionibus, in quibus Ecclesiæ non potiuntur ampliùs Jure Asili, ut in Gallia, rei qui in illis se receperunt, occidantur aut vulnerentur, resistentes Ministris Justitiæ, volentibus eos apprehendere, Ecclesiæ coinquinatæ efficiantur, 547
An peccatum mollitiæ sit ex illis quibus Ecclesia polluatur, 548
Canones qui statuunt, ut polluta habeantur Cæmeteria & Ecclesiæ, in quibus corpora Excommunicatorum inhumata fuerint, de quibusnam Excommunicatis debent intelligi, ibid.
Cùm Ecclesia coinquinatur inhumatione in ea facta Excommunicati delati, aut infidelis, potestne reconciliari quin prius ab ea tollatur corpus, quod sic in ea inhumatum est, 549
Si sepeliatur in Terra Sancta peccator publicus, in peccato suo mortuus, aut omnis alter sepulturæ interdictus, polluanturne Ecclesia aut Cæmeterium, 549
Cùm Ecclesia polluitur demolitione alicujus ex hujus muris, post reædificationem ejusdem parietis, sufficitne ut illa reconcilietur, an verò benedicenda, aut de novo consecranda, ibid.
An Ecclesia cujus tectum mutatum est, & muri tali modo inducti, ut indicia Consecrationis non ampliùs appareant, & quæ prolata productaque est toto Choro, amittat suam Consecrationem? Et posito quod illam perdat, licebitne continuare Anniversarium hujus Dedicationis, donec denuo consecretur, 551
Si Episcopus declaratus Excommunicatus Ecclesiam benedicat, aut Cæmeterium, fiuntne ambo polluta hac Benedictione, 552
De Episcopi Jurisdictione in Ecclesias, 32. 34. 83. 99. 436. 438. 439. 440
Circa Ecclesias nihil fieri potest sine Episcopi consensu, 31. 32. 100. 452.
Quæ sit Episcopi in res Ecclesiæ Jurisdictio, 96
Vide verb. Bona, Civitas, Dignitas.

ECCLESIA SEU BASILICA.

Ecclesia Cathedralis, Ecclesia Collegiata, Ecclesia Conventualis, Ecclesia Exempta, Ecclesia Immunita, Ecclesia Metropolitana,

politana, Ecclesia Parochialis, Ecclesiæ Profanatio, Ecclesia Regularis.
Vide Verb. Cathedralis, Collegiata, Conventualis, Exempta, Immunitas Ecclesiarum, Metropolitana, Parochialis, Profanatio, Regularis.
Ecclesia Succursalis, Vide Verb. Parochialis.

ECCLESIA.

Ecclesia quid sit, 4
Extra Ecclesiam nullus salvatur, ibid.
Launoius quid senxit circa Ecclesiæ Definitionem, 5
Dei Ecclesia Gladium non habet, nisi Spiritualem, ibid.
Jurisdictio Temporalis non pertinet ad Ecclesiam, 11
Regimen Ecclesiæ est Aristocraticum, 7
Propter mutabilitatem rerum mundanarum, mutari non debet dispositio Ecclesiæ, 24
In primis Sæculis Ecclesiæ Christianæ, triplex fuit Ecclesiarum genus, 136
Olim in Ecclesia quænam personæ habebant potestatem dandi pallium, 57. 58
Quisquis cuilibet Ecclesiæ Jus suum detrahit, injustitiam facit. 24
Christus Ecclesiæ Infallibilitatem promisit, 354. Vide etiam, 2
Portæ inferi adversus eam prævalere nunquam poterunt, 354
Ecclesia olim inchoabat annum à mense Martio, 380
Ecclesiæ Particulares possunt errare, 423
Ecclesia est Corpus Mysticum Christi, 4. 509.
Fundamentum Ecclesiæ Christianæ est credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, 5

ECCLESIA AFRICANA.

Post Romanum Pontificem, Archiepiscopus, & totius Ecclesiæ Africanæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, 48
Post Romanam Ecclesiam, Ecclesia Alexandrina (est Urbs Africæ) secundum locum obtinet, 6
Cap. I. Caus. IV. Quæst. V. spectat ad Disciplinam Ecclesiæ Africanæ, 120
Explicatio Canonis 5. Concilii Carthaginensis, 123
In Africanâ Ecclesiâ, Episcoporum Depositiones Sedi Apostolicæ sæculo V. non erant reservatæ, 138
In Ecclesia Africana, antiquior Provinciæ Episcopus illius Primas erat, 162. Vide etiam, 102. 123
In tota Ecclesia Africana, maximo gaudebat Privilegio Episcopus Carthaginensis circa Ordinationem, 176
Stipendium Clericorum Ecclesiæ Africanæ de quo in Concilio Carthaginensi ann. 398. multùm differt à Distributionibus Quotidianis Ecclesiæ Romanæ, 348
Circa illud stipendium, Vide etiam, 325. 326
Vide Verb. Augustinus.

ECCLESIA GALLICANA.

Ecclesia Gallicana per Dei gratiam, tanquàm lucerna super candelabrum posita, lucet aliis per exemplum, 23. 25
Encomia hujus Ecclesiæ Gallicanæ, 23. Vide etiam, 25. 26.
Quam in visitandis Ecclesiis formam observari desideret Ecclesia Gallicana, Vide Librum laudatum in pag. 37. Clementina *Quamvis Sacris* non est recepta apud Gallos, apud quos sine Autoritate Regis servari non posset, 45
Articulus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa Legatos in Galliâ missos, 75
Pragmatica Sanctio ab Ecclesiâ Gallicanâ in Concilio Bituricensi anno 1438. sub Carolo VII. fuit condita, 112. 193
Concordata inter Franciscum I. & Leonem X. anno 1516. inita fuerunt. 117. 193. 242
Articulus 49. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ laudatus, 138
Quid intelligitur per vocabulum Ecclesiæ Parisiensis, 23
Quare ignorantia introducta fuerit in Ecclesiis Galliæ, 181
Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, 355. 438. 449
De Ecclesia Parisiensi, 435
Vide Verb. Declaratio, Diploma, Gallia.

ECCLESIA GRÆCA.

In Ecclesia Græca, jejunia Quatuor Temporum non sunt in usu, 379
Episcopi Ecclesiæ Græcæ faciunt Sacras Ordinationes in aliis temporibus, quàm Episcopi Ecclesiæ Romanæ. ibid.
Præter Dominicum, à jejunio Quadragesimali, Sabbathum quoque Græci eximunt, 386. 398
Latini è contra jejunio illud expressè subdunt, 386
Quadragesimæ Tempore apud Græcos, solis Sabbatho & Dominica Missam celebratam fuisse, 387
Discrimina circa Quadragesimam inter Ecclesiam Græcam & Ecclesiam Romanam, 392
Discrimina circa jejunia inter Ecclesiam Græcam & Ecclesiam Romanam, 395. Vide etiam, 393. 396
Apud Græcos, Sabbathum cum Dominica multa communia habet, 361. 365. 378. 393. In Ecclesia Græca Sacerdotes possunt contrahere Matrimonium, 268. 519

ECCLESIA ROMANA.

Post Romanam Ecclesiam, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtinent, 6. Ecclesia Romana est Mater & Magistra omnium Ecclesiarum, 7. 8. 134. 143. Ecclesia Romana fundata fuit ab Apostolis Petro & Paulo, 8
Apud Sedem Apostolicam, Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, ibid. Ecclesia Romana prima & Caput est cæterarum Ecclesiarum, ibid. 143. Romanæ Ecclesiæ Primatus Christi munere in B. Petro est collocatus, 8
Quid significant hæc verba: *Prima Sedes à nemine judicatur*, 17
Ordo Romanus sæculo tantùm IX. paruit, ut eruditi existimant 68. 329
Quomodò in Ecclesiâ Romanâ taxantur Nationes pro solutione Procurationum, 70
Singulæ Ecclesiæ à Romana Ecclesia non fundatæ fuerunt, 134
Ecclesia Romana aliis Ecclesiis vices suas commisit, easque vocavit in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, 134. 143
Honor suus unicuique servetur Ecclesiæ, 54
Consuetudo Ecclesiæ Romanæ ubi nihil gratis conceditur, 182
Regimen Ecclesiæ Romanæ est Aristocraticum, 7
Ecclesia Universalis est Supremum Tribunal, ibid.
Ad Ecclesiam Universalem factæ fuerunt promissiones inerrantiæ & indefectibilitatis, ibid.
A Summo Pontifice ad Concilium hujusmodi Ecclesiam repræsentans appellari potest, ibid.
Ecclesia à Summis Pontificibus quomodò regenda est, ibid.
Carolus Magnus in Gallias Romanæ Ecclesiæ ritum introduxit, 329. Vide etiam, 68. 387
Regimen exterius Ecclesiæ fit per Leges, Judicia, Ponitiones, Dispensationes, Officiorum Beneficiorumque Distributiones, 333
Regimen interius fit præcipuè per Sacramentorum administrationem, salubres monitiones, exhortationes, Prædicationes, ibid.
Jure Communi omnes Ecclesiæ per Orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, 437. 459
Aliquandò Ecclesia seu Monasterium nullo medio ad Romanam Ecclesiam, seu Sedem Apostolicam pertinet, 435. 440. 457. 499
Erroneæ prætensiones Ecclesiæ Romanæ erga Principes, aut Reges, 512
Quænam sunt remunerationes Spirituales & Temporales Ecclesiæ Romanæ, 326. Vide etiam, 333

ELECTIO.

Electionis locum nunc tenet Nominatio Regis Galliæ, & subrogatum sapit naturam rei cui subrogatur, 30. 514
Canonici possunt in Electionibus suum dare suffragium per Procuratorem, sed ad hoc quid requiritur, 173
Observationes notatu dignæ circa articulum præcedentem, ibid.
Si Episcopus eligat contra formam Capituli, *tum in conciliis*, Jus eligendi devolutum est Capitulis, 175
Secus in Gallia, ibid.
In Jure exponitur Electio Episcoporum, 176
Confirmatio & cassatio electionum. 176. 177
Qui eligi debeant in Abbates, seu Superiores, & quomodò fieri debeat talis Electio, 416. 417. 481. 486
Quomodò Præpositæ, seu Abbatissæ, aut Priorissæ, & quales eligi debeant in Monasteriis in quibus viget jus Electionis, 457. 480. 485
De potestate Principum circa Electiones ad Beneficia, Regulæ sive Observationes ex Corpore Juris desumptæ, 514
Laici soli non debent facere Electiones. ibid.
Olim magna erat Potestas Principum circa Electiones ad Dignitates Ecclesiasticas, 514. 515. 516
Mutationes introductæ ab Ecclesiâ super Electiones, ibid.
Causa harum mutationum, 515. Vide etiam, 353

EPISCOPATUS.

Vide Verb. Episcopus.
Regulæ de erigendis Episcopiis è Corpore Juris Canonici, Conciliоque Tridentino depromptæ. 133. 134. 135. 136
Episcopatus liberat à Patria potestate, 462
Episcopatus & Episcopus sunt vocabula Græca, 26
In Gallia Capitula non habent Administrationem bonorum Episcopatuum vacantium, 179. Vide etiam, 176. 182
In Ecclesia Romana jam diù invaluit usus, ut à solo Summo Pontifice, etiam in Gallia, Episcopatus dividantur, 138

EPISCOPUS.

Vide verb. Episcopatus.
Omnes Episcopi sunt Successores Apostolorum, 4. 27. Quæ sint Episcoporum Munera propria, 6. 239. Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis, 6. Sacramentum Confirmationis non potest conferri ab alio, quàm ab Episcopo, ibid.
Episcopi non in Castellis aut modicis Civitatibus debent constitui, ibid. & 24. Ratio hujus rei, ibid. Translatio, Depositio & Confirmatio Episcoporum sunt jura pertinentia ad Papam, 13. Vide tamen, 136. 138. Sedes Apostolica non debet privare aliquem Episcopum autoritate percepta, 15
In Sacris Canonibus præcipimur observare ut minimè in Villulas, vel in modicas Civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopatûs aut Episcopi, 25
Varia nomina Episcoporum in Jure Canonico, 26. Unusquisque Episcopus est Vicarius Domini, 27. 143. 297. Episcopi sunt Luminaria Mundi, 27. 375. Episcopi sunt Vicarii Apostolorum, 27. Episcopi sunt columnæ Ecclesiæ, 27. 41. Requiritur in Episcopo, ut sit natus ex legitimo Matrimonio, 27. Requiritur in Episcopo ætas viginti & septem annorum, 27. Multa alia requiruntur, 82. 284. 297
Ut quis Episcopus esse valeat, sit primum Ostiarius, deindè Lector, posteà Exorcista, indè sacretur Acolythus, demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & posteà Presbyter, & exindè, si meretur, Episcopus ordinetur, 58. A quibus sit facienda Consecratio Episcoporum, ibid. Cujuslibet Episcopi Consecratio à tribus Episcopis, & non paucioribus fit, ibid. Hæc pluralitas requiritur non ad validitatem, sed ad Solemnitatem, 29
Qualis debeat esse Episcopus, 27. 29. 217. 284. 297. 375. Episcopus Ecclesiæ Cathedralis est spirituali Conjugio copulatus, 32
Episcopus qui electus, & confirmatus est, sed non adhuc consecratus, solùm exercere potest ea, quæ sunt Jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt Ordinis, 30. 31
Episcopus suis Juribus in Ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigat, 31. 442. Quæ sunt præcipua Jura Episcopalia,

palia, 31.62.63. & seq. 73 83. 138. 230.240. Episcopus ne audeat extra suos fines facere Ordinationes in Urbibus & Pagis non ei subjectis, 33. Si hoc faciat quâ pœnâ puniri debet, ibid. Quænam sunt præcipua Episcoporum Officia, ibid. & seq. Principale Munus Episcoporum est prædicare & docere, 34. & seq. 313 375. Omnes Episcopi & alii, ad quos cura prædicandi spectat, tenentur per se ipsos prædicare, si legitimè impediri non fuerint, 35. 91. 314. Accusatio adversus Episcopos non est facilè credenda, 41. Episcopi Throni Dei vocantur, ibid.
Episcopi non debent amare contentiones & litigia, 41. 375
De Residentia Episcoporum, 39. 40. 333. 334. 335. Casus, in quibus is, qui Episcopatu demisso, Monasticam vitam elegit, resurgere valet ad Officium Pastorale, 45. 127. Quænam munia Episcopus potest demandare, 46. Episcopi quibus insignibus utantur, 47
De Ornamentis Episcoporum, ibid. Episcopi Jurisdictionem acceperunt immediatè à CHRISTO, non à Papâ, 47. 143. 238
Omisso Diœcesano Episcopo, ad Archiepiscopum appellare non licet, 52. Simplices Episcopi, de quibus in toto isto Articulo, tres habent Superiores, 55. 178. Episcopi immediatè subsunt Archiepiscopis, 55. 108. 173 48. De Pallio Episcoporum, 49 57 Episcopus Consecratione antiquior, præfertur aliis, & primus sedere debet inter alios, 55
Episcopus ejusque Magnus Vicarius seu Magnus Officialis dicuntur Judices Ordinarii, 39. Vide etiam, 52. 62. 75. & seq.
Jurisdictio Episcopalis alia est voluntaria & alia contentiosa, 38 53. 60. 63. 69. 73. 76. 84
Si Episcopus est indoctus, quid faciendum est, 61
Vide verb. SCIENTIA.
Duplicem tantùm in Episcopo agnoscit potestatem Jus Canonicum, nempè Potestatem Ordinis, & Potestatem Jurisdictionis, 77
Omnes Clerici, omnesque Ecclesiæ alicujus Diœcesis subsunt Jurisdictioni Ordinariæ illius Diœcesis Episcopi, 79. 83. 433. 435. 436. 442.
De Jurisdictione Episcopi generatim sumpta, 83. 110
Episcopus est Judex & Legislator, 83. 84. 102
In Gallia non solet Episcopus per seipsum inquirere, nec judicare, 86. 88
De Episcopi Jurisdictione speciatim spectata, 88. 102. 110
De Jurisdictione Episcopi circa res civiles, 92
Quænam sunt res Spirituales Episcopi Jurisdictioni subjectæ, 91
De rebus corporalibus Episcopi Jurisdictioni subditis, ibid.
De Episcopi Jurisdictione in Personas, 92. 184. 185. 435. 439 449
De Episcopi Jurisdictione in Loca, 97. 198. 445. 450
De Episcopi Jurisdictione in Ecclesias, 99. 436. 438 439. 440. 442
Episcopus quilibet positus est à Spiritu Sancto, ut regat Ecclesiam Dei, 104. 139
Exemptiones & Reservationes in Jure Canonico introductæ, limitant Autoritatem ac Potestatem Episcoporum, 117 147. 435. 438. 450. 467
Quamdiu Episcoporum Electiones viguerunt, à Metropolitanis confirmati sunt Episcopi, nisi immediatè Sedi Apostolicæ subjicerentur, 123
Episcopi non possunt sine licentiâ Papæ Religionem ingredi, 45
Episcopi Italiæ Summo Pontifici præ aliis semper subjectiores fuerunt, 125. 354
Nullus est Juris Textus, qui Episcopatuum erectionem Papæ expressè reservet, 133. 134
In Occidentali Ecclesia jamdiu invaluit usus, ut à solo Summo Pontifice Episcopatus erigantur, etiam in Galliâ, 134
Ad erigendum Episcopatum quænam requiruntur, 135
De Translatione Sedium Episcopalium, 136
Connexio hujus Tituli cum duobus præcedentibus, ibid.
Regulæ circa Episcopatuum Uniones & Divisiones, è Corpore Juris Canonici, & ex Concilio Tridentino desumptæ, ibid. & seq.
De Episcoporum Depositione, 138. & seq.
Plurimi Textus docent Episcopos reos à Collegis judicandos, 141. Vide etiam, 142. 147
Episcopi sunt CHRISTI Vicarii, sicut & Papa illorum Caput, 27. 143.
Quænam est Autoritas ac potestas Episcoporum tanquàm Vicarii CHRISTI, 143
Cur nullæ suppositæ Epistolæ fuerunt in favorem Episcoporum circa Causas Majores, 147
Quodnam est discrimen inter Papam & Episcopos, ibid.
Multa sunt, quæ Episcopi facere non possunt, quia ex Jure Canonico sunt prohibita Episcopis, 147. 148. Vide etiam, 102. 104
Ad Episcopum pertinet Collatio Beneficii seu Præbendæ, ad Capitulum & Decanum Institutio in Capitulo & Stallo, 151. 185
Canonici sunt Senatus & Concilium, & Fratres Episcopi, 151. 153. 170. 171. 187. Vide etiam, 39
Episcopus sua Capitula visitare potest & corrigere, etiam exempta, 160. 182. 184. 185. 198. 200
Quid possit & quid non possit Episcopus, sine Capituli consenso, 173. 174 175
Casus, in quibus Sedes Episcopalis vacat, 176. Vide etiam, 175
Episcopi duobus modis sunt Delegati aut Deputati à Sancta Sede, 177. 178
Capitula debent relinquere Episcopo licentiam eligendi locum, quem voluerit, non solùm in Choro & in Processionibus, sed etiam in Capitulo, cùm jus habet illud adeundi, 183. Vide etiam, 47 185 186 202. 235.
De Juribus & Obligationibus Episcoporum quoad Capitula, 184
Episcopus potest petere à Capitulo rationem Titulorum sive Documentorum Episcopatûs, 185
Episcopi est approbare Imagines, Reliquias, Miracula, quoad omnem Ecclesiam etiam Exemptam, 185. 372
Sunt nonnulla Capitula in Gallia, quæ non reddunt Episcopo honores, qui ipsi videntur debiti, 186

Episcopus est Caput Diœcesis, 186. Vide etiam, 39. 575
Quædam Jura & Privilegia Episcoporum Galliæ, 186. Vide etiam, 197
Episcopus habet potestatem convocandi Capitula Exempta & non Exempta, 198
Episcopus habet potestatem examinandi Statuta Capitulorum, 199. 200.
Taxæ Episcopales quid sint, à quibus & cur publicatæ, 222
Episcopi Potestatem circa Curam animarum acceperunt immediatè à CHRISTO, alii verò Ministri ab Ecclesiâ, 238
In primis Sæculis, Episcopus Ordinationis idem erat ac Episcopus Beneficii, 274. 278
Ratio hujus Rei, 274
Episcopus proprius quid sit, 276
Prima Lex circa Episcopum proprium, ibid.
De Episcopo Domicilii, 278
Episcopus quandò Ordinationem facere disponit, quid debet facere, 284. 285
Episcopus ante Ordinationem Clericorum seu Monachorum, quid examinare debet, & quomodò hoc Examen facere debet, 284. 285. 286. 28
Quænam sunt materia & signa Ordinis Episcopalis, 42
De pœnis contra Episcopum, qui ordinat aliquem sine Titulo Beneficii aut Patrimonii, 292. 293. 294. 196. Vide verb TITULUS.
Peculiares Canones circa requisita in Episcopo, tàm consecrando quàm consecrato, 297
Episcopus quasnam fœminas secum, seu in domo habere potest, 308. Vide etiam, 274. 309. 310
Episcopi, non soli & sine testibus, ad viduas aut alias fœminas accedant, 308. 309. 313
Olim solus Episcopus populum benedicebat, 319. 321
Episcopus tenetur Jure novo ad Officium privatum vel publicum, 324
Episcopus diebus Dominicis, Ecclesiæ deesse non debebat, 324. 367
Olim Comprovinciales Episcopi à Metropolitano consecrabantur, 327
Posteà Pontifices Romani cœperunt Episcoporum Consecrationem sibi vindicare, & sic Episcopi subditi fuerunt Ecclesiæ Romanæ, ibid.
Episcopus vel Parochus nihil aliud sunt quàm Pastores, sic ex Jure Divino residere debent, 334. Vide Verb. RESIDANTIA.
Tempus in quo Episcopis abesse licet à Diœcesi, 335
Episcopus dispensare potest circa Residentiam, 338
Vide Verb. DISPENSATIO ECCLESIASTICA.
De pœnis contra Episcopum non Residentem, 345
Episcopus primum locum habet inter Clericos, ibid.
An extra casus sibi nominatim permissos, à Residendo dispensare valeant Episcopi, 342
Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini, 353
Episcopi Italiæ putant Episcopatum non esse ex Institutione Divinâ, ibid.
An, & quæ Jura Episcopalia possint Episcopi à Monasteriis Exemptis exigere, vel iisdem à novo imponere, 444
Quandonam Episcopis jure concessum sit Jurisdictionem exercere in Religiosos & in Monasteria Exempta, puniendo vel visitando, 445
Antiquitùs Exemptiones datæ fuerant per Episcopos ipsos, 433
Potestas Episcoporum est ferè extincta, 450. Ratio hujus rei, ibid.
Episcopus potest in suâ Diœcesi, omne quod non illi prohibetur à Jure Canonico, 472
Olim magna erat Episcoporum Autoritas in Monachos, in Religiosos, 484. 488
Simplex Episcopus unicum habet tantùm gradum Jurisdictionis, 486
Hodiè simplex Episcopus est minimus Prælatorum, 486. Vide etiam, 55. 108. De Exemptione Episcopi à suo Archiepiscopo, 435. Vide Verb. SUPERIOR.

EPISTOLA.

Epistolæ falsæ seu suppositæ, 45
Epistolæ falsi Anaceti, 48
Canon suppositius ex Epistolâ Innocentii I. 122
Epistola supposititia Clementis à Jacobum Jerosolimitanum, 126
Multæ Epistolæ suppositæ, 130
Epistola Pelagii II. supposita, 131. 133 387
Epistola Anteri fuit supposita circa sæculum IX. 132. 147
Epistolæ suppositæ in favorem Sedis Apostolicæ confectæ fuerunt, 133. 147. 129
Epistolæ supposititiæ sub nomine Pontificum Priorum Ecclesiæ Sæculorum, 138. & seq. 140. 142. 147
Observationes circa illas Epistolas supposititias, 141. 147
Epistolæ supposititiæ priorum Pontificum, 12
Epistola supposititia Eusebii Papæ, 359
Epistola supposititia Papæ Melchiades, 359. 365
Pseudo-Isidorus, 384
Epistola supposita Telesphori, 392
Epistola fictitia, & quare, 442
Epistolæ Apocryphæ Felicis IV. Joannis... 529
Epistola falsa Higini, 544. 547. 551
Pseudo-Telesphorus, 383
Textus Telesphori suppositus, 382
Vide Verb. DECRETALIA.

ERROR.

Ecclesiæ particulares possunt errare, 473
Summus Pontifex errare potest in fide, 16
Ecclesia CHRISTI non potest errare, 7. 354
Vide Verb. IGNORANTIA.

EUCHARISTIA.

Eucharistia est Sacrificium ut & Sacramentum, 213. 214
De Officio Parochi circa Eucharistiam, 213. 214. 254
Parochus debet custodire Hostias sub Clave, 213. 518
Miraculosa Hostia partim conversa in Corpus Christi, 221
Peculiares Canones circa Sacramentum Eucharistiæ, 254
De Eucharistia collocata in qualibet Ecclesia, 528

EXAMEM.

Episcopus jus habet Examinia in omnes Ordinandos, 186. 284
De Examine Parochi seu Curati, 94. 242
De Examine Parochi per concursum, 242. Vide etiam, 94. 178
Canones spectantes ad Examen Ordinandorum, 284. & seq.
Nullus ad Ordines accedat vel admittatur, nisi fuerit Canonicè examinatus, 285. 286
Examen est fons bonæ ac malæ Ordinationis, 286
De Examine Novitiorum per Episcopum ante Professionem Religiosam, 471

EXCOMMUNICATIO.

Vide Verb. Censura, Ecclesia seu Templum.
Laicus Episcopo inobediens punitur Excommunicatione, 92
Dum Sedes vacat. Absolutio ab Excommunicatione sive à jure, sive ab homine, spectat ad Capitulum, 175. 176
Hæc Censura omnium major est, 175. 549
Capitulum vibrare non potest fulmina Excommunicationum, 186
Sententiæ Excommunicationum vulgari sermone expressæ, & in tabella relatæ, die primo Dominico Quadragesimæ, in singulis Cathedralibus Ecclesiis ponantur, 259
Qui manus violentas in Monachum vel in Clericum vel in Sacerdotem injicit, ipso jure fit Excommunicatus, 266. 429
Pœna Excommunicationis contra Clericos absentes circa Divina Officia, hodiè est abrogata, 325. 326. 327
Suspensio à Communione, seu Excommunicatio ad tempus determinatum est abrogata, 341
Concilium Paris excommunicat Apostatas Monachos ad usque illorum regressum in Monasterium suum, 452
Erronea prætensio Summi Pontificis circa Excommunicationem erga Principes aut Reges, 518
De Excommunicatione Histrionum, Theatricorum, & aliorum similium hominum, 529
Duplex est genus Excommunicatorum, 548
In Gallia nemo tenetur vitare Excommunicatos notorios, nisi denuntientur, 549

EXEMPTA ECCLESIA.

Omnes Ecclesias tàm Sæculares quàm Regulares, Jurisdictioni illius Episcopi esse subjectas, in cujus Diœcesi sunt sitæ, nisi probentur Exemptæ, 434. 436
Ecclesiam tàm Sæcularem quàm Regularem, per Privilegium & per illud solùm Romani Pontificis probari Exemptam, 437
Qualis esse ut plurimùm debeat tenor Privilegii, ut Ecclesia censeatur Exempta, 439
Ad quos extendatur Exemptio quæ Ecclesiæ seu Personis conceditur, 439
Ecclesias per solam Præscriptionem non posse probare Exemptionem quoad obedientiam, sed tamen quoad aliqua jura, 442
An, & quomodo ex solutione census, judicetur Ecclesiam esse Exemptam, & quæ sint signa subjectionis Diœcesano Episcopo, 443

EXEMPTIO.

In Gallia non recipiuntur Exemptiones Personales, 85
Exempti sunt Sedis Apostolicæ immediatè subjecti, 87
Duplex est Exemptionum genus, 98
Privilegia, Exemptiones & Reservationes in jure Canonico introductæ, limitant autoritatem ac Potestatem simplicium Episcoporum, 117. 147. 435. 438. 450. 462.
Nulla est in Gallia Exemptio nisi cum Titulo, Consuetudo non sufficeret, 172
Majus malum, quàm bonum ex Exemptione Capitulorum exortum est, 174
Canonici Exempti, 267
De Exemptione tam Sæcularium quàm Regularium, seu Ecclesiarum, seu Personarum, 415
Quid sit Exemptio, qui varii illius modi, qui effectus. 435
Quibus in rebus jus Canonicum concedat vulgò Religiosis Privilegium Exemptionis à Jurisdictione Episcoporum, 437
Quandonam ex tenore Privilegii judicatur, vel non concedi Exemptionem, vel duntaxat partialem quoad aliqua, 438
Regulæ Concilii Constantiensis circa Exemptiones à tempore Gregorii XI. concessas & in posterum concedendas, 438
Quomodo instirui debeat processus, cùm quæstio vertitur inter Ecclesiam, Episcopum, & Monasterium, super illius Exemptionem, 440
Quomodo judicari debeat, tàm in possessorio, quàm in petitorio, in controversia quæ instituta est inter Episcopum & Monasterium super Exemptionem, 440
Episcopos & Exemptos pacificè in omnibus agere debere, suisque terminis esse contentos, 444
Quibus in casibus generatim à jure permittatur Episcopis Jurisdictionem exercere in Exemptos, tàm Sæculares, quàm Regulares, non obstante sua Exemptione, 444
Quid Episcopis & Archiepiscopis Jure Ordinario concessum sit in locis Exemptis? Quomodo illa visitare teneantur, & quid in locis nullius Diœcesis, 446
Observationes gravis momenti circa Exemptiones tàm Regulares, quàm Sæculares, 449
Exemptiones à Lege Diœcesana & à Lege Jurisdictionis, 433. 440. 441. 442. 445. 531
De Exemptione Episcopi à suo Archiepiscopo, 435
Ordinarius non habet Jurisdictionem in Exemptos, nisi in casibus à jure permissis, 435

EXTREMA-UNCTIO.

De Officio Parochi circa Extremam-Unctionem, 214. 255
Canones utiles ad praxim circa Extremam-Unctionem, 215
Notabiliores Canones circa Sacramentum Extremæ-Unctionis, 255

FEMINA.

Feminæ capaces sunt Jurisdictionis Ordinariæ & Delegatæ, 78
In Congregatione Fontis Everardi, Feminæ præsunt Viris etiam in Ordinibus constitutis, 236
Nulla Femina cum Presbytero in una domo habitet, 258. 268. 269. 272. 308. 309. 310.
Neque (Sacerdos) sine testibus idoneis cum aliqua Femina solus loqui præsumat, 258. 308. 310
Cum quibus Feminis liceat Clericis habitare, 272. 308
Quomodo cum eis colloqui ac conversari debeat, 272. 308
Secta Priscilliani quid docebat circa Feminas, 309
Femina familiaria est inimicus, 311. Vide plura, ibid. & 312.
Varii prætextus nullius ponderis ab Ecclesiasticis excogitati, ad colorandum illorum consortium cum Feminis, 313. Vide etiam, 309. 312
De adulterio per Sacerdotem cum Femina in Ecclesia commisso, 541. 542
Vide verb. Fautæ.

FAMILIARES EPISCOPI, PAPÆ.

Appellatione Familiarium in hac materia quinam veniunt, 41
De Prærogativis Familiarium Papæ, 157 338. 339. 349.
Privilegium Familiarium & Domesticorum Episcopi circa literas dimissorias, 272. Vide etiam, 278
Familiares Episcopi & Prælati quænam vestimenta deferre debent, 306
Canonicus Metensis Familiaris Papæ, 336
Privilegium Familiarium Episcopi, 337. 338. 339. 349
Junge verb. Domesticus.

FERIÆ FESTIVITAS, FESTUM.

Feriandæ sunt illæ Festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint, 42. 95. 363. 364
Festivitatum Indictio ad Episcopum pertinet pro suo Episcopatu, 91. 361. 364 444.
Opera servilia, aut artificia manualia prohibentur in diebus Festivis, 259. 358. 360
Officium Festi alicujus differre debet ab Officio illius commemorationis, 317
Diebus Festivis populus Divinis Officiis adesse debet, atque ad id per Judices ac per Sacerdotes cogendus est, 324
Paulo post medium Sæculi XII. quid declaratum est circa Festorum principium & finem, 328 358
Festum Corporis Christi, 326. 329
Festivitates Apostolorum, & Evangelistarum, 329. 362. 363. 364. 366.
Patroni locorum Festa dies, 335. 361. 362
De Festis, Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino desumptæ, 358
De Festis in genere, 358
Dies Festivi ex quo fonte fluunt, 358
Festa sunt pretium, quietis, & lætitiæ dies, 358
Modus exterior celebrandi Festa, 358. 362.
Circa præcipua Festa, consona & conveniens per omnes Ecclesias Consuetudo custodienda est, 358
Ex Judæorum Festis in Christianorum Festa multa invecta sunt, 359. Vide etiam, 328
Sæculo IV. jam quædam Festa instituta fuerant, 359
In toto Juris Corpore nullus extat Textus qui Festorum Celebrationem damnet, 359
Festorum quæ in Ecclesia celebrantur, nullum est à Deo institutum, 360
Quæ sint opera servilia prohibita in diebus Festis, 360. 361
In initio cessatio operis servilis in diebus Festis respiciebat tantùm solos Monachos, 360
Festorum alia sunt Universalia, alia Particularia; alia Solemnia, alia non Solemnia; alia præcepta, alia devotioni cujusque relicta, 361
Festa Universalia tempore Sancti Augustini celebrata, 361
Festa Particularia, 361
Quænam sunt prærogativæ Festorum Solemnium, 361
Quænam sunt Festa quæ in Jure habent Vigilias, 362. 366 367. 376. 377
Festa, quibus Clerici non Residentes puniuntur, 362. Vide etiam, 365
Festum Epiphaniæ, 362
Festa alia sunt mobilia & alia immobilia, 363
Festorum Catalogi seu indices, 362. 363
Præter B. Virginis Festa, nullius Feminæ Festum recensetur, 363
Nullo Juris Textu præcipitur ut à vespera ad vesperam singula Festa celebrentur, 364
Qui Festa instituere potest, illa quoque transferre potest, 364
Episcopus, Archiepiscopus potest dispensare circa dies Festos, 364. 365
De Festis in specie, 365
Quænam sunt prærogativæ Paschæ, 367
De die & tempore Celebrationis Paschæ, 368
Res notatu digna circa Festum Ascensionis, quoad verba S. Augustini, 368
Rogationes sive supplicationes, 368. 369. 391. 393. 395. 396.
De Festis, quibus adduntur nonnulla cum illis maximè affinia de Sanctorum Canonisatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Concilioque depromptæ, 370
Illas Festivitates Martyrum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia, Sancta Corpora requiescunt, 373
In Festo Martyrum legendi Canones, 373
In Quadragesima Festorum Celebratio, quibusdam Juris textibus prohibetur, 386

FIDES

FIDES.

Fidei Christianæ fundamenta quid sint, 3. Fides ad omnes pertinent Christianos, 2. Una Fides, unus Dominus, unum Baptisma, *ibid.* & 4. 442. Observationes circa Definitiones factas in Conciliis Generalibus, in rebus Fidei & Morum, 3. & in Tomo primo Partis primæ hujus Operis pag. 92

Statuta Sedis Apostolicæ seu Ecclesiæ Romanæ, circa Fidem ab omnibus Ecclesiis observari debent, 15

Ex singulis quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt eligantur, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Ecclesiam, quæ adhuc in Fide nova est, deportantur, 25

In causis Fidei appellatur ad Papam, post judicium Episcoporum, 120

Quilibet Episcopus est Judex pro Diœcesi sua de controversiis circa Fidem, 118. 119

Dignitates & Canonici tenentur Professionem Fidei emittere non solùm coram Episcopo, sed etiam coram Capitulo, 152. 182. 183. 191

Provisis de Beneficiis quibuscunque Curam Animarum habentibus, tenentur à die adeptæ possessionis ad minùs intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, Professionem Fidei emittere, 202. Vide etiam, 94

De defectu Fidei in Jesum Christum, 471

FILIUS.

Regulæ de potestate Parentum in offerendis Filiis impuberibus in vitam vel Clericalem, vel Regularem, è Corpore Juris desumptæ, 516

Patria potestas in liberos à lege concessa, est minor majorve pro Legislatoris voluntate, 516

Juris Textus extat nullus qui Parentibus permittat, ut Filios puberes, in vitam Clericalem, vel Monachalem, nisi ea conditione, si isti consenserint, offerant, 517

Paulò post medium sæculi IV. Canones Corpori Juris inserti de potestate Parentum ad vovendos Filios meminisse cæperunt, 517

Filii vitam Regularem vovere possunt invitis Parentibus, 518

Offerendi Filius potestas, tàm ad Matrem, quàm ad Patrem pertinet, *ibid.*

Ad Oblationes Filiorum à Parentibus quænam sunt solemnitates requisitæ, 519

Circa Parentum in vovendis Filiis potestatem, dubia nonnulla proponuntur, 519. 520

FORUM.

Quid possint Episcopi in Foro Conscientiæ circa Dispensationes & Absolutiones, & in iis quæ pertinent ad Jurisdictionem voluntariam, 38. 61. Et Archiepiscopi circa tales res, 53

Clericalis Ordo habet Privilegium Fori, 266

Secundum Privilegium appellatur Fori, in eo situm, quod si Clerici committant delictum, non puniuntur per Judicem Sæcularem, sed remittuntur ad Judicem Ecclesiasticum, *ibid.*

Casus, in quibus Clerici amittunt Fori Privilegium, 92. 266. 267. 306. 308

Usus Gallicanus circa Privilegium Fori Clericis concessum in re criminali, 89. 267

Clericus qui Tonsuram negligit, non gaudet Privilegio Fori, 304

FRAUS.

Ecclesia in Actibus suis Fraudem non debet aliquam adhibere. 55

FRUCTUS.

Inter Fructuum substractionis casus circa non residentes, alii sunt sententiæ ferendæ, alii sententiæ latæ, 341

Quinam sunt casus prioris generis, *ibid.*

Fructuum substractionis casus, qui est latæ sententiæ, duplex est, *ibid.*

De appellatione horum Fructuum, *ibid.*

Varia circa Fructus propter non Residentiam, 341. 345. 349. 350. 351

An Jure Decretalium, non Residentiæ rei omnibus Beneficiorum suorum Fructibus priventur, 344

An Fructuum privatio qua plectitur non Residentiæ reus, ipso facto incurratur, *ibid.*

Vide Verb. Gazeta.

ECCLESIA GALLICANA.

Enunciata in *Cap. ut litigantes* in Gallia fieri nequeunt, nisi in Auditorio Majorum, 12

Quid cogitandum sit de usu Galliæ circa independentiam Episcoporum in iis, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, aut Administrationis, 63

Legatus Papæ pronunciat sententiam interdicti contra Regnum Galliæ, 75

Legatus Avenionensis suam Jurisdictionem exercet in Provinciam & in Delphinatum, quæ Provinciæ pertinent ad Regnum Galliæ, *ibid.*

Regula *In omnibus* non servatur in Gallia, 88

Episcopi per seipsos in Gallia non exercent Jurisdictionem contentiosam, *ibid.*

Exceptiones Regulæ *Quoad* XI. non habent locum in Gallia, 90

Regula *Qui ut.* non est in usu in Gallia, *ibid.*

In Gallia *Cap.* 2. *De Cler.* non recipitur, *ibid.*

In Gallia Papa est inferior Conciliis Generalibus, 7. 26. 104

Rex Galliæ est Protector Ordinariæ Jurisdictionis Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, 108

De Juribus, quibus apud Gallos fruitur Archiepiscopus in Suffraganeos, Suffraganeorumque Subditos, 109

Commentaria Cleri Gallicani laudata, 110. 186. 449

Modus impediendi mutationes circa Jurisdictionem Ecclesiasticam & Sæcularem, 110

In Gallia non permittitur Papæ, ut quidquam agat proprio motu, 102

Rex est Protector bonorum Ecclesiarum Regni Galliæ, 176

Leges conditæ à Regibus Franciæ circa consortium Clericorum cum mulieribus, 309. 312. 313

An ex Hispania, an ex Gallia ortum habuerit circa Officium Divinum Regula, quoad Officii Ordinem, Ecclesias cujusque Provinciæ sese conformare debere Metropolitanæ, nescitur, 322

Ratio hujus Regulæ. 327

Carolus Magnus in Gallias primus Romanæ Ecclesiæ Ritum introduxit, 329. Vide etiam. 68. 387

Quamnam utilitatem Gallia, respectivè ad Curam Romanam traxit, nolendo publicare Concilium Tridentinum; 355

Concilium Tridentinum plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honorifica, 356

Acta Cleri Gallicani laudata, 432

Leges Regum Galliæ circa Vota Monachorum, 459. 462

Beneficia Regum Galliæ erga Ecclesiam Romanam, 518

Canones in favorem Regis Franciæ, 518

Quandonam Reges Franciæ possint à Clero subsidium petere, etiam inconsulto Romano Pontifice, 522

GERMANIA.

Quod ad Capitula Cathedralium pertineat Episcopum eligere, 174

Sed nunc fruuntur tantùm hoc Jure in Germania, *ibid.*

Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, Germanorum Apostolus, 133. 134. 144. 145

Circa Extravagantem Benedicti XII. anno 1336. notandum pro solutione Procurationum, plus in illa taxari Germanos, quàm Gallos, Gallus verò quàm Hispanus; Hispanos quàm Italos, 70

Undè colligere licet Papam favere voluisse illis quos minùs taxavit, *ibid.*

De Electione Episcoporum secundum usum Germaniæ, 173

Notata circa Electiones secundum usum Germaniæ, *ibid.*

XIX. & XX. neutrum est in usu ab extinctione Electionum, in Regionibus in quibus extinctæ fuerunt, 175

Leges conditæ ab Imperatoribus Germaniæ circa consortium Clericorum cum mulieribus, 310. 313

Magna potestas Imperatoris circa Electiones Episcoporum, sive circa Electiones ad alias Dignitates Ecclesiasticas. 514

Potestas Imperatoris circa Electionem Summi Pontificis, 515

GIBERT.

I. Gibert (Joannes Petrus) scripsit Opus Gallicum quod inscribitur, *De Censuris*, 101. 429. 458

II. Gibert scripsit aliud opus sub Titulo: *Tractatus de Irregularitate*, 182. 210

III. Gibert scripsit Dissertationem Gallicam, 220

IV. Gibert scripsit Consultationes Canonic. 252

V. Gibert scripsit Dissertation. *De Auctoritate secundi Ordinis in Synodo Diœcesi* 257. Vide etiam, 7

VI. Gibert scripsit *Institutiones Ecclesiastic. & Benefic.* 485

VII. Gibert scripsit *Casus Practic.* 545

Circa Methodum illius Autoris, 120. 136. 138. 232. 283. 290. 304. 459. 484. 489

GLOSSA.

Historia allata ab Autoribus Glossæ fabulam sapit, 42

GONZALEZ.

Gonzalez notatus, 42. 300

GRATIA.

Gratia Fidei omnibus præstatur, Gratia autem Clericatûs non omnibus, sed dignis, 297. 298

GRATIANUS.

Gratianus edidit suum Opus circa annum 1150. 490

Gratianus notatus, 218. 322. 366. 393. 530

Tàm ex Gratiano, quàm ex Gregorio IX. clarè colligitur Officium privatim saltem recitandi obligatio, 323. 324

Observationes super verba allata per Gratianum & Gregorium, 323. 324. Vide etiam, 322

GREGORIUS, (Sanctus)

An usus aquæ Gregorianæ in Reconciliatione Ecclesiarum Pollutarum sit antiquus. 538

Aqua Gregoriana à S. Gregorio fuit introducta, 534

Usus illius Aquæ, 534. 538. 539. 542. 549

Vide Verb. Cantus Ecclesiasticus. Concilia Generalia sex primorum Sæculorum.

GREGORIUS VII.

Res notatu digna de hoc Summo Pontifice, 48

Canones suppositii hujusce Pontificis, 119

Dictatus hujus Pontificis, qui sunt Privilegia & Prærogativæ Sedis Apostolicæ sunt suppositi, 275

Ratio hujus suppositionis, *ibid.*

Erroneæ Prætentiones illius Papæ, 512

HABITUS.

Clerici Fori Privilegium amittunt, si Clericalem habitum dimittant. 92. 266. 306. 308

Quis habitus Clerici habere debent, 261

Habitus non facit Monachum, 261. 419

Vestes Ecclesiasticorum sæcul. XIV. 305. 307
Notabiliores Canones circa Habitum Clericalem, à Christo ad nos, juxta Ordinem Temporum collecti, 304
Sunt qui in habitu risum spectantibus tribuant, 305. 308
Habitus Clericalis, 305. 306. 307. 308
Canones circa Habitum Clericalem ex Bullario deprompti, 308
Vide Verb. Vestis.

HÆRESIS, HÆRETICUS.

Cum Hæreticis, aut cum Schismaticis orare non licet, 323
De Sepultura Hæreticorum, 558

HEBDOMADA.

De abstinentia carnis in die Mercurii, 396. 397
De statis cujusvis Hebdomadæ Jejuniis, semijejuniisve, Regulæ è Corpore Juris Canonici desumptæ. 396
Origo Semijejuniorum, 396. 397
De Jejunio seu Semijejunio diei Mercurii, 397
Idque in detestationem criminis Judæ quod eo die inceptum fuerat, ibid.
Diem Veneris qualibet Hebdomadâ Romæ jejunatum, idque propter Passionem Domini, quæ in Feriâ sextâ contigit, ibid.
De abstinentiâ carnis in die Veneris, 397. 399. Vide etiam, 398
De abstinentiâ carnis in die Sabbathi, 397. 399
De jejunio Sabbathi, 377. 378. 397. 398. 399
An S. Petrus in illo die jejunavit, 398
Episcopus potest dispensare circa illam abstinentiam carnis, 399
De Sabbatho Sancto, 388. 389
Junge Verb. Dies.

HIERARCHIA.

Hierarchia Ecclesiæ in quo posita, 5
Ecclesiastica Hierarchia est ut castrorum acies ordinata, 6

HIERONYMUS (Sanctus.)

Regula Monachorum S. Hieronimi, 327
Locus supposititius illius Regulæ, ibid.
Ratio est quia tempore S. Hieronymi, nondùm factæ fuerant Donationes cum onere certi numeri precum vel Missarum, ibid.

HYMNUS.

Anathemate plectendi sunt, qui Hymnos ex eo rejiciunt ab Officio Divino, quod ex Divinis Libris non desumantur, 320. 328
Hymnus *Gloria in Excelsis*, 320. 328
Hymnus *Gloria Patri*, 320. 323
Hymnus *Alleluja*, 320. 328
Hymnorum aliqui Angelici dicuntur, tales sunt *Gloria in Excelsis* & *Alleluja*, 320
Summus Pontifex ante Hymnum Angelicum consecratur, 10

HISPANIA.

Concilium Eliberitanum (Urbs à duobus leucis Urbis Granatensis in Regno Granatensi sita) laudatum, 308. 462
Hoc Concilium habetur velut Codex Canonum Ecclesiæ Hispanicæ trium primorum Sæculorum, 312
De Vigiliis factis in Ecclesiâ S. Jacobi Compostellæ in Hispaniâ, 377. 545
Potestas Regis Hispaniæ circa Electiones Episcoporum, seu circa Electiones ad alias Dignitates Ecclesiasticas, 514. 515
Vide Verb. Comparatio, Gallia, Italia, Rex.

HISTORIA.

Junge Verb. Usus.
Circa varia facta ad Historiam Religionum Christianarum spectantia, vide Verb. Ecclesia Africana, Ecclesia Gallicana, Ecclesia Græca, Ecclesia Romana.
Circa Historiam aut circa Narrationes Historicas, vide Verb. Disciplina, Officium Votum.
Circa varia scripta supposita ad Exaltationem Sedis Apostolicæ seu Summi Pontificis, vide Articulos citatos in fin. Verbi Jus.
Circa Concilia Generalia Antiqua, Vide Verb. Concilia Generalia sex primorum Sæculorum.
Circa Concilia Generalia nova, Vide Verb. Concilia Generalia Recentiora.
Circa multas Comparationes, vide Verb. Comparatio.
Circa Historiam, vide Verb. Decretalia, Gallia, Glossa, Immunitas Ecclesiarum.

HOMICIDIUM.

An & quandò incurratur Irregularitas, quandò dubium est utrùm Homicidium perpetratum est, & quomodo id judicandum, 421

HOMO.

Homo Diaboli suggestione peccavit, 3. Homines pro suorum actuum qualitate recipient, aut Pœnam aut Gloriam, ibid.
Homo per Baptismum fit subditus Ecclesiæ, 81
Non opes, sed animas venatores, non auri, sed Hominum Piscatores, (Sacerdotes) debent esse, 259
Prædicatores sint memores non eosdem esse omnium Hominum mores, 316
Nullus Homo uxori suæ jejuniorum diebus conjungatur, 392. 393

HORA CANONICA.

Vide Verb. Officium Divinum.
Ad Episcopum pertinet ordinare ea, quæ Dignitates & Canonici lucrari debent unaquaque Hora, 185. 348. 349
Canonici debent adesse saltem tribus Horis præcipuis Officii, 72. 195
Concilium Tolet. anno 1366. statuit Majores Distributiones Majoribus Horis, Festisque assignandas, 193
Concilium Mediol. anno 1576. præcipit ut Distributiones assignentur singulis Horis, nec non & Officiis extraordinariis, 193. 195. 354.
Ut minores Horæ non negligantur, pro illis certæ Distributiones assignentur, 193
Distributiones Quotidianæ, illis qui Horis intersunt Canonicis, tribuuntur, 155. 325. 337. 349. 350. 352
Septem sunt Horæ Canonicæ, 153. 324
Enumeratio illarum Horarum, 153. 272. 318. 329. 456
Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi, & alii Clerici, qui per Hebdomadas servire debent, si non adsint in sua Hebdomada in Horâ congruâ, sex denarios persolvere debent, 197
De Parochi Officio erga Divina Officia, sive Horas Canonicas decantandas, 217
Illæ Horæ sunt Pensum suæ (Parochi) servitutis, 217. Qualiter Horæ Canonicæ sint dicendæ extra Chorum, 272
Presbyter manè matutinali Officio expleto pensum servitutis suæ persolvat, 272. 317. 323
Clerici in Sacris Ordinibus constituti tenentur in qualibet die recitare privatim Horas Canonicas, 274
Horæ Canonicæ in Jure Canonico appellantur Officium Divinum, aut Pensum Servitutis Clericalis, 317
Officium Divinum octo constat Partibus, quæ sunt Nocturnæ Vigiliæ, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorium, 318
Quæ Pars *Nocturnæ Vigiliæ* dicebatur, nunc *Matutinum* vocatur, 318. 326
Quæ verò *Matutinum* vocabatur, nunc *Laudes* dicuntur, 318
Matutinis peculiare, 322
Vespertinis peculiare, ibid.
Matutinis & Vespertinis communia, ibid.
Per singulas Horas Canonicas, tintinnabulorum signa, jubente Archidiacono, pulsanda sunt à Custode, 325. Vide etiam, 153
Nocturnum Officium inter Clericos cur abrogatum, & quandò, 328
Laudes Divinæ per singulas Horas reverenter ab omnibus persolvantur, 154
Quomodo Clerici aut Canonici dicere, aut psallere debent Horas Canonicas, ibid.
Canones extra Corpus Juris desumpti, continentes peculiaria circa primam Horam Canonicam, 325

HOSPITALE.

Episcopi habent jus visitandi quædam Hospitalia, 38
Xenodochia & Hospitalia omnia ei duntaxat usui esse applicanda, ad quem sunt ex sua fundatione instituta, & ad pauperum vel infirmorum utilitatem, 555
Clericos non debere ordinariè præfici administrationi Hospitalium, sed Laicos, ibid.
Privilegia Hospitalium, 556
De administratione bonorum Hospitalium, ibid.
De pœnis contra Administratores illorum bonorum, ibid.
Gonzalez refert varia nomina Hospitalium, 555
Observationes circa Hospitalia, 556. 557
Usus hodiernus circa Hospitalia, 556
Hospitalia non comprehenduntur sub nomine Beneficiorum, ibid.
Papa non potest conferre, nec unire Hospitalia Regni Galliæ, ibid.
De Hospitalibus exemptis, 557
Vide Verb. Xenodochium.

JEJUNIUM.

Jejunare non licet in die Dominico, 365. 366. 377. 385. 391
Manichæi jejunabant in die Dominico, 365
Jejunare non licet in Festis solemnibus, 365. 366. 376. 382. 393
Jejunium est signum Tristitiæ, 366. 382
Jejunia ante Festum Paschæ, 367. 376
Jejunium aliud est Privatum & aliud Publicum, 376
Ob Jejunium certis diebus omissum Missæ Sacrificium, 324. 395
De jejuniis quatuor Temporum, Regulæ ex Corpore Juris Canonici desumptæ, 377
Jejunium quatuor Temporum undè dicatur, 377. 380. 394
Illud Jejunium quomodo aliter vocitatum, 377. 380
Jejunia Judæorum, 378
De jejuniis quartæ, sextæque Feriæ cujuslibet Hebdomadis, 378. 382. 391
Quænam sunt causæ propter quas jejunia quatuor Temporum celebrantur, 378
Cur jejunia Quatuor Temporum instituta fuerunt, ibid.
In Ecclesia Græcâ Jejunia Quatuor Temporum non sunt in usu, 379
Ex eâ anni Parte, qua prædicta Jejunia celebrantur, primum vocatum est *Vernum*, secundum *Æstivale*, tertium *Autumnale*, quartum *Hiemale*, 380
De Jejunio Quadragesimæ, 380. Vide etiam, 367. 376. 382. 383. & seq.
Jejunium Æstivale, 380. Vide etiam, 377. 381
Usus Galliæ & Germaniæ circa ista Jejunia, 380. 381
Quo tempore Ecclesiæ Romanæ usus circa illa Jejunia in Legem Generalem conversus est, 381
Quo in Jejuniis Quatuor Temporum, ciborum genere utendum erat, nullo juris Textu determinatur, 382. 391

Jejunium

Jejunium Quadragenarium Christi, 383. 384. 386
Ad imitationem illius Jejunii, Jejonium Quadragesimæ institutum fuit, 383
De cibis in Jejunio Quadragesimæ usitatis, 385. 386. 391
Vinum est lætitiæ signum, 385
Regulæ circa Jejunia è Corpore Juris Canonici, Conciliōque Tridentino desomptæ, 390
Jejunia antiquæ Ecclesiæ Christianæ, 390
Jejunia alia sunt perfecta & imperfecta, simplicia & multiplicata, generalia & specialia, 390
Alia sunt Jejunia Monachalia seu Monachis peculiaria, 390
Quænam sunt requisita in Jejunio, 390
De cibis in diebus Jejunii usitatis, 390. 391
Quo tempore diei Jejunium solvendum est, 390. 391. 392
Jejunium sine oratione hypocrysis est, 392
Jejunium sine Eleemosyna avaritia est, 392
Continentia servanda est in diebus Jejunii, 392. 393
Et in Jejunio Quadragesimæ, 392. 393
Episcopus habet potestatem indicendi Jejunia. 393. 394
Episcopus habet etiam potestatem dispensandi circa Jejunia. 394
De immoderato Jejunio, 394. 395
De actibus in jure prohibitis, ne ab aliis quàm à jejunis fiant. 395
De Jejunio Rogationum, 391. 395
Vide etiam. 368. 369. 393. 395. 400
De institutione Rogationum, 395
De statis cujusvis hebdomadæ Jejuniis, semijejuniisve, Regulæ è Corpore Juris Canonici desumpæ, 396
Origo semijejuniorum. 396. 397
De aliis semijejuniis per annum servatis. 400
De litania majori, 400
Res notatu digna circa illam litaniam Majorem, 400

IGNORANTIA.

Ignorantia Mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus vitanda est, qui docendi Officium in populis susceperunt, 211. 247
Ignorantia, quæ Mater cunctorum errorum esse dignoscitur in Clericis.... eam à se abjiciant, quasi pestem. 257
Vide verb. Lis.

IMMMUNITAS ECCLESIARUM.

Vide verb. Exempta Ecclesia, Privilegium.
Quid sentiendum est de textibus Corporis Juris circa Immunitatem Ecclesiarum secundum usum Regni Galliæ. 535
Exemptio & libertas Ecclesiarum est ferè abrogata in Gallia, ib.
Immunitas Ecclesiarum qua in re consistit, ibid.
Observationes circa Immunitatem Ecclesiarum utiles aut ad historiam aut ad praxim. ibid.
Immunitas Ecclesiarum est antiquissima, scilicet Sæcul. IV. ibid.
Circa jus azili in locis Sanctis, ibid.
Quædam privilegia Ecclesiarum. 523. 524. 535

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.

Nulla est in Gallia Immunitas nisi cum Titulo. Consuetudo non sufficeret, 572
Cur Immunitas in favorem Ecclesiasticorum à jure Canonico introducta fuit, 266
De Immunitate Ecclesiasticæ libertatis, & exemptione tàm Ecclesiarum, quàm Personarum Ecclesiasticarum ob oneribus Communibus quæ Laicis imponi solent, 520
Immunitates respiciunt aut Personas, aut res, aut loca. 520. 526
Quo Jure Immunitas Ecclesiasticæ libertatis Ecclesiæ competat, 521
Quàm ægrè ferat Ecclesia Laicos illam violare, & sub quibus pœnis id vetet. 521
Quod redundat in gravamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis, penitùs aboleodum est, 523
Observatio notatu digna circa totum Titulum de Immunitate Ecclesiastica, 526
Vide Verb. Persona.

INDULGENTIA.

Concessio Indulgentiarum pertinet ad potestatem Episcopalem. 184
Episcopus jus habet impediendi, ne Capitulum concedat Indulgentias, ibid.
In Gallia per multa Senatus-Consulta, conservatur Episcopis jus, ut soli promulgent Jubilea & alias Indulgentias Sanctæ Sedis, 186
Indulgentia XL. dierum. 228
Remunerationes Spirituales Ecclesiæ Romanæ nihil aliod sunt quàm Indulgentiæ. 326. 562. Dies Indulgent. &c. 326. 329
Ad lucrandam illam Indulgentiam quid faciendum est, 329
Indulgentia, Privilegium, Dispensatio sunt Verba Sinonima, 143
In Consecratione Ecclesiæ, Episcopus tribuere potest unum annum integrum Indulgentiarum, sed non plus ultra, 532. 536

INDULTUM.

Quodnam Indultum nullam vim habet in Gallia, 272

INSITUTIO.

Institutio facienda est per solum Episcopum, 91
Institutio ab aliis, in Gallia fieri potest, ibid.
Institutio ad Beneficia Patronatûs pertinet ad Capitula, Sede vacante, 175
De Institutione Canonica circa Titulum Beneficii. 295

INTERSTITIUM.

Ab uno Ordine suscepto ad alterum Ordinem sequentem, quodnam interstitium esse debet, 288

JOANNES.

Joannes (Sanctus) Apostolus, quid in Epistola sua dixit de Sancta Trinitate, 3
Vide verb. Sancta sex primorum Sæculorum.

IRREGULARITAS.

An Summus Pontifex possit dispensare circa Irregularitates à Prædecessoribus suis, vel à Conciliis Generalibus statutas. 149. Vide etiam, 102
Olim omnes Dispensationes circa Irregularitatem ex homicidio voluntario, Summo Pontifici non reservabantur, 103
De Irregularitate nascente ex publicitate criminis, 270. 271
An & quomodo Clericus incurrat Irregularitatem, jus suum coram Judice Sæculari in malefactores persequendo, 400
An & quomodo Clericus incurrat Irregularitatem, exercendo Officium Chirurgorum, vel Medicorum. 400
An Sacerdotes Missam celebrantes in Ecclesia, seu in loco polluto, fiant Irregulares. 540. Vide etiam, 534

ISIDORUS.

Pseudo-Isidorus vixit Sæculo VIII. 366. 367. 384
Vide Verb. Decretala, Epistola.

ITALIA.

In Italia multi sunt Episcopatus absque Capitulo, 170
Episcopi Italiæ Summo Pontifici præ aliis semper subjectiores fuerunt, 125. 314
Circa Extravagansem Benedicti XII notandum pro solutione procurationum, plus in illa taxari Germanos, quàm Gallos; Gallos verò quam Hispanos; Hispanos quàm Italos, 70
Undè colligere licet Papam favere voluisse illis quos minùs taxavit. 70
Articulus XVIII. est adhuc in usu in Italia, 181
Urbs Roma, (quia olim erat Caput non solùm Italiæ, sed etiam totius Imperii Romani,) per excellentiam in Jure Canonico, Urbs simpliciter appellatur, 117
Episcopi Italiæ nulli Metropolitano subditi, quid non possunt facere sine licentia Summi Pontificis, 318
Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini. 351. & seq.
Episcopi Itali cupiunt, ambiuntque Officia Curiæ Romanæ. 353
Episcopi Itali volunt Cardinalatum, Legationes, Nunciaturas conjungere cum Episcopatibus, 353
Episcopi Itali habent exiguam cognitionem Juris Divini. ibid.
Itali sunt primi, quibus prosit extraordinaria potestas, quam Ultramontani Pontifici attribuunt, 35

JUBILEUM.

In Gallia per multa Senatus-Consulta conservatur Episcopis jus, ut soli promulgent Jubilea & alias Indulgentias Sanctæ Sedis, 186
Vide Verb. Bulla.

JUDEX.

Tempus in quo Judex delegatus Sententiam suam exequi debet, 74
Judex Sæcularis est executor legis, 110

JUDICIUM.

Hoc verbum, Judicium, quid significat, 574
De similibus idem Judicium est habendum, 32
Non de rebus judicandum ex raro illorum eventu, sed ex iis quæ us plurimùm efficiunt. 161

JURAMENTUM.

Episcopi non jurant, quando testimonium ferunt, 40
Fidelitatem, obedientiamque Sedi Apostolicæ jurare tenetur, qui pallium habere vult, idque præscripta ab illa Sede forma, 49. 58
Quid de illo Juramento Reges & Regni Majores Daciæ sentiebant, 58
Casus, in quibus Juramenta non sunt servanda, 252
Ad quid Jurantium referri debet intentio, 252
Subtilitates seu distinctiones circa Juramenta, 252

JURISDICTIO CIVILIS.

Jure communi Jurisdictio civilis non pertinet ad Ecclesiam, 79
Quæ sit origo mutationum circa Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæculari comparatam, 110
Quis modus impediendi mutationes circa Jurisdictionem Ecclesiasticam & Sæcularem invicem comparatas, 110. 111
Mutationes quoad temporale, circa Beneficia seu Præbendas, fieri non possunt ab Episcopis, nisi à potentia temporali, quæ residet in Principe, 186

JURISDICTIO ECCLESIASTICA.

Jurisdictio Ecclesiæ quid sit, 5. 75. 100. Si aliquis poenas Ecclesiæ contempserit, quid faciendum, ibid.
Ecclesia non judicat de occultis, de Simonia. 5. Jurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec de ea debet se intromittere in præjudicium Judicis Sæcularis, 58
Episcopus in tota sua Diœcesi Jurisdictionem Ordinariam habet. 32. 38. 234. 436. Sed notandum est quod hic dicitur,

quod Canon Cùm *Episcopus*, in istâ paginâ, 58. Allegatum in Galliâ non recipitur. Prorogatio Jurisdictionis non admittitur in Galliâ, 52
Jurisdictio alia est voluntaria & alia contentiosa, 38. 53. 60. 63. 69. 73. 74. 75
Magnum est discrimen inter Jurisdictionem Regum, & Jurisdictionem Presbyterorum seu Prælatorum, 75
Jurisdictio exterior differt ab interiori, 76
Omnis Jurisdictio est vel ordinaria vel delegata, ibid.
Jurisdictio tàm ordinaria quàm delegata est vel voluntaria vel contentiosa, ibid.
Jurisdictio voluntaria seu gratiosa, ibid.
Quibus viis acquiratur Jurisdictio ordinaria, 77
Quibus viis amittatur Jurisdictio ordinaria, 78
Quibus competat Jurisdictio, ibid.
Jurisdictio Ecclesiastica est res Juris positivi, ab Ecclesiâ ergo concedi potest cui vult, ibid.
Jurisdictio est bonum Ecclesiasticum, ibid.
In Jure Canonico Jurisdictio acquiritur Consuetudine, Præscriptione, & Privilegio, 77
Partialis Jurisdictio ordinaria, 79
Quæ sint Jurisdictionis effectus & proprietates, 81
Proprietates Jurisdictionis Spiritualis, 82
Tria sunt genera abusuum circa Jurisdictionem, ibid.
Regulæ de Jurisdictione in specie, 83
De Jurisdictione Episcopi circa res criminales, 88. 445
Jurisdictio quasi Episcopalis, 90. 112. 172
De Rebus Spiritualibus Episcopi Jurisdictioni subjectis, 91
De Archiepiscopi Jurisdictione, 108. 109
De Jurisdictione Archidiaconi, 168
De Jurisdictione Capituli Sede vacante aut facto aut Jure, 112. 169. 171 172. 175. 176. 177
De Jurisdictione voluntariâ Capitulorum Sede vacante, 176

JURISDICTIO PAPÆ.

Jurisdictio Ecclesiastica seu Jurisdictio Episcopi, Metropolitani, Primatis & Patriarchæ, alterius generis esse videtur à Jurisdictione Papæ, 116
In Spiritualibus Jurisdictio Papæ est summa, suprema, ac extraordinaria, 116. 117. 510. 511. 512
Papa tanquàm Episcopus urbis Romæ habet Jurisdictionem Episcopalem, 117
Jurisdictio quam Papa exercet ut Episcopus urbis Romæ, nulli est Devolutioni, nec Appellationi ad alium obnoxia, ibid.
Papa est urbis Romæ Dominus Temporalis, & sic habet Jurisdictionem Temporalem & Spiritualem in illa urbe, ibid.
Propria Papæ potestas potissimùm consistit in Exemptionibus immediatis Sedis Apostolicæ, & in Reservationibus factis in favorem ejusdem Sedis. ibid.
Peculiaris Jurisdictio Papæ circa causas majores sibi reservatas, ibid. & seq.
Papam nullam Jurisdictionem aut potestatem habet in Temporalia Regum, aut Principum, 510. 511. 512

JUS.

Quandonam Textus Juris Canonici restringendi sunt, 24
Concilia sunt præcipui fontes Juris Canonici, 26
Jus Canonicum Antiquum, Jus Novum, 74. 103
Jus à Concilio Tridentino introductum, 92. 103
Opus quod inscribitur, *Usus Juris Canonici Gallicani*, laudatum. 63. 64
Concilium Tridentinum Novum Jus constituit, 146
Jus Naturale, Jus Divinum, 164
Libri Juris, qui componunt Corpus Juris Canonici, sunt Decretum, Decretales, Sextus, Clementinæ, & Extravagantes, 169
Praxis est finis studii Juris, ibid.
Aliquis posset quærere an Bonifacius VIII. in *Cap.* 10. *Ne Sede vacante in* 6. introduxerit Jus Novum, 177
Jus Antiquum prohibebat exactionem quamcumque circa administranda Divina; 218
Jus Novum, id est ann. 1216. ordinat, aut saltem approbat illam exactionem, 218
Clementina II. *De Sepultur.* non servatur, 219
Jus Divinum est immutabile, 334
Ecclesia potest dispensare à Jure Divino, *ibid.* Vide etiam, 106. Vide tamen, 414
Jus Divinum aliud est Naturale, aliud Positivum, 358
Jus Canonicum idem est ac Jus Ecclesiasticum, 509
Circa Textus suppositítios Juris Canonici, Vide Verb. CANON, DECRETALE, DECRETUM, EPISTOLA, GREGORIUS VII.

JUVENIS.

Juvenis meritò dicitur, qui juvenilibus desideriis occupatus, nulla gravitate constringitur, 27
Juvenis Clericus, vel Monachus non debet habere accessum ad Monasteria Monialium, sed soli Clerici aut Monachi provectæ ætatis, 309

KALENDÆ PAROCHORUM.

Vide Verb. CURATUS.

LAICUS.

Indecorum est Laïcum Vicarium esse Episcopi; in uno enim eodemque Officio non debet dispar esse Professio, 46
Cavendum est ne Sæcularibus Viris res Ecclesiasticæ committantur, 46
Casus, in quibus Laïci Foro Ecclesiastico subduntur, 96
In Galliâ nulla est Jurisdictio in Laïcos, nisi in materiâ merè spirituali, Capitulis non major gratia quàm Episcopis, 172
Ex Laïco ad gradum Sacerdotii nemo veniat, nisi priùs anno integro in Officio Lectorum vel Diaconatûs Disciplinam Ecclesiasticam discat, 289
Alia sunt vitia inter Ecclesiasticos pullulantia, & alia sunt vitia inter Laïcos usitata, 316
Concilium Cæsaraugust. docet Monachos fieri Sæculares ipsâ Sæcularium frequentatione, 412
Præscripta Religiosis circa Legata Laïcorum in favorem Ecclesiæ, 448
Sub quâ pœnâ, ibid.
De Laïcis prout Ecclesiæ Membris vel Filiis, ubi non pauca de Ecclesiis in quibus munia nonnulla obeunt, 509
Laïci sunt Membra Ecclesiæ, ibid.
Laïci alii sunt in dignitate constituti, & alii non, ibid.
Quæ sunt communia tàm Laïcis quàm Clericis, ibid.
Olim Laïci cum Clero eligebant Pastores & Episcopos, 514. 515. 516
Multa exempla ad confirmandam hanc veritatem, 514
Usque ad sæculum XIII. ibid.
Quænam Sæcularia Negotia Ecclesiastici non debent exercere, 264. 265

LECTOR.

Lector Verbum Dei legebat in Ecclesia, 320
Cui Ordo Lectoris institutus est, ibid.
Officium Lectoris, 319. 320
Olim quomodò Ordinatio Lectoris fiebat, 320
De Lectore, 288
Vide Verb. DECRETALE, LAÏCUS.

LEGATUS PAPÆ.

Soli Cardinales possunt esse Legati de Latere, 20
Legatus Natus, 21. Quænam est potestas Legatorum de Latere, 21. Legati missi non habent potestatem conferendi Beneficia, *ibid.* Quænam est potestas Legati Nati, *ibid.* 237
Quænam est potestas Legati à Latere, 22. 117
Legatus quid sit, 116
Legatus missus habet Jurisdictionem, 76. 116.
Legatus, vel Vicelegatus Avenionensis Jurisdictionem Civilem & Spiritualem exercet, 116
Legati sunt è numero Vicariorum Papæ, 117

LEX.

Lex Diœcesana quid sit? 98
Necessitas vel utilitas publica in Lege semper excipiuntur, 102
Canones ab Episcopis conduntur, majus est condere Legem quàm à Lege dispensare, 102. 149. 364
Reges & Principes Sæculares habent potestatem faciendi Leges circa res aut materias spirituales, 460
Nomina Imperatorum & Regum Galliæ ad confirmandam hanc veritatem. 459. 460
Omnis Legislator vices Dei gerit, 460
Duplex est Legum & Canonum genus, 518
Nomine Legum Divinarum, Canones sæpè intelligunt Leges Ecclesiæ, 563
Vide Verb. EXEMPTIO, REX.

LIBERTAS.

Art. 62. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* quid vetat, 165
Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, 138. 355. 438. 449
Libertas, quam nonnullis Apostolica Sedes Privilegio Exemptionis indulsit, est ut non possint locorum Ordinarii suam in ipsos Jurisdictionem exercere, 435
Privilegia, Libertates, Exemptiones & Reservationes à Summis Pontificibus in Jure Canonico introductæ, limitant autoritatem Episcoporum, 117. 127. 435. 438. 450. 467
Cùm eorum aliquem Papa Libertate donat, id in ipsius Privilegiis continetur, 437. 439. 441. 442
Cur Papa dat illud Privilegium seu Libertatem, 448
Secundum Jus Canonicum omnes Ecclesiæ per orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, 437. 439
Sententiæ in favorem Libertatis Ecclesiasticæ, 521

LIS.

Sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum, 41. Quo casu Lis in Concilio Provinciali judicatur, 53
In Tribunali Sæculari citiùs finiuntur Lites quàm in Tribunali Ecclesiastico, 110
Modus singularis finiendi aut terminandi Lites in ætate tenebrosâ, aut in sæculis ignorantiæ, 204

LITANIA.

Res notatu digna circa Litaniam Majorem, 409

LITTERA.

Litteris Episcopi creditur, tanquàm publico instrumento, 42
Litteræ Commendatitiæ quid sint? 273. 275. 276. 408
Littera Formata quid sit, 275. 278
Litteræ Testimoniales, 283. 287. 289. 290
Litteræ Protectionis à Papa concessæ, 438

LITTERA DIMISSORIA.

Sede vacante Capitula possunt concedere Dimissorias, post, & per annum, urgentibus, & opus habentibus, 176. 179. 182
Hodiè Capitulum Augustodunense dat Dimissor. ad Ordines, 176
Cùm Episcopus est suspensus à Collatione Ordinum, Capitulum non illi succedit in potestate concedendi Dimissorias, 177
Episcopus solus jus habet dandi Litteras Dimissorias, 185
De Litteris Dimissoriis ad Ordinum susceptionem, 274. & seq.
Diffici-

Difficiliùs concedebantur in primis fæculis Dimifforiæ quàm nunc, 274
Concilium Burdigal. ano. 1624. loquens ex profeffo de Dimifforiis irita vetat, 278
Quæ ex collectis Canonibus circa Literas Dimifforias inferre liceat, ibid.
Concilium Rhem. irritas facit Literas Dimifforias, in quibus examinis nulla fit mentio, 285
Literas Dimifforias concedere volens, de Beneficio, aut Patrimonio priùs inquirat, & in Litera femper fiat expreffa mentio de Beneficio vel Patrimonio, 293. 295. 296
Rationes hujus rei. 294

LITERA DIMISSORIA
Exeat nuncupata.

De Literis Dimifforiis *Exeat* nuncupatis, 279. & feq.
Litera vocata, *Exeat*, 272. 274
Quæ ex collectione Canonum circa dictas Literas Dimifforias *exeat*, inferenda funt, 282
Varii ufus fuere circa formam dictarum Dimifforiarum. 283

LOCUM.

An Loca benedicta & confecrata fuam poffint amittere Benedictionem aut Confecrationem? An in hoc idem fit de Altaribus ac de Ecclefiis, 536
An fint fumptus faciendi ad Reconciliationem Locorum pollutorum? Quinam debeant illos ferre? 541
An fufficiat fcire Locum effe pollutum, ut quis teneatur Sacerdos abftinere à faciendis in eo Functionibus Sacris, ibid.
Si Sponfus & Sponfa Matrimonio utantur in Loco benedicto, fitne pollutus, 547
De Jure Sepulturæ in Locis Sacris & Religiofis, 557. & feq.
De Epifcopi Jurifdictione in Loca, 97. 445. 452.
Omnis Locus Sacer fubeft Epifcopo in cujus Diœcefi fitus eft, nullusque fit Sacer fine Epifcopi autoritate, 99
Immunitates refpiciunt aut perfonas, aut res, aut loca, 520. 526
Circa Loca exempta quid Epifcopus poteft facere. 41

LUCRUM.

Obfecro te ne Officium Clericatûs genus antiquæ Militiæ putes, id eft, ne Lucra fæculi in Chrifti militia quæras, 299
Cafus in quibus Clericus non eft Paftor, fed Mercenarius, ib.
Plerique Sacerdotes præeffe defiderant ut divites fiant & honorentur, ibid.
De Pœnis contra Ecclefiafticos vitiofos & turpia Lucra fectantes, 262. 263
Clerici non debent inhiare Lucris Temporalibus, 408
Quæ gratis funt oblata, benignè funt exigenda. ibid.
Gratis accepifti à Deo, gratis da pro eo, 558
Vide Verb. Avaritia, Superstitio.

LUDUS.

Clerici Gallici frequenter ludunt, 262
Ludi voluptuofi, ibid.

MAGISTRR CEREMONIARUM.

Vide Verb. Ceremonia.

MARIA.

Maria (Sancta Virgo) eft Mater Christi, 4. 236
Prælata Fontis Everardi recipit honorem Summum, quia repræfentat Sanctam Virginem, 236
Vide Verb. Sancti [illegible]

MARTYR, MARTYRIUM.

Sæculo IV. Concilium Laodicenfe Martyrum Natalitiorum meminit, illaque jam confueviffe celebrari teftatur, 319. 373. 386
Acta Martyrum in Ecclefia legebantur, 370. 373
Peculiaria circa cultum SS. Martyrum ex Canonibus Extravagantibus defumpta, 372
Antiquitas cultûs Martyrum, 372. 373
Quibus modis exhibitus, 373. 374
Pro Commemoratione SS. Martyrum, 373
Miles Chrifti Evangelium tenens, & Chrifti præcepta cuftodiens, occidi poteft, vinci non poteft, 374
Pro Commemoratione Confefforum Pontificum, ibid.
Non oportet in Quadragefima Natalitia ulla celebrare, 386
Sanctorum Fefta fæculo IV. jam confueviffe, fed folùm Martyrum, 387
Sanctorum Martyrum Fefta Natalitia dicta, quia eo die fit quo ad Vitam Æternam nati funt, ibid.

MATRIMONIUM.

Vide Verb. Conjugium.
Tria funt Officiorum Parochi genera circa Sacramentum Matrimonii, 215. Vide etiam, 93. 94
Denunciationum Matrimonialium nulla in Jure Canonico mentio ante Alexandrum III. 216
Denunciationes Matrimoniales præceptæ non fuerunt per Univerfam Ecclefiam, nifi fæculo XIII. ineunte, ibid.
Parochus in Sacramento Matrimonii varia verba adhibet, juxta receptum cujusque Provinciæ Ritum, ibid.
Quæ funt Officia Parochi erga fecundum Matrimonium, 217
De Regiftris Matrimoniorum à Parocho confcriptis, 221. 222. 227. 250
Secundum Jus Gallicanum, quid Parochus facere debet ante Celebrationem Matrimonii. 222
Retributio feu jus Parochi circa Matrimonia, 223
Ordinationes Regum Galliæ & Decreta Conciliorum circa Regiftra Parochalia Matrimoniorum, 227. 228
Si qui funt Clerici extra Sacros Ordines conftituti, qui fe continere non poffint, fortiri uxores debent, 267
Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes & alii Clerici in Sacris Ordinibus conftituti non poffunt contrahere Matrimonium, 267. 268. 519
In Ecclefia Orientali, Sacerdotes poffunt contrahere Matrimonium, 268. 519
De Pœnis contra Sacerdotes & alios Clericos in Sacris Ordinibus conftitutos uxorem ducentes, 268
Publicationes Matrimonii ortum habuere à Gallia, 290
Nuptiæ à Matrimonio diftinguuntur, 369
Religiofi non poffunt Matrimonium contrahere, neque poffunt adeffe Nuptiis, 410. 491
Votum fimplex non irritum facit Matrimonium fubfequens, 491
Secus de Voto Solemni; 490. 491
Multæ Contentiones ortæ ratione Matrimonii inter Ecclefiafticos Ecclefiæ Romanæ, 493
Factæ Refervationes circa Difpenfationes Matrimoniales in favorem Sedis Apoftolicæ nullæ leguntur, nec in Corpore Juris, nec in Concilio Tridentino, 149

MERCATOR, MERCATURA.

Negotiationes in Cœmeteriis ac in Ecclefiis fieri nequeunt, 98
Comparatio inter modum agendi illorum qui Difpenfationes concedunt, & inter ea quæ Mercatores faciunt in periculo navis, 109
Canonici aut Clerici non debent Mercaturam exercere, 282
Christus quid fecit erga Mercatores & quare, 251. 373. 544
Presbyter nec fit Mercator, nec Mercaturæ cupidus, nec omiffo Theologiæ ftudio, fe ad mundanas conferat fermocinationes, 258
Clerici vel Monachi etiam, 264

METROPOLITANA, (Ecclefia)

Inftitutio Miffarum, ficut in Metropolitana Ecclefia agitur, ita in omnibus Provinciis, tàm ipfius Miffæ Ordo, quàm pfallendi, vel miniftrandi Confuetudo fervetur, 154. 330
Circa horas Canonicas idem fervetur in Comprovincialibus Ecclefiis, qui in Metropolitana fervatur Ordo, 322. 327. 330
Ad Ritum Metropolitanæ in Officio fequendum fingulas cujusque Provinciæ Ecclefias varii Juris Textus obligant, 323. 524
Circa ann. 530. Felicis III. vel IV. de octava Dedicationum Ecclefiarum mentionem facit, ut de re fervanda, 327. Vide etiam, 375. 533

METROPOLITANUS.

Metropolitanorum nomine appellantur, quia Matres Civitatum tenent, 48
Metropolitanus qui præeft Metropoli, ibid.
De Metropoli Arelatenfi, ibid.
Metropolitanus non eft Judex Ordinarius totius Provinciæ fuæ. 51
Launoius laudatus circa Metropolitica Jura. 56
Quænam eft poteftas Metropolitanorum in Suffraganeos. 60. 61. 62
Metropolitani habent jus vifitandi, 66
Apud Gregorium IX. extat Textus, qui fæculo XII. Metropolitanum adhuc potuiffe Epifcopatus erigere evincit, 134
Cafus, in quo Metropolitanus agit tanquam Delegatus Sedis Apoftolicæ. 166
Metropolitanus primam Sedem habere debet ratione primatûs. 233. 235
Olim folus Metropolitanus habebat poteftatem ftatuendi circa Officia Divina, 323. 327. Vide etiam, 154
Olim Comprovinciales Epifcopi à Metropolitano confecrabantur, 327
Poftea Pontifices Romani cœperunt Epifcoporum Confecrationem fibi vindicare, ibid.
Ad celebranda Divina Officia, Ordinem quem Metropolitani tenent, Comprovinciales obfervare debebunt, 158
Metropolitanus erga Epifcopos difpenfare poteft circa Refidentiam. 338
Metropolitanus duos habet gradus Jurifdictionis, 486
Vide Verb. Concilia Generalia Recentiora, Concilia Particularia Gallicana, [illegible].

MINOR.

In Gallis Beneficiarii Minores, gaudent Privilegiis Majorum circa caufas Beneficiorum, 515
Qui minor eft annis XIV. per fe agere non poteft in Judiciis, fed tantùm per Curatorem ab Ordinario fibi datum, 164

MIRACULUM.

Vide Verb. Episcopus, Eucharistia, Sancti Recentiores.

MISSA.

Non fit licitum ulli quàm Epifcopo, Dignitati, & Canonico, ad majus Altare Miffam celebrare, 196
Miffæ peculiares, quæ per dies folemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas Populus à Publicis Miffarum Solemnibus abftrahatur, 205. 246. 247
Propria Parochi Officia circa Miffam, 214
Miffa Parochialis, 214. 246
Fundatas Miffas Parochus celebrare obligatur per feipfum vel per alium, 213
Parochi & alii Sacerdotes, urgente neceffitate, poffunt celebrare, una die plures Miffas, 214. 245
Miffa Conventualis pro mortuis, vel de Spiritu Sancto, 229

Bicmationes

Binationes (id est Binæ Missæ ab eodem Sacerdote & in uno die) sunt in usu in aliquibus Ecclesiis Parochialibus, 247
Missa quibus partibus constat, 248
Tres Missæ dicendæ, 293
De Missarum venalitate, 294
Missa quid sit? 317
Cujus est Missam Solemnem celebrare, ejus est Officio præesse, 317
Olim Vespere Missa dicebatur, 318. 319. 324. 391. 392.
Matutinæ & Vespertinæ Missæ quid significant hæc verba, 319
Per verbum *Sacramenta* intelligitur Sacrificium Missæ, 325
Sacerdos ante Celebrationem Missæ quid debet facere, 375
A primis Ecclesiæ sæculis Missa Quadragesimalis propriam Præfationem habuit, 387
Nullus Clericus peregrinus sine Commendatitiis sui Ordinarii Litteris, ab Episcopo ad Divina celebranda admittatur, 401
Vide etiam, 273
Idem dicendum est de Religiosis, seu Monachis, 427
Sæculo XII. & XIII. Benedictioni conjunctam fuisse Missæ Celebrationem certum est, 519
An Sacerdotes Missam celebrantes in Ecclesiâ pollutâ, fiant Irregulares, 540. Vide etiam, 534
Vide verb. PUNCTUATOR.

MYSTERIUM.

Singula Ornamenta Episcoporum sunt mysteriosa, & quodlibet istorum Ornamentorum historicè, mysticè & moraliter à Gonzale explicati fuerunt, 47
Septem Horæ Canonicæ comprehendunt plurima Mysteria, 153
Consecratio Episcopi Sanctissimis Mysteriis est plena, 375

MONACHUS.

Pallium Monachale est jugum Statûs Monastici, 48
Monachi ab Episcopatu excludi debent, & quare, 125
Rationes allatæ circa Episcoporum Translationes, ad alias Translationes etiam Monachales extendendæ sunt, 132
Mendicantes Monachi possunt audire Confessiones, 213
Religiosi seu Monachi sunt Laici pro suâ conditione, & vocati per Dispensationem ad functiones Clericales, 231. 458
De Litteris Dimissoriis circa Ordinationem Monachorum & Religiosorum, 287
Monachi absque Titulo ordinari non possunt, 291
Tonsura Monachalis fit à Prælato, in susceptione habitûs Monachalis, vel Regularis, 300. 410
De cautelâ servandâ circa Monachos qui Moniales dirigunt. 309. 313
Sæculo VI. per Consuetudines & usus Monachorum circa Officium Divinum, quid intelligendum est, 327
Monachi & Moniales intra Claustra Officium canere cœperunt statim atque à communi Fidelium Conventu exempti sunt, 331
Hodiè Moniales cum Canonicis vel Monachis in uno Choro convenire non debent ad psallendum, 331. Vide etiam, 323. 328
Ratio hujus Regulæ, 331
In initio cessatio Operis Servilis in Diebus Festis respiciebat tantùm solos Monachos, 360
Quænam sunt illa Opera Servilia, 360. 361
Jejunia alia sunt communia, alia Monachalia, seu Monachis peculiaria, 390
Monachis peculiaria jejunia alia sunt perfecta, alia imperfecta, 396
Jejunia simplicia & non simplicia, 396
Inter communem omnibus Fidelibus abstinentiam, & illam quæ Monachis peculiaris, discrimen hoc interest, quod ista propter Solemnitates non intermittatur, 399
Monachi & Sacerdotes multùm delinquunt alienum Officium usurpando, quod ipsis minimè congruit, 400. 414
Monacho non licet Votum vovere sine consensu Abbatis, 406. 414. 461. 462
Monasticus Ordo à Deo inspiratus, & ab ipsis Apostolis fundatus, 409
Exactiones certas pecuniarum, pro recipiendis Monachis & Monialibus, condemnamus, 411
Usum scribendi Professionem Monachorum, eamque scriptis probandi, jamdiù Gallia sequitur, 413
Monachi proprium non habent, & tenentur vivere sine proprio, 413. 414. 415
Monachi nihil ferè possunt facere sine licentiâ, consensu aut permissione Abbatis aut Prioris, 414
Ne Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant. Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus, 414. 529
Ad Superiores primò pertinere correctionem Monachorum delinquentium; & quâ ratione illa fieri debeat, atque à Monachis sustineri, 419. 488
Non licet Religiosis à correctione appellare, nisi Superiores excedant in modo correctionis, 420. 488. 489
Quid agendum si vel Religiosi contumaces fuerint, vel si Superiores delinquentium correctionem neglexerint; an incorrigibiles ejici possint, 421
Monachos posse Ecclesiasticis Ministeriis deputari, sed non posse illa exercere sine consensu Episcopi, & Abbatis sui, 427. 429
Monasteria regulariter non debere Monachos plebium Curæ præficere, sed Clericos debere Episcopis præsentare, eosque debere esse perpetuos, 431
Monachus translatus non habet vocem in Capitulo à quo translatus est, 424
Jus Canonicum nonnulla prohibet Religiosis Monachis, 433
Quilibet Monachus debet facere tria Vota solemnia, scilicet castitatis, obedientiæ & paupertatis, 413. 467. 468. 473
Illa tria Vota sunt basis & fundamentum totius Status Religiosorum & aliorum Monachorum, 458. 474
Servo Monachus est admodùm similis, 462
Innocentius III. affirmat Papam ipsum non posse dispensare Religiosum de abdicatione proprii, neque de castitate, 474. 495
Quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit, 475
De Matrimonio Religiosorum, 489
Monachi errantes in Curiis Principum, 481
Monachi Religiosi fugitivi, 481. 484
De iis quæ sunt communia Religiosis tàm Inferioribus, quàm Superioribus, 484
De iis quæ propria sunt Superioribus, *ibid.*
Nomina Superiorum Monachorum, Religiosorum, *ibid. & seq.*
Regimen Religiosorum Monachorum, Religiosorum est Aristocraticum, 492
De Privilegio concesso Monachis sepeliendi mortuos, 560. 562
Districtè vetitum est Clericis & Religiosis, ne quis Voto aut Juramento adstringant ad eligendam apud ipsos sepulturam, idque sub pœnâ Excommunicationis, 560
Vide Verb. RELIGIOSUS, SUPERIOR.

MONASTERIUM.

Monasterium potest in Ecclesiam Cathedralem erigi, 24. 25. 135. 137. 232. 235. De Visitatione Monasteriorum, 68. 69. 75. 98. 420. 430
Monasteria habent Jurisdictionem Ordinariam, 79
Varia circa Monasteria, 94. 95. 96. 173
De Episcopi Jurisdictione in Monasteria, 98. 436. 457
Absque Episcopi consensu nulli licet Monasterium ædificare, 99. 426. 426. 428
Episcopi consensus sufficit in stabiliendis Monasteriis, 170
Monasterium potest in Episcopatum erigi, 231. 235
Monasterium potest in Ecclesiam Collegiatam erigi, &c. 232
Unicus in Jure Textus circa intrusionem in Monasterium, propter obliquatam non residendi culpam, solutque Episcopi meminit, 341
Sed à majori ad omnes ejusdem culpæ reos extendi potest, 341
In Monasteriis reperitur Simoniaca pravitas, cùm in eis aliqui pretio sunt recepti, qui potiùs gratis recipi debuissent, 411. 479
De iis quæ pertinent ad Disciplinam Monasteriorum, 415
Qui debeant in Officiis Monasterii constitui, & quomodò procurentur Monasterii negotia, 417
An, & quomodò provisum sit Monasteriis, ne totius Conventûs bona per aliquos ex Religiosis, aut dentur, aut alienentur, 418
Quàm severè Disciplina Regularis conservari debeat, & quâ ratione id præstandum sit in Monasteriis quæ Capitulis Generalibus subsunt, 419
Quâ ratione providendum sit ut Disciplina Monastica observetur in Monasteriis, quæ nec Generalibus Capitulis, nec Episcopis subsunt, 420
Quomodò Episcopi invigilare debeant Disciplinæ Monasteriorum, qui illorum Jurisdictioni subsunt, tàm intrà, quam extra Visitationem, 420
Non licet Religiosis Monasterium suum deserere. Quam pœnam incurrant qui Habitum Religiosis deserunt, & ad quid cogendi, 421
Quomodò, & quibus in casibus Religiosi licitè possint è suis Monasteriis egredi, ac præcipuè propter studia Litterarum, 423
Nonnulla de Monasteriis erigendis, 426. 428
Quomodò novæ Domus, novi Conventus, seu nova Monasteria erigi debeant, 426. 428
Monasteria semel instituta non posse in alios usus deputari; sed tantùm ex consilio Episcoporum transferri in alium locum, 428
An, & quæ Monasteria possint possidere bona immobilia? Et quomodò debeant illa administrari, 432. 457
An, & quæ Jura Episcopalia possint Episcopi à Monasteriis exemptis exigere, vel iisdem à novo imponere, 444
Superiores Monasteriorum non posse renunciare Privilegiis Exemptionis, sed Ecclesiam velle illa restringi, cùm Ecclesiis nimirùm nocent, 448
Quibus in rebus Episcoporum Jurisdictioni subsint Monasteria, & Regulares quibus incumbit animarum cura? Et quæ Monasteria accipiantur, 450
Doctrina Canonum pertinens ad expulsionem Religiosorum incorrigibilium extra Monasteria Ordinis, 481. 483
Cur ejectio extra Monasteria non est approbata, 421. 482
Monachi de Monasterio in Monasterium migrare non possunt, 422. 474
De egressu ex Monasteriis sive ad tempus, sive in perpetuum, 423
Episcopi possunt visitare Monasteria quæ sunt Ordinum capita, 432
Libertates, Privilegia & Exemptiones multorum Monasteriorum, 433. 434. 435. 438. 439. 443
Omnia Monasteria, nisi sint Exempta, spectant ad Episcopum loci, 435. 437
Quomodò judicari debeat quoad Capellas, seu Ecclesias à Monasteriis dependentes, 441
Nomine Monasterii quid intelligendum est, 456
Ecclesiæ aut Sacella Monasteriorum olim quænam erant, 474. 537
Bona Monasteriorum quæ sunt in Commenda, partita sunt in tres partes, & quare, 534
Sacella aut parvæ Ecclesiæ, 531. 532

MONIALES.

In Galliâ Episcopus visitare potest Clausuram Monialium intùs & foris, 86. 420. 457
De Monasteriis Monialium, 95. 455. & seq.
Ut Parochus sepeliat ancillas Monialium extra Monasteria famulantes, 223
Ne infametur Angelicus Ordo Monialium seu Puellarum, ad illarum Monasteria Presbyteri, Diaconi vel quilibet de Clero non debent accedere, 309. 455

Clericus

Clericus vel Monachus juvenis non habebit accessum ad Monasteria puellarum, sed soli Sacerdotes ætatis provectæ & probatæ vitæ, 309. 456
Hodiè prohibetur ne Moniales cum Canonicis, vel Monachis, in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum, 328. 328 331
In Italiâ versus sæculum XII. hæc Consuetudo erat in usu, 328
Cur hæc Consuetudo hodiè est abrogata, 331
Olim Consecratio Virginum non fiebat ante annum XXV. 410
Hodiè ætas requisita ad Professionem Monialium est annus XVI. expletus, ibid. & 425
De iis quæ pertinent speciatim, tàm ad Professionem, quàm ad Disciplinam Monialium, 453
Quàm immane crimen committatur à Monialibus, quæ post emissam Professionem, Sacrum Propositum abjiciunt, ibid.
Quæ ad Disciplinam Regularem Monialium pertineant, ac præcipuè circa earum Confessionem, 454 459
Omnes Moniales debere perpetuam servare Clausuram, & Episcopos jus habere visitandi ac statuendi quoad illam, in quibuscunque Monasteriis; quibus remediis ad id uti possint, 455. 459
An & quandò liceat Monialibus egredi extra Septa Monasterii, & quas pœnas incurrant quæ legitimè non egrediuntur, 456
Nemini licere ingredi intra Septa seu Clausuram Monialium, nisi ex causâ rationabili, ac de Superiorum licentia; & quibus illi hanc licentiam dare possint; & quam pœnam incurrant qui aliter ingrediuntur, 456
In quo conveniunt vel differunt Canonicæ Sæculares cum Monialibus Religiosis, 458
Monasteria Monialium non debent esse extra mœnia Urbium, 429. Vide tamen, 459
Obligatio Monialium circa Officium Divinum, 456
Ætas requisita ad Abbatissam seu Priorissam Monialium, 457
Quæ sunt peculiaria Monialibus, 458. 459. 477
Moniales S. Urbani, 459
Jejunissæ cur abrogatæ fuerunt, ibid.
Varia Vela Monialium, ibid.
De pœnis contra Moniales impudicas, 483
De Apostasia Monialium, 483
De Matrimonio Monialium, ibid.
Velum Monialium in formam mantelli factum, 494
Sæculo XII. Benedictio cum Velamine Monialibus dabatur, & nonnisi intra annos discretionis, 519

MONITIO.

Trina Monitio debet præcedere, ad hoc, ut Clericus amittat Privilegia, 266. 271. 539
Casus, in quibus Monitio præcedere debet, 313
Non Residentiæ reus à proximo Superiore monendus, ut resideat, 332
Beneficiatus Clericus ter monendus est circa non Residentiam, 330

MONITORIUM.

Episcopus jus habet impediendi, ne Capitulum det Monitoria, 185
Secundum Jus Gallicanum, Parochus solus jus habet publicandi Monitoria, 222

MORBUS.

Dandus est Coadjutor Episcopo qui habet Lepram, vel incurabilem Morbum, 144
Vide verb. ARAUSIO.

MORS.

Religiosus, seu Monachus mundo mortuus est, 425. 427
Ecclesia sæculi V. non solùm pro defunctis orabat, sed pro ipsis solis Officium aliquod celebrabat, 318
De Registris Mortuorum, Vide Verb. SEPULTURA.

MULIER.

Qualia Concilia Clericorum cum Mulieribus consortium prohibuere, quibus de causis, 308. & seq.
Clerici non debent includere in domo Serpentem seu Mulierem, 309
Clerici & alii in Majoribus Ordinibus constituti, nec Mulieres alloquantur, aut Domi retineant, 309
Nullus Clericus (exceptâ solâ Matre) cum quibuslibet Feminis secretè se præsumat adjungere, ibid.
Neque sub prætextu necessitatis vestes faciendi, 309. 312. 313
Sacerdos nescire debet nomen Mulierum, 311
Consortium Mulierum Sacerdoti non convenit, ibid.
Ratio hujus rei, ibid. & seq.
Cur Ecclesiastici sunt suspecti de libidine erga Mulieres, 312. 313
Innocentius I. statuit omnes Ecclesiasticos Mulierum Viduarum Maritos à Clericatu arcere & promotos deponere, 286 287
Mulier est velut Serpens in sinu Clerici cum illâ cohabitantis vel confabulantis, 313
Propter Mulieres Status Ecclesiasticus dehonestatur, ibid.
Vide hic pulcherrimam descriptionem super eandem rem, ibid.
Quænam erant Mulieres Presbyteratæ, 498
Cur Mulieres ab ingressu Ecclesiarum arceri non debeant, 524

NECESSITAS.

Necessitas duplex est, 68. Vide Verb. MULIER.

NOMINATOR.

Nominatores quo jure gaudent, 122

NOVITIUS, NOVITIATUS.

An, & cur necessaria sit probatio, quàm vulgò dicunt Novitiatum ad Professionem Religiosam, & quanto tempore fieri debeat ad Professionis validitatem, 409. 412. 491
Ex quo Novitiatus fieri cœpit in Habitu Religioso, probatio duplex necessaria, altera ad Habitus receptionem, altera ad Professionem, 410
Quandonam Novitii admitti debeant ad Professionem, ibid. & 465. 466
Professio debet recipi per Abbatem seu Superiorem, aut per ejus Delegatum, 412. 466
Novitii ante ingressum in Religionem quid possint facere, 412. 466
Novitios & Conversos gaudere Privilegio Canonis, sicut & alios Religiosos, 419
Nullus est Novitiatus sine Habitûs acceptione, & probatione annua, 465. 492
Probatio debet fieri in indumento Ordinis, 465. 492
Probatio debet durare per unum annum integrum, 465. Et quare, 465. 470. 478. 479
Ad Novitiatûs validitatem quid requiritur, 465
Probatio erga servos & milites debet durare per tres annos, 468. 469. 492
De Novitiatu Religiosorum translatorum in novis Religionibus, 478. 479
Observatio spectans ad mutationes factas circa Novitiatum, 491
1. Circa Necessitatem Novitiatûs, ibid.
2. Circa Habitum, 492
3. Circa Durationem, ibid.

NUNCIUS PAPÆ.

Nuncii nullam exercent Jurisdictionem in Galliâ, 90

NUPTIÆ.

Tempora, in quibus in Ecclesiâ Romanâ Nuptiæ sunt prohibitæ, 216. 367. 369. 389. 392
Religiosus, Clericus non potest interesse Sponsalibus, Nuptiis, 311. 420. 498

OBEDIENTIA.

Obedientia non debetur, nisi justa sint quæ præcipiuntur, 132
Tria dicuntur esse Munerum genera, scilicet Munus à manu, Munus ab obsequio, Munus à linguâ, 292
In virtute Sanctæ Obedientiæ, Conc. Noviom. ann. 1344. 406. Vide etiam, 426. 432. 446. 448. 455. 460
Officia & requisita Religiosis, Monachis circa Obedientiam, 414. 415. 418. 419. 420
Præscriptio non currit contra Obedientiam, 448
Religiosi, Monachi non possunt exire è Monasterio sine Obedientiâ, 483. 484
Mutationes factæ circa Votum Obedientiæ, 493. 494

OBLATIO.

Antiqui Canones quid dixeront circa Oblationes Fidelium, 218
De Parochi Jure circa Oblationes, 221. 256
Oblatio quid sit? 221
Honorius III. sub nomine Oblationis, comprehendit omnia quæ in Festivitatibus Sanctorum, portantur ad domum Sacerdotis intuitu defunctorum, &c. 221
Oblata intra Hebdomadam Mortuorum facta, ibid.
Dona pro Missis defunctorum, ibid.
Concil. Rothom. ann. 1581. Oblationes inter laudabiles Consuetudines collocat, 256
Ante Dotationem, unicus Ministrorum reditus ex Oblatione Fidelium, & sub illius spe ordinabantur, 294. 296
Oblationes pro Natalitiis Martyrum, 373
De Oblationibus, 92

OBLIGATIO.

Duplex hodiè erga Clericos dicendi Officii Divini Obligationis fons; nempè Ordo Sacer & Beneficium, 314
Quamdiù Clericis Inferioribus ab Ecclesiâ permissum fuit ut & Uxores & Beneficia retinerent, Clerici conjugati ad Officium obligati fuerunt, ibid.
Obligationes Clericorum, Sacerdotum circa Horas Canonicas, seu Divina Officia, 322
Obligatio Clericorum ad lenitatem, 429

OFFICIALIS.

Officiales dicuntur quibus Episcopi committunt vices suas, 39. 111. Officialis Episcopi Ordinariam babet Jurisdictionem, 39. 113. Ab Officialibus foraneis appellatur ad Episcopum, seu ejus Officialem Generalem, 39 52. Ab Officialibus Inferioribus & foraneis, ad Episcopos ipsos debet appellari, 39. 113. Officialis Generalis & Episcopi idem est Tribunal, 39. 112. Ab Officialibus Suffraganeorum, de Jure ad Metropolitanam est Curiam appellandum, 52. De Officialibus Archiepiscoporum, 52. 53. 114. Vide etiam, 56
Officialis quid sit? 111
Officiales habent varia nomina in Jure Canonico, ibid.
In Galliâ Officium Officialis Generalis Episcopi non subest Reservationi, 115
Archidiaconi habent Officiales, 112 168
Secùs in Gallia, 112
Ab Officiali Archidiaconi ad Episcopum appellari debet, non ad Archiepiscopum, omisso medio, 168
Officialis Archidiaconi Rhemensis Excommunicationis Sententiam promulgavit, 168

OFFI.

OFFICIUM DIVINUM.

De recitatione Divini Officii & Horarum Canonicarum, 154. 155. 195. 314. 331. 332
Cessatio à Divinis Officiis olim ad omnes Ecclesias pertinebat, 172
Distributiones sunt tantum pro illis qui adsunt Officiis, exceptis tribus casibus, 180
Casus, in quo illi qui Officiis intersunt, omnibus non fruuntur Distributionibus, ibid.
Observationes circa dictas tres Exceptiones, ibid.
Dignitates & Canonici assistere debent Divinis Officiis, 153. 154. 155. 193. 194. 195
Multitudo Suffragiorum, Precum & Psalmorum efficit ut Officium in Choro vix fieri possit attentè, devotè, ac religiosè, 196
De Divinis Officiis. Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Conciliique Tridentino desumptæ, 317
Divina Officia sunt Sacrificium laudis, oris & cordis, ibid.
Divisio Tractatûs, ibid.
Episcopus habet Jurisdictionem circa Officium Divinum in tota Diœcesi, ibid.
Archidiaconus & Archipresbyter in Ecclesia Matrice & in Districtu suo, ibid.
Primicerius in Ecclesia Matrice, ibid.
Circa Divina Officia quisnam est Textus Juris antiquior, ibid.
Officium Divinum habet varia nomina in Jure Canonico, ibid.
Officium Divinum aliud est publicum & aliud privatum, aliud solemne & aliud non solemne, 317. 323
Officium Divinum aliud est nocturnum & aliud diurnum, 317. Vide etiam, 154
Aliud est vivorum & mortuorum, 317
Officium Divinum est vel duplex, aut simplex, ibid.
Officium privatum duplex est. 318
Nocturnum Officium *Vigiliarum* nomine etiam insignitur, 318
Divinum Officium aliud erat Matutinum & aliud Vespertinum, 318. Vide etiam, 254
Officium Divinum octo constat Partibus, 318
Quisnam erat Ordo Divini Officii ineunte sæculo VI., 319. 327
Orationes quæ ad Officium Divinum pertinent, collectæ dicuntur, 322
Ab eo qui Officio præest, dicendæ sunt Collectæ. ibid.
Multa notatu digna circa omnes Partes Divini Officii, 318. 319. 320. 321. 322. 323. 326. 327. 328. 329
De Ordine servando in Officiis Divinis, 322. 323
De Obligatione recitandi privatim Officium Divinum, 323. 324. Vide etiam, 272
Cur Officium Divinum institutum fuit, 323
Clerici, qui moniti Divinis Officiis non adsunt, quibus Pœnis plectuntur, 323. 324
Jure Novo ad Officium privatum vel publicum tenentur Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, & quilibet Beneficii Possessor, 324. 332
Circa Officia Divina statutæ sunt à Jure Canonico Pœnæ & Remunerationes, 325
Pœnæ contra illos qui in illa peccant, ibid.
Remunerationes erga illos qui Officiis adsunt, ibid.
Vide Verb. DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ, REMUNERATIO.
Renumeratio illarum Pœnarum, 325. 326
Historica narratio secundum Ordinem Sæculorum de rebus notatu dignis circa Officia Divina, 326. *& seq.*
Ineunte sæculo V. decantandæ Preces Officia vocabantur, 327
Concilium Generale sub Innocentio III. celebratum, circa Officium quid habet, 328
Divinare non licet quo tempore Celebriores Sancti coli sub duplici Officio cœperint, 329
Hodiernum duplex Officium differt ab antiquo duplici Officio, 329
Quicumque ad Officia Divina publicè recitanda tenentur, ad canendum obligantur, 331, Vide etiam, 154
Missa & Officium Beatæ Virginis, 326. 329
Officiorum Divinorum duplex genus, nempè Missarum Solemnia, & Divinarum Laudum recitatio, 333

OPTIO.

Regulæ de Jure optandi ex Corpore Juris Canonici desumptæ, 161
Optandi Jus nullo Juris Canonici Textu reprobatum est, 162
Jus optandi introductum est Consuetudine particulari, ibid.
Ex Jure scripto, in quovis vacationis genere, Optio locum habet. 163
Intra viginti dies, Jure optandi utendum est, alioquin amittitur, 163. 165. 172
Antiquus proximus antiquiori incapaci, habet jus optandi, 163
Quæstiones circa Jus optandi, 164. *& seq.* 172. 173
An Optio locum habeat contra Devolutarios, qui Beneficium obtinuerunt ut vacans, ob incapacitatem Possessoris, quæ antecessit illius Provisionem, vel ex nullitate Tituli provenientis ex defectu formæ, 164
An liceat Legato, vel etiam Summo Pontifici derogare Statuto vel Consuetudini Optionis Jus concedenti. 165
An Optio secum invehat quædam incommoda, ibid.
An tempus viginti dierum præfinitum ad Optionem respiciat omnes Optionis casus, ibid.
An Jus optandi vim habeat contra graduatos, ibid.

ORATOR.

Orator est vir bonus, dicendi peritus, 313

ORATORIUM.

Sine Episcopi conscientia, nemini licet Oratorii domum ædificare. 97
Per hoc verbum, Oratorium, quid intelligendum est, 97. Vide etiam, 363. 517
De Oratorio, 514
Estne aliqua lex edicens aut prohibens Consecrationem Oratoriorum publicorum, 537
De Episcopi Jurisdictione in Oratoriis, 97

ORDINARIUS.

Officialis non est Delegatus Episcopi, sed habet Jurisdictionem Ordinariam, 59. 118
Qui ab Ordinario delegari possint, vel non, 80
Partialis Jurisdictio Ordinaria, 79
Jure Communi Episcopus Jurisdictionem Ordinariam habet in tota sua Diœcesi, solusque est illius Ordinarius, extra verò nullam habet, 81
Per Ordinarium vulgò intelligitur Episcopus. 100
Papa est Summus Pontifex, Caput Ecclesiæ Romanæ, Ordinarius Ordinariorum. 117
Casus, in quibus Papa non est Ordinarius Ordinariorum. ibid.
Quæ ab Ordinario impetrari potest, à Papa quoque peti potest, 338. Vide etiam, 106. 364
Casus, in quibus Religiosi subsunt Ordinario, non obstante quolibet Privilegio Exemptionis, 448

ORDINATIO.

Episcopus ne audeat extra suos fines facere Ordinationes in Urbibus & Pagis non ei subjectis, 33
Episcopus qui priùs ordinatus, est major & prior his qui posteriùs sunt ordinati, 55. 233
Singuli Episcopi secundum Ordinationis suæ tempora, in Concilio Provinciali sedere & subscribere debent, ibid.
Clericus seu Canonicus qui priùs ordinatus, est major, & prior his qui posteriùs sunt ordinati, 161. 197. 233
Episcopus solus jus habet ordinandi Clericos Sæculares subjectos Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, 185
Inter Ecclesiasticos ab Ordinatione petitur Sessionis Ordo, 232
Nullus Episcopus alterius Parochianum ordinare potest absque voluntate, licentia aut consensu proprii Episcopi, 274. 275
De Literis Dimissoriis circa Ordinationem, 274. *& seq.*
Sæculo XIII. scilicet ann. 1265. duo nova introducta in Ecclesia Romana circa Ordinationem, 276
Quod de Pœna Ordinantis dicitur (in Concilio Lugdun. ann. 1273.) novum est, 276. 278
Quæ ex collectis Canonibus circa dictas Literas Dimissorias inferre liceat, 278
Vide Verb. LITTERA DIMISSORIA *Exeat* nuncupata.
Canones circa Ordinationes alii ad praxim pertinent, alii verò ad Theoriam, 283
Collectio Canonum circa Ordinationum praxim, est divisa in quinque Partes, ibid.
Præcipuus hujus Collectionis finis, ibid.
Notabiliores Canones Ordinationis tempus proximè spectantes, à CHRISTO ad nos, juxta Antiquitatis Ordinem digesti, ib.
Menses & dies, in quibus Ordinationes rectè fiunt, 283. 367. 377. 379. 388
De Examine Clericorum, Monachorum ante Ordinationem aut antè Ordines, 284. 285. 286
Examen est fons bonæ ac malæ Ordinationis. 286
Casus, in quibus Ordinationes sunt illicitæ, ibid.
Multæ sunt Personæ, quæ ordinari non possunt, 286. 287. 290
De Requisitis in ordinandis, 286. 288. 288
Canones qui Ordinationis formam respiciunt, 290
Quæ ad Ritus Ordinationum spectant, ibid.
Quoad illa quæ subsequuntur Ordinationem, quid sentiendum est, ibid.
Notabiliores Canones cujusque Sæculi circa Ordinationem cum Titulo Beneficii, &c. ibid. *& seq.*
Vide Verb. PATRIMONIUM, PROCLAMATIO, TITULUS.
De Ordinationibus in Jejuniis Quatuor Temporum faciendis, 378. 379. 387
De Ordinatione in Jejunio Quadragesimæ, 387. 388. 389
Textus, qui faciendas vespere Ordinationes docent, quinam sunt, 392

ORDO SEU RELIGIO.

Quid sit Ordo Religiosus, 417
Prædicatorum & Minorum Ordines, 427. 428. 442. 445. 492. 493. 561
Hæc Vocabula, Ordo, Religio, Institutum sunt Sinonima, 428
Institutum Societatis JESU, ibid.
An, & quomodo novi Ordines institui possint. ibid.
Innocentius III. in Concilio Generali interdixerat Institutionem novorum Ordinum, ibid.
De incommodis Ordinum Mendicantium, ibid.
Ordo Capucinorum, 423. 432
Ordo Cisterciensis, 423. 475. 484
Hæc tria Vota Castitatis, Obedientiæ & Paupertatis, sunt basis & fundamentum totius Ordinis Religiosorum & aliorum Monachorum, 458. 474
Ordines Austeriores, 478

ORDO SACER.

Duo Decreta Concilii Tridentini circa Sacramentum Ordinis, 46. Quænam sunt materia & signa Ordinis Episcopalis, 47
Sacri Ordines, aliæque Res Spirituales gratis conferri prohibentur, 58
Quid cogitandum sit de usu Galliæ, circa independentiam Episcoporum, in iis quæ pertinent ad potestatem Ordinis, aut Administrationis, 63

Episcopus

Episcopus Ordines confert, 83. 84
De concursu Papæ cum Episcopo Ecclesiæ Gallicanæ quoad Ordines, 101
Dispensationes reservatæ Summo Pontifici circa Ordines, 147. 149
Qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones, ac quælibet alia Officia in Cathedrali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari Ecclesia obtinent, infra annum Ordines suscipere debent, 153. 202
Canonici & alii similes debent intra annum ad Ordines requisitos à suo Beneficio promoveri, aliter privantur dimidia suarum Distributionum parte, 182. Vide etiam, 181. 190. 191
A quo tempore numeratur hic annus, 182. 191. 192. 222. 245
Episcopus solus est Minister Sacramenti Ordinis, 211
De Officio Parochi circa Sacramentum Ordinis, 215
Ordines alii sunt instituti à Deo, & alii ab Ecclesia, 234. 236. 497
Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, gaudent paucis Privilegiis, 241. 266
Non decet eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, 265
Clerici in Minoribus Ordinibus constituti possunt mutare statum, 267
De Literis Dimissoriis ad Ordinum susceptionem, 274. & seq.
Quænam sunt requisita ad Ordines suscipiendos, 277. 286
Quæ ex collectione Canonum circa requisita ad Ordines suscipiendos inferenda sunt, 288
Quæ ex collectis Canonibus circa dictas Literas Dimissorias inferre liceat, 278
Vide Verb. Literæ Dimissoriæ Exeat nuncupatæ.
Ne fiant Ordines in omnibus mensibus, & in omnibus diebus, 283. 367. 378. 379. De Examine Monachorum aut Clericorum ante Ordinationem aut ante Ordines, 284. 285. 286
Minores Ordines Matrimonium non impediunt, 267
Episcopus, nescienti Grammaticam non potest conferre Ordines Majores, 287
Requisita in promovendis ab Ordinibus Minoribus ad Majores Ordines, 288
In Cœlesti Militia, in Divina Militia ab uno Ordine suscepto ad alterum Ordinem sequentem, quodnam interstitium esse debet, ibid.
Majores Ordines majora requisita requirunt, quàm Minores Ordines, ibid.
Ordinate ad Ordines ascendendum est, 289
Concilium Tolet. ann. 1473. statuit nullum ad Sacros Ordines de cætero promovendum, nisi sciat latinaliter loqui, ibid.
Literaliter vel litteratè sciat loqui, ibid.
Quæ ex Collectione Canonum circa requisita in promovendis ad Majores Ordines, inferenda sunt, 290
Impedimenta ad Ordines etiam nunc recepta, ibid.
Morum probitas, aliæque animi corporisque dotes ad Ordines requisitæ, 298
Ordo est Sacramentum, & imprimit Characterem, 301
Quo casu Ordo non est Sacramentum, ibid.
Quo casu prima Tonsura seu Clericatura est Ordo, ibid.
Clerici & omnes alii in Sacris Ordinibus constituti, curam animarum habentes, quænam Vestimenta, & Calceamenta habere possunt, aut non possunt deferre, 304. & seq.
Sacros Ordines conferre die Dominico soli Papæ nunc licet, 367
In Jejuniis Quatuor Temporum, Ordines Sacros conferre Græci non tenentur, etiamsi Latinis debitè Dimissis illos conferant, 379. 387. Nullo unquam anni tempore Ordines Sacri frequentiùs collati sunt, quàm intra Quadragesimam, si ex Testibus Juris, prout in eo habentur, hac de re judicetur, 387. 388. 389. 392
An & quomodo possint Religiosi ad Ordines promoveri, 425
Abbates habent potestatem conferendi Tonsuram & Minores Ordines, 497. 498

ORNAMENTUM.

Regulæ Generales circa Ornamenta, ex Corpore Juris Canonici desumptæ, 56. & seq.
De Ornamentis Episcoporum, 47. Vide etiam, 55
Ne vana sint Ornamenta, Privilegia Ornamentis annecti convenit, 56
Insignia & Ornamenta Abbatum seu Superiorum Religiosorum, 417. 508
Pallium est Ornamentum Archiepiscoporum, 47. 48. 55
Vide Verb. Pallium.
De Custodia Ornamentorum Ecclesiæ, 528. 529
Ornamenta Ecclesiæ debent esse nitida & munda, ibid.

POENA.

Culpæ gradatim sunt puniendæ, ideòque priùs Pœnæ Temporales adhibendæ, quàm Spirituales, 89
Pœnæ Temporales timentur, Pœnæ verò Spirituales quandoque contemnuntur, 89
Pœnæ pecuniariæ seu Temporales, quo sæculo in Ecclesia introductæ, 90. 91
Hæc est Regula Generalis in Gallia, ut in foro exteriori Pœnæ Juris habentes effectus exteriores, eosdem non producant, nisi post sententiam, qua declaratur illas Pœnas fuisse incursas, 180
Observationes circa hunc usum, ibid.
Pœnæ, ut res odiosæ, locum non habent, nisi in casibus expressis, 336. 344
Puniendus non est qui mercedem meretur, 337
Inter Pœnas à Jure præscriptas, nulla est quæ non sit vel latæ, vel ferendæ sententiæ, 345
De Pœnis contra Religiosos contumaces, vel erigentes in Superbiam contra Priorem, aut Abbatem, 421. 481. Vide etiam, 423. 446. 447
De Pœnis contra Priores & Superiores Monachorum, 447
Vide Verb. Carcer.

POENITENTIA.

Pœnitentia olim solemnis ante Jejunium Quadragesimæ, 384. 388
De Pœnitentia in Jejunio Quadragesimæ, 388. 389
De Officio Parochi circa Sacramentum Pœnitentiæ, 212. 253
De Pœnitentia publica, 563
Canones peculiares circa Sacramentum Pœnitentiæ, 253

POENITENTIARIUS.

Major Pœnitentiarius habet potestatem Ordinariam, 22. Ejus Literis habenda Fides, 23. Quænam sunt aliæ res quæ ad Majoris Pœnitentiarii potestatem pertinent, 23
Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur, 166. 180. 337. 339. Quædam alia de Pœnitentiario, 166
Circa Tempora quibus præcipuè Pœnitentiarius residere debet, 335

PALLIUM.

Solus Papa potest semper Pallio uti, 9. 50. Pallium est Ornamentum peculiare Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis & Papæ, 47. 48. 55. Pallium Episcopale distinguitur à Pallio Monachali, in eo quod illud nunquàm deponendum, illud verò nonnisi in certis casibus ferendum, 48. Ratio hujus discriminis, ibid. De Pallio Archiepiscoporum, 49. & seq. Quibus, & qua conditione dari debeat, 49. 50. Observationes circa Pallium, 56. Regulæ è Corpore Juris Canonici desumptæ circa Pallium, 56. & seq.
Quænam personæ olim potestatem habebant dandi Pallium, 57. 58. Peculiaria Pallio Papæ, 59
Pallium Clericorum in Jure Canonico vocatur Mantellum, 307
Materia, forma & color illius Pallii seu Mantelli, 306. 307. & seq.

PAPA.

Papa est Successor Sancti Petri, 6. & 9. Papa est Caput Ecclesiæ, 5. An hæc Dignitas attribuat illi aliquam Jurisdictionem in omnem Ecclesiam, 7. Papa est Vicarius Christi nostri Redemptoris, 9. 143. Papa locum Dei tenet in terris, 9. & 19. 372. Electio Romani Pontificis est in potestate Cardinalium, 9. Romanus Pontifex Supremam in Ecclesia obtinet potestatem, 10. Persona Romani Pontificis Christi Vicarii Pater est omnium, 11. Romanus Pontifex non habet Jurisdictionem in Temporalia, nisi in Patrimonio B. Petri, 11. 510. 511. 512. Papa non habet utrumque Gladium, 11. 510. 511. Summus Pontifex speculum, & norma omnis Sanctitatis esse debet, 15. Romanus Pontifex errare potest in Fide, 16. Quid observandum circa hæc verba, aut similia: Hæc dixit non ut Papa, sed ut Frater, 17. Summus Pontifex ut Papa seu Episcopus, nullum præjudicium suis Successoribus potest generare, 17. 107. 428. Papa in Gallia non habet Jurisdictionem circa singulos fideles, nec ad Temporalia extenditur, 47. Peculiaria Pallio Papæ, 59
De concursu Papæ cum Episcopo Ecclesiæ Gallicanæ quoad Jurisdictionem, 100. & seq.
In Spiritualibus Papa habet plenitudinem potestatis, & supra Jus est, 103. 510. 511
Papa non est Superior Spiritu Sancto, qui Concilio Generali præest, 104
Errores Innocentii III. 125
Nomina plurimorum Paparum secundum Ordinem Chronologicum, 138. & seq. Vide etiam, 148
Cur autoritas et potestas Papæ prævaluit supra autoritatem Episcoporum, 147
Qui est in servitio Domini Papæ, Ecclesiæ suæ deservire dicitur, 157. 338. 349
Dicuntur præsentes qui in servitio Papæ sunt, ibid.
Papa tanquàm Episcopus Urbis Romæ, habet Jurisdictionem communem cum omnibus aliis Episcopis, 117
Ecclesia à Summis Pontificibus quomodo regenda est, 7
A Summo Pontifice ad Concilium Generale Ecclesiæ Universalis appellari potest, ibid.
Summus Pontifex a te Hymnum Angelicum consecratur, 10
Papa dispensare potest circa Residentiam, 338
Error est maximus, Papam sine causa dispensare posse, 343
Vide etiam, 105. 126. 353
E Pontificio commodo erat, ut non definiretur Residentiam Episcoporum esse Juris Divini, 354
Varia circa eamdem materiam. ibid.
Concilium Tridentinum plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honorifica, 356
Papa est Dominus temporalis Urbis Avenionis, 357. 358
Sacros Ordines conferre die Dominico soli Papæ nunc licet, 367
Pro commemoratione Confessorum Pontificum, 374
Novam Religionem, seu novum Ordinem non licet constituere sine autoritate Romani Pontificis, 428
Romani Pontifices cùm Libertatis Privilegium aliquibus Ecclesiis indulgent, gratis accipiunt censum gratis oblatum, 443
Vide Verb. Libertas.
Antipapæ volentes sibi facere Asseclas, concedebant Mendicantibus Monachis gratias extraordinarias, 476. 477
Papa habet quinque gradus Jurisdictionis, 455
Sixtus IV. est ultimus omnium Paparum, cujus Decretales insertæ sunt in Corpore Juris, 498
Pontifex, ut Pontifex circa Temporalia Principum, aut Regum nihil omninò potest, 512. Ratio est quia Principes Supremi non alium habent in Temporalibus Superiorem quàm Deum, ib.
Summus Pontifex non habet potestatem absolvendi subditos erga Principes à Juramento Fidelitatis, ibid.
Error Bonifacii VIII. 513
Sicut Reges in Temporalibus nullum habent Superiorem quàm Deum, sic etiam Papa in rebus Spiritualibus nullum habet Superiorem quam Deum, 510. 511. 512. Vide etiam, 11

Reges sunt in Dignitate Suprema constituti, & Papa est constitutus in Dignitate Ecclesiastica Suprema; sic inter res diversi Ordinis nulla est subjectio, 509. 510
Summus Pontifex idem est ac Sedes Apostolica, 18

PAR.

Par in Parem non habet imperium, 17. 149
Romanus Pontifex Successoribus suis nullum potest præjudicium generare, pari post eum (imo eadem) potestate functuris, cùm non habeat imperium Par in Parem, 17. 177
Vid. etiam,
Pastores non debent esse Pares in autoritate, 559
De Pari cum Pari, 332

PAROCHIALIS (ECCLESIA).

Junge Verbum PAROCHUS.
Nomen Ecclesiarum propriè solùm pertinet ad Ecclesias Cathedrales & ad Parochiales, 538
Omnia Capitula Ecclesiarum non Cathedralium differunt tantùm in eo, quod alia sunt in Ecclesiis Parochialibus, & alia in aliis Ecclesiis non Parochialibus, 175
Episcopus Ecclesias Curatas vel non Curatas, cum Curatis unire potest ob earum paupertatem, 93. 94
Unaquæque Parochia sub Episcopi provisione regatur, 33. 204. Vide etiam, 34. 99
Nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, 204
Hoc verbum Parochialis, quomodo sumitur, 207
Corpora sepelienda sunt in Ecclesia Parochiali, 560. 562. Vide etiam, 256
Ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur & mortuus, 560
Etiamsi electa de Jure fuerit sepultura, semper tamen Ecclesiæ Parochiali sua Jura consueta solvenda sunt, juxta consuetudinem locorum vel pacta inita, 565
Privilegium concessum Monachis circa sepulturam, 560 562
An Parochiæ recens erectæ debeatur quarta funeraria, in locis ubi antiquæ ea non potiuntur, 562
Rei Temporariæ ad Parochiam quoquomodo pertinentis usus & Administratio, 256
De reditibus Parochialium Ecclesiarum, 204. 533
Missa Parochialis, 240. 247
In singulis Parochiis tabella una in loco publico collocetur, in qua Missæ, Festa, Anniversaria, in Ecclesia hujusmodi celebranda describuntur, 247
De Ecclesiis Parochialibus, 240. 248
De Reparatione, Administratione, Dotatione, ac de erectione Novarum Ecclesiarum Parochialium, 205 206. 260. 531. 533. 534
Quæ in erectione Parochiæ servanda sunt, 209. 531
Olim, id est ante Sæculum XII. Parochiæ conferebantur solis Presbyteris, 210. 211
De Ecclesia Parochiali in Beneficium simplex conversa, 225. 502
Tractatus de origine Parochiarum, laudatus, 225
De Monasteriis, quibus animarum Cura vel Ecclesiarum Parochialium Administratio est annexa, 450
Parochis per Religiosos præsentatis debere provideri de congrua eorum sustentatione, illorum reditus non debere imminui, nec eorum Ecclesias novis Pensionibus onerari, 451
Ecclesia Succursalis differt ab Ecclesia Parochiali, 221. Vide etiam, 223
Ecclesia Succursalis seu Coadjutoria, quid sit, 223
Vide verb. CLERICUS, COLLEGIATA, DIOECESIS.

PAROCHUS, PAROCHIA.

Parochus ad quid teneatur, 93. 94
Episcopus potest exigere Parochias sumptibus Capitulorum, quæ sunt Summi Decimatores, sine eorum consensu, 173. 206.
Quid intelligendum est per hoc verbum: Parochiana, 173
Circa Sæculum VI. Verbum Parochia significavit Dioecesim, necnon & Parochiam, 173. Vide etiam, 29. 33. 202
Sede vacante an Capitula possint conferre Parochias collationis Episcopi, 178
Longa vacatio Parochiis nocet, ibid.
In quibusdam locis Parochiæ dantur in concursu, 178. Vide etiam, 94. 143
Parochus etiam si absens fuerit à Divinis, habetur pro præsente, ita ut nihil perdat, 182
Parochus, sive Sacerdos dicitur, qui in Parochiali Ecclesia Prælationis Officio fungitur, 201
Parochi, sive Rectores Ecclesiarum, Curam habent animarum, 201. 247
Una Ecclesia unius debet esse Rectoris, sive Curati, seu Plebani, 94. 201. 204 228
Parochiæ Urbium Graduatis aut artium Magistris conferantur, 94. 202. 211. 242
Si conferatur Parochia nondum habenti XXV. annum, non valet Collatio, 201. 243
Ætas requisita ad Parochum seu Curatum, est annus XXV. cæptus, 94. 202. 210. Vide etiam, 242. 243
Episcopus solus habet potestatem eligendi Parochum, 201. Vide etiam, 9
Parochus seu Curatus qualis debeat esse, 94. 202. 203. 210. 211 217. 241. 257. 258. Parochus tenetur Professionem fidei emittere in manibus ipsius Episcopi, 94. 201. Parochus seu Curatus in Prædicationibus debet docere ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & erudire populos in Lege Domini, 203. 247. 248. 249. 257. 314. Quandocumque eos abesse contigerit, Vicarium idoneum eum debita mercedis assignatione relinquant, 93. 203. 224. 246. De Missis, quas tenentur Parochi celebrare, 93. 204. 246. Quæ pœnæ decretæ sint in Parochos, qui nec prædicant, nec resideot in Ecclesiis suis, 93. 94. 203. 245. 341. De Officio Parochorum circa Chrisma, 205. Parochi illiterati & imperiti, vel qui turpiter & scandalosè vivunt, potiùs destruunt quàm ædificant, 205. Vide etiam, 242. 247 257. 259. De Vicariis perpetuis Parochorum, 121. 206. 221. Vicarius perpetuus debet promoveri ad Sacerdotium intra annum, 206. Ætas XXV. annorum requiritur in promovendo ad Vicariam perpetuam, 206. Perpetuus Vicarius Parochorum debet in Vicaria residere, ibid. Parochi habent varia nomina in Jure, 207. An ex Corpore Juris colligi queat, per quatuor primæ Ecclesiæ Sæcula Parochos extitisse, 208. Quomodo figendi limites Parochiæ, 204. Circuitores vel Visitatores prima Ecclesiæ Episcopo subditi, nihil aliud esse videntur quàm Parochi, 209. 291. An Plebanus sit ex iis, qui delegari possunt à Sede Apostolica, 209. An determinatus sit à Jure incolarum numerus ad constituendam Parochiam, 209. Quanta in Parocho scientia desideratur, 210. 211. 242. 257. 258. Qui mores in Parocho exiguntur à Canonibus, 210 258. Quæ Parochi Officia sive obligationes, 210. 259 270. De Promotione ad Presbyteratum Parocho injuncto à Canonibus, 210. 245. De Officio Parochi in administratione Sacramentorum, 211. 249. De Officio Parochi erga Baptismum, 211. 251. De Officio Parochi circa Confirmationis Sacramentum, 212. 253. De Officio Parochi circa Sacramentalem Confessionem, 212. 253. De Officio Parochi circa Eucharistiam, 213. 254. De Officio Parochi circa Missam, 213. 246. De Officio Parochi circa Extremam-Unctionem, 214 255. De Officio Parochi circa Sacramentum Ordinis, 215. De Officio Parochi circa Sacramentum Matrimonii, 93 94. 215. Prohibetur Parocho ne quidquam exigat ante illorum Sacramentorum administrationem, 212. 218. Parochus est Superior proximus & immediatus erga Parochianos, 213. Parochus pro administratione Extremæ-Unctionis nihil potest exigere nec antè, nec post, 215. De exactione in administrandis Divinis, 217. Veteres Canones vetuerunt exactionem quamcumque circa administranda Divina, 218. 560. De Officio Parochis erga Beneficia incompatibilia, si quæ habet, vel obtinet, 218 222. 349. Jura Parochi Spiritualia & Temporalia, 218. & seq. 244 256 258. Hodiernum Jus Gallicum circa Parochos aliosque simile Beneficium habentes, 221. 349. Quæ peculiaria Juri Gallicano circa Parochos, 221. & seq. 452. Taxæ Episcopales præscribentes quid possunt vel non possunt exigere Parochi pro exercitio munerum suorum, 222. Jus Spolii Parochorum quid sit, 222. Præcepta Juris Communis circa Parochum, Ordinationibus Regiis ac Senatus-Consultis confirmata, 222. & seq. Usus Ecclesiæ Gallicanæ quando Parochia vacat per obitum, per depositionem, &c. 226. Parochi in Clericos Parochiæ Potestas, 243. Episcopus Juri Parochi derogare non debet sine causa rationabili, 254. Indumentum, habitus, & vestimenta Parochi, 306. 307. De Officio Parochi seu Curati circa Prædicationem, 203. 210. 211. 247. 248 249. 314. 315. 316. Jure communi singulas Officii horas per se & Clericos suos, canere tenetur Parochus, 331. Episcopus vel Parochus nihil aliud sunt quàm Pastores, sic ex Jure Divino residere debent, 334. De Personali Residentia Pastorum multa apud Fagnanum, 335. Comparatio Residentiæ Parochi cum Residentia Episcopi, 335. De Residentia Parochorum, 93. 203. 218. 222. 224. 245. 333. 339. 340. Circa Tempora quibus præcipuè Parochus residere debet, 335
Dies absentiæ Parocho permissæ quomodo computandi sunt, 336
Dispensatio Parochorum circa Residentiam, 339
An Consuetudo, qua Parochi per Vicarios Parochias suas regunt, probanda sit, 343
Comparatio Parochorum Regularium cum Parochis Sæcularibus, 458
Quæstio circa Parochos Regulares morantes extra Claustrum, an subsint Prælatis Regularibus, 458
Portio Canonica seu Retributio Parochi circa Sepulturam morientium, 219. 222. 223. 256. 560. 561. 562
Quo casu, Canonica Portio ambabus Ecclesiis persolvenda est, 565
De Officio Parochi erga Divina Officia decantanda, 217. 317
De Officio Parochi erga pauperes, 217
Vide verb. CURATUS.

PATRIARCHA.

Patriarchæ vel Primates unam formam habent, licet diversa sint nomina, 48
Patriarchatus Bituricensis, ibid.
Patriarchatus Burdegalensis, ibid.
Patriarchæ non habent jus visitandi Dioeceses vel Provincias Primatum sibi subditorum, 55. 66. 67
Minores Patriarchæ, de quibus in toto isto articulo, non habent jus ferendi Crucem elatam per totam Provinciam, 55
De Patriarcharum pallio, 57
Quidam Patriarchæ habent jus visitandi, 66
Patriarcha habet sub se Primates, 108
Magnus Patriarcha Antiochiæ nunquàm fuit Legatus Summi Pontificis, 342
Patriarcha Aquilegensium, 433
Patriarcha quatuor habet gradus Jurisdictionis, 486
Circa quatuor Magnos Patriarchas, Vide verb. ECCLESIA ROMANA.

PATRIMONIUM.

De Patrimonio Clericorum ante Ordinationem, aut ante Ordines, 285. 286
Sine Titulo Patrimoniali centum Solid. Turon. ad minùs, vel competente Beneficio Ecclesiastico, sicut in Jure Canonico cautum est, ordinandus de cætero nullatenus admittatur. 289. 293

Titulum

Titulus Patrimonialis debet esse verus & non fictus, 289. 293. 296

Concilium Biter. ann. 1233. primum determinavit valorem Patrimonii, 293. Vide etiam, 296

Quantitas Patrimonii relinquitur arbitrio Episcopi, 294

Quantitas tibus Patrimonii secundum Ordinationes Regis Galliæ, 294

Ante Dotationem, unicus Ministrorum reditus ex Oblatione Fidelium, & sub illius spe ordinabantur, 294. 296

Notatu digna sunt quæ de Patrimonio statuit Conc. Narbon. 294. 295

Post introductum (sæcul. XII.) hunc novum Ordinationis Titulum nempè Patrimonii, quid evenit, 296

Quomodo Titulus Patrimonialis constitui potest, 297

PAUPERTAS.

Sacerdos ordinatus cum Titulo Paupertatis, aut mendicare debet, aut quod maximè nefarium est, Sacrosanctum Missæ Sacrificium quasi venale facere cogitur, 294

Egestas seu Paupertas ad turpia cogit, 294. 297

Mendicitas non vivâ voce à multis Clericis pauperibus est exercita, sed captatione alienæ mensæ, 297

De Ordinatione cum Titulo Paupertatis, 290. 293. 294. 295. 296

Prætextus Paupertatis Monachalis quid secum trahit, 411. 472

Obligationes Religiosorum, Monachorum circa Paupertatem, 411. 413. 414. 415. 418.

Papa non potest dispensare Monachum de Voto Paupertatis, 474. 495. Secùs tamen ut hic, 474

Mutationes factæ circa Votum Paupertatis, 493. 494

De Officio Parochi ergà Pauperes, 217

PECCATUM.

Homo Diaboli suggestione peccavit. 3

Quibus pœnis puniantur Clerici in Sacris Ordinibus constituti, qui incidunt in aliquod luxuriæ Peccatum, 170. Vide etiam, 50

Peccata circa Divina Officia. 325

Pœnæ contra peccantes in Divina Officia, 325. 326

Inter opera servilia Peccata numerantur, 370

An peccatum mollitiæ sit ex illis quibus Ecclesia polluitur, 548

PECULIUM.

Monachi non possunt habere proprium seu peculium, & tenentur vivere sine proprio, 413. 414. 415. 420.

Abbates, Priores, & Superiores Religiosorum non possunt habere proprium. 421. 4

De pœnis contra Monachos, Religiosos, Regulares, Abbates, Priores, aut alios Superiores Monachorum possidentes aliquod proprium seu peculium. 421. 426. 430

An, & quomodò Religiosi. Monachi ex Beneficiis habere possint peculium, & quâ ratione illo uti, 430

Filii possunt disponere de peculio Castrensi vel quasi Castrensi. 560

PENTECOSTES.

Adventus Spiritûs Sancti seu Pentecostes, Vide Verb. Spiritus.

PERMUTATIO.

Nullus Juris Textus extat, qui de Permutatione Episcopatuum mentionem faciat. 126

In Permutatione existit necessitas, in eo quod Beneficia solùm tribuantur compermutantibus. 177

PERSONA,

Sub nomine Personarum miserabilium, quænam Personæ continentur. 331. 361

Ad quos extendatur Exemptio quæ Ecclesiæ seu personis conceditur. 439

Exemptiones singularibus, seu privatis Personis concessas, odiosas esse ac propè sublatas, & quomodò valeant si quæ sint concessæ, 442

De Immunitate Personarum Ecclesiasticarum, 31. 36. 521. 522. 523

Decretum Concilii Tridentini circa hanc Immunitatem, quomodò restringendum est, 524

De Episcopi Jurisdictione in Personas, 31. 32. 36. 83 92 184. 185. 435. 439. 441. 449.

PERSONATUS.

Personatus quid sit, 151. 333

Personatus olim sumebatur pro Dignitate. 167

Quis habet Potestatem supprimendi Personatum, 172

Dignitates aut Personatus quid possunt esse, 173

In Galliâ permittitur ut quis sine Dispensatione Papæ, habeat Dignitatem vel Personatum, vel Officium cum Canonicatu. 181

Personatus qui aliàs Prioratus simplex dicitur, ex Consuetudine tantùm residere debet, 334

Personatus percipere potest Distributiones, 350

Casus, in quibus Personatus amittit Distributiones, 351

PETRUS (Sanctus) Apostolus.

Super Cathedram Sancti Petri Apostoli fundata est Ecclesia. 4 Quid hæc Verba, *Tu es Petrus & super hanc Petram, &c.* significant, 4. 8. Sanctus Petrus fundavit Ecclesiam Romanam. 8. Dominus commisit huic Apostolo Claves Regni Cælorum, *ibid.* Papa non alibi habet Jurisdictionem Temporalem, quàm in Patrimonio Sancti Petri, 11

Quid significant hæc verba: *Quod à Beati Petri tantùm corpore assumitur,* 42. 57

In secundo Canone *Caus* 8. legitur Sanctum Petrum elegisse sibi Successorem Clementem, 126

Ut honoretur memoria Beati Petri, ad Ecclesiam Romanam recurrendum est, 143

Festa Sancti Petri & Sancti Pauli, 362. 363

De jejunio Sancti Petri in die Sabbathi, 398

Census seu pensio annua ad Beatum Petrum soluta per multas Ecclesias, 443. Vide etiam. 439

POLLUTIO.

Junge Verb. Altare, Cœmeterium, Ecclesia seu Templum, Locum.

Verbum Pollutio quoad Ecclesias, multis modis accipitur, 538

Quid sit propriè Pollutio, *ibid.*

Ecclesiæ polluuntur per tria facinora, 534

Olim Pollutioni Ecclesiarum remedium allatum esse duobus modis, nempè Reconciliatione & Reconsecratione, 540

Pollutio notoria qualis debeat esse, 541. 542

De Legibus circa Pollutionem Ecclesiarum, 543

Pollutio Judaica, *ibid.*

Pollutio est materia odiosa. 549

POSTULATIO.

Postulatio quid sit, 120. 121

Utilitas notitiæ Canonum circa Postulationem, 120

Indigni nec eligi nec postulari possunt, 121

Hæc vox *Postulare*, quo tempore cœpit. *ibid.*

Ut puniendus est qui eligit indignum, ita qui postulat. *ibid.*

Quorum est eligere, eorumdem est postulare. *ibid.*

Casus, in quibus Postulatio pertinet ad Causas Majores. 122

PRÆBENDA.

Præbenda Canonica dicitur, 151

De Præbendis Canonicorum, 153. 156. 157. 158. 159. 181

Duplex est genus Præbendarum, 161

Præbenda Beneficium non est, 163

An Præbendæ quæ vacant tempore quo Regalia aperta est, Optioni subsunt, 163

An Præbendæ Theologi, vel Præceptoris, vel Pœnitentiarii, juri optandi obnoxiæ sunt, ipse verò Theologus, Præceptor, Pœnitentiarios, vicissim gaudeant illo jure ergà alias Præbendas, 164

Incommoda annexa quibusdam Præbendis, 165

Præbenda Theologalis quid sit, 166. 182

Capitula possunt imponere honesta munera Præbendis vacantibus, 172

Sede vacante, Capitulum non potest conferre Præbendas collationis Episcopi, 178

Jus ac Potestas Episcoporum circa Præbendas, 184. 185

In Gallia Episcopus non potest supprimere, neque dividere Præbendas, & nullum iisdem onus imponere temporale, absque Autoritate Principis, 186

Possessor Præbendæ residere debet, 333

Casus, in quibus possessor Præbendæ amittit Distributiones, 351 Vide Verb. Distributiones.

PRÆCEPTOR.

Erga Præceptores servanda sunt in Galliis edicta Regis Aurelianense & Blesense, 91

Episcopus debet cum consilio Capituli eligere Præceptorem qui docere debeat Grammaticam pauperibus, 174. 175. 181. 183 Limita ut hic, 174

Usus Galliæ circa hunc Præceptorem, 181

Annotationes quoad hunc Præceptorem, depromptæ è Corpore Juris Canonici, & è Concilio Tridentino, 183

Circa medium sæculi XII. videtur ex Epistula Alexandri III. Papæ electi anno 1159. quod à longo tempore Præceptores essent constituti in plerisque magnis Ecclesiis Galliæ. *ibid.*

Consequentiæ colligendæ ex his annotationibus, cum aliquibus considerationibus de hac eadem re, *ibid.*

Qui minimè literis operam dederit, Præceptor esse non potest literarum, 288. Vide Verb. Præbenda.

PRÆDICATIO, PRÆDICATOR.

Prædicatio Evangelii est præcipuum Episcoporum munus, 33. 314. Nullus potest prædicare, nisi ex Officio sibi commisso, vel nisi habeat Autoritatem à suo Prælato, 34. 314. 315. Omnes Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alii Ecclesiarum Prælati, tenentur per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium, 15 Vide etiam, 91. 314

Prædicator debet docere ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & erudire populos in Lege Domini, 203. 314

De Officio Parochi circa Prædicationes, 203. 210. 211. 247. 248. 249. 314. 315 316

Tria solent in Prædicatore requiri. 318

Ad Prædicationem tenentur Episcopi, Curati seu Parochi, Theologi Canonici, 314

Circa Officium prædicandi quid requiritur, 313. 315

Non licet Abbatibus, Capitulis, in Ecclesias suas Concionatores introducere absque Episcopi Autoritate, 315

Ad Episcopum pertinet Prædicatores examinare, probare, vel reprobare, 314 315

In primis Sæculis, Prædicatores non alii erant quàm Pastores, 321

Mores Prædicatorum seu Concionatorum, 313. 314. Vide etiam, 247. 248

Prædicator Antichristi quis est, 361

PRÆLATUS.

Prælatus, qui Ecclesiam suam deseruerit per longum tempus, ea privari debet per Sententiam, 40. De Prælatis ipsis Episcopis Superioribus, 48. *& seq.*

Prælati in pluribus inter se conveniunt & differunt, 55

Vacante Ecclesia Capitulum exercet vicem Prælati, 160. 161

Appellatione Prælatorum non comprehenduntur inferiores Clerici, 260

Prælati cùm equitant, vel etiam in publico pedestres incedunt, quid habere debeant, 306

Simplex Episcopus est hodiè minimus Prælatorum, 486. Vide etiam, 55. 108
Prælati Regulares, Religiosi, 484. 485. 486
De Prælaturis Regularibus, 507
Magnæ mutationes introductæ in Ecclesia per vanam ambitionem, aut propter nimiam facilitatem Prælatorum, 353. 515
Vide Verb. Concionator.

PRÆPOSITUS.

In Concilio Coloniens. ann. 1260. sunt multa circa Præpositos notanda, 188

PRÆSENTATIO.

Postulatio locum habet in Præsentatione sicut in Electione, 122
Præsentari possunt illegitimi, & ab Episcopo, si velit admitti, ib.

PRÆSIDENS, PRÆSIDENTIA.

Vide Verb. Concilia Generalia Recensiora, Concilia Particularia, Synod. seu Sessionis Ordo.

PRÆTEXTUS.

Monachus Religiosus sub quoquolibet Prætextu non potest exire è Monasterio sine obedientia Superioris, 483. 484
De Prætextu Prædicationis erga Monachos, Religiosos errantes extra Monasteria, 484
Vide Verb. Diaconus, Fœmina, Mulier, Paupertas.

PRAGMATICA.

Pragmatica Sanctio ab Ecclesia Gallicana in Concilio Bituricensi anno 1438. sub Carolo VII. fuit condita, 117. 124. 193
De Annatis Pragmaticæ Sanctionis, 152
Tit. 10. Pragmaticæ Sanctionis laudatus, 153. 154. 155
Inferre est tempore Francisci I. non creditum, abrogata singula Pragmaticæ Sanctionis Decreta, quæ in Concordatum inserta non sunt, 193

PRESBYTER.

Presbyteri non habent potestatem confirmandi, & ordinandi, 6
Episcopi sunt Presbyteris Superiores, 32
Exigente hominum raritate, Clinicus ordinari potest Presbyter, 105
De Promotione ad Presbyteratum Parocho injuncto à Canonibus, 210. 245
Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine suo illum deponi debere, 268 325
Duobus constat totum Presbyterorum Ministerium, 272
Presbyter qualis debeat esse, 289
Nullus Presbyter, ex quacumque lucri vel cupiditatis causa, ab una Ecclesia ad aliam transeat, ad mortem usque in eadem hæreat cui primitùs ordinatus fuit, 292
Presbyter quasnam Fœminas secum, seu in domo habere potest, 308 Vide etiam, 272. Vide Verb. Fœmina.
Presbyter non solus, & sine Testibus, ad Viduas aut alias Fœminas accedat, 308. 313
Nec Presbyter solus cum sola Fœmina fabulas misceat, 310. 313
Certè solum & ad solam accedere nulla Religionis ratio permittit, 272
Presbyter tenetur ad Officium privatum vel publicum, 324
Presbyter & Diaconus, si per tres Hebdomadas sine justa causa à suis Ecclesiis abfuerint, severè puniuntur, 335. 341
Vide Verb. Sacerdos.

PRIMAS, PRIMATIA.

Controversia inter Arelatensem & Viennensem de Primatu, 48
In Occidentali Ecclesia, Patriarcha & Primas, diversa nomina, eadem Dignitas, ibid.
Primatus Senonensis, 49. 435
Primates subsunt Patriarchis, 55. 108
Primas habet sub se Archiepiscopos, 108
De Primatu Lugdunensis Episcopi in Ecclesiam Senonensem, 435
Primas tres habet gradus Jurisdictionis, 486

PRIMICERIUS.

Junge Verb. Cantor.
Quod am est Officium Primicerii, 321. 322. 324
Primicerius subest Archidiacono, 321. 322
De Primicerio, 166
De Residentia Primicerii, 333

PRIOR.

Prior Conventualis delegari potest, 80
Clericus Sæcularis Possessor Prioratûs Regularis residere non debet, ob tenuitatem Facultatum illius Beneficii, 333
Priores Conventuales ex Jure Divino residere debent, 335
Priores Claustrales ex Divina Obligatione residere debent, ib.
Ætas requisita ad Priores Conventuales est annus XXV. 416. 419
Quales esse debeant Priores, seu Superiores Religiosorum, & ad quid se extendat eorum autoritas, 416. Vide etiam, 414. 417. & seqq.
Ætas requisita ad Abbatissas seu Priorissas Monialium, 457
Vide Verb. Abbatissa.
De nomine Prioris, 484. Custodes, 484. 485. Ministri, ibid. Textus circa Priores Conventuales, 485. Duplex Priorum genus, ibid. De Depositione Priorum Conventualium, 487

PRIVILEGIUM.

Sedes Apostolica debet conservare singulis Ecclesiis sua Privilegia, ac Libertates, 26 Vide etiam, 24. 25. Unaquæque Ecclesia debet manere suis Privilegiis contenta, nec ab alia pervadi vel usurpari quod alterius Juris esse dignoscitur, 31 204. De Privilegiis Episcoporum, 40. 41
Privilegium Archiepiscopi Lugdunensis erga Episcopatum Heduensem, 79. Privilegium Episcopi Heduensis erga Archiepiscopatum Lugdunensem, ibid.
De Privilegiis ad Personam Clericorum concessis à Jure Canonico, 266. 521. 522
Quid requiratur ut Clerici Privilegiis sui Statûs gaudeant, 265
Usus Gallicanus circa Privilegium fori Clericis concessum in re criminali, 89. 267
Usque ad tertiam admonitionem gaudent Clerici & alii Ecclesiastici Privilegio Clericali, 266. 271. 529
Conditiones necessariæ ad fruendum Privilegio Clericali, 301. 302
Casus in quibus Clerici amittunt Privilegia Clericalia aut Ecclesiastica, 99. 266. 267. 304. 306. 308. 428
Clerici in Minoribus Ordinibus constituti gaudent paucis Privilegiis, 241. 266
Indulgentia, Privilegium, Dispensatio sunt Verba Sinonima, 343
Nonnulla Privilegia concedi posse, quæ Consuetudine introduci non possunt, 347
Novitios & Conversos gaudere Privilegio Canonis, sicut & alios Religiosos, 429
Privilegium Exemptionis eo ipso censeri irritum & Simoniacum, quòd sub aliqua pensione seu potiùs censu fuerit concessum, 443
Ubi primum Exemptionis Privilegium non valet, nec illius Confirmationis valere posse Privilegiis, 448
De variis Privilegiis Abbatum, 417. 433. & seqq. 496. & seq.
Libertates, Privilegia & Exemptiones multorum Monasteriorum, 433 & seqq. 438 & seqq.
Antiquitas, vel longa Consuetudo non dat Privilegium, 436. 449
A potestate Spirituali emanata sunt Privilegia circa Spiritualia, & à potestate Temporali illa quæ sunt circa Temporalia, 520
Vide Verb. Rex.
Quædam Privilegia Ecclesiarum, 523. 524. 535
De Immunitate Personarum Ecclesiasticarum, 521. & seqq.

PROCESSUS.

Quomodo institui debeat Processus, cùm Quæstio vertitur inter Ecclesiam, Episcopum, & Monasterium, super illius Exemptionem, 440
An in Processibus Criminalibus contra Superiores Regulares, factos ante Provincialem aut Generalem, unus aut alter habeant tantùm vocem divisivam, 489

PROCLAMATIO.

Proclamationes Ordinationis ortum habuere à Germania, 198
Per tres dies Dominicos aut Festivos, publicè in Ecclesia à Parocho Proclamationes Ordinandorum faciendæ sunt, ibid.
Concilium Turon. ann. 1583. vetat ne fiat Proclamatio, si verisimilis sit suspicio malevolos homines Clericos innoxios sub Ordinum susceptione velle deterrere, ibid.
Eadem cautela præcipitur à Concilio Colon. II. & à Concil. Mediol. II. ibid.
Proclamatio seu Publicatio circa Titulum census Ecclesiastici, seu Laicalis quomodo fieri debet, 195

PROCURATIO.

Procurationis nomine hic intelligitur Jus quoddam, quod solvere debent Ecclesiæ Episcopo visitanti, ne suis stipendiis militare cogatur, 37. 84. Procurationes ratione Visitationis debentur, 37. 444. Cavendum est, ne cùm Episcopi Parochias suas peragrant, quamdam non solùm erga Subditos sed erga Socios Tyrannidem exerceant, in exigendis Procurationibus seu Stipendiis, 37. 69. Si Parochiæ sint tenues, benignè & gratis visitentur, 37. 70. Hoc Stipendium à Sacra Scriptura & Conciliorum Generalium Decretis sancitum est, 37. Propter privatum Oratorium procuratio ratione Visitationis non debetur, 38.
Procuratio est Jus Visitationis, 54 Archiepiscopus potest exigere hanc Procurationem dum visitat Provinciam suam, 54 55 444
Visitator Procurationes accipere non debet, nisi personaliter visitet, 69
Procurationes non in pecunia, sed in victualibus moderatas expensas accipere debent Visitatores 55. 69. Vide tamen, 20
Archidiaconus habet Jus visitandi, 167
Procurationes ratione Visitationis recipit, ibid.

PROFANATIO JURIDICA ECCLESIARUM.

An polluere Ecclesias idem sit ac easdem profanare, 548
Quæstiones quoad Profanationem Juridicam Ecclesiarum, 552
Quænam rationes exigant, ut Ecclesiæ quædam profanentur, ibid.
Cujus autoritate fieri debeat Profanatio Juridica Ecclesiarum, 553
Debetne Episcopus per se ipsum facere Profanationem? Potestne illam simplici Sacerdoti committere, 553
Quomodò Ecclesiarum Profanatio facienda sit, ibid.
Quid sit agendum ante Profanationem Ecclesiarum, ibid.
Quid sit agendum per Profanationem, 553
Quid faciendum sit post Ecclesiarum Profanationem, 554
An Ecclesiæ in quibus nulla unquam fuit mortuorum Sepultura, sufficienter polluantur, profanenturque amovendo Lapidem Altaris è suo loco, ibid.
Profanatio Juridica Ecclesiarum fit autoritate Superiorum Ecclesiasticorum, cum Ceremoniis quibusdam à *Pontificali*, aliisve Libris præscriptis, 548. 553
Hæc actio vocatur *Profanatio*, quia Loca Sancta in statum suum profanum restituit & convertit, 548
De Profanatione idem est quoad Consecrationem, ac de Depositione quoad Ordinationem, 555

PROFESSIO.

Professio tacita nullam vim habet in Galliâ, 92. 410 491
Titulus Clerici Regularis est Titulus Paupertatis Religiosæ, seu emissæ Professionis, 495
Professio ante annum Probationis seu Novitiatûs elapsum, est nulla, 409. 466. 493
Neminem censeri posse Religiosum sine Professione expressa; qua ætate fieri debeat, & quomodò, 410
Professio est expressa aut tacita, 410. 465. 466. 467. 494
In quacunque Religione, tàm Virorum quàm Mulierum, Professio fiat ante decimum-sextum annum expletum, 410. 466
Professio debet recipi per Abbatem seu Superiorem, aut per ejus Delegatum, 410. 467
Professio libera ac planè spontanea, & non coacta neque per dolum aut per vim & metum, 411. 413. 466. 472
Quomodò probari debeat Professio à Religioso facta, & ad quid obliget, 413. 467
Scriptura non minùs necessaria videtur in Professione quam in Matrimonio. 413. 465. 467
Requiritur, ut valeat Professio, Approbatio Votorum Castitatis, Obedientiæ & Paupertatis, 413. 458. 467. 468 473-474
Quæ Decreta sint circa Professionem Monialium, & potissimùm ne coactæ, vel invitæ illam emittant, 453
Quandò & quomodò Dispensatio locum habeat in impedimentis spectantibus ad Professionem Religiosam, 473
Nulla est Professio absque Noviciatu, 465
De Professione in Religione non approbatâ, 467
Impedimenta ad Professionem faciendam, 468. 469. 473
Hermaphroditus habens duplicem sexum, 468
De remediis præscriptis, aut autoratis à Jure contra Professiones defectuosas. 470. 471
Observatio spectans ad mutationes factas 1. circa Professionem, 493
2. Circa materiam Professionis, 493
3. Circa formam Professionis, ibid.
4. Circa Jus autorandi Professionem, 494
5. Circa locum, ibid.
6. Circa Ætatem, 495
7. Circa Dispensationem, ibid.
8. Circa Reservationem, 495
9. Circa Reclamationem, 495

PUBLICATIO.

Vide verb. Denuntiatio, Proclamatio, Usus.

PUNCTUATOR.

Concilium Budense ordinavit Punctuationem, 72
Liber Punctuationum in Ecclesiis Cathedralibus, 72. 73
Officium Punctuatoris, 73
Punctuator debet Juramentum præstare, & quare, 555
Punctuator debet punctare omnes exeuntes de Choro, 194
Ille qui est in Sacristiâ debet punctare omnes celebrantes Missam, ibid.

QUADRAGESIMA.

Regulæ de Quadragesimâ è Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino desumptæ, 382
Quadragesima erat in usu sæculo IV. 382
Textus Juris qui ostendunt Jejunium Quadragesimæ preceptum fuisse in prioribus Ecclesiæ sæculis, 383
Duplex est causa Jejunij Quadragesimæ, 383. 384
Olim Jejunium Quadragesimæ Clericorum quàm Laicorum unâ tantùm Hebdomadâ longius erat, 384
De abstinentiâ carnis in Jejunio Quadragesimæ, 384. 385. 386 391
De cibis in Jejunio Quadragesimæ usitatis, 385. 390. 391
De Collatione in Jejunio Quadragesimæ, 385
De abstinentiâ potûs extra horas refectionis. ibid.
Jejunare non licet in Die Dominico in Jejunio Quadragesimæ, 385. Vide etiam, 361. 366. 372
In Quadragesimâ. Festorum Celebratio quibusdam Juris Textibus prohibentur, 386
De Die Cinerum, 388
De Die Cœnæ Domini, ibid.
De Sabbatho Sancto, ibid. & seq.
Discrimina circa Quadragesimam inter Ecclesiam Græcam & Ecclesiam Romanam, 390

QUÆSTIO.

In causis Ecclesiasticis an Quæstio seu Tortura adhibenda sit, 89

QUATUOR TEMPORA.

Vide verb. Jejunium.

RECLAMATIO.

Post quinquennium nemo potest reclamare contra Professionem Religiosam, 465. 471
De hâc Reclamatione, Vide, 455. 472. 491. 518
Textus antiquior, in quo verbum *reclamare*, adhibeatur in sensu in quo accipitur hodiè, 471
Hic Textus loquitur de tribus reclamationis causis, ibid.
Reclamatio differt à ratificatione, ibid.
Rescriptum circa Reclamationem, 472
De autoritate & potestate Episcopi circa Reclamationem, 471
An quinquennio elapso sine Reclamatione & impedimento reclamandi, Professus teneatur perseverare in Statu Religioso, 472

RECONCILIATIO.

Junge verò Altare, Cœmeterium, Ecclesia, seu Templum, Locum.
Reconciliatio in quibus convenit cum Absolutione, 538
Hoc nomen (Reconciliatio quoad Ecclesias) est novum, scilicet ab ineunte sæculo XIII. ibid.
Quomodò fieri debeat Reconciliatio Ecclesiarum, 524. 534. 539
Locus est credendi Reconciliationem Ecclesiarum differre ab illarum de novo Consecratione, 540
Ratio Reconciliationis Ecclesiarum, 543. 544
Ceremonia Benedictionis differt à Ceremonia Reconciliationis, 550

REGALIA.

Edictum Ludovici XIV. circa Regaliam, 164
Regalia longè anterior est quàm Canones qui optionem expressè probarunt, 164. 173
Regalia est quædam Reservatio Titulo oneroso ad Regem spectans, nempè ex Dotatione Episcopatuum, 164
Differentiæ inter illam Reservationem & Reservationem Præbendarum vacantium in Curia Romanâ, 164
De Regaliâ, 518

REGULÆ.

Regulæ *plus semper*, & *minus in majori*, malè intellectæ, 110
Regulæ ad praxim utiles, 143. 364. 460
Regula *dignus est operarius mercede sua, vel cibo suo*, quare est Divina, 164. 205. 332. 565
Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet, 173
Exceptiones Regulæ Generalis: *Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus*, 201. 242
Qui prior est tempore potior est Jure, 231. 235
Qui per alium facit, per seipsum facere videtur, 87. 332. 460
Plus continet quod est minus, 332. 364. 365. 406 495
Ad impossibile nemo tenetur, 337. 463. 470
De minimis non curat Prætor, 353

REGULARIS (Ecclesia)

Quomodò, & quandò Ecclesiæ Regulares mutari possint in Sæculares, & vicissim Sæculares in Regulares, 424
An Prælati Regulares exempti possint ipsi reconciliare, aut aliis Religiosis facultatem dare reconciliandi Ecclesias Regulares sui Ordinis, cùm pollutæ fiunt, postquàm benedictæ solùm fuerint à simplicibus Sacerdotibus, 552
Ecclesiæ Religiosorum, Monachorum non sunt Ecclesiæ, sunt tantùm simplicia Oratoria Publica, 538
Vide Verb. Exempta Ecclesia.

REGULARIS.

Regulares exempti subsunt Episcopis, 95. 96
De Jure Concilii Tridentini, possunt Regulares habere Curam animarum, 95. 201
Regulares cujuscunque sint Ordinis, prædicare non possunt sine licentia Superiorum suorum, & Episcopi, 315. 445
De Statu Religiosorum, quos vulgò appellant Regulares, 403
Correctio Regularium primò pertinet ad Prælatos ipsorum, 419
Circa licentiam Regularium, audiendi Sæcularium Confessiones, 442. Vide etiam, 431
Quid possint Regulares circa reliqua Sacramenta? Et de aliis quæ sunt ipsis prohibita, 443
Promotio ad Superioritates Regulares, 485
Jura Superiorum Regularium in suos inferiores, 486
Vide Verb. Concionator.
De iis, quæ omnibus & singulis Regularibus communia sunt, vel quibusdam peculiaria, 464
Translatio est una è pœnis Regularibus, 481
Expulsio extra Ordinem est maxima ex illis pœnis, ibid.
Regulæ spectantes ad Superiores Regulares, illorum differentias, Promotionem, Jura, 484
De Depositione Superiorum Regularium, 487
Ex privilegio Regulares habent Jus funerandi, 562

RELEVATIO.

Relevatio à lapsu quinquennii differt à Dispensatione. 155

RELIGIO CHRISTIANA.

Symbolum Religionis Christianæ quid sit, 2
Fundamentum Religionis Christianæ est credere in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, 5
Vide Verb. Historia.

RELIGIO seu ORDO.

Hæc vocabula, Ordo, Religio, Institutum, sunt sinonima, 418
Regimen Religionum Religiosorum est Aristocraticum, 420
Clericos posse Religionis statum amplecti, 425
Quænam sint causæ pro Commutatione Voti Religionis, 408. 464
Quam pœnam incurrant qui habitum Religionis deserunt, & ad quid cogendi, 421. 422
Ad quid teneantur qui Religionis Votum emiserant, seu qui Votum simplex emiserant suscipiendi habitum Religionis, 428
De ingressu in Religionem ac Professione Religiosa, ipsoque Religionis statu, 429
An, & quomodò liceat Religiosis, transire ad aliam Religionem? Et maximè, si ex illa Religione in qua Indultum ne quis transeat invitis Superioribus, ad strictiorem transeat, 423. 469
Quid agendum, si Religiosus ad aliam Religionem jam transierit, & an Translati gaudeant aliquibus juribus, tàm in Monasteriis è quibus translati sunt, quàm in iis ad quæ transierunt, 424
An & quomodò possint novæ Religiones institui, 428
Doctrina Canonum concernens Translationes Religiosorum ab una Religione ad aliam, ut sint istius Religiosi, 474

RELIGIOSUS.

Vide Verb. MONACHUS.
Religiosus in Episcopum licitè potest eligi, 28. 430
Religiosi Exempti subsunt Episcopis, 92. 94. & seq.
Tractatus de Religiosis, prout Ecclesiæ Ministris, vel Prælatis, 402. & seq.
Divisio hujus Tractatûs, 403
Sub nomine Religiosorum comprehenduntur Monachi sive Solitarii, Cenobitæ, Mendicantes & non Mendicantes, Canonici Regulares, 403
Sub eodem nomine intelliguntur tàm Fœminæ, quàm Masculi, quoad sexûs qualitas pati potest, 403. 458
Quod sit Juris remedium cùm Religiosi prætendunt se non fuisse Professos, & quandonam audiri debeant, 413
Ex Professione suæ Regulæ tenentur vivere in Obedientia, in Castitate, & sine proprio, 413
Religiosi nihil ferè possunt facere sine licentia, consensu aut permissione Abbatis aut Prioris, 414
Qui mores in Religiosis exigantur à Canonibus, 414
De prohibita Religiosis proprietate quid sentiendum est, 416
In quo potissimùm sita sit Disciplina Religiosorum, 418. 458
Non posse Religiosos unius Ordinis obtinere Administrationes seu Prioratus Monasteriorum alterius Ordinis sine autoritate Sedis Apostolicæ, 424
An & quomodo possint Religiosi ad Ordines promoveri, 425
Duplex est genus Religiosorum, 429
Quomodo provideri debeat ut Religiosi ad bonas Artes ac studia literarum instituantur, & quas scientias ediscere in publicis studiis ipsis vetitum sit, & sub quibus pœnis, 425
Quid cautum sit circa Beneficia Regularia a Religiosis obtinenda, 429
An, & quomodo Religiosi ex Beneficiis habere possint peculium, & qua ratione illo uti, 432
Religiosos qui ad Episcopale fastigium promoventur, non omnino eximi à legibus, quas per Votum sibi imposuerunt, licet ab aliis absolvantur, 430
Quid sit Ordo Religiosus, & quæ Religiones approbatæ, & quomodo Canonici Regulares à cæteris Religiosis differant. 427
Quibus in rebus Jus Canonicum concedat vulgò Religiosis Privilegium Exemptionis à Jurisdictione Episcoporum, 437
Quomodo Episcopi possint Religiosorum excessus in constituendis Parochiis corrigere, & an possint Novas Ecclesias acquirere sine assensu Episcopi, 452
Conditiones necessariæ ut quis fiat Religiosus, 465
Casus, in quibus Religiosi subsunt Ordinario, non obstante quolibet Privilegio Exemptionis, 448
Nullus est Religiosus sine Professione, 465
Religiosi raro promovebantur ad Ordines in V. aut VI. prioribus sæculis, 474
An Religiosus possit eligi ad Prælaturas alterius Ordinis, 480
De Religiosis qui fugiunt è Monasterio ad fugiendam vexationem, 483. & seq.

RELIQUIÆ.

Episcopus habet jus transferendi Reliquias, 84
Episcopus habet jus approbandi Reliquias, 185. 372
Summus Pontifex & Episcopus possunt Reliquias novas, seu recens inventas ad incognitos Sanctos pertinentes probare, probatasque publicæ Venerationi exponi permittere, 372
De Reliquiis SS. Martyrum, 373. 532
De translatione Reliquiarum Sanctorum, 513
Reliquiæ Sanctorum in Ecclesiis, 542

REMUNERATIO.

Remunerationes concessæ à Jure Canonico illis, qui adsunt Divinis Officiis, sunt Temporales vel Spirituales, 326
Remunerationes Temporales sunt Distributiones præsentibus tantùm Clericis concessæ, eo fine, ut alacriùs assistant, 326
Remunerationes Spirituales nihil aliud, sunt quàm Indulgentiæ certis Officiis annexæ, tàm pro absentibus, tàm pro celebrantibus, 326

RENUNCIATIO.

Hæc sunt illa per quæ Episcopus cedendi, abdicandi seu renuntiandi licentiam potest postulare, conscientia criminis, debilitas corporis, defectus Scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, Irregularitasque Personæ, 43. 126
Quot modis Episcopi renunciare possunt suo Episcopatui, 45

RES.

Omnis Res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, 78
De Jurisdictione Episcopi circa Res, 88
Res ad Episcopi Jurisdictionem pertinentes sunt, vel Criminales, vel Civiles, ibid.
Res Civiles sunt, vel Spirituales, vel Temporales, 91
Concilium Cloveshoviæ damnat Translationem Rerum Sacrarum in usus Prophanos, 429
Quænam sunt Res Spirituales, 520
Quænam sunt Res Temporales, ibid.
Immunitates respiciunt aut Personas, aut Res, aut Loca, 520. 526
Vide Verb. VASA SACRA.
De Rebus Spiritualibus Episcopi Jurisdictioni subjectis, 91
De Rebus Corporalibus Episcopi Jurisdictioni subjectis, ibid.

RESCRIPTUM.

Rescripta ad reclamandum contra Professionem, vel Sacri Ordinis Subdiaconatûs, vel Diaconatûs susceptionem vi factam, non sunt Dispensationes, 155
Usus est Romanæ Curiæ ut nullum mittatur Rescriptum ad Ministros Capituli Sede Vacante, sed ad Episcopum proximiorem, 179
Observationes circa hunc usum, ibid.
Rescriptum Papæ, 435

RESERVATIO ECCLESIASTICA.

De rebus quæ ad Jurisdictionem quoquo modo pertinent; quænam sunt ad Episcopum vel Archiepiscopum reservatæ, & de quibus Vicarii Generales cognoscere non possunt, 117
Vide etiam, 174
Consecratio Ecclesiæ reservata est Episcopis, 532. 540
Quoad Papam circa illam Consecrationem, Vide, 529. 532

RESERVATIO PAPÆ.

Reservationes & Exemptiones à Summis Pontificibus in Jure Canonico introductæ, limitant autoritatem ac potestatem simplicium Episcoporum, 117. 142. 435. 438. 450. 467
Quænam sunt res, aut causæ, quas Papa sibi reservavit, 12. 13. 43. 103. 107. 116. 117. 124
Ex quo Papa sibi aliquid specialiter reservat, aliis denegat facultatem disponendi aliquid super illo, 13
Nullus est Juris Textus, qui Episcopatuum Erectionem Papæ expressè reservet, 133. 134
Reservationes odiosæ sunt, 134. 178. 464
Textus, qui Depositionem Episcopi Summo Pontifici reservant, plerique sunt suppositi, atque desumpti ex Epistolis sub nomine Pontificum priorum Ecclesiæ sæculorum confectis, 138. & seq.
Observationes circa illos Textus suppositios, 141. 147
Ante sæculum XII. nullus extat legitimus Textus, qui eam Depositionem Episcoporum Sedi Apostolicæ reservet, 141
Quare Depositio Episcoporum Summo Pontifici reservata sit, 142. 143. Vide etiam, 147
Origo Textuum qui dicunt Causas Majores Jure Divino Papæ reservari, 147
Dispensationes reservatæ Summo Pontifici circa Ordines, ibid.
An Dispensationes à Votis Substantialibus Religionis, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, & à Votis Ultramarinis, seu eundi Jerusalem, vel ad Sanctum Jacobum, vel ad Limina Apostolorum, Summo Pontifici sint reservatæ, 150. Vide etiam, 426. 427. 464
Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium Reservatio, optioni obstat, 162. 168
Reservatio Beneficiorum Vacantium in Curia, 178
De suspensione Sedi Apostolicæ reservata, 217
Per Synod. Bajoc. ann. 1300. patet Sedi Apostolicæ reservatam non fuisse suspensionis Ordinatorum Absolutionem, 176
A tempore quo citati Canones (scilicet à Residentia Dispensationes) conditi sunt, nullus factus est quo à residendo, Dispensatio Sedi Apostolicæ reservetur, 218
Summus Pontifex seu Sedes Apostolica sibi reservavit Canonizationes Sanctorum, 371
Sed hæc Reservatio pro Lege Universali haberi non potuit, nisi post annum 1230. 375
Causæ hujus Reservationis sunt Malitia Diaboli, & simplicitas populi, ibid.
Vota reservata dicuntur quorum Commutatio vel Dispensatio ad solum Pontificem Maximum pertinet, 461. 464
Commutata à Summo Pontifice Vota ante sæculum XII. in Corpore Juris legimus, sed Commutationem sibi jam reservatam non legimus, 464
Dispensationes circa Vota Religiosorum non sunt reservatæ Summo Pontifici, 495

RESIDENTIA.

Beneficiati Curam Animarum gerentes, ut Episcopi & Archiepiscopi ad Residentiam tenentur de Jure Divino, Naturali & Ecclesiastico seu Canonico, 39. 333
De Residentia Episcoporum, 39. 40. 333. 334.
De Residentia Dignitatum & Canonicorum, 156. 181. 183. 185. 192. 224. 333
Docentes Theologiam, vel Sacram Scripturam non tenentur residere, 157
Studentes in Theologica Facultate per quinque annos non tenentur residere, 157. 158. 192. 193. 336
An & quomodo Indulgentiæ ad non residendum concessæ valere possint, 158
De Residentia Parochorum, 93. 94. 203. 218. 222. 224. 242. 245. 335. Perpetuus Vicarius Curatorum debet in Vicaria residere, 206. 245. 333
De Clericorum Residentia, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino desumptæ, 331. & seq.
Pastoris excusatio non admittitur, si oves lupus rapiat & Pastor nesciat, 332
Residere quid sit, ibid.
De Beneficiis quæ Residentiam exigunt, & quæ Residentiam non exigunt, 333. & seq.
Residentiæ onus vel ex Lege, vel ex Consuetudine, vel ex Fundatione, 334
Fundatione Canonica, Beneficio annecti potest Residentiæ onus, ibid.
Beneficia alia sunt quæ Lege Divina Residentiam exigant, alia quæ humana Lege, ibid.
Quibus viis Beneficio annectitur Residentiæ onus, iisdem ab illo eximitur, ibid.
Olim Cardinalatus Jure Residentiam exigebat, 40. 218. 245. 333
Hodiè Cardinalatus Consuetudine Residentiam non exigit, 334

De

De nullo Beneficio expressè dicitur, sive in Corpore Juris Canonici, sive in Concilio Tridentino, quod Jure Divino ad Residentiam obliget, 334
De Beneficiis tamen, quibus actu animarum Cura annexa Jure Divino, ad Residentiam obligare in Concilio Tridentino non obscurè insinuatur, 334 335
Ecclesia dispensare potest Episcopos & Parochos à Residentia, 334
De Personali Residentia Pastorum, multa apud Fagnanum, 335
Comparatio Residentiæ Parochi cum Residentia Episcopi, ibid.
Beneficia quæ Residentiam exigunt, non æqualem exigunt, ibid.
Sunt Tempora, quibus minùs abesse licet. ibid.
Quod de Temporibus dictum est, dicendum est de Locis, ibid.
Exceptio hujus Regulæ. ibid.
De Residentia Abbatis in Abbatia, ibid.
Circa Tempora quibus præcipuè residendum est, ibid. & 361 362
De pœnis contra Clericos non Residentes, 335.
In numerandis diebus absentiæ permissæ, vel servitii debiti, computandi nedum continui, sed etiam interpolati, 336
Statuta circa absentiæ tempus Beneficiatis ad Residentiam obligatis concessum prævalent Juri Communi, si strictiora sint; secùs si laxiora. ibid.
Quantacumque sit Residendi obligatio, & ex quocumque Jure nascatur, super illam cadit dispensatio, dummodo justa subsit causa, ibid.
A Residentia justæ Dispensandi causæ aliæ sunt Generales, aliæ Particulares, ibid.
Particulares causæ à Residentia excusarent, etsi Juramento promissa esset, 337
Cessante à residendo Dispensationis causâ, cessare debet Dispensatio, 338
A Residentia exempti Vicarios constituere debent, nisi Collegas habeant, qui vices ipsorum supplere possint, ibid.
Dispensatio à residendo Personis indignis concessa quænam incommoda secum trahit, ibid.
Quinam dispensare possunt circa Residentiam, ibid.
Non Residentiæ reus à proximo Superiore monendus, ut resideat, 339
Privatio Beneficii propter non Residentiam, per Sententiam fieri debet, 340
Contra non Residentiæ reum, præter Beneficii privationem, quænam sunt aliæ pœnæ: 340 341
Quæ sunt controversiæ circa Residentiam Clericorum, 342 & seq.
An Indultum de non residendo per quinquennium studiorum causâ à Jure concessum, solos Canonicos respiciat, 345
Festa, quibus Clerici non Residentes puniuntur, 362. Vide etiam, 335. 361

RESIGNATIO.

De Resignatione Episcoporum, 126. 145
Præbendæ & Beneficia ex carnali affectu per Resignationem acquiruntur, 161
An absolvendus sit, qui vitam Monasticam amplecti decrevit, si promissa sibi Prælaturæ Regularis Resignatio fiat, 505

REX

De Conciliis, in quibus Reges & Principes interfuerunt, 460
Vide verb. Concilium Particulare, Gallia, Lex.
De Dispensatione data Ramiro Arragoniæ Regi. 474
Regimen Ecclesiæ Romanæ, & regimen Religionum Religiosorum non est Monarchicum, sed Aristocraticum, & in isto casu Ecclesiastici non imitant Reges, 7. 490
Clerici sunt Reges, 302
Vide verb. Corona Presbyterii; Papa habet Legatos, Nuntios, 20. 90
Regulæ circa Principes è Corpore Juris Canonici desumptæ, 510
Princeps alius est Supremus, alius non Supremus, 510
Supremus, qui in Temporalibus alium non agnoscit Superiorem, quàm Deum; non Supremus, qui alium in his habet Superiorem. 510
Qui Suprema pollet Potestate non solùm Princeps, sed & Rex ac Imperator in Canone dicitur. ibid.
Potestas Regum in Temporalibus non agnoscit Superiorem. ib.
Potestas Papæ in Spiritualibus non habet Superiorem. ib. & 512.
Nulla est facienda comparatio inter Reges & Papam, quia inter res diversi Ordinis nulla est subjectio, 510. 515
Rex est Protector Ecclesiæ, 511
De Legibus Regum, ibid.
Quænam sunt expressè prohibita Regibus, aut Principibus per Jus Canonicum, ibid.
Summus Pontifex non habet potestatem absolvendi subditos erga Principes à juramento fidelitatis, 512
Ratio hujus rei, 512
Erronea Juris Canonici circa Principes & Reges, ibid.
Potestas Regum circa res Spirituales secundum Jus Canonicum, ibid. Rex est populi Caput, 512. 514. Regum Officia, 513
Canones in favorem Regum, 513
De Potestate Principum circa electiones ad Beneficia, Regulæ sive Observationes ex Corpore Juris desumptæ. 514. 515
Mutationes introductæ per Summos Pontifices super Electiones & super nominationes ad Beneficia Ecclesiastica, 514. 515. 516
Causa harum mutationum, 515. Vide etiam, 353
In mundo duplex est genus Potestatis, 520
Potestas alia est Temporalis & alia Spiritualis. ibid.
Vide verb. Privilegium.
Quid sint Temporalia, ibid.
Quid sint Spiritualia, ibid.
Principes quoad Temporalia. Episcopi quoad Spiritualia, 521
A Deo principium hujus Potestatis Temporalis & Spiritualis, 520
Vide verb. Unio.

ROGATIONES.

Vide verb. Jejunium.

SACERDOS.

Non potest quis esse Episcopus, nisi priùs fuerit Sacerdos, 27
Filius Sacerdotis, etiam ex incontinentia, potest in Episcopum eligi, 105. Vide etiam, 107
Qui eliguntur ad Ecclesias Collegiatas, & Parochiales, obligantur intra annum promoveri ad Sacerdotium, 181. 182. 202. 210. 245
Qui ad Ordinem Sacerdotalem promovebitur, Missam primam, intra trimestre, à die promotionis, celebrare compellatur, 191
Sacerdotis nomen Episcopis & Presbyteris commune erat in primis sæculis Ecclesiæ Christianæ, 247
Proprius Sacerdos quid sit in sæculo IX. 254
Quid nomine Sacerdotis in Jure intelligatur, 262
Grandis Dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccent, 261
Sacerdotes non possunt contrahere Matrimonium, 267. 268
Sacerdotes Latini nullas possunt sibi matrimonialiter copulare, nec illis habere licet concubinas, 269
Sacerdotes non debent sine licentia sui Episcopi, in aliis Ecclesiis ministrare, 273
Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio in omnibus diebus non celebretur, 283
Cùm scriptum sit, ut priùs quis probetur & sic ministret, multò ampliùs antè probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ Populi Sacerdotes mali, 189
Ordinatè ad Ordines ascendendum est, 289
Sacerdos qualis debeat esse, 289. 290. 298. 300
In grave Clericalis Ordinis scandalum ac dedecus, videmus (scilicet ann. 1524) haud paucos Sacerdotes nudos ac mendicos, 293
Sacerdotes qui Sancti non sunt, Sancta tractare non possunt, 270. 298
Sacerdotes à superiori labro debent barbam tondere, 253
Materia, forma, & color vestimenti seu habitûs & calceamenti Sacerdotis, 304. 305. & seq.
Mater Sacerdotis non debet habere pedissequas aut servitrices (id est ancillas) suspectas, 310
Sacerdos debet nescire nomen mulierum, ibid.
Ætas illarum ancillarum, 312
Quid præcipitur Sacerdotibus circa Prædicationem, 314. Vide etiam, 248
Olim Sacerdotes sine Capite, 442
Vide verb. Presbyter.

SACRAMENTUM.

Episcopus habet potestatem administrandi omnia Sacramenta, 83. 84
De Officio Parochi in Administratione Sacramentorum, 211. 249
Veteres Canones vetuerunt exactionem quamcumque circa administranda Sacramenta, 118. 250. 251. 558
Quo tempore & cur illi veteres Canones fuerunt abrogati, 218
Septem sunt Sacramenta. 249
Biduo ante Pascha, Sacramenta penitùs non celebrari ineunte sæculo V. Ecclesiæ traditio habebat, 388 389
De Officio Parochi seu Curati circa singula quæque Sacramenta, 211. & seq.
Vide verb. Lucrum.

SACRISTA.

Officium Sacristæ, 528
De Residentia Sacristæ, 333
De Sacristia, 166

SANCTI SEX PRIMORUM SÆCULORUM.

Festum Sancti Joannis Baptistæ. 362. 369
Festum Sancti Joannis Evangelistæ, 362. 366
Festum S. Philippi, 362. 366
Festum S. Jacobi, 362. 366. 372
Festum S. Bartholomæi, 362
Festum assumptionis Beatæ Virginis, 328. 362. 366
Festum conceptionis Beatæ Virginis, 326. 364
F. Purificationis Beatæ Mariæ, 362
Assumptio sub Ludovico Pio celebrari cœpit, 363
F. Annunciationis, 363
F. S. Innocentes, 362 363
F. S. Stephani, 362. 372
F. S. Sylvestri, 362. 363
F. S. Laurentii, 362
F. Nativitatis Beatæ Virginis, 363
Festum S. Martini, 363 364
Vide etiam, 25
Enumeratio SS. priorum sæculorum, 25. 26. 363
F. S. Viti, 364
F. S. Matthiæ, 364 366
Missa & Officium Beatæ Virginis, 326. 329. 375

SANCTI RECENTIORES SEU SANCTI A PAPA CANONISATI.

Absque Romanæ Ecclesiæ autoritate, quemquam pro Sancto venerari non licet, etiamsi per eum Miracula fierent, 359. 364. 370. 371. Id ita esse declarat Alexander III. ann. 1170. 359. 364. 370. Hoc Statutum limitat autoritatem Episcoporum circa institutionem Festorum, 364. De Sanctorum Canonisatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliique Tridentino depromptæ, 370. Canonisationis finis est gloria Christi & nominis Christiani, 370. Canonisationis finis proximus alius non est, quàm ut aliquis cultus Sanctis debitus deferatur, 371. Canonisatio S. Mauritii Abbatis ab Honorio III. facta ann. 1220. 371. Multa circa hanc Canonisationem, 371. 372

Miracula sunt vera signa Sanctitatis, modò illa Miracula sint vera, 371. 372
Per Canonisationem solus Summus Pontifex potast novos Sanctos publicè colendos proponere, 322
Joannes de Matha. & Felix Valesius quomodò canonisati fuerunt, *ibid.*
Beatus Benedictus Monachorum Præceptor, 427
Sanctus Bernardus laudatus, 298. 299. 300
In Orationibus, quæ in Officiis Sanctorum dicuntur, pro Sanctis orandum non est, 322
Consecratio Ecclesiæ fieri debet sub Nomine Sancti N 530. 536

SCANDALUM.

Propter grave scandalum Episcopus cedendi ş abdicandi, seu renunciandi licentiam potest postulare, 43 125. 126. Inter scandalum & scandalum est subtiliter distinguendum, 44
Modus agendi ad evitandum scandalum propter ea quæ in Infidelis permittuntur, quæ tamen à Canonibus prohibita sunt, 101
Maximum ex controversiis Ecclesiasticorum circa Præcedentiam nascitur scandalum, 234. 445
Prohibemus Curatis ne in adjutorium Curæ animarum, vocent Presbyteros lusores, potatores, aut ebriosos, per quos multum plebs scandalisatur, 243. Vide etiam, 259
Clericorum vita generare non debet scandalum Laicis, sed præstare honestatis exemplum, 261
Scandalosæ mulieres, 272
Casus, in quibus Fideles scandalisantur, 313
Propter solum scandalum vel infamiam Presbyter se gerere debet ut Irregularem, 398
Grave aut maximum Scandalum semper & ubique Religiosi, Monachi debent evitare, 421. 426. 445. 446. 456. 489

SCIENTIA.

Defectus Scientiæ in Episcopis reprobandus est omninò, nec de cætero tolerandus, 29
Concilium Toletanum imprimis requirit in Episcopo Scientiam Scripturæ Sanctæ & Canonum, 29 Propter defectum Scientiæ, Episcopus cedendi seu renunciandi licentiam potest postulare, 43 60. 61. 126. Si Episcopus propter litteraturæ defectum, (ne tanquàm cæcus cæco ducatum præbeat) ad otium se conferat Monachale, an ad Episcopatum reascendere poterit, 45 126. 127
Scientia debet accommodari ad munus uniuscujusque, 182
Multùm Reipublicæ Christianæ interest, ut sint in Ecclesiâ Viri docti, qui cæteros ad Justitiam & Pietatem invitent & erudiant, 190. 192
Ecclesiastici debent esse docti ut probabili opinione apud vulgus sustineant Dignitatem Officiorum, 192. Vide etiam, 244
Præstat paucos bonos & doctos, quàm plures indoctos & imperitos habere Ministros, 288
Qui ad cantum benè dispositi sunt, ad Scientiam minùs apti sunt, 331

SCRIPTURA SANCTA.

Ubi Verbum Dei Fidelibus non ministratur, quid aliud quàm vita animæ subtrahitur, 34
De Lectione Sacræ Scripturæ in Monasteriis, 85. 94. 425
Divinum Jus in Scripturis habemus, 358
Hodiè nihil est durius quàm praxis consiliorum Evangelicorum, & quare, 476. Vide Verb. VERITAS.

SEDES, SEU SESSIONIS ORDO.

Sessio Canonicorum Ordinis diversi debent ordinari pro Dignitate suorum Ordinum, & non per tempus eorum receptionis, 182
Singuli Episcopi secundum Ordinationis suæ tempora, in Concilio Provinciali sedere & subscribere debent, 55. 233
Canonici debent relinquere Episcopo licentiam eligendi locum quem voluerit, non solùm in Choro & in Processionibus, sed etiam in Capitulo, cùm jus habet illud adeundi, 183
Episcopis in Choro, & in Capitulo, in Processionibus & aliis actibus publicis. sit prima sedes & locus quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum autoritas, 47. Vide etiam, 185. 186. 200. 235
Primi Canonici Sacerdotes sedeant; secundi Diaconi; postremi Subdiaconi subsequantur, 188. 197
Præcipui Canones circa Sessionis Ordinem inter Canonicos ejusdem vel diversarum Ecclesiarum, 197. Vide etiam, 161. 182. 231. 236
Episcopus in Ecclesiâ & in concessu Presbyterorum sublimior sedeat, 200. 235
Curatus potest semper eligere locum honorificentissimum suæ Ecclesiæ, 183. Vide etiam, 230. 231
De Sessione Cardinalium, 230
Quo casu Canonici debent præesse Abbatibus, &c. *ibid.*
De Canonico erga Curatum, & de Curato erga Canonicum, quisnam eorum debeat præesse in propria Ecclesia Parochiali Curati, *ibid.*
De Sessionis Ordine in Cœtibus Ecclesiasticis, tùm Sacris, tùm profanis, 232. & seq. 235
Inter Ecclesiasticos frequentiores sunt controversiæ circa Sessionis Ordinem, 232. 445
Sedes primo digniori debetur, 232
De præcedentia in supplicationibus, in tumulandis defunctis, in deferenda Umbella, aliisve similibus, 234. 235
Præsidentia quid sit, 235
Variæ Quæstiones circa Sessionis Ordinem, 235. & seq.
De eversione Ordinis circa Sessionem aut Præsidentiam, id est, de Congregatione in quâ fœminæ præsunt Viris etiam in Ordinibus constitutis, 236
In Supplicationibus publicis dignior postremus incedit, 237
Prima sedes, sedes honorifica, seu Sessionis honor pendet ex consuetudine, 237. 238

SEDES APOSTOLICA SEU ECCLESIA ROMANA, AUT SUMMUS PONTIFEX.

Ecclesia Romana usitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur, 8
Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum Caput est, *ibid.*
Sedes Apostolica est omnium Ecclesiarum Mater & Magistra *ibid.*
Sedes Apostolica Curam habet Ecclesiarum omnium, & Tutelam. 10
Privilegia concessa per Summos Pontifices illis qui accurrunt ad Sedem Apostolicam, 157
Majores & difficiliores quæstiones ad Sedem Apostolicam semper referuntur, 12. 13
Propria Papæ potestas potissimùm consistit in Exemptionibus immediatis Sedis Apostolicæ, & in Reservationibus factis in favorem ejusdem Sedis, 137
Illa quæ sibi Sedes Apostolica reservavit ab aliis non debent attentari, 13
Sedes Apostolica quædam reservavit sibi, specialiter Translationes Episcoporum, 43
Quid Concilium Tridentinum introduxit ad deferendas causas ad Sedem Apostolicam, omisso medio, 149
Quid significant hæc Verba; prima Sedes à nemine judicatur, 17
Circa extraordinariam potestatem & magnitudinem Sedis Apostolicæ, 154
Exempti sunt Sedis Apostolicæ immediatè subjecti, 82
Vide Verb. EPISTOLA, GREGORIUS VII. JURAMENTUM.

SEMINARIUM.

Episcopus habet potestatem instituendi Seminaria, 199
Omnes Beneficiarii ad institutionem Seminarii conferant, juxta taxationem ab Episcopo faciendam, *ibid.*
Antiqua Seminariorum vestigia, 284
De Ordinatione cum Titulo Seminarii, 295. 297
Receptionis in Seminario Clericorum non alia sit Ceremonia, quàm in vertice capitis rasura, quæ aliud non est quàm Corona, 304

SENEX, SENECTUS.

Seniores debent priùs subscribere in Concilio Provinciali, nam prior ordinatus est dignior, 55
Jus optandi introductum est in favorem Seniorum, 162
Ratio hujusce rei est forsan, quia antiquiores Canonici majori egent subsidio, 161
De Translatione propter Senectutem, 477

SENTENTIA.

Hæc est Regula generalis in Galliâ, ut in foro exteriori pœnæ Juris, habentes effectus exteriores, eosdem non producant, nisi post Sententiam, quâ declaratur illas pœnas fuisse incursas, 180
Observationes circa hunc usum, *ibid.*
Super hoc fundamentum nonnullarum Congregationum Ecclesiasticarum, Constitutiones espressè declarant pœnas ipso facto incurrendas effectum suum tantùm habituras post Sententiam, quæ pronunciaverit illas fuisse incursas. *ibid.*

SEPULTURA.

Explicatio multorum casuum circa Sepulturam, 219. 220. 559. 560. 561
De Registris Sepulturæ à Parocho conscriptis, 221. 227 228. 250
Jus seu retributio Parochi circa Sepulturam, 219. 222. 223. 256. 560. 561. 562.
Aliud jus Parochi pro effodienda terrâ Sepulturæ causâ, 222
Canonicus Regularis, seu Religiosus in articulo mortis agens, nolens proprium resignare in manibus Prioris, Christiana Sepultura privandus, 426
De jure Sepulturæ in Locis Sacris & Religiosis, 557
De exhumatione corporum, 549. 558
Interdictum Sepulturæ est aliqua species Excommunicationis, 549
Impiis Sepultura celebris vel speciosa non prodest, 557
Sepultura nec obest, nec prodest per se ipsam, *ibid.*
Sepelienda sunt corpora secundum usus usitatos, *ibid.*
Casus, in quibus deneganda est Ecclesiastica Sepultura. 558
Casus, in quibus non est deneganda Ecclesiastica Sepultura, *ibid.*
Vendere non licet Sepulturam, *ibid.*
Quid terra terram vendis; gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo, *ibid.*
Exactio pro Sepultura est prohibita, 559
Ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur & mortuus, 560
De honestate debemus eligere Sepulturam, ubi Majores nostri sepulti sunt, *ibid.*
An Episcopus statuere possit, ut Quarta Funeraria solvatur, ubicumque non solvitur, 562
Curatio funeris, conditio Sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum, 557
Ubicumque sepeliamur, Domini est terra & plenitudo ejus, 557. 558.
Jus Quartæ Funerariæ est impræscriptibile contra Regulares, 562
An sint pœnæ Ecclesiasticæ contra violatores Sepulchrorum. 563
In quo consistat violatio Sepulchrorum seu tumulorum, 564
Qui Sepulchra effodit, undecim annorum carebit Communione, 563
An illi qui Sepulchra aperiunt, ut videant in quo statu sit corpus quorumdam hominum mortuorum in odore Sanctitatis, hujus criminis sint Rei, 564

SERVUS.

Comparatio Religiosi cum servo, 462. & seq.

SILEN-

SILENTIUM.

In Oratorio, Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium observetur, 418

SYMBOLUM.

Symbolum Religionis Christianæ, 2

SIMONIA.

Ad validitatem Actuum Capitularium requiritur ut ad hæc non accedat Simonia, 184. Vide tamen exceptionem, 184
Nullus Clericus ad Curam animarum admittatur, nisi juraverit quod in adeptione illius non commisit Simoniam, 241.242
Circa Simoniam ratione Tituli Clericalis, antiquius nihil habemus quàm caput *nisi cum*, 293
Circa illam Simoniam, vide 297
Simoniacæ hæresi ægrotare, quid significant hæc verba, 300
De Simonia circa ingressum Monachorum in Religionem, 411

SYNODATICUM.

Episcopus habet jus exigendi Synodaticum vel Cathedraticum, 84
Synodaticum vel Cathedraticum, quo intelligitur jus exigendi à qualibet Ecclesia duos solidos aureos quolibet anno, 84
Synodaticum & Cathedraticum undè dicantur, *ibid.*
Synodaticum est velut quoddam Tributum, *ibid.*
Jure Communi Monasteria à Cathedratici solutione exempta sunt, 98

SYNODUS.

Annis singulis Episcopus in sua Diœcesi Synodum faciat de suis Clericis, 33
Multæ Synodi nullam autoritatem habent extra Diœceses in quibus habitæ sunt, 542
De Synodo Parochorum, 257
De Synodis seu Calendis Curati,
Vide verb. Curatus.

SPIRITUS SANCTUS.

Spiritus Sanctus alienus non est à Deo, nec à Filio, 2
Papa non est Superior Spiritu Sancto, qui Concilio Generali præest, 104
Adventus Spiritûs Sancti seu Pentecostes, 361. 362. 363. 366. 367
Pascha & Pentecostes celebrari non possunt nisi in die Dominico, 366
Festum Pentecostes ab Apostolis institutum fuit, 369
Plurima cum Paschate communis Pentecoste habet, 369. 376. 377
Discrimina inter Pascha & Pentecosten, 369. 376
Quod Ecclesia facit, id Spiritui Sancto Beatus Leo tribuit, 378

SUBDIACONUS, SUBDIACONATUS.

Subdiaconatus est Ordo Sacer, 28
De Titulo Subdiaconatûs, 291. 294.
De Subdiacono, 2 8
Subdiaconus tenetur jure novo ad Officium privatum vel publicum, 124

SUBDITUS.

Enumeratio Subditorum Episcopi, 92. 93
Summus Pontifex non habet potestatem absolvendi Subditos erga Principes Supremos à Juramento fidelitatis, 512
Ratio hujus veritatis, 512
Integritas Præsidentium salus est Subditorum, 29

SUCCESSIO.

Vide verb. Bona Ecclesiæ.
Successor ad quid tenetur, 408

SUFFRAGIUM.

Ut Canonicus habeat Suffragium, quid requiritur, 153.180.191

SUPERIOR.

Non Residentiæ Reus à proximo Superiore monendus est, 339
Superior Episcopi in hoc casu est Metropolitanus, vel antiquior Provinciæ Episcopus, 341
Si Metropolitanus Reus est, & Primati vel Patriarchæ subsit, Superior tunc primas vel Patriarcha, 341
Si verò immediatè subjiciatur Summo Pontifici, Superior tunc est ipse Papa, *ibid.*
Promotio ad Superioritates Regulares, 485
Jura Superiorum Regularium in suos Inferiores, 486
An in Processibus Criminalibus contra Superiores Regulares, factos ante Provincialem aut Generalem, unus aut alter habeant tantùm vocem divisivam, 489
Provinciales aut Visitatores Religiosorum, 485. 486. 490
Secretarii, 485
Deffinitores, 485. 490
Superiores alii sunt locales & alii Generales, 485. 486
Generales Religiosorum, 486
Vide verb. Processus.

SUPERSTITIO.

Ea quæ ad curiositatem quamdam aut Superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & offendicula prohibeant, 34

SUSPENSIO.

Bonifacius VIII. *In Cap. 10. Ne Sede vacante in 6.* ponit Suspensionem Episcopi in eodem Ordine ac mortem, habita ratione Sedis vacantis, 176
An Bonifacius in illo capite introduxit Jus novum, 177
Capitulum non succedit Episcopo suspenso à Collatione Beneficiorum, *ibid.*
Qualis est Suspensio, de qua in art. præcedenti, *ibid.*
Effectus Suspensionis, *ibid.*
Episcopus absolutus à Suspensione potest conferre Præbendas suæ Collationis, quæ vacaverunt, cùm suspensus erat, 185
De Canonico mortuo durante Suspensione, 182
De Suspensione Sedi Apostolicæ reservata, 217
De Suspensione contra Clericos, qui irreverenter Officia Divina celebrant, 325. 326
Casus, in quibus Clerici sunt suspensi ipso facto, 244. 245
Duplex est casus Suspensionis à Communione, 341
Illa Suspensio est abrogata, 341
Hodierna Suspensio differt ab illa Suspensione, 341

TAMBURINUS.

Tamburinus, cur non potest esse suspectus, 484

TEMPORA (QUATUOR).

Vide verb. Jejunium.

TESTAMENTUM.

Religiosus non potest Testamentum facere, nisi ante Professionem, 415

TESTIS.

Religiosus in causis Ecclesiæ potest ferre Testimonium, 418

THEOLOGUS, THEOLOGALIS.

Vide Verb. Præbenda.
Episcopus debet consulto Capitulo providere victui Theologalis, 174. 125
Canonicus Theologus, ut liberiùs studio vacare possit, etiamsi absens fuerit à Divinis, habetur pro præsente, ita ut nihil perdat, 166. 180
Capituli Metropolitanarum debent constituere Theologum in sua Ecclesia, qui doceat Sacerdotes, 182. Vide etiam, 166. 314
Concilium Tridentinum extendit hoc Statutum ad Cathedrales, nec non ad Collegiatas locorum ampliorum, & in quibus numerosus est Clerus, 182. Vide etiam, 314
De Theologo, 166
Possessor Præbendæ Theologalis residere debet, 334. Vide etiam, 157
Studentes in Theologica Facultate per quinque annos non tenentur residere, 157. 158. 192. 193. 336. 337. 338. 339
Circa Tempora quibus præcipuè Possessor Præbendæ Theologalis residere debet, 335
Dispensatio Sacræ Theologiæ Professorum circa Residentiam, 339
Casus, in quibus Theologus amittit Distributiones, 351

THESAURUS.

Thesaurus Ecclesiasticus quid sit, 528

TOLOSA.

Circa hanc Urbem Galliæ, Vide verb. Archiepiscopus.

TITULUS.

De Titulo Patrimonii, 289. 291. 294. 296. 297
De Titulo Beneficii, 289. 291. 293. 294. 296. 297
Præcipui Canones cujusque Sæculi circa Titulum Clericalem seu Ordinationis, 290
De Titulo paupertatis, 290. 293. 294. 295. 296
An Titulus Clericalis duplex sit, nempe Beneficium & Patrimonium, 291
De Titulo Domicilii, 291
Extitisse Sæculo IX. Clericos, qui sine Titulo ordinarentur, 191. 196
De pœnis contra Ordinationem sine Titulo, 291. 192. 296
De pœnis contra Ordinationem sine Titulo Beneficii aut Patrimonii, 293. 294. 196
De Titulo Simoniaco, 293
Quæ ex collectis Canonibus circa Titulum Clericalem inferenda, 196
Titulus Beneficii seu Patrimonii ad Ordinationem requiritur ne Clericus deinceps mendicet, 195
De Titulo Seminarii, 295. 297
Concilium Mexic. ann. 1585. Suspendit ipso facto, qui fraudes circa Titulum Clericalem committunt, 295. 296.
De Titulo censûs Ecclesiastici seu Laicalis, 295
Sunt plures in Gallia Provinciæ, in quibus relata Dispensatio circa Titulum Beneficii, Patrimonii, seu Pensionis necessaria esse potest, 295
Tales inter cæteras Britannia Minor, Vasconia, ipsaque Provincia, 295
Concilium Burdig. vetat, ne quis ordinetur ad Titulum Patrimonii, si non sit utilis aut necessarius alicui Ecclesiæ, 295
Titulus Clerici Regularis est Titulus paupertatis Religiosæ, seu emissæ Professionis, 195
Concilium Burdig. præcipit inseri in Registro Curiæ Ecclesiasticæ omnia Acta Titulum Clericalem concernentia, 196

Fertur

Fertur nonnullos Episcopos sæculo VIII. & IX consecratos fuisse sine Titulo, sive addictione alicui Ecclesiæ, 296
Varia innovata & introducta in diversis sæculis circa Titulum Clericalem, 296
Hæc pœna contra Episcopum ordinantem Clericum sine Titulo Beneficii, aut Patrimonii, tributa est sæculo XIII. ab Innocentio, 296
Omnis cautela adhibenda est ne fraus fiat circa Titulum Clericalem, 297
Vide verb. PATRIMONIUM, PROCLAMATIO.
In quo Titulo quis ordinatus est, in eo permaneat, 474

TONSURA.

Vestis datur in Collatione Tonsuræ, 261.301
Per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, Clericalis Ordo confertur, 261
Prima Tonsura non initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, 261.300.301.304
Clericos non pudeat Tonsuram indictam portare. 262
An Clerici, qui Tonsuram, vel Minores Ordines assumpserunt, statum mutare possint. 267
Duplex est Tonsura, alia Monachalis, & alia Clericalis, 300 496
Canones circa primam Tonsuram Clericorum. 300
Prima Tonsura non est Ordo, 301. Vide tamen, 497
Quo casu Tonsura est Ordo, 301
Quænam sunt requisita ad primam Tonsuram assumendam, 300. 301
Multæ sunt personæ, quæ primam Tonsuram suscipere non possunt, ibid.
Minores septem annorum non possunt suscipere primam Tonsuram, ibid. & 302
Episcopus potest conferre Clericaturam seu primam Tonsuram quolibet die & quovis tempore, 301
Ætas requisita ad Clericaturam seu primam Tonsuram, est ætas circiter duodecim annorum, ibid. & seq.
Episcopus quoddam examen facere debet ante Collationem primæ Tonsuræ, 302

TONSURA CLERICALIS.

Præcipui cujusque sæculi Canones circa Tonsuram Clericalem ibid.
Differentiæ inter Tonsuram Clericalem & primam Tonsuram, ibid.
Tonsuræ Ecclesiasticæ à Nazareis usus exortus est, 302.304
Ut Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Capischoli, Canonici, Ostiarii, &c. Tonsuram Ecclesiasticam habeant, hoc est, Barbam rasam & Coronam in capite, 302
Clerici in Sacris Ordinibus constituti Coronam deferre contemnunt, & crinium extensorum, quasi ad scapulas utentes discrimine velut effeminati, &c. 301.305
Hic abusus Clericorum in Tonsuris abominabile scandalum populo generavit, 303
Concilium Palent. ann. 1388. ad omne ambiguitatis tollendum dubium, fecit circumscribi formam Tonsuræ in valvis Ecclesiarum Cathedralium, &c. ibid.
Insigne Clerici Tonsura est, 304
Clericus qui Tonsuram negligit, non gaudet Privilegio fori, 303. 304. 308
Consequentiæ inferendæ ex Canonibus circa Tonsuram Clericalem, 304
De pœnis contra Ecclesiasticos Tonsuram negligentes, 302.303 304 308
Clerici tonsi sint More Romano, 261

TRANSLATIO.

Translatio Episcopi debet fieri causa cognita, & hodiè solus Papa est, qui potest concedere licentiam ut transferatur, 42 43. 130. Non oportet Episcopum de Civitate ad Civitatem migrare, 42. 128
In toto Juris Canonici Corpore, nullus sæculo IV. circa Translationes antiquior Canon, 127
De Episcoporum Translatione, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliioque Tridentino desumptæ, ibid.
Translatio quid sit? ibid.
Antiqui Canones damnant Translationes, ibid. & 128
Quarto, sexto, octavo sæculo, ad Episcopos Provinciæ pertinuisse Episcopi Translationem variis ex Textibus colligitur, 129
De Jure Divino Translationes Episcoporum ad Papam non pertinent, 130
Ut Canonica sit Translatio, quid requiritur, ibid. & seqq.
Translationes aliæ sunt licitæ, aliæ illicitæ, aliæ legitimæ, aliæ illegitimæ, 131. Vide etiam, 128
Observandum sæculo XII. nondùm benè tredibum Translationem Episcopi, saltem non consecrati, reservatam fuisse Summo Pontifici, 133
Nullo sæculo Episcoporum Translationes fuere frequentiores quam sæculo IV. si ex Corpore Juris Canonici de hoc judicatur. ibid.
Ut Translatio Episcopi justa sit quid requiritur, 282
Multa Concilia vetant Translationes Episcoporum, Presbyteri, ac Diaconorum, 291. Vide, 296. 332
Vide verb. CIVITAS, MONASTERIUM, RELIGIO, seu ORDO.
Jus distinguit tantùm duplex Translationum genus, habitâ ratione ad Religiones, 476. 477. 478
An quod Religiosus translatus attulit in primo Monasterio, transeat ad secundum. 479
Translatio coacta Religiosorum in Ordinem austeriorem, ut in eo agant Pœnitentiam, ibid.
Translatio quoad Prælaturas sive perpetuas, sive Temporales, 480

TRIDENTINUM CONCILIUM.

Vide verb. CONCILIA GENERALIA RECENTIORA.

TRINITAS.

Quid sit? 2. Inseparabilia sunt opera Trinitatis, ibid. Trinitas Deus est, ibid. Non eadem Trinitas nata de Maria Virgine & sub Pontio Pilato crucifixa, sed tantummodò Filius. ibid.
Pelagius I. perfectè & distinctè explicat fidem Trinitatis & Incarnationis, 26
De side Gallorum circa Trinitatem ante tempora S. Martini, quid sentiendum est? 25
Festum Trinitatis, 358. 359. 364
Alexandro III. Pontificatum regente, Trinitatis Festum in Ecclesiâ Romanâ celebratum non fuisse, certum est, 370

VASA SACRA.

Vasa Sacra sunt per Episcopum consecranda? 83
Vasa Sacra sunt usibus profanis exempta, 248 429
De Vasibus Sacris. 528
Quis possit tractare Vasa Sacra, ibid.
Vasa Sacra Ecclesiæ debent esse nitida & munda, ibid. & 529
Vide verb. RES.

VENATIO.

Venatio est prohibita Episcopis, Canonicis, Clericis, 61.169 197. 304

VENDITIO.

Vide verb. BONA, COADJUTOR.

VERBUM.

Circa quædam Verba obscura, Vide verb. USUS.
Hæc Verba Ordo, Religio, Institutum sunt Sinonima, 418
Indulgentia, Privilegium, Dispensatio sunt Verba Sinonima, 345
De multitudine Verborum, Vide verb. DEUS.
Consecratio, Dedicatio, sunt Verba Sinonima, 536
Quoad Ordines Monachorum aut Religiosorum, hæc verba: *Vita melioris & vita strictioris*, sunt Sinonima, 476

VERITAS.

Ad cognoscendam Veritatem, ad Prophetas & ad Evangelium recurrendum est, 5

VESTES, VESTIMENTA.

Canones circa Vestes & Vestimenta Ecclesiasticorum. 304. & seq.
Junge verb. HABITUS.

VICARIUS EPISCOPI, PAROCHI, &c.

Qui vices alicujus gerit, illius locum occupare debet, 237
Vicarius Generalis habet plenitudinem potestatis Episcopalis, 114 117. 237
In Galliâ non permittitur Episcopo ut alios constituat Vicarios quàm Perpetuos, 95
Vicarii habent varia nomina in Jure, 111
Vicarius est, qui vices alterius agit, ibid.
Officialis seu Vicarius Episcopi, 39. 112
Jurisdictio Vicarii eadem est, ac Episcopi, & per consequens à Magno Vicario non appellatur ad Episcopum, 39.75.86.113
Quo casu Vicarius Generalis Episcopi habet primam Sedem, 237
Quo casu Vicarius Generalis Episcopi præcedere debet Officialem, 234
Metropolitanus neque Concilium Provinciale, non possunt dare Vicarios Generales Episcopis Provinciæ, 60
Limita tamen ut hic, ibid.
In Gallia Vicarius Episcopi habet facultatem absolvendi à crimine Hæresis in foro conscientiæ, 87
Usus Galliæ circa Vicarios, 112
Qualis sit Jurisdictio Vicarii & Officialis, & quamdiù duret, 113
Quid possint, aut quid non possunt, 114. 176
An Vicarium constituenti Vicarii constituti culpa imputetur, 115
Vicarii Generales Episcopi appellantur etiam Coadjutores. 60 111. 143.
Vicarii Temporales quid sint, 207
Vicarius Temporalis non potest sibi Vicarium substituere, ibid.
Jurisdictio Vicarii Temporalis non extenditur extra locum Vicariatùs, ibid.
Vicarii Succursales, 11
Vicarius Perpetuus Parochiarum & Parochus in paucis differunt, 221. 226
Tria sunt istorum Vicariorum genera, 223
Vicarius Perpetuus Ecclesiæ Parochialis subest Curato Primicerio, 226
Vicarius Perpetuus residere debet. 333 341
De Vicario Perpetuo Ecclesiæ Parochialis, 224. & seqq.
Portio congrua quid sit? 225 296
Portio congrua Vicarii Perpetui qualis debeat esse, 205 226.127
Reditus, Emolumenta seu Retributiones Vicariorum Perpetuorum Parochiarum, 226
Collatio inter Jus hodiernum Gallicanum, & inter Jus Canonicum seu Jus Commune circa Vicarios Parochiatum, 226
Vide verb. PAROCHUS.
Provicarius quid sit? 223
Quænam est autoritas & potestas Provicarii. 223. 224
Vicarius Coadjutor quid sit, 223
Comparatio Vicarii Coadjutoris cum Vicario Episcopi, 224
Vicarius Putticoarius, 226 227

Vicarii

Vicarii foranei curam animarum habentes, 229
Textus quoad Vicariorum substitutionem, per Canonicos abrogati videntur, 339
Vicariorum ad canendum institutorum genus duplex distinguendum est, 331
Vide verb. Commenda.

VICARIUS PAPÆ.

An ea quæ dicta sunt in articulo præcedenti de *Vicario Generali*, locum habeant in Vicariis Papæ. 116
Vicarii Papæ distinguendi sunt in diversa genera, *ibid.*
De Jurisdictione illorum Vicariorum, 116
Vicarios Papæ per totum Angliam, *ibid.*
Vicarius Papæ per totum Regnum Galliæ, *ibid.*
Quænam est autoritas & potestas Vicariorum Papæ, 116. 117
Vicarii Apostolici sunt Delegati, Episcopi verò sunt Ordinarii, 140

VIGILIÆ.

Quænam sunt Festa quæ in Jure habent Vigilias, 361. 366. 367 376 377
Regulæ de Vigiliis ex Corpore Juris Canonici desumptæ, 375
Per Vigilias quid intelligendum est, *ibid.*
Vigiliæ aliæ sunt privatæ, & aliæ publicæ, 376
Vigiliæ differunt à simplici Jejunio, 375. 376
Insinceretæ Vigiliæ quænam sunt, 376
De Vigiliis factis in Ecclesiâ S. Jacobi Compostellæ in Hispaniâ, 377. 545
Illæ Vigiliæ sunt abrogatæ, 376. 377
De Vigiliis à Jejunio sejunctia, 377
Nocturnum Officium *Vigiliarum* nomine insignitur, 318
Circa Vigilias, vide multa, 318. 326. 327

VISITATIO.

Episcopus ratione Episcopalis Jurisdictionis, quam habet in aliquâ Ecclesia, tenetur causâ correctionis eam visitare, 36. Quam in visitandis Ecclesiis formam observari desideret Ecclesia Gallicana, Vide *Librum laudatum* in pag. 37. Episcopi jus habent visitandi Confraternitates Laicorum, *ibid.* Visitationi annexa est Procuratio, 37. 54. Si Parochiæ sint tenues, benignè & gratia visitentur, 37 Multa Concilia injungunt Episcopis quotannis Diœcesim visitare, 36. 37. 68-71. 430. 457. Archiepiscopus debet visitare Provinciam suam, 53. 54. 446
Regulæ ex Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino desumptæ circa Visitationem, 65. *& seq.* 85
Episcopus antequàm visitet Diœcesim, quid debet facere, 68
De materiâ Visitationis, & de illis quæ pertinent ad jus visitandi, 37. 67. 72. 198.
De Prælato Delegato à Papâ ad visitandam Ecclesiam cum potestate promulgandi novas Ordinationes, quid sint sua jura, 74 75
Archidiaconus habet jus visitandi, 167
Post Visitationem quid debet facere, *ibid.*
An possint Episcopi, in Monasteriis quæ sunt Ordinum Capita, Visitationis Jure uti, 430
Vide verb. Exemptio.
Quomodò & à quibus visitari debeant Moniales, 457. vide etiam, 86 420. 459
Superiores Monachorum suis temporibus Visitationes facere non prætermittant. 419

UNIO.

Unio Episcopatuum quid sit? 137. Quot modis Unio Episcopatuum fieri potest? *ibid.*
Uniones Episcopatuum fieri non possunt sine consensu Regis aut Principis, *ibid.*
Causæ Unioona Episcopatuum vel sunt generales, vel particulares, *ibid.*
Uniones injustæ seu personales, 138. 419
De Unione Canonicatuum seu Præbendarum, 158. 159. 181. 184. 185
De Unione Parochiarum, 93. 94
Papa nullas potest facere in Galliâ Uniones ad vitam Beneficiariorum, 449

UNIVERSITAS.

Privilegia concessa illis qui docent, aut qui student in aliquâ Universitate, 157. 158. Vide etiam, 181. 336. 337. 338. 339

VOCATIO.

Necessitas Vocationis Divinæ, 297. 518
De Vocatione Divinâ ad Clericatum, & quibus modis dignosci possit, 297
Vocationis indicia, I. Mores. II. Recta intentio. III. Apta in in istâ re media, 298. 299

VOTUM.

Votum quid sit? 403. 460
Votum aliud est simplex, & aliud solemne, 403. 460. 490
Voti solemnitas ex solâ Constitutione Ecclesiæ est inventa, 403
Votum solemne quid sit? *ibid.* Simplex Votum apud Deum non minùs obligat quàm solemne, *ibid.*
Deliberata voluntas est vera promissio, *ibid.*
Quæ Regulæ observari debeant ad judicandum de firmitate Voti, illiusque obligatione, 404
Ab ineptis Votis & promissis abstinendum, 404
Stulta Vota frangenda sunt, 405
Quid agendum cùm Votum adimpleri non potest, *ibid.*
Obligatio Voti quibus modis tolli possit. 40. 461. *& seq.*
Cessante causâ propter quam Votum emissum est, cessat Voti obligatio, 406
Quæ sint causæ magis ordinariæ propter quas Sedes Apostolica Votorum commutationem injungat, 407
Quomodò Episcopus potest commutare Vota, 408
Quomodò Vota antiqua solvi debeant à Fidelibus, & quâ ratione à Clericis exigi, *ibid.*
Qui Votum facit, ut fiat Monachus, compellendus est reddere Domino quod promisit, *ibid.* Vide etiam, 410
Votum solemne aliud est expressum, & aliud tacitum, 410. 461
Observationes Historicæ quoad Vota, depromptæ è Corpore Juris, 490
Requiritur, ut valeat Professio, approbatio solemnis Votorum Castitatis, Obedientiæ & Paupertatis, 413. 467 473
Illa tria Vota sunt basis, & fundamentum totius Ordinis Religiosorum & aliorum Monachorum, 458. 474
De Votis Monialium, 453. 459
Regulæ circa Vota ex Corpore Juris Canonici, Conciliòque Tridentino depromptæ, 495. *& seq.*
Regulæ utiles circa Vota, 460
Votum est personale vel reale, 460
Votum est vel temporale vel perpetuum, 461
Servi non possunt emittere Vota invito Domino, 461. Vide tamen, 462. Votum aliud est licitum & aliud illicitum, 461
Vota alia sunt reservata, & alia non reservata, 461
Reservata dicuntur quorum Commutatio vel Dispensatio ad solum Pontificem Maximum pertinet, 461 464 477
Non reservata quæ Ordinariæ Potestati relinquuntur, 461
Origo Votorum simplicium & solemnium, 490. 491
Observatio circa mutationes factas circa Vota Castitatis, Obedientiæ & Paopertatia, 493 494
Casus, in quibus Vota Parentum non obligant, 462. 463. 518
Vide verb. Filius.

USURA.

Usura prohibetur de Jure Divino & Canonico, 263
De pœnis contra Clericos Usurarios, 263

USUS.

Junge verb. Hratorra.
Usus Registrorum Parochialium circa Baptismum, Matrimonium & Sepulturam, 227
Vide verb. Baptismus, Matrimonium, Sepultura.
Kalendarum usus antiquissimus est usus, & abusus, 229
Liber Punctuationum in Ecclesiis Cathedralibus, 72. 73
Vide verb. Punctuator.
Episcopus jus habet exigendi Synodaticum vel Cathedraticum.
Vide verb. Synodaticum, 84
Procuratio quid sit? 37. 84
Vide verb. Procuratio.
Tabula continuè pendens in Choro, 196
Usus illius Tabulæ, *ibid.*
Vide verb. Chorus.
Taxæ Episcopales præscribentes quid possunt vel non possunt exigere Curati pro exercitio Munerum suorum, 222
Plumbeta est Symbolum meritæ Distributionis, 194
Vide verb Distributiones Quotidianæ.
Libellus de casibus Episcopis & Sedi Apostolicæ reservatis, 229
Vide verb. Casus Reservatus.
Ut Curati seu Parochi Religiosè aut Canonicè equitent, quid significant hæc verba, 228 242
In singulis Parochiis Tabella una in loco publico collocetur, in quâ Missæ, Festa, Anniversaria, in Ecclesia hujusmodi celebranda describantur, 247
Charitativum subsidium quid sit? 84
Vide verb Charitativum.
Portio congrua Curati seu Parochi, 258
Portio Canonica Parochi ex Jure Sepulturæ, 220. 256 561. 562
Portio congrua Vicarii Perpetui Parochiarum quod sit? 225
Vide verb. Vicarius Episcopi.
Proclamationes Ordinationis ortum habuere à Germaniâ, 290
Publicationes Matrimonii ortum habuere à Galliâ, *ibid.*
Per XII. priora sæcula Censuræ Ecclesiasticæ, seu Excommunicationes maximè timebantur, 435
Vide verb. Censura.
Hodiè pœnæ temporales timentur, pœnæ verò spirituales, seu Excommunicationes quandòque contemnuntur, 89
Pœnæ pecuniariæ quo sæculo in Ecclesia introductæ, 90. 91
De Magistro Ceremoniarum in unâquâque Ecclesiâ, 200
Vide verb. Ceremonia.
Circa Sanctos Antiquos Vide verb. Sancti Sax patronum Sacularum.
Circa Sanctos Novos. Vide verb. Canonisatio, Sancti Recentiores.
Jus spolii Parochorum quid sit? 222
Ut Presbyteri non vadant, nisi Stola vel Orario induti, 305
Circa Pedissequam, Vide verb. Canon, Clericus.

UTILITAS.

Pro Utilitate Ecclesiasticâ & pro Utilitate Ecclesiæ omnimoda Dispensationum genera concedenda sunt, 103. 105
Dispensationum fundamenta, urgens necessitas, evidens Ecclesiæ Utilitas, 105
Pro bono pacis & pro Utilitate, à Canonibus & Legibus dispensari potest, *ibid.*
Unius utilitati & voluntati plurimorum Utilitas præferenda est, 131
In toto Juris Corpore non aliæ probantur translationum causæ quàm duæ; necessitas Ecclesiæ, illiusque utilitas, 130. 131
Causæ generales unionis Episcopatuum sunt urgens necessitas Ecclesiæ, vel evidens illius utilitas, 137

XENODOCHIUM.

Xenodochia, aliaque pia loca subsunt Episcopo, 97. 556
De Xenodochiis & Hospitalibus, 555
Vide verb. Hospitale.

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

